UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

urn:nbn:de:hbz:466:1-38601

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 574 a.

J. XIII
47

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VEN

T H

J

PE

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

VENERABILIS PATRIS

THOMÆ
à
JESU
OPERA OMNIA.

VENERABILIS PATRIS

THOMÆ à JESU

Hiſpani, Carmelitarum Diſcalceatorum Provinciæ Belgicæ Vicarii Generalis, primi Provincialis, ac deinde totius Congregationis Definitoris generalis,

OPERA OMNIA

HOMINI RELIGIOSO ET APOSTOLICO

TAM QVO AD VITÆ ACTIVÆ, QVAM CONtemplativæ functiones utiliſſima,

DUOBUS TOMIS COMPREHENSA.

IN QVIBVS SINGVLARI PIETATE, VARIA ERVDITIONE CLARIORI ET BREVIORI STYLO CONTINENTVR ET EXPLICANTVR,

Quæ, ad pietatem Chriſtianè fovendam, ad vitam Monaſticam Religiosè inſtituendam, ad munus Apoſtolicum feliciter complendum, ad fidem Catholicam utiliter promovendam, denique & potiſsimùm ad vitam ecſtaticam & planè divinam perfectè internoſcendam, & acquirendam, à SS. Patribus aliiſque Auctoribus fusè admodùm & obſcurè referuntur.

Cum Indice Rerum & Verborum notabilium ac Tractatuum, quos pagina undecima indicabit.

TOMUS I.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM juniorem.
ANNO M. DC. LXXXIV.

Cum Superiorum permiſſu & Privilegio ſpeciali.

Collegii Soctis JESV Paderborna
dono P. Filippenberg 1694



SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D. MAXIMILIANO HENRICO, ARCHIEPISCOPO COLONIENSI,

Sacri Romani Imperii Principi Electori, per Italiam Archi-Cancellario & S. Sedis Apostolicæ Legato Nato: Episcopo ac Principi Leodiensi, Hildesiensi & Monasteriensi: Administratori Berchtesgadensi: Vtriusque Bavariæ, Superioris Palatinatus, Westphaliæ, Angariæ & Bullionii Duci: Comiti Palatino Rheni, Landgravio Leuchtenbergensi, Marchioni Franchimontensi, Comiti Lossensi & Hornensi &c.

Domino suo Clementissimo.

PLurima certè sunt Serenissime Princeps, quæ Venerabilis P. noster THOMAS à IESV in salutem & commodum non tam nobis quàm orbi universo conscripta exhibuit; & ea, si sincero lustrentur oculo, talia profectò sunt, in quibus virtus laudem, & laus virtutem reciprocâ quadam contentione commendare videantur. Si equidem opera ejus, si vita conferendo examinentur, (quod tamen hîc præstare mentis nostræ non est) clarè satis & perspicuè appareret eum, quæ ore docuit, calamo scripsit, opere etiam compleviſſe; tanto semper ferebatur ardore & studio ad salutem hominum conquirendam, ut etiam hoc in opere primum librum de procurandâ omnium gentium salute esse voluerit. Tacenda sunt reliqua: hoc solùm dixisse satis sit, eum suo studio plus aliis quàm sibi laborâsse, magis publicæ quàm privatæ suæ utilitati, quod opera testantur, consuluisse.

Authorem vidimus: patronus ei & protector quærendus est. Novimus urbem parvam pauco etiam milite posse servari; ma-

gnam verò multâ militum manu egere, quorum labore, vigiliis & industriâ contra obsidentes defendatur. Sic est Serenissime Princeps, sed præ cæteris Tu primum (non enim multum quærere oportebat) Tu inquam primum Te obtulisti, qui suo gremio & posset & vellet Authorem nostrum includere: unde enim major ei Authoritas, unde certius patrocinium quærere licuisset, nisi ab eo, in cujus sinu summa Authoritas & patrocinium infallibile delitescebant? Deinde tanta est inter Te & Authorem nostrum voluntatis conformitas, ut non immeritò Tu illi, ille Tibi conjungeretur, & Tu ab illo nihil, ille à Te omnia abundanter reciperet. Studuit ille omnium gentium saluti providere, Tu non solùm in Diœcesi quaquâ patet subditorum, sed etiam exterorum, non studio solum, sed & opere salutem procurare non cessas; ita quidem, ut quæ ille docuit, ea omnia in Te summa, in Te perfecta reperiantur. Scripsit ille non suæ, sed alienæ serviendo utilitati, & Tu quos non labores exhauris, quas non vigilias, quæ studia non impendis, ut non tuam magis quàm alienam servares utilitatem. Hæc prior est Dedicationis nostræ causa & ratio, ut quia cuncta (utpote de procuranda omnium gentium salute, Commentaria de paupertate Religiosa, de Visitatione Regularium, quæ Tomo I. continentur: Deinde Tomo II. Praxis vivæ fidei, Via brevis orationis mentalis, de Contemplatione, de divinæ orationis methodo, naturâ & gradibus, de raptu, ecstasi, prophetia, Enucleatio Theologiæ Mysticæ S. Dionysii Areopagitæ &c.) Ecclesiastica sunt, ad Ecclesiasticum maximè patronum spectasse comprobentur. Si equidem gentes convertere, conversas servare, servatas ad beatam æternitatem perducere, pro ut facis, ulterius conaberis, modum docet & viam demonstrat Author noster Tomi I. Libro I. Si Archi-Episcopalis cura Tua subditos sibi & subditas paternè visitare requiret, exponet id visitatio Regularium Libro IV. Tomi I. Si denique Religiosæ paupertatis emolumenta fidelibus tuis commendare dignaberis, servient tibi Libri III. Tomi I. Commentaria. Ex his clare patet primum hunc Authoris nostri Tomum Serenitati Vestræ vix nonintegrum deberi. Quis jam dubitabit & alteram ejus partem Tibi, cujus prima est, deberi debere? Praxin veræ fidei quis te docere audebit, quæ est Liber primus Tomi secundi, cum ejusdem sanctæ fidei cultor sis maximus & propugnator acerrimus? Domesticos ad DEVM elevare, non tam amoris quam laboris est; amorem ipse nutris, laborem via brevis & plana orationis mentalis Libro secundo Tomi secundi mitigabit. De Contemplatione divina quid dicam? (quam tradit Libro quarto, Tomi secundi) quæ

talis

talis certè in te est, ut DEVS altissima ardentissimi cordis tui contemplatione motus non Tu illi, sed ille Tibi obediens factus obediatur. Quæ 5. 6. & 7. Lib. Tomi secundi continentur, de iis voluntas nostra si posset ut vellet commemorare, timeremus tamen, ne ea, quæ de Te dicta forent plus obscurari quam illuminari contingeret. Viden, etiam ex hac parte Tui juris est Author noster P. THOMAS à IESV! Partes omnes habes Serenissime Princeps; ergo Tuus est totus. Et licet omnia hæc non essent, solo tamen hoc titulo Author noster, nosque cum illo Tibi dedicari, consecrarique debebamus, quem ipsa gratitudo sibi deberi jure merito vendicabat: nam si Tua in nos, nostramque Religionem tam benequàm munificentia ponderetur, quis erit qui nos ingratitudinis vitii non argueret, si non aliquod gratitudinis aliquantulæ saltem signum proderemus? Verè Princeps Serenissime, cum Rhetoribus loquar, ex signo nostræ parvæ licet gratitudinis res & magnitudo beneficiorum nobis & Religioni nostræ collatorum & Tuis, & nostris luculenter innotescet. Minima maximis placuisse, non rara manifestant exempla, quare & nos parva pro magnis, minima pro maxmis offerre non erubuimus.

Hæ sunt Serenissime Princeps causæ, hæ rationes, quibus Tibi præsertim debeatur Author noster, cùm opus sit ejus à Te authoritatem in Censoribus, & securitatem in æmulis promanare, nostrumque pro tuis in nos nostrosque beneficiis gratificandi animum se notificare debuisse. Patere igitur Serenissime Princeps duplici hoc titulo Authorem nostrum, nos, nostramque Religionem Tuæ Clementiæ sinu foveri, patere Tuâ illum & Authoritate & Patrocinio niti, patere denique ut pro Tuâ munificentia hoc qualecunque munus, si non sufficientes, saltem dignas in sinum Tuæ gratiæ gratias refundere, eô plane modô, quô mare fluviolos etiam minimos non respuit, sed receptos uberiori aquâ remunerat; sic fiet, ut & nos uberiori maris Tui gratiarum torrente fœcundati majores etiam gratiarum fluvios sinui Tuo gratioso refundamus; ita tandem ex infœlici hoc mari, per calamitosum hinc inde temporis & rerum fluxum & refluxum, mare gratiæ Tuæ, & fluviolus nostri affectûs saliet in vitam æternam. Coloniæ ex Monasterio nostro S. Iosephi, & S. M. Theresiæ die 4. Aprilis Anni 1684.

Reverendißimæ Serenitatis Vestræ

Humillimi Obedientißimique

PP. FF. Conventus Carmelitarum Discalceatorum.

Frater Emmanuel à IESV MARIA, Præpositus Generalis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. ELIAE, Ordinis B. Virginis MARIAE de Monte Carmelo, ac ejusdem S. Montis Prior.

TEnore præsentium facultatem impertimur (quantum ad nos spectat) R. P. Fr. PAVLO ab omnibus Sanctis, Provinciæ nostræ SS. Sacramenti in Germania Definitori, imprimendi iterum omnia Opera Venerabilis Patris nostri THOMÆ à IESV, dummodo prius ea duo è nostris Theologi, à Reverend. Patre Vicario Provinciali, dictæ Provinciæ deputandi illa examinaverint, & in lucem edi posse probaverint. In quorum fidem præsentes dedimus sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ de Scala, die 10. Decembris. 1678.

Fr. Emmanuel à IESV MARIA Præpositus Generalis.

Fr. Faustus à S. Basilio Secretarius.

FACVLTAS REVERENDISSIMI AC ILLVSTRISSIMI Domini Archi-Episcopi Mechlinienſis.

Librum hunc me vidisse testor, & nihil in eo inventisse vel fidei orthodoxæ, vel piis moribus contrarium: authorem autem habeo virum doctum & valde pium: quare librum existimo non sine vera utilitate boni publici imprimendum.

Matthias Archi-Episcopus Mechlinienſis.

Fr. HVGO à S. IOSEPH *Provincialis Provinciæ Sanctiſſimi Sacramenti per Germaniam Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Virginis MARIAE de Monte Carmelo, Congregationis S. ELIAE &c.*

CVm Decreto Sacræ Cæsareæ Majestatis omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus, seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à CARMELITIS DISCALCEATIS hactenus editos, aut imposterum edendos, vel eosdem in diversas linguas ab aliis hominibus translatos, aut in compendium redactos, intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque, & Dominiorum suæ Sacræ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere ac forma, sive in toto, sive in parte excudere, vel recudere &c. sine facultate Provincialis Ordinis nostri pro tempore existentis in scriptis habenda, sub pœna Confiscationis omnium Librorum, & aliis gravioribus audeat, vel præsumat: Tenore præsentium facultatem concedimus IOANNI WILHELMO FRIESSEM Colonienſi Typographo excudendi Opera à Venerabili P. N. THOMA à IESV conscripta. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas ac sigillo munitas dedimus Monachii in Bavaria Die 5. Februarii ANNO 1684.

Fr. HVGO à S. IOSEPH Provincialis.

Fr. Adolphus à S. Maria Secretarius m. p.

PRO-

PROLUSIO AD LECTOREM.

HAbes hic, benevole Lector, Opera V. P. N. THOMÆ à IESV, usui tuo accommodata; quidquid in iis requiret sedulitas tua, eá in re abundè tibi satisfactum esse legendo intelliges. Cæterum candidus Author est, sincerus, & fidelis, atque ea, quæ scripsit, ut plurimum ipsemet expertus, ita ut omnium manibus teri, volvi ac revolvi securè possit. Magis recommendare Authorem supervacaneum putem, cùm laudem & recommendationem ipsa ejus non tantum Opera sed Pontificium quoque oraculum contestentur; utpote cum THOMAM nostrum Sanctissimus Pontifex PAVLVS V. ad Serenissimos Archiduces Albertum & Isabellam scribens, his verbis depinxerit: *Vir ut de Religione, doctrina, atque charitatis zelo, ita animi alacritate, studio atque diligentia in procuranda DEI gloria, atque proximi salute valde laudatus*; sic paucis plurima comprehensus.

Lector benevole, omnia salva sunt, si in uno tantùm informeris. Mentis nostræ quidem erat, juxta quod etiam à plurimis, tam nostris, quàm aliis instantissimè requisiti fueramus, omnia Authoris hujus zelantissimi Opera colligere, & collecta typis in utilitatem tuam edere; voluntatem tamen nostram utcunque fefellit tractatuum reliquorum penuria; qui, cum ad manus nostras nondum pervenerint, aut si qui perveniissent, Hispanico tamen in idiomate, huic nostræ editioni nihil profuissent, cursum tantisper, non tamen propositum sistere coegerunt. Bono interim esto animo; nam qui diutius morari non potuimus lucem operibus hucusque impressis concedere, ut qualitercunque maximo multorum desiderio ea videndi, eisque fruendi fieret satis: benevolo tuo legendi zelo tunc quoque satisdabimus, quando ejusdem formæ, ex residuis Tractatibus, tertium Tomum combinatum tibi offeremus. Et ut uno intuitu totum Opus, Lector candide, perspicias, ecce tibi compendiosa Librorum specificatio.

In duos, hactenus conquisita, Tomos digessimus, suntque:

In I. Tomo. Lib. XII. De procuranda omnium gentium salute, Schismaticorum, Hæreticorum, Judæorum, Saracenorum, cæterorumque infidelium; quibus impiissimarum sectarum, maximè Orientalium ritus ad historiæ fidem narrantur, errores ad veritatis lucem confutantur fol. 1

Catechismus generalis, pro omnium Sectarum Catechumenis fol. 372

Expositio in Regulam Ordinis Carmelitarum in 3. partes divisa fol. 403

Commentaria in Cap. Non dicatis *XII. Q. 1. c.* Monachi: *& Cap.* Cum ad Monasterium. *de statu Monachorum. In 4. partes divisa, quibus enucleatè de paupertate Religiosâ agitur* fol. 549

Lib. de Visitatione Regularium in 4. partes divisus fol. 680

Epistola de Regimine Prælatorum fol. 749

Dissertatio Theologica super hac quæstione: Vtrum Rex vel Princeps aliquis Catholicus possit permittere libertatem Conscientiæ in suo regno, vel dominio? fol. 751

In 2.

In II. Tomo. Praxis vivæ fidei, quâ Iustus vivit, in duos libros divisa fol. 1

Via brevis & plana orationis mentalis acquisitæ fol. 45

Instructio spiritualis eorum, qui vitam eremiticam profitentur fol. 62

Lib. VI. De Contemplatione divina fol. 80

Lib. IV. De divinâ, sive à DEO infusæ orationis Methodo, natura & gradibus fol. 197

Commentaria in quæst. 171. 172. 173. 174. 175. *secunda secundæ D. Thomæ Aquin. ubi de raptu, ecstasi, & prophetia; hoc est, de visionibus, locutionibus, ac revelationibus divinis differitur* fol. 367

His, pro appendice, additur: Enucleatio Theologiæ Mysticæ fol. 455

Reliqui, qui pro 3. Tomo reservantur, Tractatus sunt:

Methodus examinandi ac discernendi spiritualem animæ profectum, compendiosa ratio interiorem hominem per spiritualia exercitia innovandi.

Methodus Exercitiorum anagogicorum super Dominicas, & Festa præcipua totius Anni.

Compendium graduum orationis mentalis, & specierum contemplationis, desumptum ex libris, & doctrinâ S. M. N. Theresiæ.

Tractatulus de præsentia DEI.

Item de scrupulis.

Item de arte Rhetoricâ pro Concionatoribus.

Lib. de antiquitate & Sanctis Ordinis Carmelitarum.

Item de Privilegiis, gratiis, indulgentiis Confraternitatis B. V. Mariæ de Monte Carmelo.

Bibliotheca Carmelitana, sive, nobilium aliquot Carmelitanæ Religionis Scriptorum, operumque illorum Catalogus.

Elogia Sanctorum, ac Virorum illustrium Ordinis Carmelitarum.

Apologetica defensio Ioannis Hierosolymitani Patriarchæ 44. adversus ejusdem impugnatores.

Tractatus pro Canonizatione P. Ioannis Rusbrochii.

Item, contra doctrinam libelli inscripti Theologia Germanica.

Hæc sunt, quæ optime Lector, differre, ut supra, coacti fuimus, speramusque paulò post datâ opportunitate in lucem edere. Vtere Tu interim Authore nostro, & illos tibi ex eò fructus collige, quos in commodum tuum plantavit Author, & nos obtulimus; & si quos, ut quidem speramus, & optamus maximè, collegeris, eos comprimis optimo DEO, iis incrementum datori, in odorem suavitatis, tibi in salutem, & nobis denique in laboris mercedem præsentate memento, & ita nos nostri, & te tui studii minimè pœnitebit. Vive, vale.

VENE-

VENERABILIS PATRIS

THOMÆ à JESU,

CARMELITÆ DISCALCEATI,

De procuranda omnium Gentium salute, Schismaticorum, Hæreticorum, Iudæorum, Saracenorum, ceterorumque infidelium,

LIBRI XII.

Quibus impijssimarum sectarum, maximè Orientalium ritus ad HISTORIÆ fidem narrantur,

Errores ad VERITATIS Lucem confutantur.

PROLOGVS

Ad Christianum piumque Lectorem.

CONVERTENTVR *ad Dominum universi fines terræ, & adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.* Sic divino plenus spiritu, per universum orbem, futurâ Ecclesiæ propagationem prospiciens, David Propheta cecinit: qui majestatem quoque imperiumque Christi describens dicit: *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum: coram illo procident Aethiopes, & inimici ejus terram lingent.* Et mox: *Replebitur majestate ejus omnis terra, fiat fiat.* Eandem Ecclesiæ gloriam, ingentemque dilatationem cùm mentis oculis contẽplaretur Isaias, quamvis longè positam, sibi tamen propius factam, multis in locis prædixit; quin in ipso statim initio propheticæ visionis, postquam cecinit Judaicæ Reipublicæ interitum, protinus de Ecclesia subdit: *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eam omnes gentes, & ibunt populi multi dicentes: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob.* Vides, ut ad montem Domini confluant omnes gentes, & ex eis multæ invitent alias. Montem autem Domini esse Ecclesiam nemo est qui possit jure dubitare. Psal. 134. Psal. 71. Isaiæ 2.

Neque ullum tempus excipit Isaias, quo hæc Ecclesiæ felicissima propagatio non eveniat: nam sic alibi: *Multiplicabitur*, inquit, *eius imperium, & pacis non erit finis.* Isaiæ 9. De Ecclesia rursus, quæ Christi Domini ante adventum, quasi terra inaccessa, incultaque erat, ad quam nemini patebat aditus, nullo miteſcebat cultu, *Lætabitur*, ait, *deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans.* Explicat alibi eadem elegantissimè idem Isaias: *Deserta*, inquiens, *tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur, qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem, & dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiva; & istos quis enutrivit? Ego destituta, & sola: & isti ubi erant? Hæc dicit Dominus DEVS: Ecce elevabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferam filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.* Attendite, nam mysticis Prophetæ verbis hic inest sensus. Quoties Ecclesia accessione novæ sobolis spoliatur, toties destituitur, deseriturque: si ad eam adducantur gentes, & populorum nova agmina confluant, tunc quasi læta mater insigni fœcunditate ditatur, spatia nova requirit; quæ tamen, mirum dictu, simul cum ipso propaginis augmento numquam desunt. Audiamus eundem, qui sic inducit Deum loquentem, & verba facientem ad Ecclesiam quasi virum ad uxorem: *Lauda sterilis quæ non paris, decant laudem & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij deserta magis quam ejus, quæ habet virum, dicit Dominus: Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida.* Intellexistine fore, ut quoties Ecclesia ad sterilitatem adducitur non parit, & deseritur dum magis pariat, amplificetur, dilatetur. Denique sic admirabundus compellit, & excitat ad lætitiam, atque admirationem suis verbis Ecclesiam: Isaiæ 49. Isaiæ 54. Isaiæ 49. Isaiæ 54.

Isaia 60 siam: *Surge*, inquit, *& illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui: leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent, tunc videbis, & affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Hæc Isaias, qui multis deinde prosequitur hoc argumentum.

Isaiæ alij etiam Prophetæ consonant; Daniel enim ait, fore ut lapis ille, qui Christum significat, universam terram non modo contegat, sed impleat, fiatque mons magnus, illiq́ue detur principatus, honor, regnum, & serviant ei populi omnes, tri-
Abac. bus, & linguæ. Obid Abacuc: *Deus*, inquit, *ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan. Operuit cœlos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra.* Et Sophonias sic Deum facit lo-
Sophon. quentem: *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes nomen Domini, & serviant ei humero uno.* Zacharias autem Christi potentiam enarrans, *Potestas ejus*, ait,
Zach. *à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad finem terræ.* Deinde idem sic Deum inducit verba facientem: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda.*

Nec solùm vicinas orbis partes Ecclesia Dei, sed & loca longinqua, & insulas procul positas complexura erat, & hinc Isaias populos à nobis disiunctissimos in-
Isa. 42. vitat, exclamans: *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ, qui descenditis in mare, & plenitudo ejus Insulæ, & habitationes earum.* Et mox: *Ponent Domino gloriam, & laudem ejus in Insulis nunciabunt.* Et alibi contemplatus procul adveni-
Isa. 49. entes ad Ecclesiam gentes, admirationis plenus ait; *Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone, mari, & isti de terra Australi.* Et ob id Christus de seipso verba faciens apud eundem vatem, *Me enim*, ait, *Insulæ expectant, & naves maris in principio.* Et rursus: *Audite Insulæ, & attendite populi de longè, Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Idem de Apostolis suis loquens in remotis-
Isa. ult. simas oras mittendis, *Et ponam*, inquit, *in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes sagittas, In Italiam & Græciam, ad Insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam.* Hæc apud Isaiam. In quibus manifestè prædixit Ecclesiam Dei speciatim in remotissimas Insulas fore propagandam.

Et quidem non uno in loco, sed in quatuor orbis partibus, Occidente, Oriente, Austro, & Aquilone ad terminos solvetur Orbis terrarum. *Et dominabitur à mari*
Psal 71. *usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Hinc Deus ad eundem
Psalm. 2 Christum: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Isaias similiter cap. 52. eadem prædixit his verbis: *Et videbunt omnes fines*
Isaia. 52. *terræ salutare Dei.* Necesse est igitur, ut Christi nomen speciatim colatur etiam in extremis terræ confinibus.

Ecce quomodo Christi Prophetæ in Christi regni dilatatione paulatim ascendunt. Audiamus nunc ipsum Christum enucleatiùs rem omnem explanantem,
Marc. ult. Marc. *ultimo* Apostolos alloquens: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et alibi: *Eritis mihi testes in omni Iudæa, Hierusalem, & Samaria, & usque ad extremum terræ.*
Act. 1. Quæ omnia si attentè considerentur, nihil magis à Prophetis prædicatum, nihil æque à Christo quàm animarum culturã commendatam inveniemus. Imo novissimum mandatum quod Christus ascensurus in cœlum Discipulis suis reliquit, illud fuit: *Eritis mihi testes*, & illud: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, ut magis commendatam, ac animis eorum impressam animarum conversionem relinqueret: *Quod si hæredibus sunt tam dulcia, tam grata*; (ut in eodem proposito philosophatur Chry-
Chrysost sostomus *tom. 9. in primam* Joannis Canon.) *tam magni ponderis verba Patri futuri in sepulchrum; hæredibus Christi qualia debent esse verba novissima?* D. quoque August.
August. *serm. 6. lib. 17. Teneatur*, inquit, *vera promissio in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & usque ad fines terræ. His dictis, nubes suscepit eum, fratres, pro magno audiri solent verba promissa ascendentis in cœlum. Existimemus Dominum nostrum testamentum scripsisse.* Imo & hanc fuisse tempore mortis Christi, Resurrectionis, & in cælos Ascensionis solam curam, vel saltem præcipuam, diserte Augustinus in hoc & alijs plurimis locis asseruit: ubi curam hanc adducendi animas ad ovile Christi, notam esse singularem ad veram Christi Ecclesiam discernendam agnovit.

Sed quoniam nemo venit ad fidem nisi per Evangelij prædicationem (clamante
Ad Rom 6. 10. Apostolo) *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?* & postea concludit: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Ideo in hoc opere illud potissimum curavimus, Catholicorum excitare animos, ardentesque faces in eorum corda immittere, ut huic infidelium culturæ studeant.

Jure quidem Clementissimus DEVS, ac Redemptor noster de Christianorum igna-

ignavia, & ingrati animi significatione conqueri posset, quandoquidem salutem aliorum, pro quibus nobilissimus ejus sanguis effusus est, adeo negligant, ut vix unquam de illis à Dæmonis tyrannide liberandis serio cogitent.

Et quamvis hic neglectus in alias etiam Orbis Christiani partes permanarit (nemo enim à lege proximi juvandi excipi potest) tamen in Ecclesiasticis ac Religiosis præsertim, quos Christi charitas acrius urgere deberet, suam magis deformitatem ostendit.

Turpe quippe videtur, viros amore singulari Deo fœderatos, qui facile norunt, quam ardenter ille pro sua immensa bonitate hominum salutem sitiat, cùm ad Infidelium conversionem seipsos gloriosè devovere, ac plurimos populos Ecclesiæ conciliare possent, ita torpescere, sic operis arduitatem perhorrescere, ut alios quoque benè animatos à tanta Christi gloria dehortentur.

Adeone vili pretio tot hominum millia, quæ in dies singulos Tartarus exsorbet, empta sunt, ut delicati Christi milites nullam tantæ jacturæ curam gerere, sed in mediis Christianorum urbibus eleganter dicendo, populi auram captare debeant?

Quorsum tot, tantique studiorum labores ad doctrinam molliter tradendam exhausti? Quid vexatæ Christi Ecclesiæ conferunt innumeri Concionatores ad appositè dicendum enitentes, cum vel modicus hinc vel nullus interdum proventus existat? Nonne salubrius, glorioſiusque foret Apostolicos viros æmulari, & in eas potissimum gentes doctrinam, laboremque conferre, ut felicior salutis, ac Divinæ gloriæ proventus referretur? ut sic per vastissima regna, quibus Dæmon potitur, Christiana Religio propagaretur, & ab interitu sempiterno tot homines vindicarentur.

At res tota jacet, & prodigiosum videtur operis tam Deo accepti, ac necessarij meminisse: animas innumeras Infernus deglutit, & nemo miserorum vicem dolet? Sed ut à justissima querela ad institutum revertar; non solum in hoc opere Christianorum animos, & præcipuè Religiosorum, ad tuendam Christi causam, animarumque salutem curandam excitare; sed & arma tam in his, quæ ad doctrinam pro infidelium errorum confutatione, quàm quæ ad prudentiam pro adjuvandis his, atque ad fidem alliciendis, non absque aliquo labore subministrare conabimur.

Et quamvis pro convincendis omnium infidelium erroribus, ijsque juvandis, ut fidei Catholicæ lumine illustrati, veritatis viæ insistant, varia sint ab auctoribus conscripta volumina; tamen quia multi, maxime vero illi, qui orbem peragraturi missionum studio incumbunt, nec tanta librorum copia, nec otio abundant, ut ex tam variis auctoribus, tamque prolixis disputationibus brevi tempore ea, quibus pro temporum personarumque oportunitate opus habent, possint decerpere; illud certe desiderari videbatur, ut in unum veluti corpus omnia præsidia & arma, quæ ad fidem tuendam propugnandamque faciunt, & argumenta ad infidelium sectas extirpandas, adversariorumque objectiones refellendas, modus denique securè & inoffenso pede inter illos conversandi, eaque agendi dexteritate & prudentia, ut ad fidem amplectendam suaviter alliciantur, accuratè redigerentur. Ex quo hujus culturæ studiosi, tanquam ex promptuario, sine magni laboris ac sumptus dispendio, quicquid in hunc finem exposci videtur, deprome nt. Ego itaque non meo quidem arbitrio, sed superiorum meorum jussu huic operi manum admovi, ut qui Hæreticorum, Schismaticorum, Iudæorum, Mahometanorum, Ethnicorumque salutem promovere moliuntur, in promptu habeant, quicquid ad opus Evangelicum, tam in his, quæ ad fidei doctrinam, quàm quæ ad prudentiam agendi, & casuum moralium resolutionem, qui in hac functione offerri possunt, videtur requiri.

Vt autem præsenti operi majorem lucem, & auctoritatem afferrem, complures Romæ Bibliothecas, fama celebres, sedulo nullis laboribus parcens evolvi, Illustrissimi præsertim Domini Cardinalis sanctæ Severinæ, qui animarum conversioni à Gregorio XIII. & Clemente VIII. sanctissimis Pontificibus Præfectus, eximio salutis animarum zelo exardescens, plurima pro hac functione congessit. Multos insuper ego de Infidelium ad orthodoxæ fidei cognitionem conversione scriptos manu codices frequenti lectione percurri; inde optimam hujus tam ardui muneris methodum construxi: erroresque, qui hac ætate nostra grassantur, præcipue Schismaticorum, & similium, qui Catholicæ Ecclesiæ limites, vel transilierunt, vel penitus deseruerunt, diligenter notavi; & quod majus est, cum schismaticis, & alijs in Ecclesiæ gremium revertentibus Romæ uberius & sæpius egi, eo fine ut de universis attentius, enucleatius, certius, & commodius instruerer; ut de iis, quæ ad hoc commune Ecclesiæ Catholicæ bonum, animarumque salutem promovendam conducere maxime existimabam, certior fierem.

Nec me ab hujus argumenti tractatione deterrere debuit, Antonium Possevinum, virum & doctrina, & pietate insignem, in sua Bibliotheca idem fere argumen-

tum illustrasse: nulla enim disciplina est, cujus omnes vel pleræque disputationes non sint ab alijs prioris ævi auctoribus discussæ: nec propterea, qui illos secuti sunt, in eisdem illustrandis, suum ingenium exercere, & cum præcedentium studijs suas cogitationes, & labores conjungere, inutile judicarunt. *Nunquid* (ut S. Hieronymus *in præfatione Commentarij* Epist. ad Ephesios ait) *aut Tertullianus beatum Martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium à scribendo deterruit? Stamina & fila* (ut idem ait) *nonnumquam ponunt priores, ut posteri vestem inde conficiant.* Divus quoque Augustinus *q. de Trinit.* cap. 3. *Vtile est* (inquit) *plures libros à pluribus diverso stylo, etiam de eisdem quæstionibus fieri, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios quidem sic, ad alios autem sic.* Vix autem judico aliquem posse conqueri de nobis, neminem enim scienter fraudavimus, sed omnium honorificè mentionem fecimus, à quibus aliquid ad nos boni accessit. Fateor, in minutis auctorum interdum nomina, ne ad fastidium ingererentur, suppressa esse. De omnibus æquus & Christianus lector benigniter judicet; & si quid boni à piis auctoribus, à nobis hic legerit, id acceptum nobiscum illi referat, à quo omne bonum descendit, cui omnis gloria & honor in æternum.

ORDO ET MATERIES LIBRORUM.

AD majorem facilioremque scriptionis cognitionem, opus universum in XII. *Libros* distinximus. In *Primo* de extrema salutis animarum necessitate differitur, & quàm Deo gratum sit salutis animarum studium, tum ex dignitate, tum ex utilitate, ac hujus functionis jucunditate ostenditur: denique ad amplectendum eam omnes quodammodo Christianos obligari non obscurè probatur.

In *secundo*, qui in tres partes dividitur, ostenditur in prima summo Ecclesiæ Pastori onus vocandi, ac trahendi Infideles ad fidei agnitionem incumbere. Secunda vero & Tertia parte Religiosis omnibus, quantumvis solitudini, & contemplationi vacent, præcipuè verò Mendicantibus, valde esse conveniens, & expedientissimum conatus Ecclesiæ in hac Infidelium cultura juvare, ipsosque præ alijs huic functioni esse aptissimos: quæ multis demonstramus argumentis, & exemplis tum Monachalium, tum Mendicantium Ordinum, ac potissimum ex fructu, qui è Religiosis viris in Ecclesiæ arva emanavit.

Liber Tertius media ad propagandam fidem & procurandam animarum conversionem spectantia, & de eligendis, formandisq; ministris huic Divinæ functioni destinatis formam, & modum præscribit.

In *quarto*, quin in duas sectiones subdividitur, agitur primo de ingressu, & progressu Ministrorum inter Infideles, de forma proponendi Evangelium, & de rationibus quibus fidei nostræ mysteria confirmari debent. Secundo, de Ministrorum conversatione cum vitæ integritate conjuncta, de virtutibus, quibus potissimum splendere debent Apostolorum munere fungentes, ac demum de aliis medijs agendi cum Infidelibus, ut ad fidei Christianæ lumen reducantur.

Liber quintus aliqua dubia, quæ Evangelij Ministris in terris Infidelium laborantibus obvia esse possunt, brevissimè exponit.

Liber sextus, unionem schismaticorum præcipuè Græcorum, & Ruthenorum cum Ecclesia Catholica procurandam suadet, ubi tria præstantur. Primum enim agitur de Græcis, & Ruthenis, quorum præcipuè recensentur, ac confutantur errores. Deinde ostenditur, qua ratione, & prudentia cum Græcis agendum sit, ut Ecclesiæ Catholicæ unionem amplectantur. Demum quibus in rebus liceat cum Græcis communicare, & de aliis dubiis, quæ inter schismaticos agentibus occurrere possent, disseritur. Quæ tria, nempe errorum confutatio, & modus agendi, ut ad fidem alliciantur, cum casuum resolutione, qui speciatim ad illam sectam pertinent, in alijs libris circa alias sectas observamus.

In *Septimo* de reductione schismaticorum Orientalium ad fidem Catholicam late tractamus, ubi primo de erroribus ac ritibus principalioribus Orientalium, qui nunc inter illas vigent nationes, nempe Armenorum, Jacobitarum, Cophtorum, Abyssinorum, Maronitarum, Nestorianorum, & Georgianorum: tandem de mediis generalibus, & specialibus adjuvandi Orientales nationes, & cum illis agendi, disseritur.

Libro octavo de reductione Hæreticorum ad fidem Catholicam, & præcipuè de notis Ecclesiæ Catholicæ, quibus ostenditur Ecclesiam Romanam veram esse Dei Ecclesiam, Christi sanguine comparatam; deinde de modo agendi, & conversandi inter Hæreticos, ac demum in quibus casibus liceat cum eis communicare, & de alijs, quæ huic proposito conducunt, disputatur.

Nono de induratis Judæorum cordibus emolliendis, & ad fidem alliciendis pleniſſimè tractatur. Ac primo de Judæorum erroribus & eorum confutatione. Secundo modus illos juvandi, & cum ipsis conversandi traditur. Tertio quibus in casibus interdicta sit Christianis cum Judæis communicatio, & contratio, qui huic inserviunt studio, latissimè aperitur.

Decimus Saracenorum conversionis modum & formam ostendit. Primo loco præcipui Mahometicæ sectæ errores, & confictæ fabulæ afferuntur, earumque proponitur confutatio; deinde collatione facta inter Mahometi sectam, & Christi Evangelium, hujus præstantia ex multis capitibus ostenditur. Secundo modus agendi, & juvandi Saracenos, ac præsertim quantum Arabicæ linguæ peritia pro hac re conferat, declaratur. Tertio deniq; quibus in rebus cum eis liceat cõmunicare, breviter demõstratur.

Liber undecimus, ad Gentium sive Paganorum conversionem Christi Athletas vocat. In quo primum erroribus eorum confutatis, quantum à veritate alieni sint, ipsa natura duce ostenditur. Neque verò prætermisimus tam ex Lactantio Firmiano, quam ex alijs convincendi Paganos efficacissima argumenta; ubi & modum pariter ac formam juvandi gentes præfiximus, & tandem quænam permissa sint agentibus inter illos, tradimus.

Libro duodecimo, summorum Pontificum amplissima privilegia recensentur, quibus facilius Religiosi adducantur ad hanc felicissimam animarum culturam suscipiendam.

Coronidis loco generalem Catechismum pro omnibus & singulis cujuscunque sectæ Catechuminis instituendis adjecimus.

DE

DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM PROCURANDA.

LIBER PRIMVS.

In quo de necesſitate, dignitate, & utilitate hujus præſtantiſſimæ functionis agitur.

PRIORI hac parte, oſtenſa totius Orbis facie, ſimul & extrema animarum ſalutis neceſſitas detegitur. Deinde quam gratum ſit DEO ipſi ſtudium ac labor pro juvandis animabus, maximè Infidelium impenſus, quantaque honeſtatis eminentia, & dignitas in eo reſplendeant, oſtenditur, tum ex ipſius animæ rationalis nobilitate ac præſtantia, tum ex doctrina & exemplo Chriſti, & aliorum Sanctorum; tum etiam inter alia præcipuè ex virtutum omnium influxu in hoc opus, ac denique ex eminentia, & præſtantia inter alia opera. Tandem diſſeritur de varijs hujus functionis utilitatibus, & quod ad amplectendam eam omnes Chriſtiani, unuſquiſque pro captu ſuo, teneantur.

CAPVT I.

De extrema fere totius Orbis animarum ſalutis neceſſitate.

EA eſt calamitas Orbis terrarum hac noſtra tempeſtate, ut nemo ſit adeò ferus, qui non miteſcat & in lachrimas reſolvatur, ſi vicem ætatis hujus ad mundi occaſum & mortem ſempiternam inclinare conſideret, ut cum innumeras nationes Infernus abſorbeat, rarò, rariſque in locis pietas Chriſtiana ita eluceat, ut firma ſpes ſalutis æternæ exiſtat. Quapropter pios animos precor, ſequentem totius orbis geographico more partitionem attentè conſiderare, ac ex ipſius conſideratione ad miſericordiam commoveri, ac ſimul ad Infidelium converſionem procurandam excitari. Nam cum inter univerſas mortalium calamitates ignoratio Chriſti primum locum obtineat; his, qui pro carneis oculis Catholicæ fidei lumine utuntur, nullum omnino miſeriæ genus luctuoſius videri debet, quàm immenſa hominum à Chriſto aberrantium, ac innumerabilium parvulorum, multitudo, qui Evangelico carentes pane, ſempiterna morte damnantur. Hoc autem clarius ex proxima diviſione conſtabit.

Europa quoad ſtatum Religionis deſcribitur

Prima igitur Orbis terrarum calamitas, ſeu extrema animarum ſalutis neceſſitas præſoribus penè in tota Europa adeſt. Nam cum hæc mundi pars fuerit Chriſtiani cultus feraciſſima, mirum quantam in ſterilitatem devenerit. Græcia quippe omnis, cum Inſulis, Regionibuſque quamplurimis, quæ ritu Græco gaudent; deinde Septentrio ferè totus, ejuſque latera in Orientem, & Occidentem patentia, paucis urbibus exceptis, hæreſeos ignibus flagrant. Sunt in hac orbis parte multa Regna, quæ hæreticis Principibus parent, ut Angliæ, Hiberniæ, Scotiæ, Saxoniæ, Sueciæ, Daciæ, Daniæ, & alia, in quibus una fere excepta Anglia, vix ulli verbi Dei inveniantur Miniſtri. Alia vero ſunt hæreſibus infecta, quæ principibus Catholicis obediunt, ut Poloniæ, Germaniæ, Hungariæ, Galliæ, ubi Sectarij cum Catholicis promiſcuè verſantur: & ob id merito timendum, ne hæreſis, quod ſincerum eſt inficiat, & cum veræ fidei detrimento ex pravo Catholicorum, maximè Sacerdotum, ac Miniſtrorum exemplo, vires acquirat, & hæretici in ſua perfidia magis in dies firmentur. In Europa igitur ſola Pontificum Sede inſignis Italia, ac Hiſpania divino munere, ab hæreſum, vel ſchiſmatum contagio ſervatur. Quare cum tot nefariæ, ac peſtilentes hæreſes ab Orco in terrarum Orbem revocatæ, per plurimas totius Europæ florentiſſimas Provincias, ac Regna graſſentur, verè nunc oraculum illud Joannis impleri cernimus: *Et quintus Angelus tubâ cecinit, & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clavis abyſſi, & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol, & aer de fumo putei. Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas ſicut habent ſcorpiones &c.* Apoc. Cap. 9. Hæc enim rectè in hæreſibus Lutheto inventore in orbem effuſis, ſortiri effectum docta, & eleganti oratione Emin. Card. Bellarminus jam pridem probavit, & res ipſa loquitur. Etenim Satanicam novorum hominum in hæreſibus recentibus excogitandis, veteribus revocandis, utriſque diſſeminandis, fucandis, ac propugnandis ſolertiam, aſtutiam, audaciam, ac rabiem, ſi intueamur, cælum ab iis miſceri terræ, omnia ſacris ardere bellis, ac prælijs cruentiſſimis decertari deprehendemus: Quæ magnam videntur habere vim ad viros, qui aliquo Religionis ac priſtinæ pietatis tanguntur ſenſu, excitandos, ut conatu ſimili pro domo DEI in acie contra hoſtes fidei ſtare, & conſilijs, verbis, ſcriptis pugnare operæ pretium ducant.

Item Africa,

Jam quoque Africa, quæ olim Catholica fide claruit, hodie extrema premitur neceſſitate; nam à freto Herculeo uſque ad Æthiopes Mahumetanis, vel Ethnicis erroribus, aut Schiſmaticorum proterviæ deſervit: complectitur enim inter alia Barbariam, Numidiam, Libiam, Nigritarum Regionem

gionem, magnam Imperij Turcici partem versus Ægyptum, & Mauritaniam : Continet etiam Africa Æthiopiam interiorem, maximè Presbyteri Joannis latissimum imperium, quod inter utrunque Tropicum à mari rubro ad Æthiopicum ferè Oceanum pertingit : & hi quamvis Christiani censeantur, inculti tamen sunt, & nimis rudes, ac erroribus Alexandrini Patriarchæ, cui parent, infecti, in tenebris jacent.

Asia. Asiæ verò, trium Orbis partium facilè maximæ, major est quàm aliarum indigentia : nam cum hæc latissimè pateat, complectaturque quatuor ampliſſima Imperia, videlicet Turcicum, Persicum, Tartaricum, & Chinicum, ferè omnia miserrima cæcitate Mahumetana, vel Ethnica laborant. Quod si vel in interiori Continente, ut in Armenia, vel in maritimis locis, quæ hoc sæculo Lusitani Reges in India Orientali obtinuerunt, aliquot Urbes fidem Christianam colunt, id certè cum vastissimis Regnis Asiaticis comparatum, adeo exiguum est, ut dolorem parum lenire possit, præterquam quod ea loca remotissima tenuiter in Christiano cultu proficiunt, aut fortasse nonnulla deficiunt.

Et America. Denique America, quam Orbis quartam partem Geographi constituunt, in extrema calamitate versatur. Nam & quod ad fidem Christianam pertinet, parum culta est : & in Europeis hominibus Indi avaritiæ potius quam Christiani zeli exempla conspiciunt : suntque præterea tàm in Occidentalibus, quam Orientalibus Indiis quamplurimæ Provinciæ, ad quas Evangelium nondum delatum est. Sunt autem hæ regiones ultra fretum Magellanicum in maxima terræ spatia excurrentes, ultra Peruanam Regionem usque ad fretum Magellanicum ad utrasque ripas maximi fluvij Maragon, mille circiter leucarum longitudinis. Campestria quæ adjacent novo regno Granatensi mille circiter leucarum, estque ibidem Regio illa ampliſſimis Indorum civitatibus celebris *Lagnana* dicta. Maximus item terræ tractus, quam *Floridam* vocant, novus Mexicus. Præterea trecentæ insulæ, quas *Lucaias* appellant, quarum aliquæ Italiam magnitudine superant, duodecim autem tantum Regi Hispaniarum parent. Undecim etiam Insularum Philippinarum millia; ex quibus aliquæ totâ Hispaniâ majores sunt, quarum vix triginta Imperio Regis Hispaniarum sunt subjectæ, quarum omnium incolæ facillimo negotio fidei lumine illustrarentur, si proborum pastorum non tam sua, quam quæ JESU Christi sunt, animarumque salutem quærentium instructionibus, atque integræ vitæ exemplis sedulò informarentur.

In Occidentali vero India, quæ jam diu Ministrorum cultura gaudet, calamitas hæc magis est conspicua : in hac enim cum indifferenter omnes Baptismi lavacro ablúti sint, plurimi tamen Idola colunt, idque non tam proprio, quàm aliquorum Parochorum vitio, quorum prava cupiditate, ac moribus dissolutis, præfati incolæ scandalizati Christianam fidem blasphemant.

Ac denique nostra, & parentum nostrorum ætate, tàm magna Orbis pars reperta est, ut meritò distare ultimum judicium videatur, usque dum to: gentibus salutis via aperiatur, ostendatque se Deus fidelem in omnibus verbis suis, dicens, *Matth. 24. Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo Orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Illud perspicuum est hoc sæculo, ab anno propemodum quingentesimo supra millesimum, plus terrarum, atque hominum

Matth. 24.

esse detectum, in quibus Evangelij lux maxima ex parte desideratur, quàm totis mille superioribus annis. Multæ præterea sunt regiones, eæque ampliſſimæ, in quibus non est fides Christiana audita, neque proposita, ubi innumeræ animæ omni etiam salutis spe destitutæ, in sempiternum pereunt. Profectò tot, & tantæ Regiones non sunt frustra repertæ, sed Divina agi providentia credendum est, ut primum innotuerint, mox adeantur, & tandem salutis nuntium accipiant.

Hac igitur inspecta brevi Orbis terrarum descriptione, quæ saxa ipsa emollire deberet, quis adeo durus existat, qui mundum pereuntem suis oculis intueatur, illique non succurrat, cum possit auxilium ferre? Hanc mortalium salutis universalem, ac incredibilem necessitatem, magna ex parte, non tàm in tabulis depictam, quam factis ipsis expressam, cum cognovisset vir ille Apostolicus *Franciscus Xaverius*, in hæc verba ad suos in Europa commorantes scripsit : *Mihi vero persæpe venit in mentem, circum Europæ Academias, ac præcipuè Parisiensium, currere, ac insani vitu passim vociferari, eosque, qui doctrinæ plus habent quam charitatis, his compellare verbis : Heu quam ingens animarum numerus vestro vitio exclusus cælo deturbatur ad inferos!* Nec mirum, virum piissimum ita tot animarum pereuntium zelo angi, ac stimulari; cum & salus paucorum hominum adeò pretiosa sit Christo, ut si oporteret iterum pro eis pati, id libentissimè faceret : quemadmodum Carpo significavit revelatione quadam, quam Sanctus Dionysius Areopagita veram existimavit. Cum ergo viri pij, & religiosi, tot millibus opem ferre possint, quomodo in utramque aurem dormientes torpescere possunt in salute proximorum procuranda? Profecto non videntur sententiæ JESU Christi Salvatoris nostri subscribere, qui proximos ab interitu sempiterno, cum possint, & ex fraterna charitate teneantur, non vindicant. Ferant igitur opem quicunque Dei amantes, & hominum salutis studiosi apud benignum Redemptorem haberi volunt, & quibus possunt modis, sacrificiis, lachrymis, tùm consilio, opera, sudoribus, & sanguine ipso, si opus sit, charissimam Christo JESU tot gentium salutem prosequantur. Instent etiam apud Dominum messis, quem in terris Christus, suum Vicarium pro messe colligenda constituit, illumque deprecentur, ut mittat operarios in messem, sic enim proposita universi Orbis necessitate olim D. Bernardus. *lib. 2. de Consid. cap. 6.* Eugenium Pontif. urgebat, ut messi congregandæ sedulò studeret : *Exi*, inquit, *in agrum Domini tui, exi inquam in mundum : Ager enim mundus, ipsaque creditus tibi. Exi in illam, non tanquam Dominus, sed tanquam Villicus, videre, & procurare, unde exacturus es rationem. Exi dixerim quibusdã tuæ pastibus intenta solicitudinis, & solicitæ intentionis. Neque enim ipsi, qui jussi sunt ire in Orbem universum, Orbem circuierunt præsentia corporis, sed mentis providentia. Et tu leva oculos quosdam considerationis tuæ, & vide Regiones, si non sunt magis siccæ ad ignem, quam albæ ad messem. Nonne si exis, & cernis ista, pudebit otiosam jacere securim?* hæc Bernardus.

Bern. ad Eugen.

CAPVT II.

De excellentia, & dignitate hujus functionis, pro juvandis infidelibus.

DE necessitate quidem extrema Evangelicæ prædicationis in Universo ferè Orbe, vel certè

certè in majori ejus parte, dictum est à nobis toto superiori capite, nunc dignitatem, præstantiam, amplitudinem hujus altissimæ functionis, juvandis animabus destinatæ, opus est, ut attingamus. Omnis quidem virtus cultores suos evehit tàm altè, ut reliqui homines eos cum admiratione suspicere, & velut inviti amare, & colere cogantur; sed hoc multo magis efficiunt præstantes, excellentesque virtutes, & quæ sunt inter cæteras maximè difficiles, & arduæ: ex quo genere cum sine ulla controversia sit fervens in proximos charitas (maximè verò in Infideles, qui quantò à nobis remotiores, tantò necesse est ut charitatis flamma sit major) non est dubitandum, quin præ se ferat dignitatem, ac splendorem maximum.

Hanc igitur zeli animarum præstantiam, Dei aspirante gratia, ex quatuor capitibus breviter convincemus. Primò, ex dignitate ipsius hominis: sicut enim in artibus earum dignitatem ex nobilitate materiæ, quam Philosophi objectum appellant, conjicimus, in hac functione, quam artem artium meritò Sancti Patres appellarunt, ex materiæ præstantia, hoc est à nobilitate, & excellentia, à Deo animabus nostris collata, ejus nobilitatem, ac splendorem expendemus. Secundò, ex imitatione Christi, & Sanctorum. Tertio, ex influxu virtutum omnium, qui in altissima hac functione reperitur. Quartò ex præstantia hujus studij supra alia virtutes.

CAPVT III.

De dignitate, ac præstantia animæ rationalis.

Cicero Lib. 1. de leg. Humanæ naturæ elogia.

EX omnibus creaturis corporalibus, quæ à DEO conditæ sunt nullum est homine dignius opus, aut quod majoribus laudibus, etiam ab Ethnicis celebretur. Sic Cic. *primo de Legib.* dignitatem hominis considerans; hunc dixit, *animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, præclaraque conditione generatum à supremo DEO, cum quo*, ait, *primam homini rationis esse societatem.* Alij verò appellarunt creaturarum internuntium, superis familiarem, Regem inferiorum, indaginem rationis, lumen intelligentiæ, interpretem naturæ, animal sanctum, liberum, stabile, fluxui ævi interstitium, mundi copulam & Hymenæum, ab Angelis paulò diminutum; cui status ab opifice DEO rectus concessus sit, ut mens eò spectet, ac ratio, quò vultus ipse collineat: cæteroquin positum in mundi medio, ut commodius omnia circumspiciens, omnium item rerum disquirat causas; animusque virtutibus excultus, atque in Deum rectè tendens, gloria, & honore in perpetuas æternitates coronetur.

Senec. Epist. 14.

At altius Seneca, licet fidei lumine orbatus, sed tamè ex larenti lumine coactus, hominis nobilitatem ex Divino consortio, his pænè verbis Lucillum alloquens, *Epist. 14.* commendavit. *Apud te est Deus, tecum est, in te, manet in unoquoque nostrum sacer quidam spiritus, qui bona opera nostra observat, qui nobiscum agit, qua nos cum eo ratione agimus: nec sanè quisquam sine illo potest esse bonus.* Et alibi: *Admiratus es (ait) homines ire ad Deos: admirari potius debes DEUM venire ad homines, quodque vicinus est, ut in eis maneat, nec enim sine ipso aliquid est boni.*

Quæ etsi magnam omnino esse hominis dignitatem, ac gloriam declarent, alia tamen sunt argumenta, quæ si rectè perpendantur, tantam esse hominis nobilitatem, ac eminentiam agnoscemus, ut nihil sit eo præstantius. Primum sit, animam à DEO ipso fuisse homini inspiratam; non enim cum materia quasi commixta est, & ex illius gremio educta, sed extrinsecus adveniens corpori infusa legitur. Cæteris quidem animantibus præcepit Deus, ut ab aquis producerentur. *Producant* (inquit:) *aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram &c.* Item. *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas.* Simile quid de homine, aut ejus anima minimè protulit, sed & quod primum hominem per se efformaverit, & quod ejus animam independenter à corpore & absque ullo respectu ejus causalitatis creaverit, creatamque veluti hospitem in idem corpus exceperit, apertè significatur. Et consonat illud Aristotelis 2. *lib. de generatione animalium c. 3.* hinc, ut videtur, depromptum, mentem videlicet extrinsecus advenire, divinamque, & separabilem esse.

Genes. c. 1. 20.

Arist. Lib. 2. de anim. c. 3.

Secundum nobilitatis animæ rationalis argumentum est, quod quasi ex pectore divino, intimisque præcordiis afflata dicitur *Gen. 2.* Non quidem quod sit pars aliqua divinæ essentiæ (circa quod aliqui turpiter errarunt) ab antiquis Patribus gravissimè reprehensi; sed quod, & genere essendi immortali, & vi potentiarum, atque operationum spiritualium, intimè, ac recondité divinam naturam participet. Unde divus Ambrosius de bono mortis citans hunc locum, jure hominem exhortatur, ut cum illo puro, ac perpetuo, & immortali bono maneat, ipsi adhæreat, & cum ipso sit, de quo cognationem ducit; illudque jam olim à D. Paulo, *Act. 17.* inculcatum repetit; *Cujus & genus sumus.* Et D. Bernard. *Serm. 2.* de Nativitate Domini. *Spiritus sane*, inquit, *non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur. sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce, ô homo, dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ &c.*

Act. 17. Bern. serm. 2. de Nativ. Domini.

Tertium est. Quod anima rationalis verè spiritus sit, ab omni concretione materiæ immunis, quamvis eam informet, ita ut unus homo ex spiritu & materia simul constans, omnia corpora, omnes animas rationales, omnesque spiritus completos, Angelicos videlicet, veluti clausula omnium operum Divinæ creationis in se contineat; idcircò & spiraculum dicitur anima rationalis, & à Deo inspirata, ut aliqui ex Patribus adnotarunt.

Quartum autem, & maximum inter cætera nobilitatis hujus animæ nostræ illud est argumentum, illam fuisse ad Dei imaginem, & similitudinem conditam, ex qua imagine homini à Deo impressa, facile est videre, quantum honoris, ac dignitatis in ipsum proveniat; ideo enim Deus homini imaginem suam impressit, ut illum ad suæ authoritatis, majestatis, ac Divinitatis, non solum similitudinem, sed & participationem promoveret; quo igitur dignitas hominis altius ascendere poterit? Sed nunc singula expendamus. Primum fecit Deus hominem ad imaginem suam, ut eum ad summam dignitatè, excellentiamque eveheret, & sic non solum res omnes corporales eum revererentur, ut qui tam expressam, & illustrem DEI, omnium Conditoris, & Dominatoris imaginem in se gereret. Sic Deus dixit Noè, *Gen. 9. Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli &c.* Et ne cæli, atque astra inservire homini, aut etiam Angeli ministrare ei dedignarentur. Denique ne Dæmones hominem lædere auderent, nevè propter hominis rebellionem adversus Deum omnes creaturæ in ipsum in-

surgerent, sua hominem imagine DEUS insignire, & munire voluit.

Cur homo ad imaginem Dei factus sit?

Non solum igitur ob hanc causam, sed etiam ut ipse non esset sui juris, & possessionis, sed potius ut clarè agnosceretur, hominem esse quid DEI proprium, & peculiare, obsignavit eum sigillo suæ imaginis, tàm altè, ac tenaciter impressæ, ut salva hominis natura, signaculum illud auferri nullo modo posset. Homo igitur gestat imaginem DEI, ut filius sui Patris, cui debet amorem, ac pietatem; ut mancipium Domini sui, quem timere, ac revereri debet; ut miles sui Ducis, & Imperatoris, cui fidem, & obedientiam præstare oportet; denique ut minister, & dispensator bonorum heri, & Domini sui, cui rectum usum creaturarum, quæ dispensationi ejus commissæ sunt, exhibere debet.

Deinde quemadmodum, quia nullum animalium simile inveniebatur Adæ, cum quo societatem, & amicitiam, ac familiaritatem habere posset, creavit Deus Evam tanquam ejus sociam; ita creatis rebus omnibus corporeis, cum nulla esset Dei similis, & cum qua DEUS familiaritatem, & societatem inire posset, fecit hominem sibi similem, ut esset quem DEUS amaret, & à quo vicissim amaretur amore amicitiæ. Et de aliis quidem rebus cum eas Deus à se factas cerneret, approbasse eas dicitur. *Vidit DEUS* (inquit scriptura) *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: De homine autem longè aliter locutus est Deus per Salomonem *Proverb. 8.* dicens: *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum.*

Gen. 1.

Prov. 8.

Tertia causa, quare homo factus est ad imaginem DEI, illa est, ut posset esse homo æternitatis, infinitatis, & divinitatis quodammodo capax, nullumque esset tantum bonum, ut non id auderet homo petere à Deo, & impetraturum se à Deo speraret. Quemadmodum igitur vas rotunda figura præditum non potest omni ex parte repleri, nisi à corpore similiter rotundo; ita nec animus hominis ad imaginem DEI factus, nisi à solo DEO, cui similis est, repleri, & satiari potest.

Ac denique quemadmodum Rex condita à se Civitate, in medio ejus, loco celebri, imaginem suam collocat, ex materia quapiam eximia, & pretiosa confectam, ut manifestum sit omnibus eam intuentibus, quis fuerit ejus Civitatis conditor: ita Deus, fabricato à se mundo, effigiem suam posuit in medio ejus, id est, in homine, qui est medium quoddam inter res à Deo conditas, ut ex ejus aspecta dignitate, in aperto, & manifesto sit omnibus, qualis fuerit hujus mundi fabricator, & opifex.

Bern. de inter. domo. cap. 67.

Hæc igitur admirans D. Bernardus *de interiori domo, cap. 67.* Animam ipsam his verbis alloquitur: *Intellige dignitatem tuam nobilis creatura, quoniam non solum insignita es DEI imagine, verum etiam decorata similitudine.* Et infra. *Quid majus hic tibi facere potuit, quam ut ad similitudinem suam conderet factor tuus? Attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam; & veneranda Trinitatis imaginem in te ipsa agnosce.* In quo verò præcipuè hæc hominis ad Deum imago consistat, luculenter *cap. 67.* ut supra declarat idem Bern. *Considera*, inquit, *nobilitatem tuam, quod sicut DEUS ubique est totus, omnia vivificans, omnia movens, & gubernans: & sicut DEUS est, vivit, & sapit; ita tu secundum modum tuum, es, vivis, & sapis: & sicut in DEO tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; sic tu habes tres vires, scilicet, intellectum, memoriam, & voluntatem.* Hæc Bernard.

Ex quibus illud constitutum, nihil homini excellentius, aut gloriosius contingere posse, quàm hanc DEI imaginem præ se ferre, quæ illum ita evehit, ut omnibus etiam rebus creatis, tanquam parvulus quidam Deus dominetur.

Hanc igitur hominibus quasi infinitam à DEO collatam dignitatem, etsi nos minus intelligere possimus; sufficeret Christi Domini, ac Salvatoris nostri judicium, qui eam tanti æstimavit. Ut enim homo rusticus in gemmis dignoscendis, videns artificem peritum gemmam aliquam non tam magno pretio emere, quam pro ea comparanda se ipsum etiam vendere, imò vitam profundere paratum esse, meritò judicat gemmam tanti esse, quanti ab illo fit. Sic nos omni quidem re, sed in hac præcipuè dijudicanda, nulla alia ratione magis quam illius exemplo moveri debemus, quem scimus esse Sapientiam ipsam: is verò quantoperè animarum salutem æstimaverit, sitiverit, ac complexus fuerit, res ipsa loquitur: cum quicquid Christus egerit, quicquid dixerit, quicquid molitus est per triginta trium annorum spatium, omnia in hunc finem destinaverit, quæ omnia breviter, ac veluti in fasciculum colligit D. Bernard. *in serm.* de quadruplici debito. *Primo quidem* (ait) *illarum infantilium necessitatum: deinde laborum, quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo: tentationum in jejunando: vigiliarum in orando; lachrymarum in compatiendo: insidiarum in colloquendo: postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis triginta, & tribus annis, operatus & passus est, in medio terræ. O quam indebita miseratio: quam gratuita, & sic probata dilectio: quam inopinata dignatio!* sic Bernard.

Bern. in serm. de quadr. debito.

Vide igitur merito inquit Chrysost. *Tom. 3. in oratione* de B. Phylogonio, *quam multa propter hunc gregem passus sit Christus; homo factus est, servi formam assumpsit, constitutus est, alapis cæsus est, postremo ne mortem quidem recusavit, & quidem ignominiosissimam. Quin & ipsum sanguinem suum effudit. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat. Nullum enim officium hoc DEO charius est.*

Chrysost. tom. 2. in orat. de B. Phylo.

Idem videlicet Chrysost. *Tom. 1. homil 3.* in Gen. *Etenim ipse, cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, & omnia alia humana sustinuit, & crucem quoque suscepit, nisi ut nos peccato obnoxios à maledicto liberaret.* Et hoc quoque Paulus affirmat dicens: *Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Si igitur ipse, qui DEUS est ineffabilis essentiæ, ob misericordiam ineffabilem, hæc omnia propter nos, & salutem nostram suscepit, cur non & nos erga fratres justi sumus, agnoscentesque eos, ut membra nostra, & eripientes ex Diaboli faucibus, in viam veritatis inducimus?* ita Chrysostomus.

Chrysost. tom. 1. in Genes. homil. 3. Galat. 3

Sed & apertius Paulus *2. Corinth. 6.* dignitatem, de qua tractamus, commendavit his verbis: *Empti enim estis pretio magno.* Hoc autem pretium magnum est ipse Christus, *totus* (ut ait S. Bernardus) *serm. 3.* de Circunci. *Nobis datus totus in nostros usus expensus.* Verè enim nullus unquam homo ad serviendum traditus, ita illi propiùs fuit ac Verbum illud æternum, pro universis hominib. tributus, concessus, & donatus fuit. Unde Paul. *ad Tit. 2. Qui dedit semetipsum pro nobis.* Quare hoc emptionis genus, quo suam Christus dedit animam, & talem animam, suumque corpus, ac insuper Divinam personam, satis declarant, quanto æstimaverit pretio salutem animarum, & quanti fecerit hanc suæ divinitatis præclaram effigiem.

2. Corinth. 6.

Bern. serm. 3. de circunc.

Tit. 2.

Si-

Siquidem imaginem, quam DEUS fecit per creationem, Christus Dominus polit, & ornat, imò & reficit per redemptionem, ac denique absolvit, & consummat per glorificationem. Magna est propterea dignitas animarum, cum tantopere à Deo æstimentur, & honorentur.

Bern. Serm. 1. de adventu. Quæ meritò considerans D. Bernard. *Serm.* 1. de Adventu, clamat: *Mira quærentis DEI dignatio, magna dignitas hominis sic quæsiti, in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens: non quod aliquid esse videatur tanquam à se ipso, sed quod tanti eum fecerit ipse, à quo creatus est. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, & quicquid in eo conspicitur, minus est hac gloria, imò neque est aliquid in comparatione ejus.* Hæc Bernardus.

Idem cap. 3. Meditat. Idem etiam, nec minus doctè prædictas animæ dignitates complectens, *cap.* 3. *Meditat.* exclamans inquit: *O Anima DEI insignita imagine, decorata similitudine, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne?* Et infra, *Totus quidem iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest: non enim pro toto mundo animam suam Deus dare voluit, quam pro anima humana dedit. Sublimius ergo est anima pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. Nonne DEI filius cum esset in sinu Patris, à Regalibus sedibus pro ea descendit, ut eam à potestate Diaboli liberaret? Elevit ipsam, nec solum flevit, sed etiam morti se obtulit, ut pretiosi sanguinis sui pretio eam redimeret. Aspice mortalis, pro te datur hostia tali. Agnosce homo, quam nobilis est anima tua, & quam gravia fuerint ejus vulnera &c.*

Chrysost. in cap. 1. Epist. ad Corinth. Egregiè etiam Chrysost. *in cap.* 1. *Epist. ad Corinth. Nihil est enim quod animæ possit æquiparari, nec universus quidem mundus.* Hanc igitur animæ nobilitatem, sive splendorem, sanguine Christi expiatæ, cùm semel Catharinæ Senensi datum divinitus esset animo intueri, ita exarsit zelo animarum, ut dixerit, *tanta est animarum dignitas, & pulchritudo, ut ad eas lucrandas nullus par labor esse possit;* idque gloriosissimis factis à se in hunc finem gestis, maximisque laboribus, periculisque susceptis ita esse ut dicebat, opere ipso ostendit.

Quare non mirum si Deus ita arctè hominibus proximorum salutis curam commender, ac in Ecclesia ejus sponsa, non ob aliam causam certissimò constat Hierarchiam universam, ut sunt Sacerdotia, bona, dignitates, neque ad alium finem, quam ad animas DEO, vitæque æternæ lucrandas esse institutam. Neque verò in oculis Domini omnium bonorum temporalium, ac Regnorum eversionem tanti esse, quanti unius animæ amissio sit, quæ in deserto errare sinatur; nec omni conatu, omniumque bonorum ac vitæ ipsius dispendio ad ovile revocetur.

Quod si unius animæ pretio universus Orbis comparari nequit, atque ex alia parte in tot animarum millia, ut ex typo Orbis terrarum à nobis in *præcedenti cap.* ostenso constat, oculos convertamus, quæ luce Evangelica destituta in æternum pereunt (ita ut & merito Christus cum clamore valido lamentatus sit, quando seminis parabolam prædicavit, in qua ex quatuor divini seminis partibus tres in Dæmonum prædam cedere vidit.) Quid ergo superest viris Religiosis, nisi ut lachrymas, Christique conatus imitentur, ac non solum impensissimè Dominum messis exorent, ut mittat divinitus operarios in messem suam, sed etiam ut relicta una ove, quæ Ecclesiæ angustum regnum repræsentat, nonaginta alias in deserto infidelitatis aberrantes sedulò quærant.

CAPVT IV.

Exemplo, & doctrina Christi zelum animarum maximè commendari.

HActenus eam dignitatem hujus ministerij commendavimus, quæ ex animæ nobilitate, & præstantia, tanquam ex nobilissima, pretiosissimaque materia profecta est: nunc verò illa dignitas declaranda est, quæ huic functioni accrescit, tùm ex Christi exemplo, ejusque similitudine, tum etiam ex ejus doctrina. In qua re duo breviter erunt attingenda; primum, quanto studio Christus proximorum curam, maximè verò Infidelium verbo commendaverit. Deinde quantum nos suo exemplo ad sui imitationem instruxerit.

Audiamus igitur ipsius veritatis testimonium, ac brevem, divinam tamen, & dignam ipso DEO sententiam. *Hoc est* (inquit, *Joan.* 15.) *præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos:* Quæ verba exponens Gregorius Papa *homil.* 27. in Evangelia. *Cum cuncta sacra eloquia*, inquit, *plena sint Dominicis præceptis, quid est, quod de sola dilectione, quasi de singulari mandato, Dominus dicit: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem: nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, & omnia unum præceptum sunt quia quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multa virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Præcepta ergo Dominica, & multa sunt & unum: multa per diversitatem operis, unum in radice dilectionis.* Sic Gregor.

Joan. 15. Greg. homil. 27. in Evangelia.

Multa his similia commemorari possent, tùm ex sacra Scriptura, tùm ex Patribus, sed non opus est ea, quæ notissima sunt repetere: solum Chrysostomi egregium adjiciam testimonium: *Novissima* (inquit in primam Canonicam *Joan. Tom. 9.*) *Verba Christi ituri in cœlum sunt ista* (nempè hoc est præceptum meum &c.) *Considerate languentem in in lecto hominem, in domo sua jacentem, & maceratum ægritudine, proximum morti, anhelantem jam animam inter dentes quodammodo habentem, qui fortè solicitus de aliqua re chara sibi, quam multum diligit, veniat sibi in mentem, & vocet hæredes suos, & dicat: Rogo vos facite hoc, teneat quodammodo violenter animam, ne antea exeat quam verba illa formentur, cum illa verba novissima dictaverit efflat animam, tollitur cadaver in sepulchrum, hæredes ipsius quomodo meminerunt novissima verba morientis? quomodo, si quis existat qui dicat eis, nolite facere, quid ergo illi dicant? ergo non facio quod mihi Pater efflans animam novissimè mandavit? quod ultimum sonuit in aures meas proficiscente hinc patre meo? quævis alia verba aliter possum habere, novissima verba me plus tenent, non eum vidi amplius, non audivi loquentem. Fratres cogitate visceribus Christianis, si hæredibus sunt tàm dulcia, tàm grata, tàm magni ponderis verba patris ituri in sepulchrum, hæredibus Christi qualia debent esse verba novissima?*

Chrysost in Canonic. Joan. Tom. 9.

Quare nihil est, quo Christus uberius laudare posset Christianam charitatem, quàm insinuando se hoc tantum præcipere: Et rectè sanè, quia in charitate non una aut altera virtus, sed omnium virtutum copia, tanquam in fœcundissima radice continentur.

At non solum Christus Dominus hoc generali præcepto contentus est (ne forte Christiani, qui ad omne ignaviæ genus propensius inclinamur, dile-

dilectionem hanc intra Ecclesiæ tantum termi-
nos exhibendam existimaremus) sed & infidelium
curam maximè Ecclesiæ commendavit. *Alias* (in-
Joan.16 quit) *Joan.16. oves habeo, quas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus Pastor.*

Imò hanc fuisse tempore mortis Christi, Re-
surrectionis, ac in cœlos Ascensionis curam,
hancque solum, vel saltem præcipuam suæ Eccle-
siæ, qua à cæteris profanis, & vanis conventiculis
Hæreticorum discerneretur, notam esse voluit, ut
disertè Augustinus plurimis in locis disseruit. Illud
verò inter omnia illustrius est testimonium, quod
Augusti. reddidit sermone *6. lib. 17. Homil.* Ubi curam ad-
ser. 6. lib. ducendi animas ad ovile Christi præcipuam, ad
17 homil veram Christi Ecclesiam discernendam notam
esse agnovit. Explicans enim illa verba **Act. 2.** *Eri-*
Act. 2. *tis mihi testes in Hierusalem &c. Apostoli* (inquit) *quæ-*
runt tempus judicij, & Dominus respondet locum & Ecclesiæ. Non respondit quod quæsierunt, sed nostros prævidebat dolores. Eritis, inquit, mihi testes in Hierusalem. Parum est, non pro hoc tantum pretium dedisti, ut hoc solum emeres in Hierusalem. Dic adhuc & usque in fines terra. Venisti ad fines. Quare contentiones non finis? Nemo mihi dicat jam: Ecce hic est; non, sed, Ecce hic est. Sileat humana præsumptio, audiatur Divina prædicatio. Tenetur vera promissio in Hierusalem & in tota Judæa, & Samaria, & usque ad fines terræ. His dictis nubes suscepit eum: tam non opus erat ut aliquid adderetur, ne aliunde cogitaretur. Fratres pro magno audiri solent verba novissima ascendentis in cœlum. Existimemus Dominum nostrum Testamentum scripsisse, & in testamento suo novissima verba posuisse; prævidit enim malorum filiorum futura litigia, prævidit homines partes sibi facere conantes de possessione aliena. (Et infra, postquam commendavit charitatem Dei, & proximi, demonstrans veræ Ecclesiæ signa, addit:) *Videte ergo fratres, quid maximè diligatis, quid fortiter teneatis. Glorificatus Dominus resurgendo commendat Ecclesiam; Spiritum sanctum mittens de cœlis commendat Ecclesiam. Resurgens enim quid dicit Discipulis suis? Hæc dicebam vobis cùm essem apud vos,*
Luc. 24. *quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me. Et tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, & dixit eis, quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die. Ubi est Ecclesiæ commendatio? Et prædicare in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum? & hoc ubi? per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem, hac resurrectione glorificatus. Quid ascensione gloriosiùs audisti? quod audistis: Eritis*
Actu. 1. *mihi testes in Hierusalem, & in tota Judæa, & Samaria, & usque in fines terræ. Quid ipso adventu Spiritus sancti? Venit Spiritus sanctus, quos primum implevit, linguis omnium gentium loquebantur. Unusquisque homo loquens omnibus linguis, quid aliud significavit, quam unitatem in omnibus linguis? hoc tenentes, in hoc firmati, in hoc roborati, in hoc inconcussa charitate defixi. Laudemus pueri Dominum, & dicamus Alleluja. Sed in una parte? & unde, & quousque? A solis Ortu, usq; ad Occasū laudabile nomē Domini.* Hęc Augustinus.

Deinde si ad Christi Domini Salvatoris nostri exemplum, ad cujus formam, & exemplar omnes Christianorum actiones, omnia studia, & exercitationes sunt dirigendæ, maximè elucet in omni ejus vita, operatione, & doctrina hic animarum zelus, quo ejus viscera transfigenda prædixerunt Propheræ. Quanta verò fuerint in Christo domino charitatis indicia, quanta erga proximorum salutem curandam solicitudo, nemo est, qui dignè possit explicare: zelo animarum ita exarsit, ut coarctaretur, ut ipse ait, donec Baptismo sanguinis pro earum salute ablutus, seipsum Patri hostiam viventem immolaret; passionem, & mortem probrosissimam obivit sponte, libensque & gaudens sustinuit, quod optavit ardenter, ut opprobria exprobrantium Deo in ipsum recíderent omnia, fieretque unus pro omnium gloria opprobrium hominum, & abjectio plebis. Quàm verò constanter in amore ingratissimæ, & pessimæ gentis perseveraverit, quam ardenter nec amatus, & capitalissimo odio habitus, ab inimicis, civibus, & popularibus suis, inimicos ipse dilexerit, quàm facilis ad ignoscendum fuerit suismet hostibus, & interfectoribus immanissimis, efferatissimis in ipso fervore tanti sceleris mortis suæ, locupletissimè testatur vel una eius oratio illa, *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et nos breviter *præcedenti cap.* nonnulla attigimus.

Quare cum summa dignitas Christiani sit, se quàm simillimum Christo efficere, illumque imitari, meritò Patres Christianos omnes ad hanc animarum functionem proposito Christi exemplo, veluti earum actionum mensura perfectissima, urgent, ut jam non sibi suisque commodis, & utilitatibus, sed proximorum saluti vivant. *Chrysost in epist. ad Cor. c. 19. hom. 25.* D. Ioan. Chrysost. *tom. 4. homil. 25. in cap. 19. epist. 1. ad Corinth.* in illa verba: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Hæc perfecta charitatis regula est, hic certissimus terminus, hoc supremum omnium cacumen, quærere, quæ communem omnium comprehendant utilitatem, quod ipse significans addidit, sicut ego Christi. Nihil enim potest nos adeò imitatores Christi facere, ut proximorum cura.*

Idem etiam Chrysost. *Homil. 34.* in Matthæum. *Idem homil. 24. in Matth.* *Etenim ut scias quantum bonum sit cum salute nostra & alios lucrari, audi Prophetam ex persona Dei dicentem: Qui educit pretiosum à vili, quasi os meum erit. Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, ait, manduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili humano me imitatur.*

Denique D. Augustinus proposito Christi exemplo ad charitatis vincula fidelium excitat animos; explicans enim locum Ioan. *Omnis qui natus* *1. Joan. 3.* *est ex Deo, non facit peccatum,* ait: *Accipere calicem salutarem, & invocare nomen Domini, hoc est, satiari charitate, & ita satiari, ut non solum non oderis fratrem, sed paratus sis mori pro fratre. Hanc charitatem docuit Christus in cruce moriens. Hanc didicit Paulus dicens: Ego libentissimè impendar pro animabus vestris: Hanc imitatus est Stephanus, orans pro lapidantibus ipsum: propter eos volebat Paulus vivere, pro quibus paratus erat mori. Et Petro dixit Christus post resur-* *Ioan. 21.* *rectionem: Petre amas me? Pasce oves meas: quasi dicat, hæc est perfecta mei dilectio, ut pro fratribus facias, quod ego pro te feci. Qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo. Dilectio sola discernit inter filios* *2. Cor. 12.* *DEI, & filios diaboli.* Hæc Augustinus.

Cùmque nihil homini excellentius aut gloriosius contingere possit, quàm ad hanc Christi imitationem, & similitudinem pertingere, ac omnes præterea Christianos imitatores Christi esse oporteat, idque eos & professio, & nomen ipsum moneat; mul.ò vero exactius, strictiorique vinculo ad hoc astricti tenentur Religiosi, quorum instituta ita ex Christi vita desumpta sunt, ut pictores solent cum vultum ex vultu exprimunt. Quare si horum paupertas ideo perfecta, quia ejus paupertatem imitantur, qui non habuit ubi caput reclinaret; & castitas illius castitatem, qui fuit candor lucis æternæ; & obedientia quoque, quia ab illo deprōpta est, qui factus est obediens usque ad mortem; non dubium horum charitatem tantò fore perfectiorem, quantò plus ad illius exemplar accesserit, qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, venit in mundum, ut peccatores salvos faceret.

CA-

CAPVT V.

Exempla Sanctorum, qui ardenti animarum zelo flagrarunt.

TAnta est insignium sanctitate virorum multitudo, qui hoc ardentissimo animarum zelo ad imitationem sui capitis exarserunt, ut & sola eorum authoritas satis esse possit ad permovendos Religiosorum, aliorumque Christianorum pios animos ad eam ardenter indefesseque sectandam.

Illud certe præ alijs hujus studij in procuranda fidelium, sive infidelium salute perfectionem maximè commendat, quod hoc studium, sive functionis genus, Apostolica vita à Sanctis Patribus appelletur, & revera sit, ac perinde ea summum perfectionis fastigium attingat necesse est. Neque enim dubitari potest quin Apostoli, qui in Evangelica perfectione principem locum obtinuerunt, utpotè qui primitias Spiritus sancti acceperunt, ut prædicat Paulus *ad Rom.* 8. quod à Christo Domino fuerint electi in eum finem, ac in totius Orbis regiones pro fide propaganda missi. Omnes igitur huic animarum zelo mancipati Apostolos Duces habent, eorumque professioni nomina dederunt. *Rom.6.*

Aliorum etiam Sanctorum tàm veteris, quam novi Testamenti proferamus exempla. Nam & amor zelusque animarum frequens, ardensque fuit in viris sanctis utriusque Testamenti. D. Chrysost. *Tom.4. homil. 25. in cap. 10. Epist. prima ad Corinth.* ubertimè tractat hoc argumentum. *Antiquis (inquit) magnis & generosis illis viris, hæc maxima cura erat, ut summa cum diligentia aliorum vitam disquirerent, & manifeste cognoscerent nullum eorum vnquam ad propriam respexisse utilitatem, sed proximi unumquemque. Quamobrem majorem in modum claruerunt. Etenim Moyses multa & magna operatus est miracula, sed nihil eam magnum eum fecit, ut beata illa vox, quam ad Deum habuit, cum inquit: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo. Hujusmodi erat & David; idcirco dicebat: Ego Pastor peccavi, & ego male feci, & hi qui Ovile sunt, quid fecerunt? fiat manus tua super me, & super domum patris mei. Eodem modo Abraham non suam, sed mulierum quæsivit utilitatem, ideo se periculis exponebat, & Deum pro his, qui nihil ipsi conferebant, deprecabatur. Illi quidem tantopere claruerunt: qui autem sibi tantum consulunt, considera quantum acceperint detrimentum. Fratris igitur filius, cum audivit, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, optione accepta suam quæsivit utilitatem, quam non modo non invenit, sed ipsa quoque regio est incensa, quæ autem Abrahæ obtigit, incolumis servata est. Ad hæc Jonas non alijs, sed sibi ipsi prospiciens, pene perielitatus est & Civitas conservata, ipse vero agitatus, jactatus, & obrutus est fluctibus; sed cum multitudini salutis invigilavit, suam invenit. Ita & Jacob in ovibus proprium non quærens lucrum plurimas lucratus est. Joseph autem fratrum studens utilitati suam est consequutus. Qui missus à Patre non dixit: Quid? non audisti quod pro visionibus & somnijs discerpere me aggrediebantur, & somniorum, & amoris erga me tui pœnas dabam? quid non contra me molientur cum in eorum ero potestate? Nihil hujusmodi causatus est, nec cogitavit quidem, sed rebus omnibus fratrum salutem præposuit: idcircò omnia postmodum bona adeptus est, quæ eum clarissimum, gloriosissimumque reddiderunt.* *Chrysost. 1. ad Corinth. cap. 10. hom. 25. tom. 4.*

Præterea Moyses, nihil enim prohibet iterum ejus meminisse & contemplari, quomodo res suas contempsit, & alienas prosecutus est, Moyses inquam in Regia domo educatus, cum Christi opprobrium majores Ægyptijs thesauris divitias arbitraretur, omnibus abjectis cum Hebræis malorum particeps esse non recusavit. Quamobrem ipse non solum non servivit, sed & ipsos à servitute liberavit. Magna quidem hæc, & Angelo digna vita. Verum Paulus maximè in hoc excelluit: Alij namque omnes suis omissis bonis proximorum malis communicare non recusarunt; Paulus autem longe majora aggressus est. Non enim simpliciter voluit aliorum calamitatibus participare, sed maximas ipse subijt, ut cæteri benè haberent.

Divus Hieronymus *Epistola. 12.* quæ est ad Gaudentium, *Tom. 1.* de hoc ardenti zelo ita scripsit. *Legimus Aaron Pontificem isse obviam furentibus flammis, & accenso thuribulo, Deum iram cohibuisse: Stetit inter mortem, & vitam Sacerdos magnus, vel ultra vestigia ejus procedere ignis ausus est. Moysi loquitur Deus: Dimitte me, & delebo populum istum. Quis nunc in terra est, qui obviare flammis velit, & cum Apostolo Roman. 9. dicere: Optabam ego anathema esse pro fratribus meis? Pereunt cum Pastoribus greges, quia sicut populus, sic Sacerdos. Moyses compassionis loquebatur affectu: Si dimittis populo huic, dimitte; sin autem, dele me de libro vita: Vult perire cum pereuntibus, nec propria salute contentus est, gloria quippe Regis multitudo populi.* *Hieron. epist. 12. ad Gaud. tom. 1.* *Exod. 32* *Rom. 9.* *Exod. 32*

Idem sic habet *Epistola quadragesima sexta ad Rusticum, tomo primo. Quod ignotus ad ignotum audeo scribere, sancta ancilla Christi Hedibia fecit deprecatio, quia nequaquam propria salute contenta, tuam & ante quæsivit in patria, & nunc in Sanctis locis quærit, imitari cupiens Andreæ, & Philippi Apostolorum benevolentiam, quorum uterque inventus à Christo fratrem Simonem, & amicum Nathanael invenire desiderat. Optaverat & quondam Loth cum filiabus salvare conjugem suam, & de incendio Sodomæ penè semiustus erumpens educere, eam, quæ pristinis vitijs tenebatur astricta, & ardens fides pro una muliere perdita, totam Segor liberat civitatem. Et Joseph fratres pascit in Ægypto: sponsusque audit à sponsa, ubi pascis, ubi cubas in meridie. Samuel quondam plangebat Saulem, quia peccati vulnera non curabat. Et Paulus lugebat Corinthios, qui fornicationis maculas lachrymis delere nolebant: Unde & Ezechiel 2. librum devorat scriptum intus, & foris carmine, & planctu, & væ: carmine super laude justorum, planctu super pœnitentibus, væ super his, de quibus scriptum est Proverb. 18. Cùm venerit impius in profundum malorum, contemnit,* in quibus omnibus in Andrea, & Philippo, in Loth, Joseph, & Samuele, & Ezechiele contemplatur Hieronymus dilectionem Sanctorum erga proximos suos, quos imitata est Hedibia deprecans Hieronymum, ut Rusticum conetur educere à peccato suo. *Cant. 2.* *Ezech. 2* *Prov. 16*

Gregorius Papa exponens locum Job, qui habetur *in cap. 30. ipsius lib. 20. Moral. Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt,* ait: *Hæc sunt verba sancti viri Job, omnium quæ perfectorum, & in virtute fortium, qui dum infirmat ad iniquitatem prosiliunt, illi zeli sui igne cruciantur.* *Gregor. Job. 30.*

D. Augustinus *libro 2. contra Gaudentium Donatist. Torquet Diabolus homines justos sceleribus impiorum hominum. Hanc persecutionem Loth justus patiebatur in Sodomis, cùm Angeli hospites ejus, cum homines putarentur, à Sodomitis appeterentur ad stuprum; etiam antequam domum justi ingrederentur, quod sine magno cordis cruciatu videre non poterat, unde inter suas persecutiones hanc commemorat Apostolus, cùm dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Unde quanto major in nobis est charitas, tantò majori cũ dolore animi nos videmus separari homines à membru Christi. Unde quãdo vos Donatistæ hæretici in hoc vestro errore vitæ finitis, multo amarius nos dolemus, dici nõ potest, quãto nos* *Augustin. contra Gaudent.* *2. Corint. 11.*

nos mœrore cruciatis; plus quippe impius Absalon Patrem suum David extinctus, quam rebellis afflixit; vivum namque eum comprehendi cupiebat, ut qui malitia grassabatur, pœnitentia sanaretur. Erat ergo ille persecutor Patris, non solum contra legitimum patris Regnum arma capiendo, atque bellando; sed multo amplius persecutus est cor parentum in illa impietate moriendo: unde si Catholicorum domus Donatistæ non diripuissent, si Catholicorum membra non præcidissent, si denique Catholicos crudeliter non occidissent, hanc solam nos à vobis gravissimam persecutionem perpeti verissimè diceremus, quia videmus vos offensatos, & tabescimus: quia infirmatos, & infirmamur: quia scandalizatos, & uritur: quia perditos, & lugemus: hæc mala vestra, quæ vos in æternum interitum mittunt, amarius nos persequuntur, quam illa quæ à vobis nostris corporibus inferuntur: denique in illa persequutione, qua in nos sævitis, cum laude gaudemus; in hac autem, qua vos peritis, si gavisi fuerimus, vobiscum perimus. Hactenus Augustinus.

Bern. in ser. 7. quadrag.

Et Divus Bernardus *sermone 7. quadragesimæ*, cui titulus est *de peregrino mortuo, & crucifixo*, inter varias expositiones, quas adhibet illi loco *Pauli* ad Gal. *6. Mihi absit gloriari &c. per quem mihi mundus crucifixus est &c.* Hæc est una, ut mundus crucifixus dicatur Apostolo, & ipse mundo, quia crucifixum mundum videbat obligationibus vitiorum, & ipse crucifigebatur ei per compassionis affectum. Crucifixus *Paulo* mundus est reputatione, ipse vero mundo crucifixus est compassione: tantaque prospiciens flagitia, & mala in mundo, illis tàm dirè cruciatur, & torquetur, ac si cruci, & patibulo affixus esset, in quo amor ingens *Pauli* ad proximos indicatur. Idem etiam Bernardus inter alias expositiones, quas *sermone 28.* adhibet illi loco Canticorum: *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol*: hæc est, ut nigredinem se contraxisse sponsa fateatur, propter animarum zelum, videns eas legem Dei prævaricari, ob earum amorem si à Sole decolorata, exemplo illius, qui dicebat *Psal. 68. Zelus domus tuæ comedit me*, & illud: *Tabescere me fecit zelus meus.* Et item *Psal. 118. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Vel, decolorari à Sole est ignescere charitate fraterna, flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, uri ad scandala singulorum. Sic Bernardus.

Psal. 68. Ps. 118.

Chrys. homil. 16. in epist. ad Rom.

Ac denique Sanctus Chrysost. qui pluribus locis, cum de *S. Pauli* charitate adversus proximos loquitur, ita effervescit spiritu, adeò alta admiratione tantæ charitatis suspenditur, & abripitur animo, ut vix apud se sit, vix seipsum capiat, præsertim cum illud explicat: *optabam anathema esse à Christo (hoc est*, inquit *carere æternæ remuneratione, & Christi præsenti conspectu) pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ*, sic exponi: *homilia 16. in Commentariis Epistolæ ad Romanos*, & alibi: *Optabat*, inquit, *in gehennam mitti, & judicium subire perpetuum pro eorum salute, à quibus fuerat sæpè lapidatus, qui eum interficere contenderant, ut hi tantarum ei authores afflictionum per fidem corpori Christi jungerentur.* Quis ita dilexit Christum? Si tamen hac dilectione, & amore maius est aliquid nuncupandum.

Chrys. in cap. 9. tom. 4.

Sed & verba ipsius Chrysostomi audiamus, *Homil.* enim *16. in Epist. ad Romanos, cap. 9. Tomo 4.* in illa verba: *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis. Quid au, ô Paule? à Christo, illo inquam Christo, quà te desideratur? à quo te nec calorum regnum, nec gehenna separabat, neque ea, quæ cogitari possunt, nec alia totidem: ab hoc nunc precaris anathema esse? quid accidit? num desiderium illud excussisti, ac deposuisti? haud quaquam (inquit) sed pro fratribus meis: nec id utcunque volo, sed opto, multumque desidero, ut fratres mei salvi fiant, optarim anathema esse: ergo ipse ipse, ego qui omnium magister sum effectus, qui merita infinita colligi, qui coronas infinitas expecto, qui sic illum amo, ut meus erga illum amor mihi sit rebus omnibus antiquior, qui quotidie propter illum uror, unum enim per omnia considerabat, nempe quomodo pulchrum hunc amorem expleret.*

Chryso. ser. 4. in epist. ad Philip. 1.

Idem explicans caput primum ipsius, *sermone quarto in Epist. ad Philip. 1.* ubi multa de dilectione proximorum docet Apostolus, quæ alia sunt: *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi; coarctor autem, è duobus desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos, & hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum.* quæ verba exponens Chrysostomus ait; *Quid dicis Paule? cum hinc abiens in ipsum cœlum migraturus sis, atque cum Christo futurus? ignoras quid eligere debeas? & non solum istud, sed quod hujus est vitæ, eligis, nempè ut in carne maneas: quamobrem? non acerbam vitam ducebas in vigiliis, in naufragijs, in fame, ac siti, ac nuditate, in curis, & sollicitudinibus? Cum infirmis infirmus eras: in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in jejunijs; quinquies quadragenas plagas una minus accepisti, ter virgis cæsus, semel lapidatus (2. Corinth. 6.) noctem ac diem in profundo maris egisti, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus, & adhuc infelicem hanc vitam desideras? si namque nihil tibi horum obtigisset, sed quicquid agebas, cum voluptate etiam, & libere patrasses; nunquid oportebat incertitudinem futuri eventus maturentem ad portum quendam confugere? quis mercator navem habens multis rerum copijs plenam, cum liceat ad portum jam appellere, tutoque quiescere, adhuc tamen in mari navigare mallet? quis athleta cupiet amplius certare, cum jam liceat coronari? quis pugilum eligeret denuo certamen ingressus de suo ipsius capite periclitari, cum jam si vellet, coronam posset accipere? quis est ille miles, qui cum liceat jam cum celebritate, & trophæis à bello liberari, cumque Rege requiescere in ipsis regijs palatijs, sustineat adhuc in bello & sudare, & in aciem collocari? quomodo ergo cupis & quæ hac vita consistere, qui dicebas, 1. Corinth. 2. timeo ne dum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar? etsi ob nullam aliam causam, ob hanc certè liberationem desiderare oportebat. Papæ! quis est hic Apostoli animus? nihil par illi unquam, vel fuit, vel erit: futura metitur, innumeris malis obnoxius est, & apud Christum esse non vicinum (inquit) quia quos lucrifecit, servos expeditiores ad constituere & solidiores, & ut agricolationem illam, quam plantavit frugiferam reddam, à Christo vult exulare: non audisti me, non quod mihi est utile, sed quæ sunt proximorum quærentem? qui anathema esse volui à Christo pro fratribus, quomodo non multo amplius istud eligam, cum mihi ipsi libenter ex morâ, ac dilatione damnum inferam, quo aliqua possit illis obtingere salus.*

Chryso. de Laudib. Pauli homil. 3. Tom. 3.

Ac denique *Homil. 3. de Laudibus Pauli tom. 3.* idem Pater varias charitatis formas, ac veluti personas in Apostolo recensens dicens: *Nemo ita dilexit inimicos, nemo erga insidiatores suos tàm benficus fuit, nullus pro afflictoribus suis tanta perpessus est: ut enim aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phreneti correptum, cujus quanto magis convitijs, ictibusque pulsatur, tanto ejus potius miseratur, & deflet. Ita Paulus majora addebat fomenta pietatis erga eos à quibus affligebatur: unde pro eis, qui eum quinquies verberaverunt, qui eum cæmis oneraverunt, qui ipsius fitiebant cruorem, testimonium (inquit Roman. 10.)*

Roman 10.

ibis

illis perhibeo, quoniam æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. In quantum poterat, laborabat umbram eis excusationis aliquam obtendere, & quia sermone illis fidem persuadere non poterat, ad orationes se convertebat assiduas, tres (ait ibid.) voluntas quidem cordis mei & obsecratio ad DEUM fit pro illis in salutem, quæ utique omnia sunt verba amantis, & valdè eorum utilitatibus providentis. & item, Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christos in vobis, & iterum, quoniam Corinthum fornicarium ab Ecclesia corpore separabat (ait 2. Corinth. 2.) ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis, quoniam charitatem habeo abundantius in vos (1. Corinth. 9.) factus sum Judæis tanquam Judæus; his qui sine lege erant, factus sum quasi sine lege essem: factus sum infirmus infirmis, quasi universum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in Regnum Dei festinabat inducere docendo, orando, minando, pollicendo, per sermonem, & per discipulos, per se ipsum conabatur erigere laborantes, stantes vero firmare, torpentes animare, humi jacentes attollere &c. Pro uno servulo Onesimo ad Philemonem integram scribit Epistolam omni affectu plenam, millies se ipsum tradidit in mortem, & ait: Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris. (sic 2. Corinth. 2.) Cumque celsus in omni consisteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat. Ut enim missum in ignem ferrum totum ignis efficitur; sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas, qui quasi communis totius mundi esset Pater, ita in amore omnium ipsos eorum imitabatur parentes, ac superabat, & pecunias, & verba, & corpus, & animam pro his, quos diligebat, impendens. Sic Chrysostomus.

2. Corint. 2.

2. Corint. 2.

Divus autem Bernardus in sermone de S. Martini, Domine (inquit) si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem (2. ad Timoth. 4.) Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti, reposita est tibi corona justitiæ, & adhuc dicis, propter bonum proximi non recuso laborem, fiat voluntas tua. Obtulisti planè Isaac, unicum illum, quem diligis, quod in te est, jugulasti, immolasti. Singulare gaudium tuum, pia devotione paratus iterum redire in pericula, innovare certamina, denuo laborem subire, prolongare tentationem propter proximum, & à Christo peregrinari diutius ab illa tanta, & tam optata felicitate. Angeli in ministerium mittuntur propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; sed tamen semper curantes bonum proximorum divinæ adsunt præsentiæ. Hanc paratus est Martinus propter fratres dilatare. Magnum est Petre, quod Dominum secuturus omnia reliquisti, sed audio te in monte dicentem: Bonum est nos hic esse, non est hoc, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. (Psal. 107) Paratum cor tuum, ô Martine, paratum cor tuum, sive dissolvi, & esse cum Christo; sive manere in corpore, mille subditus laboribus, si id amor proximi efflagitat.

Bernardus 2. ad Tim. 2.

Psal. 107.

Ac demum de S. Joan. Chrysost. tanti Magistri nempe S. Pauli Discipulo, aliquid etiam proferamus, ut intelligamus quantus fuerit illius in proximos charitatis ardor: Sic enim de semetipso scribit: *Vellem si fieri posset, vestris oculis ostendere, quam in vos habeo charitatem: Nihil enim est mihi vobis jucundius & desiderabilius, ne hæc ipsa quidem lux: Millies enim optarem ipse esse cæcus, si per hoc liceret vestras animas convertere, adeo ipsa luce est mihi salus vestra jucundior. Quid enim me juvant solares radij, quando, quæ propter vos accipitur, animi ægritudo oculis meis magnas offundit tenebras? Lux enim tunc est bona, quando apparet in lætitia.* (& paulo post.) *Implere gaudium meum liceat vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem, vobis dari salutem, me vero accusari, quod meum munus non impleverim: Non enim curo, ut pro me salvi sitis, sed ut salvi sitis quacunque ratione.*

Et de S. Francisco sanctus Bonaventura *in vita S. Francisci cap. 5* sic scripsit: *Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret, quas ille redemit: salutis animarum nihil præferendum esse ducebat, eo magis probans, quod unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in Cruce pendere.* Bonaventura in vita S. Francisci.

Ac denique B. Pater Ignatius, (authore Patre Ribadeneyra, *libro quinto, cap. secundo* vitæ ejus,) ajebat, sê, si quid ad animarum salutem pertineret, paratissimum esse nudis pedibus, cornibusque onustum per plateas incedere, nullumque recusare habitum, ridiculum, aut probrosum vestimenti genus, quod esse utile hominibus posset; quod re ipsa comprobavit, si quando sese occasio obtulit: Etenim contemptus hujus, ac despicientiæ rerum omnium, pro animarum lucro, est origo Dei amoris & proximi.

Plenæ etiam sunt sacræ literæ, & historiæ Ecclesiasticæ Apostolicis exemplis innumerabilium hominum, qui & vitam salutis aliorum causa libentissimè profuderunt, & ipsas etiam gravissimæ ignominiæ notas subierunt; ut propterea necesse non sit diutius in ijs recensendis immorari.

CAPUT VI.

In studium Infideles juvandi omnes ferè, & in heroico gradu, influunt Virtutes.

ALterum caput, ex quo hujus functionis juvandi Infideles perfectio ducitur, est magnitudo, & præstantia earum actionum, quæ hoc studium comitantur, quæ non modò naturæ vires superant, sed etiam tanto intervallo antevertunt, ut sine uberrima gratiæ copia sustineri, neque adiri possint: quare nihil est, quo uberius laudari possit, quam ex hoc, quod non una, aut altera virtus, sed omnium planè virtutum agmen, ac omnes ferè in gradu heroico, & perfectissimo in eum confluant; Et ut ab ipso limine incipiam, hoc est ab ipsis virtutibus, quæ in primo quasi divinæ vocationis ad animarum conversionem conceptu, cum ipsa vocatione in animo à Deo ingenerantur, mirum est quantam in hoc etiam quasi vestibulo, desiderium ipsum DEO cooperandi in hac functione operum segetem, & per se meliorum, & difficiliorum, ac plurimorum offerat sic à Deo vocatis.

Primum enim vocatio ipsa, & multo magis studium animas juvandi executioni mandatum, Apostolicam mentem, animumque effornat intrepidum, omnibusque imbuit virtutibus. Atque ut ab his incipiam, quæ Theologicæ vocantur, apertum est, Missionum studium constare non posse non solum sine fide, sed sine magna, & excellenti fide: nam quisquis hoc facit, ut propter verba labiorum Domini, ea quæ habet, quæ videt, & quæ diligit, pro his, quæ non videt, deserat, & præsentia pro futuris, nempè patriam, fratrum carnalium, consanguineorum, parentum, amicorum, divitiarum, cæterarumque commoditatum omnium emolumenta commutet, ac ingrediatur vias duras, sine dubio ad maximum, & altissimum fidei gradum pervenit. Magna est deinde

fidei firmitas, & admiranda, quæ hominem non solum intrepidum, sed alacrem reddit ad quælibet tormenta, quamvis immanissima, cruciatus etiam acerbissimos, ad omne denique ignominiosæ mortis genus pro ejusdem fidei confessione obeundum. Ac denique heroicæ, atque Apostolicæ fidei gradus est, pro eadem fide inter gentes propaganda, barbaras, efferatasque gentes, vel cum aperto capitis discrimine adire, atque contemptis Oceani fluctibus, piratarum latrociniis, & incommodis aliis ferè infinitæ navigationis usque ad ultimas mundi oras pro ejusdem fidei dilatatione penetrare, ac demum pro eadem fide sinceram, integraque conservanda, qualem Christus, & Apostoli tradiderunt, eaque sarta tecta ab omni periculo, & labe hæreticorum tuenda, quodvis vitæ discrimen subire.

Idem quoque de Spe, sive in DEUM fiducia dicere licet; nam cum hujus virtutis proprior sit actio, certissima expectatio vitæ æternæ; ideo autè certissima est hæc expectatio, quia fide nititur, & promissioni ejus, qui non mentitur, DEI. Hanc igitur, missionum studium, tàm certo repræsentat, & Christi Athletæ ob oculos ponit, ac si manu teneret: quia ut de fide diximus, ob hanc spem contemnunt homines omnia hujus vitæ commoda, ac se immensis objiciunt difficultatibus, atque periculis. Ad hoc idem etiam Spei caput referuntur auxilia DEI, quæ nobis calamitate oppressis minimè defutura speramus. Ar cum inter Infideles omnibus humanis præsidiis Evangelici viri destituantur, aesæpè varijs tribulationibus circumveniantur, opus est, ut in Deo spem omnem collocent, ac cum Propheta clament: *Quoniam tu es Domine spes mea*: Nam *tribulatio*, ut testatur Apostolus, *patientiam operatur*, *patientia probationem*, *probatio verò spem*: nam & calamitates, afflictiones, fortunasque adversas infligit Deus, ut animum terrenis, humanisque subsidiis destitutum, spe viva in Deum fulti, ad Divina auxilia procuranda convertamus.

Ad hanc etiam virtutem spectat actio illa, quæ tantopere in operatijs huius Evangelicæ functionis relucet, nempè fiducia in DEUM; hac enim armati adversus barbarorum, infestissimorumque hominum rabiem, ac inter maxima pericula intrepidi inceduntiac demum hac in DEUM fiducia per tot maris, terræquè discrimina, per tot gentes, linguis, moribusque dissonas, ad ultimas universi Orbis transeunt Regiones.

Et quia oratio est tribulationum comes, & divinæ spei soboles, eam huic functioni conjunctam esse oporter.

Sequitur deinde charitas, quæ virtus inter omnes prima est, & non tàm spectat ad hanc functionem, quàm est ipsissima functio: Quis enim ignorat ipsam intrinsecè ei inesse, & dici charitatem in proximum, quæ sine DEI Charitate consistere nequit. Sed cum & charitatis duplex sit munus, alterum in Deum, in proximos alterum: in Deum quidem, quia cum solus Dei amor animam impellat in arctissimam semitam laboribus, periculis, ac immensis penè incommodis refertã, illum oportet esse maximum. Deinde cum inter omnia charitatis opera maximum, ac præstantissimum sit martyrium, quia malum istud, quod in eo toleratur, omnium acerbissimum, nempè ipsa mors; & bonum quod relinquitur, quod est ipsa vita, omnium suavissimum, ac negotiatio illa cælestis occasionem martyrio offerat, desideriumq; illud sufferendi animo inserat, & sæpè potius martyrium voluntati, quam voluntas martyrio deficiat, (quamvis ex sententia Theologorum ad martyrij rationem mors ipsa necessaria sit) hæc tamen perfectio Tyranno deficiente non deficit: nam & incommoditates corporis, animique cruciatus assidui, non unum tantum martyrium, sed plura in hac functione inveniuntur; neque in solo martyrij desiderio charitatis resplendet amplitudo, sed & quotidiana hujus functionis exercitia omnia nihil aliud spectant, nisi ut hunc Dei amorem assiduis incrementis provehant.

Ab hoc fonte charitatis erga DEUM in proximos amor emanat, quo salutem proximorum non solum precibus, & desideriis promovent, qui juvandis Infidelibus vacant, sed omnia hujus functionis studia in hunc finem diriguntur, ut opera ipsa declarant, quæ non tantum ad propriam, sed & ad aliorum utilitatem referuntur. Ob hanc enim proximi dilectionem ad remotissimas, & ferocissimas nationes belluinis moribus præditas penetrare non dubitant, tot, tantasquè difficultates vincunt, ut charitatis gradum supremum attigisse non dubitem: ex quo satis apparet huic functioni, non tam annexam esse charitatem, quam eam esse ipsissimum, ac perfectissimum charitatis actum.

Ex charitate vero Dei etiam ardens orationis studium promanat; est enim amantis ejus, quem amat, aspectu, colloquio, & consuetudine velle semper frui, si posset; oratio autem conversatio est cum DEO. Quapropter sancti viri, quo magis Dei, & proximi amatores, eò studiosiores orationis exiterunt, exemplo Apostolorum, qui in vocatione gentium laborantes, alia alijs omnia demandantes duo tantum sibi sumpserunt, ut orationi, & ministerio verbi instantes essent. His enim duabus functionibus oratione ad DEUM, & prædicatione ad homines Apostolica cura definita est: Quare universæ Apostolicæ curæ negotiique gerendi caput Oratio fervens, assiduaque esse debet: quia cum animarum conversio gratiæ res sit, quæ impetrari precibus potest præveniri meritis non potest, oportet ut nihil magis conjunctum sit cum ministerio animarum, quam orationis studium: ita ut qui velit in hac vinea fructuosè operari, illud non intermittendum sibi suadeat, in quo lachrymis, fletibus, jejuniis, vigiliis crebris, atque omni carnis macerarione Deum sibi propitium reddat, atque ab ipso toto mentis affectu, plenaque fiducia postuler, tum ut ipsum in medio tot periculorum protegat, tum ut Evangelium crescat, atque multiplicetur.

Neque timendum est sancti Evangelij operariis per universum orbem peregrinantibus, qui sæpè in vita activa, laboriosisque negotiis versantur, ideo orationis studium impediri, quia cum negotia, quæ ab illis geruntur, spiritualia sint, & ob Dei & proximi amorem suscepta, non ideo in his occupati à Deo sejunguntur, quin potius ei magis adhærent, quoniam & illi Deo, & DEUS illis, in hujusmodi functione cooperatur. Quinimò hujusmodi peregrinis Deus per Isaiam dulcedinem contemplationis promittit dicens cap. 56. *Filios advena, qui adhærent Domino, ut colant eum, & diligant nomen ejus, & sint ei in servos; Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in monte orationis meæ, holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo &c.* Qui sunt isti advenæ, qui colunt nomen Domini, &c. nisi qui pro ejus gloria, & sui nominis exaltatione, tanquam peregrini, non habentes hic civitatem permanentem per totum orbem excurrunt? Isai. 56.

Cæteræ vero morales virtutes non minus re-

splen-

ſplendent in ſalute proximi procuranda, nam ſi de Juſtitia diſſeram, cum hujus officium ſit unicuique quod ſuum eſt tribuere, ac in primis *reddere, quæ DEI ſunt, DEO*, & quæ proximi, proximo; in hoc uno ferè tota hæc animarum functio perficitur.

Jam verò quod attinet ad Prudentiam, divina ea quidem eſt, qua animi eorum, qui juvandis infidelibus vacant, moventur: Nam cum prudentia ſit cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum, demonſtrans nobis quid agendum, quid vero vitandum ſit, ut recta via, & conſilio ad finem perveniamus; ea, quæ docet mundana deſpicere, honores & divitias contemnere, Deum & proximum tantum quærere, Divina & non humana prudentia cenſeri debet.

Temperantiæ vero, atque omnium virtutum, quæ illam ut partes ornant, propria ſedes eſt hæc Apoſtolica functio, in qua & victus tenuis ferè ſemper eſt, iſque aut precario quæſitus, aut eleemoſynæ nomine ultro oblatus, nec ciborum delectum quærens, ſed quæ apponuntur, Chriſto authore, cum gratiarum actione accipiens. Lectuli deinde mollitiem non requirit, nam & quicunque locus ad cubandum aptus videtur, ac ſæpè nuda humus cubile præbet. Omitto nunc cæteras corporis aſperitates ſponteneè aſſumptas: his verò quantum frænentur, ac moderentur libidinis impetus, ac delectationes aliæ, experientia docet, ac perinde quanta occaſio ſit, ut caſtitas etiam in hoc miniſterio reſplendeat, aperte colligitur.

Humilitas vero, quæ annexa eſt Temperantiæ, & quæ potiſſima inter morales virtutes reputatur, luculentiſſimè etiam in hac functione reſplendet: aliud quippe nihil eſt hoc animarum lucrandarum officium, quàm abdicatio, & contemptus omnium hujus mundi vanitatum, in quo quis omnium ſe ſervum conſtituit, ac humillimis miniſteriis exponit, quod prorſus alienum eſt ab omni famæ, ac nominis celebritate.

Tandem ſupereſt Fortitudo, quæ potiſſimum locum vendicat in hac functione: nam præter eam vim, qua caro ab Apoſtolicis viris vincitur, propriis voluntatibus reſtitur, & delectatio vitæ præſentis contemnitur, adverſa ſuperantur, quæ fortis, & invicti animi actiones ſunt. Aliæ etiam actiones præſtantiſſimæ reputantur, ut ſunt aperta vitæ diſcrimina ad ſingula penè momenta ſubite, & ſæpè apud homines (ob belluinos ipſorum mores) vix homines dicendos, verſari. His igitur, & aliis innumeris periculis, & incommodis, quæ paſſim obvia ſunt, non terreti, ſed potius incredibili animi magnitudine objecta contemnere, & ſuperare, ingentis fortitudinis eſt argumentum. Ut nunc omittam patientiæ occaſiones, quas frequentiſſimè opus converſionum Evangelicis Miniſtris ſuppeditat, in quibus ingens eſt meriti, ac præmiorum ſemen.

Hujus verò Patientiæ, cæterarumque virtutum agmen in B. Apoſtolo Paulo, qui Apoſtolicæ vitæ appotiſſimum fuit exemplar, eleganter deſcripſit S. Joan. Chryſoſt. *Homil. 2. de laudibus Pauli*: Corinthiis inquit ſcribens: *Placeo mihi in periculis, & infirmitatibus meis. Itaque cum inter medias inimicorum verſaretur inſidias, ovans tamen de omni eorum impugnatione referebat victorias: & ubique caſus verberibus, affectus injuriis, atque maledictis, quaſi triumphales pompas ageret, crebra trophæa ſtrueret, orabat, gratiasque referebat Deo, dicens: DEO autem gratias, qui ſemper triumphat nos. Itaque ad confuſiones, & injurias, quas ob prædicandum Chriſtum ſuſtinebat, magis quam ad bonorum obteſtamenta ſe præparabat, mortem potius, quam vitam appetens, paupertatem quam opulentiam, & multò amplius laborem deſiderans, quam alij requiem poſt laborem, ac mœrorem magis eligens quàm alij voluptatem, ſtudioſius pro inimicis orans, quam alij adverſus inimicos.* (Et poſtea) *Non dico quia nihil præſentium deſiderabat, ſed nec ipſorum aliquid futurorum. Non enim mihi dicas urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, poteſtates, hæc enim ille quaſi arenam vilia reputabat: ſed ea ipſa penè, quæ promittuntur in cœlis & tunc ejus ardentem amorem in Chriſtum videbis: hic ſiquidem præ illius dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus eſt dignitatem, neque quicquam horum ſimile concupivit. Quod enim erat majus, omnibus Chriſti amore fruebatur, cum hoc beatiorem ſe cunctis putabat, ſine hoc autem, neque dominationum, neque principatuum ſocius eſſe cupiebat, ſed cum hac dilectione magis eſſe extremus optabat; imo etiam ex numero punitorum, quàm ſine hac inter ſummos, & honore ſublimes: hoc enim erat illi maximum, & ſingulare tormentum, ab hac charitate diſcedere, hæc illi erat gehenna, hæc ſola pœna, hæc intoleranda ſupplicia: ſicut etiam perfrui charitate Chriſti, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc præſentia, hoc futurum, hoc Regnum, hoc promiſſio, hoc bona videbantur innumera; præter hoc vero nihil in triſtium parte ponebat. Horum enim, quæ habentur, nihil aſperum, nihil etiam ſuave reputabat; ſic deſpiciebat univerſa, quæ cernimus, ut ſolet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipſos, ac populos ſpirantes furorem, velut eſſe quoſdam culices exiſtimabat. Mortem vero, & cruciatus, & mille ſupplicia quaſi ludum putabat eſſe puerorum, dummodo propter Chriſtum aliquid ſuſtineret. Tunc enim, tunc amplectebatur libenter, & decorabatur vinctus catenis magis, quàm diademate coronatus; etenim coarctatus carcere habitabat cœlum, ac libentius verbera excipiebat, & vulnera, quàm alij bravia diripiunt, & dolores non minus, quàm præmia diligebat, cum ipſos utique dolores loco duceret præmiorum.* Hæc S. Chryſoſtom. 2. Corint. 2.

Chryſoſt. hom 2. de laudibus Pauli

Quales igitur, quantæque virtutes, quam heroicæ, diviniſſimæque in hac D. PAULI pro animabus legatione reſplendent? quibus ſine dubio & præditi fuêre alij Apoſtoli Chriſti, & qui eos poſtea imitati ſunt, innumeri viri Apoſtolici.

Quare cum ſtudium ſalutis animarum, maximè Infidelium, tot tantiſque abundet virtutibus, quid aliud eſſe dicemus, quam auream coronam ex omni gemmarum, & margaritarum genere compoſitam; ſic enim cui miſſionum deſiderium à Deo inſpiratur, eodem fermè tempore hæc eadem corona tot bonis, totque operibus virtutum pretioſiſſimis ornata capiti imponitur: nam cum ad Dei providentiam ſpecter, ejus, cujus excitat mentem, actiones juvare, mediaque proportionata ad optatum finem conſequendum conferre, cùm DEUS aliquem ad hanc Apoſtolicam culturam vocat, opus eſt, ut omnes virtutes, quæ ad perfectè exequendam hanc functionem ſunt neceſſariæ, impertiatur.

CAPVT VII.

De præstantia hujus functionis inter cætera virtutum opera.

QUantum deinde excellant opera charitatis proximis exhibita, aliis quantumvis magnis, inter alios Patres (egregiè ut solet) passim docet Chrysost. *Tom. 1. homil. 3. in Genes. Nam ut anima* (inquit) *corpore melior est, ita hi, qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt bi, qui admonendo, & continuè docendo, in viam rectam supinos & desides inducunt, monstrando eu virtutum divinarum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam. Hac omnia cùm scimus, præ omnibus aliis hujus vitæ curis, de salute animarum loquamur proximi, eandem illis sollicitudinem ingerentes. Magna enim bonitatis est animam, cui hæc continuo intonantur, posse reduci ex abysso malorum, in quorum medio versamur, & compesci seditionem, quæ perpetuo animam nostram infestat.*

Chry. tom. 1. hom. 3. in Gen.

Idem *tom. 4. homil. 25. in ep. 1. ad Cor.* Idem *tom. 4. homil. 25. in cap. 10 Epist. 1. ad Corinth. Licet jejunando, humi dormiendo corpus macheraveris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, sed adhuc longe ab hujusmodi abfueris imitatione. Propterea inquit Paulus: Per omnia omnibus placebo. Sive prater legem aliquid, sive laboriosum, sive periculosum facere oporteat, omnia in proximorum utilitatem perpetior. Cùm igitur omnium diligentia supremus sim, humilitate omnium abjectissimus effectus sum. Etenim nullum valde magnum potest esse officium, quando nullum in proximos lucrum conferatur, quod ostendit, qui totum reddidit talentum, & supplicio affectus est, quoniam id non auxit. Tu igitur mi frater quamvis fame conficiaris, quamvis humi jaceas, quamvis cinerem comedas, quamvis super lachrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis.*

Quantum etiam aliis præstent opera Charitatis in proximos, idem eleganter docuit, *Tomo 5. oratione 5. contra Judæos. Quid huic poteris æquiparari? quod neque jejunium, neque humi peracta cubationes, neque pervigilia, neque aliud quippiam potest efficere, efficit fratris procurata salus. Cogita quàm multa tuum os frequenter peccaverit, quam multa verba obscœna protulerit, quam multa convitia, quam multa maledicta evomuerit, & omnino suscipies collapsi curam. Nam hoc uno omnem illam delere maculam poteris: Et quid dico delere? facies ut sios tuum sicut os DEI. Quid huic honori possit æquiparari? Non enim ego ista polliceor, ipse DEUS hoc dixit: si unumquempiam eduxeris* (inquit) *ut os meum erit os tuum, purum sanctumque.*

Chryso. to. 5. orat. 5. contra Judæos.

Et *Tom. 2. homil. 78. in cap. 24. Matth. Donatur, inquit, quempiam jejunare & martyrium comprobare, ac cremari; alium vero ad ædificationem proximi martyrium differre, nec differre modo, sed etiam absque martyrio discedere; uter igitur post hanc peregrinationem major erit? non est nobis multis in hoc loco orationibus opus, cum beatus Paulus magna voce sententiam jam protulerit dicens: Cupio dissolvi, & esse cum Christo, melius mihi autem in carne adhuc permanere propter vos.*

Chryss. tom. 2. ho. 27. in ca. 24. Matt.

Philippen. 1.

Et in *cap. 1. Epist. 2. ad Corinth. Nihil est enim quod anima possit æquiparari, nec universus quidem mundus. Itaque etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen efficies, si unam converteris animam &c. Magnum sanè, & laudabile est misereri pauperum; sed magis errantem ab errore revocare.*

Idem to. 2. ep. 2. ad Cor.

Idem *Tom. 4. homil. 4.* antreponit omnibus aliis gratijs. *Jam verò vide, ut malum aliquid cum demonstrasset Paulus, quia videlicet præstantius sit animæ mederi peccatis emortuæ, quam cadavera excitare rursus ad vitam.*

Idem to. 4. homil. 4.

Et homil. 23. *PAULUM propterea admiramur, non propter mortuos quos excitavit, nec propter leprosos quos mundavit, sed quoniam dicebat: Quis infirmatur? &c. nam etsi decies millia signa ad hæc adjeceris, nihil dices quod ei possis conferre: nam ipse quoque dicit magnam sibi repositam esse mercedem, non quoniam fecit signa, sed quia infirmis fuit tanquam infirmus &c. Et quando se præponit Apostolis, non dicit plura quam ipsi feci signa, sed plusquam ipsi laboravi.*

Homil. 23.

Ac denique idem ipse Chrysost. *Tom. 5. homil. 53. Sive quis signa faciat, sive virginitatem, sive jejunium, sive humi stratum excolat, sive ipsos Angelos virtute præveniat, omnium enim scelestissimus hunc habens defectum, & adultero, lenone, ac latrone, & fure iniquior &c. Orationis enim indiget hujusmodi morbus, & plurima supplicatione: Nam si fratrem non diligens, sive pecunias eroget, sive martyrio effulgeat, nihil amplius efficit &c. Et hic gentilibus est pejor.* Ex his igitur clarè constat studium salutis proximorum procurandæ quantum excellat alias etiam heroicas virtutum functiones, ac proinde quantum negligentia in hac re à DEO puniatur.

Chryss. tom. 5. hom. 53

CAPVT VIII.

De utilitate hujus functionis juvandi Infideles.

CUm animarum cura præcipuè, quæ in Infidelium procuranda salute versatur, per se tota ad charitatis studium referatur; non dubium quin præter summam dignitatem, & splendorem, de qua hactenus diximus, ingentes etiam contineat utilitates: nam cum omnes præ se ferat virtutes, hasque in heroico gradu contineat, non mirum si omnia in hac cultura laborantibus præsidia conferat, ac ad omnia perfectæ vitæ munera informet, & ut nunc cætera beneficia utilitatesque prætermittam, quæ in nos manant ex hac Infidelium cura, breviter tria enumerabo.

Primum est, peculiatis Dei cura, & patrocinium in fidei propagatione laborantibus: Nam cum hic sit Dei mos, ut qui maximè humanis destituuntur auxiliis, eos præcipuè in suam fidem recipiat, eorumque curam suscipiat, cum de eo scriptum sit (*psal. 9.*) *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Et illud: *Dominus custodit advenas, pupillos & viduas suscipiet.* Hæc igitur eodem nomine peregrinantibus pro Infidelium salute Dei patrocinium non deerit: ipsi enim advenæ, quia peregrini, & pauperes, quia sæculum, neque peram portant, pupilli ac orphani, qui non modò Patrem, ac matrem dereliquerunt, sed etiam res omnes creatas, amicos, hominum favores, ac temporalia commoda pro animarum dilectione contempserunt, itaque verissimi sunt orphani, & omnibus auxiliis humanis destituti: Quare eis maximè convenit, quod per Davidem dicitur (*Psal. 90*) *Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*: & consequenter aliis etiam gaudeant privilegiis, quæ in illo psalmo commemorantur: nempè ut illos divina providentia scapulis suis obumbret, & scuto suo eos circundet: Nec timeant à timore nocturno, idest, à clandestinis inimici insidiis; neque à sagitta volante per diem, hoc est ab ejusdem congressibus manifestis. Ac demum necesse est, ut illius promissionis Christi partem percipiant (*Matth. 26*) *Ecce ego vobiscum*

Psal. 9.

Psal. 90.

Matth. 26.

biscum sum usque ad consummationem sæculi. Quod non solum Apostolis, sed etiam suis successoribus à Domino promissum fuit. Si enim Salvator semper se cum eis fore pollicetur, omnia uno verbo, quæ optari possunt, pollicetur, lumen in obscuritate, robur in infirmitate, solatium in mœrore, victoriam in tentationibus, constantiam ac firmitatem animi in periculis. Denique quod bonum & præsidium non habeant, qui secum habent eum, qui est ipsa omnis potentia, & in quo sunt omnia bona?

Ex hac igitur Divina protectione promanat singularis solicitudo & cura, quam DEUS gerit primo circa animas pro ejus amore laborantes, idque tum promovendo eas ad virtutum opera, simulque cum ipsis cooperando; tum non permittendo tentari supra suas vires, ac in eo ipso quod permittit, præstando eis gratiam, ut superiores & victores evadant. Secundo circa corporum curam resplendet etiam hæc divina protectio, de qua verè dici potest: Nullum unquam Patremfamilias liberis, quos ipse genuit alendis & sustentandis tantum sollicitudinis impendisse, quantum DEUS alendis Apostolicis viris, necessaria eis vitæ præsidia assiduè providendo, ita ut illos nullatenus sollicitos esse velit hac de re, sed quod primum quærant Regnum DEI, & hæc omnia adjicientur illis. Hæc igitur utilitas maxima est, sive ut melius dicam, hæc est Apostolicæ vitæ gloria, ut cum Propheta verè dicere possint ejus sectatores: *Anima nostra sustinet Dominum, quia adjutor & protector noster est: in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto ejus speravimus.* Et ille vicissim unicuique illorum dicat, quod olim Abrahæ: *Noli timere; ego protector tuus & merces tua magna nimis.* Nam, & horum utrumque conjunctum est, & utrumque, si cui alij in hac vita, præcipuè viris Apostolicis conveniat: ut quoniam nullam mercedem, aut nullum bonum expetunt præter DEUM, ideo eorum protector, & propugnator sit idem DEUS.

Psal. 32.

Gen. 15.

Secundò, ex uberiori etiam virtutum exercitatione in hac functione, miro modo animæ divitiæ, ac utilitates augentur: nam cum virtutes labore, studio & ipso usu acquirantur, status ille earum exercitationi erit utilior, ac illustrior, qui commodiorem affert materiam virtutis exercendæ: Hunc autem sine ulla dubitatione tenere possumus, esse hanc Apostolicam functionem, in qua omnes virtutes assiduè vigent, & in perpetua fermè actione continentur, ut non obscurè constabit ex his, quæ superius ostendimus, de communi omnium virtutum influxu in hanc vitam. Deinde cum in ea actus virtutum heroicos passim exerceri opus sit, habitus autem virtutum gignatur ex actionibus frequentibus, consurgent etiam in anima virtutes perfectissimæ.

Ex hoc deinde virtutum usu, & exercitatione uberius etiam resultare meritum necesse est, quod inter præcipuas hujus vitæ utilitates primum locum vendicat. Nam cum unam ob hanc causam hujus peregrinationis cursus institutus sit, & ad hoc unum tota hominum vita dirigatur: ut negotiationem ac mercaturam cœlestium operum exerceant, & ut mercatores hujus sæculi omni studio id agunt, ut quam maximè diteſcant, ob id relictis alijs studijs, ut venandi, equitandi, aut similium rerum; nullas lucri occasiones oblatas prætermittunt: imò jucundi eis videntur labores omnes & vigiliæ, quæ modò rem augeant; ita & multo magis sperandum est in hac spirituali mercatura, cujus fructus sunt æterni, & materia de qua Evangelici Ministri tractant, & in qua quotidie versantur, nihil aliud contineat, quam Dei ipsius & animarum negotium, & dum his procurandis immorantur, Dei causam agant non suam: Immo postquam huic functioni se manciparunt, etiam si nolint, ut ita dicam, coguntur Dei, & animarum rem procurare, quæ omnia uberiorem apud DEUM merendi præbent materiam.

Crescit etiam ubertim meritum, ac hujus functionis præmium ex summa difficultate, quàm ex natura sua præsefert hæc infidelium cultura: dubitari enim nequit, quin sensibus ipsis primo aspectu, acerba, aspera & dura repræsentetur; sed ex hac acerbitate, & difficultate crescit ipsa meriti, & præmij corona. Illud vero experientia compertum est, quidquid est difficultatis, ita molliri & temperari à DEO, ut appareat quod valet ad meritum, non appareat quod attinet ad laborem: Qua in re ita utrumque Deus conjunxit, ut res sane gravissima, maximeque ardua, ita ab eo conditur, & mitigatur, ut eadem sit suavissima, & jucundissima.

Ex variis etiam aliis utilitatibus luculenter, ut solet ac frequenter S. Joannes Chrysost. charitatem in proximos commendat, præcipuè verò, quia cum ad nostram utilitatem sit quoddam medium præstantissimum, nunquam ea neglecta, nostram propriam attingemus. In primis *Tom. 4. homil. 25. in cap. 10. Epist. 1. ad Corint. Ita enim* (inquit) *tibi utilitatem comparabis, si proximi invigilabis utilitati. Itaque si piger in fratru cura fueris, intellige nulla te prorsus ratione salutem consecuturum: Igitur tua ipsius gratia proximi tui rebus adsis: sufficientia itaque sunt, quæ jam diximus, quod persuadeant, nulla alia ratione utilitatem nos invenire posse. Quod si hoc à confessis exemplis cognoscere volueris, considera si quando domum aliquam exuri contingat, inde nonnulli ex vicinis sibi caventes minimè se periculis objiciant, sed domi inclusi timeant nequis ingrediatur qui aliquid ex rebus suis auferat, quantam jacturam facient? etenim ignis quoque eos comprehendet, & omnes eorum comburet facultates. Ita qui cum proximi utilitatem non respexerunt, suam perdiderunt. Siquidem Deus cum invicem omnes colligare vellet, talem rebus utilitatem imposuit, ut in proximi utilitate alterius etiam colligata sit, & universus mundus hoc pacto constitutus est. Propterea si in mari tempestate exorta gubernator omissa multorum salute, suam tantum quæreret & seipsum, & alios quam primum obrueret: & uniuscujusque artis, si sua tantum quaratur utilitas, nunquam neque vita constaret, neque ars, quæ sui ipsius quæreret utilitatem: propterea agricola non tantum frumentum seminat, quantum sibi sat sit; nam jam pridem & alios, & se perdidisset; sed quod multis sufficiat, terra mandat: Et miles, non ut suæ dumtaxat consulat saluti, se periculis objicit, sed ut Civitates in securitate constituat: Et mercator non eas tantum merces transportat, quæ sibi ipsi satis sint, sed multis aliis. Quod si quo hoc in loco dicerem non alterius, sed suam unumquemque considerare utilitatem, & idcirco ita facere, ut pecunias sibi, & securitatem, & gloriam comparet, atque ita dum suam quærit, proximi quoque quærere utilitatem: Idem ego dico, hoc est, quod jam dudum audire volebam, & hac gratia omnem hunc sermonem fecimus, ut ostenderemus tunc sibi unumquemque consulere, cum proximo consulit. Nam cum aliter homines proximi commodum non essent curaturi, nisi in hac constituti necessitate, propterea ita Deus ea conjunxit, & non permittit, ut in propriam prius quisquam veniat utilitatem, nisi per alienam transeat. Hoc igitur humanum est, ut hoc pacto proximo usui simus. Verum oportet non hinc, sed Divina voluntate ad hoc adduci, siquidem*

Chrys. tom. 4. hom. 25. in c. 10. epist. 1. ad Corinth.

nemo salutem consequi potest, nisi ita se habeat. Sed quamvis summam complectaris Philosophiam, proximi autem jacturam contempseris, nullam apud Deum

1. Corin. 13. *fiduciam habere poteris: Unde hoc constat? ex B. Pauli verbis*: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *Vides quantum à nobis Paulus requirit? At qui pascit, non suam, sed proximi quærit utilitatem. Sed non sufficit hoc, inquit: Cum charitate hoc fieri vult, & misericordia plurima. Propterea legem hanc statuit Deus, ut nos in vinculum charitatis adduceret.* Hæc Chrysost. Cæteras verò utilitates ex testimoniis sequenti capite adducendis colligemus.

CAPVT IX.

Ad omnes Christianos spectat proximorum etiam Infidelium saluti consulere.

QUamquam non omnes fideles fide Christiana præditi, ad alios instituendos sint idonei, multi tamen sunt, qui id commodè possunt, & si nolunt, inducendi sunt, ut pro sua virili parte Ecclesiæ sanctæ, animarumque saluti deserviant. Et ut omittam eos, qui ex officij munere, vel ex sua vocatione tenentur huic studio operam dare, quales sunt Pastores, & Religiosi post ipsos, alij profectò sunt, qui licet ad hoc non vocati, idonei tamen sunt, quibus quippe major fides, & doctrina inest, quàm alijs idiotis, & vulgaribus. Hos sancti Patres, præsertim tamen S. Joan. Chrysost. passim hortatur, ut majori illa luce prædi ti, non seipsos solum, sed & alios etiam Infideles erudiant, & ad fidem alliciant.

Chrys. hom. 24. in Matt. *Homil. 24.* in Matth. Omnes Christianos exhortans ait: *Scitote quia mercenarij sumus conducti: si ergo mercenarij sumus, cognoscere debemus, quæ sunt opera nostra; mercenarius enim sine opere non potest esse: Opera autem nostra sunt opera Justitiæ, non ut agros nostros colamus, & vineas: non ut divitias congregemus, & acquiramus honores, sed ut proximis prosimus. Et quamvis hæc sine peccato facere possimus tamen non sunt opera nostra, sed diaria nostra. Sicut ergo nemo sic conducit mercenarium, ut hoc solum faciat, quod manducet: sic & nos ideo vocati non sumus à Christo, ut hæc solâ operemur, quæ ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam DEI. Et sicut mercenarius, qui hoc solum facit, quod manducat, sine causa ambulat in domo: & sic nos si sola hæc fecimus, quæ ad nostram pertinent utilitatem, sine causa vivimus super terram: & sicut mercenarius prius aspicit opus suum, deinde diaria sua: & sic nos si mercenarij Christi sumus, primum debemus aspicere, quæ ad gloriam DEI pertinent, proximique profectum, (quia charitas, & verus amor erga DEUM non quærunt, quæ sua sunt, sed ad libitum amati cuncta desiderant perficere) deinde quæ ad nostram utilitatem.*

Idem tom 1. homil. 3. in Genes. Idem Tom. 1. *homil. 3.* in Genes. *Ne omittamus proponere eis* (hoc est Gentilibus) *doctrinas scripturarum, sed omne impendamus studium, ut ab errore liberati, ad veritatem reducantur; nam licet in erroribus deprehensi sint, cognati tamen nostri sunt, & congruit, ut magnam eorum curam habeamus, nunquam torpescentes, sed summa diligentia facientes: ea quæ nobis sunt, utilem eis medicinam adhibeamus, si forte, vel tardè ad veram sanitatem redeant: nihil enim ita gratum est DEO, & ita cura, ut animarum salus. Talem igitur habentes Dominum, tàm misericordem, tàm benignum, tam mansuetum, cùm nostra, tum fratrum nostrorum curam geramus salutis: nam & hoc nostræ salutis argumentum erit, & occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti, sed & proximo utiles fuerimus, ipsum ad viam veritatis manuducentes.*

Idem *eodem Tom. homil. 8. in Genes.* Auditores ad Hæreticorum excitat conversionem dicens: *Operam date, ut pia scita in eis* (loquitur de Arianis) *plantentur, & roborentur: volo enim, & precor omnes vos in Doctorum ordine esse, & non solum auditores nostrorum esse dictorum, sed & alijs doctrinam nostram afferre, piscarique errantes, ut ij redeant in viam veritatis: sicut & PAULUS inquit: Unus alterum ædificet, & cum timore, & tremore salutem vestram operemini. Sic DEUS nostram multitudinem augebit, & vos uberius superna fruemini gratia, magnam membrorum vestrorum curam gerentes. Neque enim Deus vult, ut Christianus seipso tantum contentus sit, sed ut alios ædificet, non per doctrinam solum, sed & per vitam, & conversationem.* Hom. 8. in Genes.

Chrys. hom. 10. in Gen. tom. 1. *Homil.* etiam *10. in Genes.* Tomo primo: *Fortè prolixius, quam oportebat sermonem produximus: verum hoc non absque ratione, neque temerè factum est, sed ut absentes ex vobis discant, quantum sibimetipsis damni fecerint, ob corporalem cibum, semetipsos à spirituali cibo subducentes. Cæterum ne valdè contristentur fraterna illos benevolentia prosequamini, recensentes eis, quæ à nobis dicta sunt. Hoc enim germanæ charitatis argumentum: nam si inter magna charitatis indicia habent, qui ita de sensibilibus edulijs hoc faciunt: multo magis, qui in spiritualibus hoc agunt, magnum nostrum præconium celebrant, reditque ad nos quicquid est utilitatis: nam cujus studium est docere proximum, is non tantum illi benefacit, quantum sibi ipsi magnam mercedem parat, dum duplicem percipit mercedem, retributionemque à DEO majorem assequitur. Denique is, qui fratrem docere tentat, dum illi commemorat, & dicta secum repetit, & melius tenet: Igitur cogitantes tantum lucrum vestrum, ne invideatis fratribus vestris, sed à vobis discant, quæ nunc à nobis dicuntur. Ut autem plenius doceantur, ducite illos ad nos, persuadentes ipsis, quod nihil obest spirituali mensæ, si præcedat corporalis cibi sumptio, sed haberi debet omne tempus spiritualis sermonis idoneum.*

Tom. 5. Præcipuè verò *Tom. 5. oratione 5 in Judæos*, idem pro Judæorum conversione prosequitur argumentum: *Tu quoque imitare Samaritanum illum, qui in Evangelio tantam erga vulneratum præstitit sollicitudinem. Etenim illic præterijt Levita, præteriit* Luc. 10. *Pharisæus, ac neuter deflexit ad jacentem; sed inclementer, crudeliterque relicto seminece abierunt. Samaritanus autem quispiam, qui nulla ex parte illi conjunctus erat, non prætercurrit, sed misertus est accurrens, instillavit oleum, & vinum imposuit asino, duxit ad diversorium, pecuniam partim dedit præsenti, partim pollicitus est pro eo, qui nihil ad ipsum pertinebat, curatione, nec dixit apud sese: Quæ mihi cura est istius? Samaritanus sum, nihil mihi cum illo, procul absumus à civitate; & ille ne ingredi quidem potest. Ne dixeris apud temetipsum: homo sum mundanus, uxorem, & liberos habeo, & ista Sacerdotum sunt, ista monachorum: Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat, ubi nunc Sacerdotes? Ubi nunc Pharisæi? Ubi Judæorum Doctores? sed perinde quasi venatum quempiam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cum videris aliquem curatione egentem, vel corporis, vel animi, ne dicito apud temetipsum, Quare ille, & ille eum non curaverunt. sed à morbo libera, ne petas ab illis causam negligentiæ: Si inveneris aurum jacens, non dicis apud temetipsum, quare ille, aut ille hoc non sustulerunt, sed festinas ante alios rapere: Itidem & de fratribus collapsis cogita, putatoque te thesaurum reperisse, nimirum occasionem illis medendi. Etenim si instillaveris*

vis illi velut oleum sermonis doctrinam, si obligaveris humanitate, temperantiaque vulneratum, si sanaveris, ille te faciet ditiorem quovis thesauro. Qui enim eduxerit pretiosum ex indignitate, tanquam os meum erit, inquit ille.

Ac *oratione 3.* in Judæos: *Quotque prius rogavimus, idem & nunc rogamus, ut fratres vestros reducatis ad salutem, multam solicitudinem habeatis pro membris neglectis: propter vos enim tantum laborem suscipimus, non ut vulgari more loquamur, neque ut plausum, strepitumque referamus, sed ut avulsos ad viam veritatis reducamus. Ac ne quis mihi dicat, nihil mihi est cum eo negotij, utinam contingat mihi mea ipsius negotia rectè gerere: Nemo suum ipsius negotium rectè gerere potest neglecta proximi salute: propter hoc, & Paulus ait: Nemo quod suum est quærat, sed quisque quod alterius, sciens quod sua cujusque utilitas in proximi utilitate sita est. Sanus es tu, sed oculus tuus infirmatur: hoc est, est ægrotus. Itaque si verè sollicitus fueris, prò ægrotante magis dolebis, & imitaberis in hoc* 2.Corint 11. *quoque Beatum illum, qui dicit:* Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror? *Etenim si cum duos obolos dederimus, paulumque pecuniæ insumpserimus in pauperes gaudemus: si poterimus animas servare, quanto majorem voluptatis fructum capiemus? Quantum autem in futuro sæculo recipiemus gaudium? nam ibi quoque quoties conveniemus, multam capiemus voluptatem ex congressu reminiscentes beneficiorum, quæ vicissim alij in alios præstitimus. Deinde cum illos conspexerimus ad tribunal illud metuendum, multæ fiduciæ participes erimus.*

Et *infra in eodem sermone*, non solum homines, & viros huic operi studere, sed & fœminas suadet, dicens: *Ut igitur & fratres servemus, & nobismetipsis veniam pro peccatis, imo potius multam fiduciam reponamus: Denique curemus & illud, ut à cæteris omnibus nomen DEI glorificetur, cum uxoribus, liberis, & famulis ad hunc venatum, & indaginem egressi extrahamus à Diaboli laqueis captos ab illo, juxta ipsius voluntatem: nec prius desistamus quam quicquid per nos præstari poterit, præstiterimus, sive pareant, sive non pareant. Quin potius impossibile est, ut Christiani cum sint, non pareant. Sed ne, vel hanc excusationem habeatis, illud dico: si postquam multa verba exhauseris, & quicquid per te præstari poterit expleveris, videris illum non obtemperare, adducito ad Sacerdotes, & omnes per Dei gratiam potientur venatu, totumque tuum erit, qui illum adduxeris. Expedit ut hac, & uxores dicant viris, & viri uxoribus, & filij parentibus, & patres filiis, & amici amicis. Discant hæc & Judæi, & ij, qui nobis quidem conjuncti videntur, sed cum illis sentiunt, quod nobis aliquod studium est, ac sollicitudo, vigilantiaque pro fratribus nostris ad illos ultrò currentibus. Et omnes ante nos illos corrigent, qui cum nostræ professionis sint, tamen illo commercio. Quin potius nemo post hac ausurus est ad illos confugere, sed erit corpus Ecclesiæ purum. DEUS autem*, qui vult omnes homines fieri salvos, & ad agnitionem veritatis pervenire, *& vos ad istum venatum corroboret, & illos ab hoc errore liberet.* ita Chrysost.

CAPVT X.

De jucunditate, quam ex conversione animarum Evangelij ministri consequuntur.

NEc utilitatem solam, aut dignitatem hi, qui animarum lucris se consecrant; sed & jucunditatem, & oblectationem non parvam ex hac functione consequuntur: Nam licet prima fronte aspera, & odiosa videatur, solatia tamen, & gaudia passim inveniuntur in ea, ut nullum bonum, nullamvè perfectionem ei deesse appareat. Nam, Luc. 15. si ut Salvator noster testatus est (*Luc. 15.*) Gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, non eadem quoque causa erit lætandi in terris, seu cum hominem ad pœnitentiam converti, seu cum totis conatibus ad perfectionem aspirare cernimus? Plurimæ enim sese offerunt lætitiæ rationes: ac in primis DEI honor; proximi salus, quem sicut nos ipsos diligere jubemur: tum etiam maximum, ac gratissimum quoddam indicium divinæ bonitatis, clementiæ, & patientiæ, in perdita ovicula, non solum toleranda, sed etiam super humeros reportanda, cujus quidē clementiæ nos ipsi testes, & spectatores sumus.

Præterea illud quoque accedit, quod tàm præclari doni ac muneris aliqua ex parte nos ipsos etiam participes esse sentiamus, ut cum Paulo dicere, & quodammodo gloriari nobis liceat: (*1.Cor. 3.*) Ego plantavi. Est autem maximè naturale, ut in eo quisque delectetur, idque diligat, in quod aliquid studij, atque operis impendit, eoque magis, quo ea res præclarior, ac præstantior est. Quid aut majus, aut præclarius, quam alios homines Christianos, ac beatos efficere, quod non modo est proprium DEI opus, sed & primum inter omnia ejus opera locum obtinet? Quemadmodum etiam exultabat Paulus in Philippensibus, *Gaudium meum* inquit, (*ad Philip. 4.*) *& corona mea.* Quo modo in Corinthiis, quos gloriam suam in Die Domini appellat? 2.*Cor.* 1. & 1. ad Thessalonicenses 2. *Quæ est*, ait, *nostra spes, & gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominū nostrū Jesū Christū estis in adventu ejus? Vos enim estis gloria nostra, & gaudiū.* 1.Cor. 3. Phil. 4. 2.Corint. 1.

Nec minus lætandi occasionem excitant labor, sollicitudo, & cura, quæ sæpè comitari solent hujusmodi fructus, de quo Apostolus, *ad Galat. 4. Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Parturienti se comparat mulieri, quod significat moram, & laborem, & etiam cruciatum, qui in ejusmodi opera sæpè intercurrit. Itaque dubitandum non est, quin in hunc etiam partum conveniat illud, quod est à Domino dictum, *Joan. 16. Mulier cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit, jam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum.* Hic vero major est lætitia quia non natus est homo in mundum, sed verius in cœlum: vita enim corporis brevis est, ac miseriis plena; vita autem animi sempiterna, & omni ineffabilique gaudio referta. Galat. 4. Joan. 16.

Quæ omnia confirmari possunt ex ipsa DEI natura, & innata bonitate, ac providentia: quæ cum tanta fuerit, ut eum è cælo in flagella, in spinas, in crucem impulerit, idque pro animarum salute, ad ejus etiam bonitatem, & providentiam spectare videtur, ut in hac sibi gratissima functione laborantes solatijs, ac lætitia repleat, ut mediante delectatione opus ipsum perficiatur. Hanc igitur spiritualium gaudiorum abundantiam, Apostolorum exempla testantur: nam simul ac fuerunt verbi DEI ministerio accincti, *ibant à conspectu Concilij gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro Christi JESU nomine contumeliam pati.* Legimus & innumera alia, & Martyrum & Confessorum exempla, qui pro fidei confessione, ac propagatione, tormenta ingenti cum gaudio perpessi fuerunt. Nec similia hac nostra ætate deliderantur, B. enim Franciscus Xaverius legitur sæpissimè in immenso illo Orientis tractu pro animarum salute laborans, solitarius manu pectori admota, oculis in cælum elatis, propter harum consolationum abundantiam, hujusmodi voces edere solitus fuisse: *Sufficit Domine, sufficit:* quasi ipse quoque ut Ephren consolationē divinam, ferre non posset amplius. Quin etiā cū iter facer et quod ille, sæpe

pedester faciebat, adeò mentem suspensam & in DEUM absorptam gerebat, ut sæpè de via aberrans in vepres, dumeta, & lapides impingeret, hoc minimè advertens : quam sanè ob causam semper ei plantæ, ac tibiæ sanguine, & tabo fluebant, cum tamen ille ne sentiret quidem. Et quamvis hæc grandia videantur ; sunt etiam alia & communia & quotidiana, quæ ex corde puro, ex orationis studio, ex virtutum exercitatione, & aliorum reparata salute proveniunt, quæ viris Religiosis sincerè ob DEI honorem, in hac Infidelium cultura laborantibus, certa, & perpetua sunt.

CAPVT XI.

De aliquibus impedimentis removendis.

ALiqui qui nondum gustarunt, quàm suavis sit cibus, pro animabus servandis labores, & tribulationes magnas, usque ad sanguinis effusionem perferre, propriam commoditatem animarum saluti præponentes, multa excogitarunt impedimenta, quibus benè currentium conatus aut retardare, aut penitus impedire, maximè in Infidelium, tam Occidentalium, quam Orientalium Indiarum conversione conabantur. Quæ ad quatuor præcipuè capita reducuntur à doctissimo Patre Josepho Acosta in Tractatu aureo, ac omni eruditione pleno de procuranda Indorum salute. Primo ad Divinæ gratiæ subtractionem, quasi credant, illas gentes occulto Dei iudicio in suis tenebris relictas: secundò ad naturæ, morumque illarum gentium absurditatem, sive incapacitatem: tertio, linguarum illius tractus difficultatem, ac demum locorum atque habitationis incommoda : quibus certè difficultatibus, incommodis, & periculis sæpè milites Christi ab incepta vocatione deterrentur. At quoniam aptè idem Acosta horum retundit tela, maximè *lib. 1. de procur. Indorum salute*; propterea rogo, ut qui sese vocari ad sanctam illam, Deoque gratissimam marium trajectionem senserit, nimirum ut DEO Indos, Æthiopes, seu alias nationes barbaras vocanti cooperentur, eum attentè versent, ac perlegant. Et quoniam omnia impedimenta reducuntur, vel ad locorum incommoditatem, addiscendæ linguæ laborem, ac ipsorum Barbarorum ineptiam, & stupiditatem: quæ quidem quod non tam à natura ipsis insita, quam educatione, usuque acquisita sit, præter ea, quæ Josephus Acosta in hujus rei confirmationem affert, legendus est Thomas Bozius *sig.* 28. de gentibus efferis ad humanitatem disciplinæ Christi perductis, *& sig. 93. à c. 199.* ubi de gentibus Septentrionalibus agens illas olim (ait) incredibilis fuisse ferocitatis, ut feræ ipsæ, ac forsan ipsis Indis, Æthiopibusvè deterioris naturæ viderentur.

Deinde isti nimium sibi ipsis indulgentes breviter exemplo ipsius Josephi Acostæ convincuntur: jam illud, inquit, multum movere nos debet, quod videmus ad gentes profundi sermones, & ignotæ linguæ homines penetrare lucri spe, nec deterreri barbarie immensa, sed universa mercium causa lustrare, non Æthiopum innumerabiles linguas, non Synarum, non Tartarorum, non Brasilienſium, non extremi Oceani littora reculare, & quicquid inter Mendocinum promontorium, & fretum Magellanicum situm est infinitis terræ, ac maris spatiis, idque utroque ex latere, & Boreali, & Australi magno studio obire : Denique & si quem tellus extremo refuso summovet Oceano; vel si quem extensa plagarum quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui, hunc perscrutantur, hujus linguæ, vel balbutientes se accommodant, ut aurum, argentum, ligna pretiosa, merces exquisitas ad suos evehant, quæstumque undique augeant, tam longam & periculosam peregrinationem avidissimè suscipiunt, ut profectò admirabile sit omnes penè portus Oceani, omnes sinus Orbis terrarum stationibus navium Hispaniensium teneri, omnes Indorum Satrapas cum nostris mercatoribus, & nautis commercium habere. At nos qui pretiosissimas merces quærimus, animas, DEI imagine insignes, qui lucra non incerta, aut brevia, sed æterna in cælis speramus; linguæ difficultatem, locorum asperitatem causamur: ut appereat verè prudentiores esse filios hujus sæculi in generatione sua filiis lucis. Superest, ut charitas ardens in Christum, industria, & labore perficiat, quod deest naturæ. Qua in re Patris Francisci Xaverij admirabile extat exemplum, qui in perdiscenda Malavarica lingua tantum operæ, & sudoris posuit, tantundemque in Japonen. atque alijs longè inter se diversis, ut si Apostolico dono linguarum præditus esset, non posset majore gloria Christi nomen in tanto terrarum Orbe vulgare. Certè enim charitas omnia potest, & cum linguæ cessârint, una charitas pro omnibus est. Hactenus Acosta.

Igitur, ut jam huic primæ parti, in qua necessitatem, dignitatem, ac hujus in lucrandis animabus studij utilitates breviter exposui, finem imponam, quis tot, ac tanta lucra, tot opes, ac virtutum omnium præstantiam ei inesse conspiciat, qui non meritò thesaurum illum, in Evangelico agro absconditum illud non judicet? Est enim verissimus thesaurus Evangelicus ardens in proximos dilectio, quæ ingentes divitias continet, immensamque bonorum abundantiam: non enim unum, aut alterum bonum, sed omnia simul congesta, & accumulata. Quod si illi, qui mercaturam exercent, ut ditescant, trajectis immensis maribus, peragratis variis Orbis regionibus, ac hominibus ignotæ linguæ, magno cum labore, & quidem multis jacturis exposito, & longo tempore, diuturno studio, magnaque contentione divitijs inhiant, sæpè etiam in naufragia incidunt, ut una hora omnia auferat, quæ plures fortassis anni corraserant: nos, qui thesaurum cælestem in agro animarum reconditum, ac fodinas quærimus animarum, in quibus non chrysoliti, aut uniones, sed veriores gemmæ, & margaritæ, ac multò illis pretiosiores congregatæ sunt, quarum usus non in terra tantum, sed in cælo quoque maximus est, cur torpescere debeamus? Est tamen thesaurus absconditus, quia pauci eum cognoscunt, pauciſque conceditur. Ubi autem absconditus? nempe in agro, in hoc inquam remoto à delitiis, & temporalibus commoditatibus, à strepitu ambitiosum, à negotiationibus, à consanguineis, amicis: In agro deinde, qui locus & arari, & seri, & magno denique studio coli solet. Omnia igitur relinquenda, si agrum hunc possidere, ac in ejus cultura laborare velimus: ac quod primum est, thesauro in tam felici agro absconditio frui.

LIBRI PRIMI FINIS.

LIBER

LIBER SECUNDUS,
AD QUEM POTISSIMUM PERTINEAT INFIDELIVM SALVTEM PROCVRARE.

PRIMA PARS.

Ad Romanum Pontificem tanquam ad ſummum Eccleſiæ Paſtorem, Petrique in Apoſtolatu ſucceſſorem pertinere, Prædicatores pro fide propaganda mittere in univerſum orbem.

CAPVT I.

NEmini dubium eſt, modo Catholicè ſapiat, ſancti Evangelij Eccleſiæque Chriſti per totum orbem propagationem, ad Romani ſummique Pontificis authoritatem ſpectare. Id enim & authoritas tam ſcripturæ, quam Patrum, & ratio ipſa, ac demum innumera ſummorum Pontificum exempla teſtantur.

Ioan. ult. Inprimis enim, cum Dominus *Ioan. ult.* illis verbis, *Paſce oves meas*, Petro, ejuſque ſucceſſoribus ovile dominicum commiſerit, ut Patres omnes fatentur, non ſolum illi oves jam congregatas illius loci aut temporis paſcere, ſed omnes tam illius, quam futuri temporis diſperſas ac diſſipatas (quin potius nondum oves) quærere, ut oves fiant, atque ut intra ſepta Evangelij cum reliquo grege paſcantur, evocare commiſit, de quibus ſanè Ioan. 10 Chriſtus *Ioan. 10.* affirmavit: *Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, quas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Paſtor.* Quibus ſanè verbis Dominus locutus eſt de populo Gentili, & Judaico nondum ad fidem converſo, qui etſi ſecundum præſentem juſtitiam ab Eccleſia ſit alienus, ſecundum tamen æternam electionem ad eandem eſt vocatus. Cum igitur has oves etiam commiſiſſet Petro his verbis, *Paſce oves meas*, & ipſe Dominus fateatur oportere illas adduci, conſtat hoc Petro & ejus ſucceſſoribus divinitus fuiſſe commiſſum: Nam ut Chryſoſt. ait Chryſoſt. lib. 2. de Sacerdotio. *Quamobrem ille* (id eſt Chriſtus) *Sanguinem ſuum effudit, certè ut errantes oves in unum congregaret, quarum curam tum Petro, tum ejus ſucceſſoribus committebat.* lib. 2. de Sacerdot.

Acceditquia cum ſint multa Prophetarum vaticinia Eccleſiam Chriſti Deique ſponſam, ad agnitionem divinæ veritatis adducturam omnes gentes, ut manifeſte Iſaias docuit *cap. 54.* Ubi introducit Deum ſic loquentem Eccleſiæ ſuæ: *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clavos tuos conſolida, ad dexteram enim & ad lævam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit.* Similiter *cap. ult.* Iſaiæ prædicitur fore, ut Eccleſia mittat operarios in omnem Regionem, qui Aſiam, Africam, Europamque percurrant, quouſque ad Inſulas ultimas perveniant, nullumque ſit hominum genus tam remotum, nec ſit loquela, nec ſermo gentium adeo barbatus, ubi non audiantur & reſonent verba eorum; *& ponam in eis*, inquit divinus vates, *ſignum, & mittam ex eis, qui ſalvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam, tendentes ſagittam, in Italiam & Græciam, ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt, & non viderunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino.* Frequens eſt ſermo apud Iſaiam de vocatione gentium ad Eccleſiam, apudque alios Prophetas generale eſt hoc vaticinium. Hæc autem magnifica jam pridem à DEO facta promiſſio de vocatione gentium ad Eccleſiam, nuſquam re ipſa adimpleta eſt uſque ad Evangelij promulgationem, qua per Petrum ejuſque ſucceſſores gentes erant convocandæ, & ad veri luminis agnitionem adducendæ, ut expreſsè demonſtrant ea, quæ Lucas *Actorum* 10. narrat; ait enim, Petrum dum commoraretur in Joppe, à ſenſibus abſtractum vidiſſe vas quoddam inſtar magni lintei, è quatuor capitibus cœlitùs demitti, in quo erant omnia quadrupedia terræ, & feræ (ſic eſt in Græco θηρία) & ſerpentia, & volatilia terræ, dictumque Petro: macta & commede, qui reſpondit, ſe id nequaquam facturum, quando illa eſſent immunda. Tum divinitùs illi dictum, immunda non eſſe quæ Deus effecerit pura. Hoc vero ter accidit Petro, donec in cælum vas eſt receptum. Et quidem ita hujuſmodi gentes, quæ immundæ ab Hebræis habebantur, ad verum Dei cultum & Sacra Chriſtiana vocatas eſſe ſcribit ibidem Lucas. Futurum namque erat, ut omnes ad Eccleſiam è quatuor mundi partibus (ait Auguſtinus) venirent; nam Petrus Eccleſiam refert, cujus perſonam ſuſtinent, & adhuc ſuſtinent ejus ſucceſſores: occidendique erant & manducandi ab ipſo Petro, ejuſque ſucceſſoribus; occidendi inquam, ut Auguſtinus ipſe interpretatur, id eſt, ut interficerent in eis vitam præteritam, qua non noverant Chriſtum, & tranſirent in corpus ejus, tanquam in novam vitam ſocietatis Eccleſia ſalutem Gentium eſuriret. Hactenus Auguſtin.

Iſaiæ 6. 54.

Hac igitur viſione Petro, ejuſque ſucceſſoribus non ſolum fuit demonſtratum Gentes ad Eccleſiam eſſe traducendas, ſed & ipſum debere tanquam ex ſuo officio eas vocare, & adducere; id enim manifeſtè ſignificatur illis verbis: *Surge Petre, occide & manduca.* Nam capitis eſt manducare, & per manducationem trajicere cibum in ſtomachum, & illum ſibi incorporare, ſignificans hac metaphora, Petro convenire, ut ipſe tanquam caput Eccleſiæ Infideles convertat, & efficiat Eccleſiæ membra. Hac igitur voce Petri ſucceſſores cœlitùs quotidie admonentur, etſi non exteriori, interna tamen inſpiratione: *Surge, Petre, occide & manduca*, hoc eſt, fac ut gentium ritus, idola, & infidelitatis fibræ exſtirpentur, iſtaque animalia immunda per prædicationem Evangelij, ſuſceptamque fidem omnibus eorum ſordibus expurgata

mandu-

manduca, & in Ecclesiæ stomachum, qui animarum salutem summè esurit, immitte. Adjungamus his quod cum Ecclesia debeat crescere, donec in toto mundo Evangelij lumen resplendeat, sintque unum ovile & unus Pastor; Deusque velit omnes homines salvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire; præceptumque sit Apostolis, *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ*, non tantum pro ipsis, sed & pro eorum successoribus, ac deinceps ecclesia Romana sit, quæ inter alias merito Apostolica functione gloriatur, & summus Pontifex Apostolicus, & sedes ejus Apostolica ab omnibus simpliciter, & per antonomasiam vocetur, quia Apostolorum retinet non solum doctrinam, sed etiam in Apostolico officio hæreditariam successionem; nemo est qui dubitare possit, ad providentiam divinam spectare, unum seligere, cui onus hoc, nempe adducendi oves ad Evangelij caulas, prædicandi Gentibus fidem, & Apostolici muneris functio incumberet, & qui proposito sibi divinæ voluntatis & ordinationis fine, seligeret animarum salutis media. Hic autem non est alius nisi summus Pontifex ecclesiæ caput, vicarius Christi, Petri successor, & totius orbis Pater. Neque enim ob id solum *Apostolicam* Romanam sedem vocari existimandum est, quod Apostolorum fuerit; nam fuit & Ephesina, & Hierosolymitana, & aliæ non paucæ: verum etiam, quia Apostolorum munus pro Christo legatione fungendi, & usque ad ultimos terræ terminos illius fidem immobili firmitate testificandi propriè ac præcipuè ad Romanos Pontifices spectat; quorum muneris est, cum ipsis per se orbem universum adire non liceat, eam curam aliis demandare, idoneosque verbi ministros ad seminandum sanctum Evangelium mittere.

Neque enim aliud *Luc.* 5. per Dominum intrantem in navim Simonis, quam Christi Fidelium Ecclesia, cujus magister & caput constitutus est Petrus, denotatur, ut optimè docet D. Ambrosius Serm. 11. *Soli* (inquit) *Petro ibidem dicitur, duc in altum, & laxate retia in capturam*, ubi Petrus tanquam summus piscator & archinauta juberur alios ad piscandum ducere. Non autem de simplici piscium captura, sed mysticè verba hæc intelligenda esse testis est ipsemet Dominus apertissime dicens Petro, *Noli timere, ex hoc enim eris capiens homines*: & idem ferè significatur *Jo.* 21. Ubi dicente Petro, *Vado piscari*, alij dixerunt, *venimus & nos tecum*. Postea inquit scriptura *ascendit Simon Petrus & traxit rete in terram*. Quid igitur aliud his de piscatione Petri parabolicis loquendi formulis demonstratur, quam Petrum ejusque successores esse, qui homines ab erroribus, mundanisque illecebris ad fidem & Ecclesiam militantem deberent adducere, adductosque benè eos regendo, tandem ad triumphantem dirigere, sedulò conari?

Summum verò Pontificem Petro succedere in hoc piscandi genere quis unquam potuit dubitare? Nam quid clarius Ecclesia Sancta & Apostolica innuit, cum in die desponsationis sibi, ut sponsum Pontificem vices Christi gerentem annulum piscatoris ipsi præbens, matrimonio spiritali conjungit, nisi ut sedulò perpendat se Petri piscatoris non piscium, sed animarum, sedem vicesque representare? Piscatoris enim & Apostoli officium ex Evangelij mente unum idemque reputatur: quod etiam luce clarius ex illis Christi Domini verbis colligere est, ex hoc enim *eris homines capiens*: nec minus ex illis *Matth. c. 4.* cum Dominus eundem Petrum & Andream vocavit dicens: *Veni, te post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, Idest, Apostolos, quorum sit, Evangelicam veritatem gentibus disseminare, retiaque in capturam animarum laxare: ut optimè D. Bernard. *in Epist. 1. ad Eugenium*, munus Apostolicum ipsi Pontifici (utpote successori) incumbere hac eadem figura piscationis sequentibus verbis demonstravit: *Quis mihi det antequam moriar videre Ecclesiam DEI sicut erat in diebus antiquis: quando Apostoli laxabant retia in capturam: non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum. Quam cupio illius te hæreditare vocem, cujus adeptus es sedem?* Et infra eod cap. *Hoc vehementer expectat, & omnino expetit à te mater tua: hoc filij matris tuæ pusilli cum majoribus desiderant: hoc suspirant, ut omnis plantatio quam non plantavit Pater cælestis, tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim constitutus es super gentes & regna, ut evellas & destruas, & ædifices, & plantes.* Annulus itaque piscatoris idem sonat quod annulus successoris Petri in Apostolatu & piscatione universi orbis animarum: Ornatur, inquam, dextera Pontificum in die desponsationis cum Ecclesia, hoc annulo; ut ad summum istum dignitatis gradum evecti, hoc altissimum & Apostolicum munus præ oculis semper versarent. Annulus enim memoriæ symbolum est, atque ita hoc annulo Ecclesia Christi nomine Pontificem, ut Petri Apostoli successorem commonefacit, Apostolici muneris esse retia tendere, omniumque gentium salutem procurare; atque ut hujus obligationis recordatio semper Pontificum mentibus sit quam firmissimè impressa, Ecclesiæ usu receptum est omnes Bullas annulo piscatoris sigillari.

Hanc sollicitudinem & curam ad Pontificem summum spectare inter alios Patres oratione ubertima ac disertissima alloquens Eugenium Papam, idem D. Bernard. *in lib. de consideratione* multis in locis docuit: *Recordare* inquit *lib.* 3. cap. 2. *illius vocis, sapientibus & insipientibus debitor sum, ad Roman. 1. ergo si te agnoscis sapientibus & insipientibus non dominatorem, sed debitorem, curandum summopere tibi, & tota vigilantia considerandum, quo modo & qui non sapiunt, sapiant; & qui sapiunt non desipiant. At nullum genus insipientiæ infidelitate (ut sic loquar) insipientius est. Ergo & Infidelibus debitor est, Judæis, Græcis, & Gentibus. Interest proinde tua dare operam quam possis maximam, ut increduli convertantur ad fidem, & conversi non avertantur.*

Et *infra*: magis ipsius Pontificis hac in re conscientiam stimulat dicens: *Esto; de Judæis excusat te tempus: habent terminum suum qui prævenire non poterit: Plenitudinem gentium præire oportet, sed de ipsis gentibus quid respondes? Imo quid tua consideratio respondet tibi percunctanti sic? Quid vis? est Patribus ponere metam Evangelio; verbum suspendere fidei, donec infidelitas durat? Qua ratione putamus subsistit velociter currens sermo? Quis primus inhibuit hunc salutarem cursum? Et illis causa forte quam nescimus, aut necessitas potuit obsistere. Nobis qua dissimulandi est ratio? Qua fiducia, qua conscientia Christum, vel non offerimus eis, qui non habent. An veritatem Dei in injustitia detinemus? & quidem quandoque perveniat gentium plenitudo necesse est. Expectamus, ut in eas incidat fides? Cui crederes casu contigit? Quomodo credent sine prædicante? Petrus ad Cornelium, Philippus ad Eunuchum missi sunt. Et si exemplum recentius quærimus Augustinus à Beato Gregorio destinatus est formam fidei tradere Anglis.* Rom. 11. Psal. 47. Rom. 1. Rom. 10 Acto. 8. 10.

Idem *lib.* 2. cap. 5. *Disce sæculo tibi opus esse non sceptro, ut opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus. Putasne & tu invenies aliquid elaborandum*

in

in agro Domini tui? Et plurimum, Non plane totum quivere emundare Propheta: aliquid filiis suis Apostolis quod agerent reliquerunt, aliquid ipsi parentes tui tibi. Sed nec tu ad omne sufficies. Aliquid profecto tuo relicturus es successori, & ille alijs; & alij alijs usque in finem. Circa undecimam denique horam operarij otij arguuntur, & mittuntur in vineam. Antecessores tui Apostoli audierunt, quia messis quidem multa, operarii autem pauci. Paternam tibi vindicato
Luc. 10. *hereditatem. Nam si filius & hæres, ut probes te heredem evigila ad curam, & non otio torpeas, ne & tibi dicatur:* quid hic stas tota die otiosus?

Lib. etiam 2. cap. 6. *Exi in agrum Domini tui, exi inquam in mundum: Ager est enim mundus, isque creditus tibi. Exi in illum, non tanquam Dominus, sed tanquam villicus, videre, & procurare unde exigendus es rationem. Exi dixerim quibusdam tuæ passibus intenta solicitudinis & solicita intentionis. Neque enim ipsi qui visi sunt ire in orbem universum, orbem circuiverunt præsentia corporis, sed mentis providentia. Et tu*
Marc. 16 *leva oculos quosdam considerationis tuæ, & vide Regiones si non sunt magis siccæ ad iguem, quam albæ ad messem. Nonne si exis & cernis ista, pudebit otiosam jacere securim? pudebit sine causa falcem Apostolicam accepisse?*

Et lib. 4. cap. 3. *Pastorem de populo huic certè aut nega, aut exhibe. Non negabis, ne cujus sedem tenes, te neget heredem.*

Et *infra* eod cap. *Salutare mandatum: si amas me pasce oves meas: nempe in pompa Pontificia non affectanda pro debito. Ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens: non est tamen quod horreas operam, curamve Pastoralem, Pastoris hæres: non est quod erubescas Evangelium. Quamquam si volens Evangelizes inter Apostolos quidem etiam gloria est tibi. Evangelizare pascere est. Hæc opus Evangelistæ, & Pastoris opus impleti.*

Et lib. 4. cap. 10. *De catero te esse considera sanctimoniæ speculum, assertorem veritatis, fidei defensorem, Doctorem gentium, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, sal terræ, orbis lumen, Sacerdotem altissimum, vicarium Christi.* Hactenus D. Bernardus.

Idem etiam ex alijs Patribus probari potest, qui PETRO, ejusque successoribus universi orbis curam à Domino fuisse compendatam passim fatentur.

D. Chrysost. in illa verba Joan. 10. *Pasce oves meas.* Nam cum magna (ait) Dominus *Petro* communicasset, orbem terrarum demandasset. &c. S. Leo Papa *Serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum*, de toto mundo inquit, unus *Petrus* eligitur, *qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis præponatur.* Idem Leo *Serm. 1.* de natali Apostolorum Petri, & Pauli. Idem repetit Chrysost. *Hom. 11. in Matth.*

Cyrillus Hierosolymitanus, Euthymius, S. Prosper, Arator & alij quamplurimi Patres apud doctissimum Bellarm. *Tom. 1. de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 25.*

CAPVT II.

Romanorum Pontificum curâ Evangelium in universum orbem fuit propagatum.

HAnc curam circa gentium totius orbis conversionem, ab initio nascentis Ecclesiæ & agnoverunt, & præstitêrunt Romani Pontifices, ut doctè inter alios prosequitur Thomas Bozius *lib. 4. de signis Ecclesiæ signo. 6.* in primis D. PETRUS præcipuas totius orbis Ecclesias, quibus aliæ minores obedirent, fidemque edocerentur (ut ait Tertullianus *lib. de præscriptionibus*) fundavit. Idcirco ad ortum, Antiochiæ, Evodium Episcopum creavit, cui totius Orientis Episcopi parebant olim. Ad meridiem Marcum discipulum suum transmisit Alexandriam, cujus civitatis Episcopus Ægypto, Arabiæ, Æthiopiæ & Africæ Cyrenensi præerat. Ad Occasum præcipuas Galliarum, Hispaniarum, Africæ, Italiæ, & adjacentium Insularum Ecclesias constituit, ut post alios Innocentius primus testatur. Ad Septentrionem primarias in Ponto, Cappadocia, Bithynia, Græcia, Illyrico, Dalmatia, Germania Ecclesias constituit. Romanam verò voluit esse in medio positam, veluti cunctarum principem ac matrem; *ut lux veritatis*, ait Leo Magnus, *quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Jam populos* (adjicit idem) *qui ex circumcisione crediderant, erudieras: Antiochenam Ecclesiam, ubi Primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras: Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras: nec ut dubius de provectu operis, aut de spatio tua* (alloquitur ipsum Petrum) *ignarus ætatis trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, qua te divinis præordinationibus antevebat, & honor potestatis & gloria passionis.* Hæc magnus ille Leo Atticæ tetror. Sed ut ordine, & via nostra procedat oratio, recenseamus omnium Gentium singillatim conversiones ad Christum à Romanis Pontificibus factas, & incipiamus ab extremis Europæ partibus, cuncta tempora propagatæ Christianæ Religionis percurrentes.

CAPVT III.

Europa à summis Pontificibus ad fidem conversa.

JOannes Vasæus, diligentissimus antiquitatis indagator tradit anno 44. Romæ à Petro, & Paulo fuisse creatos Episcopos, & in Hispaniâm missos *Cæcilium* ad Elibertinos, *Euphrasium* ad Illiturgitanos, *Secundum* ad Abulenses, *Indallentium* ad Urcitanos, *Ctesiphonem* ad Abderitanos, *Hesychium* ad Carthesanos. Similiter sunt qui anno quinquagesimo referant ab eodem PETRO missum in Hispaniam *Saturninum*, postea Tholosæ Episcopum, qui Pampelonam, sive Pompejopolim veniens, septem dierum spatio quadraginta hominum millia ad Christum perduxit, in his *Firminum* Pampelonæ Episcopum, qui anno centissimo quinquagesimo sexto, cum plurimos Christo conciliasset in Hispaniis & Gallijs, denique ob eundem Christum capite est truncatus.

Conterminæ sunt Hispaniis Galliæ, quarum Episcopi scribentes ad *Leonem*, fatentur à Romana sede manasse fontem Religionis in Gallijs. *Saturninum* Tholosæ Episcopum supra ostendimus à PETRO in Hispanias missum. Et Eusebius Cæsariensis tradit ab eodem Petro Episcopum Galliarum constitutum fuisse *Crescentem*, atque illuc ea de causa missum: ejus meminit Paulus in Epistola ad Timotheum, & abijsse in Galatiam dicit. Galatiam vero Galliam intelligit, quod Galatæ à Gallis haberent originem, & ita intel-

intelligit Hieronymus & Epiphanius. Tradunt alij *Eutropium* Petri discipulum passim per Gallias Christi doctrinam disseminasse, missosque ab eodem PETRO ad Carnutenses *Adventinum*, *Sabinianum* & *Potentianum*; à CLEMENTE autem *Dionysium*, *Rusticum*, & *Eleutherium*. Amplius Bajocensibus *Exuperius*, Ebroicensibus *Taurinus* Episcopi à Clemente Papa dati, à quo & *Nicasius* missus ad Rothomagenses, & maris Oceani tractus.

At Belgarum, Helvetiorum, Allobrogumque oras à *Clemente* veritatis lumine illustratas quidam scriptis prodiderunt; eumque dicunt Patruum CLEMENTIS Papæ fuisse. Jam Trevirenses, Colonienses, Aquisgranenses, Tungros, Hasbanos, Trajectenses ad Mosam, Eburonenses sive Leodienses, Namurcumque Christo adjunxêre *Maternus*, *Eucharius*, *Valeriusque* à PETRO eo missi. Veluti Metenses *Clemens* Romanus, qui Romam rediens *Celestinum*, *Felicem*, *Patientem*, ministros ibi reliquit divinæ prædicationis ac magistros. Hi totum illum tractum, qui modo *Lotharingia* dicitur, Christo conciliarunt.

Quintius autem Romanus Zenonis Senatoris filius à *Marcellino* Papa baptizatus unà cum *Piatone*, *Dionysio*, *Rustino*, *Valerio*, *Eugenio*, *Crispino*, *Crispiniano*, *Luciano*, *Marcello*, *Regulo*, *Fusiano*, *Victorico* Religionem Christianam propagavit in Ambianis & Veromanduis. Tullenses autem *Mansuetus* S. PETRI discipulus: Virdunenses *Sanctinus* Dionysij ad Christi cultum perduxerunt, scriptisque nonnulli mandarunt *Chrisolium* Armenium, una cum *Piatone* cive Beneventano Roma profectum Tornaci ad flavium Lisam prædicasse Christi doctrinam: Democharesque hæc tradit. Addit idem posterioribus temporibus *Eleutherium* creatum Episcopum Tornacensium *à Felice tertio*.

Galliis adjacet angusto mari divisa Britannia: ad hanc dicitur appulisse primus *Joseph ab Arimathia* Civitate, Christianæque Religionis in ea semina spa sisse. Sed anno centesimo octuagesimo secundo *Lucius* Britannorum Rex petijt ab *Eleutherio* Papa, ut mitteret qui plenè insulam totam Christo possent conciliare, missique *Fugatius*, & *Damianus*, institutique tres Archiepiscopi, & Episcopi viginti octo, & Christi cultus latè dissem-
Britannia & Anglia Papir. masco. lib. 2. in vita Carol. Simp. Polyd. Virg lib. 2. hist. Angli. natus: ita ut Origenes, Tertullianus, & Irenæus scribant suis temporibus Britanniam ejusque incolas Christianos fuisse. *Celestinus* deinde Papa misit ad eos *Palladium*, quod Prosper testatur, ut hæresim Pelagianam profligaret; sed cum succedentibus temporibus Angli in Insulam trajecissent, eamque occupassent, ideoque nomen Christianum in iis locis ferè esset deletum, *Gregorius Magnus* eò misit *Augustinum*, qui cunctos ad Christum traduxit.

Surius in vita Sanctorum tom. 8. Aug. Bic. 4. & 5. Germaniæ conversio.

Veniamus in Germaniam. In Noricis primus dicitur Christi doctrinam docuisse *Valentinus* authoritate Pontificis Romani: Augustæ autem Vindelicorum *Narcissus* Episcopus unà cum *Felice* Diacono. Conon Papa sive Cuno sedit anno sexcentesimo octuagesimo sexto. Is *Chilianum* misit in Germaniam, qui Herbipoli, dum Christi nomen prædicaret, est obtruncatus. Odoacre Rege legitur *Severinus* inter Germanos Christianæ Religioni propagandæ operam dedisse: sed *Gregorio secundo* sedente, sub annum septingesimum decimum sextum, certas ac firmas in interiori tota Germania sedes fixit Religio Christiana; Is enim Moguntiæ Episcopum creavit *Bonifacium*, totiusque Germaniæ illi ad veritatis agnitionem perducendæ provinciam commisit, *Bonifacium* socios asciv-

Sur. in vita Bonif.

civit *Burchardum*, *Lullum* *Willibaldum*, *Winibaldum*, *Wittam*, *Gregoriumque*, qui Thuringinis, Cattisque Christi cultum tradiderunt. *Ecgbertus* similiter, Archiepiscopus Eboracensis misit ea de causa in Germaniâ duodecim Monachos *Willebrordum*, *Switbertum*, *Accam*, *Wigberum*, *Willibaldum*, *Winibaldum*, *Lebuinum*, *duos Ewaldos*, *Werenfridum*, *Marcellinum*; atque ex his aliqui diversis Germaniæ locis Episcopi constituti à Pontifice Romano, ut è vita *S. Switberti* constat.

Moravia Christi cultum est complexa, missis eo legatis *Cyrillo*, & *Methodio* à Nicolao primo. Hi & sacris aquis abluerunt Borivorium Bohemorum Ducem, primusque Bohemiæ datus Præsul de consensu *Joannis noni Dethmarus*. Cui succedens *Adelbertus* latè Christi cultum disseminavit; & ad Prussos sive Prutenos se conferens pro Christi doctrina est occisus. *Cyrillus* Christo adjunxit Tribalos, Moravos, atque universam gentem, quæ Vistula, Danubio, & Vago flumine circumdatur. Moraviæ conversi. Bohemiæ conversi.

Non prætermittamus Illyrium, & Dalmatiam, & sunt, qui opinentur à *Tito* Evangelium in Dalmatia annunciatum; nam eo concessisse narrat PAULUS: sed quando Dalmatia antiquitus parebat Episcopo Aquileiensi; primumque tradunt fuisse *Hermogaram* à Marco Petri discipulo creatum; inde Christiana Religio necesse est fuerit disseminata. Habemus è Simeone Metaphraste *Eleutherium* virum sanctissimum Illyrij Episcopum ordinatum ab Aniceto Papa, & in eas oras missum, sed cum in Illyrium & Dalmatiam se effudissent Sclavi, ij Christi nomen venerati cæperunt, una cum Rasciis, Bosnensibus, Servijs, & Croatis, industria *Cyrilli* & *Methodij*, quos à *Nicolao primo* illuc missos ostendimus. *Surius Tom. 4. 2 Jul. lib 1. c. 5.* Pannoniæ Illyrij conversi. Dalmatiæ cõversi. *2. Tim. 3* *Blon. Dec. 11. lib. 10.*

Apollinaris S. Petri discipulus in Mysia Christi cultum propagavit. Legimus Concilio Nicæno interfuisse Episcopos Mysiæ, Daciæ, & Gothiæ. *Croni. l. 3. c. 1.*

Stanislaus Orichovius scribit *à Joanne decimo tertio* missos qui docerent Vandalos, & Lechitas sacra Christiana. *Rheg. in vita Carol. Mag.*

Irruperunt deinde in Mysiam Bulgari, & Gazari, qui Christo se dediderunt opera *Cyrilli* & *Methodij*, quos miserat *Nicolaus* magnus, cujus adhuc extant nonnulla responsa ad consulta Bulgarorum. Sed cum continenter bella cum Constantinopolitanis Imperatoribus gererent, factum est, ut ab eis devicti ritus Græcos sequerentur. Mysiæ. Daciæ conversi *Joan. Dub. l. b. 2. hist Bohem.*

Cumani Tartari, ijdem videntur cum Chunnis. Ad eos missi anno millesimo ducentesimo vicesimo primo, nonnulli è familia S. Dominici, è quibus ob eam rem duo cæsi, cæteri ad Christum perduxerunt Baithum, & aliquos Tartarorum Duces: Ludovicus Hungariæ & Poloniæ Rex eos similiter ad fidem revocavit. Poloni agnovêre Christum, Micislao Principe: missusque *à Joanne decimo tertio* Ægidius Cardinalis Tusculanus, qui Religionem in ijs locis stabiliret, cui dum propagandæ operam darent *Benedictus*, *Joannes*, *Isacius*, & *Matthæus*, occisi fuerunt anno millesimo centesimo, tricesimo, teste Theodorico. Poloniæ conversi.

Livonia cum suo Principe complexa est Christi cultum opera *Meinardi*, quem Provinciæ illius Episcopum creavit *Alexander tertius*. Ab *Innocentio* deinde *tertio* magis est confirmata. Post Meinardum duo Alberti, quorum alter alteri successit, Episcopi, maximè laborarunt in Christi cultu per eas oras propagando. Livoniæ conversi *Crant. l. 7. c. 13. Arnol. l. 6. 8. hist. Slau.*

Botthnia, & Philandia valdè Aquilonares, *Erico* Rege Suetiæ, & *Henrico* Episcopo Upsalensi admitentibus, Christi nomen agnoverunt, teste Norvegiæ conversio

Olao-

& Boreales Regionum.

Olao : id verò maximè perfectum laboribus *Nicolai Angli*, qui creatus Papa, dictus est *Hadrianus quartus*, à qua Norvegia tota Christo est addicta.

Græciæ conv.

Nunc pedem referamus ab extremis Boreæ regionibus ad Græciam. Hæc maximè exculta per PAULUM & ANDREAM Apostolos, ut constat ex eorum gestis. An verò hi senserint eadem cum PETRO, quid attinet dubitare? An deinde cum Pontificibus Romanis, liquet è Concilio Nicæno, & Sardicensi, quo tempore jam passim Christi nomen in Græcia ab omnibus colebatur. Ex actis *Petri*, quæ Metaphrastes recitat, evidenter apparet in singulis Græciæ primariis urbibus à PETRO Episcopos primarios, quibus ceteri obedirent, & à quibus, ut ait Tertullianus, fidem mutuarentur, esse constitutos. Id ita esse, sit illud argumento : PAULUS diu, multumque ac sæpe Corinthi fuit, neque ad ullum duas ita longas Epistolas scripsit, ut ad Corinthios: & tamen Dionysius Episcopus Corinthiorum scriptor vetustissimus ait apud Eusebium, scribens ad Romanos: *Petrus & Paulus ambo, cum & nostram Corinthi, & vestram Romæ Ecclesiam fundassent, & ejusdem doctrinæ præceptis, tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter martyrium subierunt.* Testis est Irenæus, & Eusebius, nutantes in fide Corinthios literis *Clementis* Papæ confirmatos. Quod si *Petrus* Ecclesiam Corinthi fundavit una cum *Paulo*, verisimilius erit multò ceteras, ut Metaphrastes tradit, ab eodem esse fundatas. Denique, ut quod ad Europam spectat finem faciamus, quid in Occidente *Petrus* egerit, non aliis verbis explicabo, quam Eusebii Cæsariensis : sic igitur ille : *E vestigio sub ipso Claudij imperio benigna & propitia DEI totius hujus universitatis Rectoris ergo humanum genus providentia fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem* (nota hæc hæretice) *facilè principem* PETRVM *Romam versus ad ejusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit: qui quidem utpote strenuus & generosus Dux, divinis armis obtectus, munitusque eximiam & pretiosam tanquam mercaturam veri luminis mente sola comprehensi ab Oriente ad Occasum usque deportavit, ipsamque regni cælorum prædicationem, cælestem scilicet lucem, & salutarem animorum doctrinam palam divulgavit.* Hæc Eusebius : ut sciamus à PETRO Occidentem Europamque Christo primum fuisse conciliatam. Contigisse id volunt nonnulli anno quadragesimo quarto, qui fuit tertius Claudii, & undecimus à Christo crucifixo, quintus à Pauli conversione. Atque hæc quidem generatim : speciatim verò liquet ex iis, quæ supra ostendimus, nullas Europæ partes splendore Religionis Christianæ illustratas, nisi studio illorum, qui studiosissimi essent Pontificum Romanorum, vel ab ii ad hanc rem nominatim missi fuissent.

Euseb. lib. 2. c. 24. hist. Eccl. Iren. lib. 2.

Lib. 2. c. 23.

CAPVT IV.

Propagatio sancti Evangelii in Asia à Romanis Pontificibus facta.

NUnc ad Asiam sermonem convertamus, & inspiciamus, an sit verum quod PETRUS ipse de se asseruit, se ab antiquis diebus electum cui gentes crederent, & audirent, & ab Ecclesia nostra cunctos populos (ut cecinit Isaias & Michæas) ad montem Domini, domumque Jacob invitatos, & perductos tentoriaque divinæ Religionis in omnibus orbis regionibus explicata.

Antiochia Metropolit. Orientis. *Lib. 5. c. 11.*

Diximus porrò à *Petro* fuisse Antiochiæ Episcopum constitutum *Evodium*, teste Eusebio, qui id anno quadragesimo quarto contigisse in Annalibus tradit. Idcirco *Ignatius* Ecclesiæ Antiochenæ primordia refert ad *Petrum & Paulum*. Jam verò Episcopus Antiochenus Orienti toti præerat, ut scribit Hieronymus, adversus Joannem Hierosolymitanum, & Theodoretus in historia sua. Quod adeo est verum, ut ipsa Hierosolyma, & Episcopus ejus subesset Episcopo Cæsariensi, ut idem Hieronymus eodem loco scribit, & apparet è Concilio Nicæno, cui primas deberi ante Hierosolymitanum manifestè haberur in eodem Concilio. Cæsareæ autem fuit Episcopus à *Petro* constitutus *Cornelius Centurio*, ut omnes norunt. Igitur opera *Petri* & Episcoporum, qui ab ipso originem ducunt, Religio Christiana in Oriente propagata. In Asia verò minore ab ipso *Petro* Christi cultum propagatum, creatosque suis locis Episcopos Metaphrastes latè describit: quod esse verum colligimus ex Epistola ipsius prima data ad advenas Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ, cum Romæ esset una cum *Marco* discipulo suo, per *Silvanum*, ut apparet ex Epistolæ fine. Neque suspicetur aliquis illam ad Judæos dumtaxat scriptam, quod opinati sunt nonnulli : manifestè namque dicit in illa, eos aliquando fuisse non populum DEI, & multis in locis è gentibus fuisse illos ait, & idolis addictos. Quo verò sensu advenas vocaverit, explica: idem, cum dicit: *Obsecro vos tanquam advenas, & peregrinos abstinere à carnalibus desideriis.* Ideo *Epistola secunda*, quam se ad eosdem mittere *capite tertio* profitetur, ad omnes generatim datur. In *prima* autem Episcopos in primis alloqui palam fit ex *ultimo capite*, in quo longius quam ceteros nominatim monet, & obtestatur tanquam Episcopus & Compresbyter, sive consenior, per principem Pastorum, ut ait, Christum. Quocirca sive spectes Asiam, quæ magis ad Meridiem, sive quæ magis ad Septentrionem, sive quæ magis ad Occasum vergit, à *Petro* omnes Episcopi primarii primariis urbibus olim dati. Pontus, & Asia minor maximè ad Boream; Antiochia magis ad Austrum, Cæsarea verò ad Occasum spectat.

Asiæ cõv. per Episcopos à Petro in primis constitutos.

In lib. con. Apostolica.

Cobila deinde sextus Imperator missis ad *Clementem Quartum* Legatis, petiit ut mitterentur qui sacra eum mysteria docerent: Quod petiit, impetravit. Quod autem diximus ad *Clementem Quartum* missos ab Imperatore Tartarorum Legatos, sciendum à *Clemente Quinto* fuisse ordinatum Joannem à Monte Corvino è familia Minorum Archiepiscopum Cambulensem in Oriente, novemque ex eadem familia fratres Episcopos, ut vocant suffraganeos fuisse consecratos, palliumque datum, cautumque qui succederet illi morienti propter distantiam loci. Rursus *Joannes vigesimus secundus* quemdem ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopum Sultonensem creavit, adjecitque ex eodem Ordine septem suffraganeos Episcopos. Imperante similiter Constantino Magno Armenii Christo se adjunxerunt una cum Teridate eorum Rege: id est, perfectum studio & innocentia *Gregorij*, qui postea Episcopus est illis datus.

Persia conv. In Persia post Apostolos, *Cyriacus* Diaconus Romanus Christum prædicans, Saporem Regem, cum pluribus aliis Principibus ad Christi cultum perduxit; missus autem fuit ad illum Regem Roma à *Marcello* Papa.

CAPVT V.

Indiæ Orientalis maxima pars summorum Pontificum curâ ad fidem reducta.

QUis verò ignorat in Indiis Orientalibus quanti fiant indies singulos rei Christianæ progressus per nostros? Infiniti laboris esset, & à præsenti instituto alienissimum, cunctas urbes, Regiones, ac populos, in quibus quotidie amplissima capit incrementa Christi pietas, enumerare. Indias namque Orientales latissimas esse nemo ignorat; aliquid tamen adferamus. Et quamvis plurimi operæ plurimum posuerint, ut Christi nomen ab omnibus per ea loca agnosceretur & coleretur, in quibus *Henricus* postea Septensis Episcopus, magnæ sanctimoniæ vir, cum sociis quinque ex Ordine S. Francisci: præcipua tamen laus omnium consensu *Francisco Xaverio* Societatis JESU debetur. Is enim à *Paulo III.* Legatus à Latere constitutus, ab eodem in regionem illam Orientalem destinatus, solvens Ulyssipona anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo, cunctas oras, quas Oceanus ab Indico mari usque ad extremos Chinas (id est totius orbis ambitus dimidium) circumfluit, Evangelii prædicatione illustravit, ac replevit, obiitque anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, Indicæ peregrinationis undecimo, in Insula Santiano Chinis adjacente.

Insula Japonis est nobilissima & maxima: distat ejus extremum littus ad Austrum spectans ab æquinoctiali gradibus triginta quinque, & initio longitudinis recta ducto ab Insulis Canariis abest gradibus centum & octuaginta, solventibus vero ab Ulyssiponæ portu leucis omnino sex mille. In hac Insula *Franciscus* ille *Xaverius* altissima Religionis Catholicæ fundamenta jecit anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono. Vidimus nos ipsi anno superiore magna nostra lætitia Legatos illinc missos Romam à Francisco Bungi Rege potentissimo; & à Rege Fiunghæ Mancium, à Protasio Rege Arimæ, & Bartholomæo Rege Omuræ Michaelem, qui nomine illorum Regum Pontifici Romano obedientiam præstarent. Maxima verò in illis locis quotidie Christiana Religio per Catholicos incrementa capit, plurimique Principes, & innumera hominum multitudo Ecclesiæ Christianæ indies singulos aggregatur. Ob eam rem Pontifex Romanus tria Seminaria instituit in diversis insulæ locis, & annuos sex mille aureos ad juvenes Christiana disciplina informandos attribui jussit. Atque hoc anno, qui est millesimus quingentesimus octuagesimus octavus, Sixtus Quintus primum Bungo Episcopum dedit.

CAPVT VI.

In Indiis Occidentibus summorum Pontificum jussu Evangelium promulgatum.

ANno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, Christophorus Columbus, natione Genuensis, divino, ut exitus ostendit, impulsu afflatus, acceptis à Regibus Hispaniæ Ferdinando & Isabella navibus tribus, Hispali solvens, post longam multorum mensium navigationem tandem pervenit ad insulam quandam; quam quod sancti Dominici die festo invenissent, ejusdem nomine nobilitarunt. Inde aditus parefactus ad amplissimas regiones, quæ procul dubio conficiunt tertiam totius orbis partem, in quibus longè lateque variis temporibus per nostros Christi cultus est disseminatus, & hodie maximè viget, floret, & uberrimas fruges producit. Primus Evangelii præco fuit Bucil Catalanus ex Ordine sancti Benedicti, quem Papa *Alexander* Sacerdotibus duodecim præfecit, suasque in iis regionibus illi partes mandavit.

CAPVT VII.

De Africæ ad fidem conversione.

PErvagati sumus orbem ferè totum, reliqua est Africa sola: percurramus & ipsam, & videamus per quosnam fuerit Evangelii lumine illustrata. Diximus *Marcum* PETRI discipulum fixisse Alexandriæ sedem, quæ secunda erat antiquitus à Romano, ut nemo qui legerit historias sacras ignorat. Illi parebat Ægyptus, Arabia, Æthiopia, Libya, Cyrenensis. Igitur hoc *Marcus* Petri filius: ita namque ab ipso PETRO appellatur; Africæ reliquum obediebat Episcopo Carthaginensi. Hic Simeon Metaphrastes narrat à Petro Episcopum fuisse constitutum *Crescentem*. Ob id Cyprianus Ecclesiam Romanam vocat non modò Africanæ, sed Catholicæ radicem ac matricem. Hactenus Bozius.

Alexandria Metropolis à Petro cõstituta, 1. Pet. 5.

Igitur cum Pontifici Romano onus hoc incumbat, jure optimo, ipsum adire solent Reges aut nationes Infidelium ad fidem converti cupientes, tanquam ad Ecclesiæ solem, ac limpidissimum doctrinæ fontem, ab ipso illuminari, ac veritatis divinæ radiis illustrari poscentes. Sic enim olim ad *Symmachum* Papam Orientales literas dedisse constat. Quotidie etiam hoc tempore variis gentium Legati ad Romanam Sedem accedunt S. Evangelii Ministros idoneos postulaturi. Vidit nuper Roma & exhilarata est tempore sanctissimi Domini nostri *Pauli V.* in urbe Legatum à Rege Congi hanc ob rem à longissima regione missum.

CA-

CAPVT VIII.

Cura & solicitudo conversionis Infidelium spectat etiam ad Principes Christianos tam seculares quam Ecclesiasticos.

AD Principes omnes Christianos, etsi non ita arctè, ut ad Pontificem summum, spectat, ut quoad possint Ecclesiæ regnum amplificent, & non solum conatibus universis enitantur, ut Religionis cultus ubi coaluit altas mittat radices, sed & ut protendatur eò, quò forte antea nunquam pertigerat, ac deinde ut suo labore & industria his, qui jacent in umbra mortis, candidissimum fidei Catholicæ lumen perferatur. Profectò Hispaniæ Reges, pii ac magnanimi ea potissimum de causa à DEO prosperis successibus foveri videntur, quod Religionis ardore non regnum dumtaxat suum, quo potiebantur mirificè excoluerunt, sed & victis Oceani fluctibus ad extremos Indos tam Orientales, quam Occidentales, Christi nomen, cultumque perduxerunt, nec non ad Japonias, ac Chinas felici ausu aditum aperuerunt. Emanueli Christianissimo Lusitaniæ Regi, Joannique ejus filio debetur hæc laus, ut Christi Evangelio ad remotissimas illas oras & antiquis invias tutus ac facillimus fuerit aditus apertus; ita ut Christiana in amplissimis illis regionibus Religio longè latèque potuerit disseminari. Ferdinandi verò Catholicissimi Regis, & Isabellæ Reginæ industria & labore aditus est patefactus ad vastissimas Occidentalium Indiarum Provincias, in quibus Evangelium, Christique nomen mirificè est propagatum. Quare non immeritò Catholicorum nomine Hispani Reges gloriantur, utpote qui piissimum hoc & planè Apostolicum munus ex summorum Pontificum commissione exercent, & non modo propagandæ fidei zelus omnes Principes in rem hanc deberet impellere, sed & ipsamet politica ratio, quæ universos orbis Principes movet ad suam ditionem tuendam, urgere deberet viros Christianos ad infidelium conversionem. Quomodo enim constabit integritas fidei, aut Catholicorum modicus numerus, si à tot Infidelibus impugnetur, ac minuatur? Certè fatendum est (ut luctuosis constat historiis) plurimos Christiana cultura destitutos in Indiis, Æthiopia, & Europa ipsa à fide Catholica vel sponte deficere, vel ab aliis ad eam defectionem perverti. Tantundem ergo diminuitur populus Christianus, quantum hostes augentur. Atque idcirco politicè quoque agendo, nisi in conversionem Infidelium Catholici Principes incumbant, justo DEI judicio eorum potentia viresque minuentur. Sanè ante annos circiter centum, Septentrionalia Regna, aliæque Provinciæ, vel urbes Italiæ finitimæ, nondum à castris Ecclesiæ defecerant. Cur ergo timendum non sit, ne serpant errores, & quod reliquum est inficiant?

Sed & Principes Christiani ad opus conversionis incendi deberent, quamvis nullos infidelium paterentur incursus. Omnes quippe Principes non modo suos Principatus tueri, sed amplificare conantur, ut plures populos habeant vel subditos, vel fœderatos. Cum ergo JESU Christi regnum esse debeat omnium amplissimum, quomodo Redemptoris nostri desiderio satisfiet, si ii quibus regni sui administrationem commisit, non studeant Catholicam fidem, per quam ille regnaturus est, infidelibus nuntiare? Et quidem vis rationis hujus efficacissima est, si Christi gloria spectetur: verum etsi illa non adeo purè spectaretur, pondus immensum haberet. Interest enim Principum Ecclesiasticorum, & secularium in ultimis terrarum oris, & Reges & nationes multas tributarias vel confœderatas habere: quod certè bonum multiplex fidei prædicationem subsequitur. Etsi omnes Principes charitate imperante, idque aliis poscentibus titulis, huic conversionum operi accingi oporteret; Hispaniæ tamen Reges, non charitatis tantum, sed & Justitiæ obligatione tenentur nihil prætermittere, quod ad Indos Christo lucrandos, fidemque in illis vastissimis regionibus promulgandam pertineat. Nam & summi Pontifices Catholicis Hispaniæ Regibus novi orbis gentes adire, easque ad fidem convertere curam detulêre: ut hoc tanquam proprium & peculiare munus agnoscerent & curarent. Cum enim classibus usque adeo crebris, & magnis, apparatu quoque ingenti opus sit, propter immensam Oceani navigationem, & terrarum regiones plerumque incommodas, & egentes, non potuit ullo modo, nisi Regiæ potentiæ res tanta committi.

Cur vero Hispaniæ Regibus potius aut solis, (absit invidia) non est ab æquitate alienum, cum & illorum auspiciis atque ope primum inventa utraque India sit, & navigationi Oceani oportunissima Hispania sit. Denique primi illi eam Provinciam & petiverunt, & studiosè curarunt. Neque est cur de summorum Pontificum voluntate conqueratur quispiam, si onus ut revera est, idque gravissimè premens, cogitetur. Ejusmodi prædicationem consequitur, ut qui ex Infidelibus barbaris, Christianam Religionem profiteri velint, ad curam Principum Christianorum, tutelamque pertineant. Id cum literæ ALEXANDRI IV. copiosè doceant, quarum confessionem ad hunc modum rectè viri doctissimi intelligunt, non est, cur in hac causa diutius hæreamus. Neque enim posset aliter Fides in tot populis recens, & tenera permanere ac crescere, nisi Christianorum Principum patrocinio, fide, potentia adversus inimicorum Christi defenderetur injurias. Barbari naturâ efferati & insolentes fœdera, atque amicitias parum curare soliti, rationem facilè contemnentes, quonam modo frænari, tenerique possint, nisi nostrorum vim pertimescant? Quare Hispanorum Principum est Indos tueri, eorumque æternam salutem idoneis ministris procurare, atque eos ad Evangelii gratiam provocare, de fide instruere, instructos moribus informare, ac denique nihil prætermittere, quod ad illos lucrifaciendos pertineat, & quod officii sui hanc esse propriam obligationem agnoscant.

Maximè verò omnes Christiani Principes tenentur, sive Ecclesiastici, sive seculares sint, quorumcunque Infidelium, qui ad ipsos quoquo modo pertinent, curam in spiritualibus gerere, ac prædicatores mittere, à quibus ad veræ fidei agnitionem perducantur; potissimum autem cura hæc exercenda est circa Infideles, qui in eorum terris Christianis commiscentur. Negligentiam verò Prælatorum hac in re adeò sentit D. Gregorius, ut ad Januarium Episcopum scribat his verbis: *Rusticos, quos habet Ecclesia tua, nunc usque in infideli-*

fidelitate remanere negligentia fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo, ut extraneos ad DEUM *adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde necesse esse, vos per omnia in eorum conversionem vigilare. Nam si cujuslibet Episcopi in Sardinia Insula paganum rusticum invenire potuero, in eundem Episcopum fortiter vindicabo. Iam vero si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inventus, ut ad* DEUM *venire minimè consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.* Ex qua sanè tanti Patris auctoritate, & diligentiam discimus conversioni infidelium adhibendam, & modam, si fe duriores præbuerint, rusticitate magis animi quam electione rationis, cujusmodi barbari pænè omnes sunt, judicii vix sententiam sequentes, sed impetu aut consuetudine impulsi, ut hi certè severitate quadam salutari compellantur intrare.

Neque solis Episcopis hanc curam exercere ex officio incumbit, sed & alios Principes sive nobiles seculares tangit; ut optimè idem Pontifex lib. 3. Registri Epist. 23. scribit in hunc modum; *Cognovi pænè omnes vos rusticos in vestris possessionibus idololatriæ deditos habere, & valde hac de re contristatus sum.* Et post pauca: *Unde magnifici filij exhortor, ut omni cura, omnique solicitudine animarum vestrarum zelum habere debeatis, & quas rationes omnipotenti* DEO *de subjectis reddituri estis, aspicite. Ad hoc quippe illi vobis commissi sunt, quatenus & ipsi vestræ utilitati valeant ad terrena deservire, & vos per vestram providentiam eorum animabus ea, quæ sunt æterna, proficere. Si igitur impendunt illi quod debent, vos eis cur non solvitis quod debetis? id est, ut assiduè illos magnitudo vestra commoneat, ab idololatriæ errore compescat, quatenus eis ad fidem ductis omnipotentem Dominum erga se placabilem faciat.* Hæc Gregorius.

An verò possit Princeps, sive secularis, sive Ecclesiasticus, subditos sibi infideles cogere, ut fidem recipiant, an verò tantum ut Evangelium audiant, dicemus infra suo loco. Nunc verò ut omnes agnoscant ab *Alexandro VI.* divisionem factam inter Reges Lusitaniæ, & Hispaniæ, quibus Orientales & Occidentales Indias partitus est, non sine divino consilio, ac Spiritus sancti afflatu factam fuisse: ac ob hanc causam tum in regnis ipsis ubertimos fructus, tum ipsis Regibus divitias magnas, Imperiisque dilatationem incredibilem attulisse; ex eo maxime probat Thomas Bozius de signis Ecclesiæ; Nam cum Galli, qui in Indiis occidentalibus, novas Gallias, sive Franciam novam sibi armis pararunt, nihil inde profecerunt. Angli quoque, qui nescio in quas terras earundem Indiarum appulerunt, nihil promoverunt; non enim adfuit illis Pontificis Romani benedictio, nec liberalitas, ex quo factum credo, ut quamvis armis & opibus in his navigationibus non essent inferiores Hispanis, nihil tamen profecerint. Non etiam adfuerunt illis auxilia Monachorum, Religiosorumque hominum sanctitate perexcellentium, qui missiones Apostolicæ sedis decreto exequerentur. Hæc Bozius.

Sed ut curæ, quam Reges Hispaniæ & Lusitaniæ in Indorum conversione præstiterunt, ac eorum successores in hac re præstare tenentur, vestigia aliqua ostendamus, libuit hic Joannis Lusitani Regis Epistolam ad Castrium Orientalis Indiæ Prætorem ex Maphæo *lib.* 12. referre.

Joannes Rex, Joanni Castrio Indiæ Prætori amico salutem.

Quod non ignoras, Idololatria tam grave piaculum est, ut ea in meis regnis ferenda nullo pacto non sit. Delatum est autem ad nos, in Ioannis finibus tum publicè, tum privatim coli sacella Idolorum: præterea ludos ritusque ethnicos celebrari palam. Ac proinde tibi etiam atque etiam mando, ac planè jubeo, idola omnia per idoneos administros investigata & undiq; sublata comminuas, comburasque, & cum gravibus ejus minis, ne cui prorsus ullum ejusmodi simulacrum, aut signum ex ære, ligno, argilla, gypso, alove metallo, materia, massa fundere, ducere, sculpere, fingere, exprimere, figurare, aut aliunde importarum habere; seu sacra, ludosve ethnico more facere, aut Brachmanas Concionatores, magistrosve, terterrimos Christi adversarios, ulla ope juvare, vel tecto recipere liceat. Qui secus fecerit pœnis in edicto propositis nulla remissione mulctator. Et quia gentes ad legitimum unius DEI cultum, non modo spe futuræ beatitudinis, sed etiam præsentibus interdum præmiis invitandæ sunt; curabis enixè, uti redemptura vectigalium curationes publicæ, & alia munera quæstuosa, in homines ethnicos in hunc diem conferri solita, in ipsos Christi Neophytos primo quoque tempore transferantur.

Ad classes meas deducendas audio promiscuum cogi vulgus Indorum. Placet excipi Christianos. Quod si necessitas eorum quoque operas interdum exegerit; videbis omnino post hac, uti quotidianæ illis merces ac justa solvatur. Atq; hoc toto de genere Michaëlis Vasai sententiam exquires: quem nos virum & publicæ rei benè peritum, & Christianæ Religionis apprimè studiosum animadvertimus.

Ad hæc, certis auctoribus magno mihi meo dolore compertum est, ab Lusitanis hominibus viliprecio coëmpta mancipia, quæ apud Christianos dominos perfacili negotio ad baptismum adduci possint, Mahometanis ac barbaris mercatoribus, ad non dubium animorum interitum, uberioris quæstus causa venundari. Id piaculum ne admittatur in posterum, nec servitia ulla nisi Christiano emptori aut licitatori addicantur, item gravi cavebis edicto. Fœneratorum licentiam, quam certo capite Goanarum legum alii didicimus, fac imperio atque authoritate coerceas: idque caput è Legum serie quamprimum expungas. In oppido Bazanto templum divo Iosepho extruitor, idoneumque stipendium alendo vicario, & beneficiariis aliquot, de meo assignator. Annua porro tria pardaum millia in impuras Mahumetis ædes, & nefarium cultum, ab ejus sectatoribus impendi ante hac solita, Evangelij præconibus & conversionis adjutoribus in posterum numerantor.

In agro Cialensi Neophytis à Michaële Vasco institutis, & si qui præterea ad Christum accesserint è meis vectigalibus trecenti quotannis oryzæ modij ab Antistite dividuntor. Ages etiam cum ipso Cochini Rege, uti ritus quosdam Ethnicos ab ipsius auguribus in piperis venditione adhiberi solitos (quando quidem nihil ipsius ea res interest) è nostro commercio tolli permittat. Ab eodem Rege ajunt Indos ex ejus ditione, qui relictis Idolis Christiana suscipiunt sacra, fortunis omnibus illicò spoliari: Ab ejusmodi immanitate & tu omnibus nervis amicum Regem niteris avertere: & nos ipsi quoque in eandem sententiam ad ipsum literas dabimus.

Qui ex Ethnicis ad Christum sese convertunt, eos audio tanquam sceleratos & sacros à parentibus, cognatis, amicisque tecto ejici, bonis everti, ac summa protinus in solitudine atque egestate versari. Horum tu inopiæ sublevandæ, communicata cum Vasco re, annuam è meis redditibus pecuniæ summam decernes distribuendam à Sacerdote, qui ejusmodi Neophytorum institutioni præfuerit. Ceilano insula, regnus, uti fertur, adolescentulus, incipias avunculine an parentis

effugiens

effugiens manus, Quam Baptismi gratiâ se contulit. Hujus in persona quando ad aliorum conversionem haud leve momentum est, dabis operam uti doctrina quidem ac moribus in Divi Pauli Collegio cum alumnis ceteris imbuatur: quod verò ad victum cultumq; attinet, lauto separatim hospitio mea impensa copiosè ac liberaliter habeatur. Significavit is ipse mihi per litteras ad Ceilani regnum sibi jus actionemque competere: videbis quidnam hoc sit: totamque rem probè exploratam & cognitam ad me perscribes. Quod autem Tyrannus in suos populares, qui Evangelio credidêre tam crudeliter sæviat, seras quidem illas, verùm tamen debitas tanto sceleri pœnas ab eo per te quam primùm exigi volo: & gravem audaciæ mercedem statui: quo intelligant omnes nihil esse mihi antiquius, quam ut omni ex parte integri, incolumesque serventur, qui à dæmonum castris ad Christiana transierint.

Ab Ethnicis artificibus, Christi Domini, Virginis Matris, & Sanctorum imagines pingi, atque adeo circumferri venales, minimè decorum est nomini Christiano. Tu ergo cum proscriptionis aut virgarum minis edices, ne cui profano tabulas ejusmodi pingere, aut vendere quoquo modo in posterum liceat. Parœciale Cocini templum, itemq; Colani, dudum inchoata, patere imbribus putrifacienda, turpissimum est. Utrumque tu architectis ac fabris adhibitis, quam primùm tegendum ac perficiendum curabis. Placet etiam in vico Noroa templum Divo Thomæ Apostolo fieri; Calapore cœptam sanctæ Crucis ædem absolvi; Itemque in Ciorano Insula templum excitari: Præterea, locis idoneis auditoria, scholas institui, ad quæ statis diebus non Christiana modo plebs Catechismi causa, verum etiam Ethnici ad audiendum Evangelium vel invitì conveniant.

Quando quidem in ista mea ditione mihi primum omnium & maximum est obsequium Dei, & Christiana Religionis amplificatio, cupio vehementer è Tersetanis quoque & Bardesiis finibus, quibus mihi nuper Idalcan cessit, idolorum cultum, ac profanas gentium superstitiones prorsus evelli. Id quod citra tumultum ac vim hoc præsertim initio fiat. Expedit, rationibus ac disputationibus quam lenissimè populos edoceri, quanto in errore, ac veritatis ignoratione versentur: quamque vel perversum, vel impium sit, cultum uni debitum DEO, simulacris lapidibusque ab homine tribui. Porrò ad eas pellendas tenebras cùm alios viros adhibebis virtute & eruditione præstantes, tum verò tu ipse primarios gentis evocare, alloqui, monere non desines, atque omni ratione ad Christum allicere. Qui sese dederint, hosce, in fidem receptos, non tuebere modo, sed etiam pro suo quemque captu fovebis ornabisque. Hæc omnia scito majorem in modum nobis esse cordi: quæ singula te pro tua industria & probitate sedulò curaturum esse confidimus. Almerini 8. Idus Martias. M. D. XLVI.

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM

LIBRI II.

PARS SECVNDA.

Religiosorum omnium instituto congruere, Hæreticos, aut Infideles juvandi studium.

REligiosis Ordinibus, quantumvis solitudini, ac contemplationi vacent (exceptis forsan illis, qui Eremiticam vitam profitentur,) valde esse consentaneum, immo expedientissimum, Ecclesiæ conatus in animarum conversione adjuvare, ostenditur tam ex regulis ac institutis Religiosorum omnium, in quibus animarum studia non interdicuntur, quàm ex multis aliis argumentis. Immo verò Religiosos omnes præ aliis huic functioni esse aptissimos, tum ex fructu à Religiosis Ordinibus in Ecclesia DEI percepto, tum ex aliis capitibus plenissimè comprobatur.

CAPVT I.

Religiosis omnibus, cujuscunque Ordinis sint, valde consentaneum esse proximorum saluti, ac peculiariter Infidelium conversioni studere.

QUamvis ad PETRUM ejusque Successores, quibus universalis Ecclesia à Christo commissa est, singulari quadam ratione, & debito pertineat, ex non ovibus oves facere, ut ovile unum in Ecclesia consurgat; quia tamen Romani Pontifices per seipsos id præstare non possunt, decreverunt viros idoneos sibi coadjutores eligere, qui ipsorum auctoritate officium hoc prædicandi gentibus Evangelium obirent: nam etsi Episcoporum, qui hac in parte Apostolis successerunt, munus hoc esse videatur; tamen neque Episcopi omnia præstare possunt, & ipsi etiam suarum diœceseon limitibus concluſi sunt. Quare Religiosos Ordines Pontifices sibi in hac functione tanti oneris socios assumpserunt, qui Apostolica auctoritate freti, totum terrarum

orbem doctrinæ luce lustrarent, ac vitæ pietate, & ardore inflammarent. Et quamvis in Ecclesia olim fuerit concertatio maxima, an Religiosis etiam Medicantibus munus prædicandi, Sacramentaque administrandi competeret: surrexit enim Guilielmus quidam oppidi Amatoris, eique amentia, & scelere pares alii Doctores Parisienses, qui tum voce, tum justis voluminibus editis, nec literis studere, nec ad populum concionari, nec pœnitentium confessiones excipere, licitum esse Religiosis affirmarunt; ea potissimum ratione ducti, quia Monachis potius plangendi, ac contemplandi, quàm docendi officia competerent. Repugnarunt tamen acerrimè his, qui Dei gloriæ, animarumque saluti adversabantur, duo utriusque illius temporis lumina, B. Thomas, & D. Bonaventura: & hic quidem *pauperum Apologiam*, ille verò opusculum edidit *contra impugnantes Religionem*.

Sed antequam D. Thomæ argumenta proponam, illud est præclarum inter alia, ac primo loco ad horum impietatem improbandam præmittendum, quod, etiam olim, antequam Monachi Sacerdotum munere fungerentur, ipsorum illa erant propria, jugis scilicet oratio, psalmodia, vigiliæ, jejunia, & aliæ exercitationes, divinorum contemplatio, atque ipsa vivendi ratio victu, vestitu, & loco à reliquorum hominum communione, juxta nominis ethymologiam distincta: Monachi enim appellati sunt ab individua illa, & singulari vita, & à rebus aliis separata, quam profitebantur. Unde apud Dionys. Areopag. universus ille consecrationis ritus, quem ipse *c. 6. Eccles. hierarchia* affert, secessionem hanc, & separationem, ac transformationem, in vitam unificam, & Dei contemplativam designat. Extant hac de re plurima Patrum decreta apud Gratianum, & apud Ivonem. Ex Concilio quidem Nicæno *Canone sexagesimo primo*, inter Arabicos legitur, ut Monachorum conversatio juxta eorum nomen à reliquis sit discreta. In Chalcedonensi autem *cap.* 4. Monachorum vita, oratione, jejunio, quiete, & clausura definitur. Hieronymus verò ad Riparium, ad Paulinum, ad Heliodorum, ad Rusticum, & ad Desiderium, solitudinem, orationem sine intermissione, vigilias, laborem manuum, Divinorum contemplationem, ac vitam pœnitentem ex Apostolico instituto prorsus ab aliis sejunctam, & pro illorum nominis ratione singularem, propria illorum esse docet: ac proinde omnes ferè Monachi olim solitariam, & eremiticam vitam ducebant.

At verò postquam Monachi ad Presbyterorum, ac Sacerdotum gradum ascenderunt, jam ipsorum Religiosorum Sacerdotum illa propria officia sunt, ex ipsa Christi institutione, ut saluti hominum procurandæ, tanquam coadjutores Dei incumbant, disciplina morum, & doctrina fidei alios ædificent, verbi ministerio, Sacramentorum administratione, vita exemplari, & oratione populo prosint. Denique (sicut à Dionysio traditum est) ut purgent, illuminent, & perficiant alios, quæ actiones propriæ sunt Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quam Christus secundum exemplaris sui cælestis formam in terris instituit, hoc est, ut legatione inter homines pro Christo fungerentur, & opus illud promoverent, quod Christi atque Apostolorum est; quodque solum toti Ecclesiasticæ Hierarchiæ fuit demandatum; quam institutam à Christo Domino accepimus, ad retinendam doctrinæ ab eo traditæ puritatem, atque ad excitandos, & juvandos homines, ut æternam salutem consequantur.

Quæ cuncta adhuc clariora sunt ex Evangelicis, & Apostolicis libris, atque ex ipsa Patrum canonica institutione, uno ordine dicentium, ordinem universum Sacerdotum uni huic operi consecratum fuisse, ut ab omnibus aliis curis liberum, & immunem esset, ne qua re impediri, vel retardari posset ab eo ministerio, quod principem locum in Ecclesia Dei tenet, ut gravissimè, & eleganter multi Patres affirmarunt. In primis S. Greg. Nazianz. in Apolog. *Presbyteri* (inquit) *officium, cælestem quandam vitam requirit, primò purgari, deinde purgare; sapientia instrui, & sic alios sapientes reddere; lumen fieri, & alios illustrare; accedere ad Deum, & alios adducere; sanctificari, & aliis sanctitatem adferre.* S. Joannes Chrysostomus *Hom.* 11. in Marcum: *Sacerdotalis officij est posse docere populum.* S. Hieronymus ad *Rusticum Monachum*, Epist. 4. *sic* (inquit) *vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis.* & infra: *Multo tempore disce, quæ postmodum doceas. Quod si populus, vel Episcopus in Clericum te elegerit, age ea, quæ Clerici sunt.* Sic Hieronymus; quibus clarè innuit Monachos Clericos omnia Ecclesiastica munera Clericorum propria debere exercere.

Quis verò primus fuerit, qui in Occidente Monachismo inseruerit Clericatum, prædicatur à S. Ambros. *libro* 10. *Epist.* 82. S. Eusebius Epis. Vercellensis: quod & ipsum præstantissimum vitæ genus S. Martinus Episcopus Turonensis transvexit in Gallias; & S. Augustinus in Africam, & ante ipsos in Orientem Basilius Magnus, qui omnes admirabili quadam connexione duo hæc perfectissimæ vitæ genera, Clericorum, & Monachorum, eorumque functiones in unum pariter conjungentes, tanquam splendissimis luminaribus sibi ipsis, aliisque lucentibus Christi Ecclesiam exornarunt. Ex quibus, aliisque innumeris Patrum testimoniis, quid addat Presbyterium ad Monachismum, quæ, & quales virtutes requirantur in eo, qui tractaturus est de æterna animarum salute, non obscurè constat: ob quam causam Religionum Institutores monastico instituto Sacerdotalis officii dignitatem, ac curam adjunxêre, atque ex eo proximorum saluti procurandæ, quasi quodam debito se astrinxerunt.

Quare Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri de *S. Basilio*, ex hoc maximè Basilium commendat, quod pietatis Gymnasia, sive Monasteria extruxerit, ut & Monachi contemplationi, & aliorum saluti jugiter studeant. Hoc igitur Basilii studium & inceptum in posteriorum Religionum institutione magnos progressus fecit: Nam Monasticæ disciplinæ, & sacerdotii virtutes, & utilitates ita unius vitæ communione permixtæ sunt, ut verè illius solidæ virtutes, atque utilitates Sacerdotii ministeriis, & exercitatione extra umbram, & solitudinem positæ illustriores fiant, & quàm maximè fructuosæ. Quippe Sacerdotii ministeria Religiosis virtutibus adjuta tranquillitatem animi, & puritatem non impediunt, sed potius perficiunt, & oratione, ac divinorum contemplatione quasi accensa ferventius, & cum uberiori animarum fructu exercentur. Unde item fit, ut aliorum utilitas cum propria utilitate conjuncta semper sit; nam in omni ministerio, & actione ad renovationem spiritus perpetua veteris hominis mortificatione, ad augmenta virtutum, ad majorem Dei gloriam, Religiosorum Ordinum auctores, & Duces semper aspiraverunt.

Nam

Nam postquam Basilius sanctissimis legibus Religiosos, tam in ordine ad propriam salutem tuendam, quàm ad proximorum juvandam, procurandamque Evangelica lux in Occidentem illata, caliginem Europæ discussit, surrexit almificus Monachorum Pater Benedictus, cujus Regulas plurimi sunt amplexi. Bernardus quoque ac ceteri Ordines, præcipuè verò illi quatuor, qui Mendicantium vocantur, illuxêre mundo, minantemque ruinam Ecclesiæ indefesso labore sustentarunt, instaurarunt, atque in varias nationes propagarunt; idemque alii Ordines executi sunt, qui veluti novæ cohortes prodierunt in campum, animasque quam plurimas à laqueis Diaboli in Evangelii lucem, ac libertatem revocarunt, ut latius sequentibus exemplis demonstrabitur.

Convenientissimè igitur Religiosi, postquam Sacerdotales functiones Monachatui sunt annexæ, prædicandi, ac docendi munus exercent. Quare merito sententiam Guilielmi D. Thom. *Opusc. 19. cap. 4.* in primis censet erroneam, & in proœmio ejusdem Opusc. asserit Diabolum invidum divinæ gloriæ & humanæ salutis per ministros suos (loquitur de Guilielmo, ejusque complicibus) gloriam Dei, & animarum salutem niti impedire. Et *Secundæ Secundæ quæst. 187. art. 1.* Stultam, inquit, esse opinionem dicentium, quod status Religionis impedimentum adferat talia exequendi. Ecce, qua ratione D. Thomas errorem, & stultitiam censet asserere, Religioni alicui esse contrarium saluti proximorum, prædicatione verbi Dei, aut confessionum auditione consulere: loquitur autem D. Thom. ut luce clarius constat ex contextu, de omnibus Religionibus, tam de iis, quæ sunt institutæ ad vacandum contemplationi, ut sunt Monachales omnes, quam de illis, quæ actioni & contemplationi vacant, ut ipse docet in *cap. primo ejusdem Opusc.*

Hanc verò sententiam tribus inter alia convincit argumentis. Primum affert, illudque egregium *2.2. q. 187. art. 1.* ubi quærens D. Tho. an liceat Religiosis prædicare, & docere: Respondet, non solum non impediri ratione status Religiosos ab hoc munere, sed potius esse magis idoneos exercitio sanctitatis, quod assumpserunt: *Stultum enim est* (inquit) *dicere, ut per hoc, quod quis in sanctitate magis promoveatur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda: & ideo stulta est quorundam opinio dicentium, quodipse status Religionis impedimentum afferat talia exequendi, quorum errorem excludit Bonifacius Papa in cap. sunt nonnulli. 16. 1. ubi sic dicitur: Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audaciori quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes, Monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis officij potentia indignos: sed omnino labuntur, quod ostendit; primo quidem, quia non contrariatur Regulæ: subdit quippe, Neque enim D. Benedictus Monachorum Præceptor almificus hujusmodi rei aliquo modo fuit interdictor: & similiter nec in aliis Regulis hoc prohibetur. Secundò prædictum errorem improbat ex idoneitate Monachorum, cùm in fine capituli subdit: Quanto quisque excellentior est, tanto illis, scilicet spiritualibus operibus, potentior.* Hactenus D. Thomas. Ubi certissimè probat, non solum non repugnare instituto Religionum prædicare, & docere; sed etiam Religiones, quanto sanctiores, eò aptiores animarum saluti procurandæ.

Sed ut perfectius vis hujus rationis à Divo Thoma adductæ expendatur, ante omnia animadvertere oportet, D. Thomam prædicto *art. 1.* quærere, An liceat Religiosis prædicare, & docere? & affirmantem partem, damnatâ contrariâ sententiâ, ut stulta, & erronea, sequitur, eo fundamento Bonifacii Papæ potissimum ductus, quia Religiosi sunt capaces dignitatis Sacerdotalis, cui annexa est potestas prædicta munera exercendi, ut jam dixi, ac proinde non solum apti ad prædicandum, sed quanto sanctiores aliis, tanto aptiores huic sacræ functioni, maximè cum à nulla Regula Religionum prohibeatur id ipsum.

Præterea dicto *Opusc. 19. art. 2.* id egregiè confirmat D. Thom. *quia consilium non potest esse* (inquit) *de eo, quod contrariatur consilio, vel præcepto: sed docere cadit sub præcepto, vel consilio, ut patet* Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, &c.* Matth. ult. Gal. 6. *Vos qui spiritales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; non ergo de non docendo potest esse consilium.* Et confirmat D. Thom. *Consilia, quæ Dominus proposuit, immediatè ab Apostolis servari voluit, ut eorum exemplo alij ad obeunda consilia provocarentur: unde Paulus* 1. Corint. 7. *Consilium de virginitate proponens (dixit) Volo omnes homines esse sicut meipsum: sed observatio hujus, quod dicunt consilium, scilicet abstinere à docendo, ad Apostolos non pertinebat, cum ipsi ad docendum in universum Orbem mitterentur: non ergo abstinere à docendo sub consilio cadit.* 1. Cor. 7. Hactenus D. Thomas. Igitur majoris perfectionis esse non potest, abstinere à doctrina, & prædicatione: tum etiam si non potest esse consilium, neque præceptum de non prædicando, aut docendo, non poterit doctrina, aut prædicatio verbi Dei esse contraria alicui instituto.

Et quanquam Doctor Angelicus scriptis ipsis, Deus autem multò gravius, & acerbius factis illorum temeritatem, qui animarum saluti adversabantur, patefecit: Guilielmus enim ab *Alexandro IV.* Rom. Pontif. Romam evocatus, in publico Cardinalium consessu convictus, damnatusque est, atque non solum ejus liber igni traditus, sed & ipse quoque ejus auctor Canonicatu, ac redditibus Ecclesiasticis exutus, atque insuper à Ludovico Rege à rota Gallia relegatus. Stant hodie in compendio privilegiorum Ordinis Prædicatorum antiquo, varia *Alexandri IV.* contra Guilielmum, ejusque librum, & sectatores decreta, quæ etiam habentur in Conventibus Parisiensibus authentica.

CAPVT II.

Religiosi omnes præ aliis aptissimi sunt animarum conversioni procurandæ.

Illud inter cetera maximè pios Religiosorum animos ad opus conversionis suscipiendum movere debet, quod eorum status, vitæ & instituti ratio præ omnibus aliis magis idonea, & aptior huic animarum culturæ censetur, idque propter multas rationes, sive causas, quarum aliquas adducit Angelicus Pater D. Thomas *Opusc. 19. c. 2.* ex quibus tres præcipuas desumemus: *Prima, quia convenientissimè doctrinam Evangelicam docet, qui non solum præcepta, sed etiam consilia servat: secundum illud:* Cœpit JESUS *facere, & docere: hujusmodi sunt omnes Religiosi; convenientissimè igitur omnes prædicant. Secunda: Illi maximè sunt idonei ad docendum,*

qui maximè divina per contemplationem capere possunt: unde Gregorius in 6. Moral. Quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos refundant loquentes: sed ad vacandum contemplationi præcipuè Religiosi sunt deputati: ergo per hoc quod sunt Religiosi redduntur magis apti ad docendum. Sic D. Thom. ubi suprà, qui etiam *Secunda Secundæ. Quæstione 187. articulo primo*, tertiam non contemnendam adjungit rationem: *quia quanto aliquis est sanctior, tantò est aptior prædicationi verbi Dei, nisi aliunde prohibeatur; sed prædicare, & docere, neque interdicitur in Regula sancti Benedicti, neque in aliis Religionum Regulis, ut determinat Bonifacius Papa in cap. nonnulli sunt, 16. quæst. 1.* Concludit igitur eò quempiam magis esse idoneum, ac aliis aptiorem animarum profectibus, quantò ille vitæ sanctitate fuerit sublimior.

Accedunt tres aliæ causæ, quæ statum Religiosum ministerio conversionum aptissimum efficiunt, quas fusius Hieronymus Platus vir aliàs pius, & doctus in libro *de bono statu Religiosi* prosequitur. Prima ducitur ex ipsa Dei natura, & more: si quis enim Dei rationem, atque ordinem in hominum salute propaganda ab ipso Ecclesiæ ortu attentius inspexerit, facilè inveniet, hoc semper fuisse ejus consilium, ut ad tantum hoc opus eos maximè administros, adjutoresque adhiberet, qui essent maximè humanis omnibus præsidiis destituti, ut non glorietur omnis caro, id est, ne tantæ rei laus, evacuata Christi Cruce, in hominum sapientiam, aut potentiam transferretur: quare non sapientes, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit: non igitur putandum est mutatum esse DEUM, ejusve sapientiam, ac aliam nunc in hominum conversione formulam, quam antea secuturum. Quare nunc etiam quærit DEUS operarios pauperes, humiles, ac terrenis rebus omnibus vacuos (quales sunt Religiosi) qui vineam Domini in siti, fame, frigore, & nuditate, sicut olim Apostoli, excolant.

Secunda causa: quia cum ad cohortandum multo majus pondus habeant exempla, quàm verba, nulli dubium est, quin multo certius, faciliusque credituri sint homines illi, quem non verbis tantum, sed factis ipsis viderint res humanas contempsisse. Nam cum major hominum pars voluptatibus, ceterisque terrenis bonis rapiatur, quem viderint hæc despexisse, seipsum vincere, ac suas cupiditates rationi subigere, magni æstimant, ac rerum hæc despicientia admirabilitatem tantam præ se ferat, ut nihil sit ad persuadendum aptius, nihil gravius ad voluntates commovendas. Quare Religiosi, qui hanc paupertatem, rerum abrenuntiationem profitentur, aptissimi sunt hujusmodi ministerio.

Tertia, & ultima causa ab ipsis operariis ducta sit: Nemini dubium, quin ad hoc opus multò melius parati sint, qui nihil omnino in hoc mundo possident; primum: quia liberi sunt, expediti, & alacres ad currendum, quocunque eos spiritus Domini impulerit; propterea quod non liberorum, non agrorum, non rei familiaris procuratione eorum cogitationes illigãtur: ex quibus duo magna damna consequi solent, nam & tempus eripiunt, quod in aliis melioribus studiis utilius impenderetur, & ipse animus frequenter rebus ipsis, quas tractat, nimium adhæresci; quod utrumque Evangelico operario & indignum, ac turpe, & maximè etiam incommodum est. Itaque benè, & sapienter Ambrosius in Lucam: *Qualis*, inquit, *debeat esse, qui evangelizat regnum* DEI, *præceptu Evangelicis designatur, ut sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est subsidij sæcularis adminicula non requirens, fideque tutus, putet sibi, quo minus ea requirat, magis posse suppetere.*

Restant etiam duo alia in Religiosis, quæ ad hunc fructum in animarum conversione assequendum maximè conferunt. Primum professio ipsa castitatis, quæ ita DEO placet, ut ejus professores DEUS mira efficacia, & fortitudine contra dæmones muniat; ut optimè prædicavit summus Sacerdos Joachim (*Iudith 15.*) qui in communi gratulatione post tantam victoriam à Judith contra Holofernem reportatam, sic eam celebravit: *eò quod castitatem amaverit; ideo manus Domini confortavit te, & erit benedicta in æternum.* Sed de castimoniæ in sancti Evangelii Ministris, necessitate, & fructibus alibi dicturi, nunc brevitatis causa sermonem ad alteram partem, quæ Religiosos ad hoc conversionum opus maximè juvat, transferamus. Ea est charitas, & conjunctio animorum inter seipsos: nam cum orbis ad DEUM conversio difficillimi negotii sit, ac perspicuum sit, nullam rem magnam effici sine multorum adjumentis, cum nemo solus omnia habere possit; fit ut in animarum conversione, ex Religiosorum conjunctione, ac mutua charitate uberrimi eliciantur fructus. Nam, ut præclarè dictum est à sancto Basilio, *Constit. Mon. cap. 19. Veluti milites testudine, quam vocant, facta, seipsos invicem ita muniunt, ut sint impenetrabiles, sic ipsi propter conjunctionem qua nexi sunt, seipsos mutuo (ut ipse ait) confoveant, & inter se protegant*; ex quo non solum fit, ut inimicorum ictus repellant, sed etiam inimicos ipsos facilè fundere, & fugare etiam ab aliis possint. Quod si hoc verissimum est, nullum hominum genus reperiri ita huic animarum functioni aptum, & idoneum, esseque hujusmodi ministerium Monachorum instituto consentaneum, restat, ut sit etiam hæc functio illis facilior, & jucundior. Id enim perpetuum est in omnibus rebus, ut quæque res eo maximè gaudeat, quod ejus naturæ est maximè aptum, ac proinde quantò impedimenta sunt remotiora, eò majori facilitate sit prædita, quæ omnia Religiosorum animos in opus Missionum maximè deberent inflammare, præcipuè si experientia ipsa clamante fructus in Ecclesia DEI, ex Religiosis Ordinibus in fidei propagatione considerentur: ad quorum enarrationem jam gradum faciamus.

Iudith 15

CAPVT III.

Religiosis omnibus convenientissimum esse animarum saluti, & conversioni studere, ostenditur ex fructu à Religiosis in fidei propagatione facto.

NOn levis momenti, imò gravissimum, validissimumque argumentum produci potest, quo & dignitas ministerii hujus amplius extollatur, & convincantur illi, qui contra institutum Religiosos agere, si in Missionibus occupentur, ausi sunt affirmare, ex fructu, magnaque utilitate, quam Religiosi viri omnium ferè Ordinum in Ecclesia DEI, ex quo instituti sunt, verbi DEI prædicatio-

dicatione effecerunt. Ex quo facilè erit convincere eos non temere, aut inordinatè contra suum institutum hoc munus suscepisse, sed potius divino consilio, ac convenientissimè egisse. Tum quia ad Ecclesiæ culturam, & propagationem homines sui instituti desertores tantopere non contulissent; nec DEUS hominum ita deviantium à suo instituto adjuvaret actiones, aut mentem excitaret ad similia opera perficienda: tum quia ferè omnes viri fuerunt doctissimi, atque ut plurimum sanctissimi, de quibus sine temeritate judicari, aut suspicio nequit haberi; vel ipsos institutum proprium ignorasse, aut illud scienter non observasse, & contempsisse. Et quemadmodum Ecclesiam sanctam illud maximè commendat, quod tamen multi claræ admirationis viri, strenuissimi Martyres, Confessores integerrimi in ea fuerint; sic mihi videtur optimum argumentum in studii Missionum commendatione, quod tanta præstantium virorum Religiosorum multitudo illud fuerit amplexa, ut vel sola eorum auctoritas satis esse possit ad illud omni laude commendandum.

Est autem ejusmodi hæc multitudo, ut si ratiocinando summam eorum deducamus, qui in Religionibus sanctitatis gloria floruêre, sine ulla dubitatione maximam partem, immo omnem ferè, inveniamus huic animarum scholæ fuisse addictos. Quod si in eis hoc efficit ardens animarum zelus, ut tantam sanctitatis excellentiam adipiscantur, quid hoc ministerio melius, aut utilius Religiosis? hoc enim magnopere Missionum opus commendat, (ut nunc ejus alias laudes prætermittam) quod tales, & tanti viri eam vivendi formulam sustinuissent, quorum vestigiis insistere non possit non esse turum, & laudabile: quantacunque enim est eorum auctoritas, ea tota hujus ministerii dignitatem extollit. Primum, quia nunquam hi tale institutum adamassent, nisi meritò adamandum cognovissent: Deinde quod ad illius dignitatem, & commendationem, ipsi quoque aliquid splendoris & dignitatis suis exemplis contulerunt.

Et in primis, ut nunc præteream Mendicantium Ordinum tam Religiosos quam fundatores, à Monachalium Religiosum institutoribus incipiam, quorum facta tacita est, immo expressa instituti interpretatio, aliorumque subditorum ad sui imitationem cohortatio. De magno illo Monachorum Patre Benedicto, ut latius apud D. Gregorium in ejus vita habetur, in Cassino monte simulacra, quæ adhuc à Gentilibus colebantur, comminuisse, ipsosque oppidanos Christianis præceptis imbuisse legimus. De Basilio Magno Gregorius Nazianzenus in ejus vita scripsit, eum sua Monasteria propè civitates erigi curasse, ut non sibi tantum utiles, sed & aliis prodesse possent: *Quamobrem*, (inquit Gregorius) *Monachorum Cœnobia haud procul ab his, qui in hominum societate vivunt, ædificari jussit, nec omnino separavit; ut & propinquitate, cum opus charitatis exposceret, adesse possent, stantes alioquin propriis terminis, ne quies illorum, aut pax interrumpi per multitudinem posset; ut & sic, nec ipsi Monachi actionis meritо, quod ex impendenda aliis pietate esset, privarentur; neque rursum eorum actio per tumultum inutilis efficeretur.* Hactenus Gregorius.

Et ipse etiam Basilius in *Regulis fusioribus*, q. 7. communem vitam solitariæ præferendam censet; *quod hæc quidem* (ut verbis Basilii utar) *suorum tantum bonorum procurationem propositam habet: hoc autem apertè charitatis legi adversatur, quæ non quærit quæ sua sunt: quam perfectè observasse Apostolum videmus, qui non suam utilitatem quærebat, sed multorum, ut salvi fierent.*

Et paulò post idem Basilius inertem, & infructuosam appellare non veretur eam vitam, in qua scilicet Dei contemplationem nulla actio subsequatur tuendis hominum commodis directa. Hæc Basilius.

Quis verò D. Bernardi, Clarævallensis instituti promotoris beneficia, qui non solum concionibus, & scriptis, sed quam plurimis exemplis proximos, Ecclesiamque adjuvit, poterit referre? Petrum Abailardum in Concilio Senensi, Gilbertum Porretanum in Remensi, Henricumque, & alios Hæreticos, qui Galliam universam suis dogmatibus inficiebant, solus ipse convicit, ac repressit, Franciamque aliqua ex parte prædictis hæresibus jam infectam, ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem reduxit. Quid de peregrinationibus ejus, fidei, & sanctæ Matris Ecclesiæ, ac proximorum salutis causa susceptis dicemus? Modo enim ad Galliæ Regem, modò ad Imperatorem, aliosque Principes viros pro arduis Ecclesiæ negotiis, ac rebus publicis, animarumque salutem concernentibus missus est à summis Pontificibus, ac denique fructus, qui ex ejus concionibus ad populum provenerint, quàm innumerabiles ex vitiis ad frugem se receperint, à Satanæ faucibus erepti, nec cogitari quidem potest. Ut omittam nunc præclariora, quæ fecit in illo tetro schismate adversus Petrum Leonem Antipapam pro *Innocentio* Papa *secundo* legenda in ejus vita. Ecce tres monasticæ vitæ auctores, fontesque clarissimos, à quibus ferè omne institutum Monasticum, tam in Oriente, quam in Occidente manavit, qui tam exemplis, quam verbis, Regulisque scriptis Monachorum institutо valdè consentaneum esse decreverunt animarum saluti conversionique consulere.

Deinde, quæ à Religiosis Monachis ferè ab Apostolorum tempore gesta sunt in proximorum salute tuenda, & procuranda, immensum esset recensere: qui enim historias consuluerunt, facilè compererint maxima, & egregia opera, quæ à Monachis in integris provinciis, & regnis ipsis, Christo adjungendis patrata sunt, quam sæpe Evangelii lumen, ubi nullum antea erat, intulerint: ubi obscuratum, instaurarint: quoties fidem, & Religionem, vel jam labefactatam, vel penitus perditam restituerint, ac redintegrarint. Quare ita Monachorum zelus olim in his enituit, ut post Apostolos, & Apostolica illa tempora, in propaganda per singulas provincias fide, vix aliorum nomen inveniatur, quam Monachorum: & quia longum esset omnes percensere, aliquos quasi exempli causa, & per transennam attingamus.

CAPVT IV.

Exempla Ordinum Monachalium.

ET in primis Carmelitæ Monachi, antequam Mendicantibus annumerarentur, erumpente Evangelii luce, admirabili cum animi magnitudine Evangelium Apostolorum tempore, per Samariam, Palæstinam, aliasque orbis partes propagarunt. Nam à monte Carmeli discedentes, ab Apostolis primum baptizati, postea eorum coadjutores in prædicatione sancti Evangelii effecti sunt, ut Josephus Antiochenus *lib. 12. Speculi perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ* scripsit: *Perfectorum* (inquit) *milites Christi* (id est Apostolorum)

Quid olim præstiterit Carmeli Ordo in Conversione infidelium.

rum) *coadjutores surrexerunt strenuissimi viri, solitarij, contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum* ELIAE, *& Elisei imitatores, qui de monte Carmelo descendentes, per Galileam, Samariam, Palæstinamque, fidem Christi constantissimè asserunt.* Hactenus Josephus.

Idem etiam de Carmelitis post Josephum docuit Joannes Patriarcha Hierosolymitanus in *lib. de instit. Monach. c.27.* Postquam docuit Carmelitas ab Apostolis esse baptizatos, & in fide instructos, addit: *Denique eorum multi ea, quæ ab Apostolis hauserant, ceteris effundentes, fidem Christi per Phœniciam, & Palæstinam prædicabant, dilatantes dogma fidei, & moribus vitæ Monasticam conversationem Ecclesiæ DEI insignissimam demonstrantes.* Sic Patriarch. Hierosol.

Nec dissentit ab hac sententia Chronica Romana antiqua apud Speculum Ordinis *lib. 5. in fin.* in qua scriptum habetur: *Tempore quo beatus Petrus Antiochiæ Cathedrâ præsidebat, Carmelitæ in regione circumquaque adjacente, diversis locis Catholicè pro fide instistebant.*

Quibus subscribit Richardus Armachanus Archiepiscopus in *sermone de Conceptione B. Mariæ*, ubi de Carmelitis agens, inquit: *Insuper, ut fide dignæ historiæ referunt, in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis prædicando Evangelium solidissimè laborarunt.* Hæc, & alia de antiquis Carmelitis reperies apud doctiss. Walden. *de Sacramentalibus, tit. 9. cap. 89.*

Sed si ad alia tempora descendamus, aliorum Monachorum in Ecclesia Dei ubertimi fructus conspicientur. Primum enim de Monachis ex S. Benedicti familia (ut author est vir gravissimus Trithemius de viris illustribus sui Ordinis, & Hier. Platus, ex quo quæ sequuntur decerpsimus). *B. Remigius*, qui anno ferè 530. Clodovæum Regem, & Franciam universam ab Idolorum cultu ad fidem Christianam traduxit, ab ineunte ætate Monachus fuit, ac postea Remensis Archiepiscopus.

Quid S. Benedicti?

Item *Martinus* Monachus, anno 540. Suevos ab Arriano errore sanavit. De Anglia notissimum est, quod ab *Augustino* informata, quem *Gregorius* Pontifex cum aliis sex Monachis, nempe sanctis *Mellito, Petro, Iusto, Paulino, Laurentio, & Ioanne* eò legarat, ad Deum sese converterit, unà cum Rege Etelberto, anno 603.

Nec præteream ipsum Pontificem *Magnum Gregorium*, ut in ejus *vita lib. 1.* refert Joan. Diaconus, qui cum Monachus adhuc esset, & Angelicos pueros forma pulchertimos venales Romæ conspiceret, agnosceretque illos esse infidelitatis tenebris immersos, tactus dolore cordis intrinsecus, mox à Benedicto Pontifice vehementer cæpit expetere, ut sibi licentiam in illam regionem ad prædicandum sanctum Evangelium proficiscendi concederet, qua obtenta profectus est: postea verò tota acclamante Roma ab eodem Pontifice post triduum itineris coactus est ad Propium Monasterium reverti.

Anno autem 622. *Lambertus* Leodiensis Monachus Taxandriam Germaniæ Provinciam, eodemque tempore *Kilianus* Monachus Francorum Orientalium gentem ad Fidelium numerum aggregarunt, atque hic quidem in eo opere etiam martyrium subiit.

Beda lib. 6. hist. Angl. c. 5. *Wilfridus* ex Hierpuensi Monasterio in Anglia, postea Eboracensis Episcopus, anno circiter 683. cum Romam peteret, tempestate in Hollandiam, & Frisiam ejectus est; ne hiemem illic infructuosè degeret, cepit prædicare Evangelium, quod nullus adhuc ibi auditus fuerat prædicare. Idemque in patriam reversus, cum ab improbo Rege Egfrido in sua sede hærere non sineretur, divertit ad Australes Saxones, adhuc in infidelitatis tenebris jacentes, iisque fidei lumen importavit, & simul rori insulæ, quæ Vetula dicitur. Ceterum, quod hic opus in Frisia cæperat, id deinde continuavit *Willibrordus*, ex Monasterio Ripensi in Anglia, qui Trajectensis Episcopus etiam creatus est.

Eodem tempore *Swibertus* Lindisfæ in celebri Cœnobio Angliæ educatus, unà cum undecim aliis ad Apostolicum numerum repræsentandum ad Saxones se contulit, ex quibus innumerabiles in Christi fide instituisse fertur: idemque postea Verdensi Ecclesiæ Præpositus fuit, nec tamen à laboribus suis unquam cessavit. *Beda ib. & Molanus in Natal. 55. Belgij.*

Insignis quoque in hoc genere fuit *Bonifacius*, qui adhuc meritò tanquam Germaniæ Apostolus colitur. Hic Patria Scotus, cum adhuc quinquennis à parentibus ipsis oblatus diu vitam in sacris claustris sanctissimè egisset, *à Gregorio Secundo* Pontifice in Germaniam missus, Hassiam Christo adjunxit, anno fermè 717. quam ob causam ad eos, quos docuerat, regendos Moguntino Archiepiscopatu ornatus est: quamquam majus ornamentum etiam postea ex martyrio accepit.

Willehadus item, & *Lugderus* ex Monasterio sancti Willibrodi in Gallia, in Franconiam Germaniæ provinciam profecti, annum circiter 800. & plurimos illic filios Christo Domino peperierunt, ipsique plurimos ea de causa labores pertulerunt. Paulò post etiam, annos videlicet decem, *Anscharius* cum tribus sociis ex Monasterio Corbeiensi in Gallia Belgica, plures regiones Evangelii causa peragraverunt, Daciam, Suetiam, Gothiam, Groenlandiam, in quibus omnibus vix credi posset, quantum fructum reliquerint.

Ex quo eodem Monasterio prodiit etiam *Stephanus*, qui primum Anschario in Suetica messe successit. Deinde in Helinguensem Provinciam se contulit, quam totam ab erroribus ad viam veritatis adduxit, atque ibidem tandem ab impiis quibusdam mactatus, ad martyrii palmam evolavit.

Quo etiam referri debet Abbas Floriacensis Monasterii *Albus* dictus, quod à sancto Mauro in pago Floti Comitis ædificatum fertur: is enim in Vasconia Galliæ parte Religionis propagandæ causa strenuè laboravit, vir eloquentia insignis, nec minus sanctitate præstans, ad extremum etiam martyrio gloriosissimus. Vixit autem anno ferè 97ᵒ. Religiosam vitam diu professus una cum *Gaudentio* fratre, Monacho item sancti Alexii Romæ, in Pannoniam abiit, ad disseminandam Christi fidem, ubi in Geisam Regem incidit, divino jam antea oraculo monitum de ejus adventu. Itaque ab illo cum honore exceptus totam eam gentem, antea feram, & duram, Christi cultu imbuit. Mox ad Sarmatas digressus Russis, Lituanis, Moschis, Prussianis, sed plerumque Polonis, eorumque Regi Bolislao Evangelium promulgavit. Denique in Prussia, cum ab impiis ad stipitem alligatus, sepremque lanceis confixus palpitaret, egisse DEO gratias dicitur, quod se martyrii, quod tam diu jam optarat, compotem fecisset.

At *Bruno* ex Ducali familia, nempe Lotharii Saxoniæ Ducis filius, monasticam vitam Romæ professus in Cœnobio beati Alexii à Joanne XIX. ad Ruthenos missus annumerciter 1025. multos populos ad salutis viam revocavit, qua in causa

ne

ne quid ad laudem deesset, martyrii quoque gloria ornatus est.

Eodem quoque tempore *Bonifacius* Romualdi discipulus in Russiam profectus, Russianum Regem, ejusque Regnum præter fratrem, convertit, à quo impiè cæsus, vineam à se plantatam etiam sanguine irrigavit.

Anno vero 1050. Humbertus ex Ordine sancti Benedicti Constantinopolim à Pontifice legatus ad Græcorum schisma confutandum, cum Niceta congressus coram Constantino Imperatore, ita eum disputando convicit, ut librum, quem conscripserat, comburere coëgerit. *Otho* etiam ex Monasterio Babenbergensi, quæ est Germaniæ civitas, anno 1125. à *Calisto Secundo* in Pomeraniam missus, Barcislaum Principem convertit cum suis: quin idem etiam loca omnia maritima, Daciæ, Poloniæque finitima, cum magna animarum conversione peragravit. Denique complures Saxoniæ civitates obiens, magnos ubique ad salutem motus effecit. Huic similis fuit *Vicelinus*, qui non multo post hunc una cum quatuor sociis ex Gallia ad Wandalos profectus, triginta totis annis incredibili labore universam illam regionem, in qua innumeri fermè erant populi, Christianis imbuit præceptis, & in iis insignia complura fundavit Cœnobia.

Bede ib. & Molanus in Natal. 55. Belgij.

Andreas Abbas in vita B. Othonis. Crant. in Wandalia lib. 4. cap. 18.

Ac denique non solum Benedictus Asiam, Africam, ac præcipuè Europam suis seminibus implevit, regna, & provincias sua prædicatione convertens; verum etiam Americam, nunquam antea cognitam, bonorum suorum operum radiis illustravit. Nam, ut refert Genebrad. in *Chronol. sua lib.* 4. & alii quamplures Historiographi, primus novi orbis Apostolus electus ab *Alexandro VI.* Summo Pontifice Becuil Monachus Benedictinus, natione Catalanus fuit, qui electis duodecim ejusdem familiæ sociis, Vicarius Generalis Summi Pontificis apud illas nationes fuit designatus, ac benedictione Pontificali accepta, ad hanc novam Evangelii prædicationem ex Hispania, anno 1495. discessit, illisque provinciis omnium primus lumen fidei intulit. Multa præterea similia commemorari possent ex Monachorum Ordine profecta, præcipuè tamen Orientalium Monachorum sub regula beati Basilii militantium, quorum ope, & doctrina conversa Græcia, aliæ etiam Orientales nationes in fide, & moribus sustentantur: quibus brevitatis causa omissis, ad alia exempla efficaciora gradum faciamus.

CAPVT V.

Exemplis Eremiticam vitam sectantium idem comprobatur.

ERemi, solitudinisque professores, qui licet procul à negotiis ad spirituale otium confugerint: tamen si proximorum spiritualis utilitas requirat, contra officium agere, si non, contemplationis studiis relictis, ad proximos juvandos accurrant, docet Augustinus in *Epist. 91. ad Capraiæ insulæ Monachos*: qua eos hortatur, ne suam quietem necessitatibus Ecclesiæ præponant, ubi inquit: *Parturienti si nulli boni administrare vellent, ne ipsi quidem quomodo nascerentur, inventuri fuissent.*

Imò, quod magis miror, ipse Chrysostomus acriter invehitur in sacros Eremi cultores, si proximorum salutis obliviscantur, *Hom. 6. in primam Epist. ad Corinth.* Tom. 4. *Nonnulli* (ait) *civitates, fora, hominum consuetudines, & aliorum eruditiones reliquerunt, montesque petierunt. Quid si quispiam secessus causam dixerit, inveniet omni carentem veniæ excusationem, siquidem ne peream inquit, neve in virtute fiam obtusior secedo: ut quantò melius obtusiorem te fieri, alios lucrari, quam morantem in solitudine pereuntes fratres despicere.* Et in *serm. 3. de B. Philogonio* Tom. 3. *Neque prorsus alia res est, quæ perinde declaret, docetque quis sit fidelis, & amans Christi, quam si fratrum curam agat, & pro illorum salute gerat sollicitudinem. Hæc omnes audiant, & Monachi, qui montium occuparunt cacumina, &c. quò pro viribus Ecclesiarum Præfectos adjuvent, &c. & quibuscunque possint rationibus auxilientur.* Hæc Chrysostomus.

Itaque veteres illi tam magni, tamque sancti Patres sæpè hac una de causa solitudinem, quam multis annis coluerant, reliquerunt: & tempore, quo persecutiones Ecclesiam Dei oppugnarunt, non defuerunt hi, quin naufraganti Ecclesiæ opem ferrent: imo tanquam generosi quidam catuli ex antris exilientes, & è latebris emergentes, statuerunt non se amplius solos servare, ac relicta contemplativa vita, omnemque quietem, ut athletæ insuperabiles à se removentes, alacriter prodierunt ad certanda pro fide Christi bona certamina, sicut de magno *Antonio* memoriæ proditum est, qui relicta solitudine, Alexandriam veniens brevissimo temporis spatio miram Arianis intulit cladem.

Magnus quoque *Athanasius* in Epistola *ad Dracontium Monachum* contentioso reluctantem ad animarum ministerium suscipiendum, his monet post multa: *Nosti enim Serapionem Monachum esse, & quot Monachorum præfectum. Neque à te ignoratur, quot Monachorum pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonem, neque ignotum habes Aristonem. Memor es Ammonij cum Serapione peregre profecti. Fortasis etiam audivisti de Cue in superiori Thebaide. Poteris etiam resciscere de Paulo, qui est apud Latos, & alijs multis, & tamen illi Episcopi constituti non contradixerunt, sed habentes pro exemplari Eliseum, & conscij quid ELIAS egerit, & eruditi quid discipuli Christi, Apostolique fecerint, susceperunt hanc curam, neque ministerium hoc aspernati sunt, neque propterea se ipsis deteriores facti sunt, sed mercedem expectant laboris proficientes ipsi, alios que proficere adhortantes. Quot ab idolis converterunt? Quot à furiosa & dæmoniaca consuetudine suis admonitionibus compescuerunt? Quot adduxerunt Christo servos? adeo ut qui ista signa conspiciant, admirentur. An quasi non ingens signum puellam inducere, ut virgo maneat, & adolescentiorem adhuc ut sit continens, & idololatram, ut cognoscat Dominum?*

In Græco est μονάζοντα.

Et post pauca, ut probet, quod non sit impedimentum cura Episcopalis monasticæ observantiæ, quædam alia subdit, quæ ego libenter addam; quia si Episcopalis solicitudo cum observantia non pugnat, multo minus simplex Missionum ministerium: Prosequitur igitur magnus Athanasius: *Quapropter cum istiusmodi* (inquit) *habeas exempla dilectissime Draconti, ne dicas, nec dicentibus credas, Episcopatum esse causam peccati, aut quod inde nascantur occasiones delinquendi. Licebit tibi in Episcopatu esurire, sitire cum Paulo, licebit vinum non bibere, sicut Timotheus fecit, & jejunare frequenter, ut Paulus solitus, ita ut secundum illum jejunans, alios sermonibus nutrias; & sitiens abstinendo à potu, alia docendo potum præbeas. Ne igitur talia objectant Consiliarij tui: novimus enim Episcopos*

pos jejunantes, & Monachos comedentes, &c. Hæc, & alia plura id genus Athanasius ad Dracontium, quem tandem persuasisse constat.

Abbatem *Appolonium*, qui Thebaidem olim incolebat, Paladius commendat, (idem etiam refert Nicephorus *lib.9 c.14.*) quod relicta solitudine persecutionis tempore, addens animum Christi Confessoribus multos effecit martyres.

Et ut nunc prætermittam *Romualdum* Eremiticæ vitæ authorem, quem magno ardore animarum salutis flagrasse ejus gesta testantur, Theodoretus in libro eo, quem *Religiosam historiam* inscripsit, commemorat de *Iuliano*, cum Arianorum impietas latè serperet, ab Acatio Episcopo his rationibus à spelunca adductum esse, *ut relinqueret illam*, (verba sunt Theodoreti) *in solitudine versandi rationem; veniret autem, ut ferret auxilium tot millibus, quæ fraude interibant, & rumore sui adventus flammam extingueret Arianam. Cucurrit divinus Acacius, & sumpto, ut jussus erat, magno Acacio, accessit ad maximum lumen Ecclesiæ, & cum eum salutasset, Dic mihi, inquit, ô Pater, quanam de causa totum hunc laborem tam lubenter toleras? Cum is autem respondisset, & corpore, & animâ, vitaque, & omnibus, quæ ad vitam pertinent, est mihi Dei cultus pretiosior. Conor autem quoad ejus à me fieri potest, illi à sorde nudum offerre ministerium, & ei perpetuo placere. Ostendam tibi, inquit Acacius, rationem, per quam ei plus quam nunc servies. Idque dicam, non solùm utens ratiocinatione, sed qui id ab ejus doctrinâ didicerim. Cum enim Petrum aliquando rogasset, an eum plus quam alii amaret, & didicisset id, quod sciebat vel ante Petri vocem*: Tu enim, *inquit*, nosti Domine, quod amo te; *Ostendit quidnam agens cum magis coleret.* Si enim, *inquit*, amas me, pasce oves meas, & pasce agnos meos. *Hoc quoque tibi, ô Pater, est faciendum. Periculum enim est, ne oves à lupis intereant, eat autem valde amat, qui à te valde amatur. Est autem proprium amantium illa facere, quæ cum fiunt, eis, qui amantur, grata sunt. Et aliquin non parvum est periculum, multorumque, & magnorum illorum fluctuum detrimentum, si pati potueris, negligere, tacitus præterire, veritatem quidem graviter oppugnari. Hoc cum primum audisset senex quietem quidem valere jubens ad tempus, neque civitatis strepitus, quod eis non esset assuetus, refugiens, accurrit Antiochiam.*

Eodem quoque modo narrat idem Theodoretus in *vita Eusebij*, Ammianum Eusebio persuasisse, cum eum monuisset, ut videret, ne plus se ipsum quam DEUM diligeret, his verbis: *Dic enim mihi, ad illum dicebat, ô optimè. Cuinam placere existimans, laboriosam hanc sordidamque, & squallidam vitam es persecutus? Cum autem, ut par est, is utique dixisset, Deo, qui est virtutis legislator & magister. Quoniam ergo eum amas, inquit Ammianus, ego tibi modum ostendam, per quem & amorem magis accendes, & ei, quem amas, servies. Nam quod omnia tua cura & industria in te ipsum convertatur, non effugiet, ut sentio, crimen in te nimij amoris. Lex enim Divina jubet proximum amare, ut te ipsum. Multos autem opum participes sumere, hoc est proprium veri muneris charitatis. Hanc autem D. Paulus appellavit* legis plenitudinem. *Rursus quoque clamat: Tota lex & Prophetæ in hoc sermone in summam rediguntur, nempe*, Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Porrò autem Dominus quoque in sacro Evangelio Petro, qui confessus est eum plus alijs amare, præcepit* pascere oves suas. *Eos autem qui hoc non fecerunt reprehendens, clamat per Prophetam*, ô Pastores, Non seipsos Pastores pascunt, sed oves. *Et ideò magnum quoque* ELIAM, *qui hanc vitam persequebatur, jussit versari in medio impiorum, & secundum* ELIAM *tantopere celebratum* IOANNEM, *qui amplectebatur solitudinem, transmisit ad ripas Iordanis illic baptizare jubens & prædicare. Quoniam tu ergo quoque es* DEI, *qui te fecit, ardens amator, multos quoque tecum alios effice amatores. Hoc enim est valdè gratum communi Domino.*

Optimè autem *Aphraates* vir sanctissimus, quem scribit idem Theodoretus in Valentis Imperatoris furore adversus Ecclesiam, eremo, in qua diu vixerat, relicta, tanquam bonum militem ad locum certaminis venisse, seque pugnantibus ultro miscuisse. Quin etiam cum aliquando tyranno in via occurrisset, cavillari eum cæpisse, quid ageret Monachus inter hominum turbas? illum autem intrepidè sic respondisse: *Dic Imperator, si puella essem, quam pudor in conclavi retineret; vidissem autem in patris mei domum ignem conjici, eamque conflagrare, num intus sedens otiosè incendia spectare deberem? Atque si hoc facerem, me quoque ipsum flamma absumeret, quin statim accurrerem, aquam afferrem, & omni opere igni resisterem, hoc ipsum nunc ago, qui flammâ à te in Dei domum, qui vetustissimus est Pater, injecta pro mea parte remedium adferre conor.* Hæc tum Aphraates. Neque verò nunc meliora multò sunt tempora, minoresve pestes ubique hoc tempore infert Satanas, quam tunc Valens.

Sed verè diversa sunt tempora, diversusque Christianorum zelus: nam & antiquitus majores nostri, cum hæresis aliqua oriretur, causaque fidei ageretur, ita animis omnes commovebantur, ut non sibi satisfacerent, nisi universas Ecclesiæ vires in unum colligerent, ac tanquam in agmen accincti omnes una ad resistendum occurrerent. Et ut hæresim propulsarent, Episcopi, relictis gregibus, altaribus, sedibus, longè positas regiones non sine magno sumptu & periculo adire non dubitabant. Una autem omnium ordinum, & nationum Doctores, nec non & interiorum solicudinum cultores, tam Archimandritæ, quam alii, (ut de sancto Agronio contra Arianos, & aliis quamplurimis in Actis Conciliorum Generalium legitur,) literis & sermonibus tanquam ad commune restinguendum incendium accurrebant. Quod si priscis illis temporibus unus aliquis error totum Christianum orbem usque adeò commovebat, ut ab antris deserti, viros solitarios, in communia castra convenire compelleret; quid nunc facere oporteat, cum non uno aliquo errore, sed ipsa hæresum colluvione opperatur, & exerceatur Ecclesia? Quis, qualiscunque sit ille Ecclesiæ Catholicæ filius, qui piæ matri ràm graviter laboranti opem ferre recusет? Immo etsi Ecclesiæ tam ingens periculum non immineret, sed tantum utilitas major, ac spiritualis profectus animarum expectaretur; sufficeret, ut & Monachi, & solitarii prætermissa contemplatione, ac claustura Ecclesiæ conatus adjuvarent: ut optimè docuit Innocentius Papa in *c. licet. de Regularibus*, his verbis: *Sicut majus bonum minori bono præponitur; ita communis utilitas speciali utilitati præferenda est. Et in hoc casu velle præponitur doctrinæ silentio, solicitudo contemplationi, & labor quieti.* Quæ sententia latiùs confirmatur à D. Thoma *Opusc. 19. c. 4.* dicente: *Nec valet quod dicunt aliqui, quod hoc posset fieri, quando necessitas immineret, quæ nunc non apparet; cum magistrorum jam sacularium copia habeatur. Quia utilitas communis non solum debet procurari, ut sit quocunque modo,*

sed

sed ut sit optimo modo, quo fieri potest. Quantò autem Doctores magis multiplicantur, tanto utilitas communis, quæ ex doctrina provenit, magis crescit: quia uni manifestatur, quod alteri nondum notum est. Vnde dicitur Sap. 6. Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. *Sap. 6.* *Quo zelo Moyses ductus dicit Num.* 11. Quis tribuat, ut omnis populus prophetizet? *Num. 11.* *Gloss. Fidelis Prædicator optat si fieri valeat, ut veritatem, quàm solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.* Et infrà: *Prophetizare omnes voluit, qui bonum, quod habuit, non invidit.*

Quis ergo cum tot exempla Sanctorum, tum illas monasticæ vitæ columnas *Basilium*, *Benedictum*, *Romualdum*, ac *Bernardum*, & eorum instituti sectatores, sanctissimosque Eremi Patres, & sacratissimos cultores animarum saluti deditos videat, sine temeritatis nota audeat tot, ac tantos Patres instituti sui deserrores judicare? aut quis non professioni Monasticæ convenientissimum proximos juvare pronunciabit?

CAPVT VI.

Missiones expedientissimæ sunt omnium Religiosorum instituto, illudque mirificè perficiunt.

RElig̃iones ex hoc esse perfectissimas, quòd fine mixto, tam ex contemplatione, quam actione gaudeant manifestum est. Nam cum primum apud nos locum obtinere DEUS debeat, qui & summum bonum est, & à quo omnia in nos bona promanarunt: secundo autem loco homini homo esse debet, inter quos una naturæ conjunctio est, qua major altera affinitas non est, atque ideò maxima in terris officia sunt, quæ ad DEI gloriam, hominumque salutem propagandam conferuntur. Quare rectè S. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 6. negotiosæ, & occupatæ vitæ munera duplici modo distinguit; alia enim sola exteriori functione complent, cujusmodi est servire hospitibus, vel ægrotis, vel militare, atque hæc quidem non paulò minora esse contemplatione: alia verò esse, quæ quasi fluunt ex abundantia quadam contemplationis, qua videlicet cum mens divino amore incensa fuerit, agitur in opera externa, ut est concionari, vel docere rudes, & alia similia. Hæc verò majora, & nobiliora esse non solum illa actione, sed etiam ipsa contemplatione, si sola, ac simplex sit, & si in se tantum ipsa vertatur ac nihil ex ea in alios utilitatis sequatur. Docuit hoc D. Thomas his verbis: *Opus vitæ activæ aliud est, quod ex plenitudine contemplationis derivatur, sicut doctrina & prædicatio, unde & Gregor. dicit in sua* Homil. super Ezechielem: *Quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus, dicitur* Psalm. 144. Memoriam suavitatis tuæ eructabunt: *& hoc præfertur simplici contemplationi: sicut enim majus est illuminare quam lucere solum, ita magis est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari. Sic enim summum gradum in Religionibus tenent, qui ordinantur ad docendum, & prædicandum: secundum autem gradum tenent hi, qui ordinantur ad contemplationem: igitur firmior perfectio est sortiri finem ex contemplatione, & actione temperatum.* Quare major perfectio erit Religiosorum, ac proinde eis magis expediens, in contemplatione, & actione exerceri, quam vel in sola actione, vel contemplatione: quia etsi Religiones quàm plurimæ ut Monachales, ad solam, veluti ad præcipuum scopum, contemplationem destinentur: quia tamen, ut jam suprà ostendimus, ex regula propria, à prædicationis functione non arcentur; non poterit obesse, sed prodesse quamplurimum omnium Religiosorum perfectioni, in hujus altissimi ministerii studio occupari.

Neque timendum est huic vitæ mixtæ, ne in actionem multiplicem dilabatur, ac iterum reprehendatur à Domino de nimia solicitudine, & turbatione erga plurima: nam cum interior oratio sive meditatio cum actione exteriori conjungitur, tam benè inter se nectuntur, ut actio à contemplatione juvetur, & contemplatio ab actione non impediatur. Verè enim D. Aug. *Epist.* 116. animi gaudium, lætitiam ac tranquillitatem non solum in solitudine ac secessu, sed & in actu quoque humano ait permanere, si ex illo aditu sive contemplatione ad operationem procedatur: ac proinde qui hominibus virtutem suam, & Evangelii lucem communicare instituerunt, non modo de virtutibus nihil perdere videntur, sed & eam potiùs multum augere: quasi enim quandam necessitatem injiciunt DEO, ut ipsis primo largiatur, quod per ipsos in alios effundi velit. Quare non potest non esse expedientissimum Religiosis omnibus, in juvandis Infidelibus has duas amplecti sorores.

Rem verò hanc potiùs practicè quàm theoricè, ac veluti ab experientia ipsa probandam aggrediamur. Ostendamus igitur ad proprii cujuslibet Religionis instituti observantiam Missionum opus esse opportunissimum, expedientissimumque medium, idque inprimis hac comparatione. Statuamus in hoc loco Religiosos duos, quorum alter de simplici tantum Regulæ observatione, suaque salute cogitet, alter Missiones meditetur. Rogamus igitur (quamvis experientiæ luce meridiana clarior est) uter ex his duobus chorum ardentius frequentabit? uter mortificationes ex his duobus, increpationes, morbos patientius feret? uter nova patientiæ genera studiosius inquiret? uter labores & tentationes constantius patietur? Res per se perspicua est, & quia non omnes capiunt verbum hoc, rationem discriminis proferamus. Manifestum est eum, qui nil nisi domesticum cogitat, (ut experimenta quotidiana convincunt) iis ad passionem, mortificationem, & virtutum acquisitionem mediis uti mediocribus, ita ut rarò admodum in eximiam sanctitatem iis mediis, eo modo, quo exerceri solent, perveniatur. Disciplina quippe domestica nihil arduum post aliquantum temporis repræsentat, ad cujus victoriam animus se solitæ altius erigat: immò consuetudine lentescit, & timendum est, ne iis, quibus præstare consuevit, satis contentus regrediatur, cum progrediendi signa non præferat. Ex hoc efficitur, ut animus vilescat, & satis crebrò cœptæ disciplinæ tenorem languidus omittat, seque ad laxitatem cum aliorum scandalo convertat; propterea que illæ Religiones, quæ hanc mediocritatem amplectuntur, cum degeneres otio, aufert itatem diuturnam sustinere nolint, ad mollia relabantur, & rixis, ambitionibus, aliisque peccatis, ut plurimum, deformentur: tantumque abest, ut ignavi Religiosi, qui prætexunt reformationem propriam prius quærendam, postmodum proximis vacandum, se ipsos promoveant, ut dolendum sit, quàm miserè propriis passionibus succumbant.

Hæc diximus ratione Religiosi illius, qui de

Missionibus nequiquam cogitarent non ii Religiosi, qui Missiones animo pertractant, & suam primo salutem, & mox totius Religionis bonum magnopere promovent. Ut enim actiones, & labores communes proferamus, quam strenuè ad horas Canonicas, ad verbera, ad increpationes, ad novos labores se offerunt, qui eas actiones tam perfectè obire cogitant, ut eorum observationem in exteris regionibus concedere, ac pro iis si oportuerit, occumbere meditantur? Quis hic non deprehendat quandam animi magnitudinem, quæ communi Monasticæ disciplinæ modo minimè contenta, largiores vigilias, inediam graviorem, acriora verbera, sæviores increpationes ferre contendat? Hæc quippe omnia, aliaque graviora in opere Missionum futura novit, eoque ipso quod animus ea complexus est, in quibusdam eorum præludiis, domi se exercere cupit, ne ad pugnam imparatus accedat. Hinc longè major quam sine Missionum studiis totius Religionis profectus existit: si enim Religiosi majora, & austeriora quærunt, quam quæ regula præcipit, quomodo non facillimè, exactissimeque domesticam disciplinam observabunt? Quomodo non omnia hæc levia existimabunt, ac perfectiora mortificationum, ac virtutum exercitia quærent, ubi rixæ, ubi prælationum ambitio, ubi cibi intemperantia; ceteraque mala, quæ Religiones labefactant? Profecto iis, qui Missiones cupiunt, longè alius affectus est, totoque ignominiis, laboribus, ipsique morti constanter ferendæ seipsos exponunt.

Accedit ad hoc quædam spiritus alacritas, similis affectui, quem Regius vates expressit in hæc verba: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Omnes enim actus expeditè, & celeriter obeunt Religiosi Missionum cupidi, velut ad cursum accincti, quæ regularium actuum insignis perfectio est. Quid hic de fluminis impetu, qui lætificat Civitatem DEI dicemus? Devotionis impetu inquam, qui sæpe foras erumpit, ac alios non ita generosos inflammat. Nunquam enim religiosa cœnobia, tam evidenter flammescere vidimus, ac cum de Missionibus ageretur.

Tamen ne devotionis sensu, qui à sapientibus non magni æstimatur, niti videamur, si rem Theologico more perpendamus, quis non consideret actus omnes Cœnobiticos ex Missionum cogitatione, ac propositio, insigne meriti argumentum acquirere, ex nobilissimo scilicet divinæ charitatis fine, quem qui de Missionibus non cogitant, vix, aut leviter attingunt. Sed & Philosophica & Theologica Gymnasia in finem hunc directa eximii meriti seminaria sunt, subest puritas intentionis, quæ major, ac verior elaboratur, & doctrina gravior, sanctior, permanentiorque acquiritur: obversantur quippe animo exercendæ doctrinæ occasiones, quarum qui de Missionibus non agunt, neque meminisci solent, & timendum est, ne vanitas pro pietate subintret: multos enim religiosos in urbibus clarissimis eleganter dicendo consenescere videmus: quos eò molestissimos studiorum labores intendisse infelicitatis argumentum est. Utinam universi Scholastici, dum studiis vacant, de doctrina cum sanguine pro Christo dissemianda cogitarent.

Ab exemplis etiam Sanctorum, tam antiquorum, quàm recentium, aliam non contemnendam ponamus rationem. Nam nihil in viris Christianis dignius, quàm Sanctorum vestigiis insistere: quorum studium non in eo tantum laudatur, quod salutem ipsi æternam consecuti sunt, sed etiam quod alios ejusdem saluris fecère consortes. Habet enim hoc zelus DEI, ut omnes velit & curet ejusdem DEI esse participes, quod in viris certè laudabile est, ac in fœminis etiam non minus commendatur. Quod ex B. THERESIÆ Virginis Carmelitarum Discalceatorum fundatricis spiritu satis patere potest. Illa quippe florentem Carmeli reformationem in hæreticorum conversionem peculiari intuitu destinavit. Quantò ergò congruentius sit viros pios, qui per seipsos eam conversionem DEI auxilio operari possunt, hoc ipsum meditari & exequi.

Tertia ratio petitur ex Religionum reformatione: Cum enim constet non modò Religiones laxatas, verùm & reformatas, quæ sibi tantum vivunt, brevi tempore in ambitiones & discordias degenerare occasione otii & inertiæ; quæ sunt vitia Religiosorum, nihil Apostolicum cogitantium: profecto ad augendum & conservandum Religionum spiritum magnopere conducit opus conversionis Infidelium. Sic enim exercentur ingenia utilibus studiis, & animi ornantur veris virtutibus, incenduntur desiderio patiendi, & in ipsa claustri disciplina proficiunt; qui certè fructus feliciter nunc etiam provenirent, si Religiosi à Principibus Ecclesiæ de opere Missionum admonerentur.

Denique recentibus antiquisque constat historiis, viros aliquos insignes, qui catalogo Sanctorum digni censentur, in ipsa Infidelium conversione eximiam vitæ sanctimoniam comparasse, vel illustri martyrio, vel præclara laborum plurimorum perpessione, quæ legationem Apostolicam miro modo condecorat. Verisimile autem est tantis luminibus Ordines Religiosorum, Ecclesiamque hac ætate carituram fuisse, nisi conversioni Infidelium viros illos destinasset. Nunc ergò quis non videat, ex hoc capite ornamentum perfectissimum, non solum ipsis Ordinibus, sed etiam toti Ecclesiæ corpori accedere: quod cum sanguine clarissimorum Martyrum fides propagetur, & vincat perfidiam. Quod verò spectat ad viros alios planè sanctissimos, qui martyrio coronati non sunt, subest validissimum argumentum ad Missiones persuadendas, quod in ipsa conversionis legatione tantos in vitæ sanctitate progressus fecerunt, ut numero Sanctorum digni existimentur: quod viris peritis compertum est. Cum itaque Apostolico isto labore Ecclesia mirificè, & Martyribus, & Confessoribus decoretur, profectò à summis Ecclesiæ Principibus, & ab ipsis Religionum Prælatis Infidelium conversio, ut fiat convenientissima instituto, sollicitè debet procurari.

Recensemus igitur in hujus argumenti confirmationem primo loco, breviter tamen, viros, qui ex Ordinibus Mendicantibus prodierunt, (ut nunc omittam eos, quos in hac spiritali militia sanctissimi Monachales Ordines habuère, quorum aliquos retulimus suprà) Apostolis adnumerandos, ac moribus revera Apostolicis, & divinis excellentes, qui prædicatione sancti Evangelii sanctiores effecti, Ecclesiæ augmentum, suæ familiæ honorem, & præcipuè DEO gloriam ac laudem reportarunt. Enumerabimus deinde Martyres, qui ex eisdem Ordinibus prodiere. Si enim res ipsa attentè expendatur, omnes ferè sanctitatis excellentissimæ viri, qui in Ordinibus Mendicantibus floruère, aut martyrii palmam sunt consecuti, huic animarum lucrandarum studio, maximè Infidelium fuerunt addicti. Ex quibus clarissimè convincitur, eorum instituto expedientissimum esse Missionum frequentem usum. Et ut nunc omittam *D. Franciscum*

ciscum in Ægypto peregrinantem, D. Dominicum cum Hæreticis assiduè congredientem, S. Patrem nostrum Angelum totum pænè orbem animarum lucrandarum studio perambulantem: quæ ne antiquiora videantur, ad nostra sæcula deveniamus.

In primis Martinus Valentinus illustrissimæ sanctitatis vir, Ordinis S. Francisci, duodecim assumptis socijs, in Indias Occidentales profectus est; illum Indi tanquam Apostolum divinitus ad ipsos missum coluerunt: summis enim vita functus miraculis coruscavit. Nec minoris sanctitatis fuit unus è duodecim sociis Torivius Mitolinia. Eximiæ fuit sanctitatis similiter & alter Joannes à S. Francisco, qui solis precibus, ac nullo planè studio assecutus est linguæ Mexicanæ cognitionem, aliaque innumera patravit miracula. Andreas ex Olmo, qui quadraginta triũ annorum spatio Indis Christo reconciliandis insumpto, quot, & quanta perpessus fuerit, quæ inquam, discrimina divino beneficio superaverit, incredibile est. Item Franciscus Colmenarius 35. annos Indis ad ovile Christi perducendis impendit, in quibus nihil non duri, & acerbi toleravit, per quem vita functum DEUS quamplurima dignatus est miracula operari. Franciscus Soto, quem aliquando concionantem Indi ingenti luce circumfulgentem viderunt. Insuper Martinus Jesu, supra cujus sepulchrum sæpè visus est homo maximo splendore circumfusus. Hos igitur paucos ex hac familia retulisse satis erit ex plurimis, qui virtutibus divinissimis florentes, miraculisque editis clari prodierunt, innumerosque ad Christum populos perduxerunt: de quibus qui plura desiderat, legat historiam Francisci Gonzagæ Episcopi Zephaleni, & Marcum Ulissiponensem, Episcopum Porti in Lusitania.

Sunt porrò ex Ordinibus aliis quamplurimi, ut D. Augustini, Dominici, Carmelitarum, è Societate JESU, qui magno Ecclesiæ emolumento, & proprii instituti perfectione, vitam cælestem degentes in terris mirabilia magna in conversione animarum patrarunt, ut latius prosequitur Thomas Bosius Tom. 1 de sig. Ecclesiæ, sig. 9. de propag. fidei cap. 2. & 3. & sig. 57. de sanctitate Ecclesiæ c. 21.

Nullus autem fuit ex hisce Ordinibus, qui Martyres non protulerit, in nostræ fidei, & sanctitatis propriæ confirmationem. Ex sola Franciscanorum familia Franciscus Gonzaga numerat 114. eorum tantum, qui hoc sæculo floruerunt: quibus si adjungantur alii ad alia sæcula attinentes, de quibus Bosius sig. 27. ut suprà, numerum 200. excedent. Ex Religione verò Societatis JESU, qui hactenus ab Ethnicis, Mahumetanis, & Hæreticis pro Catholica fide interempti sunt, propè centesimum numerum attingunt. D. verò Benedicti ad certum numerum non ita facilè redigi poterunt. Aliorum autem Ordinum nominatim numerum scire penitus impossibile est. Præcipuè tamen S. Dominici, è quo sanctitate florentissimi viri prodierunt quamplurimi, qui & superioribus sæculis, & nostro durissimam mortem perpessi, martyrii coronam sunt adepti.

Quocirca efficacissimum evidentissimumque argumentum elici potest, Missiones omnibus Religionibus expedientissimas esse, cum earum occasione viri egregii, qui tot, ac tanta pericula pro fidei dilatatione adierũt, qui acerbissima, & asperrima sunt pro eadem causa passi, qui vastissima, & sævissima maria transmiserunt, qui regiones incultas, incognitas, & horrentes peragrarunt, & qui inter efferatissimos populos, belluas inhumanitate morum superantes, versati, nullis tecti præsidiis, nisi divina operti eosdem populos ad veræ fidei cognitionem præduxerent: sic denique, qui pro ejusdem fidei veritate ac propagatione vitæ periculũ subirenõ dubitarunt. Unde si omnium Ordinum viri sanctitate præclari computentur, majorem eorum excellentiorem que partem animarum saluti, & præcipuè Infidelium operam dedisse invenietur, aut pro fidei dilatatione martyrii palmam arripuisse. Maxima verò tunc erit hujus argumenti vis, si expendamus, in nulla Religione vigesimam Religiosorum partem, in aliis verò, nec centesimã in Missionibus occupari, & ex hac minima seminis portione majores DEO, & Ecclesiæ fructus referri, quam ex alia quantumvis maxima Religiosorum quantitate, & numero regularibus exercitiis occupato. Quæ cum ita se habeant, quam gratos Domino ac Salvatori nostro, quam fructuosos, quam salutares proximo, ac toti Ecclesiæ, quam ipsi Domino gloriosos futuros meritò speramus, qui huic operi alacriter se accingunt? Quare cùm DEUS tot, ac tantis signis manifestaverit Religiosis omnibus expedientissimum esse hujusmodi operi Missionum insudare, id sine magna nemeritatis, aut cæcitatis nota inficiari nõ possumus.

CAPVT VII.

Occasione contemplationis quantumvis sublimis, aut strictioris clausuræ Monachos non excusari à Missionibus adjuvandis.

ILlud semper fuit consilium Principis tenebrarum, (qui DEI gloriæ, animarumque saluti adversatur) eos ministros, quos multis profuturos timet, à tam salubri opere, sub majoris boni, aut saltem sub propriæ quietis ac pacis interioris, contemplationis, aut strictioris clausuræ prætextu deterrere. At contemplationis studium quantumvis ardens, & sublime ad tempus esse ob proximorum salutem prætermittendum: nec hoc prætextu Monachos Eremitasve solitudinis sectatores excusari, præter exempla quamplurimis firmata rationibus, hactenus commemorata, Sanctorum etiam Patrum proferamus testimonia, in quibus omnes uno ore contemplationem ab actione, hoc est, proximorum cura sejunctam, vel sterilem, vel minus fructuosam judicarunt.

D. enim Hieronymus *lib. 3. in c. 31. Prov. Tom. 8.* in enarratione illorum verborum: *Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis*, inquit: *Sicut totius labentis sæculi cursus perenni diei, ac noctis alternatione variatur; & dies quidem ad operandum, nox ad quiescendum naturaliter condita est, sic totum præsentis Ecclesiæ tempus gemino quodam quietis & operis statu discernitur. Quasi enim nocte quiescit, cum aliqui fidelium ejus intermissa ad tempus solicitudine externa, sibimet vacare, seque ipsos spiritualiter incipiunt juvare, vel lectionibus sacris, vel orationibus, ac lachrymis sese, vel alios hujusmodi studiis secretius exercendo. Surgit autem de nocte, cum in ejsdem suis fidelibus ad augendam etiam proximorum curam se sollicite accingit. Quod fraternæ administrationis opus duobus modis exercere consuevit, quia & eos, qui foris errabant, ad fidei gratiam convocat; & illos qui fidei sacramentis jam sunt imbuti, ut bonis operibus amplius insistant, exercitare non desinit. Unde bene dicitur*: Deditque prædam domesticis suis; *tum eos quos ab antiqua hoste eripere potuit docendo, societati illorum, qui in fide præsse, conciliat.* Dat & ancillis cibaria; *cum humiles quosque & debito timore sua jussa servantes, ne pio labore fa-*

vescant, superna mercedis commemoratione reficit: De nocte surrexit, cum ad operandum se post quietem præparavit: & ideo aptè dicitur, quod lucerna sanctæ Ecclesiæ non extinguatur in nocte, quia & cum negotio quiescit actionis, vacat liberius luci supernæ contemplationis.

Sanctus quoque Augustinus in *Psal.* 119. explicans visionem scalæ Jacob, in qua Angeli ascendebant, & descendebant, *Multi*, inquit, *Sancti ascendunt ad Deum per contemplationem, & descendunt ad nos bonum nobis procurantes. In quadam altitudine cordis habitabat Paulus cum diceret*, Sive enim mente excessimus DEO: *jam quod mente excesserat, DEO excesserat. Excedente enim mente omnem humanam fragilitatem, omnem sæculi temporalitatem, omnia quæcunque nascendo, & nascendo evanescunt transeuntia, hic habitabat corde in quadam ineffabili contemplatione quantum poterat: Et si semper manere vellet in eo quod videbat, & loqui non poterat, te non levaret, ubi & tu posses videre. Quid autem fecit? Descendit: Ideo enim ait*: Sive temperantes sumus vobis (id est) *si loquimur, ut capere possitis. In illis scalis ascendentes sunt, & descendentes. Ascendentes sunt, qui proficiunt ad intellectum spiritualium: Descendentes, quis quamvis quantum homines possunt, fruantur intelligentia spiritualium, tamen descendunt ad parvulos, ut talia eis dicant, qualia possunt capere.* Ita Augustinus.

Item D. Greg. *Homil.* 5. *in c.* 18. Ezechielis: *Cum verò* (inquit) *ab activa vita ad contemplativam surgimus, quia diu mens stare in contemplatione non valet, sed omne, quod de æternitate per speculum & in ænigmate conspicit, quasi partim hoc & per transitum videt, ipsa sua infirmitate ab immensitate tanta celsitudinis animus repulsus, in semetipso relabitur. Et necesse est, ut ad activam redeat, seque ipsum continuè in usu bonæ operationis exerceat; ut cum mens surgere ad cælestia contemplanda non valet, quæque potest bona agere non recuset. Sicque fit ut ipsis suis bonis actibus, ad superiora rursus in contemplationem surgat, & amoris pastum de pabulo contemplata veritatis accipiat. In qua, quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad bona rursus opera rediens, suavitatu DEI memoria pascitur, & fovis piis actibus, intus verò sanctis desideriis nutritur. Hinc etenim de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur*: Memoriam suavitatis tuæ eructabunt. *Ostensa ergò animalia vadunt, & non revertuntur, atque vadunt, & redeunt, quia sancti viri ab activa vita, quam apprehenderunt, ad iniquitates non currunt, & à contemplativa, quam tenere jugiter non possunt, in activam relabuntur.*

Ac demum D. Bernardus *Serm.* 41. in Cant. *Docemur sanè ex hoc intermittenda plerumque dulcia oscula, propter lactentia ubera, nec quemquam sibi, sed omnes illi, qui mortuus est pro omnibus, esse vivendum. Va qui benè de DEO & sentire & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem, si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra DEI acceperant erogandum, si alta sapientes, humilibus non consentiant. Paveant quod in Propheta legitur, dicente Domino: Dedi eis aurum meum & argentum meum, ipsi autem de argento & auro meo operari sunt Baal.*

Idem quoque *Serm.* 50. in Cant. *Orantem*, inquit, *hominem cum DEO loqui, quis dubitet? quoties tamen inde charitate jubente abducimur, & evellimur propter eos, qui nostra indigent opera, vel loquela? quoties piè cedit negotiorum tumultibus pia quies? quoties bona conscientia ponitur codex, ut operi manuum insudetur? quoties pro administrandis terrenis justissimè ipsis supersedemus celebrandis Missarum solemniis? Ordo præposterus, sed necessitas non habet legem.* Et *Serm.* 57. super Cant. *Hoc vera & casta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendæ DEO, qui eum similiter diligat, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat.*

Et *Serm.* 9. super illa verba Cant. 1. Meliora sunt ubera tua vino, ait: *Quod enim postulat, te quidem delectat, sed ubera quibus parvulos alis, quos & paris, meliora. hoc est necessariora sunt vino contemplationis: aliud siquidem est, quod unius lætificat cor hominis, & aliud quod lætificat multos. Nam etsi Rachel formosior, sed Lia fecundior est. Nolis ergo nimis insistere oculis contemplationis, quia meliora sunt ubera prædicationis.* Hæc Bernardus.

D. Thom. Opusc. 18. c. 23. *Quantò contemplatio melior est actione, tanto plus pro DEO videtur facere, qui dilectæ contemplationis detrimentum aliquod patitur, ut salutis proximorum propter DEVM intendat: intendere autem salutis proximorum cum aliquo detrimento contemplationis ad DEI amorem, & proximi, ad majorem perfectionem charitatis videtur pertinere, quam si aliquis in tantum dulcedini contemplationis inhæres, quod nullo modo eam dimittere vellet, & propter salutem aliorum, propter quam apostolus non solum prolongationem præsentis vitæ, sed & à contemplatione cælestis patriæ retardari ad tempus voluit, propter proximorum salutem, ut patet per illud quod dicitur ad Philipp. 1.* Coarctor nimis, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo enim melius est; permanere autem in carne necessarium propter vos.

Denique si peregrinationes, & acta virorum Religiosorum perpendamus, quantopere nimirum divinam gloriam propagarunt, dum gentium remotissimarum salutem pauciissimi, pauciissimorum annorum spatio, in Indis Orientalibus, Occidentalibus, & in aliis regionibus Meridionalibus, & Septentrionalibus promoverunt, apertissimè inveniemus plurimos altos viros probos, qui sibi solis etiam divina contemplando vixerunt, nec sibi, nec Ecclesiæ tam fructuosam sobolem attulisse.

Jam verò si contemplatio, quæ optima, ac sublimior est portio, ad tempus relinquenda sit ob animarum curam, ut Patres censuerunt: quid de materiali clausura erit judicandum? Sufficiant exempla quæ de Monachis, ac Eremitis attulimus; nam in hoc casu, ut optimè philosophatur Innoc. 3. c. *licet, de regul.* rectè præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, & labor quieti: Cujus rei eam rationem reddit D. Thom. Opusc. 19. c. 2. *Quia cum media bona pro majoribus intermitti possint, ut dicit Gloss. super illud.* Luc. 9. Tu autem vade, & annuncia Regnum DEI; *sed bonum commune præfertur bono privato. Cum ergo Monachus in claustro, ordinem suum servans privato bono insistat, scilicet tantum suæ saluti; doctrinæ autem officium, quo plurimi eruduntur, ad commune bonum totius Ecclesiæ redundet, non est inconveniens, si Monachus extra claustrum vivat, ad doctrinæ effectum assumptus, de licentia ejus, ad quem spectat. Nec valet, quod dicunt, quod hoc posset fieri, quando necessitas immineret, qua nunc non apparet, cum magistrorum jam secularium copia habeatur; quia utilitas communis, non solum debet procurari, ut fit quocunque modo, sed ut sit optimo modo, quo fieri potest.* Luca 9.

DE

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM

LIBRI II.

PARS TERTIA.

Cura Infideles juvandi præcipuè spectat ad Ordines Mendicantes.

QVamquam DEVS omnipotens, *cujus natura bonitas*, ut inquit S. Leo, *cujus opus misericordia est*, universum hominum genus ad eam salutem, cujus causa conditum est, facilè per se adducere posset; tamen ut illam suavitatem, qua sua providentia in rebus omnibus delectatur, in hac quoque re, (id est animarum conversione) omnium maxima, retineret, ministrorum etiam operam adhibere decrevit, qui ut ait Apostolus 1. *Cor.* 7. adjutores DEI essent.

Hos verò inter alios ad tantam gloriam à Deo electos coadjutores in hac tertia parte ostendere conabimur fuisse Ordines Mendicantes, quod ex duplici capite deducemus; alterum ex antiqua horum sanctissimorum Ordinum in Ecclesia DEI institutione, alterum ex fructu, qui tanquam ex uberrimis fontibus in Ecclesiæ arva emanavit: ac demum Guilielmi harum familiarum acerrimi impugnatoris objectionibus, quibus satisfaciemus.

CAPVT I.

Ordines mendicantes ex vi suæ institutionis fuisse ab Ecclesia destinatos, ut proximorum, tam Fidelium quam Infidelium spirituali saluti consulerent.

IN primitiva Ecclesia olim fuit duplex Evangelizantium genus, quod usque ad nostra tempora productum est. Alii certas plebes moderandas instituendasque cura propria, ac perpetua suscipiebant: qui vel Episcoporum, vel Parochorum munere fungebantur. hos D. Petrus alloquens 1. Petri 5. *Seniores*, inquit, *pascite, qui in vobis est gregem DEI, non turpis lucri gratia, neque dominantes Clero*, &c. Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo.*

Fuit etiam alterum in Ecclesia DEI ministrorum genus, qui non firmas sedes tenerent, sed prout temporum opportunitas, & Fratrum necessitas postularet, duo potissimum munera exequebantur. Primum quod varias Ecclesias obirent, ac in eis proprios Pastores juvarent, infirmos confirmarent, ac omni ratione rem Christi promoverent. Secundum, quod in alienigenarum gentium fines pertransirent, ac luce Evangelicæ doctrinæ Infideles illustrantes, ad ovile Christi reducerent. Oportebat enim, ut in hac militiæ Christianæ ordinatissima, ac fortissima acie, præter militares copias certa sede dispositas, quibus nihil æquè curæ est, quam ut locum suum non deserant, essent etiam auxiliares copiæ, leviscque armaturæ equites, quorum munus sit, huc illucque discurrere, & ubi discrimen sit, promptè adesse, labantemque jam militem confirmare, ac præterea aliquando in hostes relictis propriis cohortibus irruere, illosque vel occidere, vel victos & captivos Duci exercitus tradere.

Sic igitur duo hi militum ordines in Ecclesia ab initio sunt pro ejus conservatione & propugnatione constituti; unus eorum, qui certo loco decertent: alter, qui per omnia discurrant, & operam propriis Catholicorum agminibus deferant, & adversarios, id est Infideles, verbi DEI gladio transfigentes, captivos in obsequium fidei trahant. Hoc vero duplici militiæ genere usi sunt Apostoli Act. 15. *Paulus & Barnabas inter se dixerunt, revertentes visitemus omnes Ecclesias, in quibus prædicavimus.* Ipsi etiam Apostoli (quorum Principi Petro dictum est, *occide & manduca*) verbi divini prædicatione, ac virtute miraculorum illam confirmantes, universum ferè orbem captivum in obsequium Christi, seu ut melius dicam, à servitute Dæmonum, in libertatem Christi traduxerunt. Et quamvis Episcoporum hoc videatur esse, uti verè successorum Apostolorum; Episcopi tamen hæc omnia præstare nequeunt. Quamobrem singulari providentia, ac non sine divino consilio à summis Pontificibus factum est, ut Religiosorum Ordines, maximè tamen eorum, qui Mendicantium nomine gaudent, specialiter deputarentur, qui Episcoporum, Parochorum, ac præcipuè Sedis Apostolicæ conatus in tuenda Catholica fide, & Ethnicorum procuranda salute, ipsius Sedis auctoritate fulti adjuvarent, atque hoc Apostolicum munus, tum inter Christianos, tùm inter Infideles, oppidatim

Per varia regna, & regiones discurrendo obirent. Quare meritò à Gregorio Magno emanavit decretum, ut habetur 16. *quæst.* 1. *cap.* ex authoritate, ubi *Ex auctoritate*, inquit, *hujus decreti Sacerdotibus, Monachis, Apostolorum figuram tenentibus, liceat prædicare.* Hæc Gregorius: qui Apostolorum munere fungi voluit Monachos, non quia in potestate, aut jurisdictione Apostolis succedant, hoc enim munus potius ad dignitatem spectat Episcoporum: sed quia suis discursibus, & missionibus animarum profectibus more Apostolorum student. Unde Apostoli, ac Religiosi, qui his per universum orbem Missionibus illos imitantur, *Nubes* in sacra scriptura meritò appellantur, quia aquas Evangelii portant populis effundendas, ut irrigentur terræ populorum, & de hac cælesti pluvia virtutum fruges spirituali operatione multiplicentur.

Quare nulli dubium esse potest, si Catholicè sapiat, omnibus Religionibus Mendicantibus non solum conforme, sed & præcipuam esse sui instituti partem, salutí animarum studere, esseque à Sede Apostolica in hunc finem ordinatas, à Deoque divinitùs institutas, & vocatas, ad fidei pietatisque propagationem, morum institutionem, ac communis boni conservationem. Quare Concilium Viennense, *ut refertur* in Clement. *Dudum.* parag. *Ceterum de sepulturis*, Episcoporum coadjutores, sive cooperatores in prædicationis officio, ac in aliis spiritualibus functionibus Mendicantes Ordines constituit. Quam verò ob causam Apostolica Sedes Religiones instituerit Mendicantes, & quale sit earum munus aptissimè declarat D. Bonaventura in *Tractatu*, Quare Fratres Minores prædicant, *Tom.* 1. ubi instruit Rectores Ecclesiæ DEUM imitari debere, qui etsi omnia per se possit, dignatur tamen in quibusdam operibus suis habere coadjutores, & Vicarios, in hoc præbens exemplum Ecclesiæ Rectoribus sollicitudinis suæ onus impartiendi, ne per ipsorum absentiam, & insufficientiam salus Fidelium negligatur: *Prædictis ergò* (inquit Bonaventura) *de causis in his novissimis temporibus, de quibus prædixit Apostolus* 2. Tim. 3. *quod instabunt tempora periculosa, ex multiplicatione peccatorum, & numerositate rudium populorum, & seductione hæreticorum, & raritate bonorum, & difficultate regendi, & insufficientia Prælatorum, & perplexitate casuum emergentium, & aliorum periculorum Ecclesiæ imminentium, ex variis eventibus providit Sedes Apostolica, ad obviandum præfatis periculis, remedium quibuscunque animabus pereuntibus administrando, quod divina ordinatione Religiosos quosdam Ordines instituit, qui officio Prædicationis, & Confessionis sibi commisso, subveniant indigentia populorum, & insufficientiæ Clericorum, & obsistant versutiis hæreticorum, & hoc in solatium, & sublevamen oneris, non in præjudicium plebanorum.* 2. Tim. 3.

Et infra: *Temperatissimè quippe*, ait, *sic disposuit Divina sapientia, & instituit Sedes Apostolica, ut per Ordines prænotatos in Prædicatione, & Confessione defectus Clericorum suppleantur, & animæ salventur.*

Et post pauca: *Quod autem quandoque Religiosi ad salvandos Fideles in Ecclesia essent vocandi, ostenditur in Evangelio,* Luc. 5. *Cum Dominus dixit Petro,* Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam: *concluserant autem piscium multitudinem copiosissimam, rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos, & impleverunt ambas naviculas. Mare est seculum: Navicula Petri est Ecclesia fidelium: Rete est Evangelica doctrina: per jussum Domini tanta piscium multitudo concluditur, quod rete rumpitur, quia tot ad fidem veniunt, quod eam etiam hæresibus scindunt. Sed cum Petrus, cum suis trahere non valent, annuerunt sociis in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos, qui Prælati Ecclesia cum Clero non sufficientes, tantam plebis multitudinem trahere ad litus vitæ perpetuæ, annuerunt, admittendo, sociis Religiosis scilicet, Ioanni & Iacobo, activis, & contemplativis, ut venirent, compatiendo animarum periculis, & adjuvarent tam eos, qui trahunt, quam qui trahuntur, illorum insufficientiam, istorum indigentiam relevando.* Luc. 5.

Demum subdit: *Quod autem prioribus temporibus in Ecclesia non erant vocati, vel missi à Sede Apostolica Religiosi, ad officia Prædicationis, & Confessionis, ut nunc, ista fuit ratio: Cum morbus adhuc parvus est, paucioribus indiget remediis & levioribus; sed cum cœpit invalescere, & latius se diffundere, ne desperabiliter ager periclitaretur, necesse est plura, & efficaciora remedia adhiberi: ita etiam cum status mundi modò deterior sit, quam olim, expedit plures nunc esse sublevantes, juxta illud,* Luc. 10. Messis multa, operarii pauci, (*idonei, & fideles.*) Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam. Ac tandem concludit Seraphicus Doctor: *Cum igitur jam sit Ecclesia quasi navis tempestate concussa, in qua remigantibus pavore trementibus, procellæ tumentes penè operiunt navem, missi sunt Fratres à summo Gubernatore, fulti auctoritate Sedis Apostolicæ, ut in naviculis suis, discurrentes per mundum, quos ex naufragio peccati periclitantes invenerint, rapiant ex undis, & ad littus salutis reportent.* Hactenus D. Bonaventura.

Ex qua doctrina colligit D. Bonaventura, in eodem Opusculo, prædictas Religiones astringi ex charitate saluti proximorum subvenire. Et doctissimus Pater Dominicus Bagnez 2. 2. *q.* 33. *art.* 3. *dub.* 3. Ordines Mendicantium teneri, sub præcepto habere specialem curam, ut Religiosi se exerceant in doctrina, prædicationibus, & Confessionibus, cujus eam reddit rationem. *Quia finis prædictorum Ordinum est salus animarum: & ideò Prælati tenentur ad media procuranda, nec non & subditi tenentur ex officio & professione sua disponere se, ut sint idonei ad exercenda potissimum sui Ordinis munia, sub peccato mortali, & ex consequenti tenentur peculiari obligatione, ad studium litterarum, quoniam hæc est dispositio idonea.*

Immò & D. Thomas in *opusc.* 18. 23. agens de Ordinibus Mendicantibus inquit: *Hujusmodi statum perfectionis magis habent Religiosi, qui ex voto sui Ordinis ad hoc obligantur, quod Episcopis ministrent in his quæ ad curam animarum pertinent prædicando, & audiendo Confessiones:* ubi illa verba: (*ex voto*) idem sonant, ac ex professione, sicut omnes tenentur Mendicantes. Ex quo etiam secundo fit, quod cum Religio nostra, inter Mendicantes Ordines à Summis Pontificibus fuerit annumerata, ut constat ex innumeris privilegiis, & ex *c. unic. de Religiosis domibus*, nullus restat dubitandi locus, illam esse à prædictis Pontificibus, & majoribus nostris destinatam in adjutorium Episcoporum, ut eorum ministerium in salvandis animabus Religiosi nostri sua doctrina, & exemplo adjuvent. Sed de hoc latius egimus in *Stimulo Missionum.*

CA-

CAPVT II.

Exempla Ordinum Mendicantium, qui in propaganda fide Catholica, miros in Ecclesia Dei fecêre progressus.

MUlta cõmemoravimus supra ex Monachorum familia circa animarum culturam præclarissima exempla. Supereſt, ut ad Mendicantium Ordines deveniamus, quos & Episcoporum, & Apostolicæ Sedis in hac causa cooperatores fuisse præstantissimos à tempore suæ institutionis usque ad nostra secula, nemo est qui dubitet. Et in primis de Patribus Dominicanis, quantum animarum conversioni insudaverint, quantumque à suo ortu, & origine totius orbis salutem procuraverint, & in quantas regiones ob hanc causam fuerint sparsi, facilè erit colligere ex Bulla *Innocentij* IV. & *Nicolai* IV. Fratribus Prædicatoribus, in conversione animarum laborantibus concessa, cujus initio habentur hæc verba: *Innocentius Episcopus servus servorum DEI, Dilectis filiis Fratribus de Ordine Prædicatorum, in terras Sarracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicocorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mosditarum, Tartarorum, Hungarorum, Majoris Hungariæ, Christianorum captivorum, apud Tartaros, aliarumque Infidelium nationum Orientis, seu quarumcunque aliarum partium proficiscentibus salutem*, &c. Hæc Innocentius.

Quos fructus Ordo iste tulerit ex tam copioso, tamque universali Verbi DEI semine, non facilè erit dinumerare. Nam cum aliqui Religiosi ad aliquas prædictarum regiones fuissent destinati, multas peragrarunt Barbarorum Provincias, in quibus nulla adhuc Christi notitia erat, idque eo fructu, ut ita scriptum sit, iniri non posse numerum animarum, ad rectam fidem per eos traductarum, præsertim verò in Cumanorum gente. Unde *Benedictus*, qui ceteris præerat Fratribus, ad Magistrum Generalem scribens, (quæ adhuc extant literæ) narrat multa hominum millia non solum ex plebe, sed etiam ex prima nobilitate Baptismum suscepisse. Quare hoc sufficiat quasi specimen eorum fructuum, quos hic Ordo in Ecclesia tulit, fertque indies, quibus recensendis justa jam volumina scripta sunt.

Ex Franciscana autem familia, præter alia anno ferè Domini 1270. missus est Constantinopolim, ad tractandam illius Græcæ Ecclesiæ reconciliationem *Hieronymus Esculus*, is qui postea ad summum Pontificatum evectus, *Nicolaus* IV. est appellatus, & quidem felici successu, quippè qui Imperatori, & genti illi veritatis legem persuaserit, secumque quadraginta ex proceribus, ad Pontificis pedes, & ad Concilium, quod eo tempore Lugduni habebatur, cum magno omnium gaudio perduxerit. Iidem etiam Tartaros non semel adierunt, primum ab *Innocentio IV.* missi anno 1245. quo tempore cum magnus hominum numerus Evangelium admisisset, paulò post multò plures illuc operarii destinati, Monasteria multa instituta, denique res Christiana feliciter prorsus administrata est. Iterum deinde anno 1341. à *Benedicto X.* Pontifice duo ex eisdem missi, tanquam Apostolici Legati, cum alijs socijs adjunctis, qui item accepta ab Imperatore illo promulgandi Evangelii facultate, multa denuo & templa, & Monasteria, cum divini cultus propagatione, multaque animarum conversione, instruxerunt. Anno autem 1332. non parva horum manus in Armeniam ipsam penetravit, inter quos præcipuus fuisse ferunt *Gonzalum Lauratum* virum doctissimum, qui cum concionibus, tum pluribus libris in illam linguam conversis, multum profecit. Eodem etiam fermè tempore, & *Paschalem*, inter Medos, & *Gentilem*, inter Persas versatos esse accepimus: & illius quidem extat Epistola, qua narrat se, cum munera, & uxores, quas Barbari illi offerebant, aliasque blanditias constanter repulisset, tentatum deinde esse contumeliis, bis etiam lapidatum, faciem & plantas igne adustas, quibus tamen rebus ita se nunquam territum, ut nec habitum deposuerit, nec à prædicando destiterit. Atque etiam circa idem tempus Bosina, urbs Dalmatiæ, *Gerardi* Generalis Ministri opera, conversa est ab hæresi, cum illac fortè iter habuisset; qui deinde etiam pluribus eò missis, finitima loca, quæ erant eadem labe infecta, expugnavit, & ad Christi ovile reduxit.

Odoricus autem *Forolivienſis*, eodem ipse fermè quoque tempore, tum, ut honores fugeret, qui illi ab omnibus habebantur, tum ferventi animarum zelo adductus, impetrata à Superioribus facultate, contulit se ad Infideles, ubi per varias excurrens provincias, versus Orientem, & Meridiem, eo in opere annis septem, & decem positis, viginti millia animarum solus baptizasse, & salutari doctrina instituisse dicitur. At vero circiter annum 1370. *Gulielmus Petrus* Catajum missus Evangelizandi causa, plures quam sexaginta, ex suis adduxit. In Hungaria autem cum Rex ille finitimas quasdam Provincias recenter subjecisset, destinatis eo Franciscanis octo, non plurib⁹ diebus, quam quinquaginta, ducenta hominum millia, ad Christum adduxerunt: quo successu impulsus Rex optimus, ad Ordinis Generalem scripsit, ut duo millia ad se Fratrum mitteret, quoniam nulli opus esset defuturum: legiturque adhuc hujus Generalis Epistola, qua suos ad tam optabiles, & glorioſos labores piè, & ferventer invitat. Nec tacendus *Joannes Capistranus*, qui anno circiter 1450 una excursione duodecim Infidelium millia, & multos præterea schismaticos Ecclesiæ aggregavit.

Quanti verò in Indiis Orientalibus, & Occidentalibus fuerint ab initio, & fiant quotidiè fidei Christianæ progressus, per Ordines omnes Mendicantes, immensi laboris esset enumerare. In eis sunt multæ familiæ, ex Ordine SS. Augustini, Dominici, Francisci, & Carmelitarum Excalceatorum, quæ huic uni rei Christianæ scilicet fidei propagationi dant operam. Primos omnium, qui ex Mendicantibus tantam hanc provinciam aggressi sunt, Franciscanos fuisse legimus, atque eosdem etiam in iis inveniendis, cum antea ne quidem de nomine auditum esset, magnopere contulisse. Cum enim Christophorus Columbus de ea navigatione instituenda, apud Ferdinandum in Hispania Regem ageret, nec ei, ut in re tam nova atque incerta, multum fidei haberetur; Patres duo Franciscani valdè eum juvisse dicuntur, tum ipsum animando, tum etiam Regem impellendo, ut eam occasionem omnino tentaret. Itaque cum impetrata classe Columbus Mexicana regna feliciter aperuisset, atque in Hispaniam, tam lætæ rei nuncius reversus esset, statim aliquot ejus familiæ Patres, ea in loca navigarunt anno circiter à Christo nato 1493. Atque eodem pænè tempore, ad Orientalem

Indiam Emmanuelis Lusitani Regis auspiciis à Vasco Gama patefactam, anno videlicet, 1500. missi sunt Evangelii causa viri octo, ex eadem familia, tum doctrina, tum pietate præstantes. Ab his initiis, hic Ordo per eas regiones diffusus, multiplicatis brevi tempore domiciliis, tredecim Provincias instituêre, in quibus magnam Christianæ rei operam navarunt, & adhuc navant. Ad eosdem labores paulo post, id est anno 1505. navigavere etiam Dominicani, qui item illic multa præclarè gessêre, deinde Augustiniani, & Carmelitæ.

Sed quamvis plurimum Ordines alii, ut Christi nomen ab omnibus in universo orbe colatur, laboraverint, inferior tamen laus Societatis JESU Religiosis non debetur, quæ tum in Gallia, Belgio, Germania, Polonia, totoque illo Septemtrionis tractu hæresum peste laborante, impigrè se ubique offert Catholicis confirmandis, hæreticis reducendis, aut etiam confutandis, tum etiam versus omnes orbis partes, ac præcipuè in utraque India infidelium culturam exercet: ac primum in Orientali India, Joannis Lusitani Regis rogatu, per *Franciscum Xaverium*, Apostolicum sane virum, introducta est, ac in celebri urbe *Goa* nuncupata, Societas JESU habet insigne Collegium, in quo moratur solent Socii amplius centum: ibi instituuntur pueri quam plurimi, è diversis regionibus oriundi, Brachmanes, Persæ, Arabes, Æthiopes, Cafres, Canarii, Cazarates, Bacanii, Malavares, Bengalæ, Canaræ, Peguæ, Patanes, Chinguolæ, Jai, Malai, Manacarabi, Macazareti, Malucii, Sionii, Mauri, Chinenses, & alii, qui in terras suas dimissi optimis instructi moribus, ac disciplinis Evangelium longè latèque disseminare solent. Eadem Societas in Occidentali India Evangelium Christi latissimè propagavit, ac in utraque India innumeros habet operarios.

CAPVT III.

Non sufficere Religiosis Mendicantibus præparationem animi ad juvandos proximos.

AT non desunt, qui dicant non opus esse, ad charitatis perfectionem animarum studium actu suscipi, sed sufficere in affectu, & desiderio habere, ut constat multos viros sanctissimos Eremi cultores, hac charitatis affectione, sine illo actuali exercitio, quæ proximis tenetur consulere, viros evasisse perfectissimos; ex quo inferunt sufficere Religiosis, etiam Mendicantibus, habere animi promptitudinem, hoc est, paratos esse juvare Episcopos, vel summum Pontificem tempore instantis necessitatis, vel ipsis requirentibus, aut præcipientibus.

Et quamvis forsan, si rem istam subtilius discuteremus, & ut dici solet in Scholis, metaphysice, posset forsan defendi, inter occasiones consulendi proximorum saluti assiduas & graves, sufficere charitatem in affectu, sive, ut ipsi vocant, animi præparationem; quemadmodum inter opes, & delicias sanctitas, inter honores humilitas, inter epulas castimonia: illud tamen certissimum est, in praxi similem animi præparationem nec sufficere, neque charitatis metam attingere. Proh dolor! pereunt innumeræ animæ, & actualiter detruduntur in infernum, & sufficiet charitas in affectu, aut sola animi promptitudo eas adjuvandi?

Quæ rogo fuit causa, cur sancti, & Religiosi viri cum probè intelligerent in quo sita esset charitatis perfectio, tamen ita charitatem proximi in actu sunt amplexati, ac si nihil ea esset, quæ in affectu tantum consistebat? Ac deinde illud etiam maximum est in hoc genere, quod cum Christi Domini vita perfectissima fuerit nostræ vitæ, & salutis forma, & ille non sola animi præparatione, sed etiam operibus ipsis, ac toto suæ vitæ cursu nihil aliud, quam animarum salutem curaverit, consequens esse videtur, ut qui in hoc utroque ejus in se effinxerit similitudinem, ei plus laudis debeatur, quam qui tantum in altero.

Hæc fuit etiam S. Bernardi sententia in Homil. *Ecce nos reliquimus omnia &c.* asserentis antiquis Patribus satis fuisse spiritum Domini solo spiritu sequi: *At*, inquit, *ubi Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, jam nobis in eo tradita est imago vitæ, & perfectionis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, ut utroque sequentes vestigio, non ulterius cum Patriarcha Iacob altero femore claudicemus. Neque id dicimus tanquam salvari quis vel hoc tempore nequeat, si secus egerit; sed ut gradum agnoscat proprium, & locum perfectionis, aut discipulatus officium non usurpet.* Hæc Bernardus. Clarius tamen ipse *Serm. 50. in Cantica*, de hoc duplici charitatis genere edisserens in proximis juvandis, non sufficere affectualem, sed actualem prærequiri his verbis ostendit: *Ordinavit in me charitatem. Quam putas harum? Vtramque, sed ordine opposito. Nam actualis inferiora profert, affectualis superiora. Etenim in benè affecta mente non dubium (verbi causa) quin dilectioni hominis DEI dilectio præponatur, & in hominibus ipsis perfectior infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in benè ordinata actione, sæpè, aut etiam semper ordo oppositus invenitur. Nam & circa proximi curam plus urgemur, & pluries occupamur, & infirmioribus Fratribus diligentiori sedulitate assistimus, & pati terra magis, quam gloriæ cæli, jure humanitatis; & ipsa necessitate intendimus, & temporalium inquietudine curarum, vix aliquid sentire de æterno permittimur, & languoribus nostri corporis, postposita animæ cura, penè continuè inservimus, & ipsis denique infirmioribus membris nostris abundantiorem honorem juxta sententiam Apostoli circundamus, pro hoc quodammodo facientes verbum Domini, de quo habes*: Erunt novissimi primi, & primi novissimi. *Orantem denique hominem cum DEO loqui, quis dubitet? quoties tamen inde charitate jubente abducimur, & & avellimur propter eos, qui nostra indigent opera, vel loquela, quoties piè cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bona conscientia ponitur codex, ut operi manuum insudetur? Quoties pro administrandis terrenis, justissimè ipsis superscdemus celebrandis Missarum solemniis? Ordo præposterus, sed necessitas non habet legem. Agit ergo suum actualis charitas ordinem, juxta Patrisfamilias jussionem, incipiens à novissimis.* Hæc Bernardus.

Præterea excusatio hæc frivola omnino videtur: nam vel loquitur de præparatione animi, quam debent habere subditi respectu Prælatorum Ordinis, ita ut ipsi non se immisceant Ecclesiasticis functionibus, nisi à Prælatis suis ad munus concionandi, aut confessiones audiendi, aut alio modo erudiendi populos vocati: & hoc verissimum utissimumque consilium judico, Quamvis fortsã sæpè laudabilius erit se ipsos pro Infidelibus juvandis Prælatis semel, atque iterum offerre, exemplo *D. Gregorij*, antequam ad Pontificiam ascenderet dignitatem, *S. Bonifacij Episcopi*, & Martyris Ordinis Camaldulensium; *S. Ludovici*

Beltran-

Beltrandi, qui omnes aliique quam plurimi sanctissimi viri à suis Prælatis ardentissimè efflagitarunt, ac impetratunt mitti in remotissimas orbis regiones, pro Infidelium salute procuranda: immò nullus ferè Religiosorum Ordinum alumnus à Prælatis, nisi ipsemet postulatir, huic altissimo deputatur ministerio. Nec verò si quis præsentit se à spiritu divino, semel atque iterum ad Missiones excitari, trepidandum illi est timore, ubi nulla est timendi occasio, nempè in apperenda sollicitequè procuranda illa re, quæ à Christo Domino commendata, ab Apostolis, ac tot sanctissimis viris tanto studio exculta, immò ipso usu, & experientia Religiosis utilissima, & jucundissima semper inventa: si enim nihil aliud, quam DEI gloriam, animarumque salutem sitiamus, nihil trepidandum, quin DEI spiritus, qui nostras mentes excitat, nostras quoque actiones juvabit. Quod si res optatum exitum non sortiatur, in re tam magna voluisse sat erit.

Verum ut eò quò digressi sumus revertamur: vel est sermo de præparatione animi respectu Prælatorum Ecclesiasticorum, quales sunt Episcopi, & summus Ecclesiæ Pastor; sic falsum est, Ordinum Mendicantium Prælatis, animi præparationem sufficere, quo ad populorum vel institutionem vel reductionem, quasi animarum culturæ, nisi requisiti, operam dare non teneantur.

Primò, quia Pontifices, cùm Ordines Mendicantes instituerunt, non in eum finem id præstitisse constat, ut coadjutores tantum in animi præparatione essent, sed ut re ipsa, cum animarum necessitas vel utilitas id postularet, manus operi admoverent.

Secundo, quia expressè D. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 4. *ad* 2. asserit, subvenire Prælatis in animarũ ministerio, hujusmodi Religionum proprium esse.

Tertio, quia Mendicantes, ut notum est, instituti sunt, variisque ab Apostolica Sede condecorati privilegiis, ut prædicando, docendo, aliisve modis convenientibus spiritualem proximorum salutem procurarent. Quæ igitur ratione animarum saluti consuletur, si dicti Religiosi animi solum præparatione succurrere contendant, aut quando unquam aliqua ex his sacris Religionibus, sola animi præparatione in animabus subveniendis contenta fuit? Nunquid *D. Dominicus*, aut *S. Franciscus*, *B. Angelus*, *S. Ignatius*, aliique Mendicantium Ordinum Patres, & Coryphæi, eorumque sectatores, quorum gloriosa gesta nulla delebit oblivio, pro animarum salute procurandâ, animi tantum præparationem sibi præfixêre, an verò pro eis lucrandis & instaurandis, labores, sudores, miras vexationes, ac sanguinis ipsius effusionem, nõ sine magno Ecclesiæ fructu pertulêre?

Quarto: Quia tunc animi promptitudo apud DEUM pro facto reputatur, cum quis opus bonum non exequitur, eo quod non possit, vel occasio desit: ut sunt Anachoretæ, qui in animi promptitudine habent obedientiam, patientiam, ac misericordiæ opera, quia parati sunt data occasione illa exercere: tamen si ipsis offerretur occasio, nullatenus talis animi promptitudo, nisi facto ipso comprobata, sufficeret. Quomodo ergò Religiosis Mendicantibus, ætate, quâ Ecclesia tot laborat hæresibus, tot impiorum opprimitur afflictionibus; tempore, inquam, quo immensus Infidelium numerus, ut sunt Indi, Æthiopes &c. Evangelicæ doctrinæ panem exigere conspicitur, mera animi promptitudo sufficere possit?

Quinto: Quia hæc animi promptitudo respectu Summorum Pontificum, ad quos tanquam ad summos Pastores spectat Infidelium curare conversionem, competere debet, non Religiosis tantum Mendicantibus, Monachalibus, & Clericis, verùm omnibus etiam laicis ad Infidelium reductionem aptis: quare ad majora Mendicantes Ordines ex vi suæ professionis vocatos esse palam fit.

Sextò: Quia ministeria Ecclesiastica, docendi v.g. prædicandi, &c. quæ lucrum temporale præ se ferunt, etiam exigui momenti, nunquam à Religiosis prætermittuntur, immo sæpius inter eos contentio exoriri solet, & æmulatio non modica, quisnam huic vel illi populo concionari debeat, quantumvis non nisi fructus temporalis inde speretur. Quinimo variis etiam discultibus, neglectâ Clausurâ, sæpius Religiosi vicos & castella pervagantur, ut modicum vini, frumenti, vel paleæ, aliarumq; rerum sibi comparent, & in hunc finem velut in scopum, prædicationem, doctrinam, sacramentorumque administrationem, quandoque imprudenter ex his aliqui dirigunt, & proh dolor, cælestia ac divina, in humana & terrena lucra convertunt. Cum verò de animarum salute, pro quibus Christus Dominus, spinas, flagella, clavos & vulnera, atque adeo ipsam mortem sustinuit, agitur, tunc passim animi præparationem in Evangelium pacis sufficere contenditur.

CAPVT IV.

Religiosi Ordinum Mendicantium non solum Fidelibus, sed & Infidelibus tenentur opem ferre.

ALiud insuper Dæmonis telum, adversus Fidei propagationem, animarumque salutem aliqui in nos contorquent, (quod meritò fidei arietem, vel ut clarius dicam, contra fidem appellare possumus) asserentes sufficere Fratribus Mendicantibus, si fidelium tantum saluti consulant, cum in aliquibus villis, aut regionibus inter Christianos adhuc commorentur homines fidei Christianæ ignari; ac ipsis etiam civitatibus tot esse civium inveterata vitia, & mores corruptos, ut DEO forsan invisum sacrificium videatur, ac præposterus charitatis ordo, domesticis in fidei tenebris relictis, neglectaque spirituali cura domesticorum, eos, qui foris sunt, magno cum labore, ac non sine animarum nostrarum periculo immensis trajectis spatiis quæritare.

Quorsum, inquiunt, Missiones aggredimini, tantum terræ pelagique immensi ad ignotas terras trajicitis, si Christianorum curam deseritis, & extraneis consuliris, propriis ac domesticis derelictis; cum iniquitas maxima sit, posthabitis domesticis, extraneis vacare, & certos pro incertis relinquere fructus? Hanc frivolam excusationem, fidei propagationi omnino contrariam, de medio tollendam esse, duobus, aut tribus propositis argumentis, facilè convincemus. Primum erit, Ecclesiam usque in finem mundi crescere oportere, ac Evangelium pacis incessanter usque ad sæculi consummationem prædicandum. Secundum, hanc propagandæ Ecclesiæ curam potissimum ad Summum Pontificem pertinere, ac proinde Mendicantes Ordines, qui Sedi Apostolicæ sunt auxiliatores, teneri in hac fidei propagandæ cura ad hanc præclarissimam

Sedem

Sedem spectante cooperari. Tertium, Fidei dilatationem non esse huic curæ postponendam, eique semper studendum, etiam domesticis ovibus relictis, dummodo illis auxilia sufficientia conferantur.

Ad rem igitur redeamus. In primis constat Ecclesiam dilatandam esse, donec in toto mundo Evangelii lumen resplendeat, sintque unum ovile, & unus pastor: hoc autem à Domino fuisse præceptum eleganter docet D. Augustinus variis in locis, præcipuè *Epist. 8. ad Hesychium, & Epist. 48. ad Vincentium*, ubi contra hæreticos quosdam acerrimè pugnat, qui obicem fidei Christianæ per universum orbem propagationi ponentes, judicarunt Evangelium non debere prædicari ultra certos terminos ab ipsis præscriptos. Quantum deinde errent, qui Evangelicam tubam solum intra Catholicæ Ecclesiæ claustra resonare vellent, pulchrè docuit D. Bernardus in *Epistola ad Eugenium*. Quare cùm præceptum sit Domini non tantum datum Apostolis, sed etiam eorum successoribus, operarios pro excolenda vinea incessanter mittere, nemini dubium esse debet, hoc onus efformandi, mittendique ministros Summis Pontificibus incumbere, quibus universalis Ecclesia commissa est: unde cum Mendicantes Ordines, etiam suo modo Apostolis successerint, ut in *princ. hujus 2. partis* ex decreto Gregorii Papæ commemoravimus, sintque in hac parte Apostolicæ Sedi coadjutores idonei, pro virili tenetur in gentium procuranda salute Summorum Pontificum conatus adjuvare, usque dum ovile unum in Ecclesia consurgat.

Prætetea Christi Domini, ac Sanctorum omnium exemplo facilè edocemur, normam in Missionibus servandam. Nam in primis Salvator noster, ac Dominus JESUS Christus, cùm Judæa ferè tota, tempore mortis suæ, ac in cœlos ascensionis esset inculta, ac sceletibus immanissimis obruta, uno tantum Apostolo, B. nimirum *Jacobo* relicto, ceteros in universum terrarum
Act. 1. orbem ire præcepit dicens: *Eritis mihi testes in omni Judæa, & Hierusalem, & usque ad extremum terræ.* Nonne Apostoli, omissa etiam inculta maxima plebis portione, relictis ibi discipulis, ad alia regna migrabant? Nunquid non *Petrus* Antiochiam desedit, & *Paulus* Orientales Provincias, ut Romam venirent? Illis in locis Petri aut Pauli doctrina opus non erat? vel tunc Infideles omnes ad fidem conversi, ac moribus perfecti, integrique erant, cum ab illis provinciis præclarissimi Apostoli Romam profecti sunt; aut ab inclyta urbe Romana, cum Apostolorum Princeps discipulos, versus omnes orbis partes Evangelii disseminandi gratia emisit, Christo nomen collumque subdiderat? Ac denique, ut nunc aliorum Apostolorum similia præteream exempla, cum D. Benedictus ab Italia Maurum in Galliam; ac D. Franciscus in varias mundi regiones discipulos sparsit; Beatus Ignatius à Roma in novum orbem, aliasque Septemtrionales partes Xaverium, aliosque discipulos transmisit, num Italia viris illis Apostolicis, pro fidelium institutione, atque ædificatione non indigebat? Quid Summos etiam Ecclesiæ Pontifices damnabimus, qui divino afflati spiritu, quotidie operarios in remotissimas Provincias, pro infidelium salute curanda transmittunt, cùm non deesset messis multa tum Romæ, tum in aliis Ecclesiæ regnis.

Demum, nusquam Ecclesia esset propagata, nec Evangelium universo fuisset orbe cognitum. Nam si primum oporteret domesticorum morbos curare, ac rudes omnes Christianos instruere, errantes ad viam veritatis reducere, cum hoc moraliter sit ferè impossibile, non relinqueretur tempus, neque occasio propagandi Evangelium gentibus. Sufficit igitur, si populo Christiano auxilia ad salutem sufficientia conferantur; ipso verò renuente ad veritatis viam reduci, ad gentes converti, quemadmodum Apostoli Judæis prædixerunt: maximè quia domestici fidei nunquam remanent destituti ministris necessariis: habent enim Episcopos, Parochos, ac Religiosos innumeros, quorum ope facilè possunt veritatis viam edoceri.

Immo modicus fructus, qui ex Christiano populo, quasi ex vinea senescente colligitur, movere deberet Ecclesiæ Principes, ac Religiosorum Prælatos, ut eò sua studia converterent, unde majorem proventum sperarent. Nimis enim exploratum est, plurimos verbi DEI, ac Sacramentorum ministros in florentissimis urbibus Christianis parum proficere, experientia ipsa clamante, integros ferè populos, in eisdem semper vitiis jacere, quamtumvis ministris æternæ salutis abundent. Cur ergo non fiat delectus, & numero idoneo relicto, operarii multi destinentur, ad regiones, & nationes Infidelium, ubi felicius proficiant? Et quidem ratio hæc ipsos potissimum prædicatores, & Sacramentorum Ministros exstimulare debet, ne post labores studiorum, & scientiæ divinæ acquisitionem, vires consumant, aut eleganter dicendo, aut cum exiguo fructu laborando. Si enim rectè sentiant, prospicient profectò, in Evangelii prædicatione, quæ apud Infideles fit, se Apostolis similiores futuros, cum ibi stimuli multi vanitatis non pugnent, & ipsum JESUM Christum veracius per sudores, & labores imitentur.

CAPVT V.

Proponuntur & refelluntur argumenta Guilielmi & aliorum.

Guilielmi argumenta contra Ordines, tam Mendicantes, quam alios, quibus conabatur ostendere, Monachos non esse idoneos doctrinæ, nec verbi DEI prædicationi, immò hæc eorum instituto esse contraria, latissimè refert D. Thom. *Opusc. 19. c. 2. & 4. & 2. 2. q. 187. art. primo*: breviter tamen ea, quæ principaliora sunt, adducemus. Primum erat ex D. Hieronymo: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Secundum ex D. Gregorio: *Nemo potest Ecclesiasticis deservire Officiis, & in Monastica regula ordinatè persistere*: sed Monachi tenentur in sua regula ordinatè persistere; ergò non possunt Ecclesiasticis officiis deservire, qualia sunt prædicare, & docere. Tertio, Quia est contra doctrinam Apostoli 2. ad Cor. 10. *Nos autem non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, quæ* 2. Cor. 10.
mensus est nos DEVS. Unde dicunt, quod quicunque Religiosus ultra illum modum egreditur, qui sibi ab auctore Regulæ suæ est statutus, seipsum superextendit. Quarto, Quia Monachus tenetur Ordinem suum servare, sed extra claustra, non potest eum commodè servare, ergo non convenit ei prædicare, &c. Hæc sunt motiva Guilielmi, jam pridem à Sede Apostolica, ob ea, plurimis decretis damnati.

Ad

Ad 1. Respondet D. Thom. *dicto c. 2.* ibi Hieronymũ solùm affirmare, Monacho, in quantum Monachus est, competere pœnitentiam agere, non docere, sicut aliqui olim usurpabant; qui ex hoc ipso, quod Monachi erant, docere volebant. Ad secundum ex Gregorio, quod nemo potest Ecclesiasticis officiis deservire, respondet D. Thom. ubi supra; *Non esse intelligendum de his, quæ ad substantiam Religionis pertinent, ut etiam per apparatum ibi patet, quia hæc benè servare possunt Ecclesiasticis officiis deservientes: sed intelligitur, quantum ad alias observantias, sicut silentium, & vigilias, & hujusmodi: quod etiam patet ex hoc, quòd sequitur in prædicto cap. ut ipse districtionem Monasterij teneat, qui quotidie in Ministerio Ecclesiastico cogitur deservire A quibus observantiis regularibus non est inconveniens si aliqui abstineant, ut communi utilitati vacent docendo, sicut patet in illis, qui ad Prælationis officium assumuntur, cum etiam in claustris manentes, in talibus quoque dispensationem accipiant, propter aliquam causam. Et propterea aliqui Religiosi sunt, qui in claustris suis manentes, districtionem Ordinis sui servantes, scholastico insistunt officio, quod ex institutione sui Ordinis habent.*

Ad tertium respondet ibidem his verbis: *Ille se extendit super mensuram suam, ut patet per Gloss. ibidem, qui se extendit, ultra quam concedatur ei: Illud autem intelligitur concessum, quod nulla lege prohibitum inventur. Undesi Religiosus aliquid faciat, quod non sit sibi per regulam suam prohibitum, non superextendet se super mensuram, quamvis de illo faciendo in Regula nulla mentio fiat: alias non liceret Religiosis aliquibus, qui habent Regulas latiores, assumere sibi perfectiorũ vita consuetudines & statuta,* Philip. 3. *quod est contra Apostolum ad Philip. 3. Qui ea quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ sunt priora se extendebat. Et præterea aliqui Religiosi sunt, qui doctrinam ex institutione sui Ordinis habent, & patet, quod contra eos dicta objectio non procedit.*

Ad quartum, ex sanctissimi Doctoris doctrina modo allata facilè respondetur: ubi docuimus non solum imminente necessitate, sed etiam postulante id animarum communi utilitate licitè prætermitti Ordinis observantiam, maximè illam, quæ non ad instituti substantiam spectat.

Et ut alia, quæ ad Mendicantium Ordinum functiõnes, & privilegia spectant, breviter ex mente D. Thomæ *d. Opusc. 19. & 2. 2. q. 187.* adjiciam, quæro cum D. Thoma, cur Mendicantes Religiosi in mediis oppidis, ac civitatibus sua fere cœnobia extruant, ac proinde civium tumultibus exposita; cum tamen Monachi longè ab hominum cœtu, & frequentia remoti in agris, montibus, & solitudinibus sua Monasteria exædificaverint? Respondeo cum S. Thoma locis citatis, ideò Mendicantes in civitatibus habitare, ut juvent alios, & ipsi pariter eorum largitionibus adjuventur, cum Christi causa omnia reliquerint. Monachorum verò non fuit proprium, alios docendo juvare; aut se fundis, possessionibus, ac bonis stabilibus in communi abdicare.

Præterea quæritur, Cur Mendicantes viribus alioquin prædíti, manibus minimè laborent; cum ex Augustino per totum librum, de opere Monachorum, ex Basilii item, & Benedicti Regula, & cap. *de præsentium 16. q. 1.* manifestè constet, olim Monachos manibus laborare consuevisse? Respondeo cum S. Thom. *Opusc. 19. c. 5.* non idem juris esse de Mendicantibus, quod de Monachis. Illi enim sunt instituti ad docendum, concionandum, conferendum Sacramenta, & proinde ad diligentem literis operam navandam. Porrò qui spiritualia seminant, meritò, ait Apostolus, temporalia metunt, & qui altari serviunt, ex altari vivunt, Monachi vero minimè.

Ac denique, Cur Religiosi Mendicantes in studia literarum incumbant, cum olim Monachi solum quieti, silentio, solitudini, & contemplationi operam dederint? Respondet itidem S. Thomas *locis citatis, & cap. 11.* Mendicantium Ordines sese literis applicuisse, cum instituti fuerint, non tantum Monastici Ordines ad solitariam vitam agendam tantummodo, sed ad salutem animarum procurandam, propagandam, augendam, & conservandam.

DE

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM

LIBER TERTIVS.

De eligendis atque efformandis Ministris,& de aliis mediis ad propagandam fidem animarumque conversionem procurandam spectantibus.

IPEto mihi, homini aliàs inscio atque inexperto, veniam dari, ut Superioribus meis magna cum animi demissione possim ea media pro animarum salute suggerere, quæ me vel ex rerum usu, vel ex colloquio cum sapientissimis viris,aut etiam ex eorum scriptis discere contigit. At cum in hoc negotio nonnulla sint, quæ vel praxis, vel ratio ipsa ostendit magis, quàm primâ facie fortasse videantur fore difficilia, si executioni mandentur; de his solum, quæ magnum momentum habitura sint, ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem, auctoritatemque propagandam, salutemque multorum populorum ac gentium utiliter, nec magno sumptu, comparandam, dicemus.

CAPVT I.

De erigenda Congregatione pro fide propaganda.

PRimum itaque illud est, ut Romæ paucorum, sed zelo insignium atque prudentium virorum Congregatio instituatur, in qua seriò diebus statutis agatur de ratione omnium populorum adjuvandorum, hortatoriis, atque consolatoriis Epistolis,libris Orthodoxis,hisque ut brevioribus ac piis, ita ad dissêminationem apriorfibus, plurimis libris Catechismi S. Tridentinæ Synodi: quia jam ut varias in linguas est conversus, ita in multo plures facilè converti posset. Ceterum hujus Congregationis scopus is esset, qui primarius S.Ecclesiæ, Apostolicique totius muneris fuit, ut populi nutantes roborarentur, versantesque in ipsis hæresibus Catholici animarentur ad fidem,pietatemque propugnandam,ceteosque deinceps juvandos. Reliquis autem fidei Catholicæ propugnatoribus, quales sunt Episcopi, Concionatores, Parochi, Magistratus, Gymnasiarchæ, & animus adderetur, & instructiones variæ mitterentur. Hæc verò omnia Pontificis Maximi nomine fierent, nulla temporatiæ jurisdictionis, aut censurarum mentione, ut cum hoc labore sanctam hanc Sedem nullum se aut imperium, aut lucrum aliud quam animarum aucupari ostenderet, tum magis fortius Catholica Religio ubique stabiliretur.

Hac enim ratione Summus Pontifex paternum suum & universalem amorem, zelumque lucrandi animas, prisco ritu, circularibus Epistolis testaretur, & missellis oviculis per vastas gentilitatis solitudines, aut hæresum præcipitia errantibus pastoritia voce Pastor optimus ipsemet acclamaret. Hac etiam ratione in ipsis quoque vinculis usi sunt Apostoli populos assiduè, qui vel in medio perfidarum nationum viverent, de sua salute obnixè monentes. Hac summi Pontifices, quamvis in summa universæ Ecclesiæ perturbatione, ipsique deportati ad insulas, sive inter compedes, aut Martyrum sepulchra latentes: hac ceteri, qui pace Ecclesiæ data, illis succesfere, quales *S. Innocentius*, *Leo*, *Gregorius*, horum nominum primi, quive alii Ecclesiæ columnæ, & quasi firmamenta fuerunt,sunt usi. Quod si Summus etiam Pontifex Imperatorem,Reges,Principes, Prælatos, maximè verò Religionum Generales, aut Capitula, ad juvandas conversiones crebrius hortaretur; haberent hæc non leve pondus ad propagandam Christianam Religionem, restaurandumque divinum cultum; ac denique hæresibus ostium præcluderetur, cum sinceræ charitatis officia potius, quam ullæ aliæ industriæ vel sumptus aut labores humani,amorem & obedientiam in subditis stabilem certissimè operentur.

Hujus Congregationis quatuor, aut quinque esse possent Secretarii idonei, vel rerum & linguarum usu, vel doctrina, vel (quod caput est) pietatis effectu præstantes: quorum munus esset, cuncta ordine Congregationi proponere,constituta exequi, Orthodoxos & pios libellos pro ratione uniuscujusque provinciæ variis linguis conscriptos habere; Regesta literarum,Episcoporum etiam, Parochorum, Concionatorum, Familiarum, illustrium Catholicorum sive aliorum, à quibus posset huic negotio aliquod auxilium adferri, Catalogos asservare.

Horum alteri Septemtrionalium regionum cura demandari posset, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Galliæ, Germaniæ, Daniæ, Suetiæ.

Tertio Dalmatiæ,Bossinæ,Græciæ,insularumque adjacentium, atque item Thraciæ.

Quarto Cypri, Asiæ minoris,Tripolis,Syriæ, Hierosolymæ,Alexandriæ, Algerii. Alteri Poloniæ, Lituaniæ, Moscoviæ, Russiæ, Hungariæ, Transilvaniæ.

Quinto Indiarum Occidentalium, & Orientalium,

talium. Ad eas enim omnes provincias juvandas, fidemque ac pietatem, & libros disseminandos plures aditus patent.

Primò per eorundem Ordinum Generales, quorum in Dalmatia, Bossina, Peræ, Hierosolymæ, & alibi monasteria exstant.

Secundò per Episcopos Latinos, qui Cathari, Epidauri, quique in Creta & Corsica degunt.

Tertiò per mercatores, qui varias Orientis merces Venetias, atque ad alios portus transvehunt ex Andro, aliisque Ægei maris insulis, quique in patriam libros Italica etiam lingua conscriptos referunt, quæ & apud Græcos, & frequentioribus Orientis partibus in usu est.

Quartò per Chii, Andri, atque aliarum insularum viros nobiles, qui adhuc sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem amplectuntur ac retinent.

Quintò per Consules mercatorum diversarum nationum Europæ, quibus in Orientis emporiis Latini Sacerdotes non desunt, in oppido Pera, Tripoli, Syriæ, & Alexandriæ Ægypti.

Sextò per mercatores Genuenses, & Massilienses, qui circiter octingenti prope Algeriam solent coralia piscari.

Septimò per alios mercatores, qui fide publica accepta sæpè ad Orientales, aliòve tutò commeant, quique pios libros, sacras imagines ferre, sanctamque Religionem nostram liberè colere permittuntur, dum tributum Turcis pendant, nec de rebus ad regna spectantibus, vel contra Mahometis legem loquantur, cùm interea innumerabiles propè populi, & captivi Christiani cælestis doctrinæ cibum, sacramentaque sitiant, atque illud morti appropinquantes solatium pernecessarium exoptent, ut de moriendi ratione edocti, ad DEUM, propter quem creati redemptique sunt, ex ea captivitate tandem liberi migrent, quod sacrificii genus sanctissimum atque acceptissimum DEO est.

Inchoato igitur hoc opere, in nomine Domini, ab interiori animarum lucro atque à voluntatum acquisitione, in quibus in primis regnum DEI situm est, certissimum est non irritum fore Domini verbum, qui quærentibus ipsum reliqua omnia semper adjicit, & in Orientis & Occidentis Indiis suæ omnipotentis providentiæ indicia manifestissima præbuit paucissimis, qui sua studia laboresque, Deo adspirante, eò converterunt, in tam ingenti vinea laborantibus.

Quod si una Genevennensis civitas disseminandi libros, literasque scriptitandi, paucissimorum annorum spatio, regna, orbemque pæne ipsum Christianum, Satana vires suppeditante, aut infecit erroribus, aut evertit; sanè è contra multò magis sperandum, est à dextra DEI, ut si debita huic rei diligentia adhibeatur, multa instaurentur, innumerabilesque animæ ad fidem Orthodoxam revocentur, reliquæ stent, pro quibus ut Christi sanguis effusus est, atque hæc Apostolica Sedes omnes labores libenter impendit, ita exstantibus tot adhuc Catholicorum reliquiis, præcipua nunc ab hac sancta Sede sollicitudo requiritur, ut quæ justissimè nomen, ita officium sibi à Deo commissum Catholicæ potestatis ostenderet.

Quod si tot Romæ præclara ingenia sunt, quæ aliis negotiis, causis, litibusque expediendis, totius vitæ tempus minus utiliter impendunt, cum tamen divinæ dispositionis in Ecclesiastica Hierarchia scopus hic non adeò primarius sit, quantò facilius duodecim ex tot millibus hominum, reperientur, qui sanctissimo huic operi, quique sanctæ Sedis Apostolicæ proprius est, scopum incumbat: cum post orationem, & reliqua pietatis opera, hac una ratione ipsi quoque antiqui pontifices Maximi, quanquam nullo Ecclesiæ patrimonio, aut temporario auxilio, vel Regum ope, suam in toto terrarum orbe auctoritatem universalem conservarint: cum (sicut antea dictum est) regnum DEI præcipuè in mentibus voluntatibusque hominum consistat; quæ nulla ratione alia quam charitate atque diligentia rectè conciliari aut retineri diutius in officio possunt.

CAPVT II.

De eligendis efformandisque ministris pro fide Catholica propaganda.

VErè enim Apostolicos homines postulat Apostolicum munus, qui Crucem JESU Christi semper in corpore circumferentes, illam verbis & factis annuncient, & in illius obsequium orbem universum redigant: quare tam excellenti oportet verbi DEI ministros præditos esse sanctitate, ut Apostolica verè debeant ornari. Quin & ipse Dominus Apostolos electurus, eosque in orbem missurus, orationem profundam pervigil antè effudit cum Patre rem tantam communicans. Vocatos præterea ad se quibus verbis, quam gravibus officii admonet? qua disciplina mittit? quibus præceptis imbuit? quanta integritatis, quanta mortificationis, quanta patientiæ commendatio? Quid obsecro hoc tali apparatu talis magister agebat aliud, quàm ut informaret Ecclesiæ Doctores, & Pastores, ne cui manus citò imponerent, ne Evangelicæ prædicationis munus nisi selectissimis & probatissimis committendum putarent? Idem mox à mortuis resurgens non patitur suos illos, quamvis jam ferventes & accensos amore ipsius, quamvis Scripturarum sensu donatos, ad evangelizandum prodire, sed domi se potius continere jubet, & magna meditatione expectare, donec induantur virtute ex alto. Quin etiam S. Paulus jam ad tertium cælum raptus, & mira operatus, non prius cum Barnaba destinatur ad gentes, quam sanctis Fratribus jejunantibus & ministrantibus, Spiritus sanctus eos sibi ad opus hoc segregari jubet. Diuturnam profectò vitæ immaculatæ probationem Apostolicum hocce munus efflagitat.

Tum, quia fidei prædicatio est res magna, ac major omni æstimatione, pænè innumeris plena difficultatibus & periculis, tam animæ, quàm corporis, quæ in disseminando verbo Dei occurrunt: semper enim fidei prædicatio fuit difficillima, fructificatio Evangelii laboriosissima: quare exposcit ministros generoso animo, ac virtutibus Apostolicis præditos. Nam, ut nunc alia prætermittam, quæ arduam hanc ostendunt provinciam, ac impedimenta, quæ illam ferè sæpè insuperabilem reddunt, profectò generalis ratio doctrinæ Christianæ satis per se ipsam difficultatem hanc manifestat. Etenim ratione omni superiora docet, nec probat: mores ab omni cupiditate & gloria alienos instituit, vitiis omnibus funditus eversis, quibus est humana natura plenissima, & diuturna consuetudine affirmatissima. Præmia policetur, quæ non videntur; ea quæ videntur contemnere jubet: sensum hominis ad ea transfert, quæ sentiri nequeunt: vitam non humanam agere homines vult. Quis igitur facile ac suave putet, belluas in Angelos transformare, idque volun-

voluntate ipsorum adnitente, quibus vis ista affertur? Verè opus hoc non hominis, non alterius cujuspiam quam DEI unius. Ipse sibi proprium vult: *Hoc est opus DEI*, inquit, *ut credatis in eum.* Joan. 6.

Tum præterea, quia animarum conversio ad DEUM, earumque omnis profectus & incrementum à nullo existere potest, nisi à DEO. Sic enim scriptum est: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et Dominus ipse; *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Joan. 6. Quid ergò faciunt homines in aliorum hominum conversione? Hoc unum, quod à DEO tanquam instrumenta adhibentur, ut calamus solet ad scribendum, serra ad secandum. Itaque ut instrumentum, si se per se movere velit, nihil efficiet, si verò ab artifice moveatur, omnia efficiet; sic homo in his divinis & supernaturalibus operibus tantum efficiet, quantum cum DEO conjunctus fuerit, & ab illo movebitur: quare quanto quis DEO conjunctior, tantò aptior animarum saluti procurandæ. Solet enim DEUS per instrumenta apta, hoc est, homines, qui sibi ipsis abnegandis enixius studeant, uti in magnis fidei negotiis, ac per eos brevi tempore sæpè efficacius agit, finemque attingit, quam diuturno tempore per plerosque alios homines, qui sibi vel mundo melius aliis sapere videntur. Quod & in Apostolis aliisque multis perspicuum fuit, qui humana sapientia, aliisque mundi dotibus præsidiisque destituti, mundum universum Christi fide & agnitione repleverunt. Magnus quoque *Antonius*, vir simplex, Alexandriam veniens, brevissimo temporis spatio, magnam Arianæ hæresi cladem intulit, quantam fortasse perdocti aut prudentes multi, licet Catholici, longissimo vitæ spatio non intulissent.

Quanta denique per ministros idoneos DEUS in animarum conversione operetur, omissis aliis antiquorum exemplis, duo tantum Apostolicorum virorum exempla, ferè nostra ætate recentia, commemorabo. Ac primus occurrit *S. Vincentius* ex Prædicatorum familia, cujus quidem opera, (ut optime narrat Hieronymus Platus de *bono status Religiosi lib. 2. cap. 31.*) tam longè lateque pervagata est, ut mirum fuerit, tam multas regiones potuisse unius hominis passibus percurri, quot ille evangelizando peragravit. Primum enim in Hispania Valentiæ regnum, Catalauniam, Aragoniam, Navarram: denique, exceptâ Galitia, & Lusitania, quibus ob certas causas abstinuit, singulas provincias, singulas urbes, singula ferè oppida obiit. Hinc Galliam ingressus, regnum Occitanum, Delphinatum, Franciam, Burgundiam, Normandiam, Provinciam, Arverniam, Vasconiam, Britanniam, & Flandriam ipsam, ac totam Sabaudiam; postea in Italiam descendens, Pedemontum, Insubriam, Liguriam, & omnia ejus littora adiit, postremò etiam ad Baleares insulas navigavit. Deinde ab Henrico Angliæ Rege humanissimis litteris ac nuntiis, & navi ad hoc ipsum missa, invitatus, eam prius insulam totam, mox Scotiam, postremò etiam Hyberniam lustravit, & quidem, ut ante dixi, non metropoles tantum, aut majores civitates, sed ubique villas ipsas & ignobiles pagos Christi exemplo circumiens.

Itaque quis præter DEUM numerare possit, quot ille animas ex vitiorum cœno, ex ipsis inferni portis revocarit? quæ vitia ex totis civitatibus & provinciis eradicarit, quantam ubique lucem divinarum rerum reliquerit? Illud quidem constat ex Judæorum secta, contra quorum perfidiam, cum eo tempore abundaret, illius zelus exarserat, supra viginti & quinque millia, Saracenorum octo millia ab eo ad Christum adducta fuisse; Christianorum verò perditorum, qui se ad bonam frugem receperunt, plusquam centum millia. Sic enim scribitur, quocunque is pedem intulisset, statim illic sequi consuevisse generalem pœnitentiam priorum delictorum, generalemque morum reformationem, aleam, blasphemias, perjuria, aliaque flagitia, immo verò etiam ineptias, & ludos ita cessare solitos, ut ne eorum quidem esset recordatio: denique tantam fuisse omnium contritionem, religionem, modestiam, nec solum dum ipse adesset, sed aliquamdiu postea, ut prisca illa Apostolorum ætas redisse videretur. Atque hæc de *Vincentio*.

Alter, qui huic adjungendus visus est, *Franciscus Xaverius*, ex Societate JESU, vir plane Apostolicus, ut ejus egregia facta confirmant. Is enim, ut breviter collegit Petrus de Ribadeneira in Catalogo Scriptorum Societatis, à *Paulo III.* Pontifice maximo, Joannis III. Lusitaniæ Regis rogatu, in orientis Solis Indiam ablegatus est: ubi incredibile est, quos labores tulerit, quas molestias devorarit, quot populos Evangelii luce perfuderit, quàm multos filios Christo peperetit, quàm turbulentis tempestatibus jactatus, quantis miraculis & vivus & mortuus nobilitatus sit. Goënsi in civitate (quæ Regia, & Lusitanici in Oriente caput imperii est) Religionem Christianam, Collegio Societatis exædificato, stabilivit. In Commotini ora CXL. Ecclesias constituit. Malacam & ad pietatem erudivit, & precibus tutatus est. Malucas insulas perlustravit. Truculentos Mori insulæ habitatores ac barbaros mansuefecit. In Japoniam primus cælestis doctrinæ lumen invexit. Multos Reges idololatras Christi jugo subjecit. Denique in latissimi Chinensis regni (quod Christi armis expugnare parabat) aditu sanctissimè vitam profudit, secunda die Mensis Decembris, anno salutis M. D. LII. ætatis LV.

His aliisque exemplis, quæ longissimum esset recensere, Prælati, ad quos eligendi mittendique ministros munus spectat, eruduntur expendere, quantum oportea (immo hanc esse hujus negotii summam) ut ministri tales eligantur, qui zelum DEI habeant, ac sua non solum libenter impendant, sed etiam seipsos superimpendant pro animarum salute, ac qui verè possint dicere, *Non vestra sed vos quærimus.* Quare eorum, qui mittendi sunt, examinanda est doctrina, explorandi mores, perspiciendus zelus, & desiderium labores pro Christo tolerandi, ac præcipuè vocatio consideranda, an fortuitò, an pro libidine, aut etiam avaritia (ut in aliquibus Religiosis Indias petentibus contingere solet,) an verò cælesti vocatione ducantur: nihil enim æquè nocet huic operi, atque mercenariorum & sua quærentium turba. Quid enim in Apostolica functione præstabunt homines animales spiritum vix habentes, aut quæ fidei propagatio, quæ morum instructio speranda erit, à Sacerdotes mercedem, non animas quærant? Pauci certè numero, virtute præstantes, spiritu ferventes, parati pro fratribus animas ponere opus Domini potius promovent. Etenim si tales operarii populis nationum divino dono contingerent, messis lætissima foret exspectanda. Verum obsequendum est divino præcepto, & assiduis ardentibusque precibus rogandus est Dominus messis, ut mittat

operà-

operarios in messem suam, qui non verbo & lingua tantum diligant, sed opere & veritate se ipsos idoneos novi testamenti ministros præbeant. Atque id quidem, ut Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis Ecclesiæ Catholicæ largiatur plena fiducia sperandum est, quia sine illo nihil possumus facere, qui quos vult ponit, ut eant, & fructum plurimum permanentemque afferant. Sed quod nostra interest, quales esse oporteat tanti operis ministros, in quo rei benè gerendæ spes omnes situs esse monstravimus, ipso DEO nostro adjuvante, accuratè deinceps persequemur, maximè *lib.* 4. Interim verò, qua ratione sint ministri efformandi, ac eorum magna comparanda copia præmittemus.

CAPVT III.

De instituendis Seminariis pro Ministris efformandis, & accingendis ad fidei propagationem.

CUm ea semper fuerit Sedis Apostolicæ pro salute animarum cura, atque in omnes universi terrarum orbis homines charitas, ut illos, licet longissimis locorum intervallis distantes, ad Catholicæ Religionis cultum alliciendos, & sibi adjungendos perpetuo duxerit: æquum existimavit Seminaria pro alendis, instruendis, formandisque Ministris erigere: quorum proprium munus esset, procuratio salutis animarum, ac dispensatio Evangelicæ gratiæ. Hanc enim methodum & rationem iniit divina sapientia, quæ cælitus descendit, & nostram carnem assumens duobus Seminariis universam propagavit Ecclesiam: quorum alterum non plus duodecim; alterum septuaginta alumnis constabat: horum autem eam curam Dominus gessit, ut usque ad mortem illos semper excoluerit, ac deinceps Spiritum sanctum iis de cælo miserit. Oportet enim, ut qui prædicandi Evangelium gentibus munus suscipere decreverit, primum præparare animam virtutibus & disciplina scientiarum. Diu dixe quod doceas: cum à Salomone præceptum sit: *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam.* Quamobrem ad Apostolos dicitur, ut sedeant in civitate *quoadusque induantur virtute ex alto*, ne quis divinæ ac cælestis prædicationis, maximè inter gentes onus assumere sibi ausit, donec vires roburque conceperit, ad sustinendum illud Spiritus sancti ope atque dono, & sacrarum literarum cognitione: tunc demum præparato in suâ domo convivio, in publicum procedat, multos inviter, laxet retia in capturam, seminet semen suum, & Evangelicæ veritatis sale omnia condiat, sed tamen calceamenta habeat in pedibus, ne terram attingat, ut tota ejus conversatio in cælis sit. *Act. 2.*

Igitur ut tales verbi DEI Prædicatores Catholica Ecclesia haberet, à Summis Pontificibus Romæ Collegia quædam sive Seminaria instituta sunt, ubi Ministri pro fide tuenda & propaganda literarum disciplinis, & sacræ Scripturæ documentis erudirentur: quibus meritò à Domino diceretur: *Vos estis sal terræ*; & qui condimento universo orbi esse valerent, quorum etiam doctrina non tantum universis hæresibus, verum ipsi Antichristo resisteret: ut meritò dici possit de illis in laudem Ecclesiæ, *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Horum verò Seminariorum auctor maxima ex parte extitit *Gregorius XIII.* qui maximo ære tria & viginti Collegia sive Seminaria in diversis orbis partibus extruxit, & annuo reditu locupletavit. Romæ vero pro Infidelium conversione erexit Germanicum, Britannicum, Neophytorum, Græcorum, Maronitarum, eo potissimum fine, ut Ecclesiæ ruinæ restaurentur, hæreses arceantur, ac fides Catholica per universum orbem dilatetur. Ex quibus certè Seminariis prodiit adolescentium Doctorum & Religiosorum, atque adeò Martyrum haud mediocris numerus, qui Ecclesiæ impertérrito animo inservierunt, atque in civitatibus quamplurimis, provinciisque hæreticorum ardenti zelo fidem jam collapsam restaurarunt.

Horum autem Seminariorum pro efformandis Ministris triplex genus esse potest. *Primum* ex alumnis diversarum nationum, qualia sunt ferè omnia, quæ Romæ, aliisq; Christianitatis partibus erecta sunt: ex quibus ut major universalisque fructus percipiatur, aliqua alia oporteret servari; primum ut non modò pro alumnis Pontificiis recipiantur ii, qui Ecclesiastici futuri sunt, verùm etiam qui apti ad alios status: indiget enim non modo Ecclesia bonis Clericis, sed etiam egregio politico Magistratu, Consulibus, Consiliariis Principum, Jurisperitis, Medicis, Ludimoderatoribus, ac probis omnino Patribus familias.

Secundo, ut qui recepti sunt, pro usu Ecclesiæ frequentius applicentur ad curam animarum, quàm ad beneficia non curata: illi enim non sibi solum, verùm etiam aliis prosunt: hi verò vix prosunt aliis: immo etiam haud raro officiunt sibi ipsis: tantum enim abest, ut unus atque alter alumnus integrum Capitulum reforment, ut etiam cum ululantibus lupis ululare aliorum importunitate cogantur.

Tertiò, ut hæreticorum filii & cognati proclivius etiam recipiantur, quam reliqui: sunt enim illi ordinariè ardentioribus animis post conversionem, & pro defendenda Religione Catholica majore aguntur zelo.

Quartò, ne facilè aperiatur locus Catholicorum liberis seu nobilibus seu obscuris, qui alias in schola Patrum Societatis JESU, vel aliis, propriis sumptibus, possent eruditi. Sunt enim hujusmodi homines postea ferè minus grati, & minoris frugis. Nec videtur ulla ratio, cur pauperibus bolus panis ex ore eripiatur, & detur iis, qui tali auxilio opus non habent.

Quintò, ne omnes, qui ad Seminarium Romanum pertinent, in ipsa urbe Romana nutriantur, ob varias causas: vident enim & audiunt aliqua scandala, tam in Ecclesiastica, quam in civili vita, quæ omnino ipsis decet esse ignota: atque ad propriam patriam reversi, reddunt se apud populares peregrinis moribus odiosos: facilè dediscunt patrios mores, assuefiunt deinde Italicæ pronuntiationi & gestibus, quæ omnia etsi nativos Italos non dedecent, Septemtrionalibus gentibus aliisque invisa sunt: ac proinde primò quidem risum, deinde contemptum movent, atque abeunt demum in communem fabulam. Estque alicui tali Romanisco (ut vocant) perdifficile amissam semel æstimationem recuperare, etiamsi mores ad communem vulgatumque stylum reformare impendio sategerit. Assuescunt etiam potui vini, ut vel ob hoc aversentur propriam patriam. Huc accedit, quod tam longinquo orbis interjectu necesse sit multos ineptos recipi, multos etiam idoneos excludi. Item quod cum

Romæ in umbra scholastica continuò educentur, ægrè deinceps assuescant domi suæ perpetuò in palæstra versari, multa quidem & subtilissima argumenta veterea gerentes in scriptis, sed recentia ignorantes, quæ etiam à fœminis & rusticis proponi solent, & consueverunt doctissimo cuivis negotium facescere.

Sextò, ut ex Collegiorum redditibus aliqui saltem ad tempus transferantur in aliquas Septemtrionales provincias, in quibus major fructus sperarur. Etenim cum totum hæreseos fundamentum sit extremum odium Romani Pontificis, maximoperè videtur esse necessarium, ut summus Ecclesiæ pastor suam erga omnes exteras nationes, quacunque potest ope & ratione, manifestam faciat charitatem, & clementiam, quæ alias tantò est occultior quantò remotior.

Septimò, ut ex eisdem redditibus non modò alatur juventus, verum etiam subveniatur viris maturis, ad rectam fidem conversis, vel convertendis, quales potissimum sunt ministri & pædagogi hæreticorum. Et sanè unusquispiam talis vir, quoniam doctrina sua & exemplo statim prodesse posset Ecclesiæ, majoris fieri debet, quàm multi alii alumni, qui tam in spem, quam in metum, ancipiti prorsus cura, enutriuntur, de quibus incertum est, qualesnam futuri sint olim, boninè, an mali.

Tum etiam, quod minores sumptus hoc modo pluribus sufficerent: nam uni quatuor, alteri tres, vel duo, quibusdam etiam unus coronatus quovis mense, juxta cujusvis qualitatem & necessitatem dividerentur: adeò ut cum octo millibus aureorum, qui Romæ quinquaginta alumnis (ut fertur) vix satis sunt, posset in Germania, hac, quia dixi, ratione, ducentis circiter capitibus satisfieri. Utuntur hac arte (ut ab aliis accepi) Duces Saxoniæ, qui præter Seminaria è ruderibus monasteriorum excitata, sat magnam alunt copiam hujusmodi, ut ipsi vocant, stipendiariorum, magno cum fructu suæ superstitionis, & metuendo Catholicæ Religionis detrimento.

At dicet quispiam, necesse esse exteros maximè de novo ad fidem conversos Romæ commorari, ut discant Romanas cæremonias. Sed hæc objectio facilè dissolvitur: nam si cæremoniæ Romanæ à Jesuitis, aliisque discuntur in Germania, & aliis remotissimis locis, cur non ibidem discentur ab alumnis Seminariorum?

Secundum genus Seminariorum addi potest, quod & à viris prudentibus, animarumque zelo præstantibus Summis Pontificibus non semel propositum fuit, nempe ut quædam Seminaria diversorum Religiosorum eligerentur, præcipuè illorum Ordinum, qui facilius & fructuosius pro suorum institutorum ratione (quales sunt Mendicantes, maximè observantes & reformati) possent in hoc negotium incumbere. Neque enim difficile valde apparet, ut ex duobus tribusve primariis Religiosorum Ordinibus, triginta, quadragintave Religiosi Romam evocentur, qui omnes quartum votum emitterent, se per totius vitæ suæ spatium curaturos Infidelium conversionem, ituros que in unamquamque orbis partem à Summo Pontifice, vel à suis Prælatis missos, qui deinde ad juvandas diversas nationes, rationem hic facilius prope sanctam ipsam Apostolicam Sedem assequantur, modumque tradendæ Christianæ doctrinæ, Catechismi docendi, Sacramenta ministrandi, Confessionum nodos solvendi, brevi tempore addiscant, ut deinde utiliores & suis Ordinibus, ubi alios ejusmodi docere possint; & populis remittantur. Quæ eò dicuntur, quod ad illud tempus, quod versandis scholasticorum libris adhibetur, maximi momenti putetur, si dumtaxat (quantum in hoc negotio temporis impendendum necessarium sit) reliquum iis rebus, de quibus dictum est, utilius impendatur.

Ita ex his aliqui non ita multò pòst mitti in Hungariam possent, ubi Latinè pænè omnes loquuntur, aut in Bossinam, Peram, & aliò, ubi ipsi Turcæ & eleemosynis alunt, & reverentur Franciscanorum Ordinis Fratres. Ac verò ex iisdem provinciis maximo cum fructu evocarentur adolescentes, qui in his Romanis monasteriis non adeò difficili sumptu, sine rumore instituerentur, qui deinde edocti, & in pietate diligenter instituti, uberiorem suo tempore messem percepturi, Sedis Apostolicæ fideliores filii essent.

Tertium genus Seminariorum forsan aliis fructuosius evaderet, si pro singulis nationibus, aut saltem pro præcipuis sectis, singula Seminaria deputarentur, in quibus efformarentur Ministri, qui essent illius sectæ ad fidem reducendæ deputati, ac illius bonum curarent non aliter ac patroni, tutores, aut protectores provinciarum solent. Quare oporteret maximè, ut pro Græcis & Ruthenis schismaticis ad unionem fidei perducendis, unum Seminarium, alterum pro Orientalibus Schismaticis, pro Judæis, ac Saracenis singula: pro hæreticis & gentilibus varia, secundum locorum, nationum ac temporis oportunitatem institueretur. Hæc etenim via Ecclesia, cujus præcipua cura est operarios idoneos efformandi, & mittendi in vineam, provideret errantibus oviculis vigilantissimos Pastores. Quantò verò hujusmodi Seminaria aliis sint præstantiora, ex sequentibus luce clarius constabit.

Nam ad hoc munus operarii fideles, & quàm fieri poterit maximè idonei cuivis nationi, ac convenientissimi selegentur: verbi gratia, qui Græcanicæ nationi deputandi, statim ut sedulam Græcis litteris operam dent curabitur, erroresque scrutentur, ac originem eorum, authores qui contra ipsos scripserunt gnaviter evolvendo, ut validis confutationibus possint armari, discutient. Præterea Græcorum Annales, atque ipsamet cum gente commercia familiaritatemque inibunt: ac demum, quod maximi est ponderis & momenti, pro ejusdem nationis tam spiritualibus, quàm temporalibus necessitatibus apud Sedem Apostolicam intercedent: habebuntque Græci Romam venientes utissimos patronos, qui eos foveant, instruant, ac ceterorum ad ipsos spectantium veluti benigni patres curam gerant. Operarii verò, qui ex hujusmodi officinis prodierint, in Græcorum vinea jam laborantes, majori studio ac fervore inceptо operi incumbent, dum quotidie auxiliares copias recenter adventantes, qui manipulos colligant, fructusque conservent ac tueantur, conspexerint: tum denique, quo nihil majus excogitari potest, habebit Græcia Romæ plures Angelos custodes, qui pro ipsa non solum apud Romanum Pontificem, sed etiam apud ipsum DEUM continuas preces in promotionem salutis animarum effundant.

Solet Apostolica Sedes pro singulis nationibus, aut pro aliquibus saltem Cardinalem protectorem meritò designare, qui Angeli custodis munere apud ipsam fungatur. At quantum huic protectioni præferatur hæc forma Seminarii res ipsa

loqui-

loquitur : quantum præterea excelleret Seminarium, quod nunc erectum est pro Græcis adolescentibus, prætermissis aliis, ex eo maximè constat : nam alumni, qui nunc in Seminario Græcorum (& idem etiam fit in aliis) instruuntur ac educantur, non omnes hujus vineæ excultores futuri sperantur : multi enim ad Clericatus dignitatem non promoventur, promoti verò non omnes eo animarum zelo feruntur, quem urgens suæ nationis necessitas exposcit : ac denique cum viros Apostolicos, heroicis virtutibus ornatos, doctrina excellentes, prudentia insignes, animarum studium & cura prærequirat, quid conferent adolescentes tanto muneri, viris Religiosis, ætate maturis, moribus probatis, zelo ardentibus comparati ?

Quod si ratione expensarum res forsan difficilior appareret, quam revera sit, non esset de erectione horum Seminariorum desperandum : Nam si singula Seminaria singulis Ordinibus à Summo-Pontifice commendarentur, dubium non est, quin Religiosorum Ordines singuli partem oneris assumerent, atque inflammati desiderio Apostolicæ Sedi animarumque saluti inserviendi, unusquisque unum aut alterum Seminarium pro natione sibi deputata erigeret, propriis sumptibus aleret, ac demum illarum gentium patrocinium assumeret ; sanctaque æmulatione, Ordinibus inter se certantibus, ferveret opus, ac zelus creseceret animarum.

Præterea cum in Ecclesia DEI innumeræ sint Religiones pro salute proximorum procuranda, institutæ, oporteret aliquam de novo fundari, cujus scopus ac finis particularis, præter orationem & contemplationem, esset fidei per universum orbem propagatio, & infidelium omnium ad Ecclesiæ unitatem, fideique veritatem reductio : nam licet plurimæ sint, quæ animarum conversioni studeant, divisa tamen sunt eorum pissima studia, ac partim Fidelibus, partim verò Infidelibus impenduntur. Nulla verò est in Ecclesia DEI hucusque Congregatio erecta, quæ solum animarum conversioni procurandæ destinetur. Quamobrem foret opus DEO longè acceptissimum, si huic functioni Religio aliqua à sancta Sede Apostolica institueretur, quæ unicè conversioni Infidelium invigilaret, atque inter ipsos ut plurimum versaretur.

Illud denique in electione hujusmodi Ministrorum occurrit considerandum, viros Religiosos hominibus aliis huic muneri esse aptiores, ut antea *lib.* 1. plenius disputavimus, tum ratione status ipsorum, qui sanctissimus est, & quò quis sanctior, eò etiam aptior esse judicatur : tum quia precibus, exemplo, doctrina, opere, ac sexcentis aliis modis ceteros operarios in excolenda vinea Domini antecellunt. Desiderat enim DEUS, Evangelio suo disseminando, pauperes, humanisque omnibus præsidiis destitutos operarios. Deinde homines majorem his fidem præbent moremque gerunt, qui doctrinam cum vitæ integritate conjungunt. Denique Religiosi aliis sunt expeditiores mutuis inter se auxiliis refocillati : quæ omnia non parum conducunt animarum profectibus. Quare par est, ut per Religiosos viros, qui Christum & animas sitiunt, negotium hoc passim peragatur.

Hanc enim teri semitam ita voluit Deus, ut per Religiosas familias, quæ Christiani orbis fuêre seminaria ab Apostolorum ferè temporibus, maximè verò hac nostra ætate, ut supra demonstravimus, ferè totius orbis conversio procuretur. Religiosi quippe sunt præcipui, qui hodiernis temporibus, pro animarum profectu, tuendaque Ecclesia, contra dæmones bella gerunt, qui fidem per universum orbem usque ad extremos Indos propagarunt. Quæ quidem omnia apertissimè expressa mihi videntur, in præclara quadam visione, quæ *Innocentio III.* Pontifici contigit. Cum enim DEI sapientia Franciscani Ordinis initia in ipso Francisco, & undecim Sociis ponere jam cœpisset, isque tantus fœtus proximus esset partui, ita divinitùs ostensus esse dicitur *Innocentio* Pontifici, ut videre sibi visus sit Lateranensem Basilicam, quæ tum sedes erat Pontificum, convulsis fundamentis collabentem ; pauperem verò quendam accurrere, qui eam humeris suppositis sustineret. Quod visum, cum paulò post *Franciscus* illum una cum suis adiisset, novam vitæ regulam approbandam deferens, eo conspecto, eaque regula accuratius expensa, nihil dubitavit Pontifex, quin ad ipsum ipsiusque familiam pertineret, idque exitus ipse demonstravit. Nam non modò ætas illa, quam primum hic Ordo prodiit, mirabiliter ejus operâ adjuta & illuminata est, sed totis his trecentis, & septuaginta sex annis, quibus deinceps stetit, hoc semper egit, ut DEI Ecclesiam quasi fulciret.

Hæc autem laus cum Franciscanæ familiæ non falsò, nec temere, sed vero ac solido cælestis illius visionis testimonio tribuatur : eadem mihi videtur sine ulla dubitatione tribui posse ac debere Dominicanæ, quæ in hanc eandem curam pari industria incubuit : eadem etiam aliis Ordinibus, quos deinceps tanquam variis horis operarios in hanc Dominus vineam misit. Quæ quidem si de singulis verè dicuntur, ut ad Ecclesiæ culturam, dignitatem, propugnationem, tantoperè contulerint, quantò verius de universis simul conjunctis : ut nos latius in superioribus sumus prosecuti, & quidem res ita aperta est, & ante omnium oculos, atque inter manus versata, ut opus non sit in ea comprobanda amplius immorari. Utinam quotannis ex Religiosis Ordinibus sanctiores viri à Sede Apostolica seligerentur, qui in vineam Domini excolendam mitterentur, reliqui autem ii mercenarii, sive Religiosi, sive sæculares, qui in exilium potius, vel ad mercaturam exercendam, quàm ad lucrifaciendas animas missi videntur, omnino revocarentur : cum plus destruat unus, quam plures ædificent. Cum, experientia teste, conspiciamus paucissimos Religiosos, exiguo annorum spatio, in Indorum conversione magna & mirabilia, DEO adjuvante, præstitisse.

CAPVT IV.

De apparatu faciendo, ad Missiones aggrediendas.

MIssionum opus arduum est sanè, & omnes humanas vires superans : quare oportet id ipsum aggressuros paratos instructosque omnino esse, ad immensos labores sufferendos, ac superandos : minus enim jacula feriunt quæ prævidentur. Et ut optimè Chrysost. *Orat.* 5. in Judæos *Tom.* 5. ferè in principio : *Ne vobis*, inquit, *mirum videatur, si ante tempus munimus & armamus animas vestras. Quandoquidem & inter agricolas, qui vigilantes & industrii sunt, cum habent vicinum torrentem, qui vexat laditque segetem, non cum suo tempore torrens inundat videlicet hieme ; sed tem-*

tempus illud prævertentes, & ripas obsepiunt, & aggeres erigunt, & fossas agunt, denique modis omnibus sese præparant adversus torrentis futuram violentiam: dum enim tranquillus est & stagnans, atque angustus, facilè est illi admoliri manus: verum postquam increvit, multoque aquarum impetu fertur violentus, non proinde facilè est exundantibus obsistere. Eoque multò ante tempore præveniunt illius irruptionem, undequaque præparantes quicquid agros possit tutos reddere. Eundem ad modum & milites, & nautæ, & agricolæ, & messores facere consueverunt; Siquidem & milites priusquam veniat pugnandi tempus, & thoracem abstergunt, & scutum, si quid desit, circumspiciunt, & frenos apparant, & equos omni diligentia nutriunt, ceteraque omnia rectè & diligenter curant. Similiter & nautæ, priusquam navim in portum detrahant, & clavum apparant, & instaurant latera, & renos dolant, & vela consarcinant: denique quicquid præterea ad totius navis armaturam pertinet, diligenter accurant. Quin & messores consimili modo multis ante diebus, & falces acuunt, & aream præparant, boves item & currum, breviter quicquid ipsis ad messem & trituram conducibile judicant. Immò videas omnes homines, si quid rerum agendum est, prius ad eas apparatum facere, ut cum advenerit rei agendæ tempus, facilè conficiant quod est opus. Hos igitur & nos imitantes præmunimus multis ante diebus animas vestras. Hactenus Chrysostomus. Ante omnia igitur oportet Ministros attentè desiderare quanta sit hæc res, quàm ardua, & quàm honorifica ipsis Religiosis, ut ipsi ad hoc tam magnum Apostolicum ac præclarum munus adhibeantur, & eligantur à DEO.

Sæpius item recogitent barbarorum; atque aliorum Infidelium veram ad fidem conversionem difficilem esse, Evangeliique prædicationem inter Infideles fuisse semper difficillimam, & ejus fructificationem existimatione nostra longè laboriosiorem. Verè hoc non opus hominis est, nec alterius cujusquam quam DEI, quod ipse sibi proprium vult; *hoc est* enim *opus DEI ut credatis in eum*, neminemque venire dicet ad se, nisi cum Pater traxerit eum: fidemque donum DEI esse, cordaque hominum in manu Domini: quibus testimoniis Spiritus sanctus certissimos nos esse voluit, neque industriæ, neque laboris nostri, aut diligentiæ esse, vocationem gentium ad Evangelium, sed tantum solius miserantis & prævenientis DEI.

Joan. 6. Ephes. 2. Prov. 21.

Quare sedulus operarius animam assiduis orationibus præparet, atque in his potissimum studium collocet, spem omnem in cælesti gratia fundans, & divinæ misericordiæ fores continuè pulsans. Inter omnes verò virtutes futuræ Evangelicæ functioni necessarias, præcipuum locum vindicat Humilitas Christiana, quæ ut eleganter prosequitur Pater Acosta, in *libello* illo aureo, *de procuranda Indorum salute*, neque magna sapit, neque sibi polliceatur illustria, neque labore frangitur, nec fructus etiam tenuissimos dedignatur, nec prius de manipulis & horreis cogitat, sed de semente & aratro, hiemem & glaciem non horrescens, & quamquam fructum desideratum non consequatur, indignè non fert, cogitans unumquemque secundum proprium laborem, mercedem accepturum. Quare Ministri humilitate præditi, periculo rei facto, etsi plurimæ difficultates sese præsentent, nec desperatione, nec labore vincuntur, quamvis frugem vel nullam, vel exiguam; sudores verò magnos & diuturnos ferant. Neque suis tantum sacrificiis & precibus verus humilis, quantumvis assiduis & ferventibus, confidit; sed aliorum etiam Christi servorum preces & auxilia studiosissimè efflagitare debet, ut sic certius orationes exaudiantur: Curet deinde per aliquot dies sibiipsi attendere, orationis tantum studio vacans, ut sic virtutibus orationibusque armatus, ad prælianda bella Domini incedat.

De aliis verò prærequisitis pro apparatu comparando, quæ propè infinita sunt, plura possemus notare; sed quia hæc potius pendent ex qualitate, circumstantiisque Missionum, oportebit expendere, an in remotissimas regiones, an in vicinas parandum sit iter; ad quas præterea nationes & sectas destinentur: pro varietate enim tam Regionum, quàm sectarum componendus est apparatus, præparanda sarcina, aprandaque instrumenta, ut sunt libri, ceteraque omnia, quæ tam ad viaticum spectant, quàm ad alia, quæ agentibus jam in terris infidelium conducere queant, quæ potius ex prudentia Ministrorum, quàm ex scriptis regulis pendent. Illud tamen summoperè juvabit, si prius illarum gentium, quas DEO lucrari parant, linguæ, morum, errorum, & rituum plenam notitiam antea comparaverint.

DE

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM

LIBER QVARTVS.

De ingressu & progressu ministrorum inter Infideles, ac de ratione agendi & juvandi omnes gentes.

HActenus de his, ad quos pertinet sancti Evangelii propagandi cura, & de mediis, quibus id potissimum fieri debeat, de electione ministrorum, & profectione ad S. Evangelii promulgationē plura diximus: nunc de ingressu, progressu, & modo conversandi inter Infideles, ac de annuntiatione Evangelicæ pacis restat pertractandum. Et quia Evangelici Prædicatoris munus duabus potissimum functionibus comprehenditur; nempe & fidei veritatis propositione, & ejusdem veritatis confirmatione: quæ quamvis multiplex sit; ad tria tamen potissimum capita referenda erit. Primum, testimonia quibus constant fidei nostræ mysteria esse evidenter credibilia. Secundum, signa & miracula à Ministris divina virtute in confirmationem verbi DEI patranda. Tertium, morum integritas, assiduæ preces, innocentia vitæ, ac virtutum omnium exemplum.

Quare in duas potissimum partes præsens Tractatus sive liber dividetur. In prima de forma & methodo proponendi Infidelibus Evangelium, & de aliis observandis in ipso conversionum ingressu, ac de doctrina in ejus confirmationem adducenda, & de signis & miraculis disseremus. In secunda de vitæ puritate ac de ministrorum exemplo, quæ sunt potissima fidei nostræ argumenta, ac de modo juvandi omnes gentes, ut ad ovile Christi adducantur.

LIBRI IV.

PARS PRIMA.

De forma & methodo proponendi S. Evangelium, & testimoniis, quibus fidei nostræ mysteria confirmantur.

CAPVT I.

Convenientne sit in ingressu ad Infidelium conversionem humanis præsidiis pro conversione Infidelium uti.

QUamvis in Ecclesia facultas non sit, vi & armis compellendi Infideles, ut ad Evangelii receptionem, fideique nostræ veritatem convertantur; saltem secundum Doctorum sententiam, possent compelli, ut auditum præstent Evangelio, ut *infrà Parte III.* libri hujus dicemus: &, quod sine controversia esse videtur, possunt Ministri, qui inter Barbaros versantur, suæ vitæ indemnitati consulere, & præsidiis illis, quæ defensionis sunt propria, ut sunt præsidia militaria, & alia, quæ Barbaros ipsos, quorum natura est maximè inconstans, & infida, in officio, terrore ac metu contineat, muniri. Sed an expediat his præsidiis expeditionibusque vito Evangelico uti, non parvam continet difficultatem. Nam imprimis veterem & Apostolicam Evangelizandi rationem non posse exactè servari inter Barbaros, ac proindè non esse deserenda humana præsidia affirmat vir alias valdè doctus & pius, ac in conversione animarum versatissimus, P. Acosta *lib. 2. c. 8.* qui quamvis munus Evangelicum Evangelicè atque Apostolico more prædicandi laudet, aliisque evangelizandi modis superiorem commendet, tamen hanc Evangelium promulgandi methodum non posse servari inter Barbaros Principibus Christianis non subjectos, nisi ministri humanis præsidiis & copiis, quibus serventur illæsi, adjuventur. Probat verò suam sententiam non contemnendis rationibus, quas placuit hic ex ipso referre.

Prima ea est, quia licet instituto isto Apostolico, ubi teneri commodè potest, nihil prius, neque melius sit; ubi autem non potest, ut ferè in omni barbara natione, non est prudentiæ, specie justitiæ sanctioris, committere, ut saltem ipse abjicias, & alienam nihilo amplius compares. Quare Apo-

stolica illa regula & norma inter has nationes servari non potest: idque potissimum duabus de causis: Una, atque ea quidem satis nota est, quod hæ gentes, sicut bestiarum moribus utuntur, ita humanitatis patrum admittant, sine fœdere, sine misericordia, prout quidvis collibitum est, ita temerè agentes in hospites & externos nullum gentium jus servantes, cum ne inter se quidem naturæ leges servare sciant. Quamobrem qui horum se rationi & arbitrio commiserit, poterit is cum apris & crocodilis amicitiam inire. Neque verò ab istis martyrium expectandum est, quæ fortasse spes tantum discrimen levaret: non enim pro Fide, pro Christo, pro Religione movendum est, sed ut vel suaviores epulas de te præbeas, quod Brasilienſibus, & toti Septemtrionali oræ hujus orbis vulgare est, vel spolium præbeas Barbaris elegans, vel denique quia visus es unquam, & quid in te liceat sibi experiri juvat. Apostoli prædicabant Christum, Judæis quidem scandalum, Gentibus stultitiam, aliis sapientiam, aliis signa quærentibus: sed utrique tamen ratione agebant, oderant vero illos propter nomen Christi, atque ita beatos potius faciebat persecutio, per quam etiam miro modo DEI gratia dilatabatur. At Barbari, excepto hoc quod homines simus, nihil cogitant, immo illud quoque diu addubitasse non pauci comperti sunt.

Altera causa in nobis est, cur Apostolica prædicatio institui omnino Apostolicè non possit, quod miraculorum nulla facultas sit, quæ Apostoli plurima perpetrabant: quorum splendore & potentia fieri, auctoritatem dicendi apud quosvis quicquid placebat facile vindicabant: habebantur homines diis similes, atque ita cetera eorum, paupertas, abjectio, ignobilitas, ineruditio sæcularis, ornamento potius erant quam contemptui & fastidio, divinam eorum vim admirantibus, & prudenter jam inde colligentibus gentibus, quàm essent homines affectibus superiores, & toti pænè cælestes. Quod de Sergio Paulo Proconsule, viro prudenti, Divinæ literæ commendandum memoriæ putarunt. At nostri nunc temporis, cum talium operum majestate sese Barbaris admirandos, & timendos non præbeant, nihil restat, nisi ut reliqua vitæ inopia, impotentia penitus contemnatur, neque à generoso & excelso animo, sed à misera & adversa fortuna profecta intelligatur, atque adeò cum sordidi illiberalesque isti maxima ex parte sint, omnium rerum penuria nostros consequatur necesse est. Etsi enim ob cibum Evangelizare non expedit, at sine cibo tamen Evangelizari non potest. Non solum ergò signorum vis nostris temporibus deest; verum pro eis etiam scelera ubique fervent: quo gravissimo incommodo intercluſa ferè videtur via ad primam illam penitus Apostolicam Evangelizandi rationem: ut majores societatis nostræ sapienter edixerint, specie Evangelicæ perfectionis non esse temerè Barbarorum arbitrio Prædicatores Evangelii objiciendos. Quam diu enim porcorum & canum socordiam atque impudentiam agnoscimus, nobis quoque à Christo Domino præceptum existimare debemus, Ne pretiosas margaritas frustra mittamus ante eos, qui & eas conculcent pedibus suis, & conversi discrumpant nos. Hactenus Joseph Acosta.

Act. 10. 14. & 28

Act. 13.

Matth. 7.

Hanc sententiæ aliud non contemnendum adjiciam argumentum: quia si divinam vocationem gentium ad Evangelium, mirabilemque DEI providentiam, profundaque judicia spectes, invenies trinam legationem DEUM ad homines destinasse, ut ad veritatem amplectendam adducerentur. Prima qua tantum vocarentur. Secunda qua adducerentur. Tertia qua compellerentur. Sic enim Lucas per similitudinem à Christo dictam refert: ab homine quodam cœnam magnam fuisse aliquando paratam, missumque servum, ut diceret invitatis, ut venirent, quia jam essent omnia parata. At alius invitatorum respondit: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam; rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideò non possum venire.* Hæc Lucas de primis Legatis, primamque legationem à Christo narratam tradit. Addit Matth. de injuriatis primo loco: *Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius ad negotiationem suam, reliqui vero tenuerunt servos ejus* (DEI scilicet) *& contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cùm audisset, iratus est; & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit.* Prosequitur Lucas, narrans deinde dictum servo: *Exi cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait servus, Domine factum est ut imperasti, & adhuc locus est.* Et secunda legatio: & ait Dominus, iterum servo suo: *Exi in vias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea*: Atque hæc tertia legatio.

Luc. c. 4.

Matt. 22.

Quibus omnibus tria tempora, tria hominum genera, ac tres modi, quibus homines DEUS ad suam cœnam admittit, quam se suis in regno cælesti parare Christus alibi dixit, continentur. Et quidem patet à Christo tres legationes describi, quarum quælibet aliam vel sequatur, vel præcedat. Ad primam pertinent homines divites, qui habitant mediis in civitatibus, in suis ædibus, & contemptores aut homicidæ nunciorum, aliique id genus homines: modus quo admittuntur est tantum, ut vocentur. Ad secundam spectant inopes, cæci, claudi, debiles, qui habitant in plateis & vicis civitatum, atque hi non vocantur, sed adducuntur. En modus admissionis. Tertia continentur qui intra urbes in viis, ac sepibus degunt, in agris scilicet & silvis; moduſque quo participes sunt cœnæ est, ut compellantur: atque hæc est similitudo posita à Christo. Hujus igitur similitudinis explicatio clarissima est: nam prima legatione designatur tempus, quo imperium Romanum florebat, in quo tot Martyrum millia florente Romano Imperio, sunt trucidata. Ad secundam vero legationem spectantes fuêre pagani, qui vocati, in pagis habitantes, (hoc enim sonat nomen paganus) & gentes in Romani imperii confinibus, quasi in suburbibus, plateis & vicis apertis degentes. Sed jam ad tertiam legationem accedamus, qua populi omnium maximè barbari & efferi ad Christum, cultumque divinum vocati sunt, ac non tam beneficiis adducti, quàm voluti quibusdam modis licitis compulsi. At populi hi, qui compelli videntur (vi quidem licita) certè populi barbari designantur, rudes & inculti, habitantes in silvis, ac locis horridis. Quæ profectò legatio cum ultima sit, atque suo modo per vim gentes ad illam spectantes adducendæ sint, manifestè apparet ipsam legationem designare, in quibus Evangelicæ prædicationis munus, absque humanis præsidiis, exerceri nequit.

At hisce etiam temporibus apud quascunque nationes, quantumvis barbaras, eam esse servandam

dam propagandæ fidei rationem, quam sancti Apostoli & primi Ecclesiæ fundatores præmonstrarunt, meritò viti docti & pii existimant. Constat enim Apostolos non inferendo Regibus bella, non præsidiis militaribus stipatos, non invadendo Principum civitates, non occupando per vim alienas terras, non mortem minitando, non tormenta inferendo, Ecclesiam plantasse, ac per orbem terrarum longè lateque propagasse, sed obediendo, patiendo supplicia, martyria, mortes tolerando, sanguinem suum fundendo, sancta stabiliaque Ecclesiæ Christi initia dedisse. Christus enim non armis, aut humana virtute, sed humilitate subjicere sibi orbem voluit: hanc que vim & efficaciam DEUS sanguini Martyrum, Sanctorumque afflictionibus dedit, ut semina essent multorum bonorum. Et sicut *granum frumenti cadens in terram, si mortuum fuerit, multum fructum affert*: ita ex morte Martyrum magna sementis fiebat novorum Christianorum copia. Plenæ sunt historiæ ad unius Martyris mortem multa gentilium millia quandoque in Christianæ Religionis lucem concessisse, atque inter eos credentes aliquando etiam carnifices ipsos fuisse. Persecutionibus namque crescit Ecclesia, non tollitur. Admirabilis pugnandi ratio, & novum genus potentiæ, sustinendo cædere hostem: patiendo affligere hostem: moriendo prosternere hostem: jacendo triumphare de hoste.

Tum secundò, quia non est existimandum DEUM esse mutarum, Deique sapientiam aliam nunc formam in hominum conversione sequi, quam antea sequi solita fuerit: nam neque in DEUM cadere potest mutatio, & eædem causæ circumstantiæque nunc conspiciuntur. At si quis DEI morem providentiamque, quam semper gessit ab ipsius Ecclesiæ initio, consideret; facile comperturus est, hoc semper fuisse ejus consilium, ut ad hoc tantum opus eos maximè coadjutores eligeret, qui maximè præsidiis omnibus humanis essent destituti: *Ne glorietur*, ut inquit Apostolus, *omnis caro, & sublimitas sit virtutis DEI, & non ex nobis*: id est, ne DEI adeò perfectæ laus Christi cruce, ut idem ait, evacuata, in homines, aut hominum vires præsidiaque transferretur, & quod omnino divinum est, humano auxilio aut potentiæ tribuatur. Si ergò DEUS sic hominum salutem procurandam decrevit, profectò planè constabit militaria præsidia, quæ prudentia, potentia, vel astutia nituntur, aliasve ingeniosas machinationes, favores Principum muneribus, aut aliis viis aucupandi, Apostolicis moribus parum congruere, ne dicam dissentire.

1. Cor. 2.

Tertio, opus conversionis animarum, ac denique Catholicæ Ecclesiæ fundatio, non solum labores & sudores, miraque vexationes, verum etiam ipsius sanguinis effusionem ferè semper requisivit. At humana præsidia non solum laboribus, paupertati, sudoribus, vexationibus, sed & potissimum martyrio, quo fideles DEO pro fidei veritate tuenda omnibus DEO acceptissimum offerunt sacrificium, viam præcludunt.

Quarto, scriptum est: *Mitto vos sicut agnos inter lupos.* Agni autem hoc in loco ii sunt, qui coram tondentibus obmutescunt, qui nullius præsidio foventur. At quomodo obmutescent, qui armorum strepitu præsidioque ad ipsius prædicationis opus se indigere credunt? Certè Agnus DEI dum exueretur, coram tondente se obmutuit. Sed si apertius volumus testimonium, Christi vitam institutionemque perspiciamus: Christus enim ad Judæos missus sine humanis auxiliis, prorsusque inops, prædicationem S. Evangelii executus est: & exemplo suo & doctrina monstravit humana præsidia in conversione animarum non requirenda, cum Petro dixit: *An putas me non posse modò rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? sed quomodo complebuntur Scripturæ?* Prædicatio igitur Evangelii militari custodia munita, à Christi schola discrepare videtur: ac proinde incredibile apparet eo prædicationis genere insignem aliquem proventum exspectari posse, licet fortuitò aliqui per insinuationem convertantur, non enim possunt tunc Ministri Evangelii ea spiritus vi & efficacia pollere, qua in præliis Infidelium pugnandum esset, ut sincera fidei veritas, & verbi Dei virtus omni gladio penetrabilior dura Infidelium corda emolliret. Nec hujusmodi prædicatio erit Deo gloriosa, cum in ea functione humana præsidia, versutiæ, hominumque sagacitates adhibitæ fuerint: quæ Divinæ virtutis splendorem potius obumbrant. Quare bene & sapienter dixit Ambros. *lib. 6.* in Lucam: *Qualis debeat esse qui Evangelizat regnum DEI, præceptis Evangelicis designat, ut sine virga, sine pera, sine calceamentis, sine pane, sine pecunia, hoc est, subsidiis sæcularis adminicula non requirens, fideque tutus putet sibi quo minus ea requirat magis posse suppetere.* Nihil igitur difficultatis tempestate hac obtendi potest, quò minus Apostolorum vestigiis insistentes, convincamus non esse impossibile castum & sublime Missionum genus, quod à Christo institutum fuit, dum eo modo se Apostolos mittere pronunciavit, quo ipse à Patre missus fuit, ubi non sacculus, aut pera, non armatura, vel aliud quodvis præsidium, sed sola cælestis gratia evidenter enituit.

Matt. 26

Neque obstat, quod Christus Apostolique omnes miraculis orbem flexerint, vel subjugarint, ætasque nostra ejusmodi vitos non sit adepta: quasi prudentiæ genus sit, quod cælesti virtute vacuum est, humanis consiliis explere: non obstat, inquam: nam præterquam quod major verarum virtutum quam miraculorum gloria in orbis conversione resplenduit, compertum est etiam hoc ipso sæculo apertis miraculis DEUM præsentissimum non modo viris Apostolicis, verum & militibus fidei Catholicæ causam urcunque agentibus affuisse, quemadmodum historiis Occidnarum Indiarum, & Orientalium nationum consignatum est. Cum ergo nemo possit Apostolicarum virtutum excusationem prætexere, & ubi pro fidei causa opus fuerit, prodigia quoque divina ætate hac nostra in promptu sint, efficitur certè, ut qui aliam Missionum rationem humanis consiliis innitentem exercet, ab institutione Christi palam exorbiter.

Nec similiter obstare debet, quod contra objicitur: Missiones inter Barbaros nulla alia ratione posse perfici, nisi conjunctis humanis præsidiis. Nam & Apostoli talibus suppetiis prorsus destituti, ad barbarissimas nationes, promulgandi Evangelii causa, sunt destinati. Sanctus enim Andreas Scythis prædicavit, ut scribit Origenes in *Genes. lib. 3. cap. 1.* Sophronius in *Catalogo* addit non tantum Scythis, sed & Sogdianis, Saccis, atque etiam Æthiopibus verbum DEI prædicasse. Philippus in Asia superiore Scythis, ut Niceph. *hist. lib. 2. cap. 39.* Metaphr. in *actu ipsius*: Joannes in Asia, ut Hieron. Chrysost. & ceteri testantur. Parthis etiam Evangelium annunciasse, vetus illa inscriptio ejus Epistolæ ad Parthos significat: & Indis, ut declarant literæ Patrum

Socie-

Societatis JESU, qui nuper in illis regionibus sacrum Evangelium restituerunt, datæ anno Domini 1555. Thomas Parthis, ut Euseb. *hist. lib. 3. cap. 1.* Ruffin. *hist. lib. 1. cap. 9.* Medis item, Hircanis, & Brachmanis, ut Chrysost. *Homil. in 12. Apost.* & alii Patres affirmant. Addit his Indos Hieronymus, Oforius Silvensis, gravissimus Indicarum rerum nostri temporis scriptor, *lib. 3.* Præterea non tantum Brachmanis, sed & Taprobanæ insulæ Evangelium annuntiasse, scribit Niceph. *hist. lib. 2. cap. 50.* ante eum idem affirmare videtur Theodoretus de legibus. Bartholomæus Indis, lato secum volumine Evangelii Matthæi prædicavit, teste Euseb. *hist. lib. 5. cap. 10.* Matthæus Æthiopibus, ut idem Euseb. *hist. lib. 3. cap. 1.* Socrat. *lib. 1. cap. 15.* & alii retulerunt. Matthiam denique, prætet ea, quæ de ipso leguntur in Actibus Apostolorum, non tantum in Judæa, sed & in ulteriori Æthiopia Evangelium prædicasse, scribit Sophronius apud Hier. *de Script. Ecclesiast.*

Agamus igitur de ceteris nationibus, non tantum ab Apostolis, sed ab aliis etiam verbi DEI præconibus, ad fidem conversis. Nonne maxima fuit quondam barbaries priscorum Germanorum, ac Saxonum antiquorum, de quibus Fortunatus Poëta:

Aspera gens Saxo, vivens quasi more ferino.

Quod si descendamus ad alias etiam gentes Septemtrionales, ut fuerunt Sarmatæ, Pannonii, ac Hungari, de quibus antiqui auctores, præcipuè Regino sic scribit: *Vivunt Hungari non hominum sed belluarum more: carnibus, ut fama est, crudis vescuntur, sanguinem bibunt, corda hominum, quos capiunt, particulatim dividentes, veluti pro remedio devorant, nulla ratione flectuntur, aut miseratione afficiuntur.* Quid verò referam de priscis Polonis, de Erulis, Russianis, aliisque Borealibus nationibus, quàm fuerint atroces, & belluis simillimi? Qui plura scire desiderat, legat proprios illorum Scriptores. Ac denique innumeræ aliæ barbarorum regiones, per prædicatores sancti Evangelii humanis præsidiis prorsus destituros, ad fidem humanitatemque, ac vitæ civilis rationem sunt perductæ. Si verò his nationibus Indorum, aliorumque nostri sæculi barbarorum perfidiam, ac mores feritatemque comparemus, longe sunt illis inferiores: quare in illis ad fidem convertendis, non videtur recedendum ab antiqua Apostolicaque Missionum forma; sed, rejectis humanis præsidiis, in uno DEO spes tota casto corde erit collocanda.

CAPVT II.

De forma & methodo proponendi Evangelium Infidelibus ac de munere principali Ministrorum in hac parte.

Aliter fidei mysteria Gentilibus, aliter Judæis hæreticisve sunt proponenda: at nec tam his quam illis certa nequit præscribi forma divina mysteria edocendi. Deinde aliter cum sapientibus, aliter verò cum insipientibus & barbaris agendum: ut uno verbo dicam, methodus ac modus in fidei veritatibus evangelizandis ut plurimum pendent ex circumstantiis temporum, personarum, nationum, loci, ac proinde hoc ministrorum prudentiæ relinquendum.

Illud tamen frequentius observetur, ut prius contrarii errores refutentur, ac postea veritas Catholica statuatur: hoc enim & ordo naturæ postulare videtur, ut prius gramina herbæque infructuosæ eradicentur, antequam semina terræ mandentur. Quare etsi in disputationibus contra Infideles de fidei mysteriis non ad hoc conari debeamus, ut fidei veritates rationibus necessariis & evidentibus demonstremus: hoc enim sublimitati & excellentiæ fidei derogat, quæ non solum humanas mentes, sed etiam Angelicas excedit: possumus tamen duo in disputationibus intendere: ut optimè adnotavit D. Thom. *lib 1. con. gent. cap. 9. Primum contrariorum errores destruere, ac fidem nostram non esse impossibilem, nec contra rationem naturalem defendere. Hoc enim est quod D. Petrus monet, ut simus parati reddere rationem de fide nostra. Alterum verò est fidei nostræ mysteria ostendere esse evidenter credibilia & digna, ut eis omnes teneantur, auditu tantis motivis, assensum præbere.*

Illud præterea notatione dignum videtur, dogmata fidei Christianæ ita omnem nostri intellectus capacitatem excedere, ut nulla ratione naturali lumine possint investigari: tum ob nostri intellectus debilitatem, tum ob naturæ divinæ magnitudinem, ac majestatem: ut sol qui etsi natura sua lucidissimus sit, tamen quia noster aspectus est imbecillis, pati non potest solis fulgorem. Convenienter tamen, imò & necessariò, ut fide tenenda hominibus proponuntur, ut ea quæ de DEO naturali illustratione consequi non possumus fidei ministerio, DEI ope & beneficio obtineamus. Hanc verò doctrinam D. Thom. *1. cont. gentiles cap. 5.* hac inter alias ratione demonstrat: Nullus (inquit) *desiderio & studio in aliquod tendit, nisi sit ei præcognitum. Quia ergo ad altius bonum, quàm experiri in præsenti vita possit humana fragilitas, homines per divinam providentiam ordinantur, ut in sequentibus investigabitur; oportuit mentem evocari in aliquid latius, quam ratio nostra in præsens possit pertingere, ut sic disceret aliquid desiderare, & studio tendere in aliquid, quod totum statum præsentis vitæ excedit. Et hæc præcipuè Christiana Religioni competit, quia singulariter bona spiritualia promittit: unde & in ea plurima humanum sensum excedentia proponuntur. Lex autem vetus, quæ temporalia promissa habebat, pauca proposuit, quæ humanæ rationis inquisitionem excederent. Secundum etiam hunc modum Philosophis cura fuit, (ut patet 7. & 10. Ethicorum) ad hoc, ut homines à sensibilium delectationibus ad honestatem perducerent: ostendere esse bona his sensibilibus potiora: quorum gustu multo suavius, qui vacant activis vel contemplativis virtutibus, delectantur.*

Est etiam necessarium hujusmodi veritatem ad credendum hominibus proponi, ad DEI cognitionem veriorem habendam. Tunc enim solùm verè Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus super omne id, quod de DEO cogitari ab homine possibile est, eò quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit, ut supra ostensum est. Per hoc ergo, quod homini de DEO aliqua proponuntur, quæ rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod DEVS sit aliquid supra id, quod cogitari potest. Hactenus D. Thom. Quibus illud in confirmationem adjungi potest: quia veritas fidei est maximè nostro intellectui consentanea: & quantumvis eam ratio naturalis non assequatur, non capiat, non demonstret, convincitur tamen ad eam credendam hisce rationibus.

Prima, qua intellectus noster probè novit, se esse

esse saris infirmum : at DEUM esse substantiam immensam, ut non magis eam possit capere, quam universam pelagi aquam intra vasculum exiguum concludi liceat.

Quin etiam experimento docemur, plurima fieri, quæ revera mira esse agnoscimus, admiramur, suspicimus, causam eorum ignoramus, quo pacto fiant nescimus. Item multæ sunt in stirpibus, gemmis, metallis, & animantibus vires, & facultates, quæ nostram notitiam effugiunt: quid ergò mirum, si multæ divina sint, quæ nos omnino lateant? Et sicut vires rerum abditas, & occultas credimus, etsi nos fugiunt: sic multa divina oportet nos credere, licet nostræ mentis captum exsuperent. Atqui licet multa divina non assequamur, intelligimus tamen esse creditu digniſſima, atque à ratione non abhorrentia, non absurda, non incommoda.

Addo mentem nostram, naturali ratione ductam, cognoscere DEUM esse primam & summam veritatem, quæ nec falli, nec fallere, nec mentiri potest, & omne dictum à DEO esse verissimum, atque certissimum, quamvis homo id intelligendo non consequatur, sed simul etiam intelligit, quæ Christianorum lex de DEO supernaturalia præcepta tradit, ac docet, tametsi naturali ratione non probantur, dignissima esse creditu, esse admodum consona, nihil cum recta ratione pugnare: ergò natura duce mens credit prudenter ac sapienter, credibilia esse, quæ lex Christiana præscribit.

Nemo item est, qui non probè norit, homines non posse vivere, quin multa credant, quamvis ea clarè non videant. Et adeò verum est hoc, ut licet certò experiamur, homines sæpe alios deludere, labi, errare, mentiri, plurima tamen vera esse arbitremur solum, quia iis, qui ea dixerunt, fidem habemus. Si ergo vivere non possumus, quin multa solo hominum testimonio, & auctoritate credamus, quid mirum si plurima divina sint, quæ ratione non comprobata, divino tamen testimonio patefacta credamus? Quare multa sunt, quæ etsi ratio naturalis non probet, convenienter hominibus credenda proponuntur, quibus ipsi fidem tenentur adhibere, maximè si testimoniis gravissimis confirmentur.

Est autem deinde considerandum, in fide duo esse perpendenda. Primum est, assensus hominis in ea, quæ sunt fidei, & quæ à DEO credenda nobis media prædicatione proponuntur. Secundum ipsa res, sive mysteria fidei proposita. Ut igitur quis assensum præbeat, duo itidem desiderantur: primum doctrina fidei, congruenter exterius proposita, miraculisque visis, vel persuasione hominis congruentibus testimoniis, confirmata. Alterum est, DEUS interius hominem permovens, tam intellectum illustrans, quàm voluntatem alliciens, ut rebus propositis assentiatur: & hæc est potissima causa, & origo nostræ fidei. Nam experientia constat, non sufficere fidei externam prædicationem: videntium enim idem miraculum, & audientium, vel legentium eandem doctrinam quidam credunt, quidam non credunt: quare oportet ut alia causa potentior accedat, DEUS scilicet interius movens. Adhuc tamen sine fidei propositione nihil fit, quomodo enim credent sine prædicante? Quare cùm à fidei propositione, & simul à confirmatione, qua ostendatur fidei nostræ credibilitas, pendeat sufficiens fidei propositio, imò & totum negotium conversionis, quantum est ex parte ministrorum, eorum scopus inter infideles esse debet fidei veritates proponere, easque firmissimis argumentis ornatas corroborataque demonstrare, ita ut sufficienti propositione omnibus constet, fidei nostræ mysteria esse vera, à DEO revelata, fide digniſſima, & necessariò credenda ad salutem.

Nec sufficit infidelibus ostendere, probabilia esse nostræ Religionis mysteria, ut credantur tanquam à DEO revelata. Unde D. Tho. 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 4. neminem putat crediturum prudenter, nisi putet esse evidenter credibilem doctrinam fidei: cujus ea ratio reddi potest: quia quando alicui proponitur sermo, si alias non sit manifestus, ut credatur, indiget ut ab eo confirmetur: unde cum res fidei sint supra humanam rationem, necessarium est adhibere aliqua testimonia, quibus sermo prædicantium confirmetur: manifesteque ostendatur hujusmodi sermonem processisse à DEO. Unde Dominus discipulos ad prædicandum mittens, dixit: *Infirmos curate, mortuos suscitate, &c.* Et alibi: *Illi autem prædicarunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Miracula igitur voluit DEUS per suos Apostolos, & per alios verbi prædicatores, sæpissimè fieri in confirmationem Evangelii, ut manifestè ostenderetur, hujusmodi doctrinam processisse à DEO, dum prædicantes ea mirabilia præstiterunt, quæ solus potest facere DEUS. Unde Augustinus *libro* de spiritu & litera c. 34. *Nec enim* (inquit) *anima rationalis credere potest, si nulla sit vocatio vel suasio cui credat.* Quare non sufficit revelatio mysteriorum fidei, nisi adsint motiva, quæ moraliter necessaria sunt, ut infideles persuasi de fidei nostræ credibilitate, ei præbeant assensum. Quam ob causam sancti Evangelii ministris maximè enitendum est, ut dum fidei mysteria proponunt, tam ex miraculis jam factis, quàm ex aliis gravissimis argumentis, (quæ in promptu semper habere debent, ad ostendendam evidenter fidei nostræ credibilitatem) ea confirmare nitantur.

Matt. 10. *Marc. ult.*

D. August.

CAPVT III.

Fidei Christianæ mysteria esse evidenter credibilia demonstratur, tam secundum se, quàm comparata cum aliis sectis.

PRimò se offert considerandum, fidem Christianam esse quasi Solem quendam, qui radios lucis clarissimos ex omni parte diffundit, ut clariimè per eos cognosci possit. Habet enim plurimas notas sive testimonia ac signa, quæ eam discernunt ab omni falsa religione Paganorum, Judæorum, & Hæreticorum. Et licet non efficiant evidenter verum, ipsam esse veram DEI Ecclesiam, tamen efficiunt id evidenter credibile. Nam evidenter verum dicitur, quod vel in se, vel in suis principiis videtur: evidenter verò credibile illud, quod non videtur nec in se, nec in suis principiis; habet tamen tot, & tam gravia testimonia, ut quilibet vir sapiens merito id credere debeat: ut si judex videat hominem à latrone occidi vel vulnerari letaliter, & postea mori, habet evidentiam clarissimam veritatis, quod ille latro sit homicida: si autem cædem fieri non videat, sed habeat viginti testes, viros gravissimos, qui dicunt se vidisse, habet evidentiam credibilitatis.

Dicimus ergò hæc testimonia sive motiva, quæ

quæ afferemus, non facere evidentiam veritatis simpliciter: quia alioquin nulli invenirentur, qui id negarent: sicuti nemo invenitur, qui neget sententias, quas Mathematici demonstrant veras esse: sed tamen efficiunt evidentiam credibilitatis, juxta illud: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Ps. 92. Apud eos autem, qui admittunt Scripturas divinas & historias, ac veterum Patrum scripta, faciunt etiam evidentiam veritatis: tametsi enim articulorum fidei veritas non possit nobis esse evidens absolutè, potest tamen esse evidens ex hypothesi, id est, suppositâ veritate Scripturarum: quod enim ex Scriptura evidenter deducitur, est evidenter verum suppositis Scripturis. Illud denique præmittendum duximus, quod etsi singula argumenta non probent evidenter mysteria fidei esse digna ut credantur, omnia tamen simul, & quasi in agmen redacta, evidentiam faciunt credibilitatis fidei nostræ, ut apertè sequentibus motivis ostendemus.

Primum motivum desumitur ex Auctore nostræ doctrinæ ac fidei, qui est Christus, quem & extitisse ita certum est, & evidens, sicut extitisse Augustum Cæsarem, & illum fuisse primum doctorem ipsimet adversarii concedunt, qui propterea Fideles maximè persecuti sunt, quod in Crucifixum crediderunt: & non docuisse falsa, vel ex ignorantia, vel ex malitia manifestissimum etiam est ex ipsa doctrina, prædicatione, responsis, & Propheriis Christi, & ex ejus demum vitæ innocentia, cujus testimonium, præter testes fide dignissimos, Joannem Baptistam, cujus sanctitatem non negant Judæi; aut Apostolos, quos incredibile est, aut ex malitia fuisse mentitos, cùm nulla spe temporalis commodi aut honoris Christi vitam prædicarint, aut ex ignorantia, cùm magna ex parte ea prædicarent, quæ suis oculis viderant, habemus testes ipsos inimicos: vulgatum enim est illud Josephi *lib.* 18. *Antiquitatum*, & Tiberii apud Tertullian. *lib. contra Celsum*, & Porphirii *lib. de Responsis*, ubi ait: *Deos gentium pronunciasse Christum fuisse sapientem, & pium.* Hoc argumento utuntur Chrysostomus *Oratione* 2. & 3. *contra Judæos*, & Augustinus *lib. De catechizandis rudibus cap.* 24.

Josephus Tiberius. Porphyrius.

Secundum motivum ex Propheriis: nam hæ non possunt esse, nisi à DEO, ut patet tum ex illo Isaiæ: *Annunciate nobis, quæ ventura sunt, & dicemus, quod dijestis.* Isaiæ 41. Unde & dæmones ad persuadendam Deitatem conati sæpè fuerunt prædicere futura: unde dabant responsa & oracula, vel manifesta, quando res erant futuræ in causis naturalibus; vel amphibologicè, & æquivocè, quando erant futuræ, & dependentes à causis liberis. Tum ratione, quia nullo modo naturaliter deveniri potest in cognitionem futuri contingentis, consequentis nimirum libertatem humanæ vel divinæ voluntatis. Non enim ex aliquo objecto naturali: nam hoc maximè esset ipsamet voluntas, quæ tamen si sit divina, est nobis ininteligibilis: si humana, ut patet experientia, ipsa ignorat, quid volitura sit. Neque ex ipsa potentia intellectiva, nam hujus objectum naturale est dependens à sensibus & causis naturalibus. Hoc argumento utuntur Justinus in *Quæstionibus ad Orthodoxos q.* 2. & 146. Tertullian. in *Apologetico c.* 20. Chrysostom *Homil.* 18. *in Joan.* Augustin. *de consensu Evangel. à cap.* 28. *usque ad finem.*

Quod verò de nostra fide & mysteriis sint particulares prophetiæ, quarum fuit certissimus eventus, patet tum ex veteri, tum ex novo testamento, nam in illo plures sunt, de Christi incarnatione, nativitate, morte, &c. in hoc verò sæpè legimus Christum, & Apostolos multa prædixisse de Ecclesiæ popagatione, gentium conversione, persecutione Christianorum, quæ quotidie videmus impleri, vel impleta esse, & quæ nondum sunt impleta. Ex his, quæ jam completa sunt, certò colligere possumus implenda esse, ut asserit Augustin. 12. *de Civit. cap.* 10.

Tertium motivum est ex antiquitate nostræ doctrinæ: quo motivo utuntur multi Patres, & præsertim Augustin. *Epist. contra fundamentum Manichæi* cùm ait: *Nam si de fide unius DEI, quam habemus, loquamur, hæc antiquitate præcedit, & idololatriam, & omnes sectas Philosophorum, atque Gentilium*: ut probant Justinus in suo *Adhortatorio ad gentes*. Lactantius *lib.* 2. *Divin. instit. c.* 14. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 1. *contra Jul.* Augustin. 18. *de Civit. cap.* 18.

Si verò loquamur de sacris litteris, in quibus habetur hæc fides, quam nos habemus, illæ longè antecesserunt omnia profanorum monumenta, ut ostendunt Josephus *lib.* 1. *contra Appionem*, Justinus *Apologia* 2. Tertull. in *Apologet. c.* 19. & alii.

Si demum de Christi, & Apostolorum doctrina loquamur, illam apud nos semper, & omnino illæsam permansisse, probatur, tum ex continua successione Episcoporum à D. Petro usque ad nos. Quo argumento fidem, & Ecclesiam nostram esse antiquissimam, & Apostolicam, & veram probant Irenæus *lib.* 3. *c.* 3. Tertull. *lib. de præscript. c.* 6. & 11. & Hieron. *contra Luciferian. circa finem.* Tum ex perpetuo nomine Christi, & Apostolorum, quod sibi retinuit nostra fides, & religio, ita ut licet hæretici tam antiqui, quam moderni, conati sint varia nomina Catholicis imponere, nunquam tamen potuerunt illos appellare ex particulari auctore, sed ad summum ex particulari illo dogmate, quod illi impugnabant. Sic Montanistæ vocarunt Catholicos *Physicos*, id est, *Animales*, eò quod nolebant servare tres quadragesimas, quas illi jejunabant: & Calvinistæ *Papistas*.

Quartum motivum est ex sanctitate doctrinæ nostræ. Quo argumento utuntur Tertullian *Apologetico c.* 39. & Justin. *Apologia* 2. Nam fides nostra ea docet, quæ rationi congrua sunt, & ad mores conformandos respectu DEI, proximi, & sui ipsius, & ad rectè vitam instituendam valde conferunt, juxta illud Psal, *Lex Domini immaculata convertens animas.* Ps. 116.

Quintum motivum est, ex admirabili ac divino modo promulgandi fidem: qui satis expresse declarat illam non nisi à DEO esse posse. Consistit autem admirabilis ille modus in his. Primò, quod fides promulgata est à pauciissimis hominibus, iisque indoctis, & rudibus, nulla nobilitate claris, & pauperibus. Secundò, quod illi ea docebant, quæ magna ex parte hominum voluntatibus repugnabant, quæque erant ab omnium sensibus remota, & ad intelligendum, & faciendum perdifficilia. Tertiò, quod adducebant homines ad hanc fidem, non spe alicujus commodi, vel lucri temporalis, sed sola spe bonorum æternorum, quæ non videntur. Quartò, quod hanc doctrinam eorum prædicatione plurimi sapientissimi, eloquentissimi, nobilissimi, ac ditissimi, unâ veritatis virtute Domino cooperante, victi ac superati, relictis patriis religionibus, quàm libentissimè receperint. Hoc argumento, cujus maximam vim voluit Apostolus à Corinthiis intelligi: *Videte Fratres vocationem* 1. Corint. 2.

vestram,

vestram, quia non multi sapientes, non multi nobiles &c. utuntur Patres, Justinus *Apolog.* 2. Chrysost. *Hom.* 34. *in Matth.* Aug. *lib.* 22. *de Civit. c.* 5. Damas. *c.* 4. *de fid. c.* 4.

Sextum motivum sumitur ex miraculis: quorum vis fuit maximè inductiva ad recipiendam fidem, ut patet Joan. 5. ubi Christus Dominus, *ego*, inquit, *majus testimonium habeo ipso Joanne Baptista: opera, quæ ego facio, ipsa perhibent testimonium de me.* Unde & Nicodemus Joan. 3. *Scimus*, inquit, *quia à Deo venisti: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi sit à Deo.* Et propterea DEUS, Exod. 4. Moysi dicenti fore, ut populus Hebræus non crederet se à Deo profectum fuisse, dedit potestatem miracula faciendi: & ut Joanni Baptistæ fides adhiberetur in testimonio, quod de Christo Domino præbuit, voluit DEUS, ut in ejus nativitate plura miracula contingerēt. Et Christus Dominus præcipiens Apostolis Evangelij prædicationem, subdit dicens: *Euntes prædicate &c. signa autem eos, qui crediderunt hæc sequentur.* Est autem miraculum apertissimum motivum ad confirmandam fidem, sive illa considerentur per ordinem ad credentes, quia cum naturale sit homini ex effectibus causas investigare (hac enim methodo omnes scientiæ traditæ sunt) ex miraculis, tanquam ex effectibus supernaturalibus causæ supernaturales, puta veritates fidei colligi possunt, sive considerentur secundum se, quia evidens est miraculum à solo DEO fieri posse, & DEUM non effecturum illud in confirmationem falsitatis. &c. Ideò hoc argumento præter Patres, Chrysostomum *Tom.* 3. *in* 2. *Cor.* Tertullian. *in Apologetico cap.* 27. Arnobium *lib.* 1. Augustin. 10. *de civi. cap.* 12. *lib.* 16. 17. usus est ipse Christus: *Si mihi non vultis credere, operibus credite. &c.*

Joan. 3. Exod. 4. Joan. 10.

Multipliciter autem ex Apostolorum, & Christi miraculis ostendebatur, doctrinam, quam prædicabant, esse à Deo revelatam. Primò, ex multitudine illorum: Secundò ex magnitudine, & varietate: Tertiò, ex modo operandi: aliquando ex cæremonijs, ut cum visum restituit luti conjectu: aliquando ex solo imperio, sine ulla vel cœli & astrorum influentia, vel applicatione activorum suis passivis; quale illud: *Adolescens tibi dico, surge: volo, mundare: & imperabat ventis, &c.* 4. Ex circumstantia virtutum moralium: sic *Matth.* 8. ex misericordia pavit turbam propter gloriam Dei Joan. 17. *Pater manifestavi nomen tuum hominibus super terram.* Similiter in Apostolis videntur quædam & mirabiliora: nam sola Petri umbra sanabat. &c.

Objicies, miracula, quæ circumferuntur de Christo & Apostolis, verè non fuisse facta, quòd historici gentiles eorum temporum nullam illorum fecerint mentionem.

Secundò, dato quod facta fuerint, fuisse præstigiosa & falsa, cùm similia fieri possint artibus magicis, & facta narrentur à gentilibus, quæ tamen nos negamus à DEO processisse.

Tertiò, licet fuerint vera miracula, nihil tamen illa valere ad confirmandam nostram fidem: nam interdum vera miracula facta etiam fuerunt ab iis, qui falsam fidem profitebantur, ut à gentilibus & hæreticis, ut referunt Valerius Max. *lib.* 8. Lactan. *lib.* 2. Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 14. & Augustinus *lib.* 21. *de Civit.*

Ad primam objectionem Respondeo, Christi miracula non solum narrari à nostris, sed etiam ab alienis, ut à Josepho, à Lentulo *Epistola ad Senatum Romanum*, quæ exstat apud Eusebium *lib.* 2. *hist.* Et de Christianorum miraculis constat in historijs gentilium, & Antonijs Imperatorum, ubi habetur Imperatores aliquos ob beneficia miraculosè recepta, propter Christianorum orationes, gratos illis fuisse, ut de legione Christianorum, quæ sub M. Aurelio pluviam, & victoriam miraculosè obtinuit, refert Niceph. *lib.* 4. *cap.* 12. Quod si perpauci gentiles de Christo, & Apostolorum miraculis scripserint, id fuit factum, primò instincta dæmonis. Secundò, quia metuebant Imperatores, qui puniebant Christianos, ut sacrilegos, & eorum fautores. Tertiò, quia non intelligebant vim horum miraculorum: nam illa tribuebant artibus magicis. Quartò, non est mirum, quod hostes nostri ea non referant, quæ faciunt in nostræ fidei confirmationem.

Ad secundam Respondeo cum Aug. *lib.* 10. *de Civit. cap.* 6. Euseb. *lib.* 4. & 5. *hist.* & Tertullian. *in Apologetico cap.* 22. & 23. Christum verè suscitasse mortuos, illuminasse cæcos, prædixisse futura, & internas animi cogitationes penetrasse, idque evidentissimum fuisse, ut Pharisæi nunquam ausi fuerint objicere falsitatem, præterquam quod satis constare potest id ex multitudine, magnitudine, & circumstantijs horum miraculorum: nam hæc omnia satis apertè indicant ea non potuisse fieri arte dæmonis.

Ad tertiam dico primò, ex quatuor potissimum differentijs inter miracula gentilium, & hæreticorum, & nostra, illa reddi suspecta; hæc verò nostra dignosci quam verissima. Nam primò illa, ut ait Augustinus *libro* de utilitate credendi *cap.* 16. fiebant ad ostentationem non ad utilitatem; hæc semper habebant conjunctam utilitatem, & propterea sibi hominum benevolentiam conciliabant. Secundò ex eod. 22. *de Civit. cap.* 9. & 10. fiebant opera dæmonum ad inducendos homines, ut adorarent vel ipsos dæmones; at hæc ad adorandum unum DEUM. Tertiò illa non potuerunt fieri ad confirmationem erroris, licet daremus posse dæmones vera miracula facere: nam spectat ad providentiam Dei, non permittere tantum malum; hæc verò fiebant in confirmationem nostræ fidei. Quartò à nostris fiebant miracula per solâ invocationem nominis JESU, & ubique, aut ubicumque opus erat, & occasione data, & in quacumque re, ut videre est in Vitis Sanctorum, ab aliis sanctissimis viris conscriptis. At inter gentiles paucissima leguntur miracula, & casu, & non ad libitum eorum, qui ea faciebant, & multis etiam alijs adhibitis, & requisitis, quæ illa poterant suspecta reddere.

Dico secundò plura miracula apud hæreticos, & gentiles ab illis fuisse conficta, ut ait Just. in *Oratione Parænet.* plura itidem non excessisse virtutem rerum naturalium, ac proinde potuisse arte dæmonis: plura demique fuisse deluſiones potius quasdam, quàm vera miracula, ita ut si voluissent homines non temerè credere, potuissent aperta falsitatis indicia reperire, quæ tamen permisit DEUS fieri apud gentiles. Primò, quia non erant in aliquod præjudicium fidei, cùm non fierent in confirmationem erroris. Secundò ad manifestandam Dei providentiam. Tertiò ad probationem bonorum, & pœnam malorum: nam justum est, ut qui se dæmonum cultui tradiderunt, permittantur à Deo per hæc à dæmonibus illudi, cum præsertim sufficienter DEUS præmunierit nos adversus hæc, ut patet in miraculis Antichristi, quæ quia magnam habebunt veritatis speciem, prædixit nos Christus de eorum falsitate, quæ prædictio nos confirmavit in fide.

Dico tertiò, quandocunque perventum est in fidei controversia ad miracula, semper nostros Exod. 8. 3. Reg. 18

fuisse victores, ut patet ex conflictu Moysis & Aaron cum Magis Pharaonis; ELIÆ cum Prophetis Baal; D. Petri cum Simone Mago, ut narrat Hegesippus; Eugenij Episc. Catholici cum Cirola Episc. Arriano, ut asserit Gregorius Turonensis *lib. 3. hist. c. 3.* Quo factum est, ut nostri sæpè provocarent gentiles ad hujusmodi miracula, ut asserunt Arnob. *lib. 1.* & Tertull. *in Apolog. c. 23.*

Dico quartò, plura fuisse apud gentiles vera miracula virtute divina facta, quoniam non fiebant in confirmationem erroris, sed ut manifestaretur vel particularis Dei providentia, vel innocentia alicujus hominis, ut est illud de Claudia, quæ navim, quam nemo poterat movere, suo cingulo traxit, & de virgine Vestali, quæ aquam cribro portavit.

Septimũ motivũ, quo utuntur Chrysost. *Hom. 26. in Matth. Hier. in c. 9. Matth.* Lactantius *lib. 3. inst. div. c. 23.* sumitur ex efficacia nostræ doctrinæ, tum in dæmonis illius hostis acerrimi viribus frangendis, qui vel in idolis tacebat, vel per ea, & per obsessos vim Evangelicæ veritatis confiteri cogebatur, ut videre est apud Ruffinum *lib. 10 cap. 10. & 19.* & apud Victorem *lib. 1.* de persecutione Vandalica: tum in adversariorum audacia coercenda, quippe in disputationibus illi resistere non poterant: tum denique in rebus difficillimis persuadendis, & audientium animis interius permovendis, ut de Christi Domini sermonibus pluribus in locis testatum habetur. Nam *Joan. 7.* ministri à Judæis missi ad Christum apprehendendum, id facere destiterunt dicentes: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Et *Matt. 15.* ac *Marc. 8.* legimus quòd turbæ, relictis domibus, & oblitæ necessarij cibi, integros dies, immo & triduum illum fuisse secutas.

Joan. 7.
Matt. 15.
Marc. 8.

Octavum motivum est ex constantia ipsius, quæ inter tot adversa, puta inter persecutiones varias, multiplices, & maximas, cùm ab hæreticis, tum gentilibus excitatas, semper illæsa permansit; cùm è contra sectæ gentilium, & idololatria, maximè post Christi adventum, ferè jam defecerit, & plurimæ hæreses sint jam exinctæ, & paulatim extinguantur: quod est certissimum signum nostræ fidei, doctrinam non nisi à DEO promanasse, ut benè argumentatur Gamaliel. *Act. 5.* dicens: *Si opus hoc non est ex DEO, dissolvetur.* Hoc argumento utuntur Tertull. *contra Scapulam*, & *Apologetico cap. ultimo.* Justinus *in Dialogo cum Triphone*, Augustinus *lib. 22. de Civitat cap. 6.*

Act. 5.

Nonum motivum sumitur ex testimonio infinitorum hominum pro confessione fidei ex omni genere, sexu, ætate, qualitate (puta, in doctrina, nobilitate, potentia, sanctitate,) clarissimorum, summa constantia, & patientia morientium, multis signis & miraculis in eorum morte contingentibus, & admirabili conversione ad nostram fidem ob eorum mortem constanter toleratam, & innumera signa ipsorum sanctitatis tunc visa: tum infinitorum gentilium, tum eorum, quibus erat cura demandata, Christianos occidendi, nisi fidem desererent. Hoc argumento utuntur inter alios Justin. Martyr. *in Apolog ad Senatum Romanum*, ubi testatur se maximè motum fuisse ad Christi fidem amplectendam, & Lactant. *5. instit. c. 13. & 14.* Quod argumentum optimum est, sumptum cum circumstantiis prædictis: nam constat multos pro tuenda hæresi mortuos esse. Sic Tertullianus *lib. de fuga in persecutione* & Euseb. *lib. 5. hist. c. 18.* referunt Montanistas gloriari solitos de numero suorum Martyrum, & idem de Messalianis refert Epiphanius *hæresi 80.* de Donatistis Augustinus *Epistola 68.* Verum illi, & pauci fuerunt, si comparentur cum nostris Martyribus, ut ostendunt Victor *de persecutione Vandalica*, Euseb. *lib. 5. & 7 cap. 19.* Nec fuêre ex omni genere, sexu, & ætate, nec in illis elucebat sanctitas, quæ in nostris, qui pro illis orabant sæpè à quibus torquebantur, & illos convertebant ad fidem: neque in eorum morte signa & prodigia fiebant: neque demum propterea crescebat numerus eorum, qui hæresim illam sectarentur. Cum tamen ob nostrorum Martyrum mortes incredibiliter augeretur numerus fidelium. Quod notavit Tertull. in *Apol. c. ultimo*, dicens *sanguinem Martyrum esse semen Christianorum.*

Decimum motivum, ex infelici exitu eorum, qui nostram fidem sunt persecuti; & felici eorum, qui illi faverunt: quod patet multis exemplis, tam gentilium, quàm hæresiarchatum, quæ legi possunt apud Medinam *lib. 2.* De recta in Deum fide. Hoc argumento utuntur Tertull. *lib. contra Scapulam* & Chrysostomus *Oratione 3. contra Judæos.*

Undecimum motivum, ex testimoniis eorum, qui Christi fidem non receperunt, tum de auctore nostræ fidei, tum de ipsa fide, & iis qui illam profitentur. Nam Josephus *lib. 18. Antiquitatum* testimonium perhibuit de Christo. De eodem etiam Sibyllæ apud Lactantium *lib. 1. c. 5. 6. & 7.* De Christianis verò refert Justinus in *2. Apolog.* trium Imperatorum in eorum commendationem. Plinius etiam Secundus ex Tertull. in *Apolog. c. 2.* de ea rescripsit Epistolam ad Trajanum imperatorem. Hoc argumentum asserit Aug. *de Civit. 47.* maximum habere pondus ad nostram Religionem confirmandam.

Duodecimum motivum, ex Fidelium generali prudentia, sapientia, optima gubernatione, sanctitate. Unde legimus quosdam Barbaros, auditis moribus Christianorum, Doctores Christianos postulasse. ita Socrates *lib. 4. c. 27.* & Theodoretus *lib. 4. c. ult.* Ex admirabili prudentia, in magna differentia graduum, & officiorum, & pulcherrimo ordine totius Religionis Christianæ: cùm enim, *quæ à Deo sunt, ordinata sint*, valde credibile est, Religionem nostram, ubi tales ac tantus viget ordo, à DEO esse. De hac re legendus est Nazianzenus *Oratione de moderatione* in disputationibus habenda.

Decimum tertium motivum, ex motivis internis, puta bonis cogitationibus, & illustrationibus, & piis affectibus ad id, quod honestum est, & rationi consentaneum, & internis consolationibus, quas Fideles supra naturæ ordinem in seipsis experiuntur, & varijs demum providentiæ modis, quibus DEUS hominem ad fidem conducit: quæ motiva ex D. Tho. *2. 2. q. 2. art. 6.* majus pondus habent, quam cetera motiva.

Ex his motivis sic possumus una vel altera demonstratione nostram confirmare Conclusionem. Prior sit hæc: Illa doctrina est evidenter credibilis, cujus auctor est ineffabilis veritatis, & singularis sanctitatis, quæ multò ante fuit à sanctissimis viris prædicta, quæ nihil contra bonos mores, & rectam rationem continet, seu mirabiliter confert ad vitam rectè instituendam, cùm sit summæ sanctitatis, integritatis, & efficaciæ, quæ in sui propagatione divinitus probata fuit, & innumeris, ac veris miraculis confirmata, quæ mirabiliter inter innumerabiles Gentilium, Judæorum, & Hæreticorum persecutiones illæsa permansit, & incredibiliter crevit, pro cujus confessione, ac defensione infinitus hominem numerus cujuscumque generis, ætatis, sexus, & conditionis, tam alacriter

criter mortem subijt, cujus persecutores tam gravibus supplicijs mulctati sunt, cujus sanctitati, & integritati ipsimet adversarij, vel inviti perhibere testimonium coacti sunt, quam denique qui recipiebant super naturæ ordinem ad illam se variis illustrationibus affici, & allici sentiebant, quamque complexi sunt tot viri sanctitate, sapientia, doctrina, & omni virtutum genere clarissimi; sed doctrina nostræ fidei est hujusmodi, ut patet percurrenti per motiva prædicta: ergò, &c.

Altera demonstratio, quæ præcedentem confirmat, est desumpta ex divina providentia: nam evidens est naturaliter DEUM habere providentiam actionum humanarum, & gubernare homines in iis præsertim, quæ spectant ad felicitatem æternam, & honestatem morum, & verum Dei cultum, ergò in his rebus gravissimis ad illam pertinet non permittere homines tot signis decipi, & præsertim eos, qui toto corde DEUM quærunt, cum res fidei proponantur, ut credendæ, quia relevatæ, & justificatæ à Deo, ad cujus bonitatem, veritatem, & sapientiam spectat, non permittere, ut falsa, tam manifestè sua auctoritate confirmentur, sed de facto permisit DEUS doctrinam Catholicam tantis argumentis confirmari; ergo evidens est, eam esse veram, & à Deo.

Ex his manifestè sequitur, quod doctrina nostræ fidei comparata cum doctrina Gentilium, Judæorum, & Hæreticorum omnium maximè est evidenter credibilis, & credenda. Prior pars probatur primo, iisdem Scripturæ locis. Secundò ratione: Evidenter credibile est, esse aliquam religionem in mundo: nam est contra Dei providentiam permittere totum genus humanum carere vero DEI cultu & cognitione: at si est aliqua religio, evidenter credibile est, non esse sectam Gentilium vel Hæreticorum, ergo evidenter credibile est, esse illam, quam nos profitemur. Consequentia patet à sufficienti partium enumeratione. Minor verò probatur: quia si comparetur cum sectis Gentilium, hæ continent multa falsa contra rationem, & lumen naturale, quod observarunt Justinus in *Adhortatorio ad hæres.* Tertul. in *Apolog.* August. *primis 12. libris de Civitate Dei.* Præterea continent multa inter se pugnantia, ut patet in Alcorano, ut fusè ostendemus infra: illarumque auctores fuerunt homines improbi: si verò comparetur cum Judæorum lege, non dubium quin illam in multis excedat.

Primò nonnulla ex signis adductis in hunc finem facta sunt, ut rejecta Judæorum lege Evangelium induceretur. Secundo licet Judæorum lex sancta sit, & à Deo tradita, Judæi tamen post Christi adventum multa falsa, & absurda docuerunt, ut videre est apud Sixtum Senensem *lib. 2. Biblioth.* quorum saltem aliqua, ut usuram esse licitam, omnes amplectuntur. Tertiò in prophetiis, quas non negant Judæi esse à Deo, reperiuntur ea, quæ sunt in nostra doctrina prædicta, quæ nos facta videmus, & ipsi vel inviti experiuntur. Quo argumento usus est Christus, Joan. 5. *Scrutamini Scripturas*: & Luc. *ult.* incipiens à Moyse. Si demum comparetur cum quacumque secta hæreticorum, evidens est, has esse incredibiles. Nam primò earum auctores fuere viri pessimi, ut patet ex miserrimo & turpissimo eorum exitu. *Joan. 5.*

Secundò in qualibet earum est mira doctrinæ inconstantia, instabilitas, & contradictio, quod auctores earum vel pugnantia dicerent, vel quædam docerent, quæ postea mutabant, vel quia paulò pòst eorum hæreses in plures sectas dividerentur, ob dissensionem discipulorum, tum inter se, tùm à suo præceptore, ut contigit in Ariana hæresi, cujus novem mutationes brevi tempore factas refert Niceph. *lib. 12. c. 20. 21.*

Tertiò, quia nulla est hæresis, quæ non aliquid contra bonos mores, rectam rationem, rectamque existimationem de DEo doceat, ut notarunt Irenæus *lib. 1. & 2. contra Hæres.* Epiphan. *Hæresi 26. 27.* & August. *libide Hæresibus.* Et id evidentissimum est in hæresibus nostri temporis, nam negant liberum arbitrium, DEUM faciunt auctorem mali, negant justos obligari præceptis.

Quartò nullus hæreticus donum prophetiæ verè habuit, nullus in confirmationem suæ doctrinæ vera miracula edidit, sed cùm fingeret se velle ea facere, statim eorum doli detegebantur, quod apertissimum est signum falsitatis doctrinæ, cum, ut ait Chrysostomus *Hom. 14. in Matt.* & S. Thom. 1. 2. *q.* 178. *art. 2. ad tertium*, vera miracula veram fidem comitentur: contrà verò professores Catholicæ fidei quàmplurimi, & viri sanctissimi donum prophetiæ habuerint, & in confessione nostræ doctrinæ multa miracula ediderint.

Quintò quælibet hæresum incœpit post prædicationem Apostolorum, multæque ex illis jam extinctæ sunt, vel paulatim extinguuntur, cum tamen vera fides debeat esse perpetua in aliqua saltem hominum congregatione, & ab eo tempore, quo prædicari à Christo & Apostolis cœpta est, usque ad finem mundi illæsa permanere, qualis est, quam nos profitemur, ut patet cùm ex perpetua conservatione ejusdem nominis, tum ex continua successione Episcoporum à D. PETRO usque ad nos. Quo argumento contra hæreticos utuntur Patres citati in tertio motivo ad probandam fidem & Ecclesiam nostram esse antiquissimam, Apostolicam, & veram.

Objiciunt hæretici, non esse bonum argumentum ex hac successione Episcoporum ab Apostolis: nam licet continuata fuerit usque ad tempus illorum Patrum, non tamen usque ad nos. Sed contra, nam eo modo, quo illi Patres usque ad sua tempora ostenderunt illam continuasse, eodem nos modo usque ad nostra.

Objiciunt rursus hæretici, neque hinc posse sumi argumentum veræ Religionis: nam licet isti Episcopi sint continuati ab Apostolis, jam diu tamen fidem amiserunt, sicut patet in Ecclesia Græcorum, qui à fide defecerunt.

Respondeo tamen, ex hac successione Episcoporum in Ecclesia, præsertim Romana, optimè probari conservationem fidei, & Ecclesiæ: nam cum Christus promiserit Petro & successoribus, quod non deficiet ejus fides, etiam perpetuitatem fidei promisit Ecclesiæ Catholicæ maximè Romanæ, quæ est caput cæterarum. Cum ergò videamus continuari Ecclesiam, quam Christus fundavit, idem dicendum est de fide: & si alicubi dicendum est veram fidem perseverare, sine dubio dicendum est ibi conservari, ubi non est interrupta posita successio: quo argumento utuntur Hilar. *6. de Trinit.* Hieronym. & alij supra citati.

Posterior pars probatur: nam evidens est doctrinam illam, quæ nihil continet rationi contrarium, habetque tot, & tanta motiva suæ credibilitatis, & est ad salutem necessaria, non solum esse credibilem, sed etiam secundum rectam rationem credendam. Sed evidens est illa esse in nostra doctrina; ergò evidens est prudentis esse præsertim posito præcepto de actu fidei, credere id quod est evidenter credibile: sed mysteria nostræ fidei sunt hujusmodi, ergò.

Dixi doctrinam nostræ fidei esse evidenter credibilem, & credendam: nam argumenta posita hoc tantum efficere possunt, non autem necessariò efficiunt, ut actu credantur: nam hoc positum est in voluntate hominis cum divino auxilio, quod quibus datur, misericorditer datur, quibus non datur, justè negatur, vel non injustè aufertur, licet semper adsit auxilium, quo quis potest credere. Non tamen hujusmodi argumenta sunt superflua: Nam primò suaviter disponunt hominis mentem ad credendum. Secundò per illa refelluntur argumenta contraria. Tertiò per illa justè condemnabuntur, qui illis propositis credere noluerunt, juxta illud Joan. 15. *Si non venissem, peccatum non haberent.* Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, &c.*

Joan. 15.

Secundo sequitur omnes fideles, singulos pro sui ingenij captu, & conditione credibilium, habere evidentiam credibilitatis articulorum fidei. Est S. Thom. 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. Et probatur, quia præceptum de actu fidei non obligat, nisi post sufficientem propositionem credibilium: sed hæc non est; qua solum ostenduntur probabilia esse, quæ proponuntur credenda: sed quia evidenter ostenduntur credibilia esse, tam quam à Deo relevata, ut supra docui, ergò. Confirmatur: nam in rebus gravissimis, & difficillimis, si quis simpliciter crederet absque eo, quod haberet sufficiens argumentum, leviter, & irrationabiliter diceretur credere: at sufficiens argumentum non æstimatur illud, quod tantum ostendit probabilitatem rei, quia semper potest quis rationabiliter de opposito dubitare: ergò erit illud, quod evidenter ostendit credibilitatem rei.

Dixi tamen pro conditione credibilium: quia non est in omnibus credendis requirenda eadem evidentia credibilitatis: nam irrationabile est requiri eandem ad credendam rem levem atque gravem. Dixi pro cujusque ingenij captu: nam non in omnibus hominibus requiritur eadem evidentia ad rem eandem credendam: nam alia requiruntur in homine simplici, vel in puero perveniente ad usum rationis, alia in homine docto: in isto enim argumenta majora & fortiora; illis verò sufficiunt minora, ut auctoritas parentum, vel prælatorum, vel sapientum hominum, & doctorum, consensus universalis Ecclesiæ, & quod doctrina, quæ præponitur credenda, nihil continet contra rationem, & bonos mores, & alia hujusmodi, quæ sunt omnibus communia. Quod si aliquid horum alicui desit, supplet DEUS interius per gratiam, cùm id spectet ad ejus providentiam.

CAPVT IV.

Brevis, compendiosa tamen & accurata testimoniorum credibilitatis nostræ fidei collectio, ex D. Tho. 1. *contra Gent. cap. 6.*

HUjusmodi autem (inquit D. Tho.) veritati, cui ratio humana experimentum non præbet, fidem adhibentes non leviter credunt, quasi indoctas fabulas secuti (ut 2. *Petri* 1. dicitur.) Hæc enim divinæ sapientiæ secreta ipsa divina sapientia, quæ omnia plenissimè novit, dignata est hominibus revelare, quod sui præsentiam, & doctrinæ & inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit: dum ad confirmandem ea, quæ naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit, quod totius naturæ superat facultatem: videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, cælestium corporum mirabili immutatione, & quod est mirabilius, humanarum mentium inspiratione: ut idiotæ & simplices, dono Spiritus sancti repleti, summam sapientiam & facundiam in instanti consequerentur.

2. Petri 1.

Quibus inspectis, prædictæ probationis efficacia, non armorum violentia, non voluptatum permissione, & quod est summè mirabile, inter persecutorum tyrannidem, innumerabilis turba non modò simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum, ad fidem Christianam convocavit. In qua omnem humanum intellectum excedentia prædicantur: voluptates carnis cohibentur: & omnia quæ in mundo sunt, contemptui ducuntur. Quibus animos mortalium assentire, & maximum miraculum est, & manifestum divinæ inspirationis opus, ut contemptis visibilibus, sola invisibilia cupiantur. Hoc autem non subitò neque casu, sed divina dispositione factum esse, manifestum est ex hoc, quod hoc se facturum DEUS, multis antè Prophetarum prædixit oraculis: quorum libri penes nos in veneratione habentur: utpote nostræ fidei testimonium adhibentes.

Hujus quidem confirmationis modus tangitur ad *Hebr.* 2. *Quæ* (scilicet humana salus) *cum initium accepisset, enarrari per Dominum: ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante DEO signis, & portentis, & varijs Spiritus sancti distributionibus.* Hæc autem tam mirabilis mundi conversio ad fidem Christianam, indicium certissimum est præteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter. Etenim omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, & operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus, & ignobilibus hominibus: quamvis non cesset DEUS etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei per Sanctos suos miracula operari.

Hebr. 2.

Hi verò, qui sectas errorum introduxerunt, processerunt via contraria, ut patet in Mahumete, qui carnalibus voluptatibus permissis, ad quarum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit. Præcepta etiam tradidit permissis conformia, voluptati carnali habenas relaxans, in quibus in promptu est à carnalibus hominibus obediri. Documenta quoque veritatis non attulit, nisi quod de facili à quolibet mediocriter sapiente naturali ingenio cognosci possint: quin potius vera quæ docuit, multis fabulis & falsissimis doctrinis immiscuit. Signa etiam non adhibuit supernaturaliter facta, quibus solum divinæ inspirationi conveniens testimonium adhibetur: dum operatio visibilis, quæ non potest esse nisi divina, ostendit Doctorem veritatis visibiliter inspiratum: scilicet, dum dixit se in armorum potentia missum, quæ signa & latronibus, & tyrannis non desunt. Nec aliqui sapientes, aut in rebus divinis & humanis rebus exercitati, à principio crediderunt; Sed homines bestiales, in desertis morantes, omnis doctrinæ divinæ prorsus ignari, per quorum multitudinem alios armorum violentia in suam legem

coëgit

coëgit. Nulla etiam divina oracula præcedentium Prophetarum ei testimonium perhibent: quin potius quasi omnia & veteris & novi testamenti documenta fabulosa narratione depravat : ut patet per ejus legem inspicienti. Unde astuto consilio libros veteris & novi testamenti suis sequacibus non reliquit legendos: ne per eos falsitatis argueretur. Et sic patet quod ejus dictis fidem adhibentes leviter credunt. Hactenus D. Thomas.

Tria sunt potissimum fundamenta, si attentè expendantur, quibus D. Thom. nostræ fidei veritates confirmat. Primum, miracula ab Apostolis in fidei confirmationem edita. Secundum, mundi conversio considerata, & expensa, cum mirabilibus circumstantiis, nempe à quibus fuerit facta hæc conversio, & qui fuerint conversi, quibus mediis, & quomodo, quibus superatis difficultatibus, & aliis innumeris impedimentis. Tertium desumitur ex prædictionibus Prophetarum.

Verum hæc dicet aliquis valere quidem satis adversus Judæos, qui Prophetarum libris & oraculis fidem habent; contra Ethnicos verò Prophetis Hebræorum minimè credentes, infirma esse & invalida. Sed non ita est: vaticinia enim Prophetarum multis sæculis ante Dominum edita, literisque consignata, cum in Domino nostro perfectè impleta cernantur, veram esse ipsius fidem & doctrinam, apud omnes etiam gentiles apertè demonstrant. Nec potest Gentibus ea suspicio incidere, ne forte libri Prophetarum à Christianis suo ipsorum arbitrio, ex usu suo fuerint conficti, quippe eos Christiani à Judæis, Christiani nominis infestissimis hostibus, acceperunt: penes quos illi hodieque sunt, & fuêre olim per annos plus mille & quingentos ante Christi adventum. Quin imò ob eam maximè causam divino consilio factum esse testantur D. Hier. *super c. 16. Isaiæ*, Aug. *l. 18. de civit. Dei c. 46.* Theod. *Orat 10. de Providentia*, Judæos per omnes Gentes usque quaque dispersos esse, ut quæ à Christianis prædicantibus Evangelium Prophetarum vaticinia proferrentur, ea Gentes in Judæorum libris legentes, non esse Christianorum figmenta intelligerent: quin Evangelium tot tamque manifestis antiquorum vatum oraculis confirmatum, promptori assensu studioque amplecterentur. Quapropter mihi quidem vehementer probatur sententia illa D. Augustini, quæ est in *46 c. lib. 11.* de Civit. Dei: *nihil est* (inquit) *firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de Evangelij veritate contenderint, nostrosque fulciendos, si rectè sapuerint, quàm ut divina prædicta, de Christo ea proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt codicibus, quibus avulsis de propriis sedibus, & propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi usquequaque crevit Ecclesia: Nec verò solos Judæos testes hujus rei habemus, sed etiam idipsum Gentes testificantur: Namque annis circiter 300. ante ortum Domini nostri in terris, flagitante Philadelpho, secundo post Alexandrum Magnum Ægypti Regem, (id quod in Judæorum & Gentium historiis est proditum) ex Hebræo sermone sacri libri veteris testamenti, per duos & sexaginta interpretes Hebræa gentis sapientissimos in Græcum sermonem sunt conversi: quorum librorum & fama, & notitia per omnes gentes pervagata est.*

Objicies etiam de miraculis, quare nunc miracula non fiant, cum ea sint præcipua nostræ fidei testimonia. Sed de hac re *sequenti Cap.* dicemus.

CAPVT V.

De confirmatione doctrinæ Evangelicæ ex signis & miraculis : & quare nunc miracula non ita frequenter fiant.

MUlta fuisse facta signa & miracula & à prophetis, & ab Apostolis, ut Christiana firmaretur doctrina, nemo est qui dubitat. Atque esse necessaria miracula, ut mundus Christianæ prædicationi fidem adhiberet merito censuit D. August. *22. de Civitate Dei c. 8.* quorum omnium miraculorum finis non alter fuit, quam ad conciliandam auctoritatem ministris, & ut Christianæ doctrinæ fides adhiberetur. Quare prudenter admodum illos omnes fecisse constat, qui propter miracula, quæ à Christo vel Apostolis fieri cernebant, eorum dictis fidem adhibebant. Unde multi solent quærere & admirari, quare cum miracula sint adeò efficacia, nostra ætate in prædicatione S. Evangelij apud infideles miracula non cernantur, quæ Christus suis promisisse videtur maximè Evangelij prædicatoribus Marci ult. *In nomine meo dæmonia ejicient*, &c. Nulla enim est ita facilis ac certa via ad conversionem Gentium, quàm vitæ innocentia, signorum splendore decorata.

Hujus autem dubitationis triplex potest esse solutio. Prima, multa fuisse facta miracula, etiam post tempora Apostolorum, & nostra etiam ætate in novo orbe quam plurima, etiam per milites, de quibus præclarè Thomas Bozius *De signis Ecclesiæ lib. 5 sig. 11 c. 2. & lib. 12 sig. 57.* ubi miracula à viris sanctissimis hac nostra ætate edita recenset: Inprimis, inquit, cum Christophorus Columbus in Indias Occidentales nobis antea ignotas primùm simul cum suis sociis pervenit, in omnibus earum locis hoc miraculum commune erat. Nam cum passim dæmones ederent responsa; ubi Eucharistiæ Sacramentum per nostros in aliquo loco reponebatur, continuo dæmones obmutescebant : & cum crebris terræmotibus terræ conquassarentur, & frequentibus tempestatibus miserè etiam deformarentur; nunc nostra Religione recepta, non ita contingit. Hoc universis his regionibus commune: speciatim verò accidit, ut Christophorus Columbus in insula, quam vocant Hispaniolam, sive S. Dominici, altissimam è ligno crucem defigeret. Indigenæ sæpius eam prosternere ad terram, & convellere conati, nihil profecêre: contactu illius ac fragmentis morbi passim curabantur.

Noviſſimè verò *B. Aloysius Bertrandus* Ordinis Prædicatorum, maximè nostram Religionem in ijs locis amplificavit, datumque est illi divinitus, ut mortuos ad vitam revocaret, & innumeros ægrotos restitueret sanitati. Accidit aliquando, ut alicujus vici incolæ ad eum confluèrent, nomen Christo dare parati. Interrogati quid eos ad hoc adduceret, responderunt in publico quodam universalique eorum conventu astitisse dæmonem, quem cuncti specie horribili viderent, ac dixisse: *Quid me, astantibus duobus Christianis, invocatis?* (aderant forte duo ab Aloysio ad Christum perducti) *abripite eos hinc.* Ubi hæc dixit, homo quidam, qui se diceret ab Aloysio missum, processit repente

repente in medium conventum, & in conspectu omnium disputatione inita, dæmonia convicit: quibus actis evanuêre ex oculis astantium. Venit fortè in manus Principis cujusdam, qui non longè aberat à finibus regni Peruani, effigies Christi crucifixi. Ille acceptam conspuere, ac multis modis irridere cœpit, in conspectu plurimorum. Ibi mirabiliter imago quasi verè spiraret, cœpit ex oculis lumen emittere, caput motare, & aspectu minari, Regem, cunctosque terrere. Quocirca pavore perculsi omnes, & tremore correpti, partim cecidêre in terram, partim cum se viderent obrigescere, neque posse loco recedere, exclamare cœperunt, factique pœnitentes, misericordiam supplici ter implorare: ob id pristino statui protinus restituti, magnum Christianorum DEUM palam confiteri altissima voce, rem cunctis enarrare. At Princeps unà cum multis è numero suorum se Cuzcum contulit, & factum divulgans Christo se devovit.

Martinus de Valentia, illustrissimæ vir sanctitatis fuit. Hic ex ordine S. Francisci cum duodecim Socijs venit in Occidentales Indias, anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, & incredibile est, quot ipse cum suis Indos ad Christi cultum perduxerit. Nemo ex illis duodecim fuit, quin anno millesimo quingentesimo trigesimo primo plusquam centum millia Indorum baptizasset. Hic verò eminentissimæ fuit sanctitatis, virtutumque omnium divinarum sublimissimum culmen est assecutus. Visus est aliquando, cum in Salmanticensi Minorum monasterio diversaretur, orans extensis in modum crucis brachijs, in aëra sublatus. Cum sæpè è superioti loco verba faceret de Christi passione ad populum, rapiebatur extra omnes sensus, immobilisque erectus ac rigens diu persistebat. Antonius è Nava, & Ferdinandus Cortesius in Thalmanalco oppido, cum cellam, in qua morabatur, de improviso aliquando aperuissent, invenerunt orantem in aëra sublatum, & à sensibus abstractum. Bernardinus è Sahagunt, cùm cuperet hæc proprijs ipse oculis intueri, accessit in Thalmanalco ad ea loca, in quæ solitudinem petens precaturus *Martinus* conferre se solebat, observato tempore, quo se in illa jam sanctus receperat, ubi propior est factus, mirificum splendorem conspicatus, progredi vltra non potuit, quod nimia lux aciem luminum perstrinxisset, mentemque obturbasset.

Allatus est aliquando ad virum sanctum puer ægrotans, ut eum baptizaret: verum priusquam perficiri id posset, ille vita decessit. Acceptum Sanctus in altari collocavit, supplicationi se dedit, ad vitam paulò pòst reduxit, baptizavit, ac suis restituit. Tlaxcalæ præ nimia siccitate cuncta exusta jam conspiciebantur: venêre cives ad virum divinum, opem petentes: supplicatione indicta, processit ille ad locum quendam, in quo crux fuerat collocata. Vix eò pervenerat in precibus totus, cum pluvia copiosa cælitùs defluxit. Idem rursus contigit in oppido Tlaelpano. Plurimis porrò ægrotis sanitatem restituit. Illud autem nullo modo prætereundum. Joannes ex Oveto, qui Tecamacalci decessit, Custos in civitate Angelorum, cum sensu oderatûs esset privatus, Sanctique cadaver tumulo recluso inspexisset, incredibilem protinus odoris fragrantiam sensit, & ex illo odoratum recepit.

Obiit anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto, cum diem mortis prædixisset, genibus in nuda humo in morem supplicantis positis, & in contemplatione cælestium defixus. Corpus ejus triginta tres annos integrum incorruptumque omnino permansit, & ejus videndi copia pluribus ad illud invisendum properantibus fiebat. Innumera porrò miracula quotidie ex illo prodibant. Post annum millesimum quingentesimum sexagesimum septimum, cum capsam, in qua repositum jacuerat, aperuissent, nihil in illa inventum. Facta est diligentissima inquisitio, an ab aliquo fuisset asportatum, & subreptum: nihil potuit inveniri, quamvis Apostolicæ literæ in eam rem scriptæ fuerint, anno millesimo quingentesimo octuagesimo.

Indi in maxima illum, veluti Apostolum, divinitùs ad ipsos missum, veneratione habuerunt, & quæcumque ad illum spectantia colligere potuerunt, veluti cælestes quasdam reliquias asservarunt, & coluerunt summo honore; ubi verò morbis aut etiam peste tentati sunt, illa corporibus admovebant, ac sanitatem plerumque mirabiliter protinus ijdem recipiebant. Quocirca data fuit opera diligens, ut omnes ejus reliquiæ vestium, ceterarumque rerum colligerentur. Collectæ loco decenti sunt repositæ, & miracula innumera ab illis indies emanant.

Deinde *Joannes à S. Francisco*, solis precibus, ac nullo prorsus studio, assecutus est linguæ Mexicanæ cognitionem, ita ut maximè cunctis fuerit admirationi, cum repente auditus fuit ea lingua innumeris præsentibus concionari. Hic aliquando plurima idola Indorum, multitudine ingenti vidente, à pueris Christianis confringi jussit. Eadem verò die dæmon apparuit Indo cuidam, qui aberat passibus millibus sexaginta: apparuit autem facie deturpata, membrisque mutilatis, inquiens: *Ecce ut à Joanne malè habitus sum*, remque, uti gesta erat, explicavit, efflagitans, ut adversus Joannem suam contumeliam ulcisceretur, se ipsi opem laturum: docuitque rationem, qua flagitium perpetraret. Aggressus est rem Indus, expectatumque *Joannem* per insidias adortus, ptægrandi fuste percussit, aufugiensque irrito eventu, & à prosequentibus nonnullis comprehensus, rem detexit, & Christo se dedit.

Idem *Joannes* idolorum sacerdotem baptizavit, cui mox duo dæmones, assumpta parentum ipsius defunctorum effigie, apparuerunt, affirmantes se in amœnissimis deliciarum locis degere, eò deducturos ipsum, si velit sequi & imperata facere. Sequitur ille, perveniunt ad silvam, suadent ut laqueo faucibus injecto se ex arbore suspendat, ac præfocet. Aggressuro jam rem misero astitit *Joannes*, sive ipse revera, sive ejus species, incrêpat, dolos detegit. Agnito scelere, Indus Dei nomen ex animo implorare cœpit, ac protinus dæmones cum suis spectris evanuêre. Ipse Mexicum reversus, Joannique occurrens, accedit ad pedes, veniam criminis suppliciter petens. Idem *Joannes* defunctum filiolum, diu rogatus à matre, ut id faceret, ad vitam precibus revocavit: aliaque multa mirabiliter egit, ac prædixit. Obiit anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto.

Hos igitur paucos retulisse sit satis ex ijs plurimis, qui virtutibus divinissimis florentes, miraculisque editis clari prodierunt ex Ordine S. Francisci, & innumeros ad Christum populos bellicis antea moribus viventes traduxerunt in latissimis Indiarum occidentalium terris. Illorum verò gesta quædam brevissimis adumbravimus. Si quis ea latius cognoscere cupit, legat historiam Franciscа-

tiscanam ad finem, quam dedit in lucem Franciscus Gonzaga Episcopus Cephalenus, & illius Ordinis antea summus Præfectus.

Innumera verò etiam sunt, quæ in Indiis item orientalibus per viros Religiosos miracula patrata sunt; ex quibus pauca attingamus. *Xaverius* in ora Comorinensi duos jam vitâ functos ad lucem multis præsentibus, quorum precibus ad id est coactus, revocavit. In insula Japonis muto cuidam, & pedibus capto usum linguæ & ingressum, surdo auditum, alteri item surdo mutoque sanitatem divinitùs reddidit. Non est numerus ægrotorum, qui precibus ejus, quamvis essent à medicis desperati, continuò mirandum in modum sunt liberati, & nunc etiam cadaver ipsius Goæ miracula innumera edit. Plurima dum viveret in publicis etiam concionibus longissimè posita, uti erant, præsignificavit.

Permulta alia ab hoc sanctissimo viro, aliisque verbi DEI præconibus, humanas vires excedentia, patrata prodigia, in his regionibus, transeundo, paucis insinuandum duxi, fuisse anno 1584. Ad instantiam *Philippi II.* Regis Catholici ad regna Congi & Angolæ è nostris Carmelitis discalceatis missos *Didacum à sacramento*, ac *Didacum ab Incarnatione*, cum *Francisco à JESU*, alias *indigno*, nuncupato, viro admirandæ sanctitatis, qui, non paucis editis miraculis, copiosam infidelium multitudinem ad fidem perduxerunt ac baptizarunt; uti testatur *Ven. P. Hieronymus à Matre Dei*, alias Gratianus, in suo Romæ an. 1610. edito opere, *de propaganda fide*. Consulendus de hoc etiam *Franciscus à S. MARIA Tomo 2. Annalium congregationis Hispanicæ* Carmelitarum Excalceatorum *libro 6. cap. 28. & seqq.* alijque.

Hæc attigisse sufficiat, ut persuasum omnibus sit, si merita, & Apostolicæ virtutes non desint, nec miracula etiam Apostolis digna defutura. Si enim DEUS quotidie ad amicorum suorum sanctitatem propalandam mirabilia operari non dedignatur; quid non erit expectandum facturum ad fidem Catholicam confirmandam ac propagandam?

Quod si fortè hodie miracula non ita frequenter, ut olim, fiant, hanc hujus rei primò eam reddimus rationem: Quia etsi certum sit per peccatores effici posse miracula, tamen non dubium, quin frequentissimum sit, & veluti lege stabilitum, ut quò quis fide & sanctitate magis excellat, eò aptius instrumentum sit, per quod Spiritus sanctus tam præclara opera perpetret. Quare non mirum si rara illa & admiranda signa non ita frequenter cernantur, ubi charitas refrigescit, unusquisque quærens quæ sua sunt, & non quæ JESU Christi. Nec enim dubium, si illa piorum prisca fides, si pietas, ac denique si spiritus ille Apostolicus rediret, quin etiam opera Apostolorum expectaremus.

Præterea de parcitate signorum eam reddit causam D. Tho. *lib. 1. contra Gent. c. 6.* dicens: *Hæc autem tam mirabilis mundi conversio ad fidem Christianam, indicium certissimum est præteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter, quamvis non cesset Dominus etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei per sanctos suos miracula operari.* Hactenus D. Thomas: cujus sententiam mirificè confirmat Joan. Chrysost. *in Epist. 1. Cor. c. 2.* demonstrans signa Evangelicæ prædicationis patrata, non illo tantum sæculo, sed futuris fidem peperisse: quare fides jam satis fundata, miraculis novis non indiget confirmari, præcipuè cum vitæ integritas & exemplum, ut infra suo loco dicemus, efficacissimum sit, ad persuadendam fidem argumentum.

Tertia hujus charitatis signorum causa assignatur à Jos. Acosta viro alias doctissimo *lib. 2. de procuranda Indorum salute cap. 9* quod priscis temporibus omnino necessaria fuerint, nostris non item: etenim fides mysteriorum sublimium omnem humanam rationem superantium astruenda tunc erat apud homines maximè ratione sua cuncta metientes, Græcos, inquam atque Romanos, cæterosque hujus sæculi sapientiâ illa ætate florentes. His quomodo per homines paucos ignobiles & imperitos persuaderi posset doctrina omnibus humani ingenij viribus validissimè obsistens, quam proinde stultitiam Dei Apostolus vocat, nisi divina quædam ac insuperabilis evicisset auctoritas, contestante DEO signis, & prodigijs, & variis charismatibus? *1. Cor. 1.*

Quod etiam Paulus Apostolus sæpè commendat: *Sermo meus* (inquit) Heb. 2. 1. Cor. 2. *& prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Et Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius DEI in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum JESU Christi Domini nostri, per quem accepimus gratiam, & Apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Ira Christiana Religio, ubi humana præsidia prorsus aberant, divinis est fundata miraculis: At nostrorum temporum longè alia ratio est; nam & ij quibus fides annunciatur, omnibus rebus inferiores sunt, ratione, cultu, auctoritate, & ij qui annunciant antiquitate Religionis suæ, multitudine suorum, ingenio, elegantia, ceterisque copijs ad persuadendum superiores sunt, & abundant: neque barbarorum ingenia ea sunt, quæ fidei difficultatibus terreantur, cum à majoribus suis observent ipsi longè incredibiliora. Ac revera si Christus annuncietur, ut opus est, obsequentes & ad credendum faciles sese exhibent. *Heb. 2. & 1. Corint. 2.* *Rom. 1.*

Denique quid magnis signis opus est, ubi potius desideratur auctior intelligentia, quæ altitudinem doctrinæ nostræ aliqua curiositate disquireret? Unum illud his Gentibus potentissimum, & ad fidem efficacissimum, ac pænè singulare miraculum necessarium est, mores cum fide congruentes: hoc & abunde sufficit, & omnibus concessum est, modo velint.

Verùm quia hoc est præclarissimum inter alia fidei nostræ testimonium, de illo in sequentibus agemus: sed prius reddamus rationem, quare tot motivis & miraculis intervenientibus adhuc multi in sua perseverent infidelitate.

CA-

CAPVT VI.

Rationes, quare multi fidei veritatibus etiam sufficienter propositis, assensum non præbeant.

Guilielmus Parisiensis *lib. 1. de Fide cap. 2.* septem reddit rationes, cur multi fidei veritatibus aliàs evidenter credibilibus assensum non præbeant. Prima, inquit, est ignorantia mensuræ, & capacitatis intellectus humani. Qui enim intellectum suum omnia capere existimat, credit ex necessitate non esse, quicquid in intellectu suo non invenit. Quemadmodum si quis crederet intra circulum, vel velum Lunæ esse omnia, necesse haberet credere non esse, quicquid intra ipsum non inveniret. Hæc igitur est causa, propter quam quicquid intellectus eorum non capit, non esse credunt. Tu ergò adverte hoc, & crede intellectum humanum mensuratum, & limitatum in sua capacitate, ab ipso creatore suo DEO, qui posuit ei terminos, quæ, quot & quanta capiat capacitate sua naturali, multa apud se secreta reservans, revelanda cùm voluerit, & quãdo voluerit. Similis error huic, & similis ignorantia invenitur in hominibus, qui crederent nullo modo esse posse scientiam de magnitudinibus Solis, & Lunæ, atque stellarum, & de similibus: pro eo quod non est in intellectu eorum.

Secunda causa errorum istorum est aversio intellectus ab eis, quæ credenda sunt. Quemadmodum enim, qui aversos habet oculos ab eis, quæ videnda sunt, & conversos ad alia videnda, videre non potest in ista aversione; sic qui intellectum habent aversum ab eis, quæ credenda sunt, & conversum ad contraria credenda, credere non possunt in ista aversione. Hi sunt, qui tanto amore amplectuntur opiniones suas & sectas, ut de contrariis nequidem cogitare velint; tantoque odio aversi sunt, & contrarij contrariis errorum suorum, ut ea nec respicere ullatenus velint. Tu autem scias, quia idem est cogitare, quod corde sive intellectu intueri, atque respicere, & quia amor conversio est ad amatum, & odium aversio est ab eo, quod odit quis; quod ipse conversiones, & aversiones corporales indicant & ostendunt, velut umbræ & similitudines quædam interiorum sive spiritualium conversionum & aversionum. Manifestum igitur est, propter quid hujusmodi homines ea, quæ credenda sunt, credere, seu videre non possunt: non enim datum est hominibus videre post tergum suum, neque videre sine intuitu & aspectu.

Tertia causa erroris est, ipsa rerum subtilitas, quæ turbido, & grosso intellectu visibiles non sunt. Quemadmodum enim visus adeò turbidus & grossus, ut ab eo pilus videri non possit, est & visus quo pilus & pilo gracilius videri potest: sic & in intellectibus hominum similem differentiam & comparationem esse contingit. Quemadmodum igitur homines grossi & turbidi pilum non videntes ubi est, contendunt ipsum ibi non esse, propter ejus subtilitatem & gracilitatem ipsum non videntes, & ipsum videntibus credere nolentes: sic ea, quæ ex fide, quam diximus, credenda sunt, propter sui subtilitatem, grossities, & turbiditas intellectus vulgarium, & indoctorum hominum non capiens, ea non esse & credit, & contendit & dejerat.

Quarta causa est, remotio, sive distantia, hoc est longinquitas à rebus credendis: & hæc longinquitas est imperitia, & inexercitatio in illis: sicuti dicit Aristoteles, Imperiti veluti longè distantes, speculantur. Qui enim in sensibilibus, aut in alijs quæ longè sunt à credendis, versantur, & commorantur, assiduè longè sunt indubitanter ab illis, & propter hoc illa videre non possunt, qui nec studio, nec exercitatione ad illa appropinquaverunt.

Quinta verò causa est stultitia, qua volunt intelligere intellectu naturali per se id, quod per se capi non potest. Quemadmodum si quis visu humano vellet videre, quicquid aquilino visu videri potest; aut altitudinem staturæ suæ longè desuper eminentem contingere, & quæ in ea sunt manu capere: sic brevior intellectus credendorum altitudinem non attingit, & intellectus naturalis ad ea, quæ supra ipsum sunt, per se nullatenus extendit se.

Sexta causa est inquisitio probationum; probationes enim velut scalæ sunt quibus attingitur ad probata. Quia verò ad ea, quæ fidei sunt scala hujusmodi non pertingit, cum non habent aliquas probationes inde quales vellent; ideò deest illis scala, vel omnino, vel saltem ejus altitudinis, quæ hujusmodi res attingat. Hi tanquam deficiente scala altitudine ascendenda incomparabili breviori, ad ea nullatenus ascendunt, eò quod solas probationes scalam, qua illuc contingat, ascendere opinantur.

Septima causa est peccatum sive negligentia, qua divinum adjutorium ad ipsa credenda non quæritur, seu quodcunque aliud, quod viam gratiæ obstruit & concludit: meritò enim & justissimè fit, quod Dei judicio, Dei adjutorium non obtinet, qui illud obtinere non curat; meritoque gratiæ lumen divinæ cor illius ad illustrandum non ingreditur, qui obicem illi ponit peccati; meritò enim radiis Solis domus illius non illuminatur, qui radiis ejus fenestras & ostia, aliosque introitus omnes claudit & obstruit. Scito etiam quod quemadmodum homines propriis manibus lumen Solis visibilis ab oculis suis quandoque prohibent & abscondunt; sic peccatores malis operibus suis, Solis invisibilis radios, hoc est, dona gratiarum & virtutum à cordibus suis declinant, & avertunt. Quod enim sunt manus interpositæ inter Solem & oculos ad obtenebrandos eos, hoc, sunt opera mala inter solem intelligentiæ, atque justitiæ & oculos cordis ad eos obstruendos.

Attende autem & alias similitudines, sive exempla, ut melius innotescas tibi erroneorum stultitia. Quia enim sensus humanus in hujusmodi rebus tanquam cœcus est; & omnino inscius, qui eo duce ambulare volunt in his, sibi cœcum ducem eligunt, & propter hoc non est mirum, si in præcipitia & profunda errorum corruunt. Similiter qui ipsum de his rebus consulunt, cum horum omnino inscius sit, suum in rebus periculosissimis habent consiliarium. Meritò igitur pernitiosè errant, & pericula errorum non effugiunt. Assimilatur etiam stultitia hujusmodi hominum vespertilioni-

tibionibus, qui Solem videre contendunt, & ipsum totis viribus fugiunt, dum neque ortum ejus exspectant, neque ante occasum evigilant: sic & illi Solem intelligentiæ & justitiæ Domini ex omni parte fugiunt orientem, siquidem nec expectant, dum nec miraculis, nec sacrorum eloquiorum testimoniis, nec sacrorum Doctorum suasionibus, quibus omnibus velut quibusdam radiis illucescere possent, eisdem attendere nolunt: immò ab ipsis tanquam à vitijs fugiunt, sicut & omnes aves lucifugæ, quibus & ipsi congruentissima similitudine comparantur. Sol iste luminosissimus, à tempore infidelitatis eis occidit, & propter hoc frustra eum videre contendunt præter occasum suum: qui non est nisi casus eorum, donec eis oriatur, cujus tamen ortum, ut diximus, fugiunt.

Amplius, sicut cum terra, vel nube, vel Luna interposita, inter aspicientem & Solem non contingit aspicientem ad solem videre, nisi interpositum: sic & omnes hujusmodi erronei, cum inter eos & veritatem salutarem interposita sint infidelitatis suæ mendacia, non est possibile eos videre, nisi illa. Interpositis autem prohibentibus, non pervenit aspectus eorum ad ipsam veritatem; sicut dicit Salomon Proverb 17. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde ejus.* Et quoniam impossibile est ab intellectu materiali atque possibili aliquid videri seu cognosci, nisi irradiatione sua super illud, & apparitione formæ suæ in illo, quoniam ipse est velut speculum intelligibile ac noscibile formarum intelligibilium, hoc est, in quo resultare, & pingi quodammodo habent omnes formæ intelligibiles resultatione & pictura Soli convenientibus; manifestum est consequenter, quia nec in quassato intellectu, nec in declinato, nec per interpositionem prohibito, quemadmodum nec in speculo, quod est dispositionum seu comparationum istarum: manifestum est tibi, quia in intellectu hæretico, cum loco tersionis & puritatis habeat crassitudinem & immunditiam, loco directæ oppositionis ad veritatem salutarem habeat declinationem ab ea & aversionem, loco liberæ viæ, seu transitus habeat interpositum, prohibens ab eo irradiationem ab ipsa veritate salutari: manifestum est tibi, inquam, quia impossibile in hujusmodi intellectu fieri descriptionem, seu apparitionem hujusmodi veritatis. Et quoniam non solum Sol in lumine suo, & ex lumine videtur, quod infundit hominibus videntibus, sed etiam omnis res alia, & quantum ad sensus exteriores, & quantum ad intellectum materialem: quantò fortius necesse est, ut Sol intelligentiæ atque justitiæ non videatur, nisi in lumine, & ex lumine, quod ipse infundit videntibus, & hoc infusione gratuita, ac liberali, non irrationali, seu naturali, qualis est effusio luminis à Sole, & caloris ab igne, quorum potentiæ irrationales, atque serviles nominantur. Irrationales quidem, quia absque discretione & distinctione, æquè bonis & malis, & ad bona & ad mala operantur, æquè enim illuminat Sol, æquè fundit lumen suum rapientibus, & occidentibus, ceteraque mala perpetrantibus, ut piè agentibus. Serviles verò, quia nulla non operatur per modum servientis; cujus non est vel aliud, vel aliter facere quam acceperit in mandatis, non enim habet ignis in potestate, ut alicubi ab adustione caveat, vel ut nunquam aliquid magis aut minus calefaciat, sed totum facit ex necessitate, nihil autem ex propria libertate. Utrumque autem ab altissimo Deo longè est in ultimo elongationis, & propter hoc omnia bona, quæ ex ipso nobis sunt, dona sunt largitatis ipsius, & beneficia pietatis. Hactenus Guilielmus Parisiensis.

CAPVT VII.

An oporteat cum Infidelibus collationibus ac disputationibus publicis de rebus fidie agere?

RES est non parvi momenti, ac magna consideratione digna, An cum hæreticis & alijs Infidelibus publicis Disputationibus agendum sit, ut eorum confutentur errores, fideique veritas ostendatur, ut sic ipsi convicti, ad fidem vi rationum & argumentorum compellantur? Res est maximè anceps, & quæ pro utraque parte non contemnendis nititur fundamentis. Inprimis rem hanc potius privatis colloquiis, placida institutione, ac præcipuè oratione ad DEUM, cum morum puritate ac vitæ exemplo conjuncta perficiendam, res ipsæ in Ecclesia gestæ testantur: quibus compertum est eos, qui ab hæreticis ad Catholicam fidem ac Religionem aliquando convertuntur, potius ex Spiritus sancti tacito instinctu, & mansueta Catholicorum institutione, quàm argutis disputationibus, excitari ac permoveri. Ejus rei manifestum exemplum ostendit DEUS, in magno Ecclesiæ doctore D. Augustino: qui de sua ex hæresi Manichæorum, ad fidem conversione, inter alia scripsit, matrem suam Monicam nihil non consilij auxiliique à Deo & hominibus passim & continuò, multisque cum lachrymis flagitasse, ut ipse filius ejus, Manichæorum hæresi adhærescens, ad Ecclesiæ Catholicæ fidem Religionemque converteretur.

Tandem quoque solicitè vehementerque rogasse Episcopum, ut cum ipso filio suo dignaretur colloqui, ejusque errores refellere, & docere eum meliora. *Noluit autem Episcopus* (verba sunt D. Augustini) *prudenter sanè, quantum sensi postea. Respondit enim me adhuc esse indocilem, eò quod inflatus essem novitate hæresis illius, & nonnullis quæstiunculis jam multos peritos agitassem, sicut illa* (mater) *indicaverat illi. Sed sine illum ibi, addebat Episcopus, & tantum roga pro eo Dominum: ipse legendo reperiet, quis ille sit error, & quanta impietas. Simul etiam narravit, se quoque parvulum, à matre sua seductà datum fuisse Manichæis, & omnes panè non legisse tantum, verum etiam scripsitasse libros eorum, sibique apparuisse, nullo contra disputante & convincente, quàm esset illa secta fugienda, itáque fugisse. Quæ cum ille dixisset, atque illa* (mater) *nollet acquiescere, sed instaret magis deprecando, & ubertim flendo, ut me videret, & mecum differeret: ille jam stomachans tædio, Vade inquit, à me, ita vivas: fieri enim non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.* Hæc ille.

Nec minus in hanc rem facit conversio cujusdam gentilis Philosophi, qui unà cum alijs ad Nicænum Concilium accesserat, ut Christianorum Religioni illuderet. Nam cùm is dicendi arrogantia se inaniter jactitaret, & Sacerdotes petulanter irrideret; senex quidam simplex *Spiridion* nuncupatus, ex illustrium Confessorum numero, superbiam ejus non tulit.

Qui

Qui tametsi ineptæ subtilitatis,& præstigiarum penitus expers erat,tamen cum eo disputare cœpit. At cum hæc res petulantibus, qui Confessorem hominem simplicem esse cognoscebant, risum moveret quidem, & modestis injiceret timorem, qui verebantur, ne cum viro dicendi perito congressus haberetur pro ludibrio:tamen cum facultas(cui, cùm talis & tam provectæ ætatis esset, pudor erat resistere) data esset, liberè quæ vellet loquendi,*In nomine Jesu Christi*, inquit, *Philosophe audito: Unus est* DEUS *cæli & terræ, & omnium rerum tam oculis subjectarum, quàm eorum aciem fugientium opifex: qui hæc omnia & virtute verbi fabricatus est, & sacrato Spiritus sancti afflatu stabilivit. Quare hoc verbum, quod nos filium Dei nuncupamus, misertum humani erroris, & belluinæ vivendi rationis, ex Virgine nasci, cum hominibus unà versari, proque iisdem mortem oppetere voluit. Eſque iterum venturus, de iis rebus quas quisque gesserit in vita, dicturus sententiam. Ista ita se habere,sine ulla alia curiosa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his, quæ fidei dumtaxat rectè intelliguntur,curiosè refutandis, laborem frustra consumere, quarereque, quo ista fieri, vel non fieri possint. Quod si credis,mihi quidem sciscitanti responde.*

Quibus obstupefactus Philosophus: *Credo*, inquit,& gratijs illi actis, quod ipsum devicisset, non solum eadem cum sene ipso sentire, verùm etiam consilium dare cœpit illis, qui perinde erga fidem Christianam,atque ipse antea,affecti erant, ut jam doctrinæ Christianæ assentirentur: atque jusjurandum adjecit, se non modò non sine numine divino muratum esse, sed etiam vi ac virtute quadam inexplicabili ad Christianam Religionem conversum. Moxque sermonem convertens ad discipulos suos,vel ad eos, qui audiendi gratia advenerant: *Audite*,inquit,*ô eruditi viri: donec verbis mecum gesta res est, verbæ verbis opposui, & quæ dicebantur,dicendi arte subverti. Ubi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo: Et ideò si quis vestrum potuit in his quæ dicta sunt sentire, quæ sensi, credat Christo, & sequatur hunc senem, in quo locutus est* DEUS.

Simile est huic, quod Alexander Episcopus Constantinopolitanus, vir spectatæ virtutis & dignitatis,à Philosophis provocatus,uni eorum,cum quo se disputaturum acceperat, dixit: *In nomine* JESU *Christi præcipio tibi ne loquaris.* Quod ut primum dixerat,homo è vestigio obstructo ore conticuit.

Hæc & alia olim sic gesta sunt : nec mirum; Nam cùm fides in Deum & Christum Dominum nostrum, sit donum Dei, oportet primùm Deum in homine infideli aut hæretico operari dispicentiam erroris,& desiderium cognoscendæ veritatis, priusquam humana industria erudiendo, suadendoque aliquid efficiat. Unde Apostolus Paulus Titum suum de hæreticorum conversione docens,non meminit contentiosarum disputationum: sed ait,*hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita: sciens,quia subversus est, qui ejusmodi est,cum sit proprio judicio condemnatus.* *Ad Titum 6.3.*

Præterea non opus est ad horum confirmationem, ut exempla plura longè petantur, cùm ferè omnia colloquia & disputationes publicæ, quæ nostra ætate habitæ sunt, absque ulla ferè eorum emendatione & conversione, quin potius, cum inflato ipsi sint corde, victoriam jactitarunt : id enim hæreticorum superbiam, dumtaxat cum insigni arrogantia conjunctam redarguit, qua licet maximè victi, non solum victoriam victoribus non tribuunt, sed eam quoque sibi arrogare non verentur. Et quis audivit unquam in ulla disputatione aut colloquio,hæreticos, quamdiu quidem tales esse non desierunt, ingenuè professos fuisse, se ab Orthodoxis esse convictos?

Disputavit cum Pharisæis & Sadducæis Christus, sed ab adversarijs pro victoriæ laude calumnias & blasphemias reportavit. *Joan.* 8. & alibi passim. Certavit cum Simone Mago Petrus, eumque non solum validissimè convicit , sed etiam contrivit; at victi tamen vocem victus Simon edidisse nullam legitur. Disseruit de fidei mysteriis in Areopago Paulus, *Actor.17.* Sed quis victoriam ei cessit, nisi qui in ejus etiam sententiam, deposita infidelitate concessit Dionysius Areopagita cum paucis? *Alij vero cum audissent resurrectionem mortuorum,quidam quidem irridebant, quidam verò dicebant, audiemus te de hoc iterum.* Disputavit quoque cum Pharisæis cæcus ille,jam non cæcus,sed corpore simul & animo à Christo illustratus, & sanè convicit.Sed quam ab hostibus palmam reportavit?*Tu in peccatis*,inquiunt,*natus es totus, & tu doces nos*?Joan.9. *Joan.8.* *Act.17.* *Joan.9.*

Victi sunt utique in quatuor illis universalibus ac celeberrimis Conciliis hæretici sufficienter:in Nicæno Arius : in Constantinopolitano Macedonius: in Ephesino Nestorius: in Chalcedonensi Eutyches, cum suis quisque asseclis, sed victos se usque adeò confessi non sunt, ut contra victores etiam insolentius insurgerent. Disputavit cum Donatistis Augustinus, alijs Catholicis Episcopis associatus,eosque ita convicit,ut etiam cognitor seu arbiter ab imperatore designatus, aperè contra Donatistas sententiam protulerit, ut videre est in *Breviculo Collationum cum Donatistis*,quem de hoc ipso Colloquio conscripsit Augustinus: sed tantum aberat,ut Donatistæ se victos faterentur , ut ipsum quoque cognitorem aperta calumnia imperare non sint veriti; quasi verò à Catholicorum parte corruptus, injustè contra se pro Catholicis sententiam tulerit , ut videre est apud Augustinum *ibid.* & *Epist.* 152. Disputavit quoque idem Augustinus cum Felice Manichæo, sed nec iste Augustino prius palmam concessit, quàm à suo errore decessit, ut videre est in actis ab Augustino editis.

Disputavit quoque cum hæresiarcha Chonarum Theodorus Studites, vir sanctissimus & doctissimus,sed finita disputatione , quid de illo adversarius? *Ita putabam*,inquit, *hunc penitus nil scire: sed & elinguem eum reddidi*, ut videre est ex Epistola,quam ipse Theodorus scripsit ad Naucrarium, relata ab Illustrissimo Cardinale Baronio *Tom.* 9. *Annalium Ecclesiast.*

Collocuri sunt anno 1465.Doctores Catholici (inprimis Decanus Capituli Pragensis) de controversia illa unius speciei,cum Rochizano,& alijs Wicleffistis hæreticis,quos etiam de errore egregiè convicerunt. Sed quid in fine Colloquij Rochizanus? Tunc Rochizanus locutus est sermonem longissimum,omnia priora replicans, gloriando se victorem esse jam altera vice, contra Ragusium,& jam contra doctores,&c. ut videre est ex actis ejus Colloquij.

Sed quid antiqua memoramus , cum ejus rei luculentissima præsens ætas præbeat documenta? Disputavit anno 1519. Lipsiæ cum Lutheto & Carolstadio,doctissimus Eckius. Disputavit quoque felicissimo eventu invictus ille disputator Badæ apud Helvetios, anno 1526. cum Oecolampadio.Disputarunt an.1546. Ratisbonæ Maluenda & Everardus Billicus Carmelita,Theologi Cæsarei,

fatei, viri doctissimi, cum Bucero & Brentio: ibidemque anno 1601. Jacobus Gretserus & Adamus Tannerus Societ. JESU Theologi celeberrimi, aliique cum Ægidio Hunnio, Jacobo Hailbronnero, ceteriſque Augustanæ confessionis Pseudo-Theologis sunt congressi. Disputavit anno 1589. cum Jacobo Andreæ, & Jacobo Heerbrando, Joannes Pistorius, vir doctissimus & disertissimus. Denique illustrissimus Cardinalis Perronius, coram Henrico IV. Galliarum Rege, colloquium habuit cum Plessio Mornæo Calviniano. Omnes isti, inquam, cum adversariis & hæreticis nostri temporis, nec nisi convictis, aut egregiè confusis disputarunt: & quando tamen adversarii unquam se convictos esse confessi sunt? quando victoriam impudenter sibi arrogare non sunt ausi? Cujus forte causam eam possumus designare, quam Ambrosius *lib. 5. in Lucam* significavit, dicens: *Adverte cœleste consilium. Non sapientes aliquot, non divites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit, ne traduxisse potentia, ne redemisse divitiis, ne potentia nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, ut veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret.* Hæc Ambrosius.

At si oculos convertamus ad initia progressusque Ecclesiæ nascentis, pro contraria sententia non deerunt gravissima testimonia: nam in primis D. Paulus disputavit in Synagoga publicè cum Judæis, & in foro per omnes dies ad eos, qui aderant, *Actorum* 17. & 18. & 20. Idem quoque de
Act. 17. B. Stephano, & Apolline ex eisdem Apostolorum
18. & 20. actis accepimus. Publicas etiam disputationes cum hæreticis vel gentilibus plurimos ex antiquis Patribus iniisse, passim eorum gesta & historiæ tradunt.

Deinde B. Augustinus, ut Possidonius refert, cum quodam etiam Felice, de numero eorum, quos Electos dicunt ijdem Manichæi, quique Hipponem venerat, eundem seminaturus errorem, publicè in Hipponensi Ecclesia Notarijs excipientibus disputavit, populo astante: Et post secundam vel tertiam collationem ille Manichæus, frustrata vanitate & errore illius sectæ, ad nostram conversus est fidem atque Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit scriptura. Hactenus Possidonius. Imò ipse Augustinus sic ait contra *Jul. Pelag. lib.* 3. c. 1. *Donatistas ad collationem nobiscum venire per Imperialia jussa compulimus, in qua collatione victi sunt Donatistæ.* D. Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium, publicè in Concilio Ephesino disseruit, illumque superavit. Gregorius Magnus cum Eutyche Constantinopolis congressus est, eumque ab errore revocavit.

Divus Bernardus publico congressu coram Concilio Remensi disseruit cum Gilberto Porretano, qui de hæresi convictus Ecclesiæ decretis adhæsit. Idem Bernardus provocavit Petrum Abaylardum ad publicam disputationem, eumq; ad maximas angustias redegit. Ac denique anno Redemptoris nostri 645. habita est famosa illa ac celeberrima coram Episcopis Africanis inter Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum hæreticum, & Maximum Abbatem eundemque Martyrem Orthodoxum, ex qua idem Pyrrhos Princeps Monothelitarum hæreticorum convictus, erroris diu defensi pœnitens, recantans palinodiam, oblatoque fidei Catholicæ libello Theodoro Romano Pontifici, receptus est unà cum titulo Patriarchatus in Ecclesiam Catholicam. In hac igitur celeberrima disputatione post multiplices Pyrrhi (ut elegantèr Cardinalis Baronius *Tom.* 8. *anno Domini* 645. describit) objectiones ingestas, & à Maximo quàm disertissimè confutatas, post nexus solutos, & defensiones ac responsiones singulas quoque convictas, post denique inanes tergiversationes elusas, acuminataſque cavillationes retusas, cùm deficerent verba, dare manus omni penitus destitutus defensione Pyrrhus compellitur, & credere cogitur veritati. Magnum sanè tunc (ut idem refert Baronius) vidit primum Africa, deinde Roma spectaculum: Africa quidem, dum quem paulò ante aspexerat magnis animis Patriarchali ostentatione insultantem Catholicæ fidei & veritati, pro hæresi, ore rotundo in defensores fidei Catholicæ declamantem, in se ora omnium convertentem, jamque post se rectiam orbis partem ducere captivam tentantem, eundem viderit ab exortæ monacho appetitum, ut novum Goliath à puero Davide, non in hasta vel ense, sed in nomine Domini pugnaturo conventum, tanta corona Patrum, & magistratuum, & Africani populi circumdatum, post longam concertationem fateri se superatum, abijcere clypeum, dare manus, & pedes conjicere sponte in compedes illos optabiles sapientiæ, ejusque vinculis aligari, de quibus Ecclesiasticus: *Injice pedem tuum in compedes* Eccles. 6.
illius, & in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, & porta illam & ne acedieris vinculis ejus. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ, (decor enim vitæ est in illa) & vincula illius alligatura salutaris. Ita planè, cùm &, victo Pyrrho, omnes ut vincenti fuerint adgratulati, eundemque laudibus, ac benedictionibus prosecuti, quod revera cedens veritati perfidiam superasset, impietatem subegisset, contrivisseque Saranam pedibus suis, qui solus lugeat se esse victum, hæresi debellata, & ejus defensore in offensorem mutato. Hactenus Baronius, qui in fine *octavi Tomi* meritò hanc Maximi cum Pyrrho disputationem inseruit.

Magna igitur opus est consideratione, ac, ut verius dicam, opus est divinæ prudentiæ, discernere, quando cum infidelibus publicis colloquijs & collationibus congrediendum sit, quando verò abstinendum: inspiciendaque sunt personarum merita, studia, sapientia, ac præcipuè morum integritas, ac vitæ sanctitas, quibus viri sapientes divina ope nixi, promerentur de inimicis palmam reportare.

DE

DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIVM PROCVRANDA.

LIBRI IV.

PARS II.

De Ministrorum progressu ac conversatione cum vitæ integritate conjuncta inter infideles, & ratione agendi cum eis, ut ad fidem alliciantur.

REgnum Dei non esse in sermone, sed in virtute docuit Apostolus 1. *Cor.* 4. non quia doctrina opus non sit ad fidei nostræ veritatum ostensionem: quo modo enim credent, ut ipse alibi scripsit, sine prædicatione? sed ut ostendat pro infidelium conversione prodesse plus vitam puram, quàm orationem cultam. Mores enim corrupti doctrinam sanam evertunt & inanem reddunt. Sergius quidem Paulus Proconsul, prudentissimè credit, ut *Act.* 13. legimus, admirans super doctrina Domini, cùm verbis vidit facta succedere. Nunc verò cum raro fiant prodigia, quibus Evangelicæ voces confirmentur (neque verò illis opus est, ut jam diximus) quid restat ad plenam Evangelij prædicationem, nisi integritas ac vitæ puritas? Hoc unum à Ministris munus postulat Apostolicum, hoc prærequirit animarum salus, hoc mysteria fidei nostræ credibilia certaque esse hominibus quantumvis barbaris facile demonstrantur. Quare qui ad exteras nationes pro Christo legatione Apostolica functuri sunt, ea vitæ sanctitate niteant opus est, quæ, (ipsis quoque silentibus) Religionis Christianæ puritatem repræsentent. Nihil enim ad errores, & vitia convellenda efficacius est, quàm vitæ inculpatæ sanctitas, quæ genere suo cùm divina sit, omnem intellectum sua luce perstringit, omnia colla, quantumvis erecta domat. Eloquentia omnis evanescit, miracula prosunt, sed non adeò prævalent, quòd arte dæmonum similia quædam effingi queant. Sola verò sanctitas nequit satis simulari, quod ipsa simulatio veræ sanctitati non tam similis, quam contraria sit. Vera sanctitas illustrissimam totius orbis partem flexit, & potentissimos Reges Christianæ mansuetudinis vim admiratos in sua castra perduxit.

Legenda institutio Missionariorum *V. P. Joan. à Jesu Maria*, quæ extat *Tom.* 4. Operum ejus, in qua uberius, argumentum hoc pertractat: quæ in 3. partes dividitur.

Quapropter Evangelici Ministri hanc præ aliis munimentis armaturam exquirant, quæ quamvis universarum virtutum complexione constet, ad opus tamen Missionum selectas quasdam pro rei magnitudine requirit. Igitur cum vitæ innocentia & splendor firmissimum sit fidei testimonium, ac efficacissimum medium ad infideles omnes juvandos, restat ut in hac *secunda hujus libri Parte* de vitæ ac morum integritate in ministro Evangelico agenti inter infideles prærequisita dicamus, & quam huic instituto necessaria sit demonstremus. Vitæ verò ac morum integritatem appello justitiam Christianam, quæ omnium virtutum officiis constat. Potissimum verò de illis virtutibus dicemus, quæ magis conferunt, ut quis idoneus sancti Evangelij Minister evadat. Efflagitat enim Apostolicum munus in Evangelij Ministris admirabilem vitæ puritatem ac sanctimoniam, nempe ut charitate ardentes, benefici, ac misericordes, prudentes in rebus agendis, continentes, paupertatem amantes, benigni ac mansueti, ac inter omnia patientes, & longanimi: aliter verò nec hominibus neque DEO, neque sibi ipsis satisfacient; cum animarum conversio ad DEVM, earumque omnis profectus atq; incrementum ab ipso etiam proveniat, sic enim scriptum est: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Et Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Quid ergò faciunt homines in aliorum hominum conversione? hoc unum quod à DEO tanquam instrumenta libera adhibentur: sicut calamus solet ad scribendum, serra ad secandum. Quare sicut instrumentum, si se ipsum movere velit, nihil efficiet; si verò cum artifice conjunctum ab eo moveatur, omnia efficiet: sic homo in his divinis & supernaturalibus operibus tantum præstabit, quantum cum DEO oratione continua, integritate vitæ, strictissimoque charitatis vinculo fuerit conjunctus, ab ipsoque motus. Hanc verò vitæ integritatem, ac prærequisita alia in Ministris Evangelicis, ut muneri suo satisfaciant, ad quatuor capita reducimus, nempe ad orationis præsidium, ad vitæ integritatem, ad morum exemplum, ac denique ad doctrinam & scientiam.

CA-

CAPVT I.

De oratione continua, & fiducia in DEVM.

QUamvis in omni negotio aggrediendo orationis præsidium primum præcipuumque sit: tamen ubi de conversione animarum agitur, multò magis: tum, quia cum fides donum sit Dei, & corda hominum in manu Domini sint posita, nullius que industriæ diligentiæque nostræ sit vocatio gentium ad Evangelium, sed solius misericordis & prævenientis Dei; ad orationes & preces assiduas atque ferventes studium omne Ministrorum converti debet, spem omnem & fiduciam in cælesti gratia collocantium, & divinæ misericordiæ fores diutissimè pulsantium: tum quia non de quavis conversione res est, sed de prima, de maxima, de difficillima, quando vocatur infidelis ad fidem, quando non affectum solum, sed ipsum quoque sensum jubetur exuere, & sese penitus abnegare, ut in obsequium Christi captivo intellectu eat. Tam est profectò orationis singulare præsidium, ut qui cetera omnia adhibeat, hanc si omittat, nihil acturus sit, in hasta & clypeo veniens, non in Domino fiduciam habens: *Neque enim* Psal. 43. *in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos; sed dextera tua, Domine, & illuminatio vultus tui, qua complacuisti in eis*, ait Propheta. Quare in hac re nihil oratione magis necessarium, nihil omnino potentius. Hæc enim una impetrat gratiam, donaque omnia, si cum fiducia in DEUM conjuncta sit. Apostoli, cum de totius orbis conversione curarent, rejectis ceteris beneficentiæ officijs, *Nos* (inquiunt) *orationi & ministerio verbi instantes erimus:* adeò inter se duo illa cohærere intelligebant. Nunquam Petrus & Joannes, nunquam Paulus ante preces ad Deum fusas, de Christo ad populũ verba fecerunt. Et rectè Dionysius *de Divinis nominibus c.* 3. monet ante omnem actum, Theologiæ præsertim, orationem præire oportere. Ipse mediator Dei & hominum Luca 6. Christus JESUS non ante ad prædicandum Apostolos mittit, quam in oratione pervigil pernoctarit. Neque enim tam sermonis & diligentiæ suæ fructum, quàm orationum exspectare debet fidelis Dei minister.

Longè plus sine ulla dubitatione Paulus orationibus egit, quàm concionibus, plus lacrymis & gemitibus, quam exhortationibus. Similiter Petrus & Joannes, ceterique militiæ Christianæ duces. Orationi Stephani Saulum donatum vult Martyr Cyprianus *Sermone de bono patientiæ*. Sicut Monicæ matris lacrymis regenerationem suam magis acceptam fert Augustinus, *lib. Confession.* quam Ambrosij concionibus. Ac denique vir Apostolicus *Franciscus Xaverius* multa millia hominum Christo peperisse legitur non tam humana facundia, quàm ferventissimis precibus, lacrymis, gemitibus, & suspirijs, quibus per integras noctes pervigil multò fortius DEUM pulsabat. Atque in novo orbe inventi sunt ministri, qui simplici quidem sermone, & imperito, spiritu tamen Dei ferventes, plus in conversione barbarorum effecerint, quàm multi præclari magistri.

Sed quia immensum esset exempla narrare; unus *Paulus* Apostolus pro omnibus esse potest, cujus in orando pro verbi Dei efficacia incredibile studium nullus hominum fide dignum putaret, nisi id apertè ex ejus constaret Epistolis: nam ad *Rom.* 1. testem sibi DEUM advocat, quod sine intermissione semper in orationibus suis memoriam eorum faceret. Pro Corinthiis, pro Ephesiis, pro Philippensibus, Colossensibus, & Thessalonicens. idem etiam demonstrat studium, ita ut omni stupore dignum sit, fidemque omnem propemodum superans, tot Ecclesiarum, tot domorum, tot hominum memoriam perpetuo in uno *Paulo* hærere, quos semper, quos sine intermissione, quos in cunctis orationibus etiam jurisjurandi religione interposita, sibi scribit esse præsentes.

Ac denique, ut ab Apostolorum exemplis non discedam, quis neget, quod etsi Dei gratia factum fuerit, ut ad prædicationem *Petri* tot millia Judæorum pœnitentiam egerint, & in Christum crediderint, & *Pauli* exhortatione tot millia gentium, idolorum vanitate rejecta, DEUM verum coluerint? Id tamen misericordia divina præveniente, precibus ipsorum Apostolorum, & monitis tribui debet. Videtur enim quodammodo DEUS vim pati, & ad benefaciendum sollicitari, pulsari sæpè, precesque & sacrificia sibi offerri: & ut minorum misereatur, in quibus non suppetunt merita majorum, nempe sacerdotum & ministrorum studio provocari.

Neque suis tantum sacrificijs & precibus, quamvis assiduis, quamvis ferventibus contentus esse debebit fidelis Dei minister, sed aliorum etiam Christi servorum auxilia studiosissimè efflagitare, ut ex multarum personarum concursu gratiæ agantur pro eo, & consensus fratrum super omni re quam petierint in nomine Christi obtineat apud Patrem misericordiarum. PAULUS tantorum apud DEUM meritorum vir, per omnes Epistolas pro se orari obnixè contendit, ut sermo Dei currat, & clarificetur, ut liberetur ab importunis & malis hominibus, ut detur ipsi fiducia in apertione oris sui, ut loquatur DEI verbum, ita ut oporteat eum loqui. Atque hæc & alia hujus generis cogitans Christi servus, maximam atque optimam ministerij sui spem, in efficacibus & frequentibus, & suis, & suorum orationibus collocabit. Nam, ut optimè Augustin. *Epist.* 97. plus nos proficere alternis & communibus orationibus, quàm singularibus & privatis credendum est.

His igitur duabus functionibus, oratione ad DEUM, & recursu simili ad homines, Apostolica cura definita est; quas si quis sejungat, tam fieri nequit, ut opportunam fratrum salutem acquirat, quam si longum pelagus enavigare contendens, vel nulla vela suspendat, vel plenis velis navem statione non solvat. Qui velit igitur in infidelium conversione fructuosè operari, orandi studium nunquam sibi prætermittendum persuadeat, se ipsum verò juge sacrificium offerens, lacrymis, jejuniis, vigiliisque crebris, atque omni corporis macerationè DEUM sibi propitium reddat; ut Evangelium crescat, atque fructificet in universo mundo.

Opinor sane ex illo genere dæmoniorum multa versari inter infideles, quæ non nisi jejuniis & orationibus ejiciantur. Inter omnia verò venerabilis illa Agni immaculati victima principem locum obtinet, quam Patri quotidie immolet toto cordis affectu, plenaque fiducia, fidentissimè postulans, ut eos, ad quos legatione fungitur, filij sui cohæredes facere dignetur, pro quibus ille sanguis effusus est: fieri non potest, ut tali oblatione tam

benè munitæ preces, ab eo, qui dives est in misericordia, & propter nimiam charitatem suam, cum & ipsi essemus mortui, convivificavit nos Christo, repulsam ferant.

CAPVT II.

De Charitate ferventi erga infidelium conversionem.

NOn vulgaris divinæ charitatis modus, sed charitas ultra modum requiritur; ut qui de missionibus cogitant, animis Apostolicis mundum amplectantur universum, more illius, qui cum abesset, ajebat: *Os nostrum patet ad vos, O Corinthij, cor nostrum dilatatum est:* Nulla enim totius orbis gens, quantumvis fera esse deber, cui non & ora, & corda vitorum Apostolicorum Charitas igne patefacta, & velut eliquata dehiscant.

Vid. Cap. 3. & 4. part. 1. Instructionis Missionariorum Joan. à Jesu Maria.

Et quidem cum in eo charitatis lex posita sit, ut æternæ felicitatis consortium iis, qui ejus participes fieri possunt, efficaciter optemus: salus universorum hominum impensissimè à Christi ministris cupienda, & votis ardentissimis efflagitanda est. Qua de re, qui mittendi sunt, sæpissimè, ac seriò admodum cogitare, & se ad opus tam glorioſum frequentissimis actibus excitare, studiorumque laborem eò dirigere debent.

Cùm verò ad charitatis mensuram de proximorum interitu mœror & dolor accrescant, funestissimum tot hominum interitum lacrymis prosequantur; & ad maturandam eorum, qui nondum intercèrè, salutem creberrimis desideriis, & pœnis ultrò susceptis indefessè contendant.

Ex divinæ charitatis viscéribus zelus erumpit: quo Fratres mittendi adeò flagrare debent, ut ægrè ferant JESU Christi dulcissimi Dei, ac Redemptoris nostri tot hostes esse, qui cum intemerata ejus sponsa, Romana scilicet Ecclesia, bellum perenne gerant. Dolendum est quippe in universo terrarum orbe præter Italiam, & Hispaniam vix unam vel alteram urbem in vastissimis regionibus divino munere à communi ethnicismi, hæresis, aut schismatis diluvio præservatam reperiri. Dolendum præterea in paucissimis iis regnis, qui universalis eluvio non obruit, veros Dei amicos, velut sidera quædam, rarò admodum intermicare: communis enim Christianorum vivendi ratio sic sceleribus deformata est, ut modicam sempiternæ salutis spem generet. Tam lata est via, quæ ducit ad interitum.

Cum ergò veris DEI amicis exploratum sit, à quot & quàm sævis hostibus pusillus Christi grex obsideatur, ardentissimè optare debent eos hostes non ferro, sed ligno, hac mitissima crucis disciplina, subjugare, & Ecclesiæ fœderatos efficere. Frequens autem rei tantæ meditatio zelum proculdubio excitabit, & tantæ calamitatis, quæ orbem pervasit, sensum augebit. Hujus ardentis animarum zeli exemplar clarissimum extitit *Paulus* Apostolus, de quo sic scribit Chrysostomus. 2. Cor. 11. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? non dixit, & ego non molestia afficior: sed ego non uror, Urendi verbo, ostendere volens summum dolorem. Et rursus scribens in alia Epistola dicit: Sine nobis regnavistis, & utinam regnavissetis. Et rursus; Nunc vivimus si vos statis in Domino; unde quantopere studebat ut res fratrum sic rectè haberent, qui nec vivere quidem se existimabat, si illi non essent salvi. Homo qui fuerat raptus ad tertium cælum & delatus in paradisum, & qui fuit particeps mysteriorum ineffabilium, & tantam apud DEUM assecutus erat fiduciam, illorum bonorum sensum non valde accipiebat, nisi etiam vidisset fratres secum esse salvos. Sciebat enim apertè charitate nihil esse majus, neque quod sit cum ea conferendum, nec ipsum quidem martyrium, quod est summa bonorum. Nam charitas quidem absque martyrio facit Christi discipulos, martyrium autem sine charitate non potest hoc facere.* Hæc S. Chrysostom. qui pluribus locis, cum de S. Pauli charitate adversùs proximos loquitur, ita effervescit spiritu, adeò altæ admiratione tantæ charitatis suspenditur, & abripitur animo, ut vix se ipsum capiat: præsertim cum illud explicat: *Optabam anathema fieri, à Christo, (hoc est,* inquit, *carere æterna remuneratione, & Christi præsenti conspectu) pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ:* Sic exponit in *Commentariis Epistolæ* ad Romanos: *Optabat in gehennam mitti, & judicium subire perpetuum, pro eorum salute, à quibus fuit sæpè lapidatus, qui eum interficere contenderant, ut his tantarum ei auctores afflictionum, per fidem corpori Christi jungerentur. Quis ita dilexit Christum? si tamen hac dilectione & amore major est aliquid nuncupandum. Qua tamen omnia anathemata optabat Apostolus, modò nulla sua culpa contingerent.*

2. Cor. 11.

Rom. 9.

Ad hanc igitur ardentem proximorum charitatem in ministris sancti Evangelij primò maximè spectat, ut eorum animus paratus ac promptus sit, pro animarum salute quælibet adversa perferendi, exemplo Christi Domini, & plurimorum aliorum Christi militum charitate ferventium, de quibus fusè *primo lib.* disseruimus.

Secundò hujus proximorum charitatis proprium est, progredi in eorum amore, quamvis ipsi non vicem ferant, minusque officio nostro profi, ciant ij, quos in Domino diligimus, & quorum causa laboramus: exemplo Apostoli, qui sic scribit 2. Cor. 12. *Ego autem libentissimè impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar. Considera,* ait Chrysost. *quot gradus commemorat: licebat accipere, ipse autem non accipiebat; ecce primum opus bonum: & quamvis inopiâ premeretur; ecce secundum: Et illis prædicans, en tertium: Et impendit; ecce quartum: & non simpliciter adjecit, sed cum incremento; ecce quintum: & non solum pecuniam, sed & seipsum; en sextum: & his qui non valde diligebant; ecce septimum: & his qui valde diligebantur; ecce octavum. Hoc sanè & nos imitemur.* Hæc S. Pater.

2. Cor. 12.

Tertiò ardentis charitatis circa proximos, est eorum commiseratio calamitatis, perinde ac nostri, ut manifestè testimonio illo Pauli suprà adducto demonstratur: *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Ac denique omnes injurias criminaque alterius nobis illata, ex animo condonare, idque non semel aut iterum, sed quotiescunque ille peccaverit in nos.

Hæc sunt perfectæ charitatis proximorum indicia, quibus præditi esse debent Evangelizantes Christum Dominum, in quo hæc & plurima alia multò majora charitatis signa præclara inventa sunt, zelo animarum ita exarsit, ut coarctetetur, uti ipse ait, donec baptismo sanguinis sui pro earum salute ablutus, se ipsum Patri hostiam viventem immolaret. Passionem & mortem probrosissimam obivit, sponte libensque & gaudens sustinuit, quod optavit ardenter, ut opprobria exprobrantium Deo in ipsum caderent omnia, fieretque unus pro omnium gloria; opprobrium hominum,

minum, & abjectio plebis. Quàm verò constanter in amore ingratissimæ & pessimæ gentis perseveraverit, quàm ardenter necamatus, & capitalissimo odio habitus ab inimicis, civibus, & populatibus suis, inimicos ipse dilexerit, quàm facilis ad ignoscendum suismet hostibus, & interfectoribus immanissimis & efferatissimis, fuerit in ipso fervore tanti sceleris mortis suæ, locupletissimè testatur, vel una ejus oratio: *Pater dimitte illu, quia nesciunt quid faciunt.*

CAPVT III.

De beneficentia erga infideles exercenda.

NIhil æquè juvat ad Barbarorum fidem benevolentiamque conciliandam, quam erga ipsos beneficentia, quæ à charitate orium habet: dici enim non potest, quàm sit ad persuadendum efficax charitas, & viscera digna Apostolo, juncta simul cum beneficentia: beneficentiam autem appello, qua fratrum saluti fortunisque consulimus. Hanc in omni Rectore adversus subditos magnopere necessariam esse eleganter Gregorius ostendit: *Egentis* (inquit) *mentem doctrina sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facilè germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Nam quasi jure, ut diximus, à percipienda prædicatione gregis animus frangitur, si cura exterioris subsidij à Pastore negligatur.* Quare si lucra animarum sitimus, compendiaria via beneficentia est: ea enim facilè animos expugnat ac devincit, quicquid vult copiosè perorat, atque persuadet. Nam ideò Christi Apostolorumque signa tam ad fidem astruendam fuere potentia, quod omnia pænè hominum utilitati impenderentur. Inde facilè ac libenter conciliati animi hominum salutis consilia ab optimè de se meritis hauriebant: *mortuos*, inquit, *suscitate, leprosos mundate, infirmos curate, dæmones ejicite*, & ad cumulum omnium, *quod gratis accepistis, gratis date.* Hoc extremum si sinceritate Evangelio digna in Dei præconibus gentes cernerent, quamvis barbaræ, quamvis feræ, brevi profectò mansuescerent, omnique illa feritate depositâ, lenissimo Christi jugo victa colla submitterent. Et canes, & pisces, & ipsi immanes leones beneficia sentiunt, & ei gratitudinis suæ argumenta historicis conscribenda dederunt, quæ homines nisi flectant, saxeos planè monstrent.

Habemus etiam in hoc exemplum, quod Apostolus *Paulus* in procurandis proximorum subsidijs etiam terrenis edidit: *In carnalibus*, ait S. Chrysost. Hom. 31 de laudibus Pauli, *non in spiritualibus solum plurima solicitudinis ac providentiæ suæ documenta præstabat. Audi quomodo pro una muliere ad universum scribat populum: Commendo autem vobis Phœben sororem meam, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino dignam sanctis, & assistatis ei, in negotio quocunque vestri indiguerit. Et iterum: Nostis, ait, domum Stephanæ, ut & vos subditi sitis hujusmodi. Et rursus. Cognoscite, quæ hujusmodi sunt.* Pòst confirmans idem exemplo Eliæi Prophetæ, addit: *nec de viatico illorum quos evocabat curam gerere dedignatus est. Tito scribens, ait: Zenam legisperitum, & Apollo sollicitè præmittite, ut nil illis desit, &c. Qui autem pro uno servulo fugitivo Onesimo, & qui ex rebus Domini multa subtraxerat, integram omnique affectu epistolam plenam ad Philem. sine cunctatione composuit, qualis circa alios fuerit perpende. Unum enim ille pudore dignum putavit, aliquid scilicet pro cujuslibet salute negligere. Propter hoc agebat omnia, nec omnino quicquam pro his, qui salvandi erant, cunctabatur impendere, non verba, non pecunias, non corpus ipsum. Quoniam, inquit, libenter impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Hæc enim expeditissima ad conciliandos Evangelio homines via est. Sentiant Infideles, sentiant Catechumeni, sentiant Neophyti, patrem & advocatum. Pro ijs sæpè interpellet apud Ducem & Magistratum, hos à militum injuriis tueatur, horum egestati consulat, vel propria mendicitare. Si quid acerbiùs designandum erit in aliquem, hujus ipse administer non sit. Thesaurizet potius filiis parens, ac non solum sua, sed & se libenter impendat, & superimpendat pro animabus eorum, licet plus diligens minus ipse diligatur; neque earum requirat, sed fructum.

Tit. 3.

Præterea in Christianis non solum barbarissimæ nationes, sed & Japonenses, & Chinenses nihil ita suspiciunt atque admirantur, quàm beneficentiam, & liberalitatem: præsertim cùm eâ ad se redundare perspexerint: quia inter illos, maximè verò inter Indos, stipem vilem, aut pusillum frumenti, qui ultro alteri præbeat vix invenitur: sunt enim in ægrotos parum misericordes, in senes, & egentes illiberales, in oppressos laboribus & ærumnis, inhumani. In contrariis igitur ministeriis resplendeat Christiana charitas, quæ in beneficentia sita est: quæ excolenda & verbis & factis à ministro Christi. Quare ejus studium in conversione infidelium inter alia sit, operari bonum ad omnes; neque pigeat Evangelij ministrum ægrotos visitare, xenio aliquo recreare, famelicum cibario saltem pane pascere, nudum operire, pauperem, cui non est adjutor, à divitum calumnijs & potentia eripere, pro afflictis Principem Magistratumve convenire, cælibes matrimonio honestè quæsito collocare, rem familiarem consilio augere, morientibus sedulò & benignè astare, sepulturam curare, eos qui quæruntur ad mortem eripere, lites & dissidia componere: omni denique officij genere cumulatè prosequi: siquidem certissimè sciat Christo Christianæque Religioni honorem maximum ad spiritualem fratrum salutem viam apertam, sibi præmium copiosum parari: si verum illud est quod veritas ipsa dixit Matth. 25. *Quod minimis istis feciste, mihi feciste.*

Matt. 25.

CAPVT IV.

Oportere Ministros ante omnia sibi ipsis attendere.

PRimum, & ante omnia præ oculis habendum est, ne zelus alios promovendi, sive ad fidem convertendi, adeò fervens & ardens sit, ut sui jura à Ministris neglecta alijs existiment se commodè posse consulere: nam & charitas, quæ tanta ac tam præclara virtus est, ordinata esse debet, idque adeò necessarium esse, ut si ordinata non sit, nec charitas quidem sit, sed aliquis alius effectus charitatem simulans. Ordo autem præcipuus hic est, ut in ijs

quæ spiritualia sunt, & quæ ad gratiam Dei, nostramque salutem attinent, ptius quisque se ipsum, suamque utilitatem ac profectum amet & curet, quam proximi ullius. Idque ita præcipit Deus: quod tum Theologi omnes uno consensu docent, tum B. Thomas 2.2.q.24. hoc etiam argumento solido ac gravi confirmat: quoniam, inquit, charitas fundatur in communicatione bonorum spiritualium: atqui post DEUM, qui est fundamentum, quisque sibi primus est, qui particeps sit hujus boni, proximos autem diligimus, ut socios in tali participatione. Quamobrem sicut unitas potior est, quam unio; ita quod homo tali bono fruatur, potior est ratio diligendi, quam quod alius ei socius sit in fruendo. Quo quidem posito, illud etiam verè ac necessariò concluditur, non posse charitatis habitum inclinare, ut pro aliis quicunque sint, etiam ad omne hominum genus salvandum, non dico vel minimum committatur peccatum, sed ne ipsius quidem charitatis ullum detrimentum admittatur, non magis quam ex glacie ignis existat: atque, hoc etiam à Theologis pænè omnibus traditur.

Habemus etiam de hoc manifestam Salvatoris sententiam Matt. 16. *Quid prodest*, inquit, *homini si universum mundum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur?* Quam sententiam ne quis de lucro temporali intelligendam putet, certè eam S. Bernardus ad hunc ipsum spiritualem proximorum profectum disertè applicat, 10. de Consideratione: *Si totus* (inquit) *vis esse omnium, instar illius, qui omnia omnibus factus est, laudo humanitatem; sed si plena sit. Quomodo autem plena te excluso? Et tu homo es, ergò ut integra & plena sit humanitas, colligat & te intra se sinus, qui omnes recepit; alioquin quid tibi prodest, juxta verbum Domini, Si universos lucreris, te unum perdas? Quare cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris munere tuo? Usquequo vadens spiritus & non rediens? Usquequo non recipis te, & ipse inter alios vice tua? Sapientibus & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Stultus, & sapiens servus & liber, dives & pauper, vir & femina, senex & juvenis, Clericus & laicus, justus & impius, omnes pariter participant te: omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, & tu seorsim sitiens stabis? si maledictus, qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit expertem?* Hæc Bernardus.

Eademque ferè repetit lib. 20. *In acquisitione*, inquit, *salutis, nemo tibi germanior unico matris tuæ. Quæ autem stultitia est, cum nostro dispendio, aliorum lucru servire velle? Quare illud potius audiendum & semper ob oculos habendum est Spiritus sancti consilium: quo hoc ipsum ita monemur* Eccl. 29. *Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas, id est, ne cadas ipse; qui namque lapsus sit primum, ipse male habet, deinde ne alios quidem jacentes sublevare potest. Meminisse etiam oportet virginum illarum, quarum ideo ipsius ore Domini laudata est prudentia: quia dum ab aliis virginibus rogarentur, ut de oleo, quod habebant, sibi impertirentur, respondebunt: Ne forte nobis & vobis non sufficiat, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Sic enim dictum hoc huic ipsi rei, de qua agimus, sciè applicat S. Bernardus in *Cantica*, ac tum alia multa addit in hanc sententiam Serm. 18. *Si sapis*, inquit, *Sacerdos concham te exhibeas, & non canalem: hac enim pænè simul, & recepit, & refundit: illa verò donec impleatur, expectat, & sic, quod superabundat, sine suo damno communicat, sitiens maledictum, qui partem suam facit deteriorem. Et ne meum consilium contemptibile ducas, audi sapientiorem me: Stultus, ait Salomon, profert totum spiritum suum simul, sapiens reservat in posterum. Verum canales multos habemus hodie in Ecclesia, conchas verò perpaucas. Tanta charitatis sunt, per quos nobis cælestia fluenta emanant, ut ante effundere, quàm infundi velint, loqui quam audire parationes, & promptis docere, quod ipsi non didicerunt, & aliis præsse gestientes, qui se ipsos regere nesciunt.*

Matt. 16.

Eccl. 29.

Matt. 25.

Præter Bernardum verò id docuerunt rectè alij Patres Greg. Nazianzen in Apologetico: *Presbyteri officium cælestem quandam vitam requirit, primo purgari, deinde purgare; sapientia instrui, & sic alios sapientes reddere; lumen fieri, & alios illustrare; accedere ad DEUM, & alios adducere; sanctificari, & alijs sanctitatem afferre.* Hoc verò ita certum est, ut ne pluribus quidem confirmari opus sit rem quia animarum conversio, earumque omnis profectus, & incrementum, etsi à DEO tota sit, maxime tamen pendet à Ministrorum probitate, vitæque integritate: qua neglecta, necesse est, ut cetera etiam corruant. Tum etiam, quia versantibus inter gentes humana ad virtutem adjumenta sunt rarissima, impedimenta autem & occasiones libidinis, avaritiæque incentiva complurima. Quare oportet eos salutis suæ minimè esse negligentes, & quotidie spiritum interioremque hominem renovantes, radices altas in virtutibus mittere, ut ingruentium ventorum tempestati viriliter resistant, memores semper magni Apostoli PAULI, qui cum talis tantusque esset, assiduè castigabat tamen & in servitutem redigebat corpus suum, ne cum alijs prædicasset, ipse reprobus efficeretur. Quam curam necesse est, ut unusquisque sui ipsius diligentem gerat: ad quam non modicum juvabit, si orationis mentalis quotidiana exercitia non prætermittat: si conscientiæ puritati studeat, cui examen quotidianum valde necessarium, & præsentaneum adjumentum est, simul cum passionum mortificatione, sui ipsius abnegatione, ac rerum humanarum contemptu, Christi virtutum accurata imitatione, ferventi salutis animarum zelo, ac in primis ardenti in DEUM, ac Dominum nostrum JESUM Christum amore, ejusque unius gloriæ purgatissima intentione.

CAPUT V.

De prudentia ministris sancti Evangelij in juvandis Infidelibus, & conversatione cum illis necessaria.

PRudentia, quam alio nomine sancti Patres discretionem, sive virtutum omnium lucernam appellant, rebus agendis modum & formam præscribit, ut recto tramite in suum finem perveniant. Hæc autem virtus præter charitatem, quæ mater est omnium virtutum, in viro Evangelico maximè desideratur. Quare Dominus illa duo in Evangelio copulavit, *fidelis servus & prudens*, ut rem laudabilem, (ut inquit noster Joannes Hierosolymitanus, aliàs Auctor operis imperfecti, *Homil. 51.*) sed rarissimam proponeret, *ut quis fidelis inveniatur & prudens.* Et *infra*: quanto ergo rarior invenitur *fidelis & prudens*, tantò qui inventus fuerit beatior est. Matt. 5.

Ad hanc igitur virtutem in conversione Infidelium exercendam, primùm spectat, ut operarij pru-

prudenter se gerant in ratione agendi, & conversandi cum infidelibus: curentque ante omnia scire, quomodo eorum ingenia sint tractanda, secundum uniuscujusque gentis naturam & mores, ut ad fidei veritatem alliciantur: similiter quomodo uniuscujusque nationis amorem ac benevolentiam sibi possit conciliare: quæ ut commodius assequatur, proderunt sequentia.

Primum, maximè studeat operarius, ut à Christiana Religione alieni ad eam blandimentis adducantur. Sic docuit magnus Gregorius in *Registro lib. 11. in distinct. 6. c. 15. Qui syncera intentione*, ait, *extraneos à Christiana Religione ad fidem cupiunt rectam ducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quos reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas.* Ac deinde secundum sacrorum Canonum sanctiones consultius agitur, si pagani ad veritatis cognitionem, & divinum amorem pijs monitis informando, & prædicando, quàm violentiam inferendo à Fidelibus inducantur. Et quemadmodum nihil ita fidei susceptioni adversatur, atque vis omnis & violentia, (non enim est fides nisi volentium, cum scriptum sit Psal. 53. *Voluntariè sacrificabo tibi*) ita nihil æquè commendatur in Evangelicis vitis, ac mansuetudo & suavitas: *Omnem*, inquit Apostolus ad Tit. 3. *ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Tit. 3. Quare cùm voluntarium ac liberum sit unicuique obedire Evangelio credendo, suaviter ac benevolè ducendus est, non perurgendus auditor. Unde Dominus Matt. 10. *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum*; factumque est Domini virtute ac magnificentia, ut ab agnis lupi superarentur. Matt. 10 Quando enim orbis vi Evangelio cederet, tacendo, tollerando, benè merendo, de inimicis triumpharunt Christi milites non terrendo, non minitando. Quod si non receperint Evangelium, jubebuntne ignem de cælo descendere? *Nescitis*, inquit Dominus Luc. 9. *cujus Spiritus estis? Filius hominis non venit perdere, sed salvare: quod si non receperint vos in ista civitate, ite in aliam.* Luca 9. Ecce quàm benignè, quàm dulciter monet Dominus Evangelium esse seminandum. Nam ut rectè Gregorius in Pastorali, *Plerumque ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua revocavit: & nonnulla vulnera quæ curari incisione nequeunt, fomentis olei sanantur, & durus Adamas incisionem ferri minimè recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit.*

Neque hic sistit mansuetudo ab operatio Christi in infidelium salute exercenda, quin æmula charitatis, cujus filia est, injuriam ab eis acceptam amore beneficiisque compensat: & si aliter non potest, saltem commiseratione, oratione & lacrymis. Sic *Moyses*, qui vel post mille injurias, pro populo deprecabatur: sic *Paulus*, qui cum multis à Judæis quotidie afflictionibus premeretur, anathema tamen pro ipsorum conversione esse cupiebat: ac denique *Stephanus* cum lapidaretur, ut hoc peccatum lapidantibus remitteretur orabat. Hæc igitur animi mansuetudo, morum suavitas, ac benevolentia infidelibus simul cum beneficentiæ opere exhibita plurimum valet, ad eorũ animos conciliandos, alliciendosque ad fidem catholicam amplectendam, præcipuè si exemplo vitæ, ac morum sanctitate confirmentur: vulgatum enim est illud: *si vis amari ama*, & amoris amor merces. Oportet enim, ut omnes veræ charitatis significationes infidelibus ostendantur.

Sed & præmijs, & honoribus, ac aliarum rerum temporalium promissionibus, nec non imminutione tributi, onerum civilium, & publicorum immunitate, & exemptione, pensionum & provisionum promissione, (ut plenius infra disputabimus) ad fidem Christianam invitari possunt: exemplo sancti Gregorij *l. 4. Regist.* qui mandavit Cypriano Rectori patrimonij Siciliæ, ut mitteret epistolas ad Judæos, qui erant in possessionibus dicti patrimonij, quibus promitteret, quodquicunque ex ipsis ad verum Dominum Deum nostrum JESUM Christum conversus fuisset, onus possessionis ejus aliqua ex parte imminueretur: quod ita quoque inquit fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit; si solidi pensionem habet. Et taxat portionem minutionis oneris.

Præterea magnæ prudentiæ est, in animarum conversione tractanda accommodare se naturæ, & captui eorum, quos convertere nituntur: illisque in omnibus, quæ essentialiter non repugnant æternæ saluti, in principio secundare, ne propter accidentale aliquod, amittant essentiale: qui enim vehementer emungit, elicit sanguinem. Hoc pacto illorum captabunt benevolentiam & amorem: quo obtento, omnia facili negotio subsequentur. Cum enim amor vincat omnia, & Christi jugum suave sit, & amoris plenum, nihil magis necessarium est in conversione cujusque, sive peccatoris ad DEUM, sive hæretici ad sanctam Ecclesiam, sive Infidelis ad fidem, quam amor erga Magistrum & Patrem spiritualem. *Fili præbe mihi cor tuum*, hoc est, amorem, quo omnia ad me traham: Prov. 23. quicquid enim à te voluero, hoc solo obtinebo. Et sic præponens JESUS Christus Redemptor noster D. Petrum suæ sanctæ Ecclesiæ, nihil aliud ab eo petit, nisi solum amorem, & hunc triplici interrogatione (ut ostenderet maximam ipsius necessitatem) *Simon Joannis diligis me?* qui enim Joan. 22. amat, amabitur, quasi diceret: *Si me amas Petre, & proximum amabis, consequenterque ab eo amaberis, & sic omnia ad me trahes, eriscque bonus Pastor.* Hunc D. *Paulus* verus Christi imitator, omnibus nervis imprimere cordibus Fidelium contendebat, experientiaque doctus, nihil tam sedulò ab ipsis exposcebat verbis, & operibus, quam amorem erga seipsum, & alios præpositos. *Fortis* enim *est ut mors dilectio*, & sicut nihil morti resistit, sic nec amori. Igitur primum, quod requiritur est se gentis ingenio accommodare, & omnium se servum facere, ut omnes luctifaciat, cum *D. Paulo*, qui dicebat: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos qui sub lege sunt lucrifacerem: ijs qui sine lege erant, quasi sine lege essem, ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant: Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* 2. Cor. 21 Et Apostoli in primordiis Ecclesiæ secundarunt Judæis præcipientes Fidelibus ex Gentibus conversis, in illorum gratiam, ut abstinerent à sanguine, & suffocato, ut omnes lucrifacerent, quæ postea successu temporis perierunt.

Quare prudentiæ est, mores infidelium maximè Evangelio non repugnantes in initio permittere: nam cum perdificile sit dedisscere natales, atque consuetudinem inveteratam, atque inde ad mores inusitatos sensui, ac libidini penitùs injucundos traduci, ideo Infideles paulatim disciplina Christiana sunt imbuendi, ac omnes sacrilegæ superstitiones, ritus sensim amputandi, attamen si inter illos mores à Religione & justitia non discrepantes inveniantur, non facile immutandi: sed permittendum, ut patrias ac gentilitias consuetudines retineant: sicuti Indici senatus Regio decreto

creto cavetur. Multa etiam Judæis legi assuetis, Apostolica Ecclesia condonavit, usque dum prorsus exuti Moysem, Christum induerent. Multa de Ethnicismo toleravit antiquitas, in ipsis primævis Christianis, magna alioquin miracula edentibus. Vix victimarum cruor elui poterat; ut oportuerit Apostolum sæpius ea de re admonere Corinthios.

Scribit Gregorius Papa ad Augustinum primum Anglorum Episcopum, mores gentilitios, & patrios paulatim debere emendari, & patienter toleranda esse, quæ non possunt ita facilè corrigi. Lectio omnium pænè nationalium Conciliorum indicat peculiarem Sanctorum Patrum curam in relegandis paulatim ritibus majorum. In Africa multa usque ad sua tempora perduraſſe Augustinus testatur, ut latiori sermone *infra* ostendemus. Qua in re (ut satis prudenter notavit Josephus Acosta *li.3.c.24.*) valde peccatur à multis, vel propter ignorantiam municipalium observationum, vel ob nimium, & præmaturum communicandi nostra fervorem. Hic non morabor Plutarchi Philosophi ad Trajanum in Politica insigne præceptum de gubernanda Republica, apponere. Vertere se ad mores civium cognoscendos oportet, atque eorum penitus exploranda atque tractanda ingenia. Etenim statim mores & ingenia conari mutare populi, novisque ea legibus moderari exemplo velle, non modò non facile, verum ne tutum quidem omnino est, ut res quæ multo tempore, & ingentibus viribus indiget. Simile ducit ex vino perpulchrè, quod initio bibentis arbitrio regitur, mox sensim calefaciens hominem, commutat & vertit ad se.

Quamobrem multa dissimulanda sunt, nonnulla etiam laudanda; quæ tenacius hærent, & pernicioſius lædunt, ea dexteritate quadam in bona similia commutanda. Cujus rei authorem luculentum habemus Gregorium Magnum *lib.10 Regist. Epist. 71.* qui rogatus ab Augustino Anglorum Archiepiscopo in simili causa ita scribit Mellito: *Dicite Augustino Episcopo, quod diu mecum de causa Anglorum cogitans, tractavi videlicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minimè debeant, sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur, ut dum gens, ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & DEUM verum cognoscens, & adorans, ad loca quæ consuevit familiarius recurrat. Et qui boves solent multos sacrificio Dæmonum occidere, debet his etiam de hac re aliqua solēnitas immutari: ut die dedicationis, vel natalitiis Martyrum tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutata sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis convivijs solemnitatem celebrent. Nec diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem DEI, in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate suas gratias agant: ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant; nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse, non dubium est, quia is qui locum summum ascendere nititur gradibus, vel passibus, non saltibus elevatur; cujus etiam documenti exemplum profert in Israëlitico populo Ægyptiorum sacrificiis assuefacto, quem DEUS ab idolorum cultu revocans, sacrificia uni DEO de pecudibus offerri imperavit.* Quæ eo sunt fusius repetita, quo magis perspicua res fiat, non solum præcepto Gregorij, verum etiam exemplo de bobus pro convivio mactandis, quos idolis suis sacrificare consueviſſent. Hactenus Acosta.

Quartò prudentiam non exiguam postulat Christiana, & ingeniosa quædam industria in proximorum salute procuranda: quod exemplo sancti *Gregorij* potius quàm verbis in quo situ sit hæc divina prudentia clarius innotescet. Ponderans S. Gregorius *tertia parte Pastoralis* exemplum Moysis *Num. 10.* cum enim præmisisset B. Pater: *Num. 10.* persuadere elatis utilia melius possumus, si profectum eorum nobis potius, quam illis profuturum dicamus, & eam magis nobis, quam illis impendi postulamus adjungit: *Unde Moyses qui regente se Deo deserti iter aerea columna duce peragebat, cum Obab cognatum suum à Gentilitatis conversatione vellet educere, & omnipotenti Domino subjugare: Proficiscimur ad locum, quem DEUS daturus est nobis: Veni nobiscum, & benefaciemus tibi, quia Dominus bona promisit Israëli: cui cum respondisset ille: Non veniam tecum, sed revertar ad terram meam in qua natus sum; illico adjunxit: Noli nos relinquere, tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris Dux noster. Neque Moysi mentem ignorantia itineris angustiabat, quam ad Prophetia scientiam cognitio divinitatis expanderat, quem columna exterius præibat, quem de cunctis interius per conversationem cum DEO sedulam, locutio familiaris instruebat: sed videlicet vir providus elato auditori colloquens solatium petivit, ut daret, Ducem eum requirebat in via, ut Dux ei fieri ad vitam potuisset.* Hæc sanctus Gregorius.

Eandem prudentiam exhibuit Dominus, cum Samaritanam ad aquæ vivæ fontem edoctorus, primus petit: *Mulier da mihi bibere.* Et cum Zachæum ex avaritiæ sordibus discipulum Evangelij facere deliberans ait: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* *Joan.4.* *Luca 19.*

Ac denique ad prudentiam omnium rerum magistram spectat in congressu sive conversatione cum infidelibus, in procuranda eorum salute, non tam disputationibus argumentisque agere, quàm vitæ exemplo, colloquiisque familiaribus eos allicere, eorumque animos sibi conciliare, & ad fidei veritatem perducere: ut nos latius *infra* dicemus.

CAPVT VI.

Quod Minister castitate resplendere debeat, & de evitandis occasionibus.

DUo sunt inter alia, quæ fidei prædicationi vehementissimè obstant, nempe impudicitia, & avaritia, quorum periculum esse solet, versantibus inter infideles commune ac frequens incontinentiæ propter miram solitudinem ac libertatem, cum perpetua quadam esca libidinis, ex fœminarum aspectu, & colloquio familiari; maximè inter Indos, & alios barbaros, ubi nuda est ipsarum fœminarum facilitas & rarus pudor: avaritiæ verò & quæstus in ditioribus provinciis non parva se offert occasio. Et ut ab impudicitia incipiam, nihil est viro Evangelico, qui vitam totam supra humanam, & penitùs cœlestem ducere debet, ita ignominiæ ac dedecori quam impudicitia, quæ quantum omnium offendat oculos, quamque reddat virum Ecclesiasticum infamem & aspernabilem dici non potest: quam ob causam etsi sint alia graviora crimina, nulla tamen ab antiquis Patribus gravius reprehensa in homine Ecclesiastico: ut qui priscos Canones legerit, merito miretur ob

semel

semel admissam stuprum irrecuperabiliter de omni sacerdotali gradu, & ministerio Ecclesiastico depelli convictum. Idcirco Apostolus Paulus, & toties & tantopere discipulos Timotheum, & Titum, in quibus Ecclesiæ Magistros informat, castitatis perfectè admoner 1. Tim. 5. *In omni castitate*, inquit. Et rursus ibidem: *Te ipsum castum custodi.* Et ad Tit. 2. *Te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate:* ut enim nihil contemptum ita ingenerat præceptoris, ut turpitudo ista & sordes: ita nihil est quod magis admirabilem reddat, atque perfecta quædam, atque omni suspicione libera pudicitia. *Admirantur*, inquit 1. Pet. 4. *non concurrentibus vobis, in eandem luxuriæ confusionem.* Virtutis cujusdam cælestis id esse, homines opinantur: quod barbari ubi intuentur, adeo suspiciunt, ut vix credant.

1. Tim. 5. Tit. 2. 1. Petri 4.

Ad castitatis igitur donum tuendum, & conservandum, præter continuas ad DEUM preces, quantum fieri potest, fugiendæ sunt occasiones, atque vitandæ: tum quia sæpè qui inter barbaros versantur humanis ad virtutem auxilijs sunt destituti: quia cum societas bonorum magnum præsidium virtuti sit, socius enim exemplo suo excitat, sermone recreat, consilio instruit, orationibus adjuvat, authoritate continet, quæ omnia solitariè viventi desunt. Quare periculo ferè immenso, ut optimè Acosta *lib. 1. c. 92.* observavit, expositus est, nisi alias divinitùs, magna ope adjuvemur, qui solitarius inter barbaros versatur: Tum etiam pudicitiæ ingens occasio, ubi hominum timor nullus, fœminarum mira lascivia & procacitas, pudor penitus ignotus, & occasio frequentissima. Quare etsi timor DEI potentissimus sit, ad resistendum peccato; tamen ubi pudore pariter ac metu destituitur, facillimè nostra laberetur miseria: maximè cum apud barbaras fœminas, ut Jos. Acosta affirmat, pudor tam deest, ut nihil hac in parte à pecude distet: imò verò cum pecudes pudore non superent, libidine superant.

Quare ut à tantis periculis, & occasionibus Ministri liberentur, danda est opera, ne minus quam duo simul incedant. Etenim Christus Dominus discipulos ad prædicandum binos misit, cum possent tamen singuli plures populos obire. Sed præceptor noster tum consolationi, tum cautioni suorum ipsa societate consulendum putavit: tum etiam ædificationi securitatique externorum. Quam formam tenuêre postea Apostoli, cùm Petrum & Joannem mitterent *Actorum* 8. cùm Barnabam & Paulum: cùm Judam & Sylam, *Actorum* 13. & rursus *Actorum* 15. Barnabam & Marcum, Paulum & Sylam: atque ita pænè perpetuò.

Act. 8. Act. 13.

CAPVT VII.

De abdicatione rerum temporalium viro Evangelico necessaria.

QUemadmodum verò impudicitiæ fœditas despicabilem reddit prædicatorem, ita avaritiæ sordes faciunt odiosum: nec quicquam magis audientium animos à verbo Dei avertit, dum pietatem quæstum putant: & sicut scriptum est *Sap.* 15. vitæ conversationem compositam esse ad lucrum. Quam professionis Evangelicæ pestem Christus Dominus à prædicaturis discipulis dili gentissimè amolitur Matt. 10. *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus enim est operarius cibo suo: gratis accepistis, gratis date.* Quam diligenter, quam expressè, & minutim inculcatum? cibum solum suo Evangelistæ Dominus permittit, & quidem, ut prædicationis non sit causa, sed fructus. *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Mat. 6. Sed ne ipsum quidem cibum Paulus excellentissimus Prædicator admittit 1. *Thes.* 2. Sed laborat manibus suis, ne quem gravet, ut sine sumptu ponat Evangelium. Et 1. *Cor.* 9. gloriæ ducit quod nemini onerosus sit, cùm possit oneri esse, ut Christi Apostolus.

Sap. 15. Matt. 10. Matt. 6. 1. *Thes.* 2. 1. *Cor.* 9.

Animadvertebat sapiens architectus fabricam Evangelij quavis commodi specie etiam necessarij impediri, vel certè retardari: unde eligebat potius mori, quàm gloriam suam, id est, fructum Evangelij copiosum perdere. Quare præ omnibus Apostolis non solum amplius laboravit, sed multò etiam uberius fructificavit. Ingenerat revera exspoliatio hæc Evangelica animis hominum admirabilem quandam vim amoris, ut quem tuis commodis insudantem videas, oblitum sui rem propriam negligentem, hunc totis visceribus complectaris, tanquam syncerè & paternè tua curantem: Quare cupiditatem omnem & turpe lucrum Principes Apostolorum Petrus & Paulus, in Ministris Ecclesiæ gravissimè detestantur 1. *Pet.* 5. Si qua ergo plaga dolenda est in hac causa, avaritia est.

1. *Pet.* 5.

Denique his duobus, continentia, inquam, & pecuniæ contemptu, ita debet esse præditus Christi Minister, ut nec de ipso suspicio fingi possit. Multa quidem alia Apostolis crimina objecta ab adversarijs fidei Chrysost. dicit; ceterum cupiditatis aut impudicitiæ, etiam ab inimicis & mendacibus nunquam fuisse incusatos, quod in his omnes vellent, nollent, testimonium veritati dare cogerentur: id quod in Christo Rege nostro advertere est: cum tamen invidissimè, ac iniquissimè oppugnaretur, ac proscinderetur ab impijs. Unde quidam Religiosus in India diutissimè versatus sapienter dicebat, non solum veritatem in hac parte, sed etiam opinionem studiosè esse quærendam; ut hypocritam agere interdum minimè pæniteat. Ut enim virginalis fama, sic sacerdotale decus sinistra suspicione, facile violatur. Ita ergo se gerat Minister Evangelij, ut omni momento spectaculum se esse DEO, & Angelis, & hominibus cogitet. 1. *Cor.* 4.

CAPVT VIII.

De patientia, labore, & longanimitate in conversione animarum maximè prærequisitis.

Vid. cap. 6. 1. part Instruct. Missionariorũ.

INprimis Evangelij Minister sibi persuadeat, semper fidei prædicationem fuisse difficillimam, & fructificationem Evangelij laboriosiorem longè expectatione nostra. Ut enim omittam dicere, quanta præcesserint, quanta consecuta sint, quæ semen Dei ne susciperetur urgerent, ne susceptum matureſceret impedirent, profectò generalis ratio doctrinæ Christianæ satis per se ipsam verticem formidabilem monstrat. Etenim ratione omni superiora docet, nec probat: mores ab omni cupiditate, & gloria alienos instituit, vitijs omnibus funditus eversis, quibus est natura humana plenissima, & diuturna consuetudine obfirmatissima. Præmia pollicetur, quæ non videntur, ea quæ videntur, contemnere jubet: sensum hominis ad ea transfert, quæ sentiri nequeunt: vitam non humanam agere homines vult. Quis igitur facile ac suave putet belluas in Angelos transformare, idque voluntate ipsorum adnitente, quibus vis ista affertur? Verè opus hoc non hominis, non alterius cujusquam, quam Dei unius. Ipse sibi proprium vult. *Joan. 6.* *Hoc est opus DEI*, inquit Joan. *6. ut credatis in eum. Et nemo venit ad me, nisi quem pater traxerit.* Quare huc debent animum advertere operarij, se non proprium, sed Dei negotium agere, curam omnem Deo ipsi lærè ac promptè laborantes, ac rei exitum ipsi animarum Salvatori relinquentes. Imprimis advertant nihil magnum, nihil gloria dignum sine patientia peractum esse. Certè fides ubi nunc firmiores altioresque radices egit, ibi initia habuit longè difficillima. Quare sementis Evangelicæ fruges non tantum ex præsentibus metiendi sunt, præsertim cum Dominus dicat Joannis 4. *Joan. 4.* *Alius est qui seminat, alius qui metit*: contingere enim potest, ut sementis jaciendi præsens tempus sit, messis verò colligendæ futurum. Quare qui laborant, consolati debent, quamvis pro diligentia seminandi salutis verbum illicò laborum suorum emolumenta non videant, nec appareant statim fidei ac charitatis fructus assurgere.

Pro consolatione verò & perseverantia Ministrorum, placuit hic quædam Antonij Possevini *lib. 4. Biblioth.* documenta ponere, quibus Christi milites admoniti, patienter laborum suorum fructum expectent, nec animo frangantur, si non statim omnia pro votis succedant, discantque certare usque ad mortem, difficultates superare, & in rebus adversis divino auxilio freti constanter sperare victoriam: est enim hoc servorum DEI proprium, & quamvis apud se ipsos humiles & abjecti sint, in divinis tamen negotiis mirè fortes sunt atque constantes, divinoque auxilio nixi audent alta expectare, ingentia conari, nihilque arduum, nihilque magnum ducentes, immensa quadam magnitudine animi maxima quæque moliuntur.

Cur initia bonarum rerum parva.

Initia, inquit Possevinus, bonarum omnium artium, sicuti & semina rerum naturalium solent esse minima. Ex ipsarum enim progressu sensim altitudo divinæ bonitatis innotescit: ideò enim nec multos nobiles, neque multos potentes, sed infirma mundi elegit. *1. Cor. 1.*

Tempotis necessitas in rebus arduis, & cur.

Secundò rerum quarumlibet arduarum, (uti naturalium quoque) progressui temporis spatium necessarium esse. Ita enim rebus paulatim crescentibus ipsius Divinæ Majestatis lux, atque cognitio suaviter mentibus illabitur. Quam quidem unico intuitu perfectæ jam rei, complecti animo non possemus, sicut succedentibus sensim incrementis novi lucis radijaciem oculorum nostrorum commodius illustrant: præterquam quod ea, quæ ex illius omnipotentis charitatis officina prodeunt, si illico absoluta prodirent, non ipsi DEO, sed alienæ forsassis causæ adscriberemus, *Quasi manus nostra esset excelsa & non DEUS faceret hac omnia.* *Deut. 32.* Nec verò, quia triticum in terra diu latet, aut super tertam menses aliquos sine spica dumtaxat herbescit, idcirco de maturitate desperamus, alioquin nec parentes plantarent earum arborum semina, quæ non sibi ipsis, sed posteris fructum solent adferre. *Nota.*

Materiã omnem esse præparandã.

Tertiò accedit, quod ut agens non agit, nisi in passum benè dispositum; ita materia præparanda prius est, quàm introducatur forma. Neque enim peritus medicus esse censetur, qui ante fortiora pharmaca, scropia, & leviora medicamenta non adhiberet.

Quartò, rerum ad convertendas animas, ac denique ad Ecclesiam vel fundandam, vel (ubi religio concidit) instaurandam spectantium firmitas, non solum diuturni temporis spatium, verum etiam labores, sudores, miras vexationes, & sanguinis ipsius effusionem ferè semper requisivit. Nam ita se magis divina vis exerit, dum (quasi ex allisis lapidibus ignis) claritas veritatis erumpit, ut varij adversarij, atque certamina, varias virtutem amantibus coronas pariant.

Quintò, certissimum est ac passim in divinis Scripturis patet, *a* DEI voluntatem esse, ut homines salvi fiant, Deumque nolle aliud *b* quam nostram sanctificationem. Itaque quicquid nobis præter peccatum accidit, ad quod humana voluntas cogi nullo modo potest, id nullam habet rationem mali: proinde labores, persecutiones, verbera, revera malum non sunt: alioquin hæc omnia filius DEI non elegisset. Quamobrem & nos eadem in divino negotio procurando alacriter sustinere debemus, certissimi DEUM manum suppositurum esse, ne ultra id tentemur, *c* quod ferre non possumus, quin cum tentatione proventum quoque daturum. *a* *1. Tim. 2.* *2. Pet. 3.* *b* *1. Thess. 4.* *c* *1. Cor. 10*

Peculiaris cura Dei erga bonos.

Sexto sacræ literæ docent, ut reliquorum, ita proborum & innocentium hominum peculiarem à DEO curam haberi. *Qui vos tetigerit*, inquit, *tanget pupillam oculi mei.* *Zach. 2.* Et: *Qui habitat in adjutorio altissimi in protectione Dei cæli commorabitur.* *Psal. 91.* Hinc fit, ut apud DEUM anima unius eum timentis magis æstimetur, quàm mille filij impij. Itaque qui nihil in tota sua vita ageret aliud quàm ut hominem unum accuratè vias Domini doceret, is sane tanquam Angelus Dei operam suam utilissimè poneret. Cum autem aliquis amicus

cus Dei efficitur, nihil non obtinere potest à Deo:
Psal. 144 *Qui voluntatem timentium se facit.* Qui enim apud Principem aliquem gratiosissimus est, multò plura unico verbo, & momento ab eodem, quam reliqui plurimi, ne multis quidem supplicibus libellis, ac diuturno studio assequuntur. Notissimum autem est illud exemplum ancillæ Judææ, cujus unius operâ uti voluit DEUS, ut à lepra Naaman
4. Reg. 5. Syrus liberaretur, ac DEUS verus inter ipsam perfidiam agnosceretur & coleretur.
Luca. 4.

Desideria serviendi Deo ad exitum perducuntur

Septimò, firmissimè quilibet sibi persuadeat, bona & sincera DEO inserviendi desideria nunquam sine divino numine nobis immitti. Ea verò si sedula charitate foveantur, ad exitum tandem à DEO perduci, cujus opera cum perfecta sint, is etiam cùm dat velle, largietur haud dubiè & perficere.

§. 1. *Exemplis idem probatur.*

Octavò, exemplo veteris Testamenti hæc omnia comprobant, illudque ingens fidei & patientiæ
1. Pet. 3. Noë, qui centum totos annos arcæ ædificandæ, ac
2. Pet. 2. tantum octo animabus humanis asservandis impendit. Unde postea factum est, ut ex invicta patientia paucissimæ illæ animæ totum postea terrarum orbem instaurarent. Quare non parum sciat se profecisse, qui paucissimos cum DEO conjungit, eosque in tuto collocat. Trita verò sunt reli-
Exod. 13. qua, sed tamen expendenda, quæ in Moyse, qui
Genes. 17 greges pascebat; in Abrahamo, in cujus semine benedictæ sunt omnes gentes; & in alijs inter summas quasque difficultates, Deo nunquam suos deserente, evenerunt.

In Christum esse respiciendum.

Nonò, Christus JESUS æterna Patris sapientia, totius boni & veritatis fons, se ipsum evidentissimum constituit exemplar, ex quo rationem expectandi, patiendi, & lucrandi animas, petere debemus. Spinas certè, flagella, clavos, vulnera, & ipsam crucem ostendit: quibus ipsius regnum fundatum est, ut & nos aliqua ratione tanto exemplo excitemur; & inde præsidium, ut precemur, sic assequamur.

Rom. 9. Decimo, cum hoc *Opus non currentis sit, sed volentis ac miserentis DEI*, expectanda ita patris hora est, & temporis plenitudo, ut cum in ejus manu omnia sint posita, nos item ipsos in ipsius manu ponamus, divinæ ejus voluntati oratione primum, deinde reliquis rationibus sinceriissimè cooperantes, qui major est corde nostro, ut inquit Apostolus, & idem Evangelista.

Apostolorum exempla.

S. Jacobus Apostolus in Hispania quid fecerit.

Undecimò, Apostoli & reliqui antiquissimi viri sancti, hanc ipsam Domini semitam in Evangelio anuntiando triverunt. Ac cum S. *Jacobus* octo solum animas in regno Gallæciæ Christo Domino adjunxisset, utilissimum tamen laborem impendit. Per illos enim denique Gallæcia, magnaque pars Hispaniæ conversa est, & divinitùs factum est, ut cùm viventem Apostolum audire noluissent, ad ejus demortui memoriam, & sacrum ejus corpus visitandum, reliquiasque, voti causa, deinceps è toto terrarum orbe, Compostellam accurreretur? cujus præsidium per tot sæcula implorarunt, atque adeò etiam nunc implorant. Ita *B. Apollinaris* duodecim annos in Ravennæ suburbiis demoratus, terque ad eam civitatem rediens, licet denique martyrium subijt, operi tamen inchoato constantissimam operam navavit. Quare quod vivens efficere non potuerat, decedens ex hac vita consecutus est. Sic Ravennates per tot sæcula insignem venerantur Doctorem & Patronum, quem non uno supplicio majores illorum excruciarunt.

Alij verò, qui varijs & pluribus cruciatibus plures annos fuerunt attriti, sic tamen perseverarunt in orando, ut denique feritate depositâ civitates patientiam eorum admiratæ, fidem Christi receperint. Quæ quidem omnia possent nostram socordiam & veternum excutere, si ij essemus quales esse deberemus, aut haberi volumus. Cum verò in primitiva Ecclesia fundanda Christus Dominus voluerit, ut trecentos ferme annos quicunque Pontif. Max. fuêre, horum pleriq; omnes pro ejus fide martyrium, aut varias persecutiones subirent; sanè intelligitur non esse ignavi, aut commoda vel studia quærentis propria, salutis animarum procurationem. Illud autem crebro memoria repetendum est, qui sibi colligendis & abnegandis enixius vacarunt, ijs DEUM fuisse usum in magnis negotiis fidei. Perspicax enim divinæ majestatis oculus aptiora instrumenta cognoscit, & deligit, perque eos in momento temporis sæpè efficacius agit, quàm diuturno tempore per plerosque homines, qui vel sibi, vel mundo melius aliis sapere videntur. Quod cum in multis, tum in *S. Antonio* perspicuum fuit, qui Alexandriam veniens, brevissimo temporis spatio, miram Arianis intulit cladem, quam fortassis perdocti, aut prudentes multi (licet Catholici) longissimo vitæ spatio non intulissent.

Pont. Max. ferè per 300. annos fuere Martyres.

S. Antonius infert cladem Arianis.

Duodecimò, qui sibi blandientes existimant, si sibi ipsis à labore temperent, fore, ut & diutius vivant, & ideo animarum conversioni diutius operam sint daturi, ij non intelligunt, si Apostoli ipsi, quibus pæne solis pòst Dominum JESUM ædificium Ecclesiæ nitebatur, id spectassent, neque sanguinem nec vitam profudissent: quod tamen efficacissimum fuit antidotum perfidiæ tollendæ, ac fidei stabiliendæ; addo item majori operariorum numero ad gloriam DEI propagandam excitando.

Non esse cessandum à labore ob spem vitæ longioris.

Decimo tertiò, si peregrinationes & acta virorum Religiosorum cogitemus, quam opere nempe divinam gloriam propagarunt, dum Gentium remotissimarum salutem paucissimi paucissimorum annorum spatio in Indijs Orientalibus, Occidentalibus, Meridionalibus & Septentrionalibus promoverunt; intelligemus plurimos (probos alioquin homines, qui sibi diutissimè vixerunt) ne minimam quidem fructus partem, præ illis Ecclesiæ DEI attulisse.

§. 2. *Lucra animarum unde aut impediantur, aut retardentur?*

Debita media necessaria ad D. ædificiū.

His rationibus atque exemplis ubi erimus præmuniti, declinanda erunt lucrandarum animarum impedimenta, quæ pænè ad sequentia redigun-
tur.

Primum, quod per sapientiæ divinæ vias nolunt plures incedere, quæ omnino vult, ut in multa patientia, paupertate, nuditate, quotiescunque occasio id ferat, cælestia quæramus. Cum enim incommodis in Dei obsequium tolerandis, aut suorum judiciorum abnegationi nolunt assuescere, minus amantur à DEO, minus ad ejus negotia adhibentur, qui magis semetipsos, quàm DEUM, ac magis ea, quæ sunt privatæ voluntatis, & amoris proprij, quam animarum salutem diligunt.

Secun-

Cibus è mensa hoc est Cruce Christi sumendus.

Secundò, hujus potissima causa est, quod nunquam alibi gustarunt, quam suavis sit cibus, qui de mensa Crucis Christi Domini, hoc est, in multa tribulatione sumptus, in corde coquitur, ubi, &c. ex charitate animæ, quasi esuriuntur, & manducantur.

Tertio aut quoniam proprij nominis honorem (quasi soli magni ij sint concionatores, qui frequentiores habent auditores; aut multa verba effundunt) tanquam scopum ac præmium suorum laborum stultissimè sibi præfixerunt.

Quartò aut in studiis curiosis, & inutilibus pro eorum curiositate potius quam pro ratione, tempus, quæ pretiosissima res est, insumunt. Id interim, quod præ manibus habent, & ad quod missi sunt, fallaci torpore omittentes.

Quintò, aut forsan, quoniam declinantes alias confusiones, indirectè nec sincerè, vel quæsiverunt, vel saltem amarunt ipsarum missionum occasiones, in quibus dum propriæ voluntatis radix viresci, divina virtus arescit, & Christi Domini voluntati ponitur obex.

Implicatio in sæcularia, desideria

Sextò, aut se negotiis sæcularibus falso boni protextu, implicantes, non intelligunt, quid sibi temporis in rebus ejusmodi pereat, vel quantum admoveant obicem spiritualium negotiorum progressui, non cogitantes, quam circumspectè cavendum sit, ne cælum cum terra misceant, qui cum se cœlestibus rebus prorsus addixerint, proni, & præcipites ruunt in mundanas & terrenas.

Novitas in fide ac pietate insinuanda damnum affert.

Septimò, aut superiorum, & meliorum consilia sic spernunt, ut de suo capite novam insinuandæ fidei, & pietatis rationem invehere, aut invectam sequi, vel hæreticis quoque Principibus, præstito aliquo juramento, temerè, vel callido potius astu, quam prudenti simplicitate docere, quæ fidei sunt audent. *In operibus autem* (ut Basilius inquit) *contra præscriptum superiorum factis majus peccatum est, quàm bonitas eorumdem operum sit*; Quæ tamen vix ulla esse potest, dum insinuati fides tentatur, alia, quam decet, ratione. Sed & æquum est (ait D. Bernardus) *ut qui DEO non obedit, huic inferior pars, id est, caro non obtemperet.* Ac nullo alio vitio magis præcipitem Diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum eum neglectis consiliis Seniorum, suo judicio persuaserit, definitionique confidere: sicut Moyses Abbas monuit apud Cassianum.

Collat. 2. c. 11.

Præposterus ordo.

Octavò, aut quod ea in corporis parte, in qua positi sunt, manere nolunt; vel præposterè tractant, quæ essent ordinatè tradenda; vel denique ea docere alios volunt, quæ ipsi nondum percepere; nec in animam inducunt, eos, qui illa rectè noverunt, cum vera humilitate consulere.

Nonò, aut verentur, quin si quos ad Christum Dominum, & ejus Ecclesiam adjunxerint, hi demum Sacerdotes Catholicos non sint habituri, qui eos excolant. *Potens autem est DEUS suscitare ex lapidibus filios Israel.* Quare nec destituere Patres antiqui aliquibus convertendis operam suam impendere, licet nulla tum spes affulgeret præsentium operariorum; qui verò conversi sunt, ipsi per se divina tantum gratia nixi à Gentilium erroribus dia abstinuerunt, ac non paucos post annos, à DEI bonitate ad illos missi sunt alij Sacerdotes, qui eos iterum Sacramentis muniverunt.

Matth. 3.

Suorum cura præponenda alijs.

Decimò, aut quod omissa spirituali cura suorum domesticorum salutis, alijs vacant, cum qui eam deserit infideli sit deterior: certos autem pro incertis relinquere, nec ordinatæ charitatis, neque sinceri judicij, ac proinde nec divinæ voluntatis est argumentum.

Quieti propriæ negotiis pro salute animarum proponendum.

11. Aut suæ quieti, & commodis privatis eorum vitam prætexunt, qui sese (nisi ad Carthusianorum, aut similium institutum vocati sint) contemplationi dedidêre. Ita enim quoniam in eos, qui proximorum saluti vacant, turbationes plerumque cadunt, studium interioris pacis obtendunt, semetipsos potius quam alios fallentes. Interea verò meditari nolunt eos, qui revera se totos vitæ contemplativæ addixerunt, omnia mundana reliquisse: sub aliorum obedientia humiliter, ac diu vixisse, incommoda pænè incredibilia volenti animo subijsse: omnem quietem, uti athletas insuperabiles, abs se amovisse. Quo verò tempore hæresis, & aliæ persecutiones Ecclesiam DEI oppugnarunt, non defuisse eos, qui vita contemplativa relicta cucurrerunt, ad certanda pro fide Christi bona certamina, sicuti *de Aphraate, & Isaaco* memoriæ proditum est. Interim autem, dum orationi vacabant, maximam vitæ partem nullo pænè cibo traducentes etiam in vinea Domini (oblata occasione) strenuè laborarunt. Quod ipsi quoque Magdalenæ (*meliorem licet partem elegerit*) scimus contigisse.

Lucæ 10.

12. Aut quod sese frustra tempus terere existimant, si inter mercatores versantur, quoniam hi ab illicitis commercijs abstinere nolentes, viam sibi salutis præcludunt. Nam & inter tales aliqui reperiuntur, qui pietatis studio incensi, exemplo aliis relinqui possint, multa verò alia peccata queunt impediri, quia his sublatis radix usuratum avaritia ope divina potest evelli. Ac ut illa evelli non posset, minor certè pœna futura est ijs, qui reliqua peccata demiserunt, præterquam quod justificatur divina Justitia, quando misericordiæ vijs illi noluerunt insistere.

Peccatum mortale impedit progressum salutis animarum.

13. Aut quoniam divinam gratiam, qua erant ornati, cum aliquò mitterentur, aliquo peccato commisso amiserunt: quod nisi celeri contritione, & Sacramentali confessione (cum primum Sacerdotem legitimum adire possunt) eluant, cæciores in dies fiunt, & in alia peccata graviora prolabuntur.

Invidentia Charitatis fraternæ maximum malum.

14. Aut denique quoniam alijs prosperè negotium divinum agentibus, non solum haud congaudent, verum etiam invident: quæ fraternæ gratiæ invidentia, cum adversus Spiritum sanctum horribile peccatum sit, sanè fontem divinæ gratiæ in illis citissimè exsiccat.

§. 3. *Impedimenta superioris capitis quomodo tollenda.*

Et verò non satis est impedimenta hæc nosse, sed quibus rationibus sint submovenda intelligendum est.

Peccatorum nostrorum consideratio utilis.

Primo id autem fit peccatorum propriorum, & pronitatum ad malum sedula & assidua consideratione, atque amoris proprij diligentissima extirpatione. Utrumque autem certè assequimur, si nos nihil ex nobis esse, nos item (ut ajebat S. Catharina Senensis) nunquam DEUM rogasse ut nos crearet meminerimus.

Secundo si ex innumeris tentationibus, quibus à DEO sapientissimè permittimur oppugnari, cogitemus, nos quidem (si possemus) illas libenter à nobis amoliturros: at quando hoc efficere non possumus, sanè quid ipsi simus; facile cognoscimus.

Tertiò,

Tertiò, divinæ bonitatis accuratissima perpensione; quam in bonæ voluntatis largitione cognoscimus: atque item, quod sæpissime nobis subtrahit occasiones, ne ruamus in deteriora peccata; quod beneficium infinitam meditandi, & ex animo gratias DEO agendi materiam præbet.

Quartò contritionis assequendæ vigilantissimo studio, & non dilata confessione synceriss. ima peccatorum, cum obfirmato proposito ea relinquendi; & fructus pœnitentiæ dignos faciendi; quam ad rem multum facit id, quod in vita B. Catharinæ filiæ S. Brigittæ de confessione integrè facienda scriptum est.

Obedientiæ amor. Quintò, obedientiæ amore, & obsequio erga eandem obedientiam re ipsa promptissimè impenso.

Sextò, sedulo studio assequendi idiomatis eorum inter quos versantur, quod sanè docendo pueros Catechismo facilè fit.

§. 4. *Ecquid præstandum ni lucra animarum successerint.*

Quod si ne his quidem rationibus lucra animarum successerint, tum cogitandum est, nos esse verè indignos, quibus DEUS utatur ad aliorum animas convertendas, tum quoniam sæpissimè erga nostram ipsorum salutem frigidissimi fuimus, tum quod diligentissimè æternum aliorum, & nostrum interitum peccando procuravimus.

Josue 12. Num. 13. Deinde nos nisi (tanquam Josue) posimus triginta & unum Reges debellare, posse saltem exploratores esse, aut immittere, qui populo DEI referant quanta viderint in terra promissionis: vel munus ipsorum exploratorum à nobis posse præstari, ut alios fortiores excitemus ad prælia Domini prælianda: quemadmodum Eremita ille *Petrus Eremita auctor belli sacri.* sive peregrinus fecit, qui ex oriente veniens, auctor fuit, ut Pontifex maximus in Gallia sacrum bellum ad Hierosolymam recuperandam indiceret.

Quod si ne exploratores quidem esse possimus, saltem ipsas sarcinas custodiamus, Deique operariis humilem operam præstemus, cum scriptum sit, *aquam futuram esse portionem eorum, qui ad sarcinas remanent, & eorum qui ad prælium proficiscuntur.* *1. Reg. 30*

Ita quoque, nisi ob scelera nostra olim patrata *1. Par. 28* idonei simus DEI templo ædificando, quoniam scilicet (quod David Regi à DEO objectum est) etiam ipsi nos sanguinum viri fuimus, saltem aut occasionem præbeamus, aut materiam paremus aliis, ut suo tempore per alios id fiat. Qua in re dignum illud est, quod perpendatur, quod quidem Paulus Orosius *lib. de arbitrij libertate* scriptum reliquit; ait autem: *Ædificari voluit DEUS templum nomini suo, & hoc ut non nisi innocens, & benè immaculatus extrueret. Duo ad hoc reges cunctis viribus eliguntur, utriusque ad adjutorium divina custodia promittitur: Ad David siquidem dicit DEUS*: Veritas *Psal. 88.* mea & misericordia mea cum eo. *De Salomone 2. Reg. 1.* verò testatur: Ipsum elegi mihi in filium, & ego ero ei in Patrem. *Ex his duobus templum Domini unus præparat, alter ædificat: præparat senex, perficit puer. Dignum est enim, ut sanctum Domini templum sanctus ædificet. Præparat (ut dixi) senex, sed quasi postquam peccare cessavit: perficit puer, sed tamen pœnè, cum adhuc peccare non caperit. Ille ante peccavit, hic postea; ille multum peccando ædificare non meruit, iste multum peccando, quod ædificaverat dereliquit; & inter hac mirabiliter ordinata sancta disponit, ut inter duas ætates, quod perpetuum in homine esse non poterat, pro captu temporis inveniret.* Hæc ille.

Corpotius Salomon quam David templum ædificaverit.

Et verò notandum quod ipse quoque inquit Orosius his verbis: *At si vis apertius accipere testimonium, quia cum utique posit DEUS, tamen pro ipsa ordinatione non faciat; dicit ad Petrum*: An putas me modo non posse rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? sed quomodo complebuntur Scripturæ? Quia sic oportet fieri. *Vides ergo quia Operator temporis temperat virtutes, & ratio dispositionis misset potentiæ patientiam. Deinde ait Dominus*: Recondegladium in theca. Fieri enim non potest, ut calicem quem dedit Pater, non bibam. *Et tamen DEUS nihil non potest, nec est quicquam quod non faciat nisi forte quod nolit non oporteat, non proponat.* *Lib de libero arbitrio.*

§. 5. *Exemplo, & monitù idem fulcitur.*

Ex B. Ignatio fundat. Soc. Jesu dictum dignissimum.

Atqui cautio, quàm B. Ignatius huic negotio adhibebat, magni momenti est. Quærenti enim, unde inter tot difficultates, ardua quæque ipsi succederent, respondit se in difficilioribus quibusque negotiis, ita rem totis viribus DEO commendare consuevisse, ac si nulla humana industria, nulla alicujus cooperatio ad ea perficienda præter DEUM ipsum esset adhibenda. Cum verò id faceret, tum ita cooperari se solitum ad eadem ad exitum perducenda, ac si nihil DEUS in illa conferret: quippe qui sciret DEUM inprimis esse cognoscendum auctorem omnis boni, ac sine quo nihil effici possit: & tamen quando divina sapientia cooperationem exigit suarum creaturarum, in eandem toto pectore esse incumbendum: quam ob rem arduaram quarumcunque rerum ad DEI gloriam spectantium ajebat semper exitum se fuisse consecutum.

Origenes qui multis causa salutis fuit miserè heu periit.

Sed & ubi res è voto successerint, tum tantò magis salutem animarum cum timore operati debebimus, memores eorum, quæ de Origene illo doctissimo scribit Nicephorus. Ille enim (ait) cum plures, atque ipsum suum genitorem Martyres præmisisset in cælum, summosque labores in convertendis animabus pertulisset, ita ut è domo in domum, per foramina quædam ad fidem piorum fovendam, inter summa pericula penetraret, tandem quia humilitatem & se ipsum non custodivit, in multos errores miserrimè cecidit. *Itaque qui stat, videat ne cadat*: & qui mittitur, caveat ne exeat extra se. *1. Cor. 10*

Applicatio potentiarum.

Porrò sicut ordinatè, & instanter operari debemus, quæcunque divino auxilio manus nostra potest efficere, ita applicandæ omnes potentiæ sunt ei rei, quæ tanti momenti est, quanti est salus animarum. Qua de re procurandum serió esset, ut quæ scripta sunt de applicatione potentiarum animæ nostræ in spiritualibus exercitijs, ea altissimè perciperemus. Interea verò non desit humilis, assidua, & fidelis oratio, qua petamus à DEO, ut nostris iniquitatibus parcens, non desistat tamen pro sua ineffabili misericordia, meliores in vineam suam operarios mittere, totque innocentium & puerorum necessitates potius, quam nostra peccata respiciat. Quæ oratio quotidie habita non redibit vacua.

Denique eorum auxilium Sanctorum apud Christum Dominum implorandum est, qui in iis regionibus, in quibus versamur, fidei fundamenta DEO favente jecerunt. Quorum Sanctorum vitas meditatè perlegere multum refert: cum quibus initiis Respubl. & cultus divinus institutus est,

ad

ad eadem initia referenda sit ejusdem instauratio.

Horum autem eæ legantur, qui duriora & longiora tormenta perpessi sunt, qualia *Clemens Ancyranus* pertulit, qui vicies octies Martyr fuit, cum viginti & octo annorum spatio mira perpessus fuerit.

Quod si laboris, solicitudinis, & periculorum aliquem tædeat, ubi ista susceperit, cogitet, num revera credat ignem purgatorium esse, atque an multa centena annorum horridarum pœnarum, cum momento laborum hujus vitæ libenter vellet commutare, tunc enim se alacrius operi accinget.

Singulis porrò diebus non cesset illud Apostolicum orare, *Domine adauge nobis fidem.* Sed imprimis hæc, quæ æterna Patris sapientia pronunciavit, scribantur in corde: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis: Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: Quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis: in hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.*

Joan. 15.

Quin & illud hoc facit. *Mater DEI loquitur* (inquit B Brigitta) *Qui conducit operarium ad laborandum, dicendo ei: Porta arenam de littore, & inquire in quolibet onere, si fortè ibi invenire poterit granum auri, non minor erit merces ejus, si nihil inveniret, quàm si reperiret multum. Sic etiam est cum illo, qui verbo, & opere ex divina charitate laborat, ad profectum animarum; non enim erit minor merces illi, si nullos converteret, quam si multos: sicut magister dixit exemplum: si, inquit, bellator, qui ad præceptum Domini sui egrediens ad bellum, & habens velle fortiter dimicandi, rediret sauciatus, nullum habens captivum, non minorem mercedem obtineret, amisso bello propter voluntatem bonam, quàm si victoriam fuisset consecutus: sic est etiam cum amicis DEI: Nam pro quolibet verbo, & opere quod faciunt propter DEUM, & ut animæ emendentur, nec non & pro qualibet horæ tribulationis, quam patiuntur propter DEUM, coronabuntur, sive multi convertantur, sive nullus.* Hactenus Antonius Possevinus.

Lib. 4. cap. 13.

CAPUT IX.

De exemplo vitæ maximè in prædicatore Evangelico necessario.

IN Evangelico ministerio & orationis præsidium, & vitæ innocentiam ac integritatem necessariam esse diximus: restat nunc ut de exemplo vitæ dicamus. Nulla alia major ad cohortandum vis & efficacia, quam exemplorum: exempla enim majus pondus habent, quàm verba, & ad faciendam populis fidem, & ad animos permovendos magis præstant. Quare Christus Dominus, & Apostoli ipsi magnoperè ministris vitæ exemplum commendarunt: *Sic luceat lux vestra coram hominibus; ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Divus Paulus ad Titum scribens c. 2. *In omnibus* (inquit) *præbe te ipsum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Et primò in hoc excellit verbis exemplum, quod quasi lumine adhibito, ad virtutem, & fidei nostræ functiones certum iter demonstrat, in quo itinere magna solet esse obscuritas, maximè in rebus spiritualibus, quæ sunt à sensibus remotissimæ: & quas insuper tenebrarum princeps tenebris suis perpetuò magis obscurare conatur. Itaque, ut dici soler, picturas atque imagines rudibus hominibus libri instar esse: sic exempla quoque ipsa libri sunt, grandibus quibusdam literis conscripti, quæ in ipsos oculos etiam negligentis incurrere possint.

Matt. 5.

Tit. 2.

Est præterea ille quoque duplex exemplorum fructus, qui à Seneca *Epist. 6.* optimè indicatur: *Plus tibi, inquit, viva vox, & convictus, quàm oratio proderunt: primò, quia homines plus oculis quam auribus credunt: deinde quia longum iter est per præcepta, breve & efficax per exempla: breve, quia sive multa verborum circuitione, ut fit in concione, nec desiniendo aut dividendo, virtutis natura aperitur, sed potius eam exhibendo, & repræsentando: ut exempli causa, Si Cæsarem dicendo describere velis, longo sermone opus sit, neque eum tam perfectè pingere possis: sin verò ipsum sistas momento temporis, ex ipso cognoscetur, multò clarius & certius cognoscetur.* Sic enim cùm Franciscus leprosum lavabat: cùm Catharina Senensis maledicæ mulieri tam constanter famulabatur; haud paulò melius & compendiosius docebant, quid amor proximi, quid sui ipsius odium postulet, & quatenus progredi debeat: quomodo humilitas, & patientia exercenda; quàm si longa & accurata oratione hæc omnia declaranda suscepissent: ita ut non immeritò dixerit Magnus Basilius in *Reg. fusior.* Interrog. 17. *Ad animum illius, qui ventri libidinis serviat, pervellendum, & ad frugem revocandum meliorem nullam cujusvis generis orationem posse excogitari opinor, quæ tantum valeat, quantum vel solum continentis alicujus aspectus.*

Exemplorum fructus duplex Seneca.

Accedit deinde illud etiam, quod idem Seneca addit de hoc doctrinæ genere, ut non solum breve sit, sed etiam efficax: primum enim, & maximum est, quod quicquid sit, cum ab alijs factitari videmus, non adeo arduum esse, & à nobis quoque posse fieri judicemus: nam quæ libris, vel quæ voce disseruntur, prosunt illa quidem ad mentem instruendam, sed plerumque difficultas, quam ostendunt rudibus præsertim, & non expertis, asperum quiddam & odiosum objicit: quod cessat, cùm eadem alterius exemplo expressa, & in usum producta spectamus. Sicut si de montis jugo dubitetur, an sit superabile, nihil certiorem facit fidem, quàm si multos jam superasse, & in eo jam stare conspiciamus. Docet hæc Gregorius 9. *Mor.* 35. Quæ verba illa Jobi: *Instaurasti testes tuos contra me*, ita interpretatur, ut hi testes sint homines justi, qui ipsa vita DEI præcepta, & eorum præmia contestantur; ut qui præceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis, nil sibi mens nostra difficile æstimet, quod perfectè peragi ab alijs videt. Quare exemplum non modò difficultatis metum tollit; sed etiam ad ea agenda occultis quibusdam stimulis incitat: ut præclarè S. Leo *Serm. de S. Laurentio*: *Facilis, inquit, ad exhortandum sit oratio, efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla, quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce.* Nam etsi exempla omnia, etiam scripta & antiqua multum valeant, ut experientia ipsa compertum est: sine ulla dubitatione, multò magis poterunt recentia & viva, maximeque domestica, quibus ipsi assiduò interfumus. Manifestum est enim, quàm nos vehementius ea moveant, quæ nos ipsi spectamus, quàm quæ ab alijs audimus: quò acrior est

S. Leo

ocu-

oculorum sensus, quàm aurium : præsertim cùm scriptura, ut dicta sit, non ita rem repræsentare, ejusque omnes circumstantias, in quibus præcipuus est animorum motus, exprimere possit.

Exempla movent.

Habet etiam exemplum robur ad promovendum non utcunque, sed & id quidem suavissimè omnino, & placidissimè: & præ se fert quandam auctoritatem, quæ ad animos excitandos maximi est momenti. Nam quemadmodum frustra de rerum omnium contemptu, ac de aliis Evangelicis virtutibus differitur, cum auditor conspicit ipsum concionantem vel divitiis abundare, vel honoribus, aut externa gloria, ita, quis dubitat quin multò certius credit, si hominem illum res humanas contemnere, qui eum contemptum ipsis factis & re ipsa præ se fert, quàm eum, qui si modo ita affectus est, tamen eum contemptum animo inclusum tenet?

Est etiam auctoritas quædam in hoc vitæ genere: nam cum major mortalium pars, tum voluptatibus, quæ sunt quædam blandissimæ dominæ, tum ceteris præsentibus bonis capiantur: quos deinde perspiciunt in vitijs tam facilè obsistere, quibus & se ipsos, & alios captivos teneri sciant, eos verò suspiciunt, ac tum tacitis cogitationibus tantam præstantiam admirantur, tum etiam apud alios maximis efferunt laudibus, eaque mirifica quædam res multitudini videtur: ac meritò judicat eos omnino se ipsos, suas cupiditates subegisse, mundum omnem cum suis præmijs despexisse, magno excelsoque animo esse, & in jis divinas quasdam inesse virtutes, & pro diis eos habent. Cujus verò *vita despicitur, necesse est ut etiam prædicatio contemnatur.* Non ergò alijs proderit sine vitæ puritate, & splendore operatus.

Quare cum hæc rerum despicentia, vitæque exemplum Ministrum ita factat admirabilem, certò statuendum est, hoc esse ad persuadendum omnium potentissimum miraculum: nihilque aptius, nihil gravius ad infidelium conversionem promovendam esse posse. Qui autem hoc non habent, eos planè magno adjumento carere, &, ut ita dicam, potissimo instrumento, ad hunc fructum & serendum, & demerendum. Unde Apostolus *Timoth.* discipulo charissimo, inter alia, exemplum potissimum commendat dicens 1. ad Timot. 2. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.*

1. Tim. 2.

Ac tandem, quid ad fidei nostræ confirmationem, conciliandosque Evangelio Infidelium animos, vitæ integritas, & exemplum prosit, ostendit Chrysost. *Homil. 46. in Matth.* Qui apertè hanc esse putat causam, cur & Apostolorum tempora tam fructuosa fuissent, & sua jam tempora tam sterilia essent, & infœcunda: *Si homines,* inquit, *duodecim terrarum orbem converterunt; cogita, quanta sit malitia nostra, qui ne subditos quidem nostros corrigere possumus, cùm tamen simus tam multi, ut decem millibus mundis pro fermento sufficere valeamus. Sed dices, Apostoli signa habebant; atqui non signa eos mirandos effecêre. Multi enim qui dæmones ejiciebant, quia peccatores erant, nihil tale fecerunt, sed puniti sunt. Quid est igitur quod eos magnos ostendit? pecuniarum contemptus, gloriæ despectus, ab omnibus vitæ hujus negotiis ereptio: quæ si non habuissent, etsi mortuos suscitassent, non solum nullos juvissent, sed etiam seductores æstimati essent.*

Chrysost.

Qui *Homil.* etiam 6. *in 1. Epist. ad Cor.* de eadem re agens, inquit: *Quod etsi in præsentia signa viderentur, quis tamen persuaderet: quin externorum aures nobis accommodaret, cum tantopere increbrescat malitia? Etenim probata Christianorum vita majorem apud multos auctoritatem sibi vendicabit quam signa: siquidem hæc apud imprudentes, & malos homines, malam concitant opinionem; Vita autem pura etiam ipsum diaboli os majorem in modum obstruere poterit.* Hæc ille. Quibus ego addiderim, inter Apostolica signa ad subjugandum orbem in obsequium Christi hoc maximum extitisse. *Signa* (inquit Paulus) *Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus.* Vide obsecro, qua ratione inter signa Apostolatus primum locum tribuit patientiæ, secundum miraculis & prodigijs. Atque ad Thessal. *Ipsi scitis fratres, introitum nostrum ad vos; quia non inanis fuit, sed antè passi & contumelijs affecti.* Ubi qualis fuerit vita, qui mores, quàm ab avaritia, ab adulatione, à fastu omni remoti: id verò pro certo, & insuperabili veritatis annuntiatæ testimonio profert. Sit vita pura & innocens in Christi prædicatore, & hoc signorum omnium vim obtinebit.

2. Cor. 12

1. Thes. 2

Tantumque juvat vitæ integritas, ut solo unius mulierculæ captivæ exemplo, Georgianos ad fidem fuisse adductos tradat Nicephor. *lib. 8. c. 34.* Quæ cum alias semper pudicè, castèque vixerat, tum captiva quoque nihil de pietate, sanctioreque instituto remisit. Nam diu, noctuque pietatis exercitia exhibebat, jejunijs plurimum vacabat, continueque precationibus insistebat. Ex quo quidem admirationi barbaris fuit. Quibus scisciantibus, cur tantopere sese affligeret, ita se suum DEUM colere respondit, qui Christus esset. Nihil ex hoc amplius admirati barbari, quam novitatem nominis, mulierculam in honore habuerunt.

Niceph. Georgianiad fidem conversi.

Mos gentis erat parvulos cùm ægrotarent per vicinas domos à matribus circumferri remedia exquirentibus. Mater quædam cùm puerum aliquandiu circumtulisset, nec salutare quicquam invenisset, captivam adiens, ejus opem petijt. Illa se humaniter scire testata est, sed DEUM quem colerent Christum, desperatam ab hominibus salutem posse conferre; Parvulumque cilicio suo super imponens, & orationem ad DEUM fundens, sanum matri reddidit. Implevit urbem facti rumor, & ad Reginam perlatus est, quæ dolore quodam afflicta, ad captivam se ferri curavit, cum illa regiam domum ingredi recusasset. Reddita est Regina sanitati, atque admonita, ut in Christum crederet, & eum colaret, qui salutem præbuisset. Rogavit Regina virum, ut Christianus efficeretur: quod quanquam ille promisisset, segnis tamen erat, nec sæpius ab uxore commonitus baptizari curabat, non tam fidei hostis, quàm dubius.

Contigit eum in altissimas silvas ire venatum, quò cum pervenisset, coorta subito tempestate, ita tenebræ cuncta operuêre, ut nec ipse comites cerneret, nec cerneretur ab illis. Ignarus quid ageret, promissionis conjugi factæ recordatus est, Christumque rogavit, ut si DEUS esset, ex tantis eum periculis eriperet. Nec mora, dies reddita mundo est, & Rex ad urbem incolumis perductus, qui Reginæ, quæ gesta erant, miraculi loco exposuit. Vocatur captiva, audit consilium ejus: illa rejicienda idola, & Christum colendum dicit, eique supplicandum, & Basilicam faciendam. Convocato populo Rex Evangelium prædicat, & nondum sacris initiatus sit suæ gentis Apostolus. Credunt viri per Regem, fœminæ per Reginam. Constituitur templum magni operis: & elevato pertinaciter murorum ambitu, columnæ collocantur. Sed prima, ac secunda erecta, tertia nullis machinis erigi

 potest,

potest, nullisque viribus, cùm ad noctem usque laboratum esset. Recedentibus cunctis, sola captiva apud templum in oratione perseverat. Postera die, prima luce redeunte populo columna reperta est supra basim in aëre suspensa, quantum esset unius pedis spatium. Magnificaverunt omnes DEUM, veramque captivæ fidem recognoverunt. Quibus mirantibus, ac stupentibus, sensim supra basim suam nullo contingente deposita est, & summa cum libratione descendit. Mox reliquæ columnæ magna facilitate erectæ & collocatæ sunt: perfectum templum: & populi fide confirmatâ, suadente captiva, totius gentis legatio ad Imperatorem Constantinum mittitur, res gesta exponitur, & sacerdotes petuntur, qui cœptum erga se munus impleant. Ferunt Constantinum non minus hoc nuntio lætatum, quàm si gentes Romano imperio incognitas, & ignota regna vicisset, indeque Iberis jucundissimo vultu satisfeciisse.

Eadem prædicandi formula Ministris necessaria.

Ad vitæ denique exemplum valde expedire nemini dubium est, ut qui in ijsdem provincijs & regnis sunt, etsi diversorum Ordinum professores, eandem prædicandi formulam, & doctrinæ Christianæ docendæ modum teneant, ne diversam fidem & Religionem annunciare videantur: præcipuè tamen inter se strictissimo charitatis vinculo consentiant; quo facile quidvis perficietur: contrà tamen nihil ita perturbat, labefactat, evertitque surgentes messes, ac mutua inter Evangelicos ministros dissensio, atque contentio. Scriptum est: *Unus ædificans & alter destruens, quid proficit eis, nisi labor?* Et rursus: *Non est dissensionis* DEUS, *sed pacis.* Et alibi: *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia* DEI. Et væ certè est illi, *qui unum scandalizaverit ex his pusillis*, qui credunt in Christum. Omnia ergò in charitate fiant, omnia secundum ordinem, omnia in vinculo pacis: nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.

Eccl. 34.
1. Cor. 14
1. Cor. 11
Matt. 18.

Itaque sibi mutuò adjumento ut sint, omnibus modis curandum est, omnes DEI oves pascant, salutem earum quærant, non quærentes quod sibi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

CAPVT X.

De scientia in ministerio sancti Evangelij requisita.

POst orationem assiduam, morum integritatem, ac vitæ exemplum, jam ultimo loco de scientia in ministerio Evangelico requisita differendum est. Quatenus autem peritum esse oporteat Sacerdotem, satis ex Patrum Canonibus constat. Nam cùm prædicandi verbi Dei fungatur officio, cum sit hoc proprium Pastorum atque Doctorum, eum esse oportebit, quem Paulus describit: *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Qui hæc præstare non potest, temerè Doctoris in Ecclesia usurpat locum: majus sibi juxta *Jacobum* judicium sumens. Quod cùm tantæ magnitudinis, tanti etiam periculi sit; nemo satis præstare potest, nisi missus à Domino. *Quomodo enim*, inquit, Rom. 10. *prædicabunt, nisi mittantur?* Quare nisi ex officio incumbat, aut majorum auctoritate imponatur, aut ipsa charitate apertè perurgente suscipiatur, nemo onus Angelicis humeris formidabile subire audeat.

Tit. 1.
Jacob. 3.
Rom. 10.

in Ministro requiratur sapientia

Qualis verò, & quanta debeat esse sapientia Ministri, erit facile in specie determinare, cùm præcipuè res pensanda sit, ex qualitatibus nationum, & gentium, quibus Ministri destinantur. Alius enim scientiæ gradus in convertendis Judæis, sive Hæreticis, aut Schismaticis, alius verò in Gentilibus prærequiritur. Nam ad agendum cum illis, linguarum peritia, ac in Theologia & Scriptura sacra, non mediocriter esse versatum requiritur: quamvis sæpè non tam disputationibus, quàm vitæ integritate, exemplo, & oratione plus emolumenti, quàm ex disputationum congressu succedat.

In Gentium verò prædicatione panis, qui in Europa abundat, nobisque præ copia pænè vilescit, admirabiles parvulis illis esurientibus epulas præberet, cùm apud has gentes non tam scientiarum notitia, quàm charitatis zelus desideretur. Requiritur tamen, ut primum quis symbolum, mysteriaque fidei præcipua norit exponere, pro captu audientium: mox præcepta divina quî aut serventur, aut violentur: tum quæ ad Sacramentorum intelligentiam usumque pertinent; ac modò probatæ illæ vitæ laude floreret, non magnopere ego scholarum apparatum, reconditamque illam doctrinam, in eo desiderarem: quippe cujus munus magis prudentia quadam, atque ingenij morumque barbarorum peritia constet, quàm subtiliori literatura. Ut enim Magistri Novitiorum in Religiosis domibus (ut prudenter consideravit P. Acosta *lib. 4. c. 10.*) eligantur, virtute, prudentiaque præstante, ipsoque usu rerum spiritualium: propterea cum ea *ars artium* sit, non tam paginis evolvendis, quàm internis spiritus motionibus discernendis paratur: tametsi cum fundamentum istud jacitur, vitæ puritoris, ac sensus exercitati, ad discretionem boni & mali, Sanctorum Patrum lectio, ut *Gregorij, Basilij, Bernardi*, divinæque Scripturæ præsertim meditatio plurimum adjuvet: ita planè in moderatione Barbarorum, qui novitij quidam sint Religionis Christianæ, & quidem quibus omnia divina, & ecclesiastica valde nova, valde inusitata occurrant, exoptanda esset eximia quædam vitæ sanctitas in Ministro DEI, cum pari prudentiæ ac dexteritatis laude conjuncta. Scientiæ verò is modus, eaque mensura, quæ communiter opportuna est; ut sciat quæ forma Catechismi servanda, quis ordo Sacramentorum tenendus: quantum sibi liceat in absolutione, quæ sint reservata crimina. At Barbarorum ritus, & avitas superstitiones, non nisi longo rerum usu dejicere potest.

Consuend. c. 10. supra cit. Instructionis missionariorum Joan. à JESU MARIA.

Theologiæ necessitas.

Notandum verò, quod si in plerisque mediocris quædam doctrina sufficiat, oportere tamen esse inter Ministros aliquos præstantes Theologos, quos ceteri consulant, & à quibus veluti à fonte veritatis doctrinam hauriant. Nam & ad veteres pellendos errores, & ad novam fundandam tuendamque Ecclesiam Theologiæ doctrina magnopere est necessaria: in exordiis enim rerum omnium, maximè Religionis, præcipua quadam sapientia, & industria opus est; quemadmodum in novis plerumque stirpibus videmus accidere, ne error in principio sit quasi originalis, & in ceteros traducatur, maximumque eum in fine esse contingat. Præcipuè cum in novis regionibus novisque plantationibus, nova negotia, novi mores, leges, contractusque occurrant, aliæque magnæ difficultates se offerant; quibus nisi sacræ doctrinæ

Quanta

ctrinæ lux & cognitio adsit, in magnis ignorantiæ tenebris max moque periculo salutis æternæ homines versentur necesse est

CAPVT XI.

De peritia linguarum Ministris S. Evangelij necessaria.

COpiam sermonis, loquendique facultatem ei, qui docendi partes suscipit, adesse oportere nemo dubitat: quamobrem Apostolos suos, non ante ad docendas gentes Christus misit, quàm gentium linguis S. Spiritus dono loquerentur. *Fides* enim, sine qua salvus esse nemo potest, *ex auditu est, auditus autem per verbum Dei.* Hic ergò sita est Rom. 10. salus gentium in verbo Dei: quod sanè ad homines pervenire non potest, nisi vocibus hominum deferatur: quas qui non percipit, verbi Dei vim sentiet nunquam. Quamobrem si Sacerdotes Ministrive multum in animarum conversionibus proficere cupiunt, illud modis omnibus curent, ut recentes ab Europa, antequam fervor ille, & sitis animarum intepescat, nulla alia re occupentur, ac detineantur, quàm accuratissimo studio discendæ linguæ illius gentis, ad quam appulerint. & postquam didicerint, exercendæ. Hoc nisi fiat, vix aliquid perficietur, quod experimento compertum habemus. Sapienter ergò & religiosè, ut refert Jos. Acosta *lib. 4. c. 9.* Dominicanæ familiæ Patres in Indij Occidentalibus inviolabili statuto, venientibus ab Hispania, totum primum annum, nihil aliud quàm studium sermonis injungunt. Anno integro exacto, ad fructificandum mittuntur: quod utinam omnes sequeremur exemplum; fieret paucis annis sine dubio plus quam alias effectum est plurimis.

Igitur si quis salutis animarum studio inflammatus est, ut optimè Josephus Acosta prosequitur, sibi is seriò persuadeat, nihil præclarum sperare oportere, nisi sermonis primum callendi indefessa cura sit. Si enim is, qui supplet idiotæ locum, ad tuam benedictionem, quam non intelligit, non potest dicere Amen: quamvis tu benè gratias agas, sed ille nihil ædificatur: quonam modo concionanti tibi, quamvis mirabiliter, quamvis divinè de Christo, populus ignotæ linguæ, & profundi sermonis respondebit in corde suo Amen, hoc est, animi præbebit assensum? Quomodo, quamvis tu rectè loquaris, ædificabitur ad fidem & dilectionem frater, cum voces tantum sparguntur in ventum, ac more Babylonicæ confusionis, qui sermonibus dissident, nequaquam sensu, animisque consentiant? Quare nihil commodius, aut certius est, quam ut homines probati, atque integri, sermonis barbari curam suscipiant, familiarissimam consuetudinem habeant, copiamque ad discendum sibi parent, tum arte, tum exercitatione diuturna. Neque enim alia via orbis terrarum reliquus ad gratiam Christi pervenit, quam verbi Dei forti instantique prædicatione. Sicut in Actis Apostolorum sæpè legimus, & Ecclesiasticæ omnes historiæ tradunt.

Neque verò alius aditus, aut alia via infidelibus ad Christum aperienda est, quàm assiduæ, efficacis, ipsisque accommodatæ prædicationis verbi Dei. Nam præter documenta divina plurima, eademque gravissima attestatur nobis copiosissimè id ipsum rei experientia. Si enim quem Barbari nacti fuerunt linguæ suæ peritum Concionatorem, attentissimè eum audiunt, magnopere delectantur facundia, ipso dicentis impetu rapiuntur, atque ore hiantes, oculis immotis hærent suspensi: sibique invicem dicunt, nunquam se Christi legem talem cognovisse, aut audivisse: quidam concionis vi cor ipsum sentiri affirment. Quod si qui populi aliquid vel intelligentiæ, vel probitatis præ se ferunt, præ ceteris inveniuntur sine ulla exceptione, ij esse maximè, qui Sacerdotes aut habuerunt, aut habent veteranos, sermonis sui peritos. Perditissimi verò omnium, qui novos & imperitos Magistros ab Europa recenter sortiti sunt, quorum insantiam egregiè rident, elinguesque contemnunt.

Itaque elaborandum est Ministris, atque studio & tolerantia, sermonis facultas paranda: id enim quamvis difficile ac negotiosum sit, non tamen fieri nequit. Et quamvis linguarum lectiones, sive Grammaticæ pueriles sint, verum hæc omnia instar umbratilis pugnæ, & palæstræ potius quàm acies. Ad rem ergo veniendum est, & frequenti collocutione cum infidelibus agendum, ubi audiendo ac loquendo sermo familiaris fiet. Inde ad conciones progrediendum, ut pudore, metuque depositò, sæpe & audacter errandum, ut aliquando non erretur. Initio quidem memoriter & res & verba discenda, mox etiam sequentur verba res ipsas. Ista quidem, dicet opinor aliquis, præcipere in promptu est; exsequi verò perquam remotum. Ita sanè est, attamen & labor omnia vincit, & laborem facit jucundum propensio animi. Ac certè nulla in hac causa major difficultas est, quàm aversæ voluntates hominum. Quamobrem si Sacerdotes Ministrive multum in animarum conversionibus proficere cupiunt, illud modis omnibus curent, ut recentes ab Europa, antequam fervor ille, & sitis animarum intepescat, nulla alia re occupentur, ac detineantur, quàm accuratissimo studio discendæ linguæ illius gentis, ad quam appulerint. & postquam didicerint, exercendæ. Hoc nisi fiat, vix aliquid perficietur, quod experimento compertum habemus. Sapienter ergò & religiosè, ut refert Jos. Acosta *lib. 4. c. 9.* Dominicanæ familiæ Patres in Indij Occidentalibus inviolabili statuto, venientibus ab Hispania, totum primum annum, nihil aliud quàm studium sermonis injungunt. Anno integro exacto, ad fructificandum mittuntur: quod utinam omnes sequeremur exemplum; fieret paucis annis sine dubio plus quam alias effectum est plurimis.

Ratio parandæ gentium linguæ.

Præterea est perquam necessarium, ut regionis, in qua degunt, sermone loquantur omnes. Sunt enim necessaria omnia ista præsidia, ut facultas paretur verbi divini Gentibus annuntiandi. At si quis vel per occupationes urgentes, vel per minus felicem ingenij sortem, tanta consequi nequeat; non debet continuò sibi ab hoc DEI opere vacandum esse existimare, silentioque vitam agere. Potest enim multis modis facultatis suæ exiguitatem adjuvare. Primum, si doctus ipse cùm sit, & virtutis probatæ, socio utatur sermonis perito, quem ipse sententiam seorsim doceat, & quid, quoque modo dicendum sit, instruat: eumque, ut Moyses Aaron, interpretem habeat: ut per alium potius ipse loquatur. Non quidem ut alter alterius verbis reddendo verba, loquatur interpretis more, (quod frigidum est, tamen si ne id quidem contemnendum) sed summam potius edoctus, ante concionem, oratoris partes impleat, si socius contingat idoneus & fidelis.

Præterea non esset utilitatis exiguæ, si aliquot ipse Conciones, & brevem aliquam Catechismi expositionem memoriter disceret, atque ea idemtidem repeteret apud Barbaros. Neque enim verendum est, ne eos repetitione offendat: neque tam isti indigent magnis & exquisitis rationibus, quàm quibusdam facilioribus, accommodatis, iisque sæpius repetitis. Nam & gloriosissimus Dei præco S. Franciscus, eo modo instituisse Fratres suos simpliciores prædicatione perhibetur. Et B. Franciscus Xaverius apud Indos ea industria multum in conversione gentium profecit. At id quidem Ministris non difficile, infidelibus autem percommodum foret, ut in missionibus loca subinde mu-

tentur, doctrina verò eadem ubique repetenda sit, ut parvulis lac Evangelij præbeatur. Edidit nuper Summus Pontifex *Paulus V.* pro diligentia in linguarum peritia acquirenda Breve Apostolicum, quod hoc loco inserendum censui.

PAVLVS EPISCOPVS Servus Servorum Dei.

AD Perpetuam rei memoriam.

Apostolicæ servitutis onere, infirmitati nostræ à Domino, inscrutabili consilio ejus, impositio, assiduè admonemur, sapientibus, & insipientibus constitutos nos esse debitores; ut scilicet per ministerium nostri Apostolatus, qui sapiunt, quod sanctus docet Bernardus, non desipiant; qui non sapiunt, sapiant, & qui desipuerunt, resipiscant: quibus verbis instrui nos satis perspicimus, ut fideles in fide, & charitate conservare, infideles ab infidelitatis tenebris educere, & hæreticos, ac peccatores à perversitate erroris, ac servitute peccati liberare, aspirante gratia DEI, à quo omnis sapientia, pastorali sollicitudine procuremus.

Cùm verò præceptum Domini lucidum illuminet oculos, ac testimonium ejus fidele sapientiam præstet parvulis, omni vigilantia procurare debemus, ut Prædicatores, & Doctores verbi DEI ad opus DEI operandum instructi reddantur in dies magis, & partes suas, quantum cum Domino fieri potest, ad gloriam ejus, & utilitatem animarum quotidie melius, & felicius adimpleant. Cui rei plurimùm conducere satis constat Linguarum cognitionem, Hebraicæ præsertim, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ: hac enim conversione Infidelium opportunissima esse dignoscitur, quando magna eorum pars aut Arabicè loquitur, aut intelligit: ac si unquam reliquarum trium Linguarum notitia in Ecclesia DEI utilis fuit, diebus nostris profectò utilissima est: hostis enim humani generis Linguarum scientia, singulari dono DEI hominibus tradita, ad ipsius Largitoris contumeliam, & fidei suæ Catholicæ detrimentum, nunc ut cum maximè abutitur.

Quamobrem fel. rec. CLEMENTis Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quantum conditio temporis patitur, vestigiis insistentes Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, deque Apostolicæ, nobis attributæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione sancimus statuimus, & ordinamus, ut in cujuscunque Ordinis, & Instituti Regularium, tam mendicantium, quam non mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum, & Apostolicæ Sedi immediatè subjectorum, studijs omnibus, trium Linguarum hujusmodi, Hebraicæ videlicet, Græcæ, & Latinæ, in majoribus verò, ac celebrioribus etiam Arabicæ Doctores, Regularis quidem, & ejusdem Ordinis, si in illo harum Linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minus seculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur, si studia in Urbibus, & locis existunt, ubi Linguarum præditarum peritos conducendi facultas est: studiis verò Locorum, ubi hujusmodi Doctores desunt, cum primùm in aliis studiis, ubi Lingua hujusmodi docebuntur, Scholares tantùm profecerint, ut docendi aliis idonei sint, de iisdem Scholaribus provideatur.

Quod, ut citius & facilius fieri possit, & sperati fructus ex Linguarum hujusmodi studio appareant, omnibus, & singulis Regularium Superioribus sub indignationis nostræ pœna eadem auctoritate, tenore præsentium præcipimus, & mandamus, & si ipsi negligentes fuerint, eorumdem Ordinum Regularium apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoribus injungimus, eorum conscientias desuper onerantes, ut omni cura, & sollicitudine quantò citius provideant, ut Scholæ Linguarum hujusmodi quamprimum instituantur, ac Doctores prædicti deputentur, earumdemque Linguarum Lectionibus Scholares assignentur, qui illis sedulam, & assiduam operam navent. Hi verò Scholares ut alacrius huic studio incumbant, volumus, & decernimus, ut in promotione ad Doctoratus gradus, & ad alios sui ordinis honores illi, ceteris paribus, præferantur, qui in cognitione trium saltem Linguarum prædictarum profecerint, ita, ut ad illas docendas apti sint. Non obstant. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, quibusvis Universitatibus, illarumque Rectoribus, ac Ordinibus prædictis, & illorum Superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum inserris habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceteriisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Sanctionis, statuti, ordinationis, præcepti, mandati, injunctionis, orationis, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Prid. Kal. Augusti, An. Incarnationis Dominicæ M.DC.X. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CAPVT XII.

Epilogus de vitæ puritate, exemplo, alijsque prærequisitis in Evangelico operario.

UT summam omnium fere, quæ hactenus de Ministrorum probitate diximus, quasi ad Epilogum redigamus, placuit hic ex *B. Francisco Xaverio*, Apostolico viro, quid ipse in prædicatoribus sancti Evangelij desideraret; ex ejus vita per Horatium Tursellinum conscripta in memoriam revocare. Is igitur *lib. 6. vitæ ejus c. ultimo* sic scribit: *Horat. Tursell. in vita B. Xaverij*

Socios Ethnicis convertendis, Neophytisque erudiendis, operam daturos, non modò lectissimos requirebat, sed huic rei maximè debitos; ut nihil quamvis speciosum ac præclarum tanto præferrent negotio, quo nihil superis gratius, mortalibus utilius reperiretur. Nec magnificus solum hortator erat, sed etiam auctor, plus rebus ostendens, quàm verbis præcipiens. Namque Gentilium conversione, atque institutione in omni vita ipsemet nihil habuit antiquius. Quin etiam Socios, qui ex India, aut ex Lusitania ad eum venissent, ita vocabat in divini hujus Ministerij societatem, ut spectatissimo cuique eam provinciam præmium daret laborum. Primarios quippe viros potissimum tanto muneri præficiebat, auctoritatem B. Franc. Xavemius quales ad gentium conversionem procurandam requireret. *Act. 18.*

Act. 18. tem sequens Apostolorum, qui *Cum audissent recepisse Samariam verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem*, Apostolorum scilicet Principes. Quocirca centebat ad Apostolicum munus deligendos viros egregia, diuque spectata fide, virtute, constantia, sanctitate: tum quia tales utique viros res ipsa postularet, tum verò, quoniam usu doctus senserat, eam provinciam esse gravissimis Sathanæ tentationibus, molestijs, ærumnis expositam.

Idem sanctitatem potius quã doctrinã expetebat

Proinde in ejusmodi Dominicæ vineæ operarijs prudentiam magis ac sanctitatem, quàm scientiam doctrinamque expetebat, ratus ad tot tantasque difficultates superandas necessariam profectò esse virtutem; ad Ethnicorum autem conversionem plus momenti sanctimoniam facere quàm doctrinam. Quod si virtutem decoraret eruditio, tum verò ajebat egregios perfectosque Evangelij præcones existere; Japoniæ maximè oportunis, ceteriscque locis, ubi acria Barbarorum ingenia subtilibus interrogationibus Christianam Religionem solerter explorent.

Notitiã peregrinæ linguæ requirebat.

Ceterum in omnibus Ethnicorum cultoribus requirebat ingenium, facultatem, ac studium peregrinæ linguæ addiscendæ, haud dubius sine sermonis commercio in Barbaris ad Christum aggregandis, noviscque Christianis instituendis nihil admodum profici posse. Itaque Apostolos, priusquam Gentes docere aggrederentur, divinitus imbutos omnium facultate linguarum. Præcipuè optabat omnes ingenti animorum servandorum cupiditate flagrare, nunquam, ut ejus rei prætermitterent occasionem, sed avidè arriperent urgerentque. In Neophytorum verò salutem atque institutionem strenuè jubebat insisti, infantes baptismo expiari, pueros eruditi Catechismo, & ante omnia baptizandis infantibus incuriam vitari, oblivionemque percipiens, ut quantum humana ope provideri posset, nemo prorsus periret sine baptismo, unico puerilis ætatis auxilio.

Suadebat quoque ut verbis rebusque, Neophytos conciliantes sibi, studerent ab eis parentum loco diligi, coliique: sic enim natura comparatum esse, ut amor omnia æqui, bonique consulat, nihilque sit amanti difficile. Quocirca in novis Christianis excolendis, non fortius, quàm perseverantius eorum perferrent vitia, infirmitatem sustinerent, frugemque sementis factæ, laborumque (quamvis seræ spei) fructum velut boni Christi Domini agricolæ exspectarent: haud ignari, *Qui* Psal. 125 *seminant in lacrymis in exultatione messuros.* Quod si talibus initio Christiani non uterentur quales expererent, ita se cum eis gererent, ut cum improbis filijs boni parentes: Deique benignitate freti, qui hominum mentes suo demum tempore ad bonam perducit frugem, non diffiderent eos aliquando tales fore, quales optarent. Proinde nunquam desinerent illos omni studio colere, præsertim cùm DEUS communis omnium parens, quamvis læsus à nobis, benignè tamen omnibus facere non desistat.

Jam cum veteribus Christianis multum temporis esse conterendum negabat, ne fraudarentur novi. Quod si officiosi illorum congressus vitari nequirent, & sermones inferendos de rebus divinis, atque ad animarum salutem pertinentibus; ut aut pijs exultimonitis paulatim fierent meliores, aut certè colloquiorum severitatem aversati, nostrum nos negotium agere sinerent in instituendis Neophytis.

Exiguos verò fructus cum hominum approbatione maximis fructibus cum aliqua vel minima offensiuncula potiores ducebat: parvos quippe fructus cum virtutis exemplo perceptos, & diuturnos esse, & semper augeri; contraque ingentes offensione hominum vitiatos paulatim corrumpi atque interire. Itaque eos jubebat adversus omnes facilitatem ac submissionem adhibere, *Pacem*, ut Hebr. 12. ait Apostolus, *cum omnibus hominibus habentes*; contentionesque maximè cum Religiosis viris ac Sacerdotibus omni ope vitantes. Et simul præcipiebat, ut facilitatis magis, quàm gravitatis memores hilari lætoque vultu exciperent omnes, neminemque omnino aspernarentur, ut *omnes Christo lucrifacerent.*

Dictitabat etiam, quod boni virtus non pariat, humanas artes haud quaquam parituras sine virtute. Proinde caverent diligenter, ne pervulgata hominum via dignitatem atque honorem aut expetere videremur; nec suis dictis, factisve, ad humanam potius, quàm ad divinam tenderent gratiam. Veram utique auctoritatem, egregiæ virtutis comitem, non hominum donum esse, sed Dei. Itaque si quando homines ipsi per se humanis artibus (omisso cælesti præsidio, germanaque virtute) quærant auctoritatem; divino consilio fieri, ut eam parare dum student, funditus perdant: ne scilicet vilia sint hominibus dona cælestia, sed haud secus, quam par est, exspectentur è cælo: nam quibus in divinarum rerum procuratione hominum gratia, quam DEI potior sit, eos non tam divinum honorem spectare, quàm suum: verum sacrilegam illam ambitionem demum in ipsorum ignominiam exitiumque erupturam.

Itaque sibi quisque prima esset cura, suumque animum summa vi excoleret; deinde in alienorum culturam animorum verteret curas. Neque enim alienæ saluti consulturum, qui suam negligeret: neque memorem fore aliorum, qui oblivisceretur sui. Contraque facilè evenire, ut cui sua salus cordi esset, ejus cura in aliorum quoque redundaret salutem. Quocirca nullum diem rerum divinarum meditatione, & conscientiæ examine vacuum sinerent præterire, & quotidie ecquid in divino obsequio deliquissent, ecqua in re suo officio, aut divinis defuissent conatibus, reputarent: secumque cum suis mentibus circumspicerent, quàm multa per eos DEUS ipsorum vitio efficere desineret potius, quàm quid per ipsos efficeret. Alterum enim modestiæ, absolutæque virtutis incitamentum esse, alterum superbiæ, vecordiæque, divina facta sibi vendicantis; qua enim verò non aliam pestem pernitiosiorem pijs hominibus reperiri.

Puerilis porro ætatis educationem præcipuum opus existimans, monebat, ut Christianam doctrinam puerorum gregibus, quoad ejus fieri posset, per se ipsi traderent, nec intermisso tam frugifero opere, neque aliis commisso. Ceterum neminem puerorum offenderent, irritarentve, sed ad veniam faciles in levioribus noxis connivent, *Re-* Ephes. 6. *mittentes minas*, ut monet Apostolus; quo scilicet timida ætas alacrius salubrem capesceret disciplinam. Adversus Magistratus Præpositosque Ecclesiasticos moderatione tenderent modestiaque: neque ullis, quamvis ingentibus eorum delictis atque injuriis lacessiti, cum eis ullo modo suscipierent simultates. Ferendo enim & dissimulando magis quam obsistendo superiores vinci; si minus

ut suam ipsi corrigant vitam, ac certè ut rem Christianam minus impediant. Quocirca eos quasi suorum conatuum, ac laborum patronos, in fructus emolumentique partem vocarent, quicquid boni perceptum esset, id illis, secundum DEUM, acceptum referentes. Ita demum Christi vineæ operarios plus adjotorum defensorumque (si forte verbo aut facto ab alijs violarentur) aut certè minus adversariorum habituros.

Jam auctor erat humilitatis benignitatisque ministeria, non minus sæpè quàm libenter, exequendi: in valetudinarijs, publicisque ejus custodijs ægros ac vinctos officijs pietatis, corrogataque stipe, sublevandi; sed ita ut simul corporibus animisque curandis opera præberetur, inimicitias sedando, odia restinguendo, tollendo lites, dissidentes ad pacem atque amicitiam adducendo. His quippe charitatis officijs divinum amorem in animis nostris accendi, aliorum animos ad similia excitari facta; Dei servis ad rei Christianæ propagationem plurimum accedere fidei auctoritatisque. Præcipuè verò temere obloquentium rumores contemnerent, quisæpè timidorum conatus frangunt atque debilitant. Extat de ea re egregium præceptum P. Gaspari traditum, quod tale est: *Si tibi pia ministeria obeunti, ut fit, obtrectent improbi, de illorum vocibus non magnopere laborabis; ne quis animadvertat, te homuncionum vocibus à Dei obsequio absterreri, id vero laborabis. Nam quicunque talibus in rebus falsam infamiam, sermonesque hominum extimescunt, mundi verius quàm Christi milites sunt, utpotè quos humanus respectus magis moveat, quam divinus. Ad ultimum illud tibi antiquissimum esse volo, ut memor te Societatis JESU membrum esse, omnibus in factis, dictisque talicapite & corpore dignus existas.* Hisce ex monitis facilè apparet, non modò quàm sedulo, serioque *Franciscus* socios exemplis paritet & præceptis, ad omnem prudentiæ ac sanctitatis excoleret laudem: verum etiam quàm valde omnibus in rebus Xaverij & Ignatij sensus inter sese congruerent, quippe cùm eodem tempore (etsi infinito propemodum locorum intervallo disiuncti) Ignatius in Italia Socijs præciperet, Franciscus in India. Sed videlicet unus atque idem spiritus illa utrique dictitabat, utrobique Societatem ad certam formans disciplinam, cælestemque ambobus prudentiam inspirans. Nihilò autem prudentior Xaverius in præcipiendo quàm in regendo fuit: Quippe ubicunque locorum esset, à Præpositis Societatis subinde omnibus de rebus certior fieri volebat; cunctisque incommodis non secus medebatur ac si adesset præsens. Nam decedens imperabat eis, ut ad se certis temporibus literas mitterent, quibus literis Sociorum tum veterum, tum recentium numerum, genera, facultates, exponerent: nimirum quibus virtutibus præditi, quibus doctrinis & artibus exculti, quibus addicti ministeriis, quas ad res maximè nati aptique viderentur, quæ in unoquoque cupiditas conservandorum animorum emineret, quos quisque ferret fructus, quibus urgeretur angoribus, quibus molestijs, ac morbis tentaretur, premereturque.

Demum (adeò in rebus etiam minimis attentus erat ac diligens) de domesticis famulis, ac servis, de ære alieno, talibusque rebus fieri se jubebat certiorem. Deque singulis vel personis vel rebus, utcunque res poscceret, per literas præcipiebat. Nec mandasse contentus, quid facto opus foret, simul imperabat Præpositis, ut ad se quam primum scriberent, an sibi quisque mandata curasset, ut scilicet hoc illis imperium curam acueret exequendi mandata. Ceterum etsi ultimas Orientis terras perlustrans in barbararum Gentium conversionem incumberet totus: tamen immensa Oceani spatia remensus Socios suæ fidei creditos identidem revisebat, ratus sibi pro suo duplice munere partiendas curas, ut sic adesset alienis, ut non deesset suis. Singulari utique industria ac virtute perfecit, ut si spectes quantum Christi cultum propagaverit, nullum spatium de Societate cogitandi habuisse: sin autem quantopere Societatis res curarit consideres, nihil aliud aut egisse, aut agere potuisse videatur. Hactenus Turselinus.

DE

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM.

LIBER V.

Continens Dubia aliqua præcipua, quæ Evangelij Ministris in terris Infidelium agentibus obvia esse possunt.

VT inoffenso pede calceati in Evangelium pacis altissimam animarum culturam exerceant, post salutares instructiones, ac formam inter infideles conversandi traditam, antequam adversus uniuscujusque sectæ errores singularia aggrediamur certamina, illud prærequiri videbatur, quotidiana dubia, quæ agentibus inter infideles passim obvia esse solent, dissolvere: id tamen breviter, & in genere tantum, excussuri, postea speciatim in singulis sectis, quicquid dubitationis circa illas occurrere possit.

LIBRI V

PARS PRIMA.

Quibus mediis liceat Infideles ad fidei veritatem adducere.

DVBIVM I.

An Infideles tam Principibus Christianis non subditi, quàm eorum subditi cogi queant ad fidem Christianam recipiendam?

RESpondeo *Non solum Infideles, qui Principibus Christianis non subduntur, sed etiam eorum jurisdictioni subjecti, cogi nequeunt ad fidem Christianam recipiendam.* Conclusio est certissima & communi consensu Catholicorum recepta. Nam Principibus Christianis non incumbit cura infidelium, dicente Apostolo: *De his qui foris sunt nihil ad nos.* 1. Cor. 5. Præterea, quia cum credendi actus sit voluntarius ac liber, quempiam ad fidem cogi minimè patitur: Nec solum Christiana fides ab omni vi, atque coactione debet esse aliena, sed etiam absque metu mortis, carceris, suppliciorum, servitutis, aut similium malorum suscipienda est. Neque enim usquam legimus cuiquam, hæc mala ideò illata fuisse, ut ad fidem, & Christianam Religionem traheretur. Idem omninò censendum est etiam de infidelibus, qui Christianorum Principum ditionibus subduntur, ut colligitur ex *Cap.* de Judæis, & *Cap.* Qui sincera, *dist.* 45. Et docet D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. cujus sententia communi calculo recipitur ab omnibus.

DVBIVM II.

An Infideles muneribus, donis, officijs, & obsequijs ad fidem allici possint?

PRima sententia asserit esse simoniam: quia si detur aliquid pretio æstimabile alicui, pacto expresso, ut ingrediatur Religionem, est simonia teste D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 9. *in corpore*, & probat ex *Cap.* Quam pio 1. *quæstione secunda*, ubi Bonifac. 8. prohibet omnem pactionem circa res spirituales; ergò nec licebit promittere munera aliqua infidelibus, ea pactione, ut ingrediantur Religionem Christianam.

Secunda sententia est asserentium non esse simoniam: pro qua sententia plures adducit auctores Thomas Sanchez *lib. primo de Matrim. Disput.* 36. Tenet etiam Azor. *Tom.* 1. *Instit. Moral. lib.* 8. *cap.* 24. *Thom. Sanchez. Azorius.*

Pro conciliatione tamen harum opinionum oportet scire, aliud esse donare alicui aliquid sub conditione, si voluerit converti ad fidem: aliud verò cum pacto expresso, pro eo, ut veniat ad fidem.

dem. Nam ptiori eventu non obligatur ad suscipiendam fidem, sed est conditionalis quædam donatio, subsistente conditione honesta: nec simoniæ crimen contrahitur, quoniam temporale commodum pro re spirituali non datur, sed officiis pagani voluntatem, & animum conciliamus, ut consulat suæ saluti, & ad id, quod alioqui jure divino præstare deberet, nobis devincimus, & ad suæ salutis studium, & amorem inducimus.

Præterea, quia hic non intervenit, nec emptio, neque venditio, quia nullum emolumentum est ex parte dantis, sed tantum ex parte recipientis. In secundo verò casu pecunia datur ut pretium rei spiritualis: quia ratione si detur pecunia est manifesta simonia, datur enim pretium pro re spirituali, quo pacto docuit D. Tho. esse simoniam dare aliquid ex pacto pro eo ut alter ingrediatur Religionem. Nam per pactum intelligit factum oneroſum, & materia contractus est res pretio existimabilis, & cedit in favorem dantis: quare non potest sine labe simoniæ offerri pro re spirituali.

Hac præmissa distinctione, constituo, licitum esse munera, & obsequia, aut officia alia infidelibus ea conditione promittere, si ad fidem convertantur. Hæc sententia probatur primo. Quia sæpè in Scriptura DEUS promittit bona temporalia sub conditione, si benè operentur illi, quibus fit promissio ut videre est *Gen.* 17.

Gen. 17. Secundò Apostolus & Sancti alij miracula edebant, & à periculis sæpè homines eruebant, & infirmitatibus, ea conditione, ut fierent Christiani. Beatus Laurentius tyranno ajebat: *Si credideris in Dominum JESUM Christum thesauros tibi ostendam, &c.*

B. Laur.

Tertiò, quia licitum est legatum sub conditione, ut omnes fatentur, si femina ingrediatur Religionem: ergò in simili casu, &c.

Quartò, licitum est donare vitam infidelibus, ea conditione, ut baptizentur; quod esse usu receptum testatur Medina C. *de crist. q.* 27. Et vita temporale quid est, & datur cum pacto recipiendi baptismum: ergò aliquid temporale potest dari alicui infideli, etiam extra mortis periculum, si fidem susciplat.

Medina.

Quintò, quia allicere ad fidem in primis licitum est: & quod volens fidem susciperc commodum aliquod temporale recipiat, non pugnat cum ratione, si tamen ipse non accipiat, ut pretium. Quare ergo qui offert committet simoniam?

Ult. Quia simonia non est, nisi ubi est & intervenit emptio, & venditio: hic autem nulla est emptio, aut venditio, & qui offert pecuniam infideli, ut convertatur nihil recipit, & tamen in emptione & venditione utrique contrahentes aliquid accipiunt. Ex quo infertur posse fidelem feminam, remoto quolibet jure humano, cum pagano convenire, ea conditione, si fiat Christianus: & Principem etiam infidelibus subditis vectigalia minuere, si ad fidem Catholicam redeant.

Ex his facilè constat solutio argumenti allati ex *Cap.* Quæpio, nam ibi agitur de pacto, non verò de conditione.

DVBIVM III.

An infideles compelli possint ad audiendum Evangelium?

PRobabilis sententia tenet, apud Principes Christianos esse jus compellendi paganos sibi non subditos ad audiendum Christi Evangelium. Quidam negant, ea ratione ducti: Quia sicut liberum est eis omnino credere, ac fidem susciperc, ita & sacrum Evangelium audire. Ita Greg. de Valent. 2. 2. *q.* 10. *Disput. prima punct.* 6.

Greg. de Valentia.

Contrariam verò ut probabiliorem tenent alij, quia non est idem credere Evangelio, & audire Evangelium: non enim consequens est, ut qui ad audiendum compellitur, eo ipso ad credendum compellatur: cum quilibet etiam audito Evangelio sit liber, ut præster assensum fidei, maximè (ut advertit Azor. *lib.* 8. *Instit. Moral. cap.* 24. *Tom. primo*) si viri probatæ vitæ, & spectatæ virtutis mitterentur ad Christi Evangelium paganis annunciandum: hi jure naturali digni essent, ut audirentur, neque jure ullus pagano um Princeps aut prohiberet, quò minus pagani, qui vellent, Evangelium audirent, aut idoneos Christi nuncios, aut præcones, & interpretes impediret: alioquin enim his, aut illis injuriam manifestam inferret. Ita Covarr. in *regul.* Peccatum *parte* 2. §. 10. *num. tertio*, ubi id colligit ex S. Thoma, Cajetan. & alijs. Infideles verò, qui Christianis Principibus subduntur, non dubium, quin possint compelli, ut Evangelio præstent auditum: atque huic sententiæ fidem faciunt Pontificiæ Constitutiones, quibus præcipitur Judæis, ut certo quodam hebdomadæ die convocati, aliquem Doctorem Theologum, alium ve idoneum virum audiant: idque in praxi hodie Romæ servatur.

Azor.

Covarr.

DVBIVM IV.

An infideles compelli possint ad falsum Deorum cultum abjiciendum, & legem naturalem observandam?

DUæ sunt opiniones. Prima affirmat, quam probant Innoc. Hostien. Jo. Andr. Panormit. Alvar. Pelag. de planctu Eccl. *lib* 1. *artic.* 37. S. Antoni. Sylvest. quos citat Covarr. in *regula* Peccatum *part.* 2. §. 10. *num.* 4. Idem censuit Major in 2. *Sent. distin.* 44. *q.* 3. Alfons à Castro *lib.* 2. *de justa Hæretic. punit. cap.* 14. Horum potissimum fundamentum est, quia quisque ex rationis præscripto vivere debet, ergò si naturæ jura labefactet, coerripi ac puniri potest.

Innocent. Hostiensis Joan. And Panorm. Alva. Pelag. Ant. Sylvest. Covarr. Major. Alph. à Castro. Cajetan.

Contraria sententia communiter in scholis recepta est, nempe non esse licitum Principibus Christianis infideles ulla vi invadere, propterea quod infideles sint, & Barbari, aut peccata committant contra legem naturæ. Ita docent Cajet. 2. 2. *q.* 66. *art.* 8. Victor. in *Relect. de Indis part.* 1. Covar. ut *suprà*. Latissimè etiam eam probat Greg. de Valent. 2. 2. *Disput.* 1. *q.* 10

Victor.

Greg. de Valentia.

q.10.*punct.* 7. Præcipua tamen ea ducitur ratione, quia neque titulo charitatis, neque titulo justitiæ vindicativæ possunt id Christiani Principes facere.

Azorij sententia probatur

In hac verò controversia placet sententia Azorij *lib.*8.*c.*24.*Tom.*1. qui præmissa distinct. respondet. Aut enim pagani, inquit, id jus naturæ non servant, quod debitum DEO cultum & honorem tribuendum præscribit; aut id quod cuique homini reddendum quod suum est, jubet. Si loquamur de priori jure naturæ, nequeunt pagani justè puniri, eò quod divinum cultum & honorem desciciant. Si verò de posteriore, quo jus naturæ dissolvunt, puniri jure queunt: ut si furta, latrocinia, adulteria, homicidia, falsa testimonia, incestus, stupra aut perpetrent ipsi, aut liberam concedant facultatem hujusmodi mala perpetrandi, aut passim in alijs, quos jure suo ab ijs malis coercere possunt ac debent, sine ulla pœna, supplicioque permittant. His enim legibus naturæ violatis, planè consequitur, ut innocentes multis damnis, incommodis, & malis afficiantur. Jure autem naturali innocentum injurias propulsare & possumus, & debemus. Item, quia ejusmodi mala communi Reipublicæ saluti, paci, & bono officiunt & nocent. Ex his clarè fit paganos eo solum, quia infideles sint, non posse à Principibus Christianis puniri, aut debellari: quæ communis est Theologorum sententia.

Illud tamen occurrit animadvertendum, si Princeps paganus jura naturæ pervertat, aut passim à suis populis perverti impunè sinat, illisque inferat injuriam, tunc poterit Respublica seipsam tueri, ac Christianos Principes ad sui auxilium vocare, atque ipsos posse paganos Principes debellare.

Principum Christ. jus in paganos.

Peres, quibus casibus Principes Christiani jus habeant agendi contra paganos? Respondetur cum Covarruvia *loc.cit. nu.* 3. primò in eo ne aditum præcludant idoneis Evangelij nuncijs ad eos destinatis, eos excludendo, aut indignè & contumeliosè tractando. Deinde ne in Christum ejusve Religionem & fidem probra, & maledicta conjiciant. Præterea ne eos impediant, neve remorentur, qui se ad Christum convertendi desiderio tenentur. Item ne eos persequantur, qui Christi Evangelium audire cupiunt, student, aut annunciandum sibi & audiendum curant. Insuper ne quovis modo ad Christum conversos infestent, opprimant, vexent. Tum etiam, ne vi, metu, minis, mendaciis, fraudibus alios inducant ad simulacra Deorum veneranda, ad ritus eis adolendum, aut ad legem naturæ pervertendam, aut ad susceptam Christi fidem deferendam: non tamen si exemplo, verbis, monitis, precibus, muneribus ad id eos alliciant, & invitent. Postremò ne suos, vel alios vanis suis Dijs immolent. Item ne eos permoveant, ac incitent ad immolandos homines, ut Dijs suis inserviant, vel ad eos mactandos, ut vesci queant eorum carnibus more ferarum. Sed quid si fontes homines aliqui capitis pœna damnati, Dijs immolari apud eos Gentiles soleant, aut mactari, ut eorum carnes edantur? Respondetur nihil hoc referre: fontes enim jure quidem capite puniuntur, nefariè tamen, & impiè Dijs immolantur, aut ob humanarum carnium esum necantur.

De infidelibus verò qui in ditione Christianorum Principum versantur, quando, & quatenus compelli possint ad Deorum suorum cultum abjiciendum, ad legem naturæ servandam, ad ritus superstitiosos respuendos, & ad omnem dæmonum impietatem sacrilegam detestandam dissi cultate non caret: sed vera sententia tenet posse Principes Christianos ritus superstitiosos infidelium gentilium, & aliorum è medio tollere, quia sunt contra legem naturæ, cujus custodiendæ curam debent magistratus gerere; cujus rei exemplum extat in *l. nemo* C. de paganis, & templis, & sacrificiis eorum, qua Constantinus jussit eorum templa claudi, & sacrificia aboleri, ob quæ laudatur ab Augustino *Epistola* 48. & Ambros. *Epistola* 30. & in Conc. 8. Carthaginiensi *Can.*15. decretum est, ut Patres peterent ab Imperatore, ut quæcunque residuæ essent superstitiones Gentilium omnino delerentur.

Ex quibus perspicuò constat, posse paganos legibus Principis Christiani, cujus ditioni & imperio subjiciuntur, compelli, ut unum DEUM revereantur, idolorum cultum abjiciant, leges & jura naturæ custodiant, nihil denique in contemptum Christianorum, & rerum sacrarum audeant perpetrare. Nam hoc ipso quod Christiani Principis ditioni subjecti sunt, quemadmodum cogi possunt eas leges servare, quæ ad commune Reipublicæ bonum, videlicet salutem, tranquillitatem, & pacem pertinent (quoniam interdici eis potest ne noctu arma deferant, ne tributa denegent, ne pacta perfringant, ne promissa violent, ne fumenta extrahant, ne furta, adulteria, homicidia committant:) sic etiam adstringi possunt ad germanum, & verum cultum uni DEO, bonorum omnium auctori, quod & natura ipsa edocemur, deferendum, ad idola è medio tollenda, ad jura naturæ conservanda. Ceterum Christiani prohibentur in paganos irruere, aut eorum bona diripere privata auctoritate *l. Christianis* C. de paganis, quæ lex lata est ab Imperatorib. Honorio, & Theodosio. Quamvis Christiani Principes simile jus habeant in paganos sibi subjectos; Ecclesia tamen aliquando aliquos eorum ritus jure permittit, ut rectè docet D. Tho. 2. 2. *q.*10. *art.* 11. eam scilicet ob causam, ut plura, vel majora aut graviora mala vitentur, qualia forent, si pagani graviter offenderentur, si dissidia, & odia inde oritura probabiliter timerentur, vel si ad fidem Christianam suscipiendam aditus difficilior redderetur. D. Thom.

DVBIVM V.

An infideles vel hæretici ejici è regno Catholicorum possint, ea conditione, ut, si velint remanere, fiant Christiani?

PRobabile valde est posse Principes Christianos ex sua ditione Judæos, aut paganos expellere, datis induciis, ut, si intra tale tempus baptizentur, possint remanere. Id sub nostram ferme ætatem in Hispania à Rege Catholico Ferdinando hujus nominis V. factum fuisse legimus (ut tradit Simancas de *Cathol. Instit. tit.* 35. *num.* 7.) ex multorum hominum doctissimorum consilio, & sententia. Jussit enim Saracenos, & Judæos quosque ab Hispaniis discedere, quò vellent, intra quadrimestre temporis spatium, ut vel ad fidem, & Religionem Christianã converterentur, vel bonis omni-

omnibus suis venditis ab Hispania discederent, eis tamen, qui sacro baptismate intingi cuperent, remanere concessit. In hoc enim vis simpliciter non infertur, sed libera optio datur, ut vel Christianorum provincias deserant intra certum tempus, vel Christiani fiant.

DVBIVM VI.

An filij infidelium parvuli invitis eorum parentibus possint baptizari?

PArvuli infidelium filij in triplici sunt differentia: aut enim sunt filij hæreticorum, aut Saracenorum, vel Ethnicorum, qui ad Christianam ditionem minimè pertinent, aut eorum, qui ad Principum Christianorum ditionem attinent, de quibus singulis suo ordine breviter dicemus.

Conclusio prima. Jus est penes Ecclesiam hæreticorum infantes, invitis ipsorum parentibus, baptizare, quia hæretici eo ipso, quod sunt baptizati, Ecclesiasticæ jurisdictioni subduntur; casu quo ipsi abutantur patria potestate, quam habent in filios, æquissimo jure potest Ecclesia eos compellere, ut filios suos baptizent; ac ipsis renuentibus eos subtrahere, & sacro baptismatis fonte abluere. Imò Ecclesia eorum hæreticorum filios ereptos, ac baptismate renatos in Christo potest apud se retinere. Quinimò nec debet, nec potest illos parentibus restituere, quoniam haud dubiè à parentibus seducti, corrumpentur brevi. Unde merito hæretici, patria illa potestate, quam in filios habent, privantur, & filij sui juris effecti curæ Ecclesiæ relinquuntur.

Conclusio secunda. Filij infidelium, qui sub Christianorum imperio non degunt, nulla ratione possunt sine peccato, eorum invitis parentibus baptizari. Ita tenet communis omnium sententia,
D. Thom. quam habet S. Thom. 2.2.q.10.*art.*12 & 3.p.q. 68 *art.*10. Ratio est, quia nunquam Ecclesia hactenus hoc jure & potestate usa est, cum tot inprimis Christiani Imperatores, & tam pij Pontifices præcesserint.

Conclusio tertia. Filij nati ex uno parente Christiano, altero verò infideli jure possunt baptismo donari, annuente parente Christiano, etiamsi alter renuat, ut apertè constat ex *c. ex literis*, de convers. infidelium, & ex alijs juribus, etiamsi is, qui renuit, sit pater, dummodo parens fidelis diligentem curam suscipiat filij instituendi, caveatque ne ab
Azor. alio infideli seducatur. Tenet hoc Azor. *Tom.* 1. *lib.*8.*c.*25.

Sed quid si uterque parens tam fidelis, quam infidelis filium prohibeant baptizari, poterit ne Ecclesia contra voluntatem eorum illum baptizare? Respondetur posse, quia cum parens fidelis teneatur illum baptizare, atque Ecclesia habeat jus eum cogendi, si renuat, tunc eo ipso Ecclesiæ curæ & providentiæ relinquitur.

Conclusio quarta. Si parentes infideles longissimè absint, & distent à filijs parvulis, licet Christianis, in quorum manus filij devenerint, eos baptizare. Ita tenet Azor. *l.*8. *Instit. moral.c.*25. *Tom.*1. Quia perinde est, ac si essent omni parentum auxilio destituti, & ob id eorum curam DEUS demandavit his, ad quos aliqua tandem ratione pervenerint. Quare illi sive bello capti, sive furto, sive violentia sublati, sive emptionis jure acquisiti sive expositi, sive alio modo ad Christianum hominem transierint, baptizari, & in fide Christiana instrui debent. Nam quamvis verisimilius sit esse contra voluntatem parentum, tamen cum non sint sub eorum cura, sed sub Christianorum potestate, ad eos attinet eorum curare salutem. Si verò parentes non longè absint, & consuli facilè queant, si filij non sint servi Christianorum effecti, requirendus est eorum consensus, quia nondum sub eorum patria potestate esse desierunt.

Conclusio quinta. Infantes eorum infidelium, qui sunt Christianorum mancipia, non possunt baptizari invitis eorum parentibus. Docuit id D. *D. Thom.* Thom. ejusque discipuli 3.p.q.68.*art.*10.& 2.2. q.10.*art.*12. & alij quamplurimi auctores, ea ratione ducti, quod infantes in his, quæ pertinent ad salutem animæ, paterna cura dirigi, & gubernari debent, nec Ecclesia unquam hujusmodi filios invitis parentibus baptizare consuevit. Contra iam opinionem sequutus est Scotus in 4. *Dist.* *Scotus.* 4.q.9. & alij cum eo. Probabilior verò & verior est prima sententia.

Conclusio sexta. Si infidelium infantes invitis parentibus baptizentur, baptisma, etiamsi injuria fuerit collatum, erit firmum & validum. Ita Cajet. *Cajetan.* 3 p.q.68. *art.*10. Silvest. *verbo* Baptismus 4.q.7. *Sylvest.* Sot. 4.*dist.*5.q 1.*art.*10. Estque communis Theo- *Sotus.* logorum sententia. Hancque fuisse mentem D. Thomæ colligunt: nam ideo probat ille hujusmodi infantes invitis parentibus non debere baptizari, quia eorum curæ, & potestati subtrahi deberent, ne parentis suasionibus & fallacijs à fide deficerent, & sacramento fieret injuria; at si sacramentum collatum esset irritum, nulla efficeretur injuria.

Conclusio 7. Si infantulus jam jam moreretur, secundum probabilem sententiam, posset invitis parentibus baptizari. Ita Sot. *ut suprà.* Ego, inquir, in eo casu puerulum baptizarem, quoniam cum vita animæ, & corporis periclitetur, magno beneficio afficitur si in Christo renascatur, & parentibus injuria non fit, cum brevi eum sint amissuri. Nec fit injuria sacramento, cum non sit jam locus deceptioni, & parentum perversioni.

Conclusio octava. Filij infidelium, cum ad rationis usum pervenerint, parentibus ipsis adhuc renuentibus, jure possunt ablui baptismate. S. Tho. 3. p.q.108.*art.*10. Quia sunt jam facti sui juris in his, quæ ad suam salutem spiritualem spectant. Si verò sit dubium, an sint compotes rationis, tunc non poterunt baptizari, quia in dubijs melior est conditio possidentis, & cum parentes fruantur possessione in filios, his invitis non sunt baptismo abluendi.

Petes, quosnam parentum nomine intelligi oporteat, cum differimus an invitis parentibus? &c. Respondetur, nomine parentum intelligi quoque tutores datos infantibus parentibus destitutis: ad eos enim parentum officium, & cura transivit, sic Palud. *in* 4.*dist.*4.q.4.*art.*3. Quamvis Sotus 4.*dist.*5.q.1.*art.*10. affirmet non esse ita magnam injuriam, si invitis tutoribus filij infidelium baptismati donarentur.

DE

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM.

LIBRI V. PARS II.

Quando Fideles teneantur fidem Christianam exterius profiteri.

DVBIVM I.

An confessio fidei externa sit necessaria ad salutem ex præcepto, & quando obliget? An & quando fugere liceat tempore persecutionis?

CONfessionem fidei externam esse pro aliquo tempore ex præcepto necessariam, certum est ex fide contra quosdam vereres hæreticos, adversus quos manifestè militat Christi Domini sententia Matt. 10. *Omnis, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Et Luc. 9. cum omnes ad tolerandas persecutiones animasset illis verbis, *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam*; paulò pòst subjungit: *Nam qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua*, &c. Et ad Rom. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum nostrum JESUM Christum, & corde credideris, quia illum DEUS suscitavit à mortuis, salvus eris: corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quod testimonium expendens S. August. *lib. de Fid. & Symbol. cap. 1.* ait: *Fides officium à nobis exigit & cordis, & linguæ: ait enim Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, Oportet nos esse & justitiæ memores, & salutis; quando quidem in sempiterna justitia regnaturi à præsenti sæculo maligno salvi fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes ore etiam profiteamur fidem, quam corde gestamus.* Unde rectè docuit D. Thom. 2. 2. q. 3. *art.* 2. confessionem fidei externam esse necessariam ad salutem ex præcepto, non negativo, cum sit actus virtutis, sed affirmativo: ac proinde non pro omni tempore, sed pro aliquo obligat. Quando verò hoc præceptum, & quo modo obliget; An, & quando fugere liceat tempore persecutionis, oportet, ut per singulas Conclusiones sigillatim examinemus.

Matt. 10

Luc. 9.

Rom. 10.

Conclusio prima. Aliquando licitum est fugere. Et probatur primò ex Doctoribus, qui asserunt in persecutione fidei fugam esse licitam, & virtuti tribuendam, & qui moriuntur in fuga, eos esse ferè Martyres, eò quod exilij ærumnæ minores non sint ipsa morte. Ita Athanas. *in Apolog. pro sua fuga.* Cypr. *lib. 3. Epist. 5. & 10. & in Serm. de lapsis*, ubi ait: *Primum gradum victoriæ esse, confiteri Christum, dum quis est comprehensus; secundum verò esse fugam in persecutione.* Et Nazian. *Orat. in laudem Basilij*, commendat ejus parentes, quod in persecutione fugerint. Idem docent August. *Epist.* 18. Bernard. *Epist.* 1.

Probatur secundò Sanctorum exemplis, qui fugerunt. In vereri namque Testamento Jacob fugit ab Esau: Moyses à Pharaone: David à Saule, & Absalone: Elias ab Achab. In novo verò Testamento, Christus ab Herode, Paulus ab Areta Rege, Athanasius à Constantio, &c.

Probatur tertiò ratione: quia hoc non est negare fidem, sed potius confiteri: ideo enim quis fugit, ait Cyprianus, quia vult fidem retinere. Præterea, quia aliquando non fugere in persecutione potest esse sine ulla vel exigua utilitate illius, vel aliorum; ut si reservaretur ad meliora, si propterea cessasset persecutio, vel diminueretur, vel latens posset alios magis juvare.

Conclusio secunda. Quandoque præceptum est fugere, uti constat ex illo *Matt.* 10. ubi Christus fugam Apostolis præcipit, & in persona illorum omnibus alijs in persecutione, ut ait August. Athanasius, Nazian. *loc. cit.* Et quia, si quis multum de sua constantia diffideret, teneretur fugere: ad quod similiter teneretur, quando ex sua permansione non speraretur proximorum utilitas, sed majus potius incommodum timeretur, majorque Fidelium perturbatio: quia tunc esset prodigere vitam sine causa, dareque infidelibus majoris peccati occasionem. Matth. 10.

Conclusio tertia. Aliquando etiam licet non fugere. Quod probatur, quia non fugere, non est se occidere, sed tantum non tueri vitam, quod est licitum propter utilitatem propriam, & proximorum, ut patet exemplo Martyrum.

Conclusio quarta. Quandoque tempore persecutionis tenetur quis non fugere, cum nimirum id exigit proximorum necessitas spiritualis. Conclusio est manifesta, postulat enim id charitatis præceptum.

DVBIVM II.

Quando, & quibus licitum sit fugere, & quando non?

NOtandum pro clariori hujus Dubij notitia, personas omnes, de quibus potest esse controversia, ad tria genera reduci, nimirum, ad Pastores, ad Clerum, & ad Laicos.

Conclusio prima est. Quo ad pastores, sive Episcopos, illis ex mente D. Augustini *Epist.* 180. licitum esse fugere tempore persecutionis, in duobus casibus: quorum primus est, quando non manet plebs, vel populus; sed omnes vel occisi sunt, vel dispersi: quia tunc cessat ratio obligans ad manendum. Secundus est, quando persecutio non est communis Pastori & plebi, sed tantum est contra Pastorem, & illo recedente sunt alij, qui possunt providere plebi, præsertim cum duæ hæ considerationes concurrunt, scilicet, ut vita illius Ecclesiæ universali valde sit utilis; eumque non fugit propria sponte, sed aliorum consilio & rogatu: hæ enim August. epist. 180.

enim duæ conditiones fugam magis rationabilem efficiant, magisque necessariam, & ipsum Pastorem tutiorem in conscientia reddunt.

Ex quibus colligitur, quod si persecutio communis sit Pastori & Clero, non licere Pastori fugere, quamvis alij adessent, qui plebi necessaria ministrare possent, quia Pastor tenetur ex proprio officio saluti plebis providere, ad quod non obligantur, qui Pastores non sunt. Neque est major ratio cur teneantur alij, quàm Pastor: imò è contra cum Pastor manet, majora bona posset illis præstare: & ex fuga Pastoris oriri solent in subditis multa scandala, & querelæ. Quod verum est, nisi Episcopus vel Pastor sit vir adeò insignis, utilis, ac necessarius Ecclesiæ universali, & è contra optimè si pro illo tempore illi plebi provisum, sirque exigua manendi utilitas: nam in hoc casu poterit Pastor fugere, extra quem, & prædictos duos casus non licet fugere: patet id ex Joan. 10. *Bonus Pastor non fugit.* Et 1 Joan. 3. *Sicut Christus posuit animam.* Joan. 10. Joan. 8.

Quæritur, num liceat Pastori fugere, quando persecutio fidei facta non est ab infidelibus, sed quando est persecutio plebis contra Pastorem. Respond. Gloss. 3. q. 1. cap. *Accusantes.* & Abul. *q. 111. in cap. 1. Matth.* quod si non omnes subditi sunt mali, & persequantur Pastorem, debet manere propter utilitatem aliorum; quod si omnes sint mali, sed ex præsentia Pastoris speratur correctio, debet etiam manere.

Conclusio secunda. Prædicatores Evangelici, qui ex charitate inter infideles versantur, tenentur ex vi præcepti charitatis non deserere persecutionis tempore Fideles, dum in periculo propriæ salutis versantur: hoc enim interest inter ipsos & Pastores, quod hi ex justitia proprijs debent consulere ovibus, illi verò ex charitate tantum. Si verò, ut in quit S. August. *loc. cit.* persecutio sit in totum Clerum, sive sit communis etiam plebi, sive non, tunc partem Cleri debere manere, alteram fugere, & sic non peccat totus Clerus, & sufficienter provideretur saluti plebis. Quod si non possit facilè judicari, quinam debeat fugere, & quis manere, respondet S. August. in forte decidendum esse.

Conclusio tertia. Quod ad Laicos spectat, Resp. primò eos in omnibus casibus, in quibus licet Pastoribus & Clericis fugere, multò magis posse fugere. Resp. secundò, Communiter in persecutione omnibus Laicis licere fugere. Ratio est, quia non tenentur communiter animas suas ponere pro alijs. Dixi, *Communiter* nam ex aliqua causa ad id tenentur, verbi gratia, si obligentur ex charitate, quod dixi, verum est, sive antequam Laici comprehendantur, sive postquam comprehensi sunt: nam non videtur habere majorem obligationem manendi post comprehensionem, quàm antea. Et id videtur patere exemplo *S. Petri*, qui miraculosè liberatus ab Angelo fugit, postquam missus fuit in carcerem. Resp. tertiò, Cum Laicis licet fugere, melius aliquando faciunt fugiendo, aliquando verò non fugiendo: nam aliquando possunt manere sine periculo, saltem probabili propriæ salutis spiritualis, & cum magna ædificatione, & utilitate aliorum: è contra verò non fugiendo, probabiliter se exponunt periculo propriæ salutis, & temerè faciunt, maximè si diffidunt de propria constantia, & nihil aut parum sæpè juvant proximum.

Ex his colligitur, eos qui in regionibus hæreticorum sunt, in periculo peccandi contra professionem fidei, ob tormenta & pericula, quæ illis inferuntur, si habeant firmum propositum, quod ope divina nunquam negaturi sint fidem, sed illam confessuri quando fuerit necesse, non teneri patriam deserere: si verò careant prædicto proposito & animi constantia, vel experientia comperiant, se peccatoros in tali occasione contra fidei confessionem, teneri potius recedere à patria, & bonorum temporalium detrimentum pati, quàm spiritualium.

DVBIVM III.

An qui rogatur à Tyranno, sit ne Christianus, vel Catholicus, eo ipso debeat confiteri se esse Christianum, vel Catholicum?

PRo cujus solutione sciendum est plurimum inter se hæc tria differre: nempe aliquem confiteri expresè se esse Catholicum. Deinde simulare, vel occultare fidem Catholicam, sive Christianam. Tertiò sectam vel superstitiosam impietatem profiteri.

Hoc supposito ut certissimum constituamus, in duobus casibus, ut habet S. Tho. 2. 2. *q. 3 art. 2* & cum eo communiter omnes Doctores, confessionem fidei esse necessariam, scilicet cum alioqui subtraheretur honos debitus DEO, aut utilitas proximi. Declarat autem D. Tho. posse hoc contingere, si, dum quis de fide interrogatus taceret, crederetur non habere fidem, aut certè putaretur fides esse falsa, aut alij etiam propterea averterentur à fide. Id autem probat D. Tho *in Respons. ad primum.* Quia tunc alicujus virtutis actus est necessarius, seu debitus ex præcepto, quando necessarius est ad finem charitatis erga DEUM, aut proximum: sed in illis duobus casibus confessio fidei est necessaria ad charitatis finem; ergo necessaria est ex præcepto illis duobus casibus. S. Thom.

Quid verò intelligat D. Tho. hoc loco, per *subtrahere honorem debitum DEO aut utilitatem proximo non confitendo fidem*, erudiè explanat Gregorius de Valent. 2. 2. *Disp. 1. q. 3. punct. 2.* nempe honorem debitum subtrahere DEO esse, vel DEUM affici ignominia, vel etiam in aliquo casu negligi magnum aliquem honorem DEI, qui ex fidei confessione potuisset ad illum pervenire; & ideo illud verbum (*subtrahendi*) accipiendum esse vel contrarè, vel etiam privativè in casu, quo opportunitas supperebat augendi maximè DEI honorem: quando autem timendum sit, ne hoc contingat ex omissione confessionis fidei, judicio prudentum decernendum erit. S. Thom. explicatus Greg. de Valentia.

Præterea quid intelligat D. Tho. per illa verba; *subtrahi proximis utilitatem, non confitendo fidem*, idem auctor declarat, esse illam; aut privari magno commodo spirituali, quando per confessionem alicujus facile non credentes traherentur ad fidem (in casu quo alias non potest illis oportunè provideri) aut etiam Fideles pervertí, nisi quis fidem sua confessione tueatur, & confirmet. Quando autem hoc accidat, similiter judicio prudentum est relinquendum. Quocirca meritò Cajet. *d. q. 3. art. 2.* rejicitur à recentioribus, asserens; debere aliquem confiteri fidem, quotiescunque de illa interrogaretur: nam ex eo quod aliquis interrogatus taceat, vel potest sequi, ut interrogans decipiatur, quam proximi deceptionem in multis casibus, cum bona causa subest, licet negligere; vel certè illud etiam sequitur, ut non redundet in DEUM honor ille, qualis potuisset ipsi inde accedere: sed non semper tenetur quis procurare qualemcunque honorem DEI.

Ex

Ex qua doctrina inferunt communiter Doctores, seu potius declarant prædictos casus, quibus quis teneatur extrerius fidem profiteri. Primum cùm honor DEI aufertur. Hoc autem contingere existimant, cum aliquis interrogatus legitimè auctoritate publica, etiamsi non sit Superior, de sua Religione, se esse Christianum, aut Catholicum neget: nam tunc grave peccatum committit, tametsi mortis metu, & verbo tenus se talem esse negaverit. Et idem censendum est, si interrogatus publicè, & legitimè sit Catholicus, an non, tacuerit, aut talem se tacendo esse dissimulet. Graviter enim delinquit: quoniam tunc temporis fidem suam clarè & palam prodere & confiteri debet: alioquin enim tanquam hæreticus, & infidelis judicabitur, & cum id negotij publicè transigeretur, pios Christianorum animos offenderet. Nam in his casibus obligat confessionis fidei præceptum. Dixi *si legitimè, & auctoritate publica interrogaretur*. Nam si secretò vel privatim ab aliquo interrogaretur sit ne Christianus, an non, peccat, si tacendo fidem simulet, aut occultet, aut si rogantem verbis ambiguis, aut aliò spectantibus eludat, quia is, qui rogat, nullum rogandi jus habet, ac proinde, qui respondet minimè obligatur ad veritatem fatendam.

Posterior casus est, cùm impeditur utilitas proximi: cum enim aliquis videt ex sua taciturnitate alios Fideles trahi in errorem, quia putant fidem Christi non esse veram; ille tunc tenetur etiam cum vitæ periculo veram fidem manifestare. Idem etiam præstare teneretur, quando aliquos videret errore teneri, qui fidem amplecterentur, si illis fieret manifestatio. Cum verò nec de fide auctoritate legitima examinatur, nec aliqua speratur utilitas proximi, temerarium est hujusmodi se periculis confessionis fidei inter infideles exponere: solum enim confert ad turbandum illos.

Extra hos casus non est obligatio confessionis fidei externa: unde licet fugere persecutionem Tyrannorum, ut jam dixi. Sed hæc fuga licita est, dummodo non auferatur honor DEI, aut utilitas proximi; nimirum, quia judicat fidem non esse veram, aut propter id multi à fide avertuntur: tunc enim non liceret. Quamvis autem non semper sit necessaria fidei exterior confessio; tamen semper est necessarium non manifestare aliquam sectam: non enim idem est non ostendere se esse Christianum, & ostendere se esse infidelem: illud enim non semper est illicitum, sed tantum in duobus casibus præmissis: hoc autem semper est malum. Si quis verò negaret se esse Hispanum, vel Italum, etiamsi istæ nationes apud infideles crederentur profiteri Christianam fidem, minimè ageret contra præceptum confessionis fidei, quia solum negat se esse virum illius nationis, vel gentis de qua rogatur.

DVBIVM IV.

An ab hæreticis rogatus quis, sitne Sacerdos vel Religiosus, an non: vel an audiret rem divinam, si negaverit, peccet contra fidei confessionem?

REsponsio est negativa. Nam etiamsi quis neget prædicta, non eo ipso negat se esse Christianum, vel Catholicum; quia licet simulare vel occultare Clerici vel Religiosi personam sine mendacio in verbis, ne quis prodatur à capite & vitæ periculo periclitetur, & ob eandem causam deponere potest Clericalem Religiosam vestem, & aliquando precationes solitas prætermittere, si eas commodè recitare nequit absque probabili vitæ periculo, quia leges humanæ, ut plurimum non obligant conscientias subditorum cum gravi vitæ discrimine, ut optimè in hoc casu docuit Azor. 1. *Tom. lib. 8. cap. 27. Moral. Instit.*

DVBIVM V.

An in hospitijs hæreticorum liceat Catholicis carnes edere temporibus ab Ecclesia interdictis, ne se prodant & in vitæ discrimen veniant?

RAtio Dubij ea esse potest, si supponamus in hujusmodi hospitijs eos, qui carnibus vescuntur, hæreticos censeri: nam tunc, qui carnes edit, facto ipso se hæreticum esse profitetur: at sectam aliquam verbis vel factis profiteri est per se malum. Respondeo in hoc casu in primis, si simulet aliquam honestam causam, ut abstineat à carnibus sibi ab hospite oblatis, non peccat, quia tunc solum Religio Catholica simulatur, aut celatur: *Si* verò non sit locus conveniens excusationi in carnibus edendis ob vitæ periculum declinandum, non videtur peccatum committere. Nam carnium esus per se non est infidelitatis, aut hæreticæ pravitatis professio, sed res ex natura sua indifferens: ex accidenti verò hæretici talem esum judicant signum suæ falsæ Religionis: Catholicus autem nulla lege compellitur cum probabili suæ vitæ discrimine ut abstineat ab hujusmodi signis, quæ hæretici malo animo sibi constituunt, ut signa suæ perfidiæ. In hanc sententiam inclinat Azor. *ubi supra*, quam secluso scandalo probabilem existimo.

DVBIVM VI.

An Catholico per hæreticorum, vel paganorum provincias transeunti liceat salutis causa sese occultare, eorum vestes induendo, aut lingua & sermone illorum utendo?

SCiendum est vestem, vel signum, quo nationes vel gentes utuntur aliquando symbolum esse nationis, aliquando sectæ & Religionis.

Cajet. *q. 3. art. 3. Secunda Secundæ*, docet nunquam licere Christianum, etiam metu mortis, uti veste vel signo infidelium, quandocunque lege vel consuetudine receptum est, ut qui certam sectam profitentur, utantur eo genere vestis vel signi, ut qui in terris Turcarum ligaret caput tobalia alba. *Cajetan.*

Alij verò dissentiunt, judicantes id esse licitum facere imminente mortis periculo, secluso aliorum offensione. Ita sentit Bannez 2. 2. *q. 3. art. 2.* & Tolet. *lib. 4. c. 2. num. 8.* asserit duram valde esse contrariam sententiam, licet fatetur esse communem. Azor. vero *lib. 8. cap. 27. dub. 4. Tom. 1.* & sequun- *Dominic. Bannez. Toletus. Azorius.*

sequuntur aliqui recentiores Dominicum Banez.

Mihi verò in hac re distinguendum videtur : Nam vel signa illa infidelium ita sunt institutа, ut ferè ex natura sua dicant ordinem ad aliquam sectam (ut verbi gratia imago Mahumeti, vel idolum Martis, aut Jovis,) quæ tantum repræsentant rem, cujus sunt imagines, & nihil aliud præ se ferunt, quam falsum illorum Deorum cultum. Et tunc non dubium, quin hujusmodi imagines, qui in capite vel in pectore, aut alia in parte honoris gratia gestaret, peccaret contra præceptum confessionis fidei, cùm apertè ipso facto personis sive falsis diis illo simulacro repræsentatis honorem exterius deferret, quamvis mente & animo alienus esset ab earum personarum cultu.

Vel signa illa, etiamsi ab infidelibus sint institutа in ordine ad cultum, & professionem suæ sectæ, sunt aliàs ex natura sua indifferentia ad alios etiam usus honestos, ut sunt vestes, quæ etsi propriæ sint alicujus sectæ, tamen primus earum usus & finis est tegere corpus, usibusque humanis in hac parte inservire, quamvis per accidens ex institutione talis nationis signa sint talis sectæ: & tunc posset licitè quis similibus vestibus, aliisque signis indifferentibus uti, licet infideles possint interpretari illas vestes gerentem, aut similibus signis utentem esse sectæ professorem. Nam hoc potius ex eorum deceptione (quam ego non teneor vitare) sequitur, quàm ex meo facto, quia ego utor re per se indifferenti, meisque usibus deservienti. Ex qua resolutione multorum casuum decisio ad hanc materiam spectantium elici potest.

In primis sequitur posse Catholicum inter hæreticos conversantem (si sine scandalo proprio, vel aliorum id fieri potest) metu mortis adire templa hæreticorum, eorum interesse conventibus, atque concionibus, quia id natura sua indifferens est: nam multis de causis potest quis hæreticorum templa ingredi, & conventibus atque concionibus eorum interesse: nempe ut facilius, validius & commodius eorum confutet errores, vel ex alijs justis occasionibus (nisi ex accidenti id fiat cum aliorum scandalo.) Imò, ut auctor est Azor. ut *supra Dub. 5.* posset id etiam facere, ut obediat Principi etiamsi hæreticus sit, cum timet honoris, rei familiaris, aut vitæ amissionem. Nam in eo solum obedientiæ officium suo Principi præstat; maximè si publicè inter Fideles asseveret se id solum efficere, ut suo Principi pareat, non autem, ut sectam hæreticam profiteatur : ea enim publica attestatione Catholicorum offensioni, & periculo consulit, & iniquam Principis vexationem jure declinat. An verò hæc sententia in praxi sit tuta, aliorum judicio relinquo.

Secundo licet inferre, non peccare servum Christianum captivum apud paganos, si coram domino suo in idolorum templo genua flectat, incurvatusque ante eum persistat; quia tum servus tantummodo suo officio & munere fungitur : Quemadmodum ancilla Christiana eadem dominæ suæ gestare solita, tuta conscientia una cum domina templum ingreditur, & genua flectente dominâ coram idolis, ipsa quoque se prosternit, non ut illis honorem deferat, sed ut reverentiæ debitæ dominæ suæ satisfaciat.

Tertio infertur, posse Catholicum, jubente Principe infideli, Christianos omnes in sua ditione existentes gestare signum aliquod, quo ab hæreticis distinguantur, illud licere non gestare, si periculum mortis vel rei familiaris immineat. Ita communiter omnes ferè moderni asserunt contra Cajetanum, *2. 2. q. 3. art. 2.* quia lex illa non obligat cum tanto periculo, ac ex consequenti : si Turcarum Imperator præcipiat, solos verbi gratia Mahometanos tale gestare signum, vel vestem, ut Christiani non gestantes cognoscantur, ac morte afficiantur, possent etiam ipsi Christiani tali signo uti, dummodo non sit sectæ expressæ protestativum, in sensu superius explanato.

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM.

LIBRI V

PARS III.

De Confessione fidei externa proprio sanguine testificata. Vbi dubia aliqua de Martyrio expediuntur.

DVBIVM I.

Quid sit Martyrium, & quæ ejus conditiones ?

ETsi Martyrium, si attendamus vim Græci vocabuli, idem sit quod testimonium; & Martyr idem quod testis, usu tamen loquendi in Ecclesia recepto, Martyrium non est qualecunque testimonium, sed Christianæ veritatis, & justitiæ. Atque hinc definitur *Martyrium est morte ipsa pro DEO obita in testificationem, seu confessionem constantem Christianæ fidei veritatis, vel in ipsa, vel in aliquo pio opere relucentis.* Ita D. Tho. *2. 2. q. 124. art. 1.*

Ut autem hujusmodi mors sit verè Martyrium, quatuor conditiones requiruntur, quæ omnes *Martyrium quid*

nes ferè colliguntur ex propoſita definitione. Prima conditio, ut re ipſa ſeparatio animæ & corporis ſequatur, ſicut ex communi doctrina docet D. Thom. *ubi ſupra art. 4.* Unde ſi quis citra realem mortem ipſam gravia tormenta patiatur, hujuſmodi tolerantia non propriè, ſed per quandam ſimilitudinem Martyrium dici poterit, ut ibi ait D. Thom. ad primum: quo ſenſu interpretatur illud dictum Hieronymi ſive Sophronij in *Serm. de Aſſumpt. B. MARIÆ, Rectè dixerim, quod DEI genitrix virgo Martyr fuit, licet in pace vitam finierit.* Neque obſtat illud Domini ad Jacobum & Joannem (qui Martyrium re ipſa non fuit perpeſſus) *Calicem quidem meum bibetis.* Nam Joannes etiam nihilominus calicem bibit, eo ipſo quod promptiſſima voluntate mortem ſibi imminentem acceptavit, quamvis reipſa illa in tormentis non fuerit ſubſecuta, neque ideo Martyr adeò propriè fuerit.

Matt. 22.

Ob hanc etiam cauſam lato modo habentur pro Martyribus, qui poſt perpeſſa Martyrij tormenta diutius vivunt in exilio. D. Tho. *d. art. quarto.* Nam, ut rectè Cyprianus, *in Dei ſervis apud quos cogitatur, & Martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo judice coronatur: Aliud enim eſt Martyrio animum deeſſe, aliud animo defuiſſe Martyrium.*

Cyprian.

Idem docet ubique Cyprianus, Martyrum eximius laudator, & Iſidor. *lib. 1. Sent. cap. 23.* Martyris nomen non tantum illis tribuit, qui extremam mortem pro Chriſto paſſi ſunt, ſed etiam illis, qui à confeſſione nominis Chriſti nulla tormentorum atrocitate abduci potuerunt. Tertullianus autem hos deſignatos Martyres appellat; illos verò abſolutè Martyres.

Iſidorus. *Tertull.*

Secunda conditio. Ut mors ſequuta non ſit contra voluntatem patientis: non tamen requiritur, ut ſit expreſsè, & actu voluntaria, ſicut patet in Innocentibus, qui ſine hujuſmodi voluntate verum Martyrium ſunt conſecuti, ut communis tenet Doctorum ſententia, & conſtat ex traditione, & ſenſu Eccleſiæ celebrantis feſtum eorum tanquam verè Martyrum.

Ex quo etiam facto licet colligere nullum infantem ratione infantiæ eſſe Martyrij incapacem: nam ſi pro Chriſto interficiatur, eadem eſt cauſa in illis, ac in Innocentibus. Nec valet ſi dicas fuiſſe ſpeciale privilegium in Innocentibus; quia ſi tale interfuit privilegium, certum eſt illud non fuiſſe factum perſonis, ſed cauſæ: hoc eſt quia mortui ſunt pro Chriſto, ut optimè Cyprianus *Sermone de ſtella* & Magis: *ſufficit cauſa teſtimonio, licet nondum eloquio diſtinguatur.* Et Leo Papa, *ut diceretur nullum hominem incapacem eſſe divini Sacramenti.*

Cyprian. *S. Leo Pap* *Richard.*

Imò & Richard. in 4. *diſt. 4. art. 2. q. 2.* extendit ad illos infantes, qui in utero materno ſimul cum matribus occiſi ſunt: quam ſententiam ſequitur Pater Sa in *Summa* verb. *Martyrium.* Ita tamen cenſeo limitandam, ſi Tyrannus etiam intendat occidere fœtum in odium fidei.

Multò magis erunt cenſendi Martyres illi, qui degentes inter infideles, vel hæreticos, parati ſunt ad ſubeundum Martyrium propter Catholicæ fidei confeſſionem, ſi aliquando ipſis repentè mors in odium fidei inferatur, etiamſi ipſi antea neſciverint, nec ſe ad illud mortis genus præparaverint, nec quicquam de illo in particulari cogitaverint, nec denique antea advertere potuerint ſe mori pro Chriſto. Nam ſufficit voluntas ſive deſiderium præcedens moriendi pro Chriſto, cujus virtute mors illata in odium Chriſti etiam illo dormiente eſt voluntaria.

Tertia conditio, Ut mors non obeatur, quaſi ex conſequenti, ut fit, quando quis intendit aliquid aliud, & præter ejus intentionem etiam implicitam ſequitur: & ob defectum hujus conditionis mors militum in bello etiamſi propter fidei defenſionem occumbant, minimè eſt Martyrium, quia potius quærunt inferre, quàm ſufferre necem.

Quarta conditio. Ut mors ſubeatur propter juſtam cauſam, id eſt, ob fidei defenſionem, vel in ſe, vel ut relucet in opere pio virtutis. Quare illi ſoli ſunt veri Martyres, qui propter fidei confeſſionem, & actum Religionis ejuſdem tormenta patiuntur. Per actus Religionis intelliguntur omnes virtutes Chriſtianæ, orationes, jejunia, eleemoſynæ, ſacramentorum adminiſtratio, & participatio, prædicatio, & auditus prædicationis verbi Dei, celebratio, & auditio ſanctæ Miſſæ, & virtutes aliæ: leguntur enim in hiſtoriis Sanctorum Martyrum variæ cauſæ Martyrij. Deinde notum eſt ſanctum Joannem Baptiſtam ob reprehenſionem Herodis, & multas virgines ob virginitatis cuſtodiam Martyrij palmas fuiſſe conſecutas. Ita D. Thom. *d. q. 124. artic. 5.* & in Epiſtolam ad Rom. *cap. 8. lect. ſeptima.*

Huc pertinet illud vulgatum D. Auguſt. *Concione 2.* in Pſal. 34. *Martyrem facit cauſa non pœna.* Et colligit ex illo Matth. 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Ex quibus etiam ſequitur Martyres non eſſe eos, qui ob hæreſim, aut ſchiſma ab Eccleſia Catholica juſtis pœnis afficiuntur. Nec pro Martyribus habendi hæretici, aut ſchiſmatici etiam ab infidelibus propter nomen Chriſtianum occiſi, quia ſunt extra gremium Eccleſiæ, ut luculenter docet Cyprian. *Epiſt. 73.* ad Jubaian. & de oratione Dominica & unitate Eccleſiæ: *Cum Deo* (inquit) *manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei unanimes noluerunt, ardeant licet flammis, vel ignibus traditi, &c.* Plura hujus, & aliorum S. Patrum teſtimonia in hanc ſententiam habet Baronius in *Prolegomenis* ad Martyrolog. Roman. c. 10.

Auguſt. *Matt. 5.* *Cyprian.*

Denique à martyrij palma rejiciendi ſunt, qui non zelo fidei Chriſtianæ, ſed ad purganda ſua flagitia vitam finierunt; neque illi, qui intrepidè ſanguinem fuderunt, opinionem vulgi ſectantes, ut eorum reliquiæ à Chriſtianis venerarentur. Docet Hieron: *Comment. in Epiſt. ad Galat. lib. 3. cap. 5.*

Prædictis igitur conditionibus concurrentibus mors pro juſta cauſa obita Martyrium reputatur: nec eſt ſemper neceſſarium, ut mors ſit ab alio illata: nam quædam fuerunt etiam ſanctæ Martyres, quæ ex peculiari Dei inſtinctu ſibi ipſis mortem concurrentibus prædictis conditionibus intulerunt, ut patet ex Aug. *lib. primo de Civit. Dei cap. 26.* ubi ait, earum ſanctarum Martyria in Catholica Eccleſia veneratione celebertima frequentari. Idem docet S. Ambr. *l. 3. de virginibus*, ad Marcellinam ſororem, de Pelag. & filiarum morte: Euſeb. Cæſarien. *li. 8. Eccleſ. Hiſtor.* de virginibus Antioch. & Sophronia, quæ ſe occidit, ne vim à Maxentio pateretur. Hieronym. *ſup. Jon.* exponens illud cap. primi. *Tollite me & mittite me in mare*; ſic inquit: *Non eſt noſtrum mortem arripere, ſed illatam ab alijs libenter accipere: Unde in perſecutionibus non licet propria perire manu abſque eo ubi caſtitas periclitatur, ſed percutienti colla ſubmittere.* Ita Hieron. Id tamen nulla ratione ordinariè licet, niſi divinitùs fuiſſent juſſæ, ut optimè proſequitur D. Auguſt. ubi ſupra. *Quid ſi hoc fecerunt* (inquit) *non humanitus deceptæ ſed divinitus juſſæ, ſicut de Sampſone. Cum autem DEUS jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? Quis*

Auguſt. *Ambr.* *Euſeb.* *Caſ.* *Hieron.*

obsequium pietatis accuset: Hactenus Augost. satis-simè tamen credendum esse huic inspirationi.

DVBIVM II.

Quando currat obligatio subeundi Martyrium?

PRimo omnes Christiani obligantur ex præcepto divino ad Martyrium, saltem in præparatione animi, quia omnes potius debent velle mortem sustinere, quam negare, aut deserere fidem Catholicam, aut aliàs peccare mortaliter.

Secundo obligantur sub præcepto omnes Christiani ad perferendum Martyrium actu, quando currit præceptum tuendæ, aut confitendæ fidei, ut patet ex illo Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: docet D. Tho. *d. q. 124. art. 3. ad primum.*

Rom. 10.

DVBIVM III.

An Martyrium aliquando cadat sub consilio?

MArtyrium aliquando esse opus consilij, si fiat cum debitis circumstantijs, docuit expresse D. Tho. 2. 2. q. 124. *art.* 4. Pro ejus tamen sententiæ majori claritate, sciendum, nemini absolutè licere ultrò, sine aliqua rationabili causa, & DEO grata, se offerre Martyrio. Ita D. Tho. *ubi supra* art. 2. *Martyrium* (inquit) *oblatum debet tolerari patienter, sed non debet quari, quia non debet dari occasio agendi injustè.* Unde D. Cyprianus fugit Martyrium, ut constat ex *lib.* 1 *Epist.* & Athanas. ut patet ex *Homil. super Matth. cap.* 10. & ex Apologia de fuga sua. Hinc eleganter Cyprianus *Epist.* 83. ait: *Dominus confiteri nos magis voluit, quam profiteri, quare temeritate non caret temere procurare Martyrium.* Huc etiam pertinet quod scribit Navarr. in *Manual.* cap. 11. num. 14. *Peccat mortaliter, qui DEUM tentat, temere se Martyrio offerens, ipsosque infideles irritans, & occasionem illis suggerens ad eum occidendum, sine aliqua causa, quæ vi præcepti, aut consilij ad ipsum obliget & dirigat.* Quare olim pro veris Martyribus habiti non sunt, qui non divini Spiritus Impulsu, sed temeritate quadam nulla à persecutore facta interrogatione se sacros habere codices, quos non essent daturi, profiterentur. Baron. *Annal. Tom.* 2. *anno Christi* 302.

D. Thom. Cyprian. Athanas.

Præterea non dubium, quin si temeritas absit, quod Martyrium etiam de consilio cum debitis circumstantijs pro DEI gloria susceptum sit opus laudabile. Ita docet S. Tho. 2. 2. *ut supra art.* 3. *ad primum.* Imò est praxis Ecclesiæ sanctæ multorum Martyria colere, qui zelo fidei non citati, neque interrogati ultrò se Martyrio obtulerunt.

Non tamen caret difficultate has circunstantias explanare, nempe quando Martyrium non urgente præcepto aliquo laudabiliter suscipiatur, quando verò temerè. Divus Thomas *ubi supra* expresè docet Martyrium esse consilij Evangelici, cum ex zelo fidei, & charitate fraterna sponte quis se offert Martyrio, ut multi Sancti fecerunt, non tamen explicat circumstantias quando Martyrium propter gloriam Dei liberè, nemine impellente susceptum, sit laudabile. Neminem legi hactenus expresè de hac re differentem.

D. Isidorus *lib. primo Sent. cap.* 23. præ alijs elegantissimè explanat, quando Martyrium prudenter sit declinandum, quando verò amplectendum, his verbis: *Vir sanctus ultrò se pro agone certaminis debet offerre justitia, sed tamen agonis fructum videns uberrimum non debet declinare laboris periculum. Quod si major est labor, quàm animarum lucrum, declinandus est labor, quem minimum comitatur augmentum. Utrumque enim fecit Apostolus, qui & periculis se ultrò dedit, ubi maximum animarum lucrum vidit, & sapienter se periculo abstulit, in quo, potiorem laborem, quàm lucrum esse perspexit. Ultro se Paulus apud Ephesum periculo obtulit, quia potius periculum lucrum vidit. Damasci autem ideo periculo subtraxit seipsum, quia nullum periculi ipsius arbitratus est fructum. Disce quomodo ad Martyrium se offerat quisque ultro, vel quomodo juxta sententiam Dei cingatur ab altero, & quo non vult ipse ducatur.* Isidorus.

Nos verò majoris claritatis gratia duo ut veriſſima constituamus. Primum nulla ratione licere Martyrium directè procurare, aut quærere, hoc est, nullus sine alia causa, quàm sufferendi martyrium, etiam propter DEI gloriam debet se offerre persecutorum gladijs. Hoc est, quod voluit D. Thomas, cum inquit, *Martyrium debet tolerari patienter, non tamen debet quari*; quia non debet dari occasio agendi injustè, idque sonant sententiæ aliorum Patrum.

Dices, non licet procurare directè Martyrium: quia non licet desiderare, nec gaudere de illo. Resp. quamvis non liceat directè Martyrium procurare, licitum tamen est desiderio flagrare Martyrij, ut quamplurimorum Sanctorum monemur exemplis. Ratio est, quia directè quærere & procurare Martyrium non potest fieri sine hoc, quod alijs demus proximam occasionem injustæ occisionis: cum verò desideramus vel complacemus in spe vel desiderio martyrij, desiderium præcisè fertur tantum in opus bonum, & honestum, quale est mori pro Christi fide, & ita appetimus passionem ex parte nostra, non verò actionem ex parte tyrannorum. Hæc autem adinvicem licet in re sint conjuncta, voluntate tamen & desiderio separati possunt, sicut etiam Dominus desiderio patiendi ante ejus passionem ferebatur, ut ipse ajebat, *Baptismo habeo baptizari*, &c. non tamen desiderabat injustam Judæorum occisionem; quia potest etiam quis desiderare injurias, & opprobria ab hominibus illata, pro Christo pati sine hoc, quod desiderio feratur, ut alij peccent inferendo ei injurias.

Secundum & tanquam certum constituimus, licere indirectè ultro se offerre Martyrio, atque hac ratione Martyrij palmam quærere. Exempli causa: Aggreditur quis coram Tyranno opus aliquod bonum, ad quod non tenetur sub præcepto, cum sit tantum de consilio, ex quo opere præscit sibi à Tyranno mortem inferendam, ut si ex prædicatione Evangelica inter infideles (casu quo ipse non astringatur ejusmodi prædicationi) vel ex auditione, aut celebratione Missæ in terris hæreticorum, præcognoscat sibi imminere capitis periculum, tunc non dubium, quin liceat opus illud bonum, quando ex illo sequitur aliqua utilitas proximorum, etiam cum periculo vitæ perficere, quia tunc iste non præbet occasionem proximam injustæ occisionis, sed potius hoc sequitur ex malitia infidelium, aut hæreticorum.

Oportebit tamen cum judicio considerare, quando erit laudabile indirectè se offerre Martyrio, quando verò DEO acceptius Martyrij declinare occasionem: hoc enim pendet ex prudentia & arbi-

arbitrio boni viri, qui expensis prudenter & maturè, postquam DEUM assiduè oraverit, omnibus circunstantijs, maximè utilitatis, quæ essasionem proprij sanguinis sequetur, an (inquam) major futura sit utilitas animarum, ut si probabiliter fructus aliquis tam pro adducendis infidelibus ad Christianam Religionem, quàm confirmandis, & stabiliendis Catholicis in fidei confessione speretur. Et hoc est quod voluit D. Isidorus *d. cap. 23. ubi supra*: cujus verba si rectè considerentur duo aptissimè explicant. Primum, quando ultrò se quis debeat offerre labori: non enim dixit martyrio (hoc enim directè non licet) sed labori, id est, operi alicui bono cum labore conjuncto, ad quod sequatur martyrium. Secundum, quando declinandus sit ille labor, qui ansam præbet martyrio, quando verò sit amplectendus; licet Scholiastes ibi non fuerit assecutus mentem Isidori. Hæc sub judicio doctiorum.

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM.

LIBRI V

PARS IV.

De Communicatione in genere cum Infidelibus.

DVBIVM I.

An, & quatenus liceat communicare cum Infidelibus tam in conversatione, quam in alijs?

INfideles alij numquam in Ecclesiæ gremio fuerunt, ut Gentiles, & Judæi: Alij fuerunt aliquando in ea, & in illos habet quoddam jus Ecclesia ratione baptismalis characteris, ut hæretici & schismatici. Præterea communicatio, aut contingere potest in actionibus non spectantibus propriè ad infidelitarem, ut in politica conversatione, & convictu &c. aut est in ipsius actionibus infidelitatis, quæ spectant ad cultum superstitiosum, idque vel directè, ut simul cum infidelibus sacrificando idolis; aut indirectè aliquo modo, ut suppeditando infidelibus materiam ad cultum superstitiosum.

Conclusio prima. Nullatenus licet cum infidelibus communicare in aliquo opere infidelitatis directè: nam omnia hujusmodi opera sunt per se mala.

Conclusio secunda. Certum est non licere extra casus necessitatis communicare ullo modo cum infidelibus hæreticis, apostatis, cum sint ab Ecclesia excommunicati: quod tantum intelligi debet, de hæreticis nominatim excommunicatis, juxta tenorem *Extrav. 2.* Ad evitanda de qua nos *infra lib. septimo* latius dicemus, agentes de communicatione cum hæreticis.

Conclusio tertia. Cum infidelibus alijs, qui nec sunt hæretici, nec apostatæ, licitè possunt politicè communicare illi, qui sunt in fide solidi, quoniam tales infideles non sunt excommunicati ab Ecclesia, cum sint extra illam, & aliunde nullum tunc imminet periculum ex illorum conversatione. Qui autem infirmi sunt, non debent cum hujusmodi infidelibus communicare: nam exponerent se periculo, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *artic.* 9.

Conclusio quarta. Licet Catholicis vendere infidelibus ea, quibus constat eos abusuros ad superstitiosum cultum, justa & rationabili causa, ut verbi gratia, vendendo Judæis agnum, instante festo Paschatis, aut idolum alicui gentili. Ita docet Gregor. de Val. *secunda secundæ, quæst.* 10. *punct. quinto,* secutus Sylvest. ver. *Infidelitas,* quæst. quarta. Ubi rectè distinguit de causa, qua inducitur quis, ut rem suppeditet infidelitnam vel illa est rationabilis propter necessitatem aliquam, & tunc licitum erit suppeditare quamcumque rem quocumque modo destinatam ad malum usum, quoniam non tenetur quis cum notabili detrimento suo, consulere spirituali indemnitati alterius, sed potest commoditatem suam spectando negligere lapsum alterius spiritualem, quando non tenetur illum vitare. Si vero quis non habeat causam rationabilem suppeditandi, vel vendendi rem infideli, qua is est abusurus, peccabit suppeditando, quoniam ex charitate tenetur quilibet quantum in se est impedire peccatum proximi, si hoc potest, absque notabili detrimento. Ita docent hi auctores, & existimant distinctionem hanc rationabilis, aut irrationabilis causæ pro regula habendam in hujusmodi, & similibus casibus, quando præbemus materiam peccandi sine intentione, ut possimus discernere quando sit peccatum ex parte nostra, & quando non. Cajetanus verò *Secunda secundæ quæst. 169. artic. secundo ad quartum*, alia usus est distinctione. Aut enim, inquit, quæ venduntur paganis, per se ad superstitiosos eorum ritus, aut ceremonias spectant, ut idolum, vestis sacerdotalis, superstitiosa fana sive synagogæ superstitiosis usibus destinata aut sunt res mediæ, & indifferentes, ut sunt herbæ, flores, animalia, &c. Prioris generis res non licet vendere infidelibus: posterioris verò generis licitè ex mente Cajet. vendi possunt. Hæc circa communicationem cum infidelibus in genere dicta sufficiunt; cetera, quæ peculiariter spectant ad communicationem tam cum hæreticis, schismaticis, Judæis, & Saracenis, quam cum Gentibus habendam suis proprijs locis latius prosequemur.

Greg. de Valent. Sylvester.

Cajetan.

Interim tamen illud animadvertere oportet, ad

ad Missam audiendam non debere admitti infideles, Ethnicos, Judæos, Hæreticos, Excommunicatos, Interdictos, Schismaticos, Incestuosos, Simoniacos, Infames, *Cap.* Cleros *distinct.* 21. & alibi sæpè in jure Canonico habetur expressè. Possunt tamen hi omnes ad prædicationem verbi Dei audiendam cum ceteris admitti, si non sint denuntiati, ut vitentur juxta *Cap.* Episcopus nullum *de consecrat. distinct. prima. Cap.* Judæi quorum, *de consecrat. distinction. quarta* junctis gloss. quæ conciliant capitula quæ videntur contraria; de quo Navar. *Manu. cap.* 25. *num.* 56. & *cap.* 27. *num.* 36. adquintum dubium.

Est tamen inter Infideles, & Fideles excommunicatos, aut interdictos denunciatos specialis differentia: nam propter infideles advenientes non deseritur Missa jam incepta. Propter excommunicatum autem vel interdictum denunciatum adstantem, Missa cæpta est relinquenda, si ante initium sacri Canonis, seu ante consecrationem accedat, donec talis exeat Ecclesiam, monentibus ceteris adstantibus. Quod si nollet exire, ejiciatur ab eis; sed si mutuatur seditio & sanguinis effusio, Missa relinquetur à Sacerdote, omnesque abibunt.

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM

LIBER VI.

De unione Schismaticorum omnium cum Ecclesia Catholica procuranda.

PROLOGVS.

QVemadmodum divinæ charitatis unio, quæ membra Ecclesiæ vivo suo capiti Christo coaptat & adstringit, DEO gratissima est: ita vehementer displicet membrorum divisio, quæ spiritum pacis & dilectionis extinguit. Quamobrem qui inter veros Ecclesiæ filios rem DEO acceptissimam facere cupiunt, in conversionem Schismaticorum, qui ab Ecclesiæ Romanæ corpore seipsos diviserunt, seriò incumbere deberent: quod subjectis rationibus persuaderi videtur.

Prima: Negari planè non potest, quin Ecclesia Latina Græcæ, & alijs Orientis provincijs, ubi schisma grassatur, plurimùm debeat, cùm ab eis pretiosissima bona, antequam scinderetur, receperit. Floruerunt quippe ibi Patres sanctitate ac doctrina celeberrimi, quorum monumentis erudimur, & ad pietatem incendimur. Quis ergo non videat, dolendum esse, quod pars Ecclesiæ nobilium germinum productrix se à summorum Pontificum obedientia subtraxerit? eoque dolore unà cum gratitudinis stimulo ad schismaticorum reductionem non excitetur?

Secunda: Clarissima Concilia in Ecclesia Græca ac Orientali celebrata sunt; & profectò pios animos intimè movet divisio ejus partis, in qua unio tot sanctorum facta, & ad commune totius orbis bonum derivata fuit. Quocirca pro parte illa resarcienda JESV Christi famuli strenuè laborare deberent.

Tertia: Ipsa gentis ruditas summa commiseratione digna est, præsertim si cum vitiorum colluvie conjungatur. Et quidem eò amplius adjuvanda esset, quò saluti propinquior est, cùm minus quàm infideles, à Christo recedat. Ordo enim divinæ charitatis exposcit, ut eò plus dilectionis impendatur, quò quis nobis conjunctior est.

Quarta: Notum est ex schismaticis aliquos hac ætate nostra misisse Legatos, qui summis Pontificibus obedientiæ obsequium redderent, pro his, qui Romam venire nequibant. Et licet postea ad vomitum redierint, fortasse non prorsus tota defectionis causa in eorum fragilitatem refundenda est, cum probabile sit multos ex ipsis in Ecclesiæ obedientia fuisse perseveraturos, si ministros Latinos nacti fuissent.

Denique charitas ipsa validissimam rationem producit, utquo quis DEO conjunctior est, eò fortius omnem divisionem à proximorum animis depellat. In ea verò missione, quæ ad Schismaticos instituitur (ut admixtos Schismaticis hæreticos prætream) pro charitate pugnatur, quodam scilicet prælij genere, quod veros Christi amicos decet: qui ferre non possunt Christi vestem discindi. Atque utinam Ecclesiæ Principes in adunando grege diviso plurimum auctoritatis & operæ, igne charitatis incensi, ponerent, ut fieret Christi vestis contexta per totum, & antiquæ sanctitatis forma rediret.

Schismaticorum autem reductionem in duo præcipua capita dividemus. Primum erit de Græcorum ac Ruthenorum procuranda salute. Deinde de Orientalibus omnibus juvandis, quorum maximus est numerus, Deo dante, dicemus.

LIBRI

LIBRI VI.

PARS PRIMA.

De unione Græcorum ac Ruthenorum cum Ecclesia Catholica.

DVm stetit in Oriente syncerior fides atque simplicitas, ingens fuit Græciæ splendor, tum ob Christiani orbis imperium, quod aliquando in Græcia floruit, tum ob disciplinas ferè omnes, quæ à Græcis ad omnes ferè alias nationes promanarunt. At ubi Græci in superbiam elati, Romanam Sedem omnium Ecclesiarum matrem aspernari cœperunt, divinitùs factum est, ut & imperij splendorem, &, quod majus est, in varios errores prolapsi Orthodoxam fidem amitterent. Pertentatum igitur fuit sæpè ab Ecclesia Latina, tam in Synodis generalibus quàm alijs modis, ut tanta atque adeò præcipua Reipublicæ Christianæ portio, veterum Patrum suorum vestigia terens, ita nobiscum modò sentiret, quemadmodum Apostolorum sæculis una erat atque consentiens. At cum quaterdecies suos Græcia errores agnoverit, adhuc super cordibus eorum manet velamen, ut id quo sæpè convicti sunt, & judicio suo condemnati, confiteri jam nolint. Talis est schismaticis natura & conditio: nam cum pietatis speciem præ se ferat, eaque contenta sit (quo etiam fuco nostri temporis hæretici populos deceperunt) caputque, à quo vitæ spiritualis sensum & motum accipiat, non habeat, vix rationis ullius vim extrinsecus admittit; & si quid veritate cogente admittit, hoc vix diu retinet. Et quamvis nullum fuerit sæculum, in quo non plura & maxima Romana Ecclesia contulerit beneficia in Græcos & Orientales, ut latissimè ac satis eleganter Thomas Bozius *lib. 5. de Signis Ecclesiæ c. 4. & 5.* recenset: id tamen inficiari non possumus, non omnem fuisse adhibitam diligentiam, ut res incepta ad optatum finem perduceretur. Nam si cùm primum absoluta Florentina Synodus, libelli ea de re pro populi captu, & communi lingua per Orientem semel atque iterum fuissent sparsi, illarum saluti aliter esset consultum, fœcundioremque segetem habuisset Ecclesia, quæ ut ita dicam, non potest consolari, quia non est.

Græci quando in schisma lapsi.

Ecclesiæ Romanæ beneficia in Orientales.

Synodus Florent.

Sed & præter *Eugenium IV.* si *Innocentius III. Gregor. X. Alexander VI.* alijque Pontifices hoc negotium aggressi non sola Synodorum convocatione, vel unius hominis Epistolæ ve missione contenti fuissent, sed rem hanc sedulo Apostolorum more ursissent, forsan Ecclesia suo fœtu non esset orbata, ac tam insignes nationes ad pristinam gloriam rediissent.

Verum etsi ex ista tantorum Pontificum diligentia pro Græcorum aliorumque Orientalium conversione adhibita, non tantus extiterit fructus, quantus optandus erat: tamen minimè cessandum erit à solicitudine, ut vinculo Religionis Catholicæ Ecclesiæ jungantur. At verò ut hoc fiat, non est opus unius diei aut legationis: etenim Arca, in qua pauci salvi facti sunt, non nisi 100. annorum spatio, id est, longanimi, & non intermissa perseverantia perfici potuit. Proinde huic rei seriò, ac cum magna animi longanimitate enixè connitendum est, ut fructus subsequatur, & ut Græci vera Religione imbuantur: tum quia inter alios ab Ecclesia Catholica dissidentes, Græcis tanquam conjunctioribus ac domesticis fidei, ac tanquam genti olim florentissimæ, & cujus antiqui Patres Ecclesiam illustrarunt, major quàm alijs cura pro recuperandâ eorum salute debeatur. Quare meritò alloquens cœli incolas, civesque, domesticos DEI exclamat quidam Doctor; Afferte, inquit, opem gratiamque divinam, tum nobis, tum verò mortalibus cunctis, ut ad Ecclesiæ, cujus admirandas & divinas explicavimus virtutes, convolent omnes complexum. Videte quibus Oriens, unde Christianæ Religionis lumen effulserat, nunc tenebris involvatur, quibus miserijs opprimatur. Item Græcia sapientiæ quondam parens, imperij summi sedes, ut altissima circumfundatur caligine, ut durissima servitute, postquam discessit ab Ecclesia, olim cœperit astringi, nunc autem penitus conteratur? Quomodo sedet quasi vidua domina gentium, Regina provinciarum? Evanuit ab illa decor omnis, è sublimi missus est ignis in ejus ossa. Tetendit arcum suum DEVS, quasi inimicus firmavit dexteram suam, quasi hostis occidit omnes, quod pulchrum visu erat in tabernaculis ejus. Non est qui consoletur ipsam ex omnibus caris ejus, omnes amici spreverunt eam, non despectam tamen ab Ecclesia matre, quæ totis eam tutata est, atque adhuc tutatur sola adversus inimicos ejus. In suam domum vocat, illam domum luminis, domum sapientiæ, & omnium bonorum. Si ignoras te, ô pulcherrima nationum, abi post vestigia gregum tuorũ, & pasce illos juxta tabernacula pastoris illius, cui dicit adhuc Christus, *Pasce oves meas*. Vide ut ille brachio suo congreget agnos, in sinu tollat, at fœtos Romæ, & ubicunq; potest, ille gestet? Memi-

Joan. 21.

nisti quoties adversus lupum, qui nunc te tuosque discerpit, dilaniat, devorat, cum maximis suorum copiis, ut te ab amicis tuis desertam defenderet, adcurrerit, advolarit, Revertere in te tandem, revertere, & exemplo filij prodigi, vide quot in domo matris tuæ abundent, tu autem fame peris. Prætendite, ô beatæ mentes, quæ in cœlo degitis, pereuntibus lumen, conciliate illis gratiam divinam, robur cœleste inspirate, miseremini errantium, miseremini pereuntium: tum quia Græcorum schismati & vestigijs non contemnenda mundi pars inhæret: hujus enim sectæ & religionis sunt Moscovitæ, Rutheni, & aliæ nationes: latissimè namque patent eorum ritus & fines: nam ab ortu Solis gaudent Constantinopolitano ac alijs tribus Patriarchatibus; à Septemtrione universo Moscoviæ Patriarchatu & Lituaniæ parte, hoc est, alba Russia & rubra; à Meridie Cypro & Creta, in qua 14. millia pagorum numerantur: occupantque alias quamplurimas gentes, præcipuè verò *Georgianos*, quos *Iberos* appellant Cosmographi, qui omnes, exceptis paucis, qui Romanam Ecclesiam venerantur, ut matrem, iisdem errorum tenebris implicantur.

Pro Græcorum igitur aliorumque Schismaticorum salute procuranda quatuor præstabimus. *Primò* de erroribus, qui Græcis attribuuntur, de Schismatis origine ac confutatione dicemus. *Secundò* de ratione juvandi Græcos, aliosque Schismaticos, eosque ad fidem alliciendi. *Tertiò* in quibus rebus communicatio cum Schismaticis, Catholicis à sacris Canonibus sit permissa.

CAPVT I.

De erroribus, qui Græcis attribuuntur, & de eorum confutatione.

Græcorum errores præcipui.

PRæcipui Græcorum errores, qui illis à Concilio Florentino & alijs imputantur, quinarium numerum non excedunt.

Primo, negant Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio.

Secundò, asserunt Sacramentum Eucharistiæ confici non posse in azymo pane, sed præcisè in fermentato; adeoque tenaciter inhærent his duobus erroribus, ut inter alia perversa dogmata, propter quæ ab Ecclesia Romana descivêre, hæc duo omnino præcipua, & veluti totius dissensionis capita fuerint.

Tertiò, docent nullum esse purgatorium locum, in quo animæ corporibus emigrantes purgentur à sordibus, quas in corpore contraxerant, antequam in æterna tabernacula recipiantur, & ex consequenti nihil prodesse defunctis sacrificia, eleemosynas, & hujusmodi opera pia, quæ à vivis pro illis offeruntur.

Quartò, quòd Sancti post hanc vitam ante diem judicij DEUM facie ad faciem non videant, neque ejus visione fruantur, nec peccatores ante eundem diem inferni supplicijs afficiantur.

Quintò errant, negantes Summum Pontificem Romanæ sedis Apostolicæ caput esse totius Ecclesiæ, ac B. PETRI Apostolorum Principis successorem. Concedunt ipsi quinque esse totius Ecclesiæ primarios, & præcipuos Patriarchas, *Romanum*, *Constantinopolitanum*, *Alexandrinum*, *Antiochenum*, & *Jerosolymitanum*, & inter hos quidem Romanum ordinis quidem & dignitatis primatum habere, ita ut in Concilijs & alijs Conventibus primum locum in sedendo, sententiam dicendo, suffragium ferendo, & subscribendo tenere debeat, sic tamen ut nihil juris & potestatis in alios quatuor, præcipuè vero Constantinopolitanum habeat. Guido Carmelita & post ipsum Gabriel Palæottus de sectis hæreticorum, verbo *Græci*, multos alios errores Græcis attribuunt; licet Lucinianus natione Cyprius, Ordinisque Prædicatorum Theologus, pius & doctus apud Possevinum *Tom. 1. Biblioth. lib. 6. c. 8.* magnam prædictorum errorum partem fuisse Græcis impositam contendat, ut nos etiam obiter hic adnotavimus. *Lucinian. Cypr. Dominic.*

Guido Carmelit. Gab. Palæot.

Ex mente igitur prædictorum Auctorum errant Græci *primò*, affirmantes simplicem fornicationem non esse peccatum contra illud Christi Matth. 5. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidium, adulterium, fornicationes, furta, &c.* quamvis Lucinianus, ubi suprà, excuset Græcos ab hoc errore.

Secundò errant Græci, cùm dicunt eos, qui sunt aliquibus peccatis implicati, cum Eucharistiam suscipiunt, non recipere corpus Domini, contra illud Apost. *Quicunque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indignè, &c.* quibus verbis satis ostenditur, quod peccatores verè illud sumant, licet indignè, & quod judicium accipiant, non dijudicantes corpus Domini: licet Lucinianus falsò hunc errorem Græcis imponi affirmet. 1. Cor. 10

Tertiò primas nuptias admittunt, secundas damnant: in quo clarè Evangelio contradicunt *Matth.* 10. & 19. Si enim alter conjugum mortuus sit, alter solutus est, ut iterum possit nubere. Sed Lucinianus negat damnari secundas nuptias à Græcis; fatetur tamen solere Græcos Sacerdotes in primis benedicere, sed non in secundis. *Matt.* 10. & 19.

Quartò docent nuptiarum fœdus posse pro conjugum arbitrio dissolvi & fieri divortium. Lucinianus tamen apud Possevin. *ubi supra*, affirmat, nunquam inter Græcos permissum fuisse divortium, quo liceret novas quærere nuptias.

Quintò errant, affirmantes Latinos contra Apostolorum præceptum non servare abstinentiam à sanguine & suffocato, non advertentes illud Apostolorum decretum contra idolorum cultores latum fuisse, qui immolatum & idolatritum edebant. Quare tantum illud servandum erit sicut & à Catholicis servatur, ubicunque inter gentes, quæ idola adorant, immolatitia sunt. Porro illo Apostolorum decreto tantum immolatitia & non alia prohiberi docent gravissimi Orientalium Patres, B. Cyrillus Hierosolymitanus in 4. *Catechesi*, D. Greg. Nazianz. *Serm. in sanctum Pascha*, Justin. Martyr. *q.* 45. Origenes *lib.* 8. *contra Celsum*, & alij. *B. Cyrill. Greg. Naz. Just. Mart. Origenes.*

Sexiò

Sextò asserunt Eucharistiæ Sacramentum, in die cœnæ Domini confectum, esse excellentioris virtutis & efficaciæ, quàm alio quolibet die confectum. Hunc tamen errorem falsò imponi Græcis Lucinianus quoque defendit.

Septimò errant Græci cùm Sacramentum extremæ unctionis infirmis quandoque ad corporis quoque salutem prodesse negant: id enim apertè pugnat contra illud Jacobi, qui de hoc Sacramento loquens ait: *Et oratio fidei salvabit*, vel (ut textus Græcus habet) *sanabit infirmum.* Jacobi 5.

Octavò, affirmare etiam Græcos refert Prateolus, *ubi suprà*, non esse peccatum dare aliquid ad usuram, contra illud Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* Et quod deterius est, non esse necessariam rei furto sublatæ restitutionem, ut quis possit assequi vitam æternam: non animadvertentes, *non tolli peccatum, nisi restituatur ablatum. Si quid aliquem defraudavi* (inquit Zachæus) *reddo quadruplum.* Hanc tamen esse calumniam apertam in Græcos docet Lucinianus; nam apud illos asserit hæc verè peccata censeri, atque ab eorum sacerdotibus adigi pœnitentes, ut reddant quod debent. Luca 6. Luca 19.

Nonò, mortua Sacerdotis uxore, credunt Sacerdotem non amplius esse Sacerdotem, quasi ab uxore & non à Christo per Episcopum sacerdotium suscepisset, vel character sacerdotalis esset delebilis. Hunc tamen errorem Lucinianus Græcis imponi apertissimè docet *ubi suprà.*

Decimò, errant Græci existimantes, non licere Christi imaginem sculpi, sed tantum depingi, non animadvertentes sculptilia à DEO fuisse prohibita, ut Judæorum animos pronos, ad idololatriam, ab eadem averteret: Orta vero jam Evangelij luce, secluso que idololatriæ periculo, licet hominibus DEI, Sanctorumque aliorum memoriam omnibus pijs modis sive per imagines depictas sive sculptas excitare, & ad mentem revocare. Hi sunt errores qui Græcis solent attribui.

Adversus Græcorum errores scripserunt in primis ipsius Ecclesiæ Græcæ viri doctissimi, Emanuel Caleta, Patriarcha Constantinopolitanus, Georgius Protosingelus, Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Bessarion Cardinalis Nicænus, qui & postea fuit Patriarcha Constantinopolitanus. Et præcipuè Georgius Scholarius (deinde vocatus Gennadius cum Patriarcha Constantinopolitanus nominaretur) qui cum Synodo Florentinæ cum alijs Græcis adfuisset (ubi omnes de suis erroribus convicti ad Ecclesiæ unitatem redacti sunt, postea verò retrorsum abeuntes omnes ad vomitum reversi sunt) eleganter Græcorum errores confutavit, eorumque calumniis contra Ecclesiam Latinam objectis doctè & piè respondit: cujus opera versa in Latinam linguam habentur *Tom. 4. Bibliothecæ SS. Patrum.* Eman. Cal. Georg. Prot. Theo. Gaza, Georg. Trap. Bessarion. Georg. Scholar.

Ex Latinis verò D. Anselmus Archiepiscopus Cantuar. in *Opusc. de azymo*, Rabanus Maurus de *Institutione Clericorum li. 1. c. 31.* de Sacramento corporis & sanguinis Domini, Hugo Etherianus adversus errores Græcorum ad *Alexandrum tertium* Pontificem Maximum libris tribus, qui habentur *Tom. 9.* Bibliothecæ Sanctorum Patrum, & Chrisolanus Mediolanensis Archiepiscopus de Spiritu sancto, S. Tho. de Aquino *Opusc. 1. & 2.* contra Græcorum errores, & omnes ejus expositiones in primam partem in quæst. celebri de processione Spiritus sancti, Cardinalis Turrecrem. in Expositione decreti de unione facta in Synodo Florentina, & novissimè licet breviter Antonius Possevinus vir pius & doctus in sua Moscovia, Azorius 2. *Tom. Institut. Moral. lib. 4. cap. 14.* Et potissimum, ut alios nunc omittam, sacra Synodus Florentina, ubi Patres doctissimè Græcorum errores confutarunt, eisque pœnitentiam, & obedientiam Ecclesiæ Romanæ præstandam persuaserunt, factaque unionis Bulla ab *Eugenio IV.* Pontifice Maximo Græci discessêre, cum tamen neque ab ipsis, neque à Latinis, tunc fuissent apud Græcorum nationes, neque Concilij Florentini decreta, nec unionis Bulla publicata, quod causa fuit, ut Græci sicut & antea, in suis erroribus permanerent. Anselm. Cant. Rab. Maur. Hugo Ether. Chrisol. Mediol. Archiep. S. Thomas, Card. Turre. Ant. Possevi. Azorius.

CAPVT II.

De origine errorum & schismatis Græcorum.

DIcam nunc breviter de origine schismatis Græcorum. Dum Orthodoxa fides in Oriente vigebat, Græci primatum visibilis hujus ac militantis Ecclesiæ PETRO Apostolo, ejusque successoribus fuisse à Christo Domino collatum, facilè credebant, & confitebantur, ut latius probat Cardinalis Bellarm. *lib. 2. de Roman. Pontif.* in Controversia de Summo pontifice. Quare in Conciliorum confirmatione necessariam Romani Pontificis auctoritatem agnoscebant, & cum vel ab hæreticis, vel ab ipsis Imperatoribus Patriarchæ sive Episcopi aliqua afficiebantur injuria, ad Romanam Sedem, ut defenderentur confugiebant.

Quinimò ex toto terrarum orbe ad eandem veluti ad Petri Sedem Episcopi de rebus fidei, aliisque gravissimis quæstionibus scribebant: atque ad ejusdem Pontificis maximi jussum vel cogebât Concilia, vel coacta petebant, ut confirmarentur. At cum Constantinus Magnus Imperij sui sede Bizantium translata, Romam Christi vicario cessisset; Græci terreni Imperatoris præsentia inflati anno Domini 381. Episcopum Constantinopolitanum, qui antea nec Patriarchalis munere fungebatur, tribus Orientis Patriarchis anteponere, & secundum à Romano Pontifice facere voluêre, sicut ex Concilij Constantinopolitani *Canon. 5.* patet. Nec hoc quidem contenti, anno Domini 451. eundem Constantinopolitanum Episcopum Romano Pontifici parem efficere conati sunt, ut ex *Act. 16.* Chalcedonensis Synodi constat. Prope verò annum 600. Episcopum Constantinopolitanum Oecumenicum, id est, orbis terræ Episcopum sive universalem Pastorem ausi sunt nominare. Ac denique anno 1054. (ut superbia ascendit semper) apertum schisma prodire cœpit, adeo ut solum antea semina jacta viderentur: imperante enim illo tempore Constantino Monomacho, Patriarcha Constantinopolitanus nomine Michael, cupiens re ipsa universalis fieri Patriarcha, cujus dignitatis nomen jam dudum sibi usurpaverant ejus prædecessores, proclamare cœpit Romanum Pontificem, omnesque alios Latinos esse excommunicatos, ob hanc causam, quia Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere asserèrent, & contra decretum Concilij Nicæni in Symbolo illud *Filioque* addidissent. Romano autem Pontifice de prima Sede ejecto, ad se primam Sedem jure pertinere, quia post Romanum primus esset, ajebat. Hæc fuerunt Græcorum schismatis semina: sed quia excæcati tumore superbiæ ordinem à Christo institutum

tutum & honorem Petri successoribus debitum, arripere & perturbare conati sunt, ipsi potius perturbati atque confusi sunt, Turcarum mancipia effecti, bonis litteris, & libris, corporibusque Sanctorum Patrum ipsis ademptis, & ad unam veram Romanam Ecclesiam translatis. Qui plura desiderat de Græcorum Schismatis origine, legat Azorium 2. *Tomo Institut. Moral. lib. 4. c. 18. per totum.*

CAPVT III.

De processione Spiritus sancti Disputatio, in qua ostenditur Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere.

CUm Græci negent Spiritum sanctum à Filio procedere, & conquerantur Latinos ad Symbolum Nicænum addidisse illam particulam (*Filioque*) duo nobis erunt tractanda. Primò probabimos ex scriptura sacra, Concilijs, & Patribus (potissimum Græcis) Spiritum sanctum à *Filio* quoque procedere. Secundo meritò potuisse, & debuisse Latinos particulam illam (*Filioque*) symbolo addere.

De origine hujus erroris & schismatis aliqua licet breviter attigimus supra, nunc brevitati etiam consulentes, scire oportet, olim in symbolo Nicæno & Constantinopolitano nullam mentionem fieri de processione Spiritus sancti à Filio, quia cum in Ecclesia non essent circa hoc exortæ hæreses, non opus fuit in symbolo id explicare: postea verò cùm Orthodoxi omnes unanimi consensu docerent Spiritum sanctum à *Filio* etiam procedere, pertinaciter id negantibus Græcis, addita fuit majoris charitatis gratia, ab Ecclesia symbolo Nicæno & Constantinopolitano illa particula *Filioque*. Quando verò fuerit à Latinis facta illa additio *Filioque*, licet id clarè non constet, verisimilius creditur fuisse factam circa annum sexcentesimum. Nam in Concilio Toletano octavo celebrato circa annum sexcentesimum quinquagesimum tertium, recitatur symbolum cum hac additione: & cum ante hoc tempus, non inveniatur cum illa, ut constat ex Concilio Toletano tertio, anno quingentesimo octuagesimo nono celebrato; signum evidens est, illo medio tempore, fuisse à Romano Pontifice, additionem factam, ut creditur in Concilio ingenti Latinorum Patrum propter dissensiones quasdam exortas inter Galliam & Hispaniam: quamvis non constet quale fuerit illud Concil. ut notavit D. Thom. 1. *p. q. 36. art. 2.* unde quamvis certò non possit explorari, neque locus, neque tempus hujus additionis, certum tamen est, vel in aliquo Concilio generali, vel authoritate alicujus summi Pontificis additam esse.

Ex scripturis ostenditur Spiritum sanctum procedere à Filio.

Joan. 16. Joan. 17. PRimò Joan. 16. *Omnia, quæ habet Pater mea sunt,* inquit Christus. Item Joan. 17. *Omnia tua mea sunt:* id est, quicquid habet, Pater habet etiam Filius, excepta sola Paternitatis relatione, ut Augustinus exponit: sed Pater habet esse principium Spiritus sancti non ut Pater, sed ut Spirator: ergo & Filius id ipsum habet. Deinde si Pater & Filius non haberent omnia communia, excepta relatione opposita, distinguerentur plusquam relatione, & proinde substantia. Nam Pater ut Spirator non est relativum ad Filium: ergo si ut Spirator distinguitur à Filio, distinguitur per spirationem non ut relatio est, sed ut forma quædam in Patre subsistens, & proinde Pater & Filius in substantia differunt, quæ fuit Arianorum hæresis.

Secundò Joan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid accipiet à Filio Spiritus sanctus nisi scientiam? nam paulò ante dixerat vers. 13. *Non à seipso loquetur, sed quæcunque audiet loquetur,* & de scientia exponunt Chrysostomus, Cyrillus, & Augustinus. Quomodo autem potest Spiritus sanctus accipere à Filio scientiam, nisi accipiendo ab illo essentiam? Quicquid enim aliud dicatur, fiet Spiritus sanctus creatura. *Joan. 16.*

Theophil. & Euthymius duas insinuant solutiones. Prima Spiritum sanctum accipere de scientia Filij, quia nihil docet contrarium ijs, quæ docuit Filius. Secunda illud, *de meo,* significare de meo thesauro, qui est Pater, ac si diceret: Accipiet unde ego accepi.

Sed prima solutio non quadrat: non enim solum Christus dicit, *Accipiet de meo,* sed etiam dicit, *Non loquetur à semetipso,* ubi apertè indicat scientiam Spiritus sancti non esse illi à seipso sed à Patre, & Filio: Deinde ipse Christus rationem reddit quare dixerit, *accipiet de meo;* quia *omnia, quæ habet Pater,* inquit, *mea sunt.* Quæ ratio non videtur quid valeat, nisi admodum extorqueatur textus, si sensus non sit, accipere de Filio Spiritum sanctum, ut accipit à Patre. Secunda solutio etiam non satisfacit: Nam thesaurus scientiæ in Deo non est persona Patris præcisè ut persona, sed essentia divina, quæ est communis Patri & Filio. Thesaurus enim, & scientia perfectionem absolutam significant, perfectio autem absoluta ad essentiam spectat. Quare Paulus ad Coloss. 2. *In Christo,* inquit, *omnes thesauri sunt scientiæ & sapientiæ Dei.* Spiritus ergo accipiens de hoc thesauro accipit de re communi Patri, & Filio. *Coloss. 2.*

Quæres, quare dixerit *de meo,* & non potius *meam essentiam,* aut *sapientiam,* &c. & cur ait in futuro *accipiet;* & non in præsenti; *accipit.* Respondeo *de meo,* dixisse; quia Spiritus sanctus non accipit Filiationem, sed essentiam, & proinde non totum id, quod est in Filio accipit. Dixit autem *accipiet* in futuro, quia acceptio illa est æterna, & continet in se virtute omnia tempora; Scriptura autem tempora exprimit prout res de qua agitur postulat; hoc autem loco describitur Spiritus sanctus tanquam legatus à Patre, & Filio mittendus ad Apostolos; legati vero tunc instruuntur, cum mittuntur, ideo dicit, *quæcunque audiet, & de meo accipiet.*

Tertiò Joan. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: Si autem abiero mittam eum ad vos.* Item cap. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Missio autem tantùm esse potest, aut per imperium, quomodo mittuntur servi à Dominis; aut per Consilium, quomodo dicuntur mitti, qui instruuntur à sapientioribus; aut per modum causæ, cujus gratia, quomodo mittit ad bellum, cujus meritis sit bellum: aut per modum consensus, qua ratione mittit, qui consentit mitti, vel quia res tantum *Joan. 16. Joan. 15.*

tum mittuntur ejus, qui dicitur missus, sicut qui diceretur mitti, quando mittuntur insignia ejus. Denique aut per naturalem productionem, quomodo arbores dicuntur emittere flores.

Primò & secundò modo Spiritus sanctus non potest dici à Filio mitti, cum non sit inferior, aut potentia, aut sapientia Filio. Neque tertiò & quarto, tum quia hoc non est nisi impropriè mitti, tum quia etiam dici posset Patrem mitti à Filio, quia filius est etiam causa suis meritis, & consentit ut ad nos veniat Pater. Quintò quidem contendunt Græci Spiritum sanctum mitti à Filio, scilicet quod Spiritus sancti dona nobis largiatur Filius: sed aberrant, tum quod non solum dona dentur Spiritus sancti, sed etiam ipse Spiritus sanctus ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ecce distinctionem inter dona ipsa, & Spiritum sanctum. Deinde si mittere Spiritum sanctum sit tantum mittere dona, Pater mittetur etiam à Filio, & Spiritu sancto: quia quælibet persona est auctor omnium donorum. Denique pari ratione dici posset, mitti Filium à Patre, nihil aliud esse, quàm mitti Filij dona, & sic eluderetur Incarnationis Mysterium.

Joan. 20 Quartò Joan. 20. *Insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum*, hac enim cæremonia voluisse Christum declarare Spiritum sanctum ab illo procedere, docent August. *lib. 3. in Maxim. cap. 14.* Cyrill. *12. in Joan. c. 56.*

Matt. 10. Rom. 8. Quintò eodem modo in scriptura dicitur Spiritus sanctus Patris Spiritus, & Filij Spiritus; *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Rom. 8. *Si quis spiritum Christi non habet.* At dicitur *Spiritus Patris*, quia à Patre procedit: ergo similiter dicetur *Spiritus Filij*, quia ab ipso procedit.

Nec respondere possunt dici Filij Spiritum, quia simul cum Filio à Patre procedit, vel quia est Filio similis. Nam sicut non obstante relatione Spiritus sancti ad spirantem diceretur Filij Spiritus sanctus, eo tantùm quod procedant ambo à Patre, vel quia similes in natura: pari ratione dici posset Christus Spiritus sancti Filius, & verbum non obstante relatione ad Patrem, & dicentem, quia simul etiam ambo à Patre procedunt, & item in natura similes.

Idem probatur ex Concilijs.

EAdem fidei veritas definita est in Concilijs. Et in primis Concilium Ephesinum in Epistola totius Concilij ad Nestorium his verbis definivit: *De Spiritu quoque cum dicit: Ille me clarificabit: hoc rectissimè sentientes unum Christum Dominum, & filium non velut alterius egentem gloria, confitemur à Spiritu S. gloriam consecutum, qui ejus spiritus nec melior, nec superior ipso est. Sed quia humana opera faciens ad demonstrationem sua Deitatis virtute proprij Spiritus utebatur, ab ipso glorificari dicitur, quod virtus sua, vel disciplina qualibet unumquamque clarificet. Quamvis enim ipsa sit substantia spiritus ejus, & intelligatur in persona proprietas, juxta id quod spiritus est, & non Filius, attamen alienus ab illo non est: Nam spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est. Unde & ab isto similiter, sicut ex DEO Patre procedit. Denique hic ipse Spiritus etiam per Sanctorum manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens Dominum clarificavit JESUM Christum postquam ascendit in cælum. Nam creditus est Christus natura DEUS existens per suum Spiritum virtutes efficiens, ideoque docebat, De meo accipiet, & annunciabit vobis. Nequaquam verò participatione alterius idem Spiritus sapiens, aut potens dicitur, quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono: nam paternæ virtutis, & sapientiæ, id est, Filij, spiritus creditur; & ideo ipsa vi, & subsistente virtute virtus, & sapientia comprobatur.* Hactenus Concilium. Cum enim Nestorius Christum hominem distinctum suppositum astrueret à Filio Dei, nec beatam Virginem DEI genitricem confiteri vellet: cumque illum errorem etiam inde probare contenderet, quod Christus homo fuerit à spiritu S. clarificatus, ut ipsemet & *Joan. 16.* prædixerat ea sententia, *Ille me clarificabit*, &c. explicat Conc. quanam ratione Christus à spiritu S. sit clarificatus, addens eum Spiritum esse Spiritum Christi, quatenus Christus est DEI Filius, à quo etiam, inquit, sicut ex DEo Patre procedit.

Quod autem Epistola illa non fuerit solius Cyrilli, sed totius Ephesinæ Synodi, constat in primis ex verbis illis ad initium ejusdem Epistolæ: *Religioso, & Deo amabili Nestorio, Cyrillus, vel quicunque sunt apud Ephesinam synodum.* Fit autem in ea peculiaris mentio Cyrilli, quoniam auctoritate *Cælestini* Papæ præsidebat toti Concilio. Constat deinde, quoniam ex sequentibus Concilijs generalibus in Græcia celebratis est manifestum, Patres illius Concilij fidei defensionem adversus Nestorium confecisse, quæ sanè nulla alia est in ea Synodo, quàm ea, quæ in ea Epistola continentur. Nam fidei confessionem, quam ejus Concilij Patres fecerunt, in qua fusius, ut errores Nestorij flagitabant, exponuntur Nicænæ, Constantinopolitanæque Synodi confessiones: eam, inquam, confessionem unà cum tredecim Anathematismis in Epistolæ formam redactis ad eundem Nestorium absentem, si fortè resipisceret, tanquam ad amicum benignè direxerunt.

Accedit præterea, quod ex eisdem Concilijs, quæ sunt in Græcia consecuta, certum est, quæ continet ea Epistola fidei definitiones esse. In *Concilio* enim *Chalcedonensi, actione quinta* in prima fidei definitione suscipiunt Patres tanquam fidem orthodoxam ea, quæ in tribus præcedentibus Concilijs generalibus definita fuerunt: scilicet in Nicæno, Constantinopolitano, & Ephesino. Cumque ad Ephesinam ventum est, adjicitur sequens sententia: *Statuimus etiam S. Synodum Ephesi factam, cujus fuerunt auctores venerabilis memoriæ Cælestinus Romæ urbis, & Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdotes.* In secunda vero fidei definitione additur beatissimi quondam *Cyrilli* Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdotis Synodicas Epistolas, tam ad Nestorium, quam ad ceteros per Orientem congruas, & sibi consentientes suscipit, ad confutationem quidem Nestorianæ amentiæ, & ad interpretationem eorum, qui religioso zelo salutaris symboli cupiunt intellectum. In *quinta* præterea *Synodo, actione quinta anathematismo 13. & 14.* feriuntur anathemate, qui repugnarint definitis à S. Synodo Ephesina, & beato CYRILLO, sitque manifesta mentio de contentis in Epistola ad Nestorium. In *sexta* etiam *act. 7.* in definitione fidei Orthodoxæ suscipiuntur Epistolæ synodicæ, quæ à B. *Cyrillo* scriptæ sunt adversus impium Nestorium, & ad Orientales Episcopos, & denique ea omnia, quæ à quinque præcedentibus Concilijs universalibus definita fuerant. Quo fit, ut dogma de processione Spiritus sancti à Filio in tertia Synodo generali fuerit definitum, & in tribus sequentibus in Græcia celebratis confirmatum, ac subscriptum.

Eandem veritatem statuit Concilium Lateranenſe

nense secundum, sub *Innocentio* tertio *Cap.* firmiter *de sum. Trin. & fid. Cath* his verbis *Pater à nullo, Filius à Patre, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque.*

Item in *Conc. Lugdunensi Cap.* fideli *de summa Trinitate, & fide Catholica lib. 6.* ubi *Gregorius X. Fideli*, inquit, *& devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus aeternaliter, ex Patre, & ex Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus inspirationibus, sed una inspiratione procedit. Hoc professa est hactenus, praedicavit, & docuit Sancta Romana Ecclesia, mater omnium Fidelium, & magistra. Hoc habet Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum Latinorum pariter, & Graecorum incommutabilis, & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragibilu praemissa veritatis ignorantiam in errores varios sunt prolapsi. Nos sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes, qui negare praesumpserint aeternaliter Spiritum sanctum ex Patre, & Filio aeternaliter procedere, sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.* Hæc Gregorius X. in eo Concilio.

Accedit Concilium Florentinum, cui Joannes Palæologus Græcorum Imperator, Patriarcha Constantinopolitanus, & multi alij Episcopi Græcorum interfuêre, ubi post longam disputationem communi Latinorum, & Græcorum consensu *Sess. ultima* in litteris sanctæ unionis, Decreto de processione Spiritus sancti sequens definitio edita est: *Approbante hac sacra Synodo Florentina, definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, quia Spiritus sanctus à Patre, & Filio aeternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex utroque aeternaliter, tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedit, Declarantes, quod id SS. Doctores, & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos verò principium subsistentia Spiritus sancti sicut & Patrem. Et quoniam omnia, quae Patris sunt ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est.* Hæc Florentina Synodus. In ejusdem litteris sanctæ unionis legere licet rationem, qua Græci, & Latini ad concordiam venerunt. Cum enim utrique explicarunt, quod antea dicebant, inventum est eos solis verbis dissensisse, cum Græci non se satis explicarent, nec intelligerent Latinos, crederentque eos in ea esse sententia, ut dicerent Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio tanquam à duobus principiis, & distinctisque spirationibus, quod nunquam asseruerunt, ut patet ex *Conc. Lugdunensi*, ubi contrarium fuerat definitum.

Divus *Antoninus* tertia parte suarum *historiarum titulo 22. cap. 13. §. 13.* refert nullum ferè fructum ex ea concordia fuisse sequutum, eò quod Græci non curaverint eam definitionem populo tradere, quin potius Episcopi, & Sacerdotes, qui Conc. pœnitentes non adfuerunt, in eodem errore suo permanserint, & mortuo Joanne Palæologo per sequentis Imperatoris creationem ad statum pristinum errores Græciæ redierint, unde perseverant adhuc Græci ab Ecclesia Romana divisi, non minus, quàm ante Concilium Florentinum. Addit D. Antoninus in pœnam tanti delicti 14. anno sequenti post Concilium Florentinum, Constantinopolim videri captam à Turcis, & patrò post totam Græciam.

Eandem veritatem statuit Concilium Toletanum primum in *Confessione Fidei* cum dicit, *Spiritum quoque esse paraclitum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre, Filioque procedens.* Fuit vero Conc. hoc confirmatum à *Leone primo.* Cujus auctoritas congregavit, firmavitque Conc. Chalcedonense. Idem affirmat *Leo* primus *sermone secundo in Pentecosten.* Idem Toletanum tertium *anathematismate tertio*, Toletanum quartum *cap. 1.* Toletanum sextum *cap. 1.* Toletanum octavum in *Symbolo Fidei*, demum Toletanum undecimum in *professione Fidei.*

Ex Patribus Græcis idem statuitur.

EAndem veritatem non solùm Latini omnes semper constanter asseveraruntsed etiam (ut ex Conc. Lugdunensi, & Florentino constat) præcipui Græci Patres: in quorum numerum referuntur, quotquot Ephesinæ & tribus sequentibus Synodis generalibus in Græcia celebratis interfuerunt. Et quamvis Græci Patres in duas soleant classes dividi, quod alij Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere ferè eisdem verbis ac nos disertè fateantur; alij autem, licet in verbis Latinorum non consentiant, re tamen ipsa nihil differant, dum docent Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere. Utriusque classis Patrum testimonia referam.

In primis S. Athanasius: *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Hæc ille in *Symbolo.* Quod Athanasij esse patet: primò, quia Nazianzenus *Oratione de laudibus Athanasij* dicit eum composuisse perfectam fidei confessionem Occidenti, & Orienti notam. Secundò, quia Augustinus in *Psal.* 120. citans nominatim Athanasium Episcopum Alexandrinum, integrum versiculum hujus Symboli adduxit, & suppresso Athanasij nomine, utitur hujus Symboli sententijs *lib. 5. de Trinit. 8. Epist.* 174. *Enchirid. cap.* 36. passim, ut in Ecclesia notissimi.

Non fuisse autem particulam, (*Et Filio*) additam huic symbolo, hinc constat, quod habeatur in Græco; & quod Toletan *quartum cap. primo* recitat confessionem fidei ferè ad verbum, sumptam ex hoc symbolo, in qua hæc particula habetur. Quare cum Græci non haberent quid respondere ad hoc testimonium, dicebant, teste Gennadio *lib.* pro defensione Concilij Florentini *cap. primo sect. quinta* Athanasium fuisse ebrium cum hæc scripsit.

Idem quoque Athanasius *serm. quarto* contra Arianos affirmat Spiritum sanctum accipere à verbo. In Epistola ad Serapionem Episcopum de Spiritu sancto, sic loquitur: *A Patre dicitur procedere, quoniam à verbo Patris desumit, & mittitur, & donatur.* Et infra: *Spiritus porro à Filio accipit: de meo enim (inquit) accipiet & annuntiabit vobis.* Et paucis interjectis: *Cum igitur istius modi ordinem, & naturam habet Spiritus ad Filium, qualem filius habet ad Patrem, qui fieri potest, ut qui Spiritum sanctum creaturam dicit, non illud idem necessario, & de Filio sentiat?*

Sanctus Cyrillus in illud Joëlis: *Effundam de Spiritu meo*, hæc habet: *Quatenus enim DEUS ex DEO naturaliter est Filius, genitus enim est ex Deo patre, proprius ipsius, & in ipso, & ex ipso est Spiritus, sicut profecto & ex Patre ipso intelligitur.* Idem in *Exposit. 9. Anathematismi*, sic ait: *Factus homo unigenitus Dei Filius man-*

sit

sit quoque DEUS, omnia quæ Pater habens præter esse Patrem, propriumque sibi, qui ex ipso, & ipsi innatus est Spiritus sanctus. Idem etiam in *Apologia* ad Theodoretum, ait: *Procedit enim sicut ex DEO Patre Spiritus, juxta Salvatoris vocem, non tamen alienus à Filio est. Omnia enim habet cum Patre, & idcirco dictum quoque est illud: De meo accipiet.* Et in *lib. ad Palladium* per interrogationem, & responsionem, ait: *Mutabilis haud quaquam est Spiritus sanctus, vel si ipsum mutari intelligit, in ipsam Momus divinam resultabit naturam; si DEI Patris est, nec non & Filij, substantialiter ex ambobus, hoc est ex Patre per Filium effusus Spiritus.* Et in quinto ad Hermiam, inquit: *Cujus proprium esse dicimus Spiritum sanctum? Num solius DEI Patris? vel certè Filij? an verò utriusque divisim, & amborum tanquam unum ex Patre per Filium propter identitatem essentiæ?* Hermia respondet, *ita ajo, amice*, Et Cyrillus, *rectè.*

Sanctus Epiphanius in *Anchorato* apertissimis verbis: *Spiritus sanctus ex Patre, & Filio tertius appellatione.* Et ibidem: *Uterque habitat in homine justo, Christus, & Spiritus ipsius. Si ergo Christus ex Patre creditur DEUS de DEO, & Spiritus à Christo, vel ex ambobus, ut Christus ait: qui ex Patre procedit, & ille de meo accipiet.* Et ibidem: *Atqui dicet aliquis: Ergo dicimus duos Filios esse, & quomodo Christus unigenitus? Nequaquam. Tu verò qui es, qui contraria de eo dicis? filium vocat ex se. Spiritus autem sanctus ab utrisque.* Et ibidem: *Spiritus sanctus, Spiritus veritatis est, lumen tertium ex Parte & Filio.* Et rursus: *Quemadmodum enim nemo novit Patrem, nisi Filius, neque Filium, nisi Pater: ita dicere audeo, quod neque Spiritum nisi Pater, & Filius à quo procedit, & à quo accipit. Neque Filium neque Patrem nisi Spiritus sanctus glorificans verè, & docens omnia, qui ex Patre & Filio est.*

Sanctus Basilius Magnus in *tertio contra Eunomium circa principium*, adeo clarè, & luculenter de veritate hujus articuli disputat, ut Græci quidam temerario ausu tanti Patris auctoritatem pertimescentes non dubitarint verba quædam sancti Doctoris expungere, atque alia de suo addere, sicuti nunc in excusis legitur libris. Locus verò integer, Basilii proculdubio stylum, & grandiloquentiam redolens, à Bessarione recitatur, qui se illum Constantinopoli legisse, ait, in pluribus vetustissimis manuscriptis: *Quæ enim necessitas si ordine, & dignitate tertius est Spiritus sanctus, tertium quoque esse natura? dignitate enim secundum esse à Filio, esse ab ipso habentem, & ab ipso accipientem, & nuntiantem nobis, atque omnino ab illa causa dependentem tradit nobis pietatis sermo,* &c. Et contra Eunomium *lib. quinto cap.* cui titulus: *Quare Spiritus sanctus non est Filij filius?* respondet hoc pacto: *Non quia per Filium à DEO non sit, sed ne Trinitas infinita multitudo censeatur, & ex filiis filios, ut in humanis fit habere putetur.* Idem in eodem cap. *Propterea esse quidem Spiritum ex DEO manifestè declaravit Apostolus dicens, quod Spiritum, qui à DEO est, accepimus. Per Filium autem elucere clarè docet ubi Spiritum ipsum Filij nominat, sicut & DEI Patris.* Constat autem legentibus Basilii verba Patrem hunc loqui de æterna Spiritus sancti productione. Nam illud *elucere*, vel *eluxisse*, quod Græci de temporali missione, malè interpretantur, sæpè Basilius ipse pro ipsa Spiritus sanctus *processione ad intra* ut vocant, explicanda usurpavit.

Sanctus Joannes Damascenus *lib. 1. de fid. Orthod. cap. 13.* hæc habet: *Ipse igitur Pater mens est, verbi abyssus, verbi genitor, & per verbum producto Spiritus manifestativi Spiritus.* Et rursus: *Spiritus autem sanctus occulta divinitatis, Patris manifestativa virtus, ex Patre per Filium procedens, ut ipse novit, non generationis modo.* Idem in fine capitis ait: *Spiritus Patris cum ex Patre procedat, & Filij quoque est Spiritus, non tanquam ex ipso, sed tanquam per ipsum ex Patre procedens, solus enim Pater causa est.* Porro illud (*per*) singularem causæ, seu principii naturam, & verba ipsa Damasceni non obscurè indicant, & testatur Basilius magnus *cap. 8. lib. de Spiritu sancto* ad Amphilochium his verbis: *Quod per Filium creet Pater, neque imperfectam Patris creationem, neque impotentem Filij denotat operationem, sed unitam ipsorum voluntatem significat.* Quare vox illa (*per Filium*) originalis causæ confessionem continet, non autem ad coarguendam efficientem causam sumitur. Hoc etiam fusè Basilius *cap. 5.* ad Amphilochium.

Idem docet Chrysostomus explicans illa verba: *Omnia per ipsum facta sunt*: ait enim; *Quod enim sic per ipsum dictum est, nullam aliam ob causam dictum est, quam ut ne Filium aliquis ingenitum suspicetur.* Ergo juxta horum Patrum sententiam vox illa (*per Filium*) accipienda est, ut originalis in Patre principii significativa. Hoc vero loquendi modo sæpissimè usus est Basilius Magnus, qui accuratissimè, ac plenissimè scripsit de Spiritu sancto, tum in quinque adversus Eunomium libris, tum in libro, quem de Spiritu sancto scripsit ad Amphilochium; præsertim verò *cap. 18.* ubi de Spiritu sancto ita disserit: *Igitur DEI cognitionis via est ab uno Spiritu per unum Filium, ad unum Patrem, & è converso. Naturalis bonitas, & quæ secundum naturam est sanctificatio, & regia dignitas à Patre per unigenitum ad Spiritum pervenit.*

Sanctus quoque Maximus in Epistola illa, quam citant Græci Patres, Conc. Florentini declarat simul, ac tuetur dogma, & loquendi modum Ecclesiæ Romanæ, ait enim, quod Latini dicunt *ex Filio* idem esse, quod Græci *per Filium*, illumque loquendi modum, Latinos, inquit, dicere, sumptum esse à Patribus tam Græcis, quam Latinis. Præterea explanans quid sibi velit aureum Zachariæ Prophetæ candelabrum, & lucerna, hæc ait: *Spiritus enim sanctus ut natura coessentialis est DEO Patri, ita & Filio secundum substantiam est, quippe qui ex Patre essentialiter per Filium genitum ineffabiliter procedit.* Ex his duobus loquendi modis & ex Filio, & per Filium Maximus, & Damascenus, sed præcipuè posterior hic primum secundo postposuerunt. Imò Damascenus non vult esse dicendum *ex Filio*, sed *per Filium.* Quapropter Græci Patres Concilii Florentini, & præcipuè Patriarcha Joseph, ut habetur *Sessione 25.* post longas disputationes, & Sanctorum Patrum lectiones hujusmodi tandem protulit sententiam, cui Græci omnes acquieverunt.

Postea quam audivimus dicta Sanctorum Patrum Occidentalium, & Orientalium, quorum alia Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedere dicunt. Alia vero ex Patre per Filium, tametsi per Filium, idem est, quod ex Filio; & ex Filio, idem est quod per Filium; Nos tamen illud ex Filio omittentes dicimus Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium ab æterno, & substantialiter, ut ab uno principio, & causa præpositione, per, in præsenti in Spiritus sancti processione significante causam.

Quapropter videbatur illis inter præpositiones, *per*, & *ex*, hoc esse discrimen, quod Præpositio, *ex*, primum præsentiale, & procatarcticum, ut Græci vocant, principium denotat. *Per* vero,

duo simul connotat, & secundæ personæ actionem, & primæ, hoc est Patris suppositionem, vim, & actum producendi Filio communicantis. Atque in hoc communem Græcorum Patrum dicendi modum, sed præcipuè Maximi, & Damasceni sequuti sunt.

Ejusdem etiam sententiæ fuit Dydimus *lib. 2. de Spiritu sancto* (habetur inter opera D. Hieronym.) Cyrill. Hierosolym. *Catech. 16.* & 17. Nazianzenus *Orat. 24.* & expresè Chrysostomus *Homilia 1.* & *2.* de Symbolo *Tom. 5.* Philo à sancto Epiphanio Episcopus ordinatus in *lib. enarrationum in Cantica primo Tomo* Bibliothecæ, ac denique Gregorius Thaumaturgus, & Nyssenus referens ejus vitam, quatenus dicunt Spiritum sanctum esse imaginem Filii, ac denique omnes antiqui Patres Græci, excepto Theophylacto.

Sed Græci nobis objiciunt Damascenum primo *lib. fidei Orthodoxæ* ad finem *cap. 11.* ubi ait: *Spiritum sanctum & ex Patre, & spiritum Patris nominamus, ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus.* Quibus verbis videtur apertè docere Spiritum sanctum ex Patre procedere, non verò ex Filio. Respondemus Damascenum, se verbis quæ continuò sequuntur exponere, neque ea in re à reliquis Patribus dissentire. Subjungit namque: *Sed spiritum Filij nominamus, (Si quis enim Spiritum Christi non habet, divinus inquit Apostolus, non est ejus) & per Filium apparuisse, & nobis traditum confitemur. Insufflavit enim, & dixit discipulis suis: Accipite Spiritum sanctum. Quemadmodum autem ex sole radius, & splendor (ipse enim fons est & radij & splendoris) atque per radium nobis splendor tribuitur, & ipse est, qui illuminat eos, & participatur à nobis. Porrò Filium neque Spiritum esse dicimus, neque etiam ex Spiritu.* Hactenus Damascenus. Ex quibus verbis constat eam esse Damasceni mentem, ut dicat Spiritum sanctum esse Spiritum Filii, cum tamen è contrario (ut rectè subjungit) nec dicamus Filium esse Spiritus sancti, nec esse ex Spiritu sancto, eò quòd Filius nihil prorsus accipiat à Spiritu sancto: accipit autem Spiritus sanctus à Filio. Patet etiam Damascenum ostendere velle, ut Spiritus sanctus per Filium à Patre procedat, sicut splendor proficiscitur à sole per radium. Unde addit Spiritum sanctum per Filium apparuisse, & nobis esse traditum tanquam eum, qui à Filio, ut splendor à radio emanarit: Ideoque Christum insufflasse, quasi qui ex se emitteret, produceret, daretque Spiritum sanctum, dixisseque discipulis: *Joan. 20.* *Accipite Spiritum sanctum.*

Ut ergo Bessarion *Cap. 7.* suæ orationis rectè notavit, ea ratione dumtaxat Damascenus, & nonnulli alii ex Græcis, affirmant Spiritum sanctum procedere ex Patre per Filium, non secus, ac splendor procedit à sole per radium. Renuunt verò concedere procedere ex Filio, quoniam apud eos dictio (ex) denotat emanationem ab aliquo tanquam à prima origine, & fonte, quo pacto Spiritus sanctus à solo Patre procedit, quoniam is solus à se, & non ab alio habet vim, qua spirat Spiritum sanctum. Verum quia Filius spirandi vim sicut & reliqua accepit à Patre per generationem æternam, haud secus quàm radius à sole accipit vim fundendi splendoris, idcirco licet Spiritus sanctus proficiscatur à Filio, sitque ejus Spiritus, quin etiam ab eo detur, & mittatur, renuunt tamen aliqui Græci Patres concedere hanc propositionem, *Spiritus sanctus procedit ex Filio*, licet concedant hanc aliam, *Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium*, tanquam per suppositum, & causam intermediam inter Patrem, & Spiritum sanctum, eo modo, quo radius media causa est inter solem & splendorem. Atque id dicunt denotare dictionem, *per*, unde sicut, quia radius principium est intermedium à quo emanat splendor, concedimus splendorem esse radii splendorem, non verò radium esse radium splendoris: ita vult Damascenus, ut dicamus Spiritum sanctum esse Spiritum Filii, non vero Filium esse Spiritus sancti, aut de Spiritu sancto.

Ex hactenus dictis facilè intelligitur eos Græcos, qui à Latinis dissentire videntur, solis verbis differre, esseque facillimam inter utramque Ecclesiam concordiam, longè tamen melius loqui ad rem, de qua agitur, Latinos, eosque Græcos, qui cum Latinis conveniunt.

Primum & secundum patent ex eo, quia neutri negant Spiritum sanctum accipere suam essentiam, ac esse subsistens, procedereque à Filio tanquam à supposito intermedio inter Spiritum sanctum & Patrem. Neutri item negant Patrem non ab alio, sed à seipso habere, quod Spiritum sanctum producat, Filium vero id ipsum sicut etiam cætera à Patre accipere. Utrique etiam affirmant Patrem, & Filium non esse plura principia, sed unum tantum Spiritus sancti: nec spirare Spiritum sanctum distinctis, sed una tantum spiratione: licet Pater id habeat à se, Filius à Patre, Spiritus sanctus ab utroque, seu quod idem est à Patre per Filium. Solum ergo differunt Græci quidam à Latinis in eo, quod Græci nolunt spirationem Spiritus sancti vocare processionem ex Filio, sed ex Patre per Filium; Latini verò vocant eam spirationem, processionem ex Filio, quæ sanè quæstio est de solo modo loquendi.

Solvuntur argumenta Græcorum.

PRimum Græcorum argumentum ex verbis illis Joan. 15. *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, conficitur. Cum enim in iis tam apertè Dominus dixerit Spiritum sanctum à Patre procedere, & non addiderit etiam à Filio, temerarium omnino videtur asserere ab eo produci. *Joan. 15.*

Respondeo cum Augustin. *lib. 3. contra Maxim. c. 14.* solum nominari Patrem, non ad excludendum Filium, sed quia Pater est auctor principalis Spiritus sancti, eò quòd ab ipso Filius potentiam habeat seu virtutem spirandi. Non excludi verò Filium, probatur ex similibus scripturæ loquendi modis. Matth. 16. *Caro* (inquit) *& sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis*, in quibus verbis etsi solus nominetur Pater, non tamen propterea aliæ excluduntur personæ, cum ea revelatio facta fuerit à tota Trinitate. Item de Spiritu sancto dicitur, *Ille vos docebit omnia*; & tamen Pater & Filius etiam omnia docent, imò, ut *lib. de processione Spiritus sancti* ratiocinatur Anselmus, etsi dictum esset, Nemo producit Spiritum sanctum nisi Pater, nec etiam excluderetur Filius, sicut nec in illis Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater*, non excluditur Filius & Spiritus sanctus à cognitione Filii. Dici præterea ulteriùs posset, in prædictis verbis manifestè Filium poni, cum Christus dicat missurum se Spiritum sanctum, & missio in divinis, processio sit naturalis.

Secundum. In Concilio Ephesino lectum est symbolum Nestorianorum, & liber Theodoreti contra anathematismos Cyrilli, ac in utroque habetur expresè, Spiritum sanctum non procedere à Filio. Cum verò PP. Concilii tacuerint, omnino

omninò approbasse videntur eam sententiam.

Respondeo, in eodem Concilio, & in quarto, ac quinto lectam fuisse Epistolam Cyrilli cum anathematismis ad Nestorium, in qua bis habetur Spiritum à Filio habere suum esse, & PP. non contradixerunt : ergo (retorquendo argumentum) approbaverunt. Deinde Theodoretus negavit Filium procedere etiam per Filium, quod tamen Græci non asserunt. Igitur si quid valet eorum argumentum, Concilium approbavit sententiam illis contrariam. Denique ipsum Concilium satis suam significavit sententiam, cùm summo consensu probavit totam Cyrilli doctrinam, & contrariam Theodoreti, & Nestorianorum damnavit.

Tertium, ex Dionysio *Cap.* 2. de Divin. nominibus *p.* 1. desumitur, ubi ait : *Solus fons supersubstantialis Deitas est Pater.* Respondeo dici solum fontem, non quomodocumque ; sed quia non habet aliunde divinitatem: Filius autem dicitur etiam fons, sed de fonte, sicut DEUS de DEO. Ita Epiph. *Hæres.* 69.

Quartum. Basil. Epist. 43. *Nullam* (inquit) *secundum propriam notionem communionem habet Filius cum Patre* ; ergo non convenit cum Patre in spiratione.

Deinde ait, proprium notionem Spiritus sancti esse, quod per Filium, & cum Filio cognoscatur, & ex Patre subsistentiam habeat.

Ad primum locum Respondeo, non loqui Basil. de qualibet notione, sed de notione, quæ est proprietas, nempe filiatione : spiratio enim non est proprietas, Filius autem in filiatione nullam revera habet communionem cum Patre.

Ad secundum esse pro nobis, si benè intelligatur : non enim vult dicere Spiritum sanctum cognosci ex doctrina, & prædicatione Filii : nam eo in loco disserit de distinctione personarum intima, & æterna, quæ non debet sumi à temporali nostra cognitione, sed cognosci per Filium, & cum Filio, ut relativum per suum correlativum. Nam paulò antè dixerat, Spiritum sanctum ex Filio pendere, & non posse unum sine alio cogitari (quod est proprium correlativorum,) & proinde Spiritum sanctum esse à Filio. Nemo enim dicit Filium esse à Spiritu sancto.

Quintum. Omnia quæ habet Pater, habet etiam Filius, excepta causalitate, ait *Orat.* ad Episcop. qui venerant ex Ægypto, Nazianzenus.

Respondeo, non loqui de quacumque causalitate, sed de causalitate Patris erga Filium : vult enim dicere omnia quæ Pater habet esse Filii, exceptis iis, quæ sunt propria Patris. Ita enim postea confert etiam Spiritum sanctum cum Filio, *omnia* (inquit) *quæ habet Filius, habet Spiritus sanctus, excepta filiatione* : id est, excepta proprietate personæ, à qua procedit sive producitur.

Sextum. Leo tertius Papa, qui post additionem, *Filioque*, in symbolo factam vixit, (ut testis est Petrus Lombardus 1. *dist.* 11.) jussit scribi ad fidei cautelam in tabula argentea symbolum Constantinop. sine additione illa, & poni in altari post corpus sancti Pauli: ergò illam additionem abstulit

Respondeo Pontificem dedita opera hoc fecisse, ut servaretur memoria Constantinopolitani symboli, quale fuerat, & ut intelligerent omnes non damnari illud Symbolum, nec esse contrarium nostro. Habet enim Ecclesia plura Symbola, quæ omnia recipit, & honorat, nec unum destruit aliud, quamvis aliquid sit expressius in uno, quàm sit in alio.

Septimum. In cap. 3. Joannis Theophil. *Sanè,* (inquit) *Latini malè hæc exponentes, & minus rectè intelligentes dicunt, quod Spiritus etiam ex Filio procedat.*

Sed Theophil. tempore schismatis vixit, & proinde rejicitur, sicut neque reciperent Græci Bernardum, Rupertum, aut alios similes Patres.

Octavum. Spiritus sanctus est unus : ergo unum habet principium non duo, & una spiratione procedit, non duabus.

Respondeo, hoc totum esse verum, non tamen sequi unum principium esse idem, ac unam personam, & unam actionem ab una tantùm esse persona in divinis. Nam unum est principium mundi, & una creandi actio, & tamen mundus est à tribus personis, quibus est communis actio creandi : alias sequeretur aliquam personam divinam non esse creatorem ; illud autem unum principium Spiritus sancti est Pater & Filius: qui licet sint duo spirantes, unica tamen spiratione spirant. Nihil enim multiplicatur in Deo nisi relatio opposita; spiratio autem qua Pater spirat non opponitur spirationi qua spirat Filius, atque proinde unica est non multiplex.

Nonum. Pater est sufficiens principium Spiritus sancti, ergo non requirit auxilium Filii.

Respondeo, Filium cum Patre spirare, non quia Pater egeat auxilio, sed quia habent eandem potentiam : qua ratione mundus producitur etiam à tribus personis necessario, necessitate, quam vocant, producentis, & quia intrinsecè ad rationem Spiritus sancti spectat distingui illam realiter à Patre & Filio, propterea de necessitate etiam, quam vocant producti, ab utroque procedit.

Ultimum. Si à Filio procedit Spiritus sanctus, ergo Patri similior est Filius quàm Spiritus sanctus. Nam Filius spirat cum Patre spirante, & Spiritus non generat cum Patre generante.

Respondeo, si in hoc esset attendenda similitudo, simile sequeretur incommodum, si Spiritus sanctus à solo Patre procederet, nam tunc esset Filius similior Spiritui sancto quam Patri; siquidem Filius procederet cum Spiritu sancto, & non produceret cum Patre : sed neutrum revera concludit. Nam similitudo attenditur ex parte essentiæ, non ex parte relationum.

Demonstratur rectè factam additionem *Filioque.*

HÆc particula *Filioque*, est explicatio Symboli, ut declarat Concil. Florent. *Definimus explicationem verborum illorum* (Filioque) *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè, & rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Debuit autem explicari symbolum, cum multi credere cœpissent Spiritum sanctum non procedere à Filio, hic enim error est contra fidem, teste Athan. in Symbolo : *Hæc est fides Catholica, quam nisi,* &c. & *Epist.* ad Serapionem, & Concil. Florent. & ubi error ibi remedium quanto possit aptius afferendum est: nullum autem aptius quàm expressa symboli verba, cum symbolum sit quod omnes publicè profitentur.

Sed Latinos sine consensu Græcorum hanc explicationem facere potuisse constat : tum quod Papa Pastor universalis Ecclesiæ nequeat errare in decretis fidei ex cathedra docens, illius autem est decernere de fide, qui errare nequit, tum quia, & si tantum esset ut minimum primæ sedis

Episcopus, sine quo Concilia robur nullum (ut docet Gelasius in *Tomo de vinculo anathematis*) habent, sufficeret Concil. aliquot Episcoporum ab ipso confirmatum, ut aliquando factum est: tum etiam quod sit vel de fide, vel ritu quæstio: si posterius, potest quilibet in sua diœcesi Episcopus aliquem introducere ritum sine aliorum consensu: si prius potuerunt quidem Latini (quamvis Roman. Pontifex esset solum Patriarcha ceteris major) illud definire: non tamen quod statim reciperetur à ceteris, sed aliis videndum num rectè definita: sin minus majus convocare Concilium? Græci autem non solum hanc particulam esse contra fidem nequiverunt probare, sed plures eorum fuêre à Latinis convicti. Legitimè ergo facta est hæc additio à Latinis.

Dices, licet non fuerint necessario Græci initio vocandi, quare tamen non fuêre vocati?

Respondeo primo, an minimè fuerint vocati certum non esse. Secundò, non fuisse necesse, quia facilis quæstio: nec enim, sicut *lib. 4. ad Bonifac. 12.* August. ait, omnis hæresis talis est, ut propter eam omnes debeant provinciæ versari. Tertiò, rei definiendæ necessitatem ita instasse, ut quantocyus malo occurrere oportuerit. Quartò, quia inutile, cum nulli extarent in Græcia homines docti.

Solvuntur objectiones Græcorum.

PRima. Decrevit sancta Synodus (scilicet 3. generalis) alteram fidem nemini licere proferre, aut scribere, aut exponere præter eam, quæ definita fuit à sanctis Patribus, apud Nicænam urbem in Spiritu sancto congregatam; eos autem qui fuerint ausi aliam fidem componere, sive porrigere, aut proferre his, qui volunt ad veritatis cognitionem converti ex Gentilibus, vel Judæis, vel etiam ex qualibet hæresi: istos, si quidem Episcopi fuerint aut Clerici, alienos Episcopos quidem ab Episcopatu, Clericos ab Clericatu, si laici fuerint anathematizatos esse.

Respondeo primò, prohiberi tantum mutationem quoad sensum contrarium symbolo, sicut *Galat. 1. ad Galat. 1.* Paulus anathematizat docentes præter id quod docuit, cum tamen ipse alia postea docuerit. Alias Synodus 3. abrogasset Constantinop. Symbolum, quo tamen utuntur Græci; addidit enim multa ad Nicænum. Dicunt quidem Græci Constant. & Nicæn. pro uno, & eodem haberi; sed quare? nisi quia in eundem consipiant sensum? Hæc autem particula *Filioque* in eundem quoque tendit. Quare Græci cùm non ignorarent opinionem Latinorum, & eam additionem factam fuisse, per annos tamen circiter trecentos siluerunt.

Secundò, Etsi prohiberet Concil. additionem etiam quoad verba, ejus tamen prohibitio non nisi ad singulos Episcopos, Clericos & Laicos intelligeretur extendi (si enim ad omnes Episcopos simul, ac Pontificem, quis eos deponeret?) Deinde non ignoravit Concil. parem in parem non habere potestatem. At hanc additionem summus Pontifex, approbantibus postea tribus generalibus Conciliis, symbolo intexuit.

Secunda. Etsi hoc licuerit Latinis, non tamen expedivit: alioquin multa alia symbolo essent addenda.

Respondeo, convenienter id actum, tum quia dabat symbolum, sine hac particula, causas erroris: tum, quia facile poterat addi sine notabili mutatione symboli. Cum & quæcumque alia particula addi posset, si Romano Pontif. aut Concil. videretur expedire.

Concluditur Disputatio divino testimonio.

PRimò usque ad schisma adeò floruit Græcia doctis, atque sanctis viris, ut omnia Concilia generalia in ea celebrata fuerint; post verò nullum habuit generale Concilium, nullum miraculis clarum peperit doctum Patrem; Latini Concilia celebrarunt generalia duodecim, viri etiam miraculis clari singulis floruerunt ætatibus, iique doctissimi, quorum majorem partem Religiones diversæ tulerunt.

Secundò, fides Latinorum propagatur usque Indos tum Orientales tum Occidentales: Græcorum verò quotidie tabescit atque minuitur, ejusque sectatores quater aut quinquies convicti, & conversi à nostris, semper redierunt ad vomitum.

Denique illorum imperium in Turcarum incidit manus, idque ipsi. Pentecostes feriis. Anno siquidem, ut probat Gerardus Mercator in *Chronolog. 1452. die 28. Maij*, qui fuit (ut cognoscitur ex aureo numero, qui eo anno erat 9. & littera Dominicali A) Pentecost. Mahumetes secundus ultimam obsidionem ad Constantinopolim statuit, & sequenti die urbem expugnavit, occisoque Imperatore imperium extinctum est.

CAPVT IV.

Eucharistiæ Sacramentum confici tam in azymo, quàm in fermentato, contra Græcos probatur.

POst annos à Christi nativitate mille & quinquaginta, orta est inter Græcos & Latinos celebris illa de azymo controversia, ut ex *Epistola* Leonis 9. ad Michaelem Patriarcham Constan- *Leo.* tinopolitanum *cap. 5.* & ex Anselmo *lib. de fermentato & azymo*, & aliis colligitur. Ita verò pertinaciter suæ Græci adhæsêre sententiæ, ut ipsius defensio una ex præcipuis causis semper exstiterit, propter quam se à Latinorum communione separatos conservaverint. Et quamvis controversia hæc in Conc. Florentino, quo Græci convenerant, fuerit eo decreto absoluta, quo Patres sanctæ illius Synodi judicarunt, utrumque panem azymum videlicet, & fermentatum veram esse Eucharistiæ materiam, & utrumque in unaquaque Ecclesia juxta antiquam consuetudinem retinendum: quia tamen semper Græci contendunt nos Eucharistia carere, illiciteque in azymo consecrare, ostendendum nobis erit falsam eam esse sententiam, & nullo prorsus fundamento inniti? quod ut brevius, ac solidius absolvamus,

Supponamus in primis, utrumque panem tam videlicet fermentatum quàm azymum, verum esse panem, atque in Scriptura sacra, utrumque panem simpliciter dici. Et quia de fermentato & ipsi affirmant, & nos non negamus, id probabimus de azymo. *Luca 24.* duo illi discipuli, qui *Luca 24.* pergebant in Emaus, Christum cognovisse dicuntur in fractione panis, quem tamen azymum fuisse constat, quod illud occiderit in secundo vel tertio Paschæ die (ut ex historia ipsius Evan-

Evangelistæ colligitur) quibus diebus non licebat Judæis nec domi habere panem fermentatum, ut patet ex *Exod. cap. 12. & 13.* Marc. *etiam* 2. David dicitur manducasse panes propositionis, quos tamen azymos fuisse scribit Philo, & Josephus, ille in *libro de Vita contemplativa* : hic verò *lib. tertio Antiquit. cap. 9.* ubi ait : *Et duodecim panes azymos in ea* (hoc est mensa) *ponebant, senes per partem, valde mundos.* Et ex *Levit. cap.* 2. colligitur, ubi omnem oblationem, quæ Domino offertur absque fermento fieri debere dicitur. Scriptura autem rectè utrumque panem simpliciter panem appellat, quod uterque conficiatur ex farina triticea, & naturali aqua, coquatur puro igne, quæ tantum sunt de ratione panis; uterque præterea habet usum panis, quamvis fermentatus, quia est melioris saporis, sit usitatior. Hanc nostram suppositionem præter D. Thomam in *4. dist. 11. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 6.* docet Theodoret. *Orat. decima* in Danielem.

Exod. 12. & 13. Marc. 2. Philo. Josephus. Levit. 2. D. Thom. Theodor.

Christus an in azymo, an in fermentato consecrarit.

Quia verò in hac controversia præcipuum fundamentum, tum Latinorum, tum Græcorum est factum Christi (neque enim dubitari potest, quin illud sit melius, & faciendum, quod Christus fecit) ideo ista quæstio ab alia pendet, Utrum Dominus Sacramentum instituerit primo die azymorum, quando fermentum inveniri non poterat in omnibus finibus Israel, an verò ante eum diem. Si enim Dominus Sacramentum instituit in primo die azymorum, certum erit azymo pane usum fuisse in ejusmodi institutione : nam *Exod. 12. & 13.* præcipitur sub pœna mortis, ne fermentatus panis inveniatur in domibus, aut in ullo alio loco filiorum Israel. Si alio tempore instituit, res non erit omnino certa.

Quando celebrari cœperit in azymo *Innocent. Leo Papa.*

Sed antequam Græcorum fundamenta stattuamus, præmittere oportet id, quod sanctus Thomas notat in *quarto distinct. undecima quæst. 2. art. 2. quæstiunc. tertia*, morem celebrandi in azymo acceptum fuisse ab Apostolis, & omnibus Ecclesiis olim servatum, ut docet Innocentius de mysterio Missæ *lib. 4. cap. 4.* Postea verò, ut scribit Leo Papa Epistola ad Imperatorem Constantinopolitanum, ab eodem Innocentio citata, propter hæresim Ebionitarum, qui dicebant simul cum Evangelio legalia esse servanda, sancti Patres, ne eis consentire viderentur, cùm scirent non esse de necessitate hujus Sacramenti confici ex azymo, instinctu Spiritus sancti ad tempus statuisse, ut Eucharistia ex fermentato conficeretur. Postea verò cessante illa hæresi Ecclesiam Romanam ad primum morem redisse, Græcos autem noluisse relinquere consuetudinem illam ad tempus susceptam ; & obstinati dicebant non posse confici, nisi ex fermentato, dicentes sic Christum confecisse.

Leo. Anselm.

Græcorum igitur ea est sententia, ut existiment Christum consecrasse in fermentato : asserunt enim ipsum suum Pascha manducasse, & Sacramentum instituisse die sive Luna decima tertia mensis primi, sequenti autem die ad occasum Solis incœpisse tempus Paschale, quo à Judæis omnis fermentatus panis abjiciendus erat. Sic Euthymius in *Commentario ad cap. 26.* Matth. & Nicephor. *lib. 1. histor. cap. 28.*

Euthym. Niceph.

Est vero observandum ab Hebræis initium omnium mensium summi ac novilunio, & idem apud ipsos esse primam Lunam, & primam diem, & Lunam 14. vel 13. ac diem decimum quartum, vel decimum tertium. Porrò secundum legem *Exod. 12.* die 14. mensis, id est, decima quarta à novilunio post solis occasum solitos fuisse incipere dies azymorum, qui erant septem, omnes quidem Paschales, sed primus, & ultimus soli solemnes, ita ut in his tantum non liceret opus ullum servile exercere, ut patet *Levit. 23.*

Levit. 23

Dicunt ergo Græci feria quinta in Cœna Domini fuisse diem decimum tertium apud Hebræos, in quo nondum incœperat tempus azymorum. Feria autem sexta, in qua Christus mortuus est, dicunt fuisse profanum, sed illa ipsa Luna post Solis occasum cæpisse tempus azymorum, quia ille erat dies decimus quartus, postea verò diem decimum quintum fuisse diem Sabbathi solemnissimum.

In hac ergo sententia Græcorum non est evidens Christum consecrasse in azymo, cùm post esum agni Paschalis in institutione Sacramenti assumere potuerit fermentatum, cùm nondum cœpisset tempus azymorum. Sed neque est evidens, sicut notavimus ex sancto Thoma, Christum in fermentato consecrasse : cum enim in comedendo agno, propter legis observantiam azymum adhibuisset, gratis dicitur, quod post cœnam fermentatum reassumpserit. Imò probabilius est eodem pane in cœna, & post cœnam usum fuisse, quamvis S. Thomas putare videtur esse necessarium.

Communis vero Theologorum sententia est, in *quarto distinct. undecima*, Christum comedisse agnum Paschalem, & instituisse Sacramentum Eucharistiæ Luna 14. primi Mensis, quo tempore Judæi, qui tunc vivebant diem festum, azymorum inchoaverunt. Observandum enim est aliter dies festos, aliter dies naturales apud Hebræos constitui : dies enim naturalis apud ipsos incœpit ab ortu Solis, & terminatur ad occasum Solis, & continet diem & noctem artificialem, quod patet ex *Genes.* Illud enim, *Factum est vespere & mane dies primus*, ut exponunt Ambr. Basil. significat ex die artificiali, qui terminatur in vesperam, & ex nocte sequenti, quæ terminatur in mane, factum esse diem naturalem : dies verò festus è contra apud ipsos incipit ab occasu Solis, & terminatur in occasum Solis, ex *Levit. 23.* & proinde dies festos azymorum comprehendere noctem Lunæ, sive diei naturalis quartæ decimæ & Lunam diei naturalis, sive Lunæ quintæ decimæ. Quare cum Judæi ineunte festo azymorum ipso initio noctis Lunæ decimæ quartæ abjicerent omnem panem fermentatum, Christus autem ipsa eadem nocte Eucharistiam instituerit, in hac sententia necessariò consecravit in azymo.

Gen. 1. Ambr. Basil. Levit. 23.

Ex quibus primò colliges Græcorum sententiam, existimantium Christum consecrasse in fermentato, erroris manifestè convinci. Et primò probatur : quia omnes ferè Patres docent Christum Luna decima quarta, in quam ex *Exod. 12.* primus dies azimorum incidebat, suum Pascha immolasse. Ita Origen. *titulo 35. in Matth.* Chrysost. *Homil. 35. in Matth.* Theoph. & Theophan, apud Bedam de ratione tempor. *cap. 57. & 59.* Theodor. *q. 24. Exodi*, Tertull. Cyprian. Ambros. *Epist. 83.* Hieronym. in *Cap. 26. Matth.* August. *Epist. 86.* Beda & alii : Sed eo tempore non licebat uti pane fermentato : igitur consecravit in azymo.

Exod. 12. Origen. Chrysost. Theoph. Theophã. Theodor. Tertull. Cyprian. Ambros. Hieron. August. Beda.

Secundò ex Evangelio apertissimè probatur : quia *Matth. 26.* sic dicitur : *Primo die azymorum accesserunt discipuli ad* JESUM *dicentes, Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ?* Et Marci 14. *Prima autem die azymorum, quando Pascha immolabant.* Et Luc. 22. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Cum ergo hi tres Evangelistæ dicant Christum post cœnam instituisse

Matt. 26. Marc. 14. Luca 22.

*Exod.*12. *Levit.*23. *Num.*28. Eucharistiam primo die azymorum, qui nusquam in tota Scriptura dicitur 13. mensis, sed quartus decimus, aut decimus quintus, ut patet *Exod.* 12. 13. & *Levit.* 23. & *Num.* 28. apertè convincitur errorem esse dicere, quod Christus consecraverit Luna decima tertia, ante diem festum azymorum.

Respondent impudentissimè quidam Græci, referente sancto Thoma, prædictos tres Evangelistas errasse, & à Joanne fuisse correctos. Hoc autem est blasphemum; & si admittatur error in Evangelio, non est ratio, cur potius erraverint tres, quàm unus.

Respondent alii, & Euthymius, dicentes Evangelistas loqui de die azymorum, non qui aderat, sed qui erat proximus.

Sed contra est: quia cum alii Evangelistæ dicant ipso die azymorum discipulos missos fuisse ad parandam cœnam Paschæ, non potest esse ulla difficultas. Secundò, quia hoc modo necesse esset dicere Christum prævaricasse legem, quod Pascha comederit ante tempus, contra illud, *Non veni solvere legem, aut Prophetas, sed adimplere.* Sed ex Joanne etiam, à quo Græci dicunt alios Evangelistas fuisse correctos, apertè demonstratur Christum Luna decimaquarta post Solis occasum, ineunte Paschatis festo, cœnasse cum Discipulis, consequenter post esum agni non nisi in azymo instituisse Eucharistiam.

*Joan.*13. Primò enim *cap.* 13. dicit Joannes: *Ante diem festum sciens IESVS quod venit hora ejus*; ergo dies passionis erat dies festus Paschæ: sed dies festus incipiebat à Solis occasu; ergo festum Paschæ, seu primus dies azymorum incœperat à nocte, qua Christus cœnavit, & instituit Sacramentum; ergo instituit Luna decima quarta: dies enim festus Paschæ comprehendere debebat noctem Lunæ, sive diei naturalis quartæ decimæ, & lucem Lunæ sive diei naturalis quintæ decimæ.

Respondent Græci ad hoc, cum Joannes dicit: *Ante diem festum*, non intelligi de *ante* immediato, sed de *ante* mediato, ac si diceret, antequam veniret Pascha. Respondeo hoc esse figmentum Græcorum. Deinde dico nostram sententiam Catholicam apertè colligi ex sequentibus verbis Joannis, ut latius docet Bellarm. de *Euchar. lib.* 4. *cap.* 7.

Conclusio His præjactis, asserendum nobis est, Eucharistiæ Sacramentum confici tam in azymo, quàm in fermentato: Assertio est de fide certa in Concilijs Florentino, & Tridentino tradita, & à Leone 9. in *supra citata Epist.* ita antea confirmata, ut Græcorum sententiam hæreticam appellaverit. Docent eam omnes Patres Latini, ac Theologi quidam post Magistrum *in* 4. Quidam cum D. Thom. 3. *parte.*

Probatur primò, ex Apostolorum traditione, cujus testes sunt Innocentius de *myster. Missæ lib.* 4. *cap.* 4. Leo Papa *Epist. quadam ad Imperatorem Constantinopolitanum*, quam citat idem Innocentius, & D. Thom. *loco supra citato*; qui omnes affirmant morem consecrandi in azymis à D. Petro, & Apostolis Romanam Ecclesiam accepisse, sed eum propter hæresim Ebionitarum postea fuisse intermissum: cum enim ipsi docerent simul cum Evangelio legalia esse servanda, Patres illius ætatis Spiritus sancti instinctu, scientes azymum non esse hujus Sacramenti materiam necessariam, ne hæreticis consentire viderentur, decreverunt, ut ad tempus ex fermentato Eucharistia conficeretur.

Probatur secundò, Christus Dominus consecravit in azymo: ergo ille panis sufficit ad substantiam hujus Sacramenti. Antecedens supra est probatum. Consequens evidenter deducitur.

Probatur tertiò. Uterque panis verus est, & simpliciter panis: sed ille totus est sufficiens Eucharistiæ materia: ergo sive fermentatus, sive azymus sit, totus erit ad consecrationem aptus. Majorem prima suppositione probatam reliquimus. Minor probatur: nam ex Evangelistis, & Paulo nil aliud colligimus, quam à Christo acceptum fuisse panem, consecratum, & Apostolis distributum. Quare sicuti ex eo, quod vinum vertendum in sanguinem assumserit, æquè aptum existimamus rubrum, ac album, cum utraque vera sint vina, etsi accidentaliter diversa: ita pari ratione existimandum est utrumque panem sive azymum, sive fermentarum ritè posse ad hoc mysterium celebrandum assumi.

Objicies dictum illud Christi Domini: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Ex quo deduces panem fermentarum esse corruptum. Sed sensus illius proloquii non est, à modico fermento massam corrumpi, sed fermentari, hoc est alterari, & disponi, ut tali modo fiat. Fateor à nimio fermento posse massam corrumpi, sed propterea merito admonet D. Thomas, ut non sit nimia illius mixtio, ut ita verus panis efficiatur, atque usui hominum aptus: qui si talis sit, non minus erit ad consecrationem aptus, quam si azymus esset.

His duabus rationibus, quæ assertionem demonstrare videntur, duæ aliæ addi possunt, quibus probetur congruentius consecrationem fieri in azymis, quam in fermentato: quarum altera sumitur ex significatione: Nam panis azymus designat puritatem, & sanctitatem corporis Christi vel accedentium ad illud accipiendum, juxta illud D. Pauli 1. Corinth 5. *Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.* 1. *Cor.* 5. Alteram vero indicat Anselm, *d. loco supra Matth cap.* 26. ubi ait, azymum panem facilius, purius, ac decentius confici; additque D. Thomas magis eum esse ab omni corruptione immunem. *Anselm.* *D. Thom.*

Græcorum argumenta diluuntur.

OMnia Græcorum argumenta eò tendunt, ut probent Christum Dominum in fermentato consecrasse; non quidem, ut convincant congruentius in fermentato, quàm in azymo consecrationem fieri, sed ut omnino azymum rejiciant, tanquam materiam ineptam, & à Christo non institutam. Quibus omnibus argumentis, si antecedens concederetur, non inferretur propterea consequens, quod ipsi opinantur, ut ex prædictis facile colligitur. Sed quia antecedens est falsum, aliqua eaque præcipua eorum argumenta proponamus.

Primum argumentum sit, Christus fuit occisus ante celebrationem Paschæ: ergo cum Christus pridiè quàm pateretur Pascha manducaverit, vel prævenit Judæorum cæremoniam, vel Judæi suam posposuerunt: hoc secundum est falsum, tum quod nullo probabili fundamento fulciatur, nisi solidum fundamentum existimes Rabbinismum cujusdam Gamalielis, qui de Solis, & Lunæ motibus scripsit ante quingentos annos, ut mirum propterea sit Burgensem Catharinum, & quosdam alios paucos sententia ipsius esse usos; tum etiam, quod *Joan. decimo quarto* repugnet dicen- *Joan.* 14.

centi, *ante diem festum Paschæ* lavasse Christum discipulorum pedes, azyma manducasse, Eucharistiam instituisse, & deinde morte fuisse condemnatum: ergo prævenit potius Judæorum Pascha: sed tunc licebat uti fermentato: ergo in eo Eucharistiam instituit.

Confirmatur ex illo communi Scribarum placito, ne Christus occideretur in die festo, ad evitandum tumultum populi.

Ad hoc argumentum Respondeo, apocryphum omnino esse, quod aliqui existimarunt Judæos diem festivum Paschæ postposuisse; quod eo anno caderet feria sexta: sed non minus esse falsum, quod Christus Pascha anteverterit, agnumque statuto legis die non manducaverit, ut supra diximus, & Marcus expresè affirmat *cap.* 14. dum dicit, *primo die azymorum, quando Pascha Judæi immolabant*, accessisse ad eum discipulos, atque ut locum ad mysterium celebrandum designaret, postulasse; & vespere facto, locoque in cœnaculo grandi instructo agnum comedisse. Vocavit autem Marcus eum diem *primum azymorum*, quod post paucas horas, vespere videlicet facto solemnitas instaret azymorum, ut supra dicebamus. Cumque sequenti luce fuerit Christus occisus (si quidem *pridie quàm pateretur accepit JESUS panem*, ut ait *Paulus*, & ex Evangelistarum contextu liquet) eaque fuerit decima quinta, sequitur in ipso festivissimo die omnino ipsum obiisse. *Marc.14.*

Ad confirmationem adductam Respondendum est, placitum illud Scribarum minimè fuisse receptum, sed illud eorum, qui dicebant premendum esse potius, & occasionem non negligendam, tollendi è medio Christum quocunque die, quocunque festo incideret, quocunque demum legis præcepto prohiberentur, rati videlicet expedire potius Christum mori, quam legem observari, ideo ipso festivissimo die, ut docent Tertullian. *libro contra Judæos cap.* 9. Euseb. *lib.* 10. de demonstratione Evang. *demonstrat.* 6. Cyrill. Hierosolym. *cap.* 13. Origen. *Homil.* 23. *in Num.* Clemens Papa *lib.* 5. *Constit. cap.* 14. August. *Tract.* 50. *in Joan.* Leo Papa *Serm.* 6. *de Passione*, & alii. Quo die paraverunt quidem mulieres aromata, & Joseph mercatus est syndonem, quod opera pietatis his etiam diebus in lege non prohiberentur. Et licet judicia habere esset illicitum, ejus tamen legis reos se minimè Judæi existimarunt, quod Romanis curam Christum occidendi demandaverint. Propterea ait Joannes 18. ipsos non introiisse prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, victimas scilicet Paschales, quæ ex ovibus & bobus quotidie in diebus Paschæ immolabantur, *Deut.* 16. Quarum esus non nisi purificatis concedebatur, ut ex *Levit.* constat *cap.* 22. E media ergo platea Pilato electionem inter Christum & Barrabam proponenti, responderunt Judæi: *Tolle hunc & dimitte nobis Barrabam*, Lucæ 23. quam electionem proposuit, ut liberandi Christum viam quæreret, & consuetum observaret morem, singulis annis in die Paschæ unum vinctum, quem populus maller, dimittendi: cui expositioni non obstat, nisi Chrysostomus *Homil.* 82. *in Joannem*, qui credidit Judæos cœnam legalem postposuisse, legemque prævaricasse: sed id jam est à nobis ex Luca reprobatum. Obiit ergo Christus die ipso artificiali Paschatis, propterea dixit Joannes, *Ante diem festum Paschæ*, sed initio ipso solemnitatis ad vesperam decimæ quartæ Eucharistiam instituit, quando uti fermentato non licebat.

Tertull. Euseb. Cyrill. Origen. Clemens. August. Leo Papa. *Joan.18.* *Deut.16.* *Levit.22.* *Luca 23.* *Chrysost.* *Joan.14.*

Secundum argumentum ex Epiphanio desumitur *primo contra Hæres. cap.* 50. ubi expresè ait, Christum oportuisse in decima quarta die immolari secundum legem: Decima ergo tertia die Christus & agnum comedit, & Eucharistiam instituit. *Epiphan.*

Ad hoc argumentum, quamvis admitteremus Antecedens, & Consequens, non proinde sequitur Christum in fermentato consecrasse: cum enim ex lege, cùm azymo agnus esset comedendus, quis dicat eodem non usum fuisse in instituenda Eucharistia: sed Epiphanius *loco citato* solummodo loquitur de figurante, sive typica Christi immolatione, ac si dixisset, oportuisse agnum, qui figura Christi erat, immolari decima quarta Luna ad vesperam, incepta jam azymorum solemnitate, quod indicant ea verba ipsius *secundum legem*: arguit siquidem eo loco quarta decimanos, quod celebrantes cum Judæis Luna 14. non animadverterent Judæorum Pascha eo die ad vesperam significare Synagogam lumen suum amissuram Christo adveniente, dies enim 14 est ultima incrementi, cùm decima quinta decrescere jam incipiat.

Tertium. Azyma sunt Judæorum propria: ergo consecrare in azymis est Judaizare.

Respondeo esse propria Judæorum ad significandam Christi puritatem futuram, non autem præsentem, vel ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum: alioquin nec uti deberemus aqua & fermento, cum his ad suos ritus uterentur Judæi.

Quartum, Immolatio agni Paschalis figura fuit Passionis Christi: sed agnus immolabatur die 14. ergo eo die fuit ipse occisus, & præcedenti ab ipso Eucharistia instituta.

Respondeo agnum Paschalem magis significasse Eucharistiam, quam Christi mortem, quod ritus agni Paschalis magis ad manducandum, quam immolandum pertineret. Quare meritò Eucharistia in profesto Paschatis, Luna scilicet decima quarta, est instituta, quo die agnus immolandus erat.

Quintum, Augustinus *Tractatu* 120. *in Joan.* docet acceleratam fuisse Domini sepulturam propter Judæorum Parascevem: quia illa nocte cœnam erant comesturi puram: ergo Christus prævenit Judæorum cæremoniam.

Respondeo per eam cœnam non intelligi ab Augustino agnum Paschalem, sed quandam aliam solemnem, quam ad vesperam feriæ sextæ sumebant, initio videlicet Sabbathi, ut patet ex D. Irenæo *lib. primo cap.* 10. & *lib. quinto cap.* 23. Et ex Beda in *Cap.* 23. *Luca*. Unde quando *Joannes* 19. ait: *Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta*, non debet intelligi dies præparationis ad Pascha, sed ad Sabbatum, ut ipsum declarat Joannes, ajens: *Propter Parascevem Judæorum, ut non remanerent in cruce corpora sabbatho, erat enim magnus dies ille Sabbathi.* *Irenæus. Beda. Joan.19.*

Non ante absolvam hanc controversiam, quin moneam finxisse Calvinum à quodam Alexandro summo Pontifice introductum fuisse in Ecclesia azymum panem in sacrificio Missæ: *finxisse* dixi, cum nullum hujus historiæ testem referat, atque à veritate alienissimum sit. Nam omnes Pontifices hujus nominis post primum, successores fuêre Leonis noni, Romanæ sententiæ acerrimi defensoris. Primus verò hujus nominis Pontifex, qui circa annum Domini 110. sedit, non potuit esse hujus institutionis auctor, cum Christi Domini factum, & nascentis Ecclesiæ

ritum eum latere non potuerit: eam autem ipso exordio in azymo consecrasse supra ex Leone diximus, qui *capite* 24. dicit sanctos Martyres primitivæ Ecclesiæ nostris azymis saginatos.

CAPVT V.

Purgatorii locum esse aliquem, in quo justorum purgantur peccata, contra Græcos demonstratur.

PUrgatorium esse in primis probatur ex omni cura, quæ pro defunctis habita est, tam in veteri, quam in novo Testamento, atque in illo quidem primò ex *lib.* 2. Machabæor. *cap.* 12. in quo Judas orare fecit pro mortuis, & subjungitur in textu: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* Unde quinque colliguntur. Primò posse mortuos à peccatis solvi, & proinde Purgatorium esse. Secundò sacrificia & orationes illis prodesse. Tertiò non expiari semper in morte omnes peccatorum reliquias, ut fingit Lutherus. Quartò posse hominem piè mori, & tamen habere aliquid solvendum. Ultimò hoc esse de fide. *2. Mach. 12.*

Secundò, exemplo Tobiæ, qui filium suum docuit panem & vinum ponere super sepulturam justi: id est, eleemosynam dare, ut pro eo oretur: alioqui ridiculum esset ponere panem & vinum super sepulchrum. Dicit autem justi pro Fidelis, qui piè in Domino defunctus sit. Inde etiamnum in aliquibus Ecclesiis usitatum est, ut in die Commemorationis omnium animarum, panem & vinum ponant super sepulchra suorum defunctorum, quæ cedunt in usum Ministrorum Ecclesiæ, & aliorum paupertum. Nam in his eleemosyna ipsa valet coram DEO pro defuncto, etiamsi ipsi parum forte orraverint pro defunctis illis. Abusus si qui irrepserunt debent per Episcopos emendari. *Tobiæ 4.*

Tertiò, exemplis populi Israel, quoties luxit obitum clarorum virorum multis diebus: ut habitatores Jabes-Galaad luxerunt Saul Regem septem diebus. *1. Reg. ult.* David luxit pro Jonatha, aliisque ex populo Israel in prælio occisis. *2. Reg. 1.* Populus Israel luxit interitum Judæ Machabæi diebus multis *lib. 1. Machab 9.* & horum similes. Nam diuturnus iste luctus præsertim conjunctus cum jejunio, non significat solam mentis tristitiam, sed & orationes & sacrificia, quæ per dies istos pro defuncto sunt oblata DEO. *1. Reg. ult. 2. Reg. 1. 1. Mach. 9*

Quartò, ab exemplis novi Testamenti, de quibus meminit Apostolus Paulus *1. Corint.* 15. dicens: *Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Baptizari* enim hic significat pari, juxta illud Christi ad filios Zebedæi: *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Marci 10 Baptizari ergo pro mortuis est aliquid pro eorum salute sustinere. Cujusmodi sunt opera satisfactoria, ut jejunia, orationes, eleemosynæ, peregrinationes, oblationes, &c. *1. Cor. 15. Marc. 10.*

Deinde Purgatorium esse, probatur secundò & principaliter ex verbis Christi Domini. *Matth.* 12. ubi peccatum contra Spiritum sanctum dicit non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro. Ex quibus verbis sacri interpretes colligunt esse aliquorum peccatorum remissionem post hanc vitam. Quò pertinet & illud de ingrato & iniquo servo, quem Dominus tradidit tortoribus, quoadusque redderet ei universum debitum. *Matth.* 18. Ita & de incarcerato à judice ait: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Matth. 5. *Matt. 12.*

Tertiò ex verbis Apostoli 1. Cor. 3. *Si cujus,* inquit, *opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quo quidem in loco observandum est Apostolum uti similitudine architectorum, quorum unus super fundamentum lapideum atque solidum ex pretiosa erigit materia domum, quæ non timeat ignem: alter super fundamentum simile exstruit ædificium ex combustibili materia, ut stipulis, ligno, &c. Hoc duplici ædificio si ignis applicetur, prius quidem integrum manebit etiam salvo architecto, si sit intus: posterius verò brevi per ignem devorabitur, & architectus inclusus non nisi egredietur per ignem, in quo transitu non quidem morietur, sed tamen ejus corporis leviores partes incolumes non egredientur. *Matth. 5. 1. Cor. 3.*

Huic sententiæ consonant dicta Prophetarum: ut Davidis Psalm 65. *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Et Isaiæ 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion & sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicij & spiritu ardoris.* Hæc verba D. Augustinus interpretatus est de igne Purgatorio, de *Civitate DEI lib. 20. cap. 25.* *Psal. 65. Isaia 4.*

Eundem sensum habent verba Prophetæ Malachiæ cap. 3. *Ipse sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.* Accedunt & illa verba Prophetæ Zachariæ, cap. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* *Malach. 3 Zach. 9.*

Quod aliquanto clarius expressit B. Petrus Apostolus *Act.* 2. loquens de Christo: *Quem DEVS suscitavit, solutis doloribus inferni.* Dolores enim inferni eorum, qui à Christo soluti sunt, nulli alii sustinuerunt, quam qui tunc erant in Purgatorio. Nam qui erant in limbo Patrum, nullos dolores patiebantur. *Act. 2.*

Quartò, plurimum huc faciunt verba Apostoli Pauli ad *Philipp.* 2. ubi docet de gloria Christi, & inter alia dicit: *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Per quos tres ordines intelliguntur Angeli in cælis, homines fideles in terris, & animæ defunctorum in Purgatorio sub terra. Nam qui in inferno sunt damnatorum, non adorant Christum, sed blasphemant.

Quintò probatur ex Patribus Græcis & Latinis. Ex Græcis. Primus Clemens *lib.* 48. longam orationem describit pro defunctis fieri solitam. *Clem.*

Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7 par. 3. *Accedens,* inquit, *deinde venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit, precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat, & regione vivorum.* *Dion. Areop.*

Athanasius 34. ad Antiochum quærit, Num animæ sentiant utilitatem ex orationibus vivorum? Respondet sentire omnino. *Athanas.*

Basilius in Liturgia instituit orationem pro mortuis. Idem Basilius, qui magna apud Græcos pollet auctoritate, sæpè alibi Purgatorium statuit. In illud Isaiæ 9. *Quod iniquitas ardebit ut ignis,* hæc habet: *Præparatam enim materiam per peccata tolli, atque corrumpi, à divina bonitate ordinatum est, in beneficium hominum.* Et in illud, *Ut aridum gramen comedatur ab igne, & comburetur in densitatibus sylvæ,* ita ait: *Si ergo nudaverimus peccatum per confessio-* *Basilius.*

confessionem, fecimus ipsum aridum gramen dignum, quod à purgatorio igne consumatur. Idem infra ostendit, quod terrena traduntur igni punitorio in beneficium animæ, sicut & DEUS innuit dicens: *Ignem veni mittere in terram.* Et infra in illud, *Et erit populus tanquam à flammis rogi combustus homo*; hæc ait: *Non minatur destructionem, sed purgationem significat, juxta quod ab Apostolo dictum est:* 1.Cor. 3. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Idem S. Basilius in *libro de Spiritu sancto* ad Amphilochium cap. 15. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Ignis baptismum, vocans examinationem judicij, ut inquit Apostolus: Uniuscujusque opus, quale sit ignis probabit.* Et rursus: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur.*

Greg. Nyss. S. Gregorius Nyssenus, in *Oratione de defunctis* ultra medium, hæc ait: *Similes quippe nos DEO reddit liberum arbitrium. Ut ergo & libertate maturâ non privetur, malumque deleatur, excogitavit hoc DEI sapientia inventum, permittere scilicet hominem in ijs esse, in quæ prolabi voluit, ut degustatis malis quæ exoptavit, & experientia discens, quibus cum rebus quantas commutaverit, sponte sua revertatur ad pristinam beatitudinem per desiderium, affectus omnes rationi non parentes velut natura onus excutiens, vel in præsenti vitâ per cautionem & philosophiam expurgatus, vel post præsentem peregrinationem, per ignis purgatorij fornacem.* Et infra: *Quod si in affectus rationi expertes declinarit brutorum pelle adjutrice usus ad pravas animi affectiones, longè aliud post hæc consilium capiet de bono diligendo post discessum à corpore, agnoscens quantum sit inter virtutes & vitia discrimen. Cum divinitatem participare non poterit, ni prius immixta animo sordes igne purgatorio expurgentur.* Et infra: *Et Prophetas audivimus, quique cum illis, & post illos fuêre, per virtutem, & Philosophiam ad perfectionis culmen perveniisse discipulos, inquam, & Apostolos, & Martyres omnesque, qui conjuncta cum virtute vitam adducta materia vitæ prætulerunt. Qui etsi numero pauciores fiant, si cum eorum copia, qui malo adhæserunt, conferantur, posse tamen in carne virtutem colere ostenderunt. Reliquos verò per disciplinam posteriorem in purgativo igne deponentes affectus materiales, inque gratiam à principio naturæ concessam per desideria bonorum redeuntes.* Idem Nyssenus in *Oratione de infantibus* immaturè abreptis propè initium: *Quid de ipso infante, scilicet abrepto sentiendum? quo modo de his qui hoc pacto obierunt, judicandum? Assistetne & illa anima judicem? Sistetur & illa cum cæteris ante tribunal? subibit anteacta vitæ judicium? dabitne dignas pœnas expurgata igni juxta Evangelij dicta, an verò potius rore benedictionis erit refrigerata?* Evangelii verò locum intelligit, quam frater ejus Basilius in Esaiam, *Ignem veni mittere in terram.*

Eumenius. Eumenius in *primam ad Corint.* explicans illud 3. cap. *Ipse verò salvus erit, sic tamen quasi per ignem,* hæc habet: *Vel etiam hoc pacto possumus intelligere. Qui superædificaverit materiam facilè combustibilem, omnino projectus est. Detrimentum enim passa sunt ipsius studia, ipse verò salvus erit? Quisnam? qui superædificaverit aurum & argentum, & lapides pretiosos. Cum enim de ipso dixisset, quod mercedem accipiet, nunc ait, qualem mercedem, hoc est, salutem? Salvus autem erit cum dolore & ipse, ut par est, cum qui per ignem transit, modicarumque inhærentium sibi sordium indiget purgatione. Nam DEI solius est perfecta impeccabilitas, homines autem quamtumlibet justi, non sunt omnino mundi. Dictum est enim, quod in multis omnes peccamus, & nemo mundus à peccato, etiamsi unius diei fuerit vita ipsius. Dictum quippe est à Malachia etiam, quod ut ignis in fornace, utque herbam lavantium lavabit, & mundabit aliquos DEUS.*

Idem Eumenius citat Basilii Commentarios super Esaiam interpretantis locum illum, *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, his verbis: *In Commentarijs in Esaiam S. Basilius iterum hunc textum repetens, de purgatione ipsum intellexit.* 1.Cor. 3. Theodor.

Theodoretus explicans dictum Pauli locum hæc ait: *Ignem hunc, credimus Purgatorium, in quo purgantur animæ, tanquam aurum fornace.*

Basilius Seleucianus Chrysostomi familiaris in *quarta de Davide Oratione* in ipso fine: *Ne expectemus (inquit) ut igne curemur, ubi perpendendum est illud, igne cremari.* Bas. Sel.

Gregorius Nazianzenus in *Oratione in Cæsarium*, circa finem inquit: *Et nostras & eorum, qui quasi in via paratiores prius ad hospitium pervenerunt, animas commendemus.* Ibidem *Orat.* pro anima ejusdem Cæsarii. Idem Nazianzen. in *Oratione* ad eos qui vocarunt, & non accurrerunt, propè finem: *Superædificantes fundamento fidei, non lignum, non herbas, neque stipulam, materiam tenuem, & facilè combustibilem cum igne dijudicabimur, vel purgabimur, sed aurum, argentum, &c.* Greg. Naz.

Sanctus Ephrem in suo Testamento. *Assiduè*, inquit, *in vestris orationibus mei memoriam faciatis; etenim in vanitate, iniquitate vitam peregi meam.* Ephrem.

Cyrillus Catechesi 5. Mystagogica: *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi sacrificij.* Cyrill.

Eusebius *lib. 4. de vita Constantini* dicit, eum voluisse sepeliri in celebri templo, ut fieret particeps multarum orationum. Euseb.

Epiphanius in fine operis contra hæreses numerat inter dogmata Ecclesiæ orationem pro defunctis: & *hæresi 75.* Aetium hæreticum facit, quia hoc negabat. Epiphan.

Chrysostomus *Homil. 41.* in priorem ad Corinthios: *Juvetur*, inquit, *mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleëmosynis.* Et infra: *Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes.* Homil. 69. ad populum: *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam.* Idem *Homil. 32. in Matth. & 84. in* Joan. *Homil. 3.* in Epistol. ad Philip. & 21. in Acta Apostolorum, & alibi. Chrysost.

Theodoretus *lib. 5. histor. c. 26.* scribit Theodosium Juniorem procubuisse ad reliquias sancti Joannis Chrysostomi, & orasse pro animabus parentum suorum Arcadii, & Eudoxiæ jam defunctorum. Theod.

Theophylactus in *Cap. 12. Luc. Hoc autem dico*, inquit, *propter oblationes & distributiones, quæ fiunt defunctis, quæ non parum conducunt etiam ijs, qui in gravibus delictis mortui sunt.* Theophyl.

Damascenus in libro de iis qui in fide migrarunt, probat hanc veritatem testimoniis multis, Dionysii, Athanasii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, & aliorum. Vide etiam Palladium in *historia Lausiaca cap. 41.* Damasc.

Ex Latinis autem Patribus ferè nullus est qui dissentiat. Sufficiat autem contra Græcos Græcorum Patrum sententias retulisse.

Objicitur Augustinus, qui *21. Civit. cap. 26.* & in Enchirid. *cap. 69.* dicit *dubitari posse, an post hanc vitam anima torqueantur purgatorio igne.*

Respond. Non dubitare de pœna animarum, sed de modo ac qualitate pœnæ. Nam in priori loco, solum dubitat, An purgatorius ignis sit idem

idem in substantia cum Gehennæ igne: in 2. An post hanc vitam urantur animæ igne doloris de amissione temporalium, quo hic uri solent.

Denique rationibus probatur. Prima. Ex illo
Apoc. 21. Apocal. 21. *Non intrabit in illud aliquid coinquinatum.* At multi fidelium hinc emigrant, qui maculas vitæ suæ non satis expiarunt: itaque post obitum purgari debent, ut digni fiant ad inhabitandam civitatem sanctam in cælis.

Secunda. Cum in nobis sint aliqua peccata levia sive venialia, fieri potest, ut quis cum hujusmodi venialibus moriatur. Ergo assignari debet aliquid quo purgentur.

Tertia. Cum reconciliantur homines DEO, non dimittitur semper tota cum peccato pœna: Ergo si antequam solvatur, moriatur homo, illam alibi solvere tenetur. Probatur antecedens.
Num. 12. Nam Mariæ *Num.* 12. dimissa fuit culpa, & tamen jubente DEO luit pœnam per hebdomadam unam. Item in pœnam adulterii Davidis moritur infans: in pœnam numerati populi grassatur pestis.

Respondent primò, hanc pœnam non esse in satisfactionem, sed in remedium, cum eam patian-
Exod. 32. tur justi. DEUS pepercerat populo *Exod.* 32. & tamen in pœnam peccati multi occiduntur, certè non ad emendationem, quomodo enim post mortem emendatio?

Respondent, secundò, in morte deleri omnia. Contrà sequeretur absurdum, nempe unam & eandem esse pœnam, pro gravissimis ac levibus peccatis.

Quarta ratio. In quo omnes conveniunt gentes, vix aliunde provenire potest, quàm à naturali lumine: quæ enim sunt ab hominibus efficta, varia sunt pro varietate gentium. Sed opinio de Purgatorio omnibus Gentibus est communis: (non tamen multæ de pœnis fabulæ, quas sibi quisque pro capite suo finxit) Igitur à lumine naturæ procedit. Sicut DEUM esse, non autem varios, & multiplices esse Deos. Probatur minor.
2. Mach. 12. Ita Hebræi 2. *Mach.* 12. Mahumetani in Alcorano, ubi Purgatorium diserè habetur: Ethnici in Phædone & Gorgia Platonis.

Quinta. Videmus aliquos morientes valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter bonos. Ergo sicut ratio dictat valde bonos statim præmiandos felicitate æterna; valde malos æternis puniendos suppliciis: sic dictat esse temporarias pœnas pro mediocriter bonis.

Sexta. Testantur gravissimi auctores animas apparuisse, renunciantes se in purgatorio versari, implorantes auxilium à vivis. Anima Paschasii apud Gregor. Romanum: Vitalinæ virginis apud Gregor. Turon. Sancti Severini apud Petrum Damianum: Fursæi apud Bedam à mortuis resurgens multa narravit de Purgatorio: sororis sancti Malachiæ apud Bernardum, &c.

Pro solutione tandem argumentorum notandum est primò, quod Scriptura sacra frequenter duorum dumtaxat locorum, scilicet Cæli, & Inferni meminit; partim factum est, quia respicit ad sententiam extremi judicii DEI, qua alii ad beatitudinem, alii ad damnationem mittentur: nec erit porro tempus purgationis. Partim, quod sub nomine justorum, qui beatitudinis fiunt participes, etiam continentur constituti in Purgatorio: quia de sua beatitudine certi sunt, tametsi eam nondum habeant. Partim denique quod omnis legis fines duo sunt: scilicet decernere justis præmia, & iniquis supplicia: tamen in utrisque inveniuntur gradus, ut nec paria sint quorumlibet justorum præmia, nec pares pœnæ iniquorum omnium.

Secundò, ordinarius locus Purgatorii est prope infernum damnatorum, in medio terræ, quo & Christus in triduo mortis suæ descendit. Quod autem quidam leguntur Purgatorium suum habuisse in aliis locis, id speciali DEI ordinatione factum est, in terrorem viventium, ne pœnas Purgatorii leves putent, & liberius peccent. Potest quoque dici, istas animas non continuè fuisse in locis istis extraordinariis, sed pro ordinatione DEI aliquando dumtaxat apparuisse viventibus, reliquo tempore fuisse in ordinario loco Purgatorii.

Tertiò, non mirum est animas in Purgatorio torqueri ab igne certo tempore, cùm aliæ torqueantur in infernali igne in perpetuum, exigente & operante divina justitia, quæ novit igni dare virtutem, ut animas affligat, nec unquam absumat, neque ipse consumatur.

CAPUT VI.

An Sanctorum animæ DEUM videant, & verè beatæ sint ante diem judicii.

PRæcipuus Græcorum, aliorumque Schismaticorum error, ut ex Concilio Florentino, & D. Thoma *Opusc. 6. cap. 9.* constat, ille fuit, ut asserent nec Beatorum animas ante extremi judicii diem beatitudine frui, nec impiorum inferni igne puniri. Cujus oppositum definitum fuit in Concilio Florentino *Sessione ultima*, in decreto unionis Latinorum cum Græcis, ac novissimè in Tridentin. *Sessione 25.* Ac demum post longam inquisitionem idem definivit Benedictus 12. *in Extravag.* quæ incipit; *Benedictus DEUS*: quam refert Alphonsus à Castro *lib. 3. contra hæreses*, verbo *Beatitudo.*

Facilè autem erit veritatem hanc contra Græcos convincere rum scripturarum auctoritate, tum Græcorum Patrum, aliorumque Orientalium testimoniis: quarum plurima adducit doctissimus Gennadius Patriarcha in *Expositione* pro Concil. Florentin. *cap. 4.* ac Cardinalis Bellarm. *Tom. 2. Controversia 4. generali lib. 1. cap. 3.*

Primò igitur Scriptur. auctoritate comprobemus. Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Vel hic Luce 23.
Dominus promittit paradisum terrestrem latroni, vel cælestem, sed futurum, sicut exponitur ille locus, *Qui non credit jam judicatus est*, id est, judicabitur: vel jungendum est *hodie* cum verbo, *dico*, hoc modo: *Hodie dico tibi*, &c. vel promisit in præsenti habiturum visionem beatam, quæ est paradisus cælestis. Non primum: quia Dominus promittit animæ convenientem ei paradisum. At quid animæ cum pomis, & frugibus terrenis? Non secundum quia non est recurrendum ad figuras, cum aperta sunt verba, & nihil inde sequitur absurdi: sicut nec in illis: *Qui non credit*, &c. Non est enim sensus, judicabitur, sed jam judicatur à seipso, cùm nolit veram amplecti fidem. Secundò, quia dixit Christus, *mecum*. At Christus non erat futurus in beatitudine, cum jam in illa esset; nec voluit dicere, eris mecum, sicut alii omnes sunt, quia Christus ubique est, nihil enim speciale ei promisisset. Neque tertium, hoc enim est ridiculum: nonne videbat latro Dominum illa die loqui? Deinde *Hodie* respondet illi adverbio,

Quando,

Quando, Memento mei quando veneris in regnum tuum. Ergo idem est, *hodie eris* in paradiso, illi *Quando*.

Philip. 1. Secundò, ex Paulo ad Philip. 1. *Cupio dissolvi & esse cum Christo*: At esse cum Christo, ita ut requiratur dissolutio corporis mortalis, est esse in gloria ejus. Nam quicquid aliud fingatur, explere non poterat Pauli desiderium.

Tertiò, ipse Paulus ad *Hebr.* 12. describens Sion montem & Hierusalem cælestem, docet eam constare ex Angelis, & Ecclesia primitivorum ac spiritibus justorum perfectorum, id est, Prophetarum & Apostolorum.

Actor. 7. Quartò. Stephanus cum vidisset cælos apertos, & gloriam DEI, clamavit: *Domine JESU accipe Spiritum meum.* Utique in gloriam, quam viderat.

Apoc. 7. Quintò, quia in Apocalypsi apertè dicitur: *Hi qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum DEI, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus.* Quid est ante thronum DEI, nisi DEUM cernere præsentem?

Joan. 14. Sextò, Christus dixit Apostolis Joan. 14. *Vado parare vobis locum, ut ubi ego sum vos sitis.* Et Joan.

Joan. 17. 17. alloquens Patrem sic ait: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Si igitur discipuli modò cum Christo non sunt, vera non fuit Christi promissio.

2. Cor. 5. Ac denique expressè Paulus 2. Corint. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam, æternam in cælis: nam in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est superindui cupientes:* quasi dicat, non est cur timeamus nobis unquam domum defuturam; nam si ab hac mortali pellimur, habemus aliam æternam. Per domum enim non manufactam intelligunt Græci, ut Oecumenius & Anselmus, vitam æternum.

Ex Patribus Græcis probatur.

Ignat. PRimus Ignatius *Epist.* ad Rom. *Aqua viva manens in me, intrinsecus mihi dicit, veni ad Patrem, sine mè puram lucem aspicere, illuc perveniens homo DEI ero.* Et rursum: *Miserabilis sum nunc, donec DEUM merear adipisci.* Significat autem ibi id consecuturum statim post martyrium.

Dion. Areop. Dionysius Cap. 7. Eccleslast. Hierarchiæ. *Norunt* (inquit) *profectò se totos percepturos exactissimam ad Christi speciem, requiem, cùm ad præsentis vita finem pervenerint. Viamque ad immortalitatem suam* (id est, gloriam beatam, cum id neque de immortalitate carnis, aut naturali animæ intelligi possit) *è vicino jam clarius intuentes divinitatis laudant munera.*

Justin. Justin. qu. 75. *Post animi à corpore excessum statim fit bonorum malorumque distinctio: ducuntur enim ad loca, quæ eis digna sunt ab Angelis: bonorum quidem animi in Paradisum, ubi consuetudo est, & aspectus Angelorum, & Archangelorum, visio etiam conservatoris Christi ex verbis his: Peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum: improborum autem ad inferorum loca.*

Irenæus. Irenæus lib. 1. cap. 2. *Justis, & æquis, & præcepta ejus servantibus, & in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio*, (id est, statim ut mortui sunt, sine macula & reatu:) *quibusdam ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris confert, & claritatem æternam circumdat.*

Basil. Basilius loquens de sancto Gordio, *Erat* (inquit) *afflictus, non ut qui in lictoris manus deventurus esset, sed velut Angelorum manibus seipsum commissurus, qui statim ipsum recens mactatum, assumptum ad beatam vitam translaturi essent.*

Greg. Naz. Gregorius Nazianzenus *Oratione* in Basilium: *Tu obiter* (alloquitur Basilium defunctum) *è cælo respice, &c. ut hinc demum discedentem me, in æterna tabernacula recipias, & beatam Trinitatem, eo quo est modo, tecum pariter contemplari valeam.*

Greg. Nyss. Nyssen. *Oratione* in sanctum Ephrem: *Tu vero divino assistens altari vitæque principi, & sacrosancta una cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum recordare, nobiscum peccatorum veniam impetra.*

Chrysost. Chrysost. *Homil.* 3. in Epist. ad Philipp. *Peccatores ubivis fuerint, procul à Rege sunt, atque ideo digni qui fleantur. Justi vero sive hic, sive in futuro sæculo fuerint, cum Rege sunt; illic tamen magis, & propius, non per ingressum, ac fidem, sed facie ad faciem.*

Cyrill. Cyrillus Alexand. *lib.* 11. in Joan. *c.* 36. ait, *Sanctorum animas post mortem evolare in manus DEI Patris, quo vitam perpetuam cum Christo habent, qui viam primus aperuit.*

Epiphan. Epiphanius *Hæresi* 78. in fin. *Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio hinc in perfectione, sors ipsorum in beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum Angelis, diæta in cælo, gloria in honore incomparabili & perpetuo bravio in Christo JESU Domino nostro.*

Theodor. Theodoret. *lib.* 8. *ad Græcos*, qui est de Martyribus. *Si cælum sedes illorum est, qui piè vixerunt: hunc profectò finem sui cursus, & Martyres jam consequuti sunt, his enim magis pium esse nihil potest. Ideoque majori sorte meritò perfruuntur Martyres, qui nunc, & à cunctis latè mortalibus honores amplissimos ferunt, & æternis sunt insigniti coronis.*

Euseb. Eusebius *lib.* 4. *histor. cap.* 15. ait, *Polycarpum post mortem immortalitatis præmia adeptum*: At quæ est immortalitas, præter naturalem animæ, nisi gloria beata?

Damasc. Damascenus *Historia de Barlaam & Josaphat* in fine: *Vultui Domini nitidè & nudè præsentatur, illiusque gloriæ, jam ante promissa sibi corona, exornatur.*

Theophyl. Theophyl. in cap. 23. Lucæ: *Dicendum est, idem esse Paradisum, & regnum cælorum: Nam latro est in paradiso, ac regno, alioquin non frueretur perfecta bonorum participatione.*

Oecumen Oecumenius *in* 9. ad Hebræos; *Christum non solum ingressum in cælum, sed etiam secum duxisse genus humanum, id est, sanctos Patres. At quid est secum duxisse, nisi participes fecisse gloriæ suæ?*

Ex Latinis vero Patribus innumeri sunt, qui hanc veritatem fatentur, ex omnibus tamen præcipuè Gregorius Magnus, quem Græci ipsi maximè venerantur, eam ex professo probat *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 25.

Idem probatur ex officiis, quæ in Ecclesia Græcorum celebrantur.

DEnique Gennadius Patriarcha, ut supra, ipsos Græcos ex eorum libris preces, psalmos, ac vitas Sanctorum continentibus manifestè convincit. Ipsum tamen audiamus, quia ex testimoniis ab ipso collatis efficax adversus Græcos desumitur argumentum. In fine igitur *cap.* 4. sic *Gennad.* inquit: Sed subit mihi dicere, etsi durum vobis videbitur, in magnis profecto nugis aures vestræ versantur, magna voce canitis, nihil tamen intelligitis, sive potius negligitis, legere enim & non intelligere, dixit quidam ex sapientibus, est negli-

negligere : quoniam libri omnes de precibus id continent, Sanctorumque animas in cælo esse Damascenus, & Theophanes ejus rei auctores clara voce clamant: magnas igitur gratias habere vobis debemus, quia non aut delestis, aut ea fraude aliqua in codicibus obliteraſtis, ut quidam ante vos in tractatibus & libris de processione Spiritus sancti conscriptis effecerunt; id tamen illis inutiliter cessit, nam adhuc libri manent, qui maleficorum audaciam testantur : & apud vos perbellè servantur, & quotidie cum vocis modulatione concinuntur, Menstrua, Tirodia, Sermones, Metaphrases, Quinquagenaria, Versiculi, Troparia, Idiomela, Contacia, Aecis, ynaxaria, Exapostilaria: & ne singula enumerem, omnis fere Ecclesiæ nostræ scriptura ita sentit. Nam Ecclesiæ Theologi, ac Doctores, Poëtæ, melodique profunda meditatione perpendentes, hoc statuerunt: quasi ex uno cratere sapientiæ referto, omnes omnino hauriendo. Idcirco nec discordant, nec sibi contradicunt mutuo, nec dissentiunt inter se.

Sunt modi cantādi in Ecclesia Græcorum.

Unde igitur exordiemur? à prima die mensis Septembris in Idiomelis D. Simeonis Stylitæ: *Sancta tua anima*, iniquit, *Pater Simeon, in societate exultat Angelorum.* Et in alio: *& cum incorporeis in cælo tripudians.* Rursus in altero: *cum Angelis DEO assistens.* Vigesima octava ejusdem mensis de sancto Cyriaco: *Et nunc Paradisum incolis in omni lætitia constitutus.* Octobris primo de Divo Romano: *Cum justis intus in divina gloria inhabitans, oblectationem illam ineffabilem aspicis. Vides indesinentes delitias, aspicis calorum pulchritudinem, quæ vere est amabilis, aspicis beatissime choreas Patriarcharum.* Eodem mense vigesimo sexto, de Divo Demetrio magno Martyre: *Habet quidem tua divina anima, & immaculata, glorioſe Demetri, cælestē pro habitatione Hierusalem.* Et iterum: *In ultra mundanas sedes immaculatum spiritum tuum, sapiens Martyr Demetri, Christus DEUS recepit.* Et alibi: *DEO assiduè assistens.* Et rursus manifestius: *Beatitudinis finem es consequutus Christo assistens, toto corde deprecare.* Et iterum: *Nunc tu Christi vultum intueris in faciem ô Cyrille, speculis vere confractis, tuo divino amori junctus es.* Et rursus: *Recordare nostri Pater Basili, consubstantiali Trinitati assistens.* Alibi: *Et nunc in calis speculo effractis, Antoni, sincerè sanctam inspicis Trinitatem citra medium congressus.*

Et de magno Gregorio, *Partim*, inquit, *victoria tua coronam recepisti, partim vero cum Christo regnas splendidissima ex sanguine purpura indutus & sceptro tuorum certaminum ornatus, & corona gloria conspicuus in infinita sæcula.* Et alibi: *Hodie Martyr de peregrinatione triumphans ad cælestia pervenit, & in gloria throno offert sanguinem cadu.* Et in alio: *Insignis & strenuus Gregorius in suo glorioso certamine supernas potestates lætificans, & nunc una cum ipsis exultans.*

In Nona de magno Paulo, Junii vigesima nona: *Nunc non in ænigmate, neque in speculo Christus à te conspicitur, imo in faciem facies aspicitur, integram tibi divinitatis gloriam detegens.* Et in aliis: *Pro Christo passi ô decertatores Martyres, animas in calo habetis in manu DEI.* Et rursus: *Tui Christe sacerdotes justitia induti sancti à sæculo gaudent, divinam tuam pulchritudinem clarius intuentes.* Et in aliis; *Nunc non in ænigmate Pater, non in speculo aspicis lucem numinis omnium principij, facie ad faciem sapientissime, qui & splendoris, & visionis divinæ dignus effectus es.* Et rursus: *Cum Angelis tripudias, beate Onesime, martyrij corona ornatus; refulgenti throno salvatoris assistens.* Et alibi: *Sanctorum ordines, cum qui inter Angelos requiescit magna voce laudantes, divinis nunc fruuntur delitiis, & lætantes tripudiant.* Et in alio: *Superintellectuali splendore exactorati Sancti, & divina lætitia splendidè repleti Dij vocamini, ut ei proximi, inter divinos splendores versantes, & gloriæ ineffabilu radijs illustrati.* Et rursus: *Sacris melodiis celebrentur, quasi cælestis heredes regni, quasi incolæ paradisi.* Et alibi: *Concives Angelorum.* Et rursus, *Sanguinis tui pretiosi intinctione Martyr purpuram tibi pretiosam comparasti : qua indutus cælestem regiam verè inhabitas; DEO supremo Regi assistens. Assistere vero supremo Regi*, quid aliud per DEUM significat, nisi quod sancti quatenus animæ beatitudine perfruuntur? In aliis vero; *Patribus hymnum offeremus, qui ante legem & in lege refulserunt, & qui ex Virgine genito Domino, & hero recta mente inservierunt, & inaccessibilem lucem hanc adepti sunt.* Et in alio: *Nunc ô Beate intercede apud DEUM pro tuo grege.* Et rursus: *Cæleste Regnum concupisti, quo nunc beatissime verè frueris.* Et in alio: *Super omnem virtutem positus, Pater Antoni, cum Angelis versaris in Regno calorum.* Et rursus: *DEI præco Athanasi, qui pericula, & perpetuas tentationes sustinuisti, nunc deliciarum paradisi dignus es factus, divinas mansiones consequutus, incorruptibilis vitæ ligno propinquus, ut justitiæ victor, corona & diademate cælestis regni exornatus, decore conspicuus & forma præcellens.* Et rursus: *Splendidissimo & fulgentissimo lumine lucidius nunc illustratus.* Et rursus: *Non in ænigmate nunc gloriam, quam à puero concupisti vide beate Eutychi, imo facie ad faciem nunc solutis carnis speculis pater noster.* Et rursus: *Ex difficilibus angustijs & corruptione in amplam & jucundam Paradisi lætitudinem pervenisti, sanctorum visurus splendidam lucem, & Angelorum choreas DEO assistentes & incessanter clamantes.* Et alibi: *Terra quidem nunc operuit corpora vestra, cælum vero ô sancti Spiritus semper fert, throno gloriæ assidentes, & cum Angelis exultantes.* Et alibi: *Nunc cælos incolis Martyrum pie sanctorum & justorum.* Et in alio: *Princeps sacrorum Eumeni, qui libertatem tibi apud Christum comparasti, juxta cujus thronum sancta in gloria assistis nunc cum Angelis sanctis.* Et rursus: *Ad tranquillum portum appulisti, à laboribus requiescens & coronatus tripudias in paradiso, una cum Christi Martyribus. Niceta divine omnes merito te glorificamus.* Et rursus in alio: *Qui à dextra assistis Trinitati, & immediate versaris.*

Et in *Ode nona Canonis* sancti Joannis Theologi: *Nunc non in ænigmate, sed facie ad faciem, delitiarum torrentem inspicere meritus es, pacis flumen, & fontem immortalitatis, qua nunc irrigatus divinitate perfrueris.* Et Augusti quarta: *Non amplius in speculo conspicis summum bonorum ô sancta Martyr, ad faciem aspicis faciem, jam solutis verè, ô Eudocia, imaginibus.* Ecce jam nihil apertius ut mihi videtur, reperitur his, quæ à nobis allata sunt, id est facie ad faciem, & nunc divinitate perfrueris, &c. in paradiso nunc coronati tripudiant, &c. nunc DEI throno cum sanctis Angelis assistunt, quid aliud possumus intelligere præterquam quod quatenus animæ perfruuntur, ut antea exposuimus, & jam evidenter ostendimus?

Quod si his non acquiescitis, & alia ex ejusdem generis scripturis afferemus. In *Ode nona* sanctorum Patrum Antiphona ita dicit: *Magnum cultum meriti estis cælestes sancti, quia Christi figuram studiose imitati estis, & nunc umbra, & carnis operimento depositō eum facie ad faciem videtis, & maxima meriti estis.* Et alibi: *Semper suffragaris ijs, qui te laudant, & tum celebrant festum Domino assistens Onesime, totus refulgens, totus resplendens, totus cæ-*

lestibus

lestibus fulgetris coruscans. Et alibi: *Insperitis Martyres divinam pulchritudinem manifestius & clarius.* Et rursus: *Ubi ordines Angelorum, ubi justorum populi exultant.* Et in alio: *Et regnum calorum aperte meriti Trinitatis radijs illustrati, & admiratione digni.* Et rursus: *Sabba beatissime Angelorum aqualis, sanctorum contubernalis, Prophetarum socius, Martyrum, & Apostolorum cohares, lucem non occidentem nunc incolens, cujus divinis facibus illustratus summo Principi assistens, & apertè coruscans: audisne? lucem non occidentem dicit: Nam DEUS est lux non occidens, habitat autem nunc cum DEO: praeterea summum principium quid significat? Summum enim bonorum, summum principium, summam pulchritudinem, nil aliud est nisi DEUS ipse: hic ei assistit, & habitat cum eo quid aliud per DEUM denotat, praeterquam quod sancti nunc quatenus anima perfruuntur? Si vis & alia audire, jam dicemus. Et inaccessibili luce nunc perfruuntur.* Et in alio: *Sanctorum chorus vitae fontem, & januam paradisi nactus est.* Et rursus: *Et justi veluti luminaria refulgent.* Et alibi: *Cum terrena certamina perlustrassent veri Martyres coronas sunt consequuti.* Et rursus: *Certatores Martyres ac caelicives in terra decertantes multos cruciatus pertulerunt, & perfectam in caelis coronam receperunt, ut pro nostris animabus intercederent.* Et rursus: *Celeberrimi Martyres vos non terra operuit, sed caelum excepit, apertae sunt vobis portae paradisi, & intro profecti lignum vitae estis assecuti, apud Christum intercedite.* Ubi sunt qui dicunt sanctos non esse, sive sanctorum animas nunc in paradiso non esse? Nonne audiunt Damascenum dicentem, *Apertae sunt vobis portae paradisi?* Nonne audiunt, *Introgressi?* & non agnoscunt, *Signum vitae consecuti sunt? & intercedunt pro nobis?* Si igitur neque receperunt, neque intercedunt, neque Christum vident, neque ipsi assistunt, neque divina luce perfruuntur, & ut uno verbo dicam, nemo ex sanctis, ut ipsi putant, nunc cum Christo est, ubi sunt quae psallimus? num falsa? Absit. Ubi *spiritus & animae justorum laudant te Domine?* Et illud: *Diffractis speculis sancti facie ad faciem DEUM videtis.* Si nunc cum Christo non sunt, non receperunt, neque intercedunt. Si verò non intercedunt, cur invocamus? si enim nunc non intercedunt, nunquam intercedent, nam in futuro non est intercessio. Non ne audis illud? Non intercessione ibi opus est dimisso conventu. Etiam novi Theologi dicunt, peculiariter recipiunt, & DEUM in faciem vident, sed ineffabilia bona, quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, non receperunt adhuc: non enim omnino possumus diffiteri sanctos in praesentia non esse cum Christo. O insipientiam! id, ut ego existimo, risu magis, quam responsione dignum est: nam paulo ante ostensum est, haeresim esse hanc absurdam, argutiolam; nec de ea opus est amplius disputare. Hactenus Gennadius.

Idem rationibus ex Scriptura sacra desumptis.

Prima. DEUS non est ad puniendum pronior, quàm ad remunerandum: sed impiorum animae nunc in inferno torquentur: ergo & justorum sine macula & reatu statim à morte beantur.

Luca 16. Probatur minor *Luca 16.* Epulo damnatus rogat Abraham, ut mittat Lazarum ad fratres suos. Respondet Abraham, *Habent Moysem & Prophetas.* At sive sit res gesta, sive parabola; nec vera, nec verisimilis esset, si tantum de tempore futuro post resurrectionem intelligenda veniret: tunc enim non erunt homines in terra: quomodo ergo audient Moysem & Prophetas? Igitur saltem erit figura status damnatorum illico post mortem.

Secunda. Ante Christi adventum Sancti non invocabantur, postea vero invocantur à tota Ecclesia Catholica, & ita faciendum docent Patres Graeci, & Latini. Ergo non sunt in limbo, alioquin non differrent ab antiquo statu. At non potest dici ubi sint post limbum, nisi in paradiso; igitur in eo sunt.

Tertia. Ante Christum mors deflebatur sanctorum, post cum laetitia celebratur: ad quid hoc, nisi quia tunc mori miseria erat, nunc vero felicitas.

Quarta. Non est aequum mercedem retineri, cùm debetur, & reddi potest, Levit. 19. *Non morabitur apud te opus mercenarij tui usque mane*: At post mortem debetur Sanctis vita aeterna, & nihil est quod impediat reddi: sunt enim sine reatu, & macula, ac janua caelorum est aperta per Christum. Igitur cum DEUS sit maximè justus, eam statim reddit. *Levit. 19.*

Quinta. Non convenit ut affligantur, qui nullum habent reatum, aut peccatum, cujusmodi sunt sancti. At spes, quae differtur affligit animam. Ergo non differtur saltari in Sanctis.

CAPVT VII.

De unione Graecorum facta in Concilio Florentino.

DEnique ad Graecorum errores convincendos, inter alia nullum forsan inveniemus efficacius argumentum, quam si in medium producamus Bullam unionis inter ipsos & Latinos in Concilio Florentino sub *Eugenio Papa IV.* celebrato: ubi anno salutis 1438. Joannes Palaeologus ipsorum Imperator, Patriarcha Constantinopolitanus, & ceteri ex omni Graecia viri gravissimi Latinis dexteram dedêre: ubi retractatis sive correctis sententiis & erroribus Primatum Romani Pontificis inter alia, in eo Concilio agnoverunt: non vi coacti, non muneribus allecti, non numero suffragiorum à Latinis victi aut superati, sed sua sponte & voluntate ducti, neque alio modo oppressi (erant enim ipsi sub protectione proprii Imperatoris, nempe Palaeologi, qui praedicto Concilio adfuit) sequentes articulos in Bulla unionis relatos simul cum Ecclesia Catholica confessi sunt. Et ne quis suspicetur tantum in Latinorum historiis aut libris id conscriptum haberi; legat historias Graecorum, praecipuè Georgium Pachimerium *lib. 5. historiarum*, ubi refert capita pacis Graecorum cum Latinis. Videndus est etiam Leonicus Chalcondylas rerum Turcicarum *lib. 1.* & Jacobus Navarchus Ondischotanus in *Epistola Asiatica*: qui omnes unionis factae in dicto Concilio meminêre, ut latius refert P. Azorius 2. *Tom. Institut. Moral lib. 4. cap. 15.*

Insuper adde hanc Graecorum confessionem non subitò, non verbo tantum factam esse, sed potius post diuturnam deliberationem & singulorum subscriptionibus adjunctis, ut *infra* patebit, uno excepto Episcopo Marco Ephesino, & figillo Imperatoris fuisse confirmatam: aderant quoque Vicarii trium Patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, ac denique Legati Patriarchae Armenorum supervenerunt; & cum

Ecclesia Catholica sese conjunxerunt, & ab Eugenio IV. fidei regulam acceperunt, qua confessi sunt se tenere, quicquid tenet & docet Romana Ecclesia. Literæ autem unionis habentur in *fine Sess. ultimæ* Concilii Florentini, in hæc verba.

Sanctæ unionis factæ in Concilio Florentino inter Patres Græcos & Latinos literæ.

EUGENIUS Episcopus servus servorum DEI ad perpetuam rei memoriam. Consentiente ad infra scripta charissimo filio nostro Joanne Palæologo Romanorum Imperatore illustri, & loca tenentibus Venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & ceteris Orientalem Ecclesiam repræsentantibus.

Lætentur cæli & exultet terra: sublatus est enim de medio paries, qui Occidentalem Orientalemque dividebat Ecclesiam, & pax atque concordia rediit illo angulari lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo charitatis & pacis, unumque jungente paritem, & perpetuæ unitatis fœdere copulante ac continente, postquam longam mœroris nubulam, & dissidij diuturni atram, ingratamque caligimem serenum omnibus unionis optatæ jubar illuxit. Gaudeat & Mater Ecclesia, quod filios suos hactenus invicem dissidentes, jam videt in unitatem pacemque redisse, & quod antea in eorum separatione amarissimè flebat, ex ipsorum modo mira concordia, cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, & qui Christiano censentur nomine, matri Ecclesiæ Catholicæ collætentur.

Ecce enim Occidentales Orientalesque Patres, post longissimum dissensionis atque discordiæ tempus, se maris ac terræ periculis exponentes, omnibusque superatis laboribus ad hoc sacrum Oecumenicum Concilium desiderio sacratissimæ unionis, & antiquæ charitatis reintegrandæ gratia, lati alacresque convenerunt, & intentione sua nequaquam frustratis sunt. Post longam enim laboriosamque indaginem, tandem Spiritus sancti clementia, ipsam optatissimam sanctissimamque unionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis DEI beneficijs gratias referre sufficiat? Quis autem divinæ miserationis divitias non obstupescat? cujusve ferreum pectus tanta supernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus divina opera, non humanæ fragilitatis inventa, atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, & divinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe, fons misericordiarum, qui tantum boni sponsæ tuæ Catholicæ Ecclesiæ contulisti, atque in generatione nostra tuæ pietatis miracula demonstrasti, ut enarrarent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem divinumque munus nobis DEUS largitus est, oculisque nostris vidimus quod ante nos multi cum valde cupierint, aspicere nequiverint.

Convenientes enim Latini & Græci in hac sacrosancta Oecumenica synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimonijs ex divinis scripturis, plurimisque authoritatibus sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium, aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum, & ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis. Græci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferrent, ut excludant filium, sed quia eis videbatur, (ut ajunt) Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, tanquam ex duobus principijs & duabus spirationibus, ideo abstinuerunt à dicendo quod Spiritus sanctus ex Patre procedat, & Filio. Latini verò affirmaverunt, non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Filioque procedire, ut excludant Patrem, quin sit fons ac principium totius Deitatis, Filij scilicet & Spiritus sancti, aut quod id quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius à Patre non habeat, sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes, sed ut unum tantum asserunt esse principium, unicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt; & cum ex his omnibus unus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam sanctam, DEO amabilem, eodem sensu, eademque mente unionem unanimiter omnes concordarunt & consenserunt.

In nomine igitur sanctæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, qui Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit: declarantes quod id quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Definimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item in azymo sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Item si verè pœnitentes in DEI charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari, & ut à pœnis hujusmodi relevetur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta: illorumque animas quæ post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in sua corporibus, vel iisdem exutæ corporibus (prout superius dictum est) sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum DEUM trinum & unum, sicuti est, meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius. Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Item definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro JESU Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus,

nonibus, ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus & juribus eorum. Datum Florentiæ in sessione publicâ synodali solenniter in Ecclesia majori celebratâ, Anno incarnationis Dominicæ 1439. pridie nonas Julij, Pontificatus nostri Anno nono.

Subscriptiones Imperatoris, ac Orientalium Patrum, qui in Synodo aderant.

EGo Joannes Palæologus *fidelis in Christo Rex & Imperator Romanorum, subscripsi.*

Ego Antonius *humilis Metropolita Heraclienſis, & Consiliarius Edissenorum, totius Thraciæ & Macedoniæ* Primas, *&* Philothei *sanctissimi Patriarchæ, & Sedis Apostolicæ Alexandrinæ locum tenens subscripsi.*

Ego Gregorius *Protosingelus Confessor spiritualis, ac Sedis Apostolicæ Alexandrinæ & ejus Domini Patriarchæ locum tenens, subscripsi.*

Ego Isidorus *Metropolita Syriæ & totius* Russiæ, *ac Domini* Dorothei *Patriarchæ Antiocheni, & ejus Sedis Apostolicæ locum tenens, suscripsi.*

Ego Dositheus *humilis Metropolita Mopsuestiæ, &* Joachimi *Sanctissimi Patriarchæ Hierosolymitani, ac ejus Apostolicæ Sedis locum tenens, subscripsi.*

Ego Metrophanes *humilis Metropolita Cyzici, ac locum tenens Ancyrensis subscripsi.*

Ego Dorotheus *humilis Metropolita Trapezunden. ac locum tenens Cæsarienſ. Antistitis, subscripsi.*

Ego Bessarion *divinâ miseratione Archiepiscopus Nicænus, ac locum tenens Sardensis Præsulis, subscripsi.*

Ego Macharius *humilis Metropolita Nicomediæ subscripsi.*

Ego Ignatius *humilis Metropolita Toroniæ ac locum tenens Nicomediensis Antistitis me subscripsi.*

Ego Dorotheus *humilis Metropolita Mitylenensis, ac locum tenens Sidensis Pontificis me subscripsi.*

Ego Damianus *humilis Metropolita Muldoblachiensis, ac locum tenens Sebastien. Præsulis subscripsi.*

Ego Joseph *humilis Metropolita Amasiensis subscripsi.*

Ego Nathanael *humilis Metropolita Colossensis, ac Insularum Cycladum subscripsi.*

Ego Gennadius *humilis Metropolita Gannensis subscripsi.*

Ego Matthæus *humilis Metropolita Melitenensis subscripsi.*

Ego Dositheus *humilis Metropolita Dramensis subscripsi.*

Ego Sophronius *humilis Metropolita Anchialensis subscripsi.*

Ego Bessarion *Archiepiscopus Nicænus mandato ac nomine Emanuelis Diaconi ac magni Sacellarij* Chrysocuchi *vulgo nuncupati, qui eadem nobiscum sensit, subscripsi.*

Ego Theodorus *Zanthopulus Diaconus, & magnus Sacrista subscripsi.*

Ego Michael *Balsamorum Archidiaconus, & magnus Bibliothecarius subscripsi.*

Ego Sylvester *Syropulus, Diaconus Ecclesiarches, ac juris servator subscripsi.*

Ego Gregorius *Protecdicus Diaconus Cappadocus, subscripsi.*

Ego Constantinus *Archiepiscopus, ac locum tenens Muldoblachiensis Præsulis, subscripsi.*

Ego Ecclesiarches *venerandæ mansionis, & sanctæ Basilicæ magnæ Laureæ Montis sancti, ac ipsius mansionis locum tenens subscripsi.*

Ego Athanasius *olim Abbas circumspectè subscripsi.*

Ego Gerontius *Abbas sanctæ mansionis omnipotentis, subscripsi.*

Ego Germanus *olim Abbas sancti Blasii, subscripsi.*

Ego Pachumius *Confessor ac Abbas sancti Pauli subscripsi.*

CAPVT VIII.

An propter supradictos errores Græci sint censendi hæretici, an tantum schismatici?

PRimò statuendum est schisma ab hæresi differre in hoc, quod hæresis sit dogma fidei contrarium; schisma vero sit crimen, quod quis ab unitate Ecclesiæ recedit, ac proinde hæresis est contraria fidei, non tamen schisma, sed tantum Ecclesiæ unitati: ita docet B. Hieronymus, ut refertur 24. *quæst.* 3. *c.* in hæresim, & D. Augustinus *lib.* 20. *contra Faustum*, & alii Patres: ut si quis confiteatur esse oportere in Ecclesia unum caput universale; sed fateatur hunc, vel illum, videlicet Joannem aut Petrum non esse verum & legitimum caput Ecclesiæ, diceretur schismaticus, non tamen hæreticus. Schismatis & hæresios discrimen.

Secundò supponendum est schismaticos, quamvis hæretici non sint, non esse membra Ecclesiæ, & extra illam esse: nam si Ecclesiam accipiamus, ut est Fidelium congregatio sub uno capite, nempe Christo Domino, & ejus in terris Vicario, Romano Pontifice viventium, schismatici sicut & hæretici extra Ecclesiam sunt: quia sicut hæresis separat & dividit hæreticos ab Ecclesia, ita schisma dividit, & separat schismaticos à capite & unitate Ecclesiæ: ac ideo jure extra Ecclesiam esse dicitur, qui ab Ecclesiæ unitate & communione recedit. Schismatici extra Ecclesiã.

Prima Propositio, Græci ab Ecclesia Romana sunt separati & schismate divisi. Nam ut D. Antonin. *tertia parte historiarum tit.* 22. *c.* 13. §. 1. & 2. scribit, præcipuas Orientis Ecclesias & maximè Constantinopolitanam duodecies ab Ecclesiæ Romanæ Sede & potestate se ipsas subtraxisse: & certè publicè & apertè ter Græci ad Ecclesiæ Romanæ unitatem redîêre; scilicet in Concilio Lateranensi sub *Innoc. III.* Lugdunensi sub *Gregorio X.* Florentino sub *Eugenio IV.* Postea verò ad schisma reversi ac proinde excommunicati permansêre, excommunicatione majori, qua omnes schismatici in Bulla Cœnæ Domini feriuntur. Et ideo ab Ecclesia Latina & Catholica divisi in statu damnationis æternæ versantur. Nam, ut benè D. Augustin. *de fide* ad Petrum *cap.* 38. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum omnes paganos, sed etiam omnes Judæos, hæreticos, atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.* Et *c.* 39. ubi supra ait: *Firmissime tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum vel schismaticum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, etiamsi proximi nomine vitam fuderit, non posse salvari.* Græci schismatici. *S. August.*

Præcipua tamen difficultas est, An Græci non solum schismatici, sed hæretici sint censendi. Nam D. Thom. in *Opusc.* 1. *cap.* 32. asserit, *Non minus solvi* JESUM *ab his, qui Spiritum sanctum asserunt à Patre & Filio non procedere, quàm solvi tentatum sit ab Ario & Macedonio, Nestorio, & ejus-*

modi aliis: sed quisolvit JESUM non solum est
D.Thom. hæreticus, ut ipse D. Thomas ex Joan. Apostolo docet, sed & Antichristus: igitur Græci non solum schismatici, sed hæretici judicandi sunt. His
Græci, schismatici tantum non hæretici. tamen non obstantibus alii opinantur Græcos tantum esse schismaticos: ita ex junioribus docet Pater Azorius 1. *prima Instit. Moral. lib.* 8. *c.* 20. *q.* 10. Quare merito ab Ecclesia Catholica non hæretici, sed schismatici censentur & appellantur:
Azorius. ita aperte insinuat D. Bernardus in *Epistola ad Eugenium* lib. 3. *Ego addo*, inquit, *de pertinacia Græcorum, qui nobiscum sunt, & non sunt: juncti fide, pace divisi, quamquam & in fide ipsa claudicaverint à rectis semitis.* Idem aperte tenet D. Thom. *Opusc.* 2. ubi docet Patres Græcos in Catholico sensu esse exponendos Ratio hujus opinionis est, quoniam, ut prædictus auctor docet, in prædictis fidei articulis, de quibus Græci accusantur ab aliquibus, ut hæretici, potius nomine, quàm re ab Ecclesia Romana dissident. In primis inficiantur illi Spiritum S. à Patre Filioque procedere, ut in Bulla unionis *Eugenij IV.* dicitur, existimantes Latinos sentire à *Patre Filioque* procedere tamquam à duobus principiis, cum tamen Latina doceat Ecclesia procedere à duabus personis tamquam ab uno principio & spiratore; quare Græci ut unum principium significent, dicunt Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere ab omni æternitate. Nec diffitentur omnino Romanum Pontificem Petri successorem in Ecclesia Primatum à Christo Domino accepisse, sed nihilominus dicunt totam Ecclesiam in generali Synodo coacta, majorem potestatem habere in rebus fidei, & cæteris, quæ ad generalem Ecclesiæ statum pertinent, definiendis. Quæ fuit etiam sententia Gersonis, & Parisiensium Theologorum, nondum ab Ecclesia tamquam hæretica generali decreto damnata.

Præterea Græci purgatorium ignem non prorsus de medio tollunt, ut ipsi clarè fatentur *Sess. ultima Concilij Florentini*, imò affirmant se perpetuo purgatorium agnovisse, (verè enim sacrificia & preces offerunt DEO pro mortuis, non Beatis certè, neque damnatis ad inferos, quod planè esset absurdum, & impium: ergo pro his, qui cum fide & pietate hinc discesserunt, sed nondum plenè pœnas peccatorum debitas persolverunt) sed solum id inficiari videntur certam ignis corporei pœnam, de quo nihil est de fide determinatum ab Ecclesia, ut optime docet Bellarm. *lib.* 2. *de Purgat. cap.* 10. Quicquid autem sit, de his & aliis fidei articulis, in quibus multi Græci & alii Orientales mala fide errant, & proinde hæretici sint, Græcos tamen non hæreticos, sed schismaticos appellamus, quia morem loquendi pristinum retinemus.

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM,

LIBRI VI.

PARS SECVNDA.

De juvandis Græcis, & ratione agendi cum eis, ut ad fidem Catholicam alliciantur.

CAPVT I.

De causis præcipuis unionem Græcorum cum Ecclesia Catholica impedientibus.

IN primis scire necessarium est præcipuas causas, quæ unionem Græcorum cum Ecclesia Catholica impediant, ut his cognitis, & patentibus, facilior sit via ad eas removendas. Causæ igitur, cur inter Græcos & Latinos tanta sint in Religione dissidia, latissimè numerantur à Possevino *Tom.* 1. *lib.* 6. *à Cap.* 2. per plura capita. Nos
Causa dissidiorũ inter Græcos & Latinos. autem brevitati consulentes, ex eodem Auctore præcipuas tantum recensebimus.

Prima causa & veluti radix referri potest, ad collapsas, quæ olim in Græcia floruerunt, Academias, & cum eis omnes literarum disciplinas, quæ modo restitui vix sine magno periculo posse videntur, dum alienam Græci in Oriente dominationem ac jugum patiuntur. Re tamen attente considerata haud tantum imminet à Turcis periculum, quantum fortasse prima fronte apparet. Nam Turcæ, ut experientia constat, liberum cuique relinquunt, ut quam velit Religionem teneat, modò adversus Mahometi sectam nihil dicatur. Unde cum solidæ pietati nihil sit inaccessum neque difficile, dum serio nihil aliud, quàm Christus, & ejus gloria quæratur, prædictum impedimentum poterit superari.

Secunda causa referri potest ad remissiorem eorum curam, à quibus etiam inter populos Latini ritus Græci juvari potuissent, atque ad pietatem accendi. In qua etiam re, fortè plurimum à nostris peccatum fuit: Nam sicut perfecta charitas magnos præ se fert stimulos ad pietatem, ita cum hæc refrigescit, non solum sibi, verum etiam ceteris obest.

Tertia referri potest, quia aliquando à Latinis non omnino verè, vel saltem ea, quæ inter Christianos decet charitate aliqua fuerunt Græcis objecta, quibus eorum animi commoti, erga Latinos malè fuerunt affecti. Nam ut constat ex supradictis, multi errores illis ab Auctoribus imponuntur, quibus non fuerunt maculati.

Quarta accedat, falsati códices Græci Patrum, quos

quos aliqui ex ipsis etiam nunc versant. Nam ut omittam nunc antiquiora, (quæ historias legenti nequaquam erunt abscondita) suppositosque generalibus Synodis quaterniones falsos, exceptis veris, (sicuti etiam Florentina Synodus monstravit) versantur quotidie inter Græcorum Sacerdotum manus ac publicè populis recitantur libri, in quibus pleraque falsa sunt: & hæc viri inter ipsos perdocti, & graves ingenuè fatentur, hacque occasione Constantinopolitano Patriarchæ scripserunt, ut emendati prælo darentur: sic enim ajebant futurum, ut plebs sensim desuesceret ab erroribus iis, quibus ingenia quoque Sacerdotum pervertuntur.

Accedunt etiam errores in Græcorum Rituali sparsi, & à Nicephoro Xantopolo in Latinam Ecclesiam pessimè affecto, ab hinc ducentis annis disseminati. Ex quo fit, ut populi prædictos errores videntes, odio contra Ecclesiam foveant, existimantes vera esse, quæ ibi referuntur: quæ maledicta, præterquam quod non decebat, ut inter officia divina recitarentur, ad nihil aliud valent, quàm ad Græcorum odia contra Ecclesiam renovanda: quale est illud, in quo ad versiculum *Psal. 96.* alludens, *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia*, inquit: *Confundantur omnes, qui adorant Azyma.*

Quinta causa diffidii Græcorum credi potest species austerioris vitæ, quæ in eorum Hieromonachis, Metropolitis, Archiepiscopis atque Episcopis frequenter cernitur. Hæc igitur austerioris vitæ ratio Latinos contemnendi præbuit occasionem, non considerando quamplurimos Monachorum Ordines etiam in Ecclesia Latina reperiri, qui in hac palæstra se exerceant, quorum Græci monendi sunt, non in corporis maceratione, sed in charitate, fide, & spe, humilitate, & patientia, cæterisque interioribus virtutibus justitiam Christianam potissimum consistere.

Sexta, forsan & una ex præcipuis Græcorum cæcitatis & errorum causa referri potest, ad nuptias, quibus Sacerdotes Græci gaudent, neque sine ipsis ad Sacerdotium accedunt, nisi fuerint Monachi. Nam quamvis Græcis à summis Pontificibus id sit concessum, adhuc tamen re hac optimè expensa, credendum est, non minimam hanc fuisse causam, cur DEUS Orientem Christianæ fidei hostibus subjecerit. Nam cum divina mysteria, & præsertim sanctissimæ Eucharistiæ tractatio, summam animi puritatem requirat, quæ ut plurimum cum corporis continentia & castitate conjuncta est, non mirum si hæc defecerit in Græcis, quod DEUS eos non solum corporalibus supplicis, sed etiam spiritualibus puniat.

Septima causa est, defectus doctrinæ: doctrinæ autem defectum primò intelligimus ipsius linguæ Græcæ ignorantiam: (sunt enim paucissimi inter Græcos, qui Grammaticam Græcam noverint. Secundo defectum doctrinæ appellamus, non intelligere intimas suorum errorum causas & fomenta, neque Synodorum & Patrum, & quod caput est, divinæ Scripturæ exactam notitiam non habere. Tertiò doctrinæ defectus etiam dicitur carentia optimorum auctorum, qui Græcis maximè prodesse poterant. Usus autem meliorum auctorum hic erit, ut primo antiquiores & emendatiores tractentur: ut Athanasius, Gregorius, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Alexandrinus, & alii fide & pietate celebres: & secundo loco alii, qui contra eorum errores scripserunt, de quibus supra mentionem fecimus. Quartò, defectus doctrinæ reduci debet ad Latinorum studium, qui eos in defectu instruere, & admonere deberent, & tamen id fecerunt: vel ad illos qui aliquando ad juvandos Græcos missi, vitæ exemplo morumque pravitate, eorum unioni maximo impedimento fuerunt; cum magis destruat unus, quàm plures ædificent. Utinam hæc esset una, vel saltem in hac re principalis cura operarios efformandi, qui selecti ex Religiosorum Ordinibus, probatissimæ virtutis & vitæ, in vineam Domini mitterentur.

Ultima causa est, præmiorum tenuitas, quibus etiam Græci deberent invitari & foveri: nam si humana mens ita esset pura, ut cælestibus tantum præmiis inhiaret, illisque contenta esset, non opus foret, ut aliis calcaribus stimularentur ad bonum. At quando ipse Dominus in veteri lege terram promissionis, & in nova centuplum pro uno promisit his, qui illum sequerentur, optimè noverat imbecillioribus opus esse præmio invitari, ut ad virtutem amplectendam trahantur. His veluti Græciæ errorum patentibus radicibus, jungi possunt aliæ etiam rationes occultæ, & internæ, ut sunt Græcorum animi elatio, morum corruptio, otium, & affectata veritatis ignoratio.

Omnes igitur istæ causæ, sive impedimenta contrariis causis expellenda sunt, & oratione continua hæc maceria, quæ divisit Græcos à Latinis tollenda est: nam cum fides sit donum DEI, hoc inprimis enixè à DEO petendum, qui sapientiam dat abundanter petentibus, & non improperat: adhibenda sunt etiam alia media, de quibus restat, ut breviter dicamus.

CAPVT II.

De ratione agendi cum Græcis.

RAtio agendi cum Græcis ad tria capita referri potest, ut optimè advertit Possevin. *ubi supra cap. 24.* vel ad conciones populis, vel ad disputationes cum eis habendas, vel ad alumnos instituendos. Tres etiam sunt classes eorum, qui Græcorum sectantur ritum & dogmata. Prima rudium, qualis est rusticorum & plebis. Secunda eorum, qui licet docti non sint, nec litterati, rerum tamen experientia, & lectione fortè aliquorum librorum aliquid lucis sunt assecuti; ut hinc Romanæ Ecclesiæ splendorem & majestatem, illinc Græciæ ærumnas & calamitates, casumque Orientalis imperii sub Turcarum tyrannidem, hinc etiam Sacramentorum apud Latinos cultum, illinc apud ipsos rerum divinarum contemptum cernentes in eam sententiam venerint, DEUM Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & non Orientali esse propitium. Tertia classis eorum est, qui licet usu, & aliqua rerum experientia sint præditi, odio tamen ducti in Latinos, (quod ex prava consuetudine inveteratum facile fovetur à dæmone) controversias (invitis eorum Episcopis & prudentioribus) serunt, ac frequenter nescientes quid dicant, aut quid velint, Græcam cum Romana Ecclesia conferentes, suos ritus & Sacerdotes nostris anteponunt, ac denique sua usque ad cælum extollunt, nostra verò usque ad inferos deprimunt. Tres classes Græco ũ schismaticorum.

Cum his igitur, si de ea parte, quæ ad controversias attinet, agamus, (ex concilio & experientia Græcorum Catholicorum) præstare puto, ut à Ministris, qui inter eos conversantur, de controversiis nihil publicè, imò nec in particulari saltem in initio dicatur: nisi ubi commodissima sese De controversiis cura Græcis parce agendum.

sese offerret occasio. Quare oportet, ut de amplectendis virtutibus, & fugendis vitiis, cum eis agatur: nempe de peccatorum expiatione, virtute pœnitentiæ, de studio orationis mentalis, & aliis exercitiis, de mortificandis & extirpandis passionibus, de virtutum pulchritudine, de peccatorum fœditate, de charitate erga DEUM & proximos, & de aliis, de quibus nulla quæstio est nec differentia. Controversia verò de rebus fidei in alterum tempus reservanda erit, nimirum, cum fervor contentionis videbitur resedisse, atque animis ad virtutem excitatis, via ad meliores progressus videbitur parari. Ac denique, ut uno verbo dicam, voluntatis arcem ante intellectum bonus Christi miles lucrari studeat.

In concionibus etiam populo habendis (ut viri etiam Græci Catholici, & præsentiunt) nihil de controversiis publicè proponatur, nisi commodissima oblata occasione. Quare, qui ubi uterque ritus tam Græcus quam Latinus viget, concionaretur; ita se gerat, quasi loca illa omnia essent tanquam unius labii populi, sine factionibus aut sectis, verum in peccatis jacentis ad instar reliquorum per orbem passim hominum, qui cum sit ad pœnitentiam ex peccatorum somno excitandus, purgatoria, ut ajunt, via, potius quam illuminativa juvandus est: hoc est, incipiendum scilicet esse à peccatorum contritione, lachrymis, & à detestatione vitiorum, à cognitione sui, à timore Dei, quibus cum persuasum sit, ut vitam corrigant, facilius quam per disputationes ad Ecclesiæ unitatem adducuntur.

De quibus controversiis sit agendum.

Sed dices, Nunquam ergo de controversiis erit agendum? Respondeo nonnunquam erit, sed parcè & opportunè, & cum ex ea fructus speratur: & tunc, ut optimè Possevin. *Cap.* 24. non de omnibus illis quinque, quæ olim præcipuæ fuerunt, dissidiæ causis. Nam de Azymo quæstio vix in Creta, & in aliis Orientis regionibus audietur, quare vel extincta penitus, vel certè sopita videtur. Quocirca qui hac de re loqueretur, rem jam oblivioni traditam, cum scandalo in dubium revocaret. Processio Spiritus sancti à Patre & Filio intelligitur à pauciissimis: quare quæstionem hanc movere, nihil aliud erit, quam dormientem ad pejus forsan excitare, & harum rerum ignorantem, ad curiosa investiganda, (& forte sine spe fructus, aut quod probabilius est cum periculo ut partem veritati advertantem amplectatur) excitare.

Reliquæ verò quæstiones, ut sunt de visione Beatorum, de igne Purgatorii agitari possunt: nam de his facilè cum Latinis conveniunt. Primatus verò Pontificis Romani difficulter eis persuadetur: de quo oblata occasione agendum est.

De prædictis igitur quæstionibus, si quando sermo habendus est, non in ea re tota insumenda est concio, nec modo scholastico agendum, sed alliciendæ sunt ad veritatem fidei audientium mentes, tum exemplis, tum Scripturæ & Patrum auctoritate: qui docendi modus jucundè & cum laude docentis à Græcis excipitur. Frequens tamen harum rerum sermocinatio suspicionem eis injicere solet, quasi eos capere taliter quis vellet: quare cautè & prudenter agendum est.

Illud tamen inprimis animadvertendum est, maximè si cum Ruthenis, aliisquis Schismaticis rudioribus negotium habeatur, ut optimè etiam notavit Possevin. in *sua Moscovia*, quod cum major populi pars ignoret quid Schisma sit, nec habuerint, qui, propter dogmata, quæ credunt, eos à recta fide alienos esse ostenderit, si quis Catholicus Sacerdos ad eos accesserit, vereri fortasse poterit, (maximè cum veritatem fidei proponendi non pareat aditus, vel si pateat, non speratur fructus) an illis injicere de eorum Schismate scrupulum debeat rudioribus, forsan alias in sua simplicitate salvandis: quare res periculi plena videtur, si quis hujusmodi aliquid tentaret, præsertim quia nisi hoc ex voto succederet, majores posset parere difficultates.

Quomodo & cũ quibus de fidei controversiis agere liceat.

Quare ex superioribus id colligi oportet, nempe cum tribus illis classibus Græcorum, videlicet cum simplicioribus sine disputationum strepitu de virtutibus sectandis, vitiisque fugiendis agendum: cum protervis nunquam nisi magna & inevitabili ex causa disputandum, oblata verò occasione aliis mediis sunt alliciendi: cum mediocribus verò, qui res nostras melius considerant, oblata occasione veritas fidei est ostendenda, tum in concionibus, tum particularibus disputationibus, ita tamen, ut omnia prudentia dictante opportunè fiant.

In disputationibus autem cum doctioribus, atque Græcorum melioribus, à Primatu Romani Pontificis initium sumendum est, & id potissimum curandum, ut membra cum Capite uniantur, in quæ deinceps defluat vigor ille, qui faciat, ut omnes simus in animas viventes & unanimes in domo Domini, eodem pane pascamur, & eodem fonte potemur.

Inter alia verò media, quæ ad Schismaticorum unionem conducerent, illud esset non contemnendum, ut libri per totam illam provinciam disseminarentur, ad pietatem potius, quam ad dogmata defendenda Græcorum lingua conscripti: ex quibus, sine dubio fructus sequeretur uberrimus: quales sunt Florentina & Tridentina synodus, quæ sunt Græcè editæ, quæ Græcis Sacerdotibus, & aliis dono essent concedendæ. Libri etiam alii, sicut Catechismi de doctrina Christiana, versio item Bibliorum à LXX. Interpretibus, quæ proximis annis Romæ emendatissima prodiit, nec non & alii auctores pii, & Catholici, ut Ludovicus Granatensis, qui si Græcè ederetur, non dubium, quin maximè ad conversionem eorum conduceret.

CAPVT III.

De aliis mediis juvandi Græcos & Ruthenos.

PLacuit hic media alia à viris gravibus, & illarum gentium conversionis maximum zelum habentibus, summo Pontifici *Clementi VIII.* proposita, in medium etiam producere: quæ forsan, cum venerit Patris hora, qua in vineam suam errantem operarios velit revocare, non parum conducent.

Medium à quodã Ruthe no excogitatum.

Primum autem medium à viro quodam Rutheno gravissimo excogitatum sequentibus verbis continetur. Duo potissimum enter alia necessaria sunt in omni conversione, præcipuè in conversione aut unione Græcorum & Ruthenorum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.

Unum quod illi, qui hujusmodi provinciam suscipiunt, ac conversionem animarum tractant, debeant se accommodare naturæ, & captui eorum, quos convertere nituntur, illisque in omnibus, quæ essentialiter non repugnant æternæ salutis, in principio secundare, ne propter accidentale aliquod

aliquod amittant essentiale: qui enim *vehementer emungit, elicit sanguinem.* Hoc pacto illorum captabunt benevolentiam & amorem, quo obtento, omnia facili negotio subsequentur. Cum enim amor vincat omnia, Christique jugum suave, & amoris sit plenum, nihil æque requiritur tam in conversione peccatoris ad DEUM, quam unione hæreticorum ad sanctam Ecclesiam, sive infidelis ad fidem Christianam, quam amor erga instructorem, ac patrem spiritualem. *Fili præbe mihi cor tuum*, hoc est, ama me, ut amore tuo omnia ad me traham, quicquid enim à te desideravero, eo solo obtinebo. Sicque JESUS Christus *Petrum* Ecclesiæ suæ caput constituens, solum ab eo amorem postulat, idque triplici interrogatione, ut quam necessarius amor iste sit ostenderet: *Simon Joannis diligis me*, &c. qui enim amat, vicissim amabitur, videlicet si me amas Petre, & proximum amabis, & ille te, sicque omnia ad me trahes, erisque bonus Pastor. Hinc D. *Paulus*, verus Christi zelator, totis viribus amorem hunc Fidelium cordibus imprimere conatus est: nec quicquam tantopere ab iis expetiit, quàm ut ipsum, majoresque omnes suos, & se invicem sincerè diligerent. *Fortis enim est, ut mors dilectio*: cui quemadmodum nihil resistit, sic nec amori. Itaque primum maximèque necessarium est, se hominum genio accommodare, omniumque servum præstare, quo quis omnes possit lucrifacere cum D. *Paulo*, qui dicebat: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos qui sub lege erant lucrifacerem: iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant: factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Et Apostoli in primordiis Ecclesiæ secundarunt Judæis, præcipientes Fidelibus ex gentibus conversis in illorum gratiam, ut abstinerent à sanguine & suffocato, ut omnes lucrifacerent, quæ postea successu temporis perierunt.

Prov. 23.

Joan. 21.

Cant. 8.

1. Cor. 9.

Alterum quod requiritur est, perseverantia, parum enim aut nihil prodest semel & iterum conari, si perseverantia deest. Vulgo dicitur: *Gutta cavat lapidem non vi sed sæpè cadendo.* Dejicietis universos hostes vestros, si perseveraveritis in opere quod cæpistis.

Defectu horum, unio toties attentata Græcorum, & Ruthenorum cum Ecclesia (ut de aliis taceam) non habuit optatum effectum. Primum defuit, quia cum illi, qui eos juvare conabantur, viderent Græcos habere antipathiam cum Romanis, ac quodammodo naturalem alienationem, ut persisterent in unione, tentarunt ab ipsorum ritu eos deducere (si non verbis saltem operibus) extollendo Romanum, in quo celebrabant, ac consequenter deprimendo Græcorum, ut sic ipsos, & eorum filios ad Romanum ritum paulatim traherent; quod illi naturaliter inflati, & qui amore fortissimo tenentur erga suos ritus, ferre non potuerunt. Unde multum odii inde conceperunt contra Ecclesiam & Romanum ritum, ipsumque tanquam novum reputarunt, & refutarunt. Neque nova est Græcorum ista superbia, cum in ipsis Ecclesiæ primordiis, quando JESU Christi Domini nostri sanguis fervebat, & omnes Christiani ad perfectionem anhelabant, illorumque erat cor unum & anima una, ita erant infirmi in hac parte, ut pati non potuerint quod spernerentur. *Factus est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.*

Græcorum superbia.

Ex eodem superbiæ fonte ac naturali alienatione à Romanis, non solum schisma evenit, sed etiam quod nunquam libenti ac pacato animo susceperunt Romanos Sacerdotes à summis Pontificibus ad ipsos multoties destinatos, ne viderentur ab ipsis edoceri, & consequenter fateri se inferiores illis, cum quibus semper de gloria contenderunt, sed tanquam alienigenæ, ne dicam æmuli, non ambabus à Græcis audiebantur auribus, imò potius eorum monita & salutarem doctrinam, omni gladio ancipiti penetrabiliorem, excludebant; aut certè si eam amplectebantur, non tamen in ipsa erant constantes, sed tanquam violentiam passi ad pristinum redibant vomitum. Et hac in parte Rutheni adeo sunt tenaces, ut potius cupiant suos filios rudes ac ignaros habere, quam illos ad scholas Patrum Societatis JESU, vel alias Catholicorum mittere (sicut omnibus manifestum est) timentes ne Patres aut alii Catholici à suo Ruthenico ritu illos divertant, hac de causa Romani Sacerdotes parum profecerunt cum Græcis.

Secundum quoque, nempe perseverantia, defuit in ipsorum conversione, nunquam enim habuerunt homines ad illos destinatos, quibus ex officio incumberet ipsorum conversio: qui primo quotidianis precibus à DEO eorum salutem ac conversionem exposcerent, deinde studio, diligentia, speculatione in idem laborarent, summosque Pontifices & reliquos Prælatos ad id permoverent. Et si fortasse aliquando habuerunt tales homines, non semper tamen neque perseveranter, quod est simpliciter necessarium; parum etenim prodest erigere infirmum, si non est qui sustenter, & adjuvet eum, ne iterum cadat: non est corona ubi deest perseverantia, & qui perseveraverit usque in finem obtinebit victoriam & palmam.

Unico tantum remedio, ni fallor, prædicta duo impedimenta tollentur, & Rutheni isti facilè convertentur ex concepto odio ad amorem Ecclesiæ Romanæ, non tantum verbo, sed corde & opere: si haberent nimirum unam vel alteram, vel plures religiones observantes, quæ ex indulto Sedis Apostolicæ possent ritu Ruthenico celebrare, sublatis tamen omnibus erroribus & superstitionibus (si quæ sunt) quæ incuria & ignorantia ipsorum Sacerdotum sunt usque modo introductæ, reducendo omnia ad suum principium & originem.

Primum, quod desiderabatur in modo conversionis, aut reductionis tolleretur: tales enim Religiosi eorum ceremonias ac ritum non deprimerent, sed potius & verbo & opere tanquam proprium extollerent, & cum Romani tanquam alienigenæ ac æmuli non pacato animo recipiuntur à Ruthenis, & consequenter non audiuntur, sed cum timore ac suspicione, timentes semper ne fraudem faciant, ex qua suspicione arripit dæmon ansam & occasionem suggerendo illis multa falsa de Ecclesia Romana: è contra tales Religiosi reciperentur quasi proprii, auscultarentur absque suspicione, & cum viderent eos doctos, ipsis crederent, & gloriarentur quod haberent ex suis eruditos viros, qui essent illorum corona. Propter quod etiam summopere amarent illos: nam cum non ament Romanos, quia quodammodo deprimunt illos, illorumque ritum, è contra amarent vehementer dictos Religiosos, tanquam illos, qui augerent ipsorum gloriam, ac extollerent ritum Græcorum. Simili modo D. *Paulus* afflante Spiritu sancto incepit adducere Græcos ad sanctum Evangelium, non enim illis dixit,

Act. 17. prædico vobis novum Deum, *sed præteriens & videns simulachra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat, IGNOTO DEO : quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Sic possent dicere isti Religiosi, non removere vos conamur à vera fide Græca & ritu, nec novam prædicamus, sed quæ ignorantes colitis, &c. Et idem *D. Paulus* ut Judæis se accommodaret, circumcidit Timotheum licet non esset necesse, cum lex Moysi per Evangelium exspirasset.

Secundum etiam tolleretur, quia tunc haberent Religiosos viros Deo gratos, qui pro illis preces DEO funderent, insudarent tum in studiis ad illorum conversionem accommodatis, tum in removendo impedimenta & obstacula eidem conversioni, illosque omnes ad eandem impellerent, tandem haberent speculatores & Pastores non mercenarios, qui vigilarent super istum JESU Christi gregem, & hoc non ad tempus sed usque ad consummationem sæculi : nunquam enim religio moritur. Isti frangerent illis panem scilicet Scripturarum, ac porrigerent verbum Dei, omni gladio anciptii penetrabilius, cujus penuria fame pereunt, cum illorum popi & Religiosi concionem non habeant, ac à dæmone tanquam inermes debellantur.

Docerent illos necessaria Christiano homini, quæ scilicet deberent credere, quomodo accedere ad Sacramenta, quam necessaria sit frequentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, &c. nec non etiam litteras humanas & sacras. Isti retinerent conversos in fide ac obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sic non toties reincideren in schisma. Non difficili negotio obtineretur, quod Episcopi, Archiepiscopi, & Metropolitæ, qui apud Ruthenos ex Religiosis (licet Ordinis sancti Basilii) semper debent assumi, possent ex prædictis Religiosis eligi.

Hinc fieret primò, quod omnes Prælati semper essent Catholici, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientes, quos tanquam Pastores sequerentur reliqui omnes. A Patriarchis enim & Episcopis ortum semper habuit schisma, conservationem etiam, atque in illud reincidentiam.

Sequeretur secundo, quod omnes populi Rutheni vel Sacerdotes, essent Catholici, docti ac benè morigerati: Episcopi enim non promoverent ad ordines, nisi tales, ac ordinatos in disciplina continerent. Multa alia bona sequerentur quæ brevitatis causa omitto.

Religiones, quæ ad hanc provinciam destinantur, debent habere sequentes conditiones..

Prima. Quod sint ex reformatis, & quantum fieri potest similes in vita & regulari observantia Religiosis *divi Basilij*, qui apud Ruthenos nunquam comedunt carnes, jejunant à festo Exaltationis sanctæ Crucis, usque ad Pascha resurrectionis Domini, &c. Tum ne spernantur à Ruthenis, ut minus perfecti, tum etiam, ut libentius quasi proprii recipiantur. Hoc facillimè posset ab unaquaque Religione reformata obtineri; aliqui enim Religiosi in ipsis invenirentur, qui vellent hoc obsequium præstare DEO, quod promitterent: deinde reliqui etiam observare, qui ad talem conversionem vocati à suis Generalibus ad Conventus vel Collegia ad hoc destinata segregarentur.

Et ob hâc causam à sanctiss. D. Clemente PP. VIII. ad hunc finem, qui hujusmodi Ruthenorũ zelo ferebantur Religiosos ex Ordine B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Discalceatorum postularunt, in quibus omnes 4. dictæ conditiones inveniebantur.

Secunda. Deberent habere licentiam celebrandi secundum ritum Romanum (sub prætextu tamen quod Rutheni & Græci non possint celebrare in itinere, ubi non habent incensum, & alia quæ secundum Ruthenicum ritum requiruntur ad Sacrum) & sic paulatim introducerent Romanum ritum, vel saltem obtinerent, quod Rutheni non abillo abhorrerent sicut modo abhorrent.

Tertia. Religiones quæ hujusmodi munus conversionis susciperent, ex monasteriis, quæ modo habent, deberent designare aliquot, unum scilicet Romæ, reliqua verò in illis regionibus, ubi floret Religio & fides Romana, quorum curam haberent iidem Generales Religionum, in quibus nulla deberet fieri mutatio, & ad ipsa mitterent Religiosos, quos viderent à DEO esse vocatos, ad conversionem Græcorum & Ruthenorum, ut ibi darent operam linguæ Græcæ & Ruthenicæ, & studiis ad ipsorum conversionem accommodatis. Ex quibus possent fieri missiones ad diversa loca & provincias, & sic haberent semper Religiosos Romanos, de quorum stabilitate non esset dubitandum Ad prædicta monasteria possent quoque mitti Rutheni, qui susciperent habitum religiosorum studiorum causa, qui enutriti doctrina & moribus Romanis, benè affecti essent erga Romanam Ecclesiam, tanquam ipsorum matrem.

Quarta. Si ex prædictis Religiosis eligerentur Ruthenorum Metropolita, Archiepiscopi, &c. deberet esse cautum, ne ullus illorum assumeretur ad hujusmodi dignitates, nisi qui post annum integrum novitiatus, & professionem emissam aliquot annos peregisset in Religione, Ut jam perfectionem illam comparasset, quæ necessaria est perfectis Prælatis. Non enim omnes possunt habere hujusmodi perfectionem, qui ex sæculari vita eodem tempore, quo fit Monachus, emittit professionem, & assumitur in Episcopum, &c.

Quinta. Et ne id quod datur tanquam salutaris medicina sit dæmonis malitia, prædictis Religiosis, & consequenter Ruthenis venenum, præter tria solemnia vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quibus tales Religiosi se DEO sacrabunt, quartum Domino acceptissimum & prædictorum Religiosorum ac Ruthenorum bono maximè salutare nuncupabunt, quo DEO voveant se nunquam directè vel indirectè, per se aut alium extra Religionem ullam prælationem aut dignitatem prætensuros, nec eam oblatam accepturos, nisi summi Pontificis præcepto ad id obstringerentur. Sic omnes Episcopi, &c. Rutheni semper dependerent à summo Pontifice, & Religiosi non perturbarentur ambitionibus, nec Religio relaxaretur propter dignitates. Hæc ille.

CAPVT IV.

De aliis mediis, quæ videntur non minus utilia quàm necessaria, ad Ecclesiam Græcorum, & omnium ferè Orientalium ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ sinum brevi reducendam.

PRimò viris conversionis Græcorum studiosissimis expedientissimum semper visum fuit, ut Collegii Græci alumnis Romæ existentibus concedatur, ut in patriam reversi, possint à suis Episcopis Græcis, in quorum diœcesi degent, licet schismaticis, ordinari: quod & fieri posse à summo Pontifice nullus Catholicorum negabit: præsertim cum apud gravissimos auctores Catholicos constans opinio sit à Schismaticis, qui

qui nominatim excommunicati non sunt, posse subditos Sacramenta recipere, ut latius *infra lib.* 7. Oportere autem tali indulgentia, sive dispensatione uti manifestum est: Nam hac negatâ, nulla aut certè exigua spes de salute istius nationis expectanda est: quod eorum judicio & auctoritate, quibus res hæc in particulari nota est, apertiùs poterit comprobari. Nam ex hac dispensatione in eam spem erigi debemus, fore ut alumni ab iis ordinati (atque adeo minus exosi illis, qui à Latinis ordinantur,) tum propter vitæ integritatem, tum propter bonarum literarum scientiam, à Patriarchis suis nullo negotio in Episcopos promoveantur: utpote cum non parva laborent hominum penuria, qui verbum DEI promulgent, ac disseminent, & gregem Domini regant: cum etiam à suis Episcopis omnis ambitio ac invidia longè exulet, eo quod Ottomanicæ tyrannidis jugo oppressi, difficilem ac laboriosam sine facultatibus vitam agant, statum pauperum potius Monachorum quam Episcoporum æstimantes. Quis autem fructus ex unico Episcopo Catholico sperandus sit, qui scilitet cum prudentia Parochos Catholicos suo gregi præficiat, nemo non videt.

Tertio. Deinde eo collimet sua Sanctitas, quæ omni cura & diligentia saluti animarum invigilat, ut vacante Ecclesia Patriarchali Constantinopolitana, inquirat in aliquos alumnos aut Monachos, qui in Græcia Ecclesiasticarum dignitatum munia administrant, ex quibus maximè idoneum eligi curet; cui Nuntio, quam fieri potest secretissimè (ne aliqua apud Græcos hujus rei nascatur suspicio) aperiat, seilli Ecclesiam Constantinopolitanam conferre, illumque ejusdem Patriarcham eligere ac confirmare: ac proinde jubere, ut eo se conferat, ubi tam Reipubl. Venetæ, quam Christianissimi Regis Legatos reperiet, à sua Sanctitate jam instructos, ut Turcam, à quo electio & confirmatio licet cum injuria, dependet, largitionibus inflectentes, & solito tributo aliquid addentes, suaviter inducant, ut viro tali Patriarchatum nationis Græcæ imperet assignari: quod non difficulter exorabunt, tantum dominatur illius Tyranni animo inexplebilis auri cupiditas: adeò ut sæpènumero non dubitet ab aliis promotis dignitates abrogare, quod vel experientia satis testatur, & in aliis officiis assidua exempla demonstrant.

In qua re nullus apparet simoniæ scrupulus, non enim pretio æstimatur Patriarchatus, quippe qui electo illi à sua Sanctitate jam condonatus sit, sed obstacula tantum pecuniarum falce resecantur. Ad redimendam enim vexationem, & tollenda impedimenta, quæ possunt occurrere, hoc fieri posse communis & verissima est Doctorum sententia. Porro neque dicendum est Metrapolitanos sua electione defraudari, cum liquido constet eam invalidam esse, & nullius momenti, eo quod ipsi sint Schismatici, & nullam habeant jurisdictionem: unde licet à se electum consecrent, non Patriarcham, sed merum Episcopum constituunt. Adde quod hæc electio à Turca, qui iis imperat, ut pro ipsius arbitrio consecrent quemcumque ipse obtruserit, fieri videatur. Ex tali verò electione ille proveniet fructus, quod Episcopis schismaticis diem suum obeuntibus, alumni aut alii, de quorum fide constabit, possint substitui. Secundo, quod Synodis particularibus egregia opera in schismaticis reformandis, aliisque erroribus amputandis possit navari. At vero hic cavendum est, ne suæ Sanctitati tædium obrepat, & in hac primi Patriarchæ electione subsistatur: imò velis remisque contendendum est, ut primo sufficiatur alius, atque illi alius, & illi rursum alius, novos semper alumnos defunctis subrogando, quoad Prælatis antiquis schismaticis extinctis novi Catholici suffecti omnium vices suppleant.

Quartò. Cum Alexandrinæ & Antiochenæ Ecclesiarum electio earumque Patriarcharum, qui semper Græci sunt, eo quod earum gubernacula hactenus penes Græcos fuerint, confirmatio ab Aula Constantinopolitana dependeat, eadem qua dictum est diligentia Legatorum opera est attendendum. Quod negotium haud dubiè non minus felicem exitum consecuturum est, quàm certum est ibi nihil auro non esse pervium ac eluctabile. Cum itaque futurum sit, ut brevi Patriarchæ sint Catholici, quorum cura in hoc incumbere debebit, ut ea cum prudentia, quam requirit ipsorum officium, Episcopos & Parochos suos Catholicos constituant: quid vetat, quo minus speremus fore, ut Prælatis schismaticis (cum in iis totius schismatis radices inhæreant) extirpatis, novos, qui in Ecclesiæ Catholicæ sinu primis pueritiæ stipendiis merentes pietatem excoluerint, substituendo, (quorum vitæ doctrinæque integritate ille regatur populus, qui ideo quorundam errorum nebulis impræsentiarum involvitur, quod natura facilis ac proclivis sit Prælatorum suorum dictis acquiescere) brevi dici possit, *Vnum ovile & unus pastor?*

Quinto. Ut autem jam nunc fructificare incipiat seges aliqua spei nationis Græcæ in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ granarium reducendæ, pretium operæ fuerit viam obsequiis præsternere, ut videlicet sua Sanctitas literis merè officiosis Constantinopolitanum, aliosque Patriarchas saluter, nullum de flebili ipsorum statu verbum faciens; sed solum temporalibus inhærens, ostendat, quàm gratum illi foret sæpius de eorum rebus certior fieri, ut sciat, si qua in re sua opera indigeant, & ut non æstimant loci intervallum posse eos suæ paternæ charitatis visceribus disjungere. His & aliis amoris etiam affectus adjiciat, polliceaturque se perspectis eorum rebus, nulla in parte eorum desideriis defuturum, suumque paternum amorem magnamque versus eos charitatem effectibus demonstraturum. Atque ita nemini dubium videri debet, quin talibus literis & amicis pollicitationibus, omni sedato odio, animos eorum inflectendo beneficiis, quæ licet apud omnes plurimum valeant, ad illius tamen gentis animos alliciendos, tanta vi & efficacia præpollent, ut iis solis tota res perfici posse videatur.

Sicut videre est ex progressu, quem fecit *Gregorius Papa XIII.* felicissimæ memoriæ, qui eo quod eam nationem charam habuerit, & Collegio Romæ fundato Græcam juventutem efformandam ac erudiendam curaverit, & hujusmodi literis aliquam cum Patriarchis amicitiam, & familiaritatem inierit; incredibile pænè est, quantum & quàm brevi boni Pontificis nomen, tanquam veri & legitimi Patris universalisque Pastoris ac Vicarii Christi per totum Orientem increbuerit. Quæ res infinitis profuit animabus, & certè si mors eum non præripuisset, aut saltem tam felix opus eo quo inceptum est pede ad colophonem perductum fuisset, amplissima hodie messi arrideret.

Neque etiam ambigendum est, quin illi benignum suæ Sanctitatis animum conspicientes, suas necessitates in rebus tam temporalibus, quàm spiritualibus literis responsoriis sint explicaturi.

Atque

Atque ita literis cum illis agi poterit, de quibuscunque sint ad suam Sanctitatem relaturi, alumnique ad singulos tres aut quatuor transmitti, quibus in mandatis detur, ut cum illis rerum divinarum participent, & ab illis ordinentur, videantque si quo pacto queant illis suaviter de dubiis satisfacere, ac inducere, ut synodo Patriarchali aliquid de iisdem dubiis velint statuere, aliosque errores resecare, & sic eos in studio ac pietate versus Pontif. Opt. Max. continentes suam Sanctitatem de rerum ibi gestarum eventu commonefaciant, ac annuntient, in quam segetem spes laboris hujus excrescat.

Sexto. Cum Roma longè ab Oriente dissita sit, parentesque ægerrimè patiantur sibi suos liberos divelli, tum propter imminentia pericula, tum quod in remotissimas gentes mitti videantur; his accedit metus Turcæ, qui sæpenumero, ratus eos exploratores Romam transfugere, post aliquod tempus eorum parentes ac necessarios sæverissimè castigat: convenientissimum foret, tum ad itineris longinquitatem tollendam, tum ad amorem novo benevoli animi monumento confirmandum, Messinæ alumnorum Græcorum seminarium fundari: quò, cum sit civitas immunis ac libera facilisque ad eam transitus; cumque et vicina admodum sit Constantinopolis & plurimæ in Archipelago insulæ parentes liberos suos libentissimè transmissuri sunt, seque felices reputaturi, quibus tam grata sors obtigerit, ut civitate vicina, non suspecta, erudiantur. Quanto autem emolumento futurum sit hoc Collegium nationi tam longè lateque patenti, judicent illi quibus curæ aut cordi est ejus incolumitas: quosque Collegii, quod Romæ est, imbecilitas non latet.

Septimò, sua Sanctitas præscribat Episcopis Corfu, Zante, Cefaloniæ, & Candiæ, edicatque ne Parochias Græcas, quæ in ipsorum Diœcesibus vacaverint, aliis quam alumnis Collegii conferant: ideoque præmoniti sint ipsius Collegii Superiores, ut viros idoneos semper habeant paratos. Neque dubium est, quin Græcis satis grati futuri sint, hoc nimirum concesso, ut ab Episcopis Græcis possint ordinari.

CAPVT V.

Ecclesia Græca propter separationem ab Ecclesia Latina, quantis calamitatibus & afflictionibus exerceatur.

DEnique pro Græcis, aliisque Orientis populis ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ unionem reducendis non parum proderit (prudentia ac moderatione duce, ne exasperati obdurentur) eorum ruinam & interitum, postquam ab Ecclesia Catholica recesserê, ipsis ob oculos ponere. In primis enim, ut experientia constat, unione rupta, atque Ecclesia Catholica derelicta, Græci in profundissimam ignorantiæ caliginem incidêre: quod manifestius constabit, si oculos animumque ad præterita sæcula convertamus, in quibus omnium bonarum artium & disciplinarum nutrix ac magistra fuit Græcia, ut rectè prosequitur Bozius *lib. 12. de Sig. Eccl. cap. 12.* Quos illa antiquitus doctissimos homines tulit? Quæ lumina in omni doctrinarum genere produxit? Nunc autem ab anno millesimo ferè, ex quo magis à nobis cæpit abscedere, per annos sexcentos neminem prope possis laudare in ullo artium bonarum studio excellentem: mediocres tandem aliquos fortasse reperies. Andronico certè imperante, ante annos credo ducentos & quinquaginta, Gregoras tradit neminem fuisse in universa Græcia, qui posset cum nostris de rebus divinis disputare: & modo nullus in ea vel mediocriter eruditus, si quis vult aliquid doctrinæ addiscere, è media Constantinopoli Romam proficiscitur, ad collegium quod Græcis edocendis *Gregorius XIII.* erexit. Cur non idem Græcis suis præstitit magnus ille Dux Moscovitarum? Cur non Rex Georgianorum, vel Iberorum, vel Mengrellorum, qui Græcanicos ritus sequuntur, neque imperio Turcarum sunt subjecti? Ne dicas ideo è Græcis neminem in literis proficere posse, quòd à Turcis opprimantur: cur ex istis, quos memoravimus, populis nemo vel mediocriter eruditus existit unquam? furente inter nos ac Græcos hac sententiarum discordia, duo fuerunt è Græcis, quos summis comparare possis, Nicephorus Blemmida, & Joannes Bessarion. *Niceph. Blemmida. Joan. Bessarion.* Illum Gregoras vocat divinum, peritissimum, multis virtutibus insignem, varia eruditione tum sacrarum, tum profanarum litterarum perpolitum. Gregorius Pachymerius ait ea mente fuisse, ut corpore illa non alligaretur. Et certè talem fuisse ipsius scripta declarant. Quantus verò sit Bessarion quis ignorat? Lege illius libros. His duobus neminem ante annos octingentos in tota Græcia doctrina parem invenies. Atqui uterque nobiscum sensit. Quid vero illud? Episcopi omnes Græcorum deliguntur è grege Monachorum; inter quos communi decreto est excommunicatus quicunque Philosophiæ studet, quod scribit Petrus Bellonius *Observ. lib. 1. c. 40.* Nihil autem magis facit ad assecutionem veritatis, quàm Philosophia rectè percepta. Quocirca dæmon, ut Græcos altissimis ignorantiæ tenebris involveret, hoc egit, ut Episcopi eligerentur è Monachis, & Monachi necessariò propè imperiti forent, aut carerent maximo ad perceptionem veritatis instrumento. Hæc Bozius. *Episcopi Græcorum è Monachis.*

Verùm longè istis absurdiores fuerunt Moscovitici nunc Duces, sive Principes Moscovitici, quænam subditis persuadeant, qui populos sibi subjectos ad illum mentis incredibilem stuporem redegerunt, ut miseri credant bona, malaque omnia à suis Ducibus in ipsos immitti, quin eis esse explorata ac sigillatim perspecta omnia studia, & cogitata cuncta illis patêre. Ut verò Duces isti gentes in hac stoliditate hærentes defixas teneant, nullas ab iis litteras addisci permittunt, nisi quibus ipsi fecerint potestatem: ut latè prosequitur Possevinus in *Moscovia sua.*

Eò igitur nunc res reducta est, ut Græci, si quid vel artium liberalium, vel etiam linguæ ipsius Græcæ præstantius volunt addiscere, ad nos commigrent. Atque ita Græcorum hæreticis negata illa ipsa, quorum maximè ipsi fuerunt architecti, & ad Ecclesiam Catholicam delatæ, una cum linguæ Græcæ eximia cognitione, doctrinæ illæ, quæ Græcis sunt litteris commendatæ, utrumque Græcis ablatum.

Quid verò de Græcorum peccatis dicam? Etenim in primis dolendum maximè est, quàm miserè in Simoniæ labem ac crimen corruerit nunc illustrissima olim natio, cum sciamus à Turcarum Rege Episcopos evelli, & dejici inter Græcos pretio, & quò plus è Græcis aliquid quis offert aut *Simonia Græcorum.*

In Græcia quare docti nulli?

rut largitur Turcarum Regi, eò magis ille extollitur ad dignitates, & amoventur, qui sunt in eis, cum plerumque majori data pecunia, in se transferri aliquem Episcopatum cupit, ægrè ferentibus id aliis Græcis.

Apud Græcos repudiũ licitum.

Præterea à Græcis multa contra Christianæ castitatis leges usurpantur: cuilibet ex quacunque causa licet, approbantibus id Episcopis, uxorem dimittere, quare passim repudium quavis causa admittunt: ex quo campus latissimus illis conceditur, in quo excurrat eorum libido, ruptis indissolubilis conjugii vinculis. Quid? quod inter illos nonnulli fornicationem simplicem peccatum negant, ut ex *Moscovia* Possevini apparet.

Simili, imò & majori impuritate aspersæ sunt nationes aliæ, quæ ritum Græcorum sequuntur. Gregorius Interianus mores Zigorum describit, quippe qui vicinatus sit inter illos: ii vocantur vulgo Circassi. Apud eos in more positum refert, ut frater occidat sæpius fratrem, & sequenti nocte cum ipsius uxore concumbat, conjugemque sibi adjungat. Nam plures habere illis est permissum. Atque hæc nobilium Zigorum consuetudo. Quales sint plebei, ex hoc uno, quod de nobilibus recitavimus, colligere possumus. Magna scilicet inter istos castitas, & charitas inter fratres. Moscorum latissima regna, ex hæresi sunt Græcanica. Apud eos fœminæ quidem nobiles inprimis pudicitiam colunt, ceteræ omnes nihili ducunt, & corpus venale habent: tantaque inter eos est alioqui impuritas, ut quam nos fornicationem simplicem vocamus, & maximum crimen, ut est, reputamus, illi neque ullum peccatum ducant, quod apparet è *Moscovia* optimi ac doctissimi viri Antonii Possevini è Societate JESU, qui nomine *Gregorij XIII* Legatus diu fuit apud eos, & è *Commentario* Pauli Jovii *de rebus Moscoviticis*.

Nec minus dolendum eorum Græcorum luxum ac intemperantiam eò devenisse, ut plurimi ex ipsis exultent, ubi filium speciosum forma nanciscuntur, quem tradere possint Mahometanis ac Turcis, ut illo abutantur ad obscenos libidinis usus, gradumque sibi ex hoc faciant ad Magistratus & opes. Nam qui vocantur à Turcis Bassæ, plerumque sunt ex hujusmodi pueris, qui vel spadones sunt, vel à spadonibus aluntur, & ad impurissimas Turcici Regis delicias conservantur: ut sic suis propinquis hac impietatis via benefaciant, si quod hujusmodi benefactum potest esse. At sæpè justo DEI judicio factum cernimus, ut ab ipsis Græcis, hoc est Janizariis à Græco sanguine ut plurimum natis, Græi vexentur ac interficiantur, ut sic sanguine proprio quasi multo inebrientur, & cibentur hostes Ecclesiæ carnibus suis.

Sancti in Græcia quando desierint esse.

Denique tempore, quo Græci ab Ecclesia Catholica descivêre (cum antea quamplurimos viros sanctitate præclaros habuissent) Sanctorum copiam amiserunt: Testis est Zonaras è Græcis auctor nobilissimus, qui cum Ignatium Patriarcham sanctum appellet, & is fuerit qui nobiscum senserit, propter cujus defensionem Photius à nobis se abalienavit: postea vero neminem è Patriarchis cum viginti recenseat, ornat hujusmodi titulo. Imò cùm plures ante ætatem Photii numeret sanctimonia præstantes viros in Annalibus suis, neque unum quidem post illud tempus invenit: & tamen ab anno octingentesimo sexagesimo tertio, quo Photius, dejecto Ignatio, sedem Constantinopolitanam invasit, usque ad annum millesimum centesimum decimum octavum, in quem desinunt scripta Zonaræ, intercedunt anni ducenti viginti quinque. Atque hoc mirandum magis. Nam Zonaras Monachus erat, & Ecclesiasticam se scribere historiam profitetur. At si quis plura de hac successione Sanctorum interrupta desiderat, legat Tho. Bozium *lib. 7. c. 1.*

Græciæ captivitas.

Captivitas deinde Græcorum, qua sub Turcarum durissimo Imperio jacent, ac supplicia alia divinitus illis immissa, ferè eo tempore, quo ab Ecclesia Catholica sunt avulsi, aut summis Pontificibus detrahebant, prosequitur eleganter idem Bozius *lib. 5. de signis Eccles. c. 11.* in hæc verba: Leo regnare cæpit anno septingentesimo decimo sexto, cognomento Iconomachus, & Theomachus; eo tempore Sarraceni per triennium Constantinopolim obsederunt, fameque trecenta hominum millia in ea civitate absumpsit. Mahumes Sarracenorum Princeps ingenti exercitu Paphlagoniam vastavit. Arabum nonaginta millia diris incursionibus Asiam fœdarunt, ut Paulus Diaconus refert. Copronymo deinde imperante, Turcæ è Caspiis portis irruptione facta Armeniam minorem ceperunt. Michael Balbus fuit ex hæresi Tinganorum & Judæorum: eoque imperante Sarraceni Cretam Siciliamque occuparunt, ac per annos ferè ducentos tenuerunt.

Monomachi ærate, quo tempore est ausus Michael Patriarcha omnium primus Papam sub annum millesimum & quinquagesimum tertium excommunicare, Turcæ Asiam ceperunt, quam deinde, Andronico Palæologo regnante, qui sepulturam Michaeli patri, quod cum nobis sensisset, negavit, sunt inter se partiti, primumque ex Othomana familia, Regem ad extremam Imperii Constantinopolitani ruinam crearunt, Thraciamque invaserunt, donec tandem Calojoannis tempore ita pedem fixerunt in Europa, ut multas in Græcia urbes ceperint. Ultimo denique Constantino imperante Constantinopoli expugnata, Orien ali Imperio finis est datus, & Christi cultus in iis locis ad nihilũ ferè adductus.

En hæresum finis, en conatus eorum, qui dissident à nobis, qui Romani Pontificis sacra jussa contemnunt, interitus Christianæ Religionis. Irrideant nunc Latinos Græci dissentientes, despiciant Episcopum Romanum, ducant nos hæreticorum loco, crimina congerant, confingant, amplificent adversus nos, & Præsules nostros. Quid est quod tanta per vos ac vestros Imperatores, ex quo discessistis à nobis jactura Christiani cultus est facta? Omittamus Occidentis regiones, à variis ac barbaris gentibus, à Christi cultu vel prorsus alienis, vel aberrantibus, occupatas eo tempore, quo repletæ sunt hæresibus; ab Hunnis & Avaribus Germanias & Pannonias; à Francis Gallias; ab Anglis Britannias; ab Alanis, Suevis, & Visigothis Hispanias; à Vandalis Africam? quid quæso esse causæ dicemus, quod imperante Zenone Ostrogothi & Heruli Italiam ceperunt; & Catholici meliori apud eos conditione fuerunt, quam apud Imperatores Orientis, & quamdiu se ita gesserunt, feliciter illis res processêre; ubi consilium mutarunt, deleti sunt? Quid est in causa quod Longobardi Venetiam, Liguriamque, quam nunc Lombardiam vocamus, in potestatem suam redegerunt, ubi loca illa ab auctoritate Pontificis Romani discesserunt?

An putatis à DEO temerè provisum permissumque, ut imperante Mauritio, quo tempore vestri Patriarchæ sibi Universalis nomen cum Romani Pontificis contemptu arrogare cæperunt, Slavi Illyrium, Dalmatiamque subigêre, Turcæ

adve-

adversus vos militare simul cæperint ? Heraclio imperante Mahometus emersit, Sarracenis data est Judæa, & Ægyptus; Constante & Justiniano, Africa iisdem tradita; Philippico, Leone Copronymo, Michaele Balbo, & Michaele quarto Iconomachis, Dacia, Mysia, Thracia, & Illyrium Bulgaris; Asia, Sicilia, Sardinia, Creta, Cyclades, Cyprus Sarracenis. Quæ præterea tempestate Turcæ è Caspiis portis copias educentes Armeniam subegerunt ? qui postea cum Patriarchæ vestri Papam sunt ausi excommunicare, armis Asiam sibi comparantes, inter se sunt partiti. Mox Andronico regnante, cum scilicet vos apertissimè à nostra communione recessistis, communioribus decretis, primum sibi ex Othomanorum gente Regem crearunt, sub annum millesimum trecentesimum. Ex eo paulatim cuncta vestra vobis per illos erepta. Supererat postremò Constantinopolis; supererant multa Græciæ loca, multa aliarum Regionum subjecta Imperatori vestro, supererat imperatoria dignitas.

Quid est autem, quod ubi in Concilio universali Florentino, cui vestri Episcopi, vester Patriarcha, & Imperator interfuit, & assensus est, definita sunt quæcunque inter vos ac nos erant controversa, defuncto Imperatore illo & Patriarcha, qui nobiscum sentiebant, cùm vos, & qui successit Imperator Concilii Florentini scita respueritis, capta est Constantinopolis, omnia vestra in Turcarum manus venerunt ? & nunc nihil vestrum : loco namque servorum vos habent Turcæ. Liberos suscipitis non Christo, sed quod maximè dolemus, spurcissimo Mahometo. Nam qui sunt è filiis vestris generosiores, & liberali specie, eripiuntur vobis à Turcis, Mahometo nomen dare coguntur, ad nefandissimos, proh scelus, proh dolor ! præposteræ libidinis usus includuntur. Hem qui hæresum finis ! Quis à fletu se contineat ? At si, ô quicunque è Græcis à nobis discessistis, vestra esset Ecclesia DEI, necesse erat hæc vobis haud evenire, quin longè alium sortiri eventum, ut ex oraculis divinis supra à nobis est conclusum; necesse erat quo majoribus angustiis opprimebamini, eo resurgere illustriores: sic enim contigit semper Ecclesiæ DEI, ut abundè ostendimus alio loco.

Sed hic non omittamus illud, Græcos aliquos adeò à Catholica Ecclesia alienos, ut quamvis pareant subsintque Catholicis, tamen impias opiniones abnegare nullo modo velint. Cyprus, Creta, Zacynthus, Cephalenæ Insulæ, sunt adeò tenaces hæresum Græcanicarum, ut vitam potius hominibus illis eripias, quam conceptam sententiam deponere velint. Cumque superioribus annis Archiepiscopus Cypri Philippus Mocenicus, vir magnæ doctrinæ, & integritatis, vellet hæreses ex insula illa extirpare, opposuêre se illi Græci, adeò ut necesse habuerit ipse Venetus Patricius illinc emigrare. Testatur hoc ipse in Epistola, quam præfixit operi suo, de Philosophicis rebus. Paulò post Insula à Turcis est occupata. Marcus Antonius Cauteus Archiepiscopus Corcyræ testatur idem in Epistola, quam præposuit Gennadii libris. Hæc Bozius.

Sed ne casu id accidisse Græci sibi persuadeant, videant antea hujusmodi eventus divinitùs tam à summis Pontificibus, quàm ab aliis Ecclesiæ Romanæ filiis prævisos, prænunciatosque fuisse. Inprimis cum Patriarcha Anatholius in Synodo Chalcedonensi procurasset Sedem Constantinopolitanam præferri Alexandrinæ & Antiochenæ : quinimò ordinationem sibi tunc Antiocheni arrogassent inconsulto Pontifice Romano, *Leo Magnus* exclamans adversus hujusmodi superbiam, clarissimè literis suis prædixit futurum, ut sedes illa ob hanc elationem divinitùs deprimeretur, incurreretque in apertas ruinas. Idem prænunciavit literis suis *Gregorius Magnus*, cum Patriarcha Joannes sibi nomen Universalis assumpsisset. At *Nicolaus Magnus*, cum Photius ausus esset illi cum Græcis obsistere in causa Ignatii, & ob id à communione eos repulisset, in Epistola ad Imperatorem Michaelem prædixit fore, ut Græci fierent captivi in omnes gentes tanquam Judæi. Adnotavit hoc etiam Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, qui adjicit adhuc aliud multo magis mirum. Verba illius quibus alloquitur Græcos, apponam.

Sed quid evenit, inquit Gennadius, nostra memoria, nunc sub *Nicolao V.* Pontifice Maximo, cùm Legati à Constantino Imperatore, qui vocabatur *Dragates*, ad eum missi adhuc supersint, quibus literas dedit plenas timoris & horroris, ubi apertè cum execratione vaticinatur excidium & internecionem extremam infelicium Græcorum. In quibus post alia multa, (cum convitia & probra rescisset quæ à Græcis quotidie impudentissimè jactabantur) mire & hoc dicit : Omnes gentes decretum quod sancitum est, receperunt; Græci neque receperunt, neque spes est eos unquè recepturos, quæ super concordia & conjunctione decreta sunt. Procrastinationes enim procrastinationibus semper ab eis prætexuntur, excusationes, & responsiones in singulis. Neque verò Græci arbitrentur Romanum Pontificem ita esse mente destitutum, omnemque Occidentalem Ecclesiam, ut non intelligant, quæ in singulis dilatationibus respondendo nugantur. Optimè cuncta novimus. Sed toleramus in JESUM respicientes sempiternum Sacerdotem, & Dominum, qui sterilem illam ficum usque ad annum tertium jussit asservari, agricola jam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruinam ! Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo hanc conscripsit Epistolam, & millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta est Constantinopolis. Num potestis dicere hæc vera non esse? minimè gentium; cum id sit manifestum, & res ipsa apertè loquatur. Tres, inquit, annos expectabimus, si vos forsan à schismate & separatione converteritis, & vos verè decreto adjunxeritis, secundum Salvatoris de ficu præceptum. Sin minus exscindemini, ne terram otiosam & inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximum, quod, ut in Epistola ipsa scribit *Nicolaus* Papa, Græcorum gens illa magna, & formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina ob divinam ultionem ita in barbarotû servitutem abducta est. Hæc narranti mihi subit lamentari, & deplorare excidium gentis nostræ. Hucusque Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, adversus suos Gentiles Græcos, recitans oraculum apertissimum à *Nicolao V.* prolatum, & eventu comprobatum, ipso temporis spatio, quod prænunciavit.

Id etiam accidit Græcis, ut quando dissidebant à nobis in processione Spiritus sancti, an esset à Filio & Patre, ipso die secundo Pentecostes, qui Filio est sacer, Constantinopolis caperetur : divino scilicet spiritu ipsorum obstinatos animos puniente, & eos omnino derelinquente. Quarto namque Kalen. Junii anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, feria secunda, Constan- *Constantinopolis capta.* 1453.

Constantinopolis est expugnata. Rursus aliud longè mirabilius observandum. Græci nos excommunicarunt, & pro hæreticis omnino duxerunt, Michaele sedente circiter annum millesimum quinquagesimum tertium, ut ostendimus supra; & post annos quadringentos Constantinopolis capta, anno scilicet ut supra. At hic numerus criminum expiationi, remissionique datur: ut sciamus ideo Græcos in servitutem divinitùs Turcis datos, quod crimen adversus Ecclesiam Catholicam patratum non expiarint, intra definitum à divinis scripturis tempus.

S. Birgittæ de Græcis revelatio à Deo facta.

Brigitta femina sanctissima, & Suecica, fuit iis temporibus, quibus Episcopi Romani Avenione morabantur. Ea cum Religionis causa Hierusalem petisset, & in Cypro moraretur, sic audijt Christum loquentem, & ut audijt monumentis mandavit. Græci qui sciunt, quod omnes Christianos tenere oportet, unam tantum fidem Christianam Catholicam, & uni tantummodo subesse Ecclesiæ scilicet Romanæ; unumque solum Vicarium generalem meum in mundo, videlicet Romanum summum Pontificem, supra se spiritualem habere Pastorem: & tamen nolunt se eidem Ecclesiæ Romanæ, & Vicario meo spiritualiter subjicere, & humiliter subjugare, propter eorum pertinacem superbiam, & propter cupiditatem, vel carnis petulantiam, sive propter aliquid aliud quod ad mundum pertinet; indigni sunt post mortem veniam à me & misericordiam obtinere. Alij verò Græci, qui desideranter vellent, sed scire non possunt fidem Catholicam Romanam, & tamen si scirent & possent, eam devotè reciperent, & Romanæ Ecclesiæ humiliter se subjugarent, & nihilominus secundum ipsorum conscientiam, in statu & fide sua, qua sunt, abstinent à peccando, & piè vivunt, istis talibus post ipsorum mortem in supplicijs misericordia mea debetur, quando ipsi ad judicium meum vocati fuerint. Sciant etiam Græci, quod eorum imperium, & regna, sive dominia nunquam stabunt secura, neque in pace tranquilla, sed inimicis suis semper subjecti erunt, à quibus sustinebunt gravissima damna, & miserias diuturnas, donec ipsi cum vera humilitate & charitate, Ecclesiæ & fidei Romanæ sese subjecerint. Hæc Birgitta de Græcis: quibus, an evenerint, quæ prædixit, utinam Græci maximo suo malo non experirentur.

Advertant ergo Græci miserabilem calamitatem, in qua à tot sæculis afflicti contritique sunt à Mahometanorum Ducibus, transactisque jam tot annis, eodem nunc in statu, & fortassis pejori, ac miserabilioti permanent, quasi à DEO reprobati & abjecti, non secus ac Judæorum populus. Quare nisi ad matris ubera, Ecclesiæ nimirum Romanæ, revertantur, meritò timendum, nullum suarum calamitatum, sicut neque & Judæorum, sperandum terminum: & quemadmodum calamitates temporaneæ justis, virtutis explorandæ causa, ac ob emendationem vitæ, à Deo immitti solent: ita spirituales miseriæ, quales sunt à nobis relatæ, magnam spiritualium bonorum jacturam præ se ferunt, nec tam ad probandam virtutem, quam ad punienda præterita præsentiaque scelera DEUS illas infligit.

Leonardi Echiensis de Græcis querimonia.

Ac denique his Græcorum calamitatibus finem imponam, adducens verba Leonardi Echiensis, Theologi Græci ac Episcopi Mityleni, qui in *libro De captivitate Constantinopolis*, ubi ipse cum alijs captus fuit, Græcorum cæcitatem dolens, ita eos alloquitur: Heu quæ spes in populo duro, gravi iniquitate, qui tot annis sine vita spirituali absciss[a] à capite permanebat? Quomodo non desperati, quomodo non abjecti à DEO, qui tantis dissimilitudinibus, tantis fictionibus, tantis scissuris ab Ecclesia elongati Romana, in cordis duritia permanserunt? Etenim jam captivati urbe, templis, auro, laribusque propulsi, in Latinos retorquent offensam, asseverantes; Quoniam unionem, inquiunt, fecimus, summoque Pontifici communicationem dedimus, meritò indignatum DEUM. O pertinaces homines! inquio. Si malum est hoc; prisci *Basilius, Athanasius, Cyrillus*, ceterique Patres, quos præcipuo sanctitatis honore præfertis, mali censendi sunt, quod sanctam, unam, eamdemque fidem cum Romana Ecclesia omnium Christianorum magistra coluerunt? Non hæc causa est, quod unionem; sed quoniam unionem non veram, sed fictam fecistis: hac de re meritò indignatum DEUM; hac de re justa animadversione in hostium manibus vos esse deductos. An non sponsionem de unione sancto juramento apud Florentinam Synodum conscriptam violastis? obedientiam declinastis? sententiam decreti occultastis? an non summi DEI nuntij, ô Græci vestram perditionem jugiter prædixerunt? qui aures, ut aspis, impiè obduraſtis? & sanctam Ecclesiam Catholicam, matrem Fidelium obaudistis? flete miserias vestras, arguite vosmetipsos, & non alios condemnetis. Mos obstinatorum hic est, Sanctos aspernari DEI nuntios, uti Sedecias, cæterique Judæi in Babyloniam traducti, Jeremiam direptionem captivitatemque Hierosolymorum prædicentem contempserunt.

CAPVT VI.

De Communicatione Latinorum cum Græcis, ex Bulla *Innocentii IV.* Pont. Max.

INNOCENTII Papæ IV. Bulla, seu litteræ ad Episcopum Tusculanum, Apostolicæ Sedis Legatum in regno Cypri, quæ extant in ejus Registro Bullarum, Pontificatus sui anno XI. apud Bibliothecam Vaticanam, super ritibus Græcorum, qui tolerari, vel non tolerari possunt.

INNOCENTIVS, &c. Episcopo Tusculano Apostolicæ Sedis Legato.

SUb Catholica professione Fidei, atque cultu consistere, ac proficere universos, ceteris nostræ mentis desiderabilibus præferentes, illud tanquam acceptabilius plenioris desiderio cupimus, & ad hoc velut operativum salutis præcipuum intimis affectibus anxiùs aspiramus. Hæc inquam, unio sive connexio cordi nostro inæstimabilis gaudij rorem infunderet, si variæ gentium nationes ejusdem observantia Fidei in unum acceptabilem in Christo populum adunaret. Id utique anxia nostræ mentis ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo si omnes, quos olim in unum Catholicum gregem ovile collegit Domini, cùm multi ab eo discesserint, in idem individuum collegium unius Pastoris solidaret magisterium, & custodia communiret. O si Orientali-

bus Oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione ipsos ad Catholicam reduceret unitatem, ut cum reliquis Orthodoxis in unius aulæ collecti gremio, de matris Ecclesiæ ubere fluenta doctrinæ salutaris haurirent: tunc ipsi Ecclesiæ proveniret magnum & desiderabile salutare: tunc ejus uterus sobole geminata concresceret: tunc Orientalibus oriretur superna illuminationis aurora: tunc eis clarescceret lucifer veritatis: tunc per universam Ecclesiam inundantis gaudij erumperet plenitudo: tunc exultatione nimia clarescceret totus Orbis, quia valde bonum & jucundum existeret Fratres simul in domo Domini habitare: tunc eadem Ecclesia multiplicata lætitia nova jucunditatis canticum personaret.

Verùm, quia nonnulli Græcorum jam dudum ad devotionem Sedis Apostolicæ redeuntes ei reverenter obediunt & intendunt, licet expediat ut mores ac ritus eorum, quantum cum DEO possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesia Romanæ obedientia præservemus: quanquam in iis, quæ animarum periculum, parerent vel honestati Ecclesiasticæ derogarent, nec debeamus illis deesse aliquatenus, nec velimus.

Sanè inter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Nicosiensem, & ejus suffraganeos Latinos ex parte una, & Episcopos Græcos regni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis, discordiam & turbationem fore subortam, & eorundem tenorem articulorum, ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos, nobis, ut melius posse mus instrui super eis, plenè ac providè per tuas litteras intimasti, sollicitè requirendo, ut providere super hoc Apostolica diligentia curaremus. Nos autem litteris ipsis affectuosè receptis, earum seriem, & ipsos articulos ac responsiones easdem & cætera quæ continebantur in illis, unà cum Fratribus nostris perlegimus, intelleximus prudentiam tuam, multipliciter in Domino commendantes, & meditantes, ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

1. Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resedit, ut Græci ejusdem regni in unctionibus, quæ circa baptisma fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant, &
2. observent. Ritus verò, seu consuetudo, quam habere dicuntur ungendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo vel removeri non potest, cum sive fiat, sive
3. non, quantum ad baptismi efficaciam, vel effectum non multum referat, toleretur. Nec refert etiam utrum in frigida, vel calida aqua baptizent, cùm parem vim & effectum in utraque baptismum habere, asseverare dicantur. Soli autem Episcopi confignent Chrismate in
4. frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi, quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis chrismatio representat, Spiritum sanctum tribuisse legantur.
5. Singuli quoque Episcopi in suis Ecclesiis in die Cœnæ Domini possunt secundum formam Ecclesiæ Chrisma conficere ex balsamo quidem, & oleo olivarum. Nam Spiritus sancti donum in chrismatis unctione confertur, & columba utique, quæ ipsum designat Spiritum, olivæ ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Græci potius servare voluerint, videlicet quod Patriarchæ una cum Archiepiscopis & Episcopis ejus Suffraganeis, & Archiepiscopi cum Suffraganeis suis simul Chrismæ conficiant, in talibus eorum consuetudine tolerentur.
6. Nullis autem per Sacerdotes, vel Confessores pro satisfactione pœnitentiæ unctio aliqua solummodo injungatur. Infirmis verò juxta verbum Jacobi Apostoli, unctio exhibeatur extrema.
7. Porrò in appositione aquæ, sive frigidæ, sive calidæ, vel tepidæ in altaris sacrificio suam, si velint, consuetudinem Græci sequantur, dummodo credant, & asserant quod servatâ Canonis forma, conficiatur pariter de utraque. Sed Eucharistiam in die Cœnæ Domini consecratam usque ad annum, pratextu infirmorum ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent, licèat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio, conservare, ne per diutinam ipsius reservationem, alteratio forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum, licet veritas & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec ulla unquam diuturnitate seu volubilitate temporis evanescat.

In celebratione verò solemnium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel consecratione formam verborum à Domino expressam & traditam observent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur. Sacerdotes autem dicant horas Canonicas more suo, sed missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non præsumant. 10. 11.

Promovendi verò ad Sacerdotium & presbyteri, qui præficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si præsertim de horis Canonicis, & Missarum officijs secundum distinctionem temporum exsequendis sint sufficienter instructi, ut ad hæc non nisi digni & idonei admittantur. Ceterùm unusquisque Sacerdos sin aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis. Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino. 12. 13. 14.

De jejunio verò diei Sabbathi quadragesimali tempore, quamquam honestius & salubrius Græci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, ut nec unico die institutum jejunium violarent, teneant & servent pro libito morem suum. Sacerdotes quoque conjugati, & alij quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licitè ac liberè possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsique pœnitentiam injungere pro peccatis: quia cui licet vel conceditur quod est majus, competit nimirum nec negari convenit, quod est minus: liberum tamen sit ipsis Episcopis viros alios idoneos coadjutores, & cooperatores habere in audiendis confessionibus, & pœnitentijs injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. Ipsique in his per eorum diœceses absque Sacerdotum ipsorum præjudicio, & gravamine committere vices suas, cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem diœceses officium suum exsequi per seipsos. 15. 16. 17.

De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cùm tam fornicarios, quàm adulteros à regno Dei Apostolus asserat alienos. 18.

Ad hæc volumus & expressè præcipimus, quod Episcopi Græci septem Ordines, secundum morem Ecclesiæ Romanæ, de cætero conferant: cùm hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel prætermisisse dicantur. Illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis Ordinibus tolerentur. 19.

Quia verò secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quæ aliàs licitè ad invicem matrimonio jungi possunt. Secundo tamen nubentes Presbyteri nullatenus benedicant. Et quoniam apud eos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se juxta eorum computationem octavo gradu, qui secundum computationem & distinctionem graduum, quam nos facimus apud nos, quartus cobetur, ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus: districtè præcipientes, ut 20. 21. 22.

cum

cum in ulterioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non præsumant, statutum in hoc generalis Concilij observantes. Illos tamen, qui jam in gradu hujusmodi contraxerunt, dispensativè permittimus in sic contracto matrimonio remanere.

23. *Denique cùm veritas in Evangelio asserat, quod si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi, quasdam culpas in præsenti, quasdam vero in futuro posse sæculo relaxari; & Apostolus dicat, quod uniuscujusque opus quale sit ignis probabit, & cujus opus arserit, detrimentum patitur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem; & ipsi Græci verè ac indubitanter credere ac affirmare dicantur, animas illorum, qui susceptæ pœnitentiæ, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari post mortem, & posse suffragijs Ecclesiæ adjuvari: Nos, quia locum purgationis hujusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum Doctoribus certo & proprio nomine indicatum, illum quidem juxta traditiones & auctoritates sanctorum Patrum Purgatorium nominantes, volumus, quod de cetero apud ipsos ipso nomine appelletur, illo enim transitorio igne peccata utique, non tamen criminalia seu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuêre remissa, sed parva & minuta purgantur, quæ post mortem etiam gravant,*

24. *si in vita non fuerint relaxata. Si quis autem absque pœnitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuò cruciatur. Animæ*

25. *verò parvulorum post baptismi lavacrum, & adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transvolant sempiternam.*

26. *Ordinationes demum, & instituta regularia sanctorum Patrum de vita, & statu Monachorum præcipimus ab Abbatibus, & Monachis Græcis inviolabiliter observari. Fraternitatem itaque tuam hortamur attentè, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præmissa omnia Episcopis Græcis prafati regni seriatim, & diligenter exponi facias, districtè ipsis injungens, ut ea sollicitè attendere, studioseè tenere ac efficaciter procurent, & à suis faciant subditis observari. Memoratu autem Archiepiscopo Nicosiensi, & ejus Suffraganeis Latinis firmiter auctoritate nostra præcipias, ut eosdem Græcos super præmissis contra hujusmodi provisionem, & deliberationem nostram non inquietent aliquatenus nec molestent. Contradictores eadem auctoritate appellatione postposita compescendo, non obstantibus si prafatis Archiepiscopo & Suffraganeis, vel quibuscunque alijs à Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excomunicari non possint, per literas Apostolicas, plenam & expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujusmodi mentionem. Datum Lateran. II. Nonas Martij anno XI.*

CAPVT VII.

De communicatione Latinorum cum Græcis ex Bulla *Clementis PP.* VIII.

CLEMENS VIII. Pontifex Maximus, quo studio erga universam Ecclesiam, & præcipuè erga Græcos ferebatur, ne qua DEO in administrandis Sacramentis injuria fieret, ipsi autem Græci salutem inde consequerentur, per brevem ad Latinos Episcopos, in quorum diœcesibus Græco ritu viventes degant, evulgari jussit, cujus summam affert Possevinus *Tom. I. Appar. Sacr. in addit. verb. Graci.*

Presbyteri Græci baptizatos Chrismate in fronte non consignent, & ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium prætermittantur, quæ sequuntur post illa verba: μετὰ ταῦτα χεὶρ, &c. usque ibi εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου, hoc est, *Et post orationem*, &c. (ubi habetur forma hujus consignationis) usque ad verba: *postea facit Sacerdos figuram circuli, &c.*

Episcopi Latini infantes seu alios baptizatos à Presbyteris Græcis de facto Chrismate in fronte consignatos confirment, & tutius videtur, ut cum cautela, & sub conditione id faciant, (videlicet N. *Si es confirmatus ego te non confirmo; sed si non es confirmatus, ego consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*) præsertim verò cùm vehementer dubitari potest quod ab Episc. Græcis fuerint baptizati.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, vel saltem quindecim renoveturi. Non asservetur idem Sacramentum toto anno, si tamen asservatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi sacro oleo, ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species sacramenti sacræ Eucharistiæ, feria quinta Cænæ Domini, ut deinde illud asservent.

Si Græci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, benè erit; sin minus, tolerentur eorum thioni, sive throni, super altaria lapidea ponendi cùm celebrent.

Corporalia uti Latini habeant, nisi thionis etiam pro corporalibus utantur.

In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possint Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta, & postea si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt. Circa Sacramentum Pœnitentiæ.

Tollendus abusus, ubi est, ut vir atque uxor simul & eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ vel primo die mensis benedicta conservetur in Ecclesia, ut illa Fideles aspergantur.

Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis diœcesanis accipere, cùm hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur seu benedicantur. Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere. Prohibeantur verò ab Episcopis Græcis externis, schismaticis, seu sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti. Circa oleum sanctum Catechumenorum & infirmorum.

Ordinati ab Episcopis schismaticis, alias ritè ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem. Circa Sacramentum ordinis.

Proinde ipsi ordinati ab Episcopis schismaticis, correcti vel emendati, reconciliandi sunt, & absolvendi cum pœnitentijs salutaribus, dummodo errores, vel saltem schisma ordinatoris abjurent in judicio, vel publicè, vel secretò pro qualitate facti. In Ordinibus autem per eos alias ut è susceptis, ministrare non permittuntur, nisi cum ipsis super irregularitate, hujusmodi occasione contracta, auctoritate S. Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi Episcopi schismatici, sive pro Ordinibus, sive pro alijs sacramentis conferen-

ferendis, sed derinendi, quoad sancta sedes Apostolica desuper consulatur, & responsum habeatur.

Græci sine litteris dimissoriis Episcopi Latini diœcesani ad sacros Ordines promoti, suspensi sunt, & si suspensi in suis Ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares, sicut & Latini.

Super hujusmodi autem & similibus irregularitatibus dispensandi facultatem à sancta Sede Apostolica obtineri oportet.

Si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in baptismo Chrismate in fronte facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet N. *si es confirmatus, &c.* ut suprà. Presbyteri vidui, seu uxoribus orbati, habitum ferant diversum ab alijs.

Curent Ordinarij locorum, ut decretum sacri Generalis Concilij Tridentini de reformatione matrimonij vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis, & Parochijs Græcorum, & Albanensium evulgetur & publicetur.

Matrimonia inter conjuges Græcos dirimi, seu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & si qua de facto processerunt, nulla & irrita declarent.

Maritus latinus uxoris Græcæ ritum non sequatur.

Latina uxor non sequatur ritum mariti Græci.

Græca verò uxor sequatur ritum mariti Latini.

Quod si id fieri non possit, quisque conjugum in suo ritu, Catholico tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi prævaluerit mater Latina.

Presbyter Græcus conjugatus ante sacrum Sacrificium, seu sanctam Missam celebrandam, vel per hebdomadam & per triduum abstineat ab uxore.

Circa alia dogmata Græcorum.

Græci credere tenentur, etiam à Filio Spiritum sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, præsertim si degant inter Latinos: aut necessitas postularet confitendi fidem Catholicam, quia tunc oportet etiam pronunciare.

Nunquam Monachis Græcis, seu Calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia justa causa.

Presbyteri sæculares Græci, abjuratis schismate & erroribus, atque in fide Catholica benè instructi, in Parochialibus seu Curatis Ecclesijs Græcorum institui possunt.

Tolerandus est apud Græcos usus carnium die Sabbathi, ubi sine scandalo fieri potest: in locis tamen ipsorum, & inter eos tantum.

Item tolerandus est, ut ad jejunium eodem die sabbathi in Quadragesima, excepto uno sabbatho sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

In jejunijs biduanis, vel triduanis, vel alias à Diœcesanis, vel Jubilæis à Summo Romano Pontifice indictis, dies sabbathi in eis comprehensus, vel præscriptus, in alium diem pro plebibus Græcis, ab ipsis Diœcesanis Apostolica auctoritate sanctissimi Domini nostri *Clementis* divina providentia Papæ VIII. permittitur commutari.

Si ipsi Græci ad observationem jejuniorum, & vigiliarum Latinæ Ecclesiæ inducti possent, optimum esset; sed non cogantur, cùm ipsi qualibet hebdomada, & feria quarta, & feria sexta jejunent.

Græci existentes inter Latinos, dies festos de præcepto ejusdem Ecclesiæ Latinæ servare tenentur.

Insuper idem sanctissimus Dominus noster constituit Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italiæ, & insularum adjacentium subjectos, ab Episcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimissorijs, ad id tantum concedendis, ritu Græco ordinet.

Item mandavit, ut ad majorem instructionem Dominorum Episcoporum Latinorum imprimantur, cum hac ipsa Decretali, seu literæ quædam Apostolicæ ad Græcorum ritus pertinentes: ac etiam professio orthodoxæ fidei, à Græcis, qui ad unitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ veniunt, facienda.

Ita sanctitas sua ex sententia Congregationis super reformatione Græcorum, decrevit, & declaravit, ac fieri mandavit Romæ in Palatio montis Quirinalis apud sanctum Marcum, die 31. mensis Augusti. Anno Dom. 1595. Pontific. sui anno quarto.

CAPVT VIII.

In quibus præterea alijs casibus liceat Latinis communicare cum Græcis.

COnstat ex supradictis, omnes Schismaticos astrictos esse majoris excommunicationis vinculo: hæc autem excommunicatio lata non erat contra Schismaticos aliquo jure antiquo, ut optimè observat Abbas in *Rub.* de schismaticis, *num.* 2. Alij verò contendunt schismaticos etiam olim fuisse jure communi excommunicatos, nam *c.* 1. & 2. de Schismaticis præcipiuntur vitari Schismatici. Cæterùm quidquid sit hac de re, hodie omnes Schismatici constitutione Pontificia, quæ in Cœna Domini promulgatur, sunt majoris excommunicationis pœna ligati.

Schismatici quando vitandi?

Quare primum dubium est, An Schismaticus sit in universum vitandus à nobis, præsertim in divinis, scilicet in Sacramentis recipiendis & alijs ministerijs divinis exercendis?

Respondeo Schismaticos eo ipso, quo excommunicati sunt, non esse nobis vitandos, quia ob constitutionem, in Concilio Constantiensi à *Martino V.* editam, usu jam receptum est, duo tantum excommunicationum genera esse vitanda, nempe nominatim excommunicatum, & notorium Clerici percussorem: quare cum Schismaticis, qui non sunt publicè & nominatim excommunicati, licet communicare, non secus ac si non essent excommunicati, tam in humanis quàm divinis rebus, ut latius *infra* dicemus, cùm de communicatione cum hæreticis agemus: quæ omnia procedunt etiam à fortiori in Schismaticis.

Catholici Græcorum Missam audire possunt.

Ex quò infertur, Catholicum posse interesse Missæ Sacrificijs, quæ faciunt & offerunt Græci, Armeni, Rutheni, & alij Schismatici, & præceptum divinum de audienda Missa adimplere prædictorum Missam audientem. Ita apertè colligitur ex dictis, & docet Azorius *Tom.* 1. *lib.* 1. *Institut. Moral. c.* 3. Erratio, quia ritus etiam Græcanici in re divina, & sacrificijs faciendis sunt Catholici, à sanctis Patribus traditi, *Basilio* nempe, *Chrysostomo*, & alijs, & proinde qui Græcanica sacra audiunt, suo officio, & Ecclesiæ præcepto satisfaciunt.

Nam

Nam Græci legitimo suo more & instituto sacris operantur, & Ecclesiæ præceptum non est, ut rem divinam audiamus hoc vel illo ritu, sed simpliciter, ut diebus Dominicis & festis rem sacram audiamus: & cum ex altera parte non teneamur vitare Schismaticos, nisi nominatim sint excommunicati, aut aliàs scandalum oriatur, fit, virum latinum posse interesse sacrificijs Græcorum & Schismaticorum.

An Catholici à Græcis Sacramenta possint recipere.

Sed major difficultas est, An à Sacerdote vel Episcopo Schismatico possit quis Sacramenta recipere? Pro parte affirmativa, facit *Extravagans* Martini V. *Ad evitanda*, quæ sine ullo discrimine excommunicatos non denunciatos docet non esse vitandos, ac si excommunicati non essent, idque plures auctores *infra* addu cendi, ubi de hæreticorum communicatione agemus, tradunt.

Pro contraria verò parte facit, quod isti Schismatici, in quantum excommunicati nominatim, non sint vitandi, in quantum Schismatici sunt separati à communicatione, à jure Canonico, & privari jurisdictione; ut constat ex *c.* 1. & 2. de Schismaticis, & *c. Ordin. 9. q.* 1. Secundò, quia apertè *Clemens* Papa 8. in Bulla citata oppositam docet sententiam: Ordinati (inquit) ab Episcopis Schismaticis, alias ritè ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem Ordinem, sed non executionem; & insuper prohibentur in prædictis Ordinibus ministrare, sine dispensatione sedis Apostolicæ. Nec erit sufficiens solutio, si quis dicat loqui hic de ordinato, qui non sit subditus Episcopi: nam illa verba (alias ritè ordinatis) hoc etiam includunt. Et confirmatur, quia in eadem Bulla de sacramento pœnitentiæ dicitur, in casu necessitatis Presbyteros Græcos Catholicos, posse Latinos absolvere. Ubi per particulam illam (*Catholici*) Schismatici videntur excludi, etiam in casu necessitatis, quia eo ipso quod Schismatici sunt, carent jurisdictione, ut *infra* latiùs dicemus de hæreticis. Quæ sunt notanda pro hac difficultate, quia quantum ad hoc, Schismatici & hæretici eadem fere est ratio: unde ex illo loco petenda est hujus dubij solutio.

An Sacerdos Græcus Latinorum ritu celebrare possit, & è contrà.

Secundum dubium, An Sacerdos Græcus agens inter Latinos, teneatur se tam Latinorum ritui, quàm propriæ consuetudini conformare, & è contra, de Latino inter Græcos? Resp. Si loquamur de ritu tam in celebratione Missarum, quàm in alijs divinis officijs, *Pius V.* prohibuit, ne sacerdos Græcus Latino ritu, neque è contra Latinus ritu Græco celebrarent: imò & Concilium Florentinum in literis unionis simpliciter dicit unumquemque Sacerdotem debere conficere in fermentato vel azymo juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem. Hoc tamen existimo accipiendum de Sacerdotibus Latinis & Græcis, quando in eodem territorio sunt conjuncti, vel de Sacerdotibus Græcis per Latinam Ecclesiam peregrinantibus, vel de Latinis per Græciam iter facientibus. Si tamen domicilium habeant, vel Latini inter Græcos, vel Græci inter Latinos, tunc meritò potest esse quæstio, an teneantur se conformare ritui Ecclesiæ illius, in qua habent domicilium: quia qui habet domicilium in Ecclesia Græca, censetur jam Græcus, & è contra Græcus in Ecclesia Latina. Præterea in *C. ille d.* 12. dicitur teneri unumquemque se conformare consuetudini Ecclesiæ, in qua actu existit. His rationibus motus P. Suarez 3. *Tom disp.* 44. *sect.* 3. tenet partem affirmativam: sed contraria sententia probabilior videtur. Nam Concil. Florentin. & Bulla *Pij V.* absolutè præcipit unicuique Sacerdotum Græcorum & Latinorum, servare propriæ Ecclesiæ ritum sine ulla limitatione, & ob id non tenetur se conformare, quantum ad ritum Ecclesiæ illius, in qua actu habitat, in alijs verò tenebitur consuetudines & præcepta Ecclesiæ observare.

Ex quibus primò colligo, Sacerdotem Latinum degentem inter Armenos, Abissinos vel alios Schismaticos, quorum ritus in celebrando sit approbatus ab Ecclesia, posse se illorum ritui conformare, maximè quando habet domicilium: quia Concil. Florent. & Bulla *Pij V.* solum loquuntur de sacerdote Græco inter Latinos, & de Latino inter Græcos. Et ita non debent extendi ad alias nationes.

Secundò infertur, Sæculares domicilium habentes in Ecclesia Græca, vel alia Schismaticorum, quales sunt nunc Lusitani multi in interiori Æthiopia, posse se consuetudinibus accommodare, & debere, maximè si sit scandalum, nisi aliàs vellent ipsi in omnibus Latino more vivere, habeantque Ministros Ecclesiæ Latinæ: nam tunc certum est nullatenus teneri.

Pro his tamen & similibus dubijs degentes inter alios Schismaticos à Græcis (cum quibus jam ex praxi constat qualiter quis se gerere debeat) & sciant quid ab ipsis præstandum sit, tam in jejuniorum, quam dierum festivorum observatione, quàm in eorum ritibus approbandis vel reprobandis, oporteret, ut sedem Apostolicam consulerent.

CAPVT IX.

De pœnis Schismaticorum, & de eorum absolutione & reconciliatione.

DE Schismaticorum pœnis, quas DEUS justissimè ab eis interdum solet reperere, non est necesse in præsenti dicere. Extant in Scripturis aliquot eorum exempla: ut *Num.* 16. ubi Legimus Dathan, & Abiron propter illud peccatum fuisse absorptos à dehiscente terra. Et constat ex *libris Reg.* quantis cladibus affectæ fuerint undecim tribus Israel, eò quod à domo David discessionem fecerunt.

De alijs autem pœnis, quibus vel ipso facto, vel per sententiam judicis, possunt affici Schismatici, quædam sunt certa apud Doctores, & aliquid est controversum. Primò certum est, eos non ita puniri, ut vel amittant ipso facto, vel possint amittere spiritualem aliquam potestatem, consistentem in spirituali charactere Baptismi, vel Confirmationis, vel Ordinis. Nam hæc indelebilis, ut docet 2. 2. *q.* 39. *art.* 3 D. Tho. & confirmat Turrecremata *lib.* 4. *Sum. part.* 1. *cap.* 7. & Sylvester verb. *Schismatici*, & patet ex *Urbano* Papa *Canon.* Ordinationes 9. *q.* 1. qui ordinatos ab Episcopis schismaticis censet verè fuisse Ordinatos. Et ex Aug. *lib.* 6. de Baptismo contra Donatistas *cap.* 5 Ubi ait: *Potest Sacramentum tradere separatus sicut habere.*

Secundo certum est privari tamen ipso facto Schismaticos facultate utendi rectè & legitimè ejusmodi potestate characteris, seu privari ejusmodi potestate, quoad ejus essentiam, quo ad usum, nimirum legitimum, ait D. Tho. *art.* 3. Non enim possunt Schismatici rectè, & absque peccato uti ejusmodi potestate. Quo sensu asserit D. Thom. & Turrecrem. *ubi suprà* debere intelligi quædam Patrum, seu Pontificum testimonia,

nia, quibus indicari videtur amitti per schisma potestatem etiam Ordinis sive Consecrationis. Oportet enim id intelligi quoad usum legitimum: ut quando Patres Concilij Lateranensis sub *Innocentio Tertio* cap. 1. *Extravag.* de schismat. ajunt: *Ordinationes ab Octaviano, & Guidone Hæresiarchis factas, irritas esse censemus.* Quod etiam dicit *Urbanus* in *Can.* Ordinationes 9. q. 1. Debet enim intelligi quoad executionem earum legitimam, ut ibi etiam exponit *Glos.* addens, nisi cum eis fuerit dispensatum, vel nisi Ordinatus probare posset, nesciviſse se fuisse schismaticum eum Episcopum, à quo accepit Ordinem, aut habuisse legitimam dispensationem accipiendi Ordines à schismatico, ut ait *Innocentius* 3. in cap. *Paternitate*, extra de schismaticis.

Tertiò, Certum est præter excommunicationem, quam *supra* Schismaticos diximus incurrere, si ab ea non resipiscant, posse ulterius puniri, nimirum per censuram depositionis, ut patet ex *Can.* in nomine Domini 23 *d.* & notat ubi supra Turrecrem. Et si nec per depositionem emendentur, pœnis etiam corporalibus, auxilio brachij sæcularis, ut fieri jubet Pelagius Pontifex in *Can.* de Liguribus 23. q. 5. & docet D. Tho. 2. 2. q. 39 *art.* 4. *ad* 3. Atque etiam possunt privari à Pontifice potestate & dignitate temporali.

Quartò Schismaticus præter pœnas prædictas, alias etiam incurrit: Est enim irregularis, ita ut etiamsi Ecclesiæ per absolutionem & veram pœnitentiam fuerit reconciliatus, ad beneficia & Ordines promoveri non possit, sine Pontificis dispensatione, ut colligi videtur ex c. *Qua diligentia*, de electione, ubi Hostiensis, Abbas, & Joannes Andreas idem censent. Hanc verò irregularitatem non contrahi à Schismatico occulto, sed tantum manifesto quidam affirmant. Alij verò in contrarium docent etiam ab occulto contrahi. Sed probabilior videtur prima sententia, ut optimè ostendit Greg. de Valentia, 2. 2. *disp.* 3. *q.* 15. *punct.* 3.

Sed petes, an Schismatici Presbyteri & Episcopi careant Ordinis potestate, an tantum Jurisdictione. Respondet S. Tho. 2. 2. q. 39. *art.* 3. Schismaticos jurisdictione carere: *Non possunt* (inquit) *absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias concedere.* Sic ille; & ita nequeunt eadem ratione eligere, beneficia conferre, leges sive constitutiones dare, vel ponere. Unde si quos absolvant vel eligant, absolutio seu electio rata non est, & proinde iteranda: habere tamen, ait S. Tho. potestatem sacram Ordinis: quare Episcopus schismaticus verè conficit & consecrat Eucharistiam, verè confirmat, verè ordinat, cum aliquos ad Ecclesiasticos Ordines eligit ac promovet, ab eo verè Ordinis characterem recipiunt, non tamen Ordinis usum & functionem; quoniam sunt ipso jure suspensi, si scienter à schismatico Episcopo ordinentur. Pari aut simili ratione, si Episcopus schismaticus altaria, vasa, aut templa consecrat, ratum est quod facit, quia hæc sunt Ordinis non jurisdictionis, quamvis Episcopo ex Ecclesiæ auctoritate conveniant.

Si quæras utrum hæc pœna, qua Schismatici jurisdictione privantur locum habeat generatim in omnibus Schismaticis. Quidam ajunt hanc Schismaticorum pœnam, qua jurisdictione privantur, locum habuisse ante Concilium Constantiense, in omnibus manifestis & notoriis Schismaticis, non occultis: modò verò post illud, solum locum habere in ijs, qui sunt expressim & nominatim denunciati, aut manifesti percussores Clericorum. Alijs probabilius videtur, universè Schismaticos, quatenus tales sunt, jurisdictione Ecclesiastica privatos esse, eò quòd sint extra Ecclesiam, quia ipsi se ab Ecclesia diviserunt.

Respondeo, Si Schismaticus sit toleratus, & communi errore populi habitus pro legitimo, non videtur dubium, quin omnes actus Jurisd. aliàs requirentes, sint validi, ut *infra* dicemus etiam de hæreticis. Si vero Presbyter vel Episcopus sit manifestus schismaticus, tunc aliqui dicunt, non valere gesta per ipsum, illa inquam quæ requirunt Jurisdictionem. Alijs vero placet, valere omnia in casu, quo Schismaticus non sit nominatim excommunicatus, vel manifestus Clerici percussor, sed verior & securior prima est sententia.

Sed quæres, quam juris pœnam incurrat, qui ad Ordines vel alia Ecclesiastica beneficia à Schismaticis promovetur? Respondetur, Si sciens esse Schismaticum, & excommunicatum, spontè susceperit ab eo sacramentum Ordinis, manet irregularis & suspensus ab executione illius Ordinis, quem susceperit, & indiget dispensatione Sedis Apostolicæ: si vero beneficia Ecclesiastica, privatur illis: ita colligitur ex c. 1. *de schismaticis*, & ex bulla *Clem.* 8. supra adducta. Si tamen cum ignorantia quis fuerit ordinatus, dispensat Episcopus in irregularitate: ita post Navar. docet Greg. de Valencia 2. 2. *in* 3. *p. disp.* 7. *q.* 19. *de irregular. puncto* 3.

Ultimò dubitatur, An ab excommunicatione, & aliis pœnis liberi sint Schismatici, qui ignorantia invincibili schismati Græcorum inhæren? Breviter dico, certum esse pœnas prædictas non incurrere, nec in interioti, neque exteriori foro: ut clarius patebit ex his, quæ *infra* dicemus, tractantes de Hæreticorum pœnis.

Qua verò ratione Schismatici sint absolvendi, & reconciliandi cum Ecclesia, dicemus *infrà*, cùm de absolutione hæreticorum differemus, tum quia Schismatici majori ex parte hæretici sunt; tum etiam, quia etsi schismatici tantum inveniantur, eorum absolutio reservata est etiam Sedi Apostolicæ, ut patet ex Bulla Cœnæ Domini.

Illud tamen est advertendum, quod quamvis Schismaticorum absolutio sit reservata, sicut & Hæreticorum, in eorum tamen absolutione non sunt tot tantæque circumstantiæ observandæ, sicut in absolutione hæreticorum. Oportebit tamen primò, ut antequam absolutionis beneficium accipiant, publicè vel privatè fidei professionem juxta sequentem formulam à Sede Apostolica exhibitam, faciant.

CAPVT X.

Professio orthodoxæ fidei à Græcis facienda, *Gregorij XIII.* Pont. Max. jussu edita.

EGo N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum IESVM Christum filium DEI unigenitum. Ex ex Patre natum ante omnia sæcula.

culo. DEVM de DEO, lumen de lumine, DEVM verum de DEO vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Credo etiam, profiteor, atque suscipio ea omnia, quæ Sacra Oecumenica Synodus Florentina super unione Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ definivit, & declaravit: videlicet quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio; & ex utroque æternaliter, tanquam ab unico principio & unica spiratione procedit. Cum id quod Sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat; ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Græcos quidem, causam, secundum Latinos vero, principium subsistentiæ Spiritus Sancti, sicut & Patrem. Cumque omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dederit, præter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum, Filioque explicationem, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.

Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatorij post mortem purgari: & ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis Fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à Fidelibus pro alys Fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum DEVM trinum & unum sicuti est, meritorũ tamen diversitate alius alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Item sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro IESV Christo, plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in Actis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex Decretis sacræ Oecumenicæ Generalis Synodi Tridentinæ Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, etiam ultra contentain supradicto fidei Symbolo, profitenda ac recipienda proposuit, atque præscripsit, ut sequitur.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones firmissimè admitto & amplector.

Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis à IESV Christo Domino nostro institutа, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto.

Omnia & singula quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, & proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & sanguinem unà cum anima, & Divinitate Domini nostri IESV Christi; fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substan-

tiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub alterutra tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs juvari: Similiter & Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo, in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac JESV Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè DEO adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM.

LIBRI VI.

PARS III.

De Ruthenorum Religione, & unione cum Sede Apostolica.

CAPVT I.

De Ruthenis tempore Clementis Papæ VIII. ad Sedis Apostolicæ communionem admissis, & de forma qua fuêre recepti.

RUthenorum populi (quos antiquo vocabulo Russos appellant Scriptores) ad unionem Apostolicæ sedis recepti fuerunt à *Clem. VIII.* Pontifice Maximo: ut latiùs Cardinalis Baronius ad calcem 7. *Tomi Annalium* præcipua appendice adjecit. Ejus etiam unionis meminit Anton. Possevinus *in Apparatu sacro*, verbo *Rutheni*. At quoniam ille decretum dumtaxat deliberationis Archiepiscopi & Episcoporum Ruthenorum in sua Synodo facta de suscipienda communione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & eorundem ad summum Pontificem literas; hic verò tantum alias Synodi circumstantias enumerant; nos aliquid plenius huc inferemus. Quare primò de synodo à Ruthenis celebrata & Decreto in ea edito: Secundò de litteris ad summum Pontificem, ac de Articulis sive conditionibus à Ruthenis propositis. Tertiò de communione ipsa à Sede Apostolica concessa dicemus.

Primò igitur, anno Domini 1594. die 2. mensis Decembris, Brestensis Synodus celebrata est Brestæ, quæ civitas est sita in magno Ducatu Lituaniæ, qui ad regnum Poloniæ pertinet. Ea indicta est jussu *Clementis VIII.* Pont. Max. felicis recordationis, cui quæ decernenda erant, proposita fuerant ab Episcopis, qui illuc convenire debebant. Synodus Brestensis.

Tria fuerunt ob quæ hæc Synodus fuit coacta. Primum, ut Rutheni Episcopi convenientes in unum cum Latinis Episcopis legitimè id facerent, quandoquidem sciebant illegitima esse Concilia, quæ sine Vicarij Christi auctoritate indicerentur, aut haberentur: ea verò, de quibus erat agendum, ad sanctæ Catholicæ fidei professionem edendam spectarent, rejecto omni schismate, ac novis hæresibus, quæ passim successerant, dum ab Ecclesiæ unitate secesserant.

Secundum, ut decerneretur legati Ruthenorum, qui nomine omnium ad Pont. Max. ad Urbem proficiscerentur, ipsi ac successoribus ejus ô-

nem

nem delaturi obedientiam, tanquam supremo omnium in Ecclesia Pastori.

Tertium ut ab eodem Pont. Max. absolutionem à schismate consequerentur. Neque amplius communionem cum Patriarcha Constantinopolitano haberent, donec ille quemadmodum antiqui olim Episcopi Constantinopolitani, S. Joannes Chrysostomus & alij Orthodoxi atque Catholici faciebant, Primatum Apostolicæ Sedis, qualis à Christo Domino fuit institutus, agnosceret, ac profiterentur.

Accessit auctoritas nomine Pont. Max. à Stanislao Karncovio Gnesnensi Archiepiscopo, Primate totius Regni, & legato nato collata.

Interfuêre nomine ejusdem summi Pontificis & aliorum Latinorum Episcoporum, Demetrius Solicovius Archiepiscopus Leopolienſis, Bernardus Macieovius tunc Luceorienſis, nunc Archiepiscopus Gnesnensis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Stanislaus Gomoslincius Episcopus Chelmensis. Pro Ruthenis autem Metropolitanus Kiovienſis, & Halicienſis, totiusque Russiæ Michael Rabiosa; Hypatius Primas Ulodimirienſis & Brestenſis, Cyrillus Terlecius Exarcha Luceorienſis, & Ostrovienſis, Hermogenes Archiepiscopus Polocensis & Vitepcensis, Joannes Hohol Pinscensis, Turonienſis, Dionysius Sbievoius, & Belscensis Uladicæ, sive Episcopi ritus Græci. Præterea plures Latini sacerdotes, & Rutheni, qui dicuntur *Poppi*, sed qui extra Episcoporum ordinem starent.

Assuêre pro sereniſſimo Rege Poloniæ Sigismundo hujus nominis Tertio, Legati Nicolaus Radivilius Dux in Olica, & Nieſſuvij, Palatinus Trocensis, Leo Sapihea Lituaniæ Cancellarius, Demetrius Halecius ejusdem magni Ducatus Lituaniæ Thesaurarius, idemque Capitaneus (ut vocant) Brestensis, ut Regiæ Majestatis auctoritate curarent, ne forte vis, & tumultus ab Hæreticis & alijs factiosis hominibus Synodo intentaretur; sed sua Synodo, & Ecclesiasticis libertas integra constaret, in dicendo, ac in decernendo. Porro nobilitas frequens Catholica cum eijsdem legatis Regijs haud defuit.

Atque Satanas omnis pacis, & unitatis acerrimus ofor, incitaverat Arianorum & aliorum hæreticorum animos, ut tantæ rei obsisterent. Quamobrem contra mandatum Regium, nullaque fulti auctoritate, plurimi convenêre armati, qui Palatino Kiovienſi hæretico adhærebant, & quo conscio, abnuente, pertractis etiam in suas partes duobus schismaticis Uladicis Luceorienſi, & Premislienſi, & aliquibus Poppis, conventicula habebant, ut legitimam synodum interturbarent, ac scinderent: quod tamen efficere nequiverunt. Gravissima enim Legati Regij ad eos oratione, non tam persuasi, quam absterriti, licet in sua pervicacia obfirmati hæretici, quæ à Rege petierant, obtinere non potuêrant, perstitêre tamen in nectendis dolis, falsisque calumnijs objiciendis, quibus Synodi auctoritatem statutamque unionem impedirent ac deprimerent.

At ea quæ à Regia Majestate ante aliquot hebdomadas petierant Palatinus Kiovienſis, & nobilitas Volinienſis, per Matthiam Malinum & Laurentium Britinium nobiles ad Regem allegatos, hæc fuerant. Inprimis, ut nemo armatus, neque cum militari manu ad eam Synodum veniret, paxque & securitas ob libertatem mutuorum colloquiorum integra foret.

Deinde, ut cuivis eò accedere liberum esset, quamvis à Græcæ, & Romanæ Religionis hominibus essent in fide alieni.

Præterea, ut Synodo interesse posset Nicephorus Græcus, qui cum Stephano Palatino in Moldavia captus, ex carcere Arcis Chocimienum aufugerat. Denique, ut nisi in Synodo convenirent, possent cum ea controversia ad generalia Comitia Regni confugere. Sed ad hæc postulata in scripto, quod sigillis Regijs authenticè munitum, legati Regij ostenderunt, ejusmodi datum est Responsum.

Primum postulatum non modo concedit Rex, verum etiam ita fieri omnino mandat, ideoque legatos suos ad Synodum mittit, ut omnia pacificè, & cum magna Ecclesiasticorum libertate Synodus possit absolvi.

Alterum vero, de hæreticis ad Synodum admittendis, ejus Majestas recusavit, quandoquidem Synodus indicta erat ad Ruthenos Græcosque cum Catholicis uniendos, ut in publicis Regijs literis habetur.

Tertium item postulatum nullo modo Regia Majestas concedere voluit, designans quis, & qualis esset iste Nicephorus, quippe qui Stephanum Palatinum adduxisset in Moldaviam, secretosque cum Turcis tractatus habuisset, in Regni totius ac Reipublicæ detrimentum: proinde nemini fas esse cum homine adeo suspectæ fidei quidquam agere.

Quartum denique postulatum eadem ratione detrectavit, inquiens, aliud esse Synodum Ecclesiasticorum, aliud Regni Comitia, in quibus Ecclesiastica negotia neque Judicium ullum, nec locum habent, nisi quatenus libertati Ecclesiasticæ patrocinium omne procuretur & detur.

Hæc cum Legati Regij objecissent, ac Hæreticos & Schismaticos acriter reprehendissent, quod Synodum impedire satagerent, conventicula verò sine illa Regia auctoritate cogerent, & sub specie impiæ confœderationis id sibi licere dictitarent, de Patriarchatu Constantinopolitano, qui simoniacè à Turcis emeretur, pluribus argumentis indicarunt maledictionem, quam Sedes illa haberet, ut unus alterum majore pecunia persoluta de Sede dejiciat: unde nonnunquam contingat duos, sive tres simul esse Patriarchas, sponsamque illam tres interdum simul habere maritos, sicque adulteram cum adulteris manere.

Sacerdotes autem & Monachos, atque Igumenos passim Christi Domini fide abjurata Turcicam sectam amplecti, atque per exteras regiones vagantes Christianos, eorumque consilia per summam perfidiam prodere: huc item ad Russiæ partes passim venire cum fictis à Patriarcha literis, falsisque sigillis appressis.

Denique, ut alia interim omittam in præfatis Comitijs, quid fuerit circa illa tria, quæ fuerunt proposita, sancitum sequenti scriptura significarunt.

Decre-

Decretum deliberationis & conclusionis Reverendissimorum Dominorum Archiepiscopi, & Episcoporum Ruthenorum, de recipienda & suscipienda Communione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, factum die secundâ Mensis Decembris, Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto.

In nomine sanctæ vivificantis & individuæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti.

Nos infra nominatæ personæ, qui huic scripto nostro subscripsimus, notum facimus, quod introspicientes diligenter vocationem & officium nostrum, quod est hujusmodi, ut nosmetipsos, & hominum Christianorum gregem ovium Christi nobis à Christo commissum, ad concordiam & unionem promoveremus, prout nos salvator noster Christus JESUS edocuit, eamque doctrinam sanguine suo obsignavit: ac potissimum his infelicissimis temporibus nostris, quibus multa ac varia haereses inter homines grassantur, ob quas plurimi recedentes à vera & Orthodoxa fide Christiana, legem nostram deserunt, & ab Ecclesia Dei, veroque in Trinitate illius cultu se ipsos separant. Quod non aliâ de causâ accidit, quam ob dissensionem nostram cum Dominis Romanis, cum quibus cum simus unius Dei homines, & tanquam unius Matris Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ filij, ab ijs divisi sumus, unde mutuo auxilio præsidioque invicem nobis prodesse nequimus. Et quamvis assiduè DEUM pro unione in fide orationibus nostris precemur, nihilominus quonam pacto hæc unio inter nos stabiliatur aliquando, numquam nobis seriò cura fuit, spectando semper superiores nostros, & expectando si de hac ipsa unione inciperent esse soliciti.

Verum cum nostra spes hac in re, ut hoc eorum cura & studio perfici possit, indies minuatur, non ob aliam rem quam quod isti servitute paganorum oppressi, etiamsi fortasse vellent, non possunt: Igitur ex inspiratione Spiritus sancti, cujus hæc sunt opera, & non hominum, considerantes cum ingenti dolore nostro, quanta impedimenta homines habeant ad salutem, absque hac unione Ecclesiarum Dei, in qua incipiendo à Christo salvatore nostro, & à sanctis illius Apostolis prædecessores nostri persistiterunt, ac unum summum Pastorem primumque Antistitem in Ecclesia Dei hic in terris (prout ea de re Concilia & Canones manifestos habemus) & non quempiam alium præter sanctissimum Papam Romanum profitebantur, illique parebant in omnibus: ac quamdiu id uniformiter in suo robore permansit, semper in Ecclesia Dei ordo, cultusque divini incrementum fuit: inde consecutum est, ut difficillimum foret hæreticis sua disseminare prava dogmata. Postquam autem multi superiores esse cœperunt, eam sibi auctoritatem potestatemque arrogantes: nunc clarè cernimus ad quantas discordias & schismata ob pluralitatem superiorum Ecclesia DEI devenit: ex quo fit, ut hæretici tantas sumant vires.

Itaque nolentes, ut conscientiæ nostræ tanto pondere aggravarentur, si animarum salus multarum ob eas in Religione discordias diutius periclitaretur (licet hæc ipsa de re nos prædecessoresque nostri meditati fuerint, idque tentaverint) videntes institutum Concilium intermissum esse, proposuimus auxiliante DEO, mutuo ipso vinculo nos ipsos ad prosequendum hoc negotium excitare & confirmare, ut quemadmodum antea, eodem labio, & eodem corde possemus laudare & glorificare venerandum & magnificum nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, cum fratribus nostris charissimis Dominis Romanis, permanentes sub eodem Pastore visibili Ecclesiæ DEI, cui hæc præeminentia semper debebatur.

Quocirca id nobis mutuo promittentes coram Deo, quantum in nobis fuerit, corde sincero & candido, ac diligentia in hujusmodi negotio necessaria ac debita nos omnem daturos operam spondemus in communi, & quilibet per se, adhibitis mediis convenientibus, ut fratribus nostris Ecclesiasticis communique plebi ad ineundam unionem & concordiam simus auctores, idque divina adjuvante gratia perficiamus.

Ut autem majus incitamentum ad finiendum habeamus, quoque major à nobis cura & solicitudo impendatur: scriptum præsens conficimus, quo sinceram promptamque voluntatem nostram, ad amplectendam cum Ecclesia Romana unionem & consensum testamur. Et DEUS omnipotens largitor omnium bonorum auctorque, ad concordiam sit dux, & protector tam sancti negotij hujus, cui uti corda nostra, ita & eam voluntatem præsenti scripto testantes, manu propria subscribimus: salvis tamen & in integrum observatis caremonijs, & ritibus cultus divini peragendi, & sanctorum Sacramentorum, juxta consuetudinem Ecclesiæ Orientalis, correctis tantummodo ijs articulis, qui ipsam unionem impedirent, ut more antiquo fierent omnia, sicut olim unione durante fuerunt. Datum anno Domini millesimo quingentesimo, nonagesimo quarto, die secunda Decembris.

Locus sigillorum.

Deinde sequuntur subscriptiones, videlicet:

Michael Metropolita Kiovienſis Halicienſis, & totius Russiæ, manu propria.

Ipatius Dei gratia Protothronius Episcopus Vlodimirienſis, Brestenſisque, manu propria.

Cyrillus Terlezcki Exarcha Metropolitæ Kiovienſis, Episcopus Luceorienſis, Ostrosienſisque manu propria.

Gregorius nominatus Archiepisc. Vladika Polocenſis, Vitelscenſisque manu propria.

Dionysius Zbirauski Episcopus Chelmenſis Bilsenſisque manu propria.

Leontius Pelezizki Episcopus Pinscenſis Turovienſisque manu propria.

Jonas Hobol Archimandrita Kobrinenſis Ecclesiæ S. Salvatoris manu propria.

Idem Jonas nominatus Episcopus Pinscenſis Turovienſisque, manu propria hanc concordiam fratrum meorum subscripsi.

Cum hæc statuissent in sequentem annum, ubi primum per temporis opportunitatem licuit, honorificam ad Romanum Pontificem decernunt legationem, duobus ad id muneris obeundum electis Legatis Episcopis, quibus ad eundem ejusmodi literas dederunt.

Literæ

Literæ Dominorum Archiepiscopi Kiovienſis, & aliorum Epiſcoporum Ruthenorum ad S. D.N. CLEMENTEM Papam VIII. ſuper eorum unione cum Sancta Eccleſia Romana, datæ die 12. Iunij, Anno Domini M. D. XCV. Latinè verſæ.

Sanctiſſime Pater, Domine & Paſtor ſupreme Eccleſiæ Chriſti, D. clementiſſime.

Repetentes memoria conſenſum in omnibus atque unionem Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ, quam majores noſtri ſub obedientia & regimine ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Romanæ colutrunt: ex altera vero perpendentes animi diſſenſiones & ſchiſmata, quæ hodie invaluerunt, non potuimus propterea non maximo dolore affici, deprecabamurque aſſiduè Dominum, ut nos aliquando in unitatem fidei aggregaret; expectantes ſi forte ſuperiores & Paſtores noſtri orientalis Eccleſiæ, ſub quorum obedientia hucuſque fuimus, de ineunda unitate & concordia, quam in liturgiis quotidie à DEO efflagitant: cogitare ſerio atque diligenter in eam rem & curam incumbere vellent. Sed cum videremus fruſtra tale quidpiam ſperari ab illis, non tam malevolentia & temeritate fortaſſe eorum, quam quod ſub graviſſimo ſervitutis jugo crudeliſſimi Tyranni, & à Religione Chriſtiana alieni gemant, tentare id quod maximè vellent, nullo modo poſſunt: nos nihilominus qui in his partibus ſub dominio ſereniſſimi Poloniæ & Sueciæ Regis & Magni Ducis Lituaniæ conſtituti ſumus, liberiſque nobis eſſe propterea licet, attendentes officium noſtrum, neque nobis ipſis & ovibus gregis Chriſti, quarum cura ad nos ſpectat, obeſſe, conſcientiaſque hac in parte noſtras, tot animarum interitu, qui ex diſſenſionibus his provenit, gravare nolentes, adjuvante Domino, ad unionem, quæ antea inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam viguit, inque Florentina Synodo ab anteceſſoribus noſtris conſtituta eſt, accedere decrevimus: ut vinculo hujus unionis adſtricti ſub obedientia atque regimine Sanctitatu veſtræ, uno ore, & corde glorificemus & laudemus omnes diviniſſimum & ſanctiſſimum nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Ac proinde ſciente volenteque Domino noſtro Sigiſmundo tertio Dei gratia Poloniæ & Sueciæ Rege, Magnoque Duce Lituaniæ, cujus etiam ſingulare ac ſapientiſſimum ſtudium in hac re eniuit: miſimus ad ſanctitatem veſtram chariſſimos fratres noſtros Reverendos in Chriſto Hypatium Pocii Protothronum atque Epiſcopum Vlodimirienſem, Breſtenſemque, & Cyrillum Terleczki Exarchum atque Epiſcopum Luceorienſem, Oſtrogienſemque: quibus mandavimus, ut ſanctitatem veſtram adeant, ac (ſi quidem ſanctitas Veſtra adminiſtrationem Sacramentorum, rituſque & cæremonias Orientalis Eccleſiæ integrè, inviolabiliter, atque eo modo, quo tempore Unionis illius utebamur, nobis conſervare confirmareque pro ſe & ſucceſſoribus ſuis nihil in hac parte innovaturis (umquam, dignetur) ſuo & omnium noſtrum, Archiepiſcopi & Epiſcoporum, totiuſque Eccleſiaſtici noſtri ſtatus, & ovium commiſſarum nobis divinitus nomine, ſedi ſancti Petri, & ſanctitati Veſtræ, uti ſummo Paſtori Eccleſiæ Chriſti, debitam obedientiam deferant.

Quæ omnia petita à nobis ſi obtinuerimus ſanctitati Veſtræ cum omnibus ſucceſſoribus ſuis, nos & ſucceſſores noſtri dicto audientes, ſubque regimine ſanctitatis veſtræ ſemper eſſe volumus. In quorum majorem fidem literas præſentes manibus noſtris ſubſcripſimus atque munivimus ſigillis. Datum ex Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lituaniæ die x i i. Junij, An. Dom. M. D. XCV. juxta Kalendarium vetus. Sanctitatis veſtræ

Humillimi apud Deum oratores & ſervi.

Subſcriptiones cum ſigillis.

Qui igitur miſſi ſunt Epiſcopi Legati, poſtquam Romam pervenêre, honorificè excepti à ſummo Pontifice legationem publicè expoſuerunt. Inter alia verò ante fidei profeſſionem ab ipſis ſuæ gentis nomine emittendam ſequentes articulos pro unione perficienda propoſuerunt: quos prius Apoſtolico Nuntio Ruſſiæ obtulerunt.

Articuli ſive conditiones, quas nos Adamus Wlachininenſis & Cyrillus Luceorienſis Wladicæ, noſtro ac confratrum noſtrorum nomine, à Catholica Romana Eccleſia, priuſquam ad ipſius Vnionem accedamus, requirimus.

CUm inter Romanæ & Græcæ religionis atque Fidei homines de proceſſu Spiritus ſancti contentio ſit, quæ unionem & contentionem plurimum impediat, & non aliam penè ob cauſam, quam quod mutuo inter ſe intelligi nolimus. Poſtulamus itaque ne ad aliam confeſſionem ſtringamur, ſed ſequamur, quam in Evangelij & Doctorum Sanctorum religionis Græcæ ſcripris traditam habemus: nimirum Spiritum ſanctum non ex duobus principijs nec duplici proceſſu, ſed ex uno principio veluti ex fonte, ex Patre per Filium procedere ſecundum illud prout in Concilio Florentino Patres religionis Græcæ ſuffragiis ſuis comprobarunt & atteſtati ſunt in hæc verba:

Occidentalium & orientalium ſanctorum Scripta diligenter auſcultavimus, quorum alia Spiritum Sanctum *ex Patre Filioque*; alia verò *ex Patre per Filium* procedere teſtantur. Quæ quidem omnia tametſi ſignificent idem, Nos tamen illud *Ex Filio* poſtponentes Spiritum Sanctum *ex Patre per Filium* ab æterno ſubſtantialiterque, ut ab unico principio, vel ab unica cauſa procedere profitemur: quandoquidem præpoſitio *Per* in Spiritus Sancti proceſſione cauſam ſignificat.

Cultus divinus omneſque orationes matutinæ, Veſperæ & nocturnæ, ut nobis integræ conſtent ſecundum morem & conſuetudinem receptam Orientalis Eccleſiæ, nominatim vero liturgiæ tres, Baſilij, Chryſoſtomi, Epiphanij, quod ſi tempore Quadrageſimali cum præſanctificatis doni. Similiter & aliæ omnes cæremoniæ Eccleſiæ noſtræ, quibus hucuſque uſi ſumus: ſiquidem & Romæ ſub obedientia ſummi Pontificis idem obſervatur.

Sacramenta Sanctiſſimi Corporis & ſanguinis Domini Noſtri JESU Chriſti, ut nobis ita, quemadmodum hucuſque uſi ſumus, ſub utraque ſpecie panis & vini, temporibus perpetuis integrè inviolabiliterque conſerventur.

Sacramentum Baptiſmi & forma ipſius, ut nobis integrè, prout in hunc uſque diem durat ſine omni additamento conſtet.

De

De Purgatorio nullam litem movemus, sed volumus doceri ab Ecclesia sancta Romana.

Calendarium novum, si secundum morem antiquum fieri possit, suscipiemus; verum ea conditione, ut festa Paschæ & aliorum Sanctorum ritus nostri, quemadmodum durante concordia fuerunt, integra ac inviolata nobis constent & maneant: habemus enim nonnulla festa peculiaria, quibus Romana Ecclesia caret, utpotè pro die sexta Januarij, qua anniversaria celebritate repræsentamus Baptismum JESU Christi ad primam revelationem Dei in Trinitate unius, quod nostri vulgo *Thohozia vulznie*, ac si dicas *divina revelatio*, vocant: ac cujus diei adventum solemnes cæremonias habemus circa benedictionem aquæ.

Ad processionem pro festo Corporis Christi faciendam nè adigamur: hoc est, ne simili ratione processionis cum Sacramento faciendæ nobis necessitas imponatur, quandoquidem apud nos alius est modus & usus Sacramentorum.

Tum & ante festum Paschæ, ad consecrationem ignis, ac etiam pulsationem asseribus compactis loco Campanæ, & alias cæremonias quibus hucusque caruimus, ne compellamur: quin potius secundum ritum & consuetudinem Ecclesiæ nostræ integrè conservemur.

Matrimonia sacerdotalia, ut integra constent exceptis bigamis.

Propter litteras confirmationis Romam ut Episcopi ritus Græci non mittant, sed cum aliquem Sacra Regia Majestas in Episcopatum nominaverit, Metropolita sive Archiepiscopus more antiquo unumquemque ejusmodi consecrare debet. Nihilominus tamen ipsemet Metropolita, qui huic ipsi officio Metropolitæ successurus, propter litteras confirmationis ad Pontificem maximum mittere debet, quemadmodum allatis confirmationis Romæ litteris, Episcopi ritus Græci duo aut ad summum tres suo jure consecrent & benedicant: Si verò aliquem Episcopum in Metropolitam succedere contigerit, is propter Sacras litteras mittere non debet, quando quidem jam habeat litteras Sacras per dignitatem Episcopalem, saltem obedientiam summo Pontifici coram Reverendissimo Archiepisco Gnesnensi, non tanquam coram Archiepiscopo, sed tanquam coram Regni Primate præstare potest.

Et ut major penes nos esset auctoritas, & ovibus nostris majori veneration & observantiæ essemus, contendimus à summo Pontifice, velit benignè ad Sacram Regiam Majestatem Dominum nostrum Clementissimum & Ordines regni, tam spirituales quàm seculares intercedere, ut in ordine senatorio locum habere possemus, idque ob multas justasque causas: siquidem æqualem dignitatem & officium cum ritus Romanæ Ecclesiæ Episcopis gerimus. Eam potissimum ob causam, cum aliquis nostrum super dignitatem senatoriam juramentum præstiterit, proculdubio & super obedientiam summo Pontifici juramentum præstare potest, ne etiam dissidium tale fiat, quale post obitum Isidori cujusdam Metropolitæ Kiovienſis quondam factum fuit. Idque eam ob causam cum Episcopi ritus Græci nulla juris jurandi religione tenerentur, atque locorum intervallo disjuncti facile ab unione in Synodo Florentina facta defecerunt: sed cum juramento Senatorio obligatus fuerit, difficilè, ut quispiam de dissidio & dissensione quidquam moliri audeat.

Litteræ ad Comitia regni generalia & particulares Conventus, ut ad nos mittantur.

Ad cæremonias & religionem Romanæ Ecclesiæ profitendam nemo adigatur & stringatur: siquidem omnes unum erimus sub obedientia unius Pastoris Ecclesiæ Dei.

Matrimonia inter Romanæ & Græcæ religionis homines libera sint, nec personæ matrimonio junctæ invicem ad capessendam religionem esse compellant.

Archimandritæ Homiani Monachi vulgo *Chernoÿ*, & cœnobia illorum ut secundum morem & consuetudinem antiquam sub obedientia & potestate Episcoporum in cujuslibet Diœcesi sint.

Pulsationes Campanarum in Templis nostris pro die veneris S. prohibeantur & vetentur.

Cum sacratissimo Sacramento ægrotos secundum morem & consuetudinem nostram ut liberum sit nobis publicè visitare, tum & cum processionibus diebus festis atque solemnibus sine omni impedimento progredi.

Monasteria & Templa nostra, quæ ad hanc præsentem unionem in nostro ritu & religione perseverarunt, ne ad templa religionis Romanæ convertantur.

Si quis etiam pro perpetrato aliquo facinore ab Episcopis suis fuerit excommunicatus, is ne ad Romanæ Ecclesiæ religionem suscipiatur, imo ut excommunicetur: eodem modo nos etiam contra eos, qui ab Ecclesia Romana excommunicati fuerint, processuros, & facturos pollicemur.

Quod si ita Deo favente aliquando reliqua etiam pars hominum Orientalis Ecclesiæ ritus Græci ad eam unionem cum Occidentali Ecclesia accederet; ac subsequenti tempore communi consensu totius Universalis Ecclesiæ aliquid, quod ad Ordinem vel reformationem ejusdem Ecclesiæ Græcæ attineret, sanciretur & constitueretur, in eo, ut communis esset omnium participatio, tamquam unius religionis ovicularum, sub uno Pastore existentium.

Articuli sive conditiones, quas à Sacra Regia Majestate confirmari petimus.

METropolitarum & Episcoporum reliquarumque Spiritualium dignitarum ritus nostri Græci, ne alterius nationis vel religionis, præterquam Ruthenicæ, hominibus conferantur: cum verò Canonibus nostris id cautum habeamus, ut tam Metropolitæ quàm Episcopi aliique ejusmodi officiales prius à spiritualibus, quàm à secularibus ordinibus eligantur, Petimus itaque à Sacra Regia Majestate, ut libera penes nos maneat eligendi potestas, salva tamen Sacræ Regiæ Majestatis pro libitu cuivis ex electis conferendi auctoritate, post obitum enim alicujus ex suprædictis officialibus quatuor nobis eligendos petimus: ex quibus uni qui idoneus ad officium illud obeundum videbitur, Sacra Regia Majestas conferre: ac vel peculiari adjecta conditione, ut obedientiam summo Pontifici præstare teneatur, sitque adstrictus. Quod si verò alicui ejusmodi dignitas conferretur, is infra unum mensium decursum Ordines suscipere tenebitur, privatione ejusdem beneficij, ut legibus à Serenissimo olim piæ memoriæ Sigismundo Augusto de suscipiendis Ordinibus nobis gratiosè collatis, & per sacram Regiam Majestatem Dominum nostrum Clementissimum modernum confirmatis satisfiat.

Postu-

Postulamus etiam, ut locum in senatu Regio habeamus, non aliqua commodorum ratione & ambitione ducti; verum ut oves nostræ, quarum curam gerimus, majori nos observantia colant & observent, cum ea dignitate Episcoparus qua & cæteri Romanæ religionis homines fungamur: cum vero juramentum senatui præstiterimus, simile etiam summo Pontifici super obedientiam juramentum præstare teneb mur.

Ex Græcia si quas fortè factiones vel excommunicationes per litteras illius nationis homines moliantur, eas omnino prohiberi petimus, ne hinc ista unio divelli ob diversa in vulgo excitata studia possit, cum adhuc multi pertinaciter huic rei resistant. Hoc verò perquam diligenter cavendum est, ne extranei Episcopi vel Presbyteri, qui sacræ Romanæ Ecclesiæ obedientiam recusaverint, in qualibet Diœcesi nostra aliquid negotij habeant, & commorentur: similiter quoque nationis nostræ homines qui rebelles, & contradicentes huic unioni, nostræque obedientiæ fuerint, ne quicquam spiritualium negotiorum agere audeant, alioquin pœna aliqua multentur.

Quoniam vero multorum Ecclesiasticorum bonorum per antecessores nostros nescitur, quo jure amissorum, possessione exclusi sumus, quibus non nisi eousque quoad antecessores nostri vixissent, carere debuerimus, petimus, ut bona hæc Ecclesijs restituantur: siquidem tanta inopia & egestate sumus constricti, ut non solum necessitatibus Ecclesiarum non providere, sed etiam sufficientem victum nobis suppeditare non possimus. In posterum autem ne bona Ecclesiæ sine consensu Episcoporum totiusque Capituli conferantur, à Sacra Regia Majestate contendimus.

Privilegia nostra super bonis Ecclesijs Cathedralibus attributa, in quorum possessione pacifica hucusque existunt, ut vires & robur suum perpetuæ firmitatis obtineant.

Post mortem Metropolitæ & Episcoporum ne Capitulum atque Thesaurarij se in bona Ecclesiastica ingerant; sed more & ordine Romanæ Ecclesiæ, Capitulum, quoad alter electus non fuerit, ea bona administret. In bonis autem & facultatibus Episcopi defuncti proprijs Consanguinei ipsius, ne ullam injuriam patiantur, pro more & consuetudine Romanæ Ecclesiæ: Quod quidem etsi privilegio jam cautum habeamus, id tamen Constitutionibus regni publicis confirmari nobis petimus.

Archimandritæ Humiani Monachi, vulgo *Chernoij*, & Monasteria eorum, obedientiæ Episcoporum, qui in Diœcesi cujuslibet fuerint, pristino more subsint.

Ad judicia Tribunalis regni, more & consuetudine regni, duos quoque ex spiritualibus religionis nostræ deputandos esse petimus, qui tanquam defensores jurium & libertatum nostrarum sint.

Archimandritæ, Humiani, Presbyteri, Diaconi, alijque Spirituales eodem honore ac reverentia ab hominibus quo ceteri religionis Romanæ homines prosequantur, ijsdemque libertatibus ac prærogativis fruantur & gaudeant secundum privilegium Sereniſſimi olim Domini Wladislai Regis.

Præterea à contributionibus regni publicis, quos huc usque unusquisque nostrum officialium spiritualium pendebamus, ut temporibus perpetuis (exceptis his qui bonis hæreditarijs utantur) liberi & immunes simus, idque constitutionibus regni publicis sanciri & describi petimus.

Monasteria & Templa ritus Græci, ne ad Templa Romani ritus convertantur.

Collegia sive Confraternitates speciales non ita pridem à Patriarchis constitutæ, & à sacra Regia Majestate confirmatæ, quemadmodum Vilnæ, Leopoli, Brestæ, & alibi, ut integræ & illæsæ maneant; ita tamen, ut obedientiam summo Pontifici, nobisque Episcopis religionis Græcæ præstare teneantur, sinique astricti.

Scholas, Seminaria Græcæ Slavicæ linguæ extruere, ubi commodius videbitur, ut liberum nobis sit, sic & officinas imprimendorum librorum, quæ quidem omnia sub obedientia Episcoporum sint.

Portò quoniam Presbyteri religioni nostræ dediti nobis debitam obedientiam præstare recusant, petimus ut libera penes nos maneat eos puniendi potestas, in eoque à Capitaneis sacræ Regiæ Majestatis ne impediamur.

Homines seculares ne se in curam Ecclesiarum ritus nostri ingerant, sed hæ potestati & jurisdictioni spiritualium subjaceant, præcipuè verò Cathedrales Ecclesiæ.

Responsum datum à Nuntio Apostolico supradictis articulis.

QUæ Reverendissimi Domini Wladicæ, suo ac suorum confratrum nomine pro Ecclesiæ Græcæ in rota Russia Serenissimo Regi subjecta, cum sacrosancta Ecclesia Catholica Romana unione petunt, nonnulla à summo Pontifice, nonnulla verò à Regia Majestate Poloniæ dependent.

Ex illis, quæ à summo Pontifice petuntur quædam pertinent ad divina dogmata, quædam verò ad jus humanum spectant. Quantum ad ea igitur, quæ divini Dogmatis sunt, cum omnia, quæ petuntur, sint sacrosanctæ fidei Catholicæ consona, non humana voluntate, sed ex divina revelatione deprompta, & ut talia ab Oecumenico Concilio Florentino toti Ecclesiæ credenda proponantur; certum absque ulla dubitatione est, summum Pontificem illa approbaturum & acceptaturum. Quantum ad ea verò, quæ ad jus humanum spectant, licet non ita simpliciter asserere possimus, summum Pontificem (cujus legatione fungimur) eis consensurum, eo quod ipsius expressus animus nobis non constet; ex ejusdem tamen præsumpta voluntate intrepidè affirmamus, Beatitudinem suam libenti animo consensum præbituram. Cum enim ea, quæ in hoc genere proponuntur, à rectæ fidei normâ non discrepent: quin potius rationi consentanea sint, & ex ejus voluntate dependeant; dubium nullum est quin pius ac Clemens Pater (cui nihil in hac vita charius esse potest, quàm salus animarum sibi à Christo Domino commissarum) charissimis filijs ad se supplicitèr accedentibus illa benignè concessurus sit. Postremo circa ea, quæ à Regia Majestate petuntur, id quod nos præstare possumus, bona fide promittimus, nimirum totis viribus curaturos nos apud Sereniſſimum Regem, tum apud Inclytam Regni Poloniæ magnique Ducatus Lituaniæ Rempublicam, ut ea quæ à dictis Reverendissimis DD. proponuntur, pro tanto Unionis bono, Christianè ac liberaliter, sicut dignum & justum est concedantur. Ut autem id facilius impetrari possit, Sereniſ-

simo D. Nostro obnixè supplicabimus, ut litteris commendatitijs suam etiam hac in parte auctoritatem interponat. Quod Beatitudinem suam libenter & ex animo facturam non dubitamus. In quorum igitur omnium fidem has literas nostra propria manu subscripras, nostroque sigillo munitas, dedimus. Datum Cracoviæ die prima Augusti 1595.

Fuerunt Romæ aliqui ex articulis his à congregatione Illustrissimorum Cardinalium examinati, ac attentè discussi, ac gravissimi Theologi de eis consulti: permissumque est eis, ut omnibus cæremonijs & ritibus antiquis, quorum ipsi tenacissimi sunt, uterentur, dummodo fidei Catholicæ non contradicerent. Admissi denique ad sanctæ Ecclesiæ Communionem, fidei professionem, juxta consuetam formam pro Græcis superius præscriptam, fecerunt: ac ritè Evangelijs tactis, Juramento ac subscriptione firmarunt.

Ruthenorum cum Ecclesia Catholica Communionis formam breviter præscripsi, ut si aliquando Moscoviæ ejusdem linguæ & Religionis homines ad se redierint, velintque sanctæ Matri Ecclesiæ Catholicæ reconciliari, horum exemplo facile alliciantur, præsertim cum ritus & cæremonias omnes Orientalis Ecclesiæ, quæ fidei non adversantur, illis esse à sancta Sede permissas cognoverint.

Sequitur censura sive judicium cujusdam viri docti de Ruthenorum Religione.

Articuli propositi à Ruthenis magna ex parte pertinent ad ritus ac cæremonias externas, adeoque civilem ac politicam administrationem; atque idcirco non tam operam aut studium Theologicum, quam civilem prudentiam requirunt. Seligam tamen ex omnibus nonnulla capita, de quibus dicam quid ego sentiam, cætera, quæ à me intacta relinquentur, ejusmodi mihi videntur esse, ut salva fide ac Religione liberè possint, vel rejici vel approbari, ut Illustrissimis DD. meis videbitur expedire.

Igitur primo loco dicunt velle se confiteri Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere, & agnoscо verba Patriarchæ Constantinopolitani in ultima sessione Concilij Florentini. Cæterum hæc fidei confessio triplici ex capite magnopere probanda & commendanda videtur: Primo quod admittit Spiritum sanctum substantialiter ab æterno procedere à Patre per Filium unica spiratione, tamquam ab unico principio, & unica causa, quod alias Græci, atque omnes Orientales pernegabant.

Secundo, quia disertè fatentur particulam (*Per*) in processione Spiritus sancti significare causam, quo refelluntur Schismaticorum effugia, quibus particulam illam interdum dicebant idem significare, quod (*cum*) alias ad designandam relationem Patris ad Filium, aut consubstantialitatem Patris ac Filij referebant.

Tertiò, quia plane concedunt idem esse Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, & procedere ex Patre & Filio. Itaque videri posset admitenda, nisi constaret ipsam non modo in Concilio Florentino non fuisse confirmatam, sed neipsis quidem Orientalibus omni ex parte placuisse, adeoque ipsam nonnihil continere, unde castigatione egere videatur. Ac non fuisse quidem à Concilio approbatam ex Decreto Unionis cui Græci subscripserunt, apertè constat. Siquidem definitum est in hæc verba, *ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio, æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre & Filio, & ex utroque æternaliter tamquam ab uno principio, & unica spiratione procedit, declarantes quod id quod sancti Doctores & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit.* Si ergo Rutheni profitentur se velle admittere confessionem fidei, quam in Concilio Florentino Patres Religionis Græcæ suis suffragijs comprobarunt, qua ratione possunt excludere eam formam, quæ asserit Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, si hanc suis illi chirographis obsignarunt? an non vident, si Christiani esse volunt, & Oecumenico Concilio acquiescere, sibi necessario hanc fidei confessionem corde complectendam, atque ore profitendam esse?

Jam vero ne fuisse quidem ab omnibus Orientalibus receptam, ex eadem ultima sessione Concilij facilè ostendi potest. Cum enim Patriarcha Constantinopolitanus post luculentam atque eruditam Georgij Scholarij orationem in Græcorum conventu hanc fidei formam edidisset, quam nunc Rutheni proponunt; hæsitante ac tergiversante Græcorum Imperatore, Ruthenus in hanc sententiam locutus est: *Sanctorum Occidentalium scripta nobis suscipienda; censet sanctum Spiritum ex Filio habere esse, nec non Patrem & Filium unicam Spiritus causam esse, credo & profiteor.* Post hunc Bessarion Cardinalis doctè ac disertè peroravit, ac multis Græcorum Theologorum & SS. Patrum testimonijs ostendit, Nemini aditum patere ad salutem, qui Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere non profitereatur. Deinde Episcopus Mytilenus Latinorum & Occidentalium sententiam magnificentius extollens, inter cætera concludit. *Quorum* (de Occidentalibus loquitur) *volens sequi vestigia, Spiritum sanctum à Patre Filioque, ut ab unico principio, non autem à duabus causis, procedere profiteor.* In eam tum sententiam Græci frequentissimi abierunt, ipseque adeò Patriarcha suam illam priorem confessionem, ad aliam formam revocavit. Sunt autem hæc ipsa illius verba: *Ego nostrum paternum dogma non derelinquam, sed in eo quousque vixero permanebo. Sed quoniam Latini non temerè nec ex sententia propria, verum sanctorum authoritatibus adducti Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere credunt, idcirco ijs assentior, & cum ijs conjungor, ac propositionem* (Per) *Filium Spiritus Sancti causam significare concedo.* Quin etiam cum in Conventu Orientalium certum jam ac definitum esset, ut cum Occidentalibus conjungerentur, ipse Patriarcha paulo antequam subita morte è vivis eriperetur, suam sententiam hoc chyographo declaravit: *Quæ* (inquit) *Domini JESU Christi Catholica & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat ac celebret, omnia me quoque sentire, credereque profiteor, ac ipsis plurimum acquiesco.* Si igitur Orientales tam apertè fatentur, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere, quid est quod Rutheni reformident? Cur se dicunt Patres sequi Religionis Græcæ, si quod illi aperte asserunt, ipsi postponunt & aspernantur? At quærat fortasse quispiam, cur dixerit Patriarcha, *nolle se paternum dogma deserere?* Cui ego paucis respondeo, Patriarcham appellare suum dogma illum dicendi modum, quo paulo antè usus erat, cum dixit Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, à quo sanè dogmate, ut Rutheni concedunt, & ex dictis

facile

facile intelligi potest, non recedit is, qui admittit Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere: accedit quod de processione Spiritus sancti in Concilio Florentino bipartita quæstio fuit.

Nam primum de re ipsa multis ultro citroque disputatum est, deinde de additione quæ facta est symbolo Nicæno nonnihil actum. Cum vero Orientales concessissent Occidentalibus, rectè eos sentire, cum procedere dicerent Spiritum sanctum à Patre & Filio, sive à Patre per Filium, admisissent etiam, ipsis justis de causis licuisse verba illa symbolo addere, constanter negarunt se hujusmodi additionem admissuros, id quod eis per Concilium licuit. Ab hoc igitur dogmate potuit Patriarcha negare se recessurum, alioqui se Romanæ Ecclesiæ fidem omni ex parte complecti, paulo ante mortem, ut dixi, declaravit apertè. Desinant ergo Rutheni Orientalium fidem & Græcorum Confessionem nobis obtendere, cum constet eos suis suffragijs admisisse Spiritum sanctum procedere à Patre ac Filio.

Quod si (ut Rutheni ultro concedunt) idem est Spiritum sanctum procedere à *Patre ac Filio*, & procedere à *Patre per Filium*, cur hoc admittunt, illud recusant? an quia, ut ipsi insinuare videntur, hoc habetur in Evangelio, illud non item? Atqui Evangelium neutrum apertè dicit, priorem locutionem quam Latini sequuntur, interdum insinuat, posteriorē quam ipsi proferunt, nunquam, Joan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*: quo testimonio Andreas Colossensis utitur contra Græcos in Concilio Florentino *sessione* 7. & ante illam Dydimus *l.* 2. *de Spiritu sancto* probat Spiritum sanctum procedere à Filio, eodemque modo colligit Gregor. Nazianz. *orat de fide*: Nam cum dixisset Spiritum sanctum esse de propria filij substantia, *Ipse* (inquit) *Dominus Salvator que noster de meo inquit, accipiet, ex eo utique quod est Filius, quia & Filius de eo quod Pater est.*

An forte malunt dicere, Spiritum sanctum procedere *per Filium*, quia Græci sæpius ita locuti sunt, nolunt dicere (*ex Filio*) quia licet Occidentales sic loquantur, eam formam Græci non admittent? At ego contendo Latinos etiam dicere *Per Filium*, & quamvis Græci frequenter eodem modo loquantur, sæpius tamen dicere (*ex Filio.*)

Inter Latinos Tertullianus *lib. adversus Praxeam*, Spiritum sanctum (inquit) *à Patre per Filium deduco*. S. Hilar. *lib.* 12. *de Trinit.* sub finem: *Spiritus est*, inquit, *ex te per unigenitum tuum*. S. Thomas 1. *parte, q.* 36. *artic.* 3. doctè ac subtiliter explicat, quomodo ea forma dicendi intelligenda sit, quem deinde Scholastici magna ex parte sequuntur. Porrò inter Græcos Athanasius in redargutione Meletij, *impossibile*, ait, *esse in Trinitatis gloria Spiritum sanctum numerari, si non emanaret ex Deo per Filium.* Gregorius Thaumaturgus in sua fidei revelatione apud Gregorium Nyssenum in ipsius vita: *Unus Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens, qui per Filium apparuit imago Filij perfecta.* Basilius *lib.* 5. *contra Eunom.* cap. 12. ait *Spiritum sanctum non ideo non dici Filium Filij, quia non sit ex Deo per Filium, sed ne suspicemur Trinitatem multiplicari in infinitum.* Greg. Nyssenus *lib.* 1. *adversus Eunom.* apud Bessarionem in sua *oratione dogmatica*, quæ habetur in Concilio Florentino, *cap.* 6. ait, *Spiritum sanctum per Filium ipsum esse manifestatum.* lib. *ad Ablabium*, esse per id quod immediatè & ex continenti est. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 11. in Joan cap. 1. *Spiritus sanctus est consubstantialis Filio, & procedit per eum*, lib. 12. c. 56. *ex Patre per Filium procedit.* Tharasius in 7. Synodo Act. 3. *Credimus in Spiritum sanctum, qui ex Patre per filium procedit.* Maximus Zachariæ 4. apud Bessarionem, *à Patre essentialiter per Filium ineffabiliter natum procedens.* Damasc. *lib.* 1. *de fide*, cap. 18. *Per Filium Patri conjunctus*, c. 11. *Spiritum per Filium esse dicimus.*

Non dubito plura testimonia posse apud Græcos reperiri; sed hæc tantum placuit indicare. At multo plures sunt Græci, qui dicant Spiritum sanctum procedere *ex Filio*. Athanasius in Symbolo, *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Hoc Symbolum esse Athanasij ne Græci quidem inficiari audent: nam ut scribit Gennadius Scholarius in defensione Concilij Florentini, *Cap.* 1. *sess.* 5. Græci sui temporis dicere solebant, Athanasium quando hæc scripsit, fuisse ebrium, ut maluisse videantur blasphemare, quàm negare hæc fuisse ab Athanasio conscripta. Deinde hoc Symbolum esse Athanasij indicare videtur Gregorius Nazianzenus, *oratione de laudibus ipsius Athanasij*, in qua dicit eum scripsisse pleniſſimam Fidei declarationem, quam Oriens Occidensque venerantur. Idem planius significat S. Augustinus, qui in *Psal.* 120. citans integrum versiculum ex hoc symbolo, auctorem nominat Athanasium Episcopum Alexandrinum, & sine nomine Athanasij utitur frequenter versiculis hujus symboli, ut *li.* 5. *de Trinit.* 8. *Epist.* 478. *ad Pas. sent.* Enchir. *cap.* 36. *serm.* 295. de tempore. Denique in Concilio Toletano 4. *c.* 1. circa annum Domini 633. recitatur ex hoc Symbolo confessio fidei. Idem Athanasius *Epist ad Serapionem* probat Spiritum sanctum non esse Filij creaturam, quia neque Filius est creatura Patris, cùm sit idem ordo Spiritus sancti ad Filium, qui Filij ad Patrem: ubi supponit, Spiritum sanctum ita procedere à Filio, sicut Filium à Patre. In eadem Epistola: *Si filius* (ait) *quia ex Deo Patre est, proprius ipsius substantia est, necesse est Spiritum, quia ex Deo esse dicitur, proprium esse Filij secundum substantiam*: intelligit autem necessariò ex Deo Filio, alioquin nihil concluderet: Simile habet in duabus alijs Epistolis brevioribus ad eundem.

Basilius *lib.* 3. *contra Eunom. in initio* de Spiritu sancto sic loquitur: *Dignitate secundum à Filio, cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit.* Hunc locum mendosum & corruptum esse contendebat Marcus Ephesius in Concilio Florentino *Sess.* 20. Sed ostenderunt Latini codices, in quibus hæc verba leguntur: & ex ijs, quæ sequuntur apparet in aliquibus Codicibus fuisse sublata: pergit enim: *Quemadmodum Filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo est; & dignitate, quoniam origo atque causa essendi Pater ipsi est, natura verò nullo modo secundus, quoniam in utroque una est Deitas: ita Spiritus sanctus etsi dignitate & ordine secundus à Filio est, non tamen aliena ipsum esse natura inde consequens est.* Ex quibus apparet necessariò intelligendum esse Spiritum sanctum habere esse à Filio, alioquin similitudo Filij & Patris non esset ad rem. Idem *lib.* 5. *adversus Eunom.* vocat Spiritum sanctum naturalem imaginem Filij, cap. 11. *Ut se habet Filius ad Patrem, sic Spiritus sanctus ad Filium, quapropter Verbum Dei est Filius, verbum autem Filij est Spiritus sanctus.* Quæ nullo modo vera esse possunt, nisi Spiritus sanctus procedat à Filio. Eadem penè repetit *lib.* de Spiritu sancto, *cap.* 17.

Gregorius Nyssen. *hom.* 4. *in orationem Dominicam*, ut ex ipso citat Gennadius in defensione Concilij Florentini, *Cap.* 1. habet hæc verba: *Spiritus sanctus & ex Patre dicitur, & ex Filio præterea esse ostenditur*: ait tamen hunc locum sublatum esse à

à Græcis. Bessarion loco notato citat alium locum ex *libro ad Ablabium*, ubi ait Spiritum sanctum distingui, eo quod credimus aliud quidem *Causam esse*, aliud vero *Ex Causa*, & *Ex eo quod ex causa* est. Ubi causam vocat Patrem, Filium id quod ex Causa, Spiritum sanctum Ex eo, quod ex Causa est, id est ex Filio.

Gregor. Nazian. *oratione* 5. de Theologia comparat processionem Spiritus generationi Seth, qui ab utroque parente fuit, significans Spiritum sanctum esse à Patre ac Filio.

Cyril. Hierosolym. *Cateche.* 17. de Spiritu sancto sic loquitur: *Qui Patri ac Filio semper adest, non qui ab ore & labijs Patris & Filij loquendo formetur*, quod profectò inane esset, nisi putaret procedere ab utroque.

Chrysost. *homil.* 1. de Symb. *Iste est Spiritus sanctus de Patre ac filio procedens.* Hom. 2. *Spiritum sanctum dicimus Patri & filio æqualem, & procedentem de Patre & Filio.* Alia testimonia ex hoc auctore citantur ab alijs.

Epiphan. hæresi 69. *Unus est Spiritus, Dei Spiritus ex Patre procedens, & de filio accipiens*: hoc autem accipere de Filio, opponit creationi, negat enim Spiritum sanctum esse à Filio creatum: sic sæpius in tota illa disputatione, in Anchorato dicit Spiritum sanctum esse spiritum Patris & Filij, & ex Patre & Filio tertium: ibidem ait esse ex Christo, ab utrisque à Patre & Filio.

Didymus *lib.* 2. *de Spiritu sancto* inducit Christum de Spiritu sancto loquentem: *Non est*, inquit, *ex se, sed ex Patre & me est, hoc enim ipsum quod subsistit, & loquitur, à Patre & me illi est.* Paulo infra, *Non potest a Filio loquente audire, quæ nescit, cum hoc ipsum sit quod profertur à Filio, id est procedens à veritate, consolator manans de consolatore*, Paulo post. *Non alia est substantia Spiritus sancti, præter id quod datur ei à Filio.*

Cyrillus Alexan. *lib.* 11. *in Joan.* de Spiritu sancto ait, *à Verbo est secundum emissionem ad esse atque subsistere.* lib. 13. Thesau. 2. Spiritum sanctum Dominum similiter appellat, sicut ex ipso Filio & in ipso naturaliter existentem. Paulò post. *Ex Filio autem naturaliter ac substantialiter Spiritum sanctum sicut ex Patre provenire credimus.* Sic ferè *de rect. fid. ad Theodos.* ultra med. & *l.* 5. 6. 7. *de Trinit.* Extat præterea Epist. Concilij. Alexand. ad Nestorium, quæ est ipsius Cyrilli, in qua leguntur hæc verba: *Spiritus appellatus est Veritatis, & Veritas Christus est, unde ab isto similiter sicut ex Patre procedit.* Hæc autem Epistola approbatur in Concilio Ephesino, To. 1. c. 14. in quarta Synodo, *act.* 5. in quinta Synodo *actione ultima*: in sexta Synodo *act.* 7. ut appareat hunc dicendi modum à quinque Concilijs Oecumenicis, ijsdemque in Oriente celebratis fuisse confirmatum. Plura alij, sed hæc videntur satis aperte ostendere, non ita probari à Græcis illum loquendi modum *Per Filium*, ut non frequentissimè dixerint *ex Filio.*

Non negarim Græcos, dum maximè disputarent contra Macedonium & Eunomium ac reliquos πνευματομαχους, non dixisse solitariè atque absolutè Spiritum sanctum esse à Filio, & negasse Filium esse causam, sed id propterea factum est, ne viderentur cum Eunomio sentire: qui ut intelligitur ex Basilio *lib.* 2. *adversus Eunomium in fin.* Spiritum sanctum dicebat esse Filij creaturam, hæc enim sunt verba Eunomij: Filium ingeniti esse facturam. Ungeniti verò Paracletum, idemque cum Eunomio sensisse Macedonium docet Theodoretus *lib.* 4. *de hær. fab.* Cùm ergo Eunomius absolutè diceret Spiritum sanctum esse à Filio, Catholici absolutè negant, & ob id etiam interdum negant Filium esse causam, & solum Patrem dicunt causam. Nomen enim causæ apud Græcos præsertim Basilium & Gregorium Nazian. significat principalitatem quandam & primatum in origine, & hoc modo nomen causæ soli Patri propriè convenit. Sic Basilius de Spiritu sancto *ad Amphil.* cap. 16. *In horum* (inquit) *creatione cogita mihi principalem causam eorum quæ sunt Patrem, deinde conditricem Filium, perfectricem Spiritum sanctum.* Et Gregor. Nazian. *oratione ad Episcopos ex Ægypto* navigantes tres divinas personas ita describit, *Creatrix dominatio in tribus consistit, in causa, in opifice, in perfectore*, hoc est, in Patre, in Filio, & Spiritu sancto. Ibidem. *Quicquid Pater habet, idem, excepta causa, Filij est*: quasi dicat: Pater communicat omnia Filio præter paternitatem, & illam eminentiam, ac prioritatem originis, quæ ipsius est propria.

Hoc ergo modo negant Filium esse Causam, & Spiritum procedere ex Filio, quod sæpe inculcant Græci in Concilio Florentino, non procedere Spiritum sanctum à Filio ἀρχικῶς, vel ἀρχικιδῶς, quia revera filius non est prima & principalis causa modo explicato, cùm id conveniat Patri. Facilius dicunt esse per Filium, quàm ex Filio, quia ut docet Basilius de Spiritu sancto, *c.* 2. & 3. Hæretici philosophicis rationibus ducti, putabant modum illum dicendi (*A quo*) convenire tantum Causæ principali, *Per quem* verò secundariæ: quod quamquam non est perpetuo verum, ut ibi ostendit Basilius, & planius *cap.* 5. Ambrosius *lib.* 4. *de fide, cap.* 6. & Augustin. 1. *de Trinit. cap.* 6. tamen nonnunquam hanc distinctionem Græci Patres admittunt, ut patet ex Grego. Nazianz. *oratione* in sancta lumina. Damas. *lib.* 1. *cap.* 10. qui dicunt his vocibus personarum proprietates significari, atque idcirco ne viderentur admittere Filium esse causam principalem Spiritus sancti, maluerunt dicere, procedere à Patre per Filium, quasi suam cuique personæ proprietatem adscriberent. Nam quia pater est ingenitus, & à nullo procedit, est verò quasi radix & origo divinarum personarum, dicitur *A quo*; Filius, quia procedit, spirat tamen & cum Patre operatur, dicitur *Per quem*: & quia in Spiritu sancto omnis divina emanatio clauditur, dicitur, *In quo*. Itaque ne viderentur tribuere Filio principalem vim spirandi, quæ à Patre non penderet, negarunt esse à *Filio*, per *Filium*, tamen propter rationem allatam concesserunt. Non ergo dicunt Rutheni Orientales malusse dicere, *Per Filium*, cùm tam multi ex Orientalibus dixerint *A Filio.*

An credimus Ruthenos hunc Occidentalium loquendi modum postponere, quod alter tutior sit, aptior, & accommodatior? Verùm nisi ego vehementer fallar, omnia contra habent. Nam primum ex oratione dogmatica Bessarionis satis constat, quod multis calumnijs expositus esset ille dicendi modus, quibus fidei Catholicæ veritas quibusdam quasi tenebris involvebatur. Deinde D. Thomas qui ad Theologicam normam omnia revocavit 1 *p. q.* 36. *ar.* 3. cum disputaret de hoc dicendi modo quo Spiritus sanctus dicitur procedere per *Filium*, non dixit ita dicendum, sed posse eum dicendi modum admitti, atque ad bonum sensum adduci, cùm *art. primo* probasset, Spiritum sanctum procedere à *Patre ac Filio*, esse necessario certa & Catholica fide credendum.

Sed ut res tota melius intelligatur, ponenda sunt nonnulla: Primo, Spiritum sanctum procedere à Patre ac Filio, tanquam ab unico principio: quod definitur in Concilio Florentino, & antea fuerat

fuerat decretum in Concilio Lugdunensi, *c. unico, de sum. Trinitate & fide Catholica in 6.* & multo antea traditum fuerat ab Augustino *lib. 3. contra Maximum Arrianum* cap. 17. *Pater*, inquit, *principium non de principio, Filius principium de principio, sed utrumque simul, non duo sed unum principium*: quæ quamquam dicantur ab Augustino de divinis personis in ordine ad creata, atque ideo tertium addit Spiritum Sanctum, quæ tria sicut unum Deum, ita unum dicit esse principium, ratione unius naturæ communis: tamen idem eadem ratione diceret de origine personarum inter sese, quod absolutè, & in universum asserit, idem Augustt. *l. 10. de Civit. c. 23.* & *l. 5. de Trin. cap. 13. art. 14.* ejusdem libri apertè dicit Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia, sed unum principium, eodemque modo loquitur Anselm. *Meuolog. 52.* & *Epist. de processs. Spiritus sancti.*

Secundo, credendum est procedere Spiritum sanctum à Patre ac Filio unica spiratione & unica virtute, quod in ijsdem Concilijs definitum est, & ex ijs, quæ de divinis processionibus certa fide credenda proponuntur, necessario deducitur.

Tertio, rationem seu formam in quam conveniunt Pater & Filius, ad producendum Spiritum sanctum, esse divinam essentiam, ut includit communicabilitatem per actum voluntatis, quæ quia est una, ut apertè constat, quamvis conveniat duobus suppositis jam constitutis, tribuit eis rationem unius principij. Quo fit, ut principium spirativum Spiritus sancti non dicat in recto quippiam unum unitate suppositi, sed unitate formæ; dicit enim immediatè Patrem ac Filium, ut conveniunt in eandem numero essentiam communicabilem Spiritui sancto.

Quibus ita positis, ac probè constitutis, si qua dicendi ratio excogitari posset, quæ aut ex vi verborum, aut ratione terminorum, aut ex accommodatione usus, hæc omnia vel apertè indicaret vel utrunque innueret, ea loquendi forma in processione Spiritus sancti optima videretur: sed quia hactenus excogitata non est, ea censeri debet cæteris præstare, quæ ab illa præstantissima propius absit, & plura idque aptius atque apertius significet. Jam primo cum dicimus Spiritum sanctum procedere *à Patre per Filium*, indicamus quidem utrunque unicum primarium principium, id est, Patrem, sed unicam spirationem, & unicam Patris ac Filij vim spirandi ex vi verborum non significamus. Tametsi enim præpositio *Per*, solitariè posita, potest significare causam principalem, non modo apud Latinos, sed etiam apud Græcos, ut affirmat Basilius *lib. de Spiritu sancto, cap. 8.* quomodo legimus Genes. 4. *Possedi hominem per Deum.* Proverb. 8. *Per me Reges regnant. 1.* Corint. 1. *Per quem vocati estis in societatem dilecti Filij sui.* Tamen cum conjungitur cum altero agente, non unam aut simplicem significationem continet, siquidem, ut rectè ait D. Thomas *prima part. q. 36. art. 3.* particula (*Per*) omne genus causæ excepta materiali, significare potest: quod si contineat rationem causæ producentis actionem, ut manat ab agente, triplex genus causæ complectitur; *formalem*, cum dicimus artificem per ideam seu artem aliquid efficere; *finalem*, cum per lucri cupiditatem, id est, lucri gratia quempiam dicimus agere; *efficientem*, seu *motivam*, ut si dicamus, per Principis imperium Ducem moveri: Certum est autem nihil horum posse significari, cum agimus de Spiritus sancti processione, quia divinæ emanationes ad intra causam finalem, formalem, aut extrinsecus agentem nullam habent, & ut intelligatur aliquod principium ad modum formæ, certum est, cum dicimus Spiritum spirari à Patre per Filium, non significari formam, quæ, ut *supra* diximus, est ipsa essentia & virtus spirativa, sic enim dicendum esset Patrem ac Filium spirare per virtutem spirativam, seu per essentiam, &c.

Si verò Præpositio (*Per*) continuat vim agendi, ut actio terminatur ad opus, & significat causam non ob quam agens agit, sed cur quippiam ab agente fiat, tunc apertè significat efficientiam causæ agentis, ut cùm dicimus artificem manu vel instrumento quippiam moliri, & hoc modo præpositio (*Per*) ut ibi observat Cajetanus, impropriè usurpatur in processione Spiritus sancti. Ideoque D. Thomas non tam probat quam excusat illum dicendi modum, cum alioquin contineat aliquas imperfectiones: nam supponit inter Spiritum sanctum & Patrem intercedere Filium, quod in rigore falsum est, quia Pater & Filius æquè primo & immediatè eadem virtute spirant. Deinde nisi prohiberetur ex terminis adjunctis, significaret diversam rationem agendi in Patre ac Filio: nam si significaret mediationem suppositi, videretur facere Filium instrumentum, ut dicimus Regem jus dicere per Prætorem: si mediationem virtutis, indicaret Patrem accipere vim spirandi à Filio, quomodo dicere solemus Prætorem per Regem exercere suam potestatem, id est, auctoritate accepta à Rege.

Ex quibus constat significari unum principium Spiritus sancti, sed cum multis imperfectionibus, & admodum confusè & cum periculo errorum, præsertim cum ex simili dicendi modo decepti sint olim Arriani: qui propterea quod legerãt omnia facta esse per Filium, colligebant Filium fuisse ministrum in creatione, atque idcirco esse inferiorem Patre, in quo tametsi errabant ratione terminorum, tamen habita ratione ipsius formæ loquendi non malè concludebant, cùm sæpe in scripturis præpositio (*Per*) ministerium atque instrumentum significet.

Secundo si respiciamus ipsam spirationem, ac virtutem spirandi, non dubium est ratione terminorum (quia in divinis omnia sunt unum, ubi non intercedit oppositio) significari unicam virtutem ac spirationem, modus tamen dicendi hoc ex se non significat: nam etsi Filius acciperet à Patre distinctam facultatem spirandi, & distincta spiratione spiraret, possemus dicere Patrem spirare per Filium, quomodo Rex per Prætorem jus dicit, ubi apertè cernuntur diversæ facultates, & actiones.

Tertio, inde etiam apparet ex vi verborum, non significari unicam formam, in qua conveniant Pater & Filius: nam alioquin ex vi verborum sicut Rex & Prætor non habent eandem formam seu auctoritatem, ita etiam non repugnaret vi locutionis, intelligi diversam Patris ac Filij naturam: sic dicimus cælum agere per causas secundas, cùm sint tum naturæ, tum facultates admodum diversæ. Ex quo sequitur, sicuti si non reperiretur in Scripturis hic modus dicendi. *Omnia per ipsum facta sunt*, & alij ejusmodi, potius viderentur negandi quam concedendi, quia non possunt sine errore defendi nisi propter terminos, cùm alioquin ex vi sermonis possint trahi ad sensus peregrinos atque erroneos: ita nisi reperiretur hæc propositio apud Sanctos, quos necesse est excusare ac defendere, eam videri potius ex natura sermonis negandam,

quam affirmandam: tantum abest, ut sit alteri propositioni, de qua mox, ulla ratione præferenda.

At cùm dicimus Spiritum sanctum procedere à *Patre ac Filio*; primo quidem significamus originem substantialem à Filio, quo refellitur eorum error, qui solam processionem temporalem admittebant esse *à Filio*: cum enim de utroque supposito æquè affirmetur, non potest afferri discrimen, nisi evidens ratio persuadeat; ut cum dicunt Philosophi, sol & homo generant hominem, quia intelliguntur conjungi in causam primam & universalem cum secunda, & particulari, necessario concludendum est dissimiles esse utriusque causæ actiones: sic dicimus ex mare & fœmina animal gigni.

At cum non appareat in hac Propositione ulla diversitas, & ex vi terminorum omnis planè distinctio rejiciatur, ea excepta, quæ pertinet ad constitutionem personalem suppositorum, consequens actionem ex æquo utrique convenire; quo fit, ut secundo o ptimè significetur unitas tum spirationis tum facultatis spirativæ: cum enim aliquid unum à duobus distinctis emanat, neque cernitur ex terminis, aut ratione probatur distinctio in actione, unitas potius tum facultatis, tum actionis concluditur, ut allatis exemplis ostendi potest.

Tertio significatur æqualitas in producendo, æquè enim dicitur Pater ac Filius producere, cum præsertim id postulat natura terminorum.

Quartò, satis apertè indicatur unitas formæ, quorum enim actio formalis una est, eorum necesse est unam esse formam ac naturam, ut docet Basilius in Psal. *Quorum* (inquit) *una natura est, eorum actiones eædem sunt.*

Quinto ac postremo ipsa spirationis natura cernitur, quæ ut refertur ad personam productam, necessario postulat duo supposita jam personaliter constituta, quæ ut in unam naturam, sic in eandem facultatem spirativam conveniunt: atque idcirco significatur unum principium spirativum Spiritus sancti, quale revera est, non unitate suppositi, sed unitate formæ ac naturæ, ut *supra* dictum est.

Quæ cum ita sint, non video cur Rutheni malint hunc dicendi modum postponere, qui multis nominibus præferendus videtur. Neque satis intelligo, cur negent velle se ad aliam confessionem compelli, cum fateantur eundem esse sensum utriusque formæ, cur item recusent eam Confessionem quam Orientales in Synodo Florentina suis chirographis obsignarunt: si negant velle se eam additionem symbolo suo facere, aut volunt suum illum loquendi modum in suis Hymnis & Antiphonis retinere, si rem admittant, quod illis est à Concilio Florentino permissum, in præsentia non videtur revocandum. Sic autem rem totam paucis concludo. Aut putant idem significari utraque dicendi forma, aut aliquod in illis discrimen agnoscunt; si non existimant idem significari, Concilio Florentino apertè contradicunt, si contra ipsius decretum unam formam admittunt, alteram rejiciunt; præsertim eam, quam Concilium non modo magis probavit, sed omnibus necessario credendam ac profitendam proposuit: si putant inter eos modos dicendi aliquod esse discrimen, planius loquantur, suamque sententiam explicent, interim intelligant se à Concilio Florentino apertè dissentire, atque ideo contra fidem haud leviter peccare. Quod si, ut ego quidem existimo, rem ac sententiam probant, sed nolunt compelli ad admittendam additionem factam Symbolo, vel passim usurpandam hanc locutionem, non videtur ea conditio penitus aspernanda, modo apud populum tollatur scandalum, qui putant Occidentales malè sentire.

Quod spectat ad Psalmodiam, preces ac Liturgias, usum denique Sacramentorum, quod Orientalibus jam diu permissum est, non videtur ullo modo negandum: quamquam ipsorum libri diligenter examinandi videntur, ne errores atque abusus irrepserint, habendaque videtur præcipua ratio eorum, quorum mentionem facit *Eugenius* in Concilio Florentino, præsertim eorum, quæ pertinent ad usum Sacramentorum, ubi non solum in multis discrepant à Latinis, sed egere videntur castigatione.

De purgatorio si parati sint admittere sanam & Catholicam doctrinam, nihil est dubitandum, curandum vero, ut de statu animarum, & fælicitate justorum rectè & cum Catholica Ecclesia sentiant. De calendario non potest sine scandalo dissimulari, quia necesse est eos in celebratione Paschatis plurimum à Catholica Ecclesia discrepare, nisi novi Calendarij ratio suscipiatur. Quamobrem ineunda erit aliqua ratio, ut salvis eorum solemnitatibus, quæ permittendæ videbuntur, series festorum mobilium illis cum Occidentalibus conster.

De Processione in festo Corporis Christi non laboratem, multa tamen circa hoc Sacramentum examinanda sunt; Cæremonias circa festum Paschatis diligenter expendendas atque excutiendas puto.

De Sacerdotum Matrimonijs, atque in universum de ipsorum matrimonijs multa consideranda sunt, quia certum est apud Orientales multos esse abusus; nam alicubi non nisi uxorati initiantur, alibi etiam initiati contrahunt matrimonium; nec desunt qui propter adulterium matrimonium solvant, & aliud ineant; erunt etiam fortasse qui secundas nuptias damnent.

Quod dicitur de cæremonijs Ecclesiæ Romanæ, videtur æquissimum juxta decretum *Eugenij* in Concilio Florentino, de pulsu campanarum citra scandalum non magnoperè essem solicitus.

Ut Matrimonia Græcos inter & Latinos ineantur optandum est, cessante periculo & scandalo.

De Visitatione infirmorum cum sacramento Eucharistiæ, cupio planius doceri, suspicor enim nonnullos esse abusus.

De Monasterijs ac templis facie annuerem, idipsum de excommunicatis, salva atque integra Romani Pontificis auctoritate.

Hæc habui, quæ breviter dicerem, cætera quæ hic non attigi, ut initio dixi, ad civilem prudentiam spectant, non ad Theologum. Itaque illa omnia prudentiæ Illustrissimorum DD. meorum integra atque intacta relinquo, sicut & eorum judicio atque censuræ superiora, quæ scripsi, libens subjicio, &c.

DE

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM

LIBER VII.

De unione totius Orientalis Ecclesiæ cum Ecclesia Catholica procuranda.

Ordo servandus.

HActenus in prima huius operis parte, de his quæ agenda sunt pro juvandis Græcis, alijsque Schismaticis tractavimus, proximè sequuntur schismatici Orientales, qui abhinc mille annis in hodiernum usque diem in maxima versantur infelicitate, perpetuisque vexantur infortunijs & calamitatibus: & licet olim ingens fuerit tam Alexandrinæ quam aliarum Ecclesiarum Orientis gloria & splendor, at ubi Concilium Calcedonense, sanctumque *Leonem* Pontificem, ac Romanam sedem omnium matricem Ecclesiarum spreverunt, innumeræ secutæ sunt clades, quæ abhinc tot sæculis usque ad nostra tempora communi cum dolore piorum omnium cernuntur. His igitur tanquam nationibus olim florentissimis, quarum prisci patres Ecclesiam Catholicam insigniter illustrarunt, meritò post Græcos debetur hic locus, in quo tam de erroribus & ritibus, quam de alijs pro juvandis his nationibus, & ad rectam fidem, mutuamque charitatem inter nos statuendam DEO inspirante dicemus; observato tamen hoc ordine, ut de origine Schismatum totius Orientis prima statim fronte agamus, & post, ad Nestorianorum, Cophtorum, Abyssinorum (quos non immeritò Orientalibus nationibus annumeramus, parent enim Alexandrino Patriarchæ) Jacobitarum, Armenorum, Georgianorum, & Maronitarum (qui nunc Ecclesiæ Romanæ obediunt) errores, ritus, & alia, quæ pro harum nationum exactiori notitia, utilitate, & salute conducere possunt descendamus.

Demum de omnibus erroribus, qui hujusmodi populis communes sunt, eorumque confutatione, atque etiam in genere de agendi modo cum illis, ut fidei veritatem agnoscant, disseremus, additis quibusdam instructionibus ad hunc finem utilissimis. Et quia omnes propemodum nationes istæ Græcorum erroribus scatent, Lectorem ad supradicta, quæ contra Græcos allata sunt remittimus; insuper pro majori ministrorum informatione, decisiones aliquot, sive responsa à *Gregorio XIII.* pro Maronitarum natione edita, quæ maximam lucem in juvandis Schismaticis conferre possunt, in hujus libri calcem rejecimus.

In referendis aliquibus præfatarum nationum erroribus, ac ritibus, sequemur virum non minus pietate, quam doctrina insignem Leonardum Episcopum Sidonienſem, quem *Gregorius XIII.* summus Pontifex Nuntium, & Visitatorem Apostolicum simul cum Patre Joanne Baptista Romano Societatis JESU ad Orientales nationes destinavit: Hic autem ferè totum lustravit Orientem, ac diversarum nationum, ac rituum Patriarchas, Episcopos, virosque alios doctos allocutus, eorumque Religionem & fidem, simulque errores attentè scrutatus, postea omnium ferè illarum Ecclesiarum statum obtulit *Sixto V.* Pontif. Max. cum quadriennium in ea legatione insumpsisset; est autem apud me manuscripta narratio accuratè conscripta, ubi Armenorum, Nestorianorum, Jacobitarum, & Maronitarum errores, qui nunc inter has nationes grassantur, recensetur.

LIBRI VII.

PARS I.

De origine schismatum Orientalium.

CAPVT I.

Acturi igitur de Orientalis Ecclesiæ erroribus, maximè de illis qui hodie apud Jacobitas, Cophtos, Abyssinos, Armenos, Georgianos ac demum Nestorianos magis vigent, operæ pretium duximus omnium errorum originem ac progressum, prius, etsi levi, ut ajunt, manu attingere.

Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, floruit Theodosij junioris Imperatoris, & Cælestini Summi Pontificis temporibus, circa annum Domini 427. Hic authore Gennadio, & Socrate *lib. 7. cap. 32.* in id summo studio laboravit, ut Christum Dei Filium ex Virgine MARIA natum, hominem dumtaxat, non etiam DEUM esse doceret, atque ideo MARIAM *Christotocon*, id est, Christi matrem, non autem *Theotocon*, id est DEI matrem esse diceret: postea verò sanctæ & inculpatæ vitæ merito, Christum obtinuisse, ut dignus haberetur, cui se Divinitas conjungeret.

Duas itaque in Christo ponebat naturas, duas itidem in eo dicebat esse personas, unam divinitatis, alteram verò humanitatis: nec unum Christum in Deitate & humanitate sentiebat, sed separatim atque sejunctim, alterum docebat esse Filium DEI, sed hominis tantum Matrem appellabat. Denique Christum esse tantum hominem dicebat, cui Nativitatem, Passionem & Resurrectionem attribuebat. Addebat autem Filium DEI postea unitum fuisse filio hominis multis modis, non quidem substantialiter communicando hypostasim, sed tantum accidentaliter. Primo secundum habitationem sicut in templo suo. Secundo per unionem affectus, voluntatis, & dilectionis. Tertio per operationem, quia filius hominis erat instrumentum, quo utebatur verbum in operibus miraculosis. Quarto secundum participationem, quia Verbum illi homini impertivit nomen & dignitatem suam, eo modo quo imagines Sanctorum nominibus eorum interdum appellantur, & propter eos etiam honorantur & adorantur. Hæc fuit Nestorij hæresis.

Vincentius Lirinensis in libro, quem adversus prophanas hæresum novitates scripsit, censet Nestorium ut Apollinaris hæresim declinaret in foveam hanc incidisse. Apollinaris, inquit, hæreticus, nolebat in Christo duas esse substantias, unam divinam, alteram humanam, unam ex patre, alteram ex matre, sed ipsam verbi naturam putabat esse desissam, quasi aliud ejus permaneret in Deo, aliud verò versum fuisset in carnem, & cum veritas dicat ex duabus substantijs unum esse Christum, ille contrarius veritati ex una Christi divinitate duas asserebat factas esse substantias.

Nestorius autem contrarius Apollinari, dum se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repentè personas, & inaudito scelere duos vult esse filios Dei, duos Christos, unum qui Deus sit, alterum qui sit generatus ex matre; atque ideo asserit sanctam MARIAM, non *Theotocon*, sed *Christotocon* esse dicendam, quia scilicet ex ea non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo, sit natus. Hæc Vincentius. Nestorius volens suam hæresim Constantinopoli jam evulgatam per totum orbem dilatari, sua scripta misit ad diversas orbis provincias, & inter alias ad Ægypti Monachos, quorum nonnulli ab eo seducti, suis erroribus consenserunt, quorum causa magni inter eos excitati sunt tumultus & dissidia. Demum ne Orientis Episcopi Nestorij hæresi inficerentur, coacta fuit anno Domini 431. octavo autem *Cælestini* Papæ Synodus Ephesina, in qua post multa, damnata est Nestoriana blasphemia, ut rem totam latius Card. Baro. *Tom. annal. 5.* sub eundem annum.

Deinde *Eutyches* Monachorum Pater Constantinopoli, eorum qui tempore Ephesini Concilij adversus Nestorianos præstantius cæteris dimicarunt, antesignanus cum in Nestorij hæresim summo odio ferretur, eo prosilijt, ut non duas tantum esse in Christo personas ex Christianæ fidei præscripto negaret, sed nec duas in Christo naturas vellet asserere, eosque putaret Nestoriano laborare morbo, qui duas confiterentur in Christo distinctas, & inconfusè conjunctas esse naturas.

Præterea impiè docebat, (ut accuratè inter alios explicat Card. Bellarm. *Tomo 1. lib. 3. de Christo Domino, c. 2.*) in Christo post incarnationem unam tantam fuisse & esse naturam, factam per conversionem divinitatis in carnem: quia Verbum caro factum est: at unum fieri alterum est verti in illud. Unde asserebat divinitatem verbi natam, passam, mortuam & sepultam fuisse: ita tamen, ut Christi caro non sit ejusdem naturæ cum nostra, sed tantum apparens & phantastica: ut potius Verbum simulaverit se hominem, & natum, passum, &c. quam revera fuerit. Quia videtur indignum Deo, quod vera fuerit caro, verè natus, passus, &c.

Accusatus Eutyches apud Flavianum, & apud Concilium quoddam Provinciale Constantinopolitanum tunc fortè congregatum, ac nolens resipiscere, condemnatur à Concilio,

ac

ac postea agente Imperatore Theodosio apud *Leonem* Pontificem, Ephesi Concilium anno Domini 449. seu potius Synodus prædatoria seu latrocinium Ephesinum 128. Episcoporum congregatur, in qua præside Dioscoro Alexandrino Patriarcha, reclamantibus Apostolicæ sedis legatis (nempe Juliano Episcopo Renato Presbytero, Hilario Diacono, quos S. Leo miserat) ob summam Dioscori iniquitatem & potentiam impius Eutyches absolvitur, & ejus hæresis approbatur. S. Flavianus, & alij plurimi Episcopi Catholici condemnantur, plerisque Episcopis (ut Baronius notat *Tomo 6. Annal.* circa annum Christi 449. ex quo brevem hanc historiæ seriem desumpsimus) per minas & vim, intentatis exiliis, catenis, fustibus, & gladiis, ad subscribendum adactis, repugnantibus verò, & reclamantibus Sedis Apostolicæ Legatis, & contestantibus, quæ per vim & metum extorquerentur, nullius roboris esse. Quæ contestatio licet non sit in actis illius Pseudosynodi, utpote à Dioscori notarijs confectis, est tamen de illa expressa mentio in pluribus literis S. *Leonis*, tum ad Theodosium Imperatorem, tum ad alias personas; tandem Legati Pontificis fuga elapsi post multa pericula & insidias Romam redierunt. At certior factus summus Pontifex *Leo* eorum, quæ in illa Synodo gesta sunt, Romæ Concilium coëgit, in quo Pseudosynodus Ephesina damnatur, ac omnia ejus acta rescinduntur.

Impius Dioscorus Alexandriam reversus, anathema ausus est intorquere in Romanum Pontificem, coactis decem Episcopis, lachrymantibus & gementibus ad subscribendum facinus hactenus inauditum: At post multa Episcoporum dissidia à S. *Leone* urgente & instante Marciano Imperatore anno Domini 451. in Oriente, nempe in civitate Chalcedonensi, concilium œcumenicum indicitur, in quo sexcenti & triginta Episcopi convenerunt, præsidentibus Legatis Romanæ sedis, in quo Concilio damnata est hæresis Eutychis & Dioscori Episcopi Alexandrini, qui & ab Episcopatu, & ab omni Ecclesiastica fuit dejectus ac depositus functione: similiter sancitum est, ut Ephesinum sub Dioscoro Concilium celebratum Concilij nomen non obineret.

Præter Episcoporum sententiam, præter sedis Apostolicæ confirmationem accesserunt etiam ad corroborandam Synodum Chalcedonensem sanctissimorum virorum, qui his temporibus illustraban. Orientalem Ecclesiam, & miraculorum virtute nitebant, qui eandem se fidem tenere & verbis testati sunt, & crebra miraculorum editione confirmarunt, quales fuerunt *Euthimius*, *Auxentius*, & alij sanctissimi monachi.

Dioscorus verò à suo Episcopatu depositus, ac simul cum aliis hæreticis relegatus vita functus est, ac Alexandriæ loco ejus ordinatus Episcopus Proterius, ingens tamen seditio & tumultus Alexandriæ excitatur propter Dioscori relegationem, ac teste Evagrio *l. 2. c. 5.* eo usque invaluit vulgi studium in improbissimum & nequissimum Dioscorum, ut post ejus mortem divinos etiam honores ei Ægyptij detulerint, qui & usque in hæc tempora, tam in Alexandrina, quam in plurimis alijs Ecclesijs ab Eutychianis hæreticis deferuntur.

Ægyptij hæretici, exilio propter Eutychianam hæresim mulctati, mortuo Imperatore Marciano veniunt Alexandriam, ac irruentes in sanctum Episcopum Proterium eum occidunt, & ejus loco Timotheum quendam Eutychianum subrogarunt, Legatosque miserunt ad Leonem Pontificem, profitentes Alexandrinam Ecclesiam non admittere Synodum Chalcedonensem, quare anno Domini 459. Synodus Constantinopolitana 73. Episcoporum, admittente Genadio Episcopo Constantinopolitano, præsentibus Apostolicæ sedis Legatis à S. Leone missis, congregatur, in qua de confirmando fidei decreto in Concilio Chalcedonensi, & abolenda penitus Eutychiana hæresi sancitum est, ac demum Timotheus invasor Ecclesiæ Alexandrinæ longè in exilium ab Imperatore Leone relegatur, suffecto in ejus locum Timotheo alio viro Catholico.

Tandem postquam Eutycheti & Dioscoro à sancta quarta Synodo Chalcedonensi dignitas abrogata est, qui illorum dogma defenderunt, ut testatur Nicephor. *lib. 18. c. 14. Ecclesiast. histor.* Facta ab Ecclesia Catholica defectione segregatos sive ambigentes seipsos appellarunt, neque ullo modo, ut quæ rectè in Concilio sancto statuta essent comprobarent adduci potuêre. Ij in duodecim sectas dissecti sunt, ex quibus per universum Orientem multa millia hæresum pullularunt. Ex quarum sectatoribus quidam, (ut noravit Prateolus, verbo, *Acephali*) *Eutychianistæ* vocati sunt, alij *Acephali*, alij *Monophysitæ*, alij *Theodosiani*, alij *Julianistæ*, alij *Tritheitæ*, alij *Agnœtæ*, alij *Theopaschitæ*, alij *Armenij*, alij *Severitæ*, alij *Aphthartodocitæ*, alij *Phantasiastæ*, alij *Manichæi*, alij *Phthartolatræ*, alij denique *Scenolatræ* sunt appellati.

Antesignani vero præcipui post Eutycherem, & Dioscorum fuêre Severus Monachus, qui sex, lues, atque perditio fuit totius Orientalis Ecclesiæ, Petrus Damapheus, Theodosius, Julianus, Alicornasius, Guinus, & alius ejusmodi infelicium mortalium chorus, omnes isti professione *Severiani*, hostesque Concilij Chalcedonensis, ut Baronius refert *Tomo 7. anno Christi 535.* inter seipsos more hæreticorum pugnarunt, ut planè accidit, hoc veluti portento quodam, ut bellua sine capite (ita Acephalorum hæresis appellata) eadem pluribus prodierit armata capitibus inter se pugnantibus: nam ex eis primum eminuit caput *Severus*, ex quo denominati sunt *Severiani*; ex hoc vero plura alia capita pullularunt, nempe *Gaianus*, ex quo *Gaianitæ*, Theodosius, ex quo *Theodosiani*, Jacobus, ex quo *Jacobitæ*, Themistius, ex quo *Themistiani*, numerat adhuc aliud caput Joannes Damascenus, nempe *Barsanium*, ex quo *Barsaniani*, sive *Semidalitæ*, de quibus ait: *Hi cum omnia Grajanorum & Theodosianorum decreta defendant, aliquid tamen præterea addiderunt de suo, symbolis Dioscori relictis, ut à reliquis Dioscori sectatoribus noscerentur*: quorum impiorum dogmatum, teste Nicephoro, *lib. 18. c. 54. Ecclesiast. histor.* sectator atque restaurator fuit *Jacobus* quidam Syrus, genere obscurus prorsus, & nulla gloria vir, à quo maxima ex parte Syrorum gens usque in hodiernum diem *Jacobita* est denominata.

Hac etiam morbi contagione Sergius Archiepiscopus Constantinopolitanus maximè infectus est, per quem *Monotheliturum* sive Monophysitarum hæresis, teste Nicephoro, *ut suprà*, admodum est propagata. Fuerunt enim Monotheliræ inter Acephalos præcipui, & à quibus post Dioscorum & Eutychetem, tanquam ab infecto fonte maxima Orientis pars fuerit infecta: hi enim subtilius hæresim suam velantes, prædicto Jacobo apud Syros prædicante, magnam Orientis partem infecerunt. De Monotheliturum hæresi Nicephorus *ut supra c. 46.* ita scribit. Quod verò, inquit, fuerit Monophysitarum dogma, à quibus tanquam

quam à radice pessima plurimæ aliæ hæreses pullularũ, seu circulus aut catena ex sese depẽdentes modo dicam: Cùm etenim convenientes in Christo naturas quamlibet per seipsum discernunt, duas eas esse necessitate adducti confitentur. Cum vero utramque in verbi incarnatione uniunt, non duas illi inconfusibili modo convenientes naturas, sed unam compositam naturam statuunt.

Nobis enim unam subsistentiam compositam dicentibus, illi unam potius naturam compositam inferunt, & rationem sententiæ suæ exemplo confirmantes dicunt, hominem animam obtinere & corpus, & aliam animæ naturam esse, aliamque item corporis, si quis quamlibet per seipsam contempletur; cùm vero illæ coierint, hominem efficere, unam naturam compositam obtinentem. Non enim inquiunt, duas naturas hominem dici oporret, sed unam compositam. Atque ad eundem modum de Servatore Christo opinantur: illum videlicet ex duabus quidem constitisse naturis, post unionem autem duas illas naturas in unam evasisse compositam, quod sanè Ecclesia tanquam piaculum prorsus aversatur.

Ea (inquit) Card. Baron. *Tomo 7.* ubi supra, *in quos vepres atque dumeta, invia loca, scabra, abditosque recessus per rupes & præcipitia, praruptaque scopula immanium ferarum latibula incurrerint, à recto fidei tramite aberrantes humanæ mentes: En quomodo monstrum monstro junctum concipiat, pariatque horrenda spectra, atque deformia simulacra! ut ex his prudens quisque intelligere valeat* (*secundum illud Job c.* 38. ubi lux habitet, & tenebrarum quis locus sit, ut quisque ducat unumquodque ad terminum suum, & intelligat semitas domus ejus: *cognoscat scilicet, ubi sit fides Catholica; ubi vero hæresis habitent. At non hic finis portentorum, alia adhuc prodierunt ex cornuta bestia capita, ut longe ista superet tricipita conficta à Gentilibus monstra: vel septem capitum Hydram, præter enim eas superius recensitas ex Severo progenitas hæreses, ad eundem pertinere tradit Nicephorus lib.* 18. *c.* 49. *Caucobabditas à loco quodam ita denominatos hæreticos, Angelitas etiam, & Damianistas, ita dictos ab Episcopis, & locis ijsdem nominibus appellatis. Nam Angelitas ab Alexandria loco, cujus nomen erat Angelij, dictos tradit: quibus præterea addit, & Tetraditas, Petritas, atque Paulitas, quorum alij Petrum, alij Paulum Severianos. sed ab invicem dissidentes confectabantur.*

Gignebantur hæc monstra potissimum in Ægypto, quæ mox post ortum in seipsa ungulas convertebant, & dentes: ut planè acciderit Ægyptiis secundum illud propheticum Isaiæ 19. Concitrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, Civitas adversus Civitatem, & regnum adversus regnum, & dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, & consilium ejus præcipitabo: & interrogabunt simulacra sua, & divinos suos, & pythones, & ariolos, *donec tot scelera consecuta est, quæ subditur ultio.* Et tradam Agyptum in manus dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. *Ad hæc planè hæreses deducunt populos, ut post abominationes secum vehant servitutem atque desolationem, quam cunctis manifestam ob oculos positam, tam in Ægypto, quam alijs orbis Regionibus à Catholica fide refugis, nemo non videt.* Hactenus Baronius.

His igitur hæresibus Orientalis Ecclesia ad miserrimum perducta erat statum, ubique luctus, ubique dissidia, non solum adversus Orthodoxos conflictantibus hæreticis, sed & ipsis inter se pugnantibus, adeo ut omnes Ecclesiæ in separatas factiones dividerentur, & eorum præsides inter seipsos minimè vellent communicare, unde plurimæ in Oriente dissensiones ortæ sunt, qui rerum infelicissimus status usque in hodiernum diem Ecclesiam illam ipso Pharaonis jugo durior opprimit; nec tamen tot à Deo inflictis supplicijs, tot Turcarum flagellis ac calamitatibus oppressa resipiscit. Nationes vero præcipuæ, quæ hodie in Oriente prædictis scatent erroribus, alijsque hæresibus, quæ ex illis veluti ex impurissimo fonte emanarunt, sunt Nestoriani, Jacobitæ, Cophti, Abyssini, Armeni, quibus adjungemus etiam Georgianos, de quibus sigillatim acturi hunc ordinem servabimus. Primo harum nationum errores, ritus moresque recensebimus, ac obiter quicquid in unaquaque natione fuerit dignum proferemus. Deinde breviter præcipuos & veluti capitales errores enarrabimus, tandem pro juvandis his nationibus DEO favente aliqua adducemus.

CAPVT II.

De Nestorianorum natione, & eorum erroribus.

DE Nestorij impia blasphemia diximus *præcedenti capite*, qui duas in Christo non solum naturas, sed & personas agnoscebat, unam Divinam, alteram Humanam; nunc de Nestorianorum Orientalium, qui in Babylonia, Persia, atque in alijs Asiæ regionibus versantur, erroribus disseramus.

Errores vero in quibus hodie Nestoriani versantur, teste Episcopo Leonardo, & ut accepimus etiam ex relatione Abdelmessiæ procuratoris Eliæ, Chaldæorum in Babylonia Primatis, sive Patriarchæ, hi præcipui sunt.

Nestorium, & Theodorum Mopsuestenum vespertinis horis in aliquibus Ecclesijs cum Patribus adhuc invocant Chaldæi.

Sanctum vero Cyrillum damnant & anathematizant.

Humanam in Christo naturam, absque persona humana non esse perfectam existimant; ideo duas in Christo asserunt esse personas. Fatentur tamen Christum à primo instante conceptionis esse perfectum DEUM & perfectum hominem.

Beatissimam Virginem non vocant DEI genitricem, ne videantur, ut ajunt, asserere cum Jacobitis Virginem genuisse ipsam divinam naturam trium personarum Divinarum, cum dictio Dei contineat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & de eisdem prædicetur. Ideo vocant Sanctissimam Virginem Dei verbi genitricem.

Universali sacro Concilio Ephesino primo, & alijs carere videntur.

Clerici omnes apud Chaldæos, & etiam illi Laici, qui alios devotione excedunt, sacram Dominici corporis communionem è manibus proprijs recipientes sub utraque specie communicant; cæteri vero laici corpus Domini sanguine intinctum ore assumunt.

Nuptias in gradibus prohibitis, sine superioris licentia, etiam in secundo gradu contrahunt.

Sacerdotes mortua prima uxore, secundas & ulteriores faciunt nuptias.

Mona-

Monachi sæpius in Monasteria Maadronitas, id est Monachas, sive Diaconissas ingredi & pernoctare permittunt.

Patriarcham non per electionem sicut & aliæ nationes creant, sed potius per renuntiationem de uno in alterum, quasi jure hæreditario.

Asserunt in fide ab Apostolis tradita nullum Chaldæorum fuisse hæreticum.

Hæc de erroribus Nestorianorum orientalium, qui in aliquibus Asiæ Regionibus versantur, sunt etiam Nestoriani in India Orientali in civitate S. Thomæ, alijs & oppidis, de quibus Antonius Possevinus 2. *Tomo Apparatus*, verbo *Nestorianorum*, alios refert errores.

Porro (inquit) cum anno 1599. Goensis Archiepiscopus in Orientali India Christianos, qui dicuntur S. Thomæ una cum Patribus Jesuitis diligentissimè visitasset, Synodumque fidei Catholicæ, atque disciplinæ Ecclesiasticæ restituendæ habuisset, factum est, ut blasphemiæ omnes Nestorianorum non solum interius, quam unquam antea factum fuisset innotescerent, verum etiam plurima eorum volumina sive purgarentur, sive abolerentur. Cum autem, etsi ea labe Europæi non ita sint inquinati, quemadmodum est magna pars eorum, qui degunt in Asia, expedit tamen, ut qui à sede Apostolica eo mittentur eosdem errores ita norint, ut præmuniti solidis Ecclesiæ argumentis, eorum populorum salutem facilius curent, libros-que erroribus scatentes, aut comburant, aut facilius expurgent. Sanè in ea visitatione à Patribus Societatis partim combusti, partim expurgati sunt sequentes libri.

Hudra, & Gaza,	hoc est. *Breviarium & Thesaurus.*
Liber, qui prænotatur,	*Expositio Abbatis Esaiæ.*
Liber qui dicitur	*Memra.*
Alter, qui inscribitur,	*Margarita fidei.*
Alius prænotatus,	*Liber Patrum.*
Alius dictus,	*Liber Synodi.*
Alius cui titulus,	*Liber Historiæ B. Virg. ac de infantia Salvatoris.*

Liber Ordinum, Liber homiliarum, Liber expositionis Evang. Liber Jo. Bar. Caldon.

Qui omnes libri, ut diximus, varijs erroribus & hæresibus aspersi (Nestorianorum præcipuè) præterquam quod Nestorium, Dioscorum, & alias ejusmodi pestes, tanquam sanctos & Ecclesiæ Universalis capita venerabantur, pluraque fidei dogmata negantes, ea invertebant, sive ad Sanctissimam Trinitatem, sive ad Christi Domini Resurrectionem, sive ad personam Filij spectantia: Primatum autem Ecclesiæ sibi arrogantes, eum in B. Petri legitimo successore haud agnoscebant. D. etiam Cyrillum Alexandrinum, qui eorum hæresum fuit strenuus expugnator, detestabantur, & pleraque alia tenebrarum plena docebant.

Quin & integrum volumen passim ignis consumpsit, quod inscriptum erat *Spar Sammane*, id est, *liber medicamentorum*; plenum erat enim nominum Dæmoniorum, Veneficiorum, superstitionum, quo utebantur ferè omnes Cassanares, & ipse potissimum defunctus Pseudo Archiepiscopus duo volumina apud se habebat Thesauri loco, ubi & cor ejus.

Libellus alius, qui dicebatur (*Spar Pesa*) id est, *liber sortium*, tanquam superstiosus ubique traditus est igni: fuit enim semper præcedenti *mendicamentorum libro* conjunctus.

Volumen aliud, in quo vita multorum Nestorianorum continebatur, (relicta tamen apud illos D. Thomæ Apostoli, & Georgij Martyris historia) expurgatum est detruncatis nominibus illorum hæreticorum, sicuti & plures aliæ blasphemiæ alijs in libris repertæ, inter quas reprobabant Concilium Provinciale.

Quædam item in novo Testamento ab hæreticis depravata restituta sunt. Nam quod D. Lucas habet *cap. 6.* ubi Christus Dominus dixit: *Mutuum date nihil inde sperantes.* Codices Syriaci habebant, *Mutuum date*, & *ne amputetis spem hominis*, putabant autem modicam usuram non esse peccatum.

Lucæ 10. *Secrevit Jesus è Discipulis suis alios septuaginta*, deerat dictio (*duos*) sicut & infernus, in eodem capite.

In *Actis Apostolorum capitulo* 20. ubi dicitur: *Regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*: positum erat nomen Christi loco Dei. Nolunt enim posse dici Ecclesiam Dei sanguine redemptam esse, quippe qui negent communicationem idiomatum in Christo.

Epistola prima Joannis *cap.* 3. ubi dicitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei*, ablatum erat nomen *Dei*, ob eandem rationem supra allatam, sequitur enim statim: *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit*: Quod contra Nestorianos erat.

Item *ibidem cap.* 4. loco versiculi, *Omnis spiritus qui solvit Jesum* in Syriaco habebatur: *Omne spiritus qui non confitetur Jesum venisse in carne non est ex Deo.* Vera enim lectio molesta erat Nestorianis solventibus JESUM in duas personas, unionemque hypostaticam cum humanitate scindentibus.

Item *ibidem cap.* 5. deerat integer iste versus: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater*, &c.

Ad Hebræos *cap.* 2. ubi dicitur, ut *gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* In Syriacis habebatur: *Ipse enim præter Deum pro omnibus gustavit mortem.*

In Evangelio Joannis deerat integra historia Adulteræ. Apocalypsis etiam B. Joannis, & alia desiderabantur, quæ etiam in Bibliorum Regiorum Syriaca editione desiderantur.

CAPVT III.

De Nestorianis, qui in Ecclesiæ Catholicæ unione persistunt.

INter Nestorianos tamen Asiaticos quam plures sunt, qui Apostolicæ sedi parent, hi obedientiam præstiterunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tempore Pontificatus Fel. mem. Papæ *Julij. iij.* & juxta vetus nomen Chaldæos, sive Assyrios Orientales sese appellantes, rejecto Nestorianorum cognomine, & pro Capite ac superiore suo habuerunt fratrem *Simonem Sulacam* Ordinis S. Basilij, qui Romam fetebat dictam obedientiam, fuitque confirmatus Patriarcha à Sancta sede Apostolica ejusdem nationis, cum eodem titulo Ecclesiæ Mozal, quam adversarius ipsius possidebat. Postea reversus præfatus Patriarcha in Caramit, quosdam Archiepiscopos & Episcopos ibi ordinabat, omnesque subditos suos in eadem obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ confirmabat,

bat, rejicique jussit invocationem Nestorianam, quæ nunc temporis à Diacono in Ecclesia fieri solebat. Publicabat etiam professionem Sanctæ fidei Catholicæ Româ portatam, aliosque Nestorianos in suam devotionem, sedisque Apostolicæ obedientiam inducere incipiebat, sed subornatione & fraude Patriarchæ Dity adversarij sui captus, tandem à ministris Turcarum occisus fuit.

In Visitationem & confirmationem hujus nationis, & Patriarchæ, missus fuit à sede Apostolica Episcopus Arbensis Ordinis S. Dominici, qui propter persecutionem antedicto Patriarchæ factam, Sulacæ videlicet post reformationem quarundam rerum, coactus fuit cum Assyrijs quibusdam, in Indiam ad regna Armuziæ & Goæ, ubi animam Deo reddidit, migrare. Socius autem ipsius Frater Antonius ejusdem ordinis, cum Archiepiscopo *Ermete Elia*, discipulo præfati Patriarchæ, Sulaca permultos Chaldæos, qui sunt in Coccin, & India Sancti Thomæ visitavit, Romamque revertens Episcopus Vici à Papa Pio quinto fel. mem. creatus est.

Eidem Patriarchæ Sulaca successit Parer *Abdiesu* ejusdem ordinis S. Basilij, qui venit ad Concilium Tridentinum, Romæque obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub Pontificatu Papæ Pij quarti fel. mem. præstitit, Confirmationem Apostolicam cum eodem titulo Ecclesiæ Musal reportavit; Revertensque in Caremet & Seert quamplurimos Sacerdotes Episcopos & Archiepiscopos ordinavit, ejusque devotioni multæ civitates Chaldæorum Nestorianorum sese submiserunt, sed pauxillos post annos ex hac ad meliorem vitam in Monasterio Civitatis Seert migravit; ijque successit Frater *Abathalla* ejusdem ordinis, qui non habuit Confirmationem Apostolicam, quia eandem Romæ non postularat: Regebat tamen Patriarchatum, nationesque sua assistentia & consilio præfati Archiepiscopi *Ermetis Eliæ*, reversi ex India.

Post mortem verò hujus Patriarchæ *Abathallæ*, cum Archiepiscopus de Gesu & Salamas, obedientiæ Patriarchæ adversarij, cum omnibus suis subditis qui sunt in confinijs Persiæ, sub Sangiacato *de Zejnalbach* renunciasset opera & studio Archiepiscopi Ermetis Eliæ, eidem nationi Assyriæ sese adjungebat, Fuitque electus Patriarcha à Prælatis ejusdem nationis, & sub Pontificatu Gregorij Papæ 13. fel. memoriæ, Romam procuratorem suum, præfatum Archiepiscopum Ermetem Eliam misit, qui nomine Patriarchæ sui, debitam Sedi Apostolicæ obedientiam præstitit, & professionem sanctæ fidei emisit. Exinde Apostolicam confirmationem & pallium nomine præfati *Donha Simonis* Patriarchæ sui, in publico consistorio obtinuit; atque ita compluribus mensibus in sanctæ fidei dogmatibus eruditus, & de obedientiâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præstandâ certior factus, Româ discessit anno 1582. bullas Apostolicas, pallium Patriarchale; multa insuper ornamenta à Sede Apostolicâ Patriarchæ suo collata deferens, admonitus etiam de omni eo, quod sibi penes eundem Patriarcham, nationesque illas exequendum foret.

CAPVT IV.

De natione Chaldæâ Assyriâ.

CHaldæi Assyrij Caramitani, prædicto Patriarchæ subjacent, devoti & morigeri Sedi Apostolicæ, & magistros, qui liberos suos præcepta & constitutiones fidei edoceant, summoperè desiderantes.

Hæc natio & Assyria, quatuor habuit Patriarchas, quorum tres à Sede Apostolica confirmati fuerunt, qui quamquam titulum Ecclesiæ Musal in Babylonia habuerint; hactenus tamen propter alium Patriarcham sibi adversantem, eamque occupantem, illâ potiri nequiverunt, prorsus ut prædicti Patriarchæ varijs in locis modo in Charemer, modò in Serit, residere coacti fuerint, simulque hic postremus Patriarcha *Zejnalbach*, in confinibus Persiæ, agere compulsus fuerit; estque hæc natio in hodiernum usque diem sub duobus Patriarchis divisa, quorum hi Chaldæi Assyrij orientales à nobis nuncupati, alij verò Nestoriani dicti sunt.

Horum Orientalium Chaldæorum dimissimi ac potentissimi in civitate Caremet, sive Amet residunt, qui cum Prælatis suis, obedientiam Sedis Apostolicæ conservare impendiò adlaborant, nec non augmentare, indeque quamplurimos Nestorianos in suam sententiam allectos sibi associârunt. Potentiores autem, & ditiores nationis Nestorianæ subditi Patriarchæ adversario, illi sunt qui incolunt civitatem Mozal & Gesire in Babyloniâ, sub quo Patriarcha magnus est gentium numerus, modernusque Patriarcha Elias vocatur, in Monasterio Patriarchali Sancti Ermetis juxta eandem civitatem *Musal* degens. Hic etiam Patriarcha quondam obedientiam Sedi Apostolicæ præstitit; attamen cum professione sua mittit Religiosum quendam, litterasque ad suam Sanctitatem directis, & ad Dominationem vestram Illustrissimam, quibus etiam sese sanctæ Romanæ Ecclesiæ reuniat atque conciliet, quem Romam appulsurum, unà cum præfatis Assyrijs hic operior, illum quippe navi Venetæ commisi, eo quod mecum adducere illum nequirem. Hactenus Episcopus Sydonensis.

Habet autem in præsenti hic Patriarcha (ut ex fide dignis Chaldæis Romæ agentibus accepi) sub se viginti duos Episcopos, territoria sexcenta & amplùs, quorum ad minus viginti duæ urbes sunt florentes & opulentæ, & in quâvis earum Nestorianæ familiæ quingentæ domicilium habent; At in *Musul*, mille, constantque singulæ domus quadraginta circiter personis. Alia autem territoria minuscula, ducentas, vel trecentas familias Nestorianas complectuntur.

Extant ibidem ad minimum triginta ordinis S. Antonij Monasteria, in quibus 15. vel 20. vivunt Monachi; in eo autem in quo Patriarcha fixam habet sedem, septuaginta circiter Religiosi monasticam vitæ normam profitentur.

Porrò Patriarcham & Episcopos Monachos fuisse necessum est.

Degunt hi Nestoriani in Mesoporamia, seseque ad Baldach usque extendunt; in Indiâ etiam Orientali crebræ sunt Nestorianorum familiæ huic Patriarchæ subditæ, qui eis Episcopos præficere solet.

De reductione Nestorianorum & Macharitorum in Concilio Florentino facta, vide Bullam Eu-

Eugenij IV. quæ incipit: *EUGENIUS ad perpetuam rei memoriam. Benedictus sit DEUS & pater Domini nostri JESU Christi, Pater misericordiarum & DEUS totius consolationis, &c.* In quo Nestorij pravitas damnatur, qui purum hominem Christum esse, & Beatissimam Virginem MARIAM, non DEI, sed Christi genitricem esse asserebat. Macharij Antiocheni impietas similiter rejicitur, qui quamquàm Christum verum Deum & hominem esse profiteretur, divinam tamen tantummodo in eo voluntatem & operationem, humanitati ejus parùm tribuens, esse asserebat. Timotheus Archiepiscopus Tarsensis nomine Chaldæorum in Cypro existentium, supradictam detestationem ac dogma suscepit. Isaac Nuntius Eliæ Episcopi Maronitarum hæresim Macharij reprobat. Datum Romæ apud S. Petrum, anno 1445. septimo Idus Augusti, anno quintodecimo. Fuit autem hæc unio facta post reductionem Armenorum, Jacobitarum, & Mesopotamiæ populorum, eorumque inter se unionem; verùm quia non fuit universalis omnium Nestorianorum, sed tantùm eorum, qui sub Patriarchatu Insulæ Cypri agebant, idcircò litteræ Apostolicæ consultò à nobis hic prætermittuntur.

CAPUT V.

Ritus & errores Ecclesiæ Alexandrinæ, & nationis Cophtæ, qui hac ætate grassantur.

PAtriarchæ Alexandrino, ut refert Guilielmus Tyrus *lib. 14. de bello Sacro c. 22.* suo tempore obediebat Ægyptus, Lydia, Pentapolis, & omnes aliæ Provinciæ, quæ sub *Pretejannis*, seu *presbyteri Joannis* imperio vivunt, inter has omnes nationes degunt Ægophti, hoc est, *Ægyptij*, quos nos *Cophtos*, appellamus, alij *Cophtitos* nuncupant; quia Græcè idem, quod circuncisi sonat, qui nomine ac ritibus Christianis ex parte utuntur, qui & Christiani præcinturæ vulgo vocantur: hi autem quamvis per lavacrum regenerationis renati sint; Judæorum tamen ritu præputia putant, & veteri quodam errore circumcisionem usurpant: numerat vero Ægyptus quinquaginta circiter Cophtorum millia, sed ferè innumeros Æthiopia, hi omnes parent prædicto Patriarchæ, qui vulgariter etiam nominatur Patriarcha nationis Cophtorum: hi quamvis Christiano nomine gaudeant, re tamen ipsa Hæretici ac planè Schismatici sunt, varijsque scatent erroribus, ritibusque diversis ab his, qui in Ecclesia latina florent. In primis enim Patriarcha Alexandrinus disiunctus ac separatus est à capite omnium Ecclesiarum Pontifice Romano, à tempore Concilij Chalcedonensis. Deinde inter celebrandum Missam Cophti invocant Severum, Dioscorum & Jacobum ejus primum discipulum; eosque patres & sanctos vocant, ostenduntque tam externis actionibus, quam verbis, se nos Latinos habere excommunicatos, & hæreticos, ac proinde Latinorum praxim ac conversationem adinstar Judæorum fugiunt. Unam tantùm in Christo Domino profitentur naturam, voluntatem & operationem; duas verò naturas, voluntates & operationes confiteri recusant, ne Christus prout ipsi asserunt in duas etiam divideretur personas. Licet Spiritum S. à Patre & Filio procedere credant, verba tamen illa, *Filioque*, in symbolo non recitant.

In hymno trisagio addunt illa verba, *qui crucifixus est*, dicentes, *Sanctus DEUS. sanctus fortis, sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis miserere nobis.*

Sanctissimum Dominum nostrum Papam in ijs, quæ sunt fidei posse errare, & Christianæ religioni contraria docere, si iniquas fuerit & voluerit, opinantur. Præter Concilium Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum, universales Synodos, nulla alia Concilia universalia hactenus susceperunt.

Concilium Chalcedonense, & Sanctum *Leonem* Papam expresè damnant.

Vana vel falsa per Deum jurare non reputatur ab eis peccatum, & illi, qui in partibus Ægypti, aliena furantur peccare, minimè existimantur.

Circa Sacramentorum verò administrationem pariter errant, nam à Baptismo exordientes, in primis ratum non habent hoc Sacramentum, ne quidem in summa necessitate, si ab alio quam à Sacerdote conferatur, idque præcisè in Ecclesia, etiamsi baptizandus de vita periclitaretur, nec etiam ante quadragesimum vitæ diem, quod extra Cayrum maximè in Scitia adeo strictè observatur, ut ne quidem imminente præsentissima morte, ante hunc ætatis diem parvulis Baptismus conferatur.

Modus autem baptizandi talis est. Defertur nimirum Infans ad templum, ibidemque ad instar Missæ cum Diacono & subdiacono officium celebratur, sine tamen consecratione vel communione, & deinde baptizandus ritu Græco aquæ immergitur, verba autem Latinorum modo adhibentur.

Statim etiam à Baptismo parvuli chrismantur, ungunturque oleo sancto in fronte, in pectore, in juncturis, in renibus, alapa autem non infligitur. Dein vestiuntur cingunturque, & hæc quidem media nocte fieri solent. Postremo autem Missa more solito celebratur, cum consecratione, communicatusque Sacerdos, & Ministri sub utraque specie sanctum Eucharistiæ Sacramentum sub eisdem speciebus noviter baptizato conferunt.

Eucharistiæ sacramentum omnibus sub utraque specie confertur, sitque in fermentato. Diaconi & Subdiaconi (sine quibus nunquam celebratur) semper cum Sacerdote quoties celebrant, communicant: plebei autem Laici rarissimè extra festa Paschalia. Ministri autem hi solum sunt viginti annorum, aut circiter, qui nunquam confessionem suorum peccatorum faciunt, etiamsi singulis diebus communicent; proinde moris est ante vigesimum, aut circiter annum nunquam sacramentum pœnitentiæ recipere.

Infirmis autem neque oleum sanctum, neque Eucharistia administratur.

Conferuntur quoque Ordines excepto Presbyteratu omni ætati, etiam immediatè post Baptismum parvulis, simulque dantur tonsura, & quatuor gradus, & Diaconatus & Subdiaconatus, nec hisce conferendis interstitia vel tempora particularia determinata sunt. Ubi sacros Ordines recipiunt, castitatem & abstinentiam pollicentur, jejunare videlicet diebus Mercurij & Veneris, & tempore adventus, & quadragesimæ: hisce enim temporibus ad occasum usque solis, quandoetiam Missam celebrare moris est, jejunant, insuper etiam quadragesimis Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis. Quando autem infantulis aut pueris sacri Ordines conferuntur, pro eis spondent, & hæc vota observant ipsorum parentes,

donec decimum sextum ætatis annum, aut circiter attigerint.

Matrimonium contrahitur in præsentia Sacerdotis & in facie Ecclesiæ, idque ad formam Romanam, quamquam plures cerimoniæ & solemnitates adhibeantur. Idipsum autem quamvis jam consummatum dissolvitur quandoque (quamquam raro) assumente sibi marito aliam conjugem, conjugeque alium maritum. Utuntur autem his (ut refert Prateolus *verbo* Cophti) in suis Ecclesiis libro quodam fabuloso, quem *Secreta Petri* appellant, & in Missis legunt Evangelium Nicodemi. Hæc ille.

Olim omnes Cophti circuncidebantur, sed hodie, ut ipsi asserunt, Alexandriæ, & Memphi, seu Cairi, non amplius circumciduntur, forsan post synodum Memphiticam, de qua infrà; & si qui alibi circumcisi reperiantur, Mahumetanorum vi circunciduntur. Verùm à parentibus statim Crucis signo in fronte, vel manu signantur, ut ab omnibus tanquam Christiani dignosci possint.

CAPVT VI.

Pro adjuvandis Cophtis, sive natione Alexandrina.

INter Pontifices alios qui Cophtorum conversionis studio flagrarunt præcipuus extitit *Gregorius XIII.* qui multis legationibus pacis & unionis ad illam gentem missis, eos ad Ecclesiæ sanctæ gremium magna cum sollicitudine adduci curavit.

Re igitur à Legato Summi Pontificis fæliciter incepta, post aliquas de fide cum Cophtis disceptationes, concilium Memphis congregatur, fuit autem Memphitica Synodus auctoritate *Gregorij* Pont. max. anno 1582. in mensem Decembris indicta, quæ tres habuit sessiones, in quibus deablegandis antiquis Nestorij, atque Dioscori hæresibus, jungendisque animis Cophtorum, qui & Christiani Præcincturæ dicuntur, cum Catholica Romana est actum.

Interfuêre primo Consessui Episcopi & Principes viri.

Secundo autem Patriarcha Alexandriæ, qui in eos, atque Æthiopiam habet antiquitùs jurisdictionem, Abbates Cœnobiorum, & Primarij viri triginta.

Tertio item ijdem cum Patribus Societatis Jesu Joanne Baptista Romano in primis, quos pietas ejusdem Pontificis Max. eò suo nomine, ut præessent Synodo, cum Pontificio diplomate allegaverat.

In primo autem consessu de occasione disjunctionis ejus gentis à Romana Ecclesia loquuti sunt, ita ut nostri in pseudosynodum Ephesinam conjicerent culpam, quam Dioscorus Episcopus hæreticus coëgerat haud legitimam, neque synodi nomine dignam. In ea enim monstrarunt receptam fuisse Eutychetis insaniam, duas negantis in Christo naturas, quam Hæresim Chalcedonense legitimum Concilium à sexcentis ac triginta Patribus *Leone Primo* Pontif. max. summa consensione damnasset. Quo facto eorum Cophtorum majores, homines minimè malos, certè non doctissimos, idem fuisse ratos, duas naturas in unam verbi conjunctam hypostasim, ac duas cum Nestorij hypostases copulare. Id quod antea vera Ephesina Synodus explosserat. Inde igitur consequentium errorum fontem ac seminarium extitisse.

Cum autem demum indagandæ è suis scriptis (quæ vix habebant, & ea quidem exesa vetustate) tempus petiissent, dimissa tunc est Synodus.

In secundo igitur consessu, cum Cophti mordicùs suas hæreses sese retenturos assererent, contraque nostri antiquissimas Synodos, fidemque quam illi à B. Marco accepissent, objicerent, urgerent quoque duas in Christo naturas denegari, nil esse aliud, quàm miscere, ac perturbare universa: & eodem simul negare mendacio, Divinum verbum humanam induisse naturam, id quod Christi aures non ferunt: in alterum mensem rejecta est Synodus.

At in tertio consessu, DEO aspirante Circunciscisionis lex primum fuit abrogata. Deinde post sex horarum disputationem de duabus Christi naturis, tandem Synodus universa divino afflatu concordissim è sanxit, quod ad rem attinet una cum Catholicis sentiendum, anathematis pœna proposita, si quis Christum altera natura spoliaret. Qui cum idem DEUS, idem sit verus homo, & divinam habet à Patre jam inde ab omni æternitate naturam, & humanam sumpsit ex matre definitis temporum spatiis; Cophtes autem quamquam à duarum abstineant naturarum appellatione, non tamen ab ijs DEUM & hominem Christum esse negant: Sed ab ea loquendi ratione idcirco refugere, ne consuetudo ipsa loquendi duas inducere videatur hypostases. Sic peracta quidem res est, Calend. Februar. anno 1583.

Sed etsi manus dedêre veritati, Satanas tamen omni conatu prohibuit, quin chyrographo, quod confessi fuerant, confirmarent, tum Patriarchæ Vicario id procurante, homine pessimo, quique ea ratione consequi se posse Patriarchatum speraverat, tum morte ipsius Patriarchæ; Turcis quoque, nostris in teterrimum carcerem conjectis, quasi Orientalem illum tractum, sive Pontifici max. sive Regi Catholico subjicere vellent. Quæ calumnia licet paulo post innotuisset Turcis, tamen Proregi accepta fuit occasio, ut quinque aureorum millia nostri persolverent, si vellent liberari, quam summam Cophtis, & mercatoribus numerantibus, charitas *Gregorij* Pontif. max. liberaliter restituit. Tum redire coacti sunt Romam, ubi & deinceps Matonitarum, qui degunt in monte Libano seminarium auctum est, ac fides subinde in eas oras propagatur. Ex his perspicuum erit, quò collineandum sit ab his, qui posthac à Sede Apostolica missi, tantum negotium in Oriente sunt tractaturi.

In domo Cayri Bibliotheca est, in qua plurimi Sanctorum Doctorum & Patrum libri Arabico idiomate conservantur: quales sunt *S. Hieronymi, S. Gregorij Nazianzeni, S Basilij*, Traditiones Patrum, multaque alia scripta, suntque homines quamplurimi felicis satis ingenij, & memoriæ, ubi per otium, licet summam ex horum librorum lectione jucunditatem & frugem hautientes, docti quandoque evadunt. Tempore Papæ *Clem. VIII.* legatio ficta Alexandrinæ Ecclesiæ ad Romanum Pontificem delata est, qua Marcus Patriarcha, & cum eo omnes Ægypti Provinciæ, aliæque sibi conjunctæ ipsum, ut par est, summum Ecclesiæ caput, universalemque Pastorem agnoscebant, ut latè in *fine 6. Tomi* Cardinalis Baron. scripsit: re tamen postea diligentius examinata cujusdam Bartonis impostoris fuisse mendacium ac figmentum apparuit.

Quanta

Quanta vero his temporibus angustia laboret Alexandrina Ecclesia, sub immani Turcarum dominio, quæ his subditur, tibi facilè indicabunt, ut planè terribilem DEI vindictam adversus eam, & omnes Orientales, ubi defecerunt à communione Apostolicæ Sedis immissam nemo prudens absque mentis horrore, animique pavore, valeat contemplari. Ut de ea lugubre illud *Hieremiæ* carmen sit occinendum. *Hæccine est urbs perfecti decoris gaudium universæ terræ?* Quæ enim omnium orientalium Ecclesiarum florentissima & opulentissima erat, eo nunc pauperiaris & angustiæ redacta, ipsis etiam Sacerdotibus, indumentis necessariisque subsidijs caret, varijsque alijs modis inopia premitur. DEI namque diram hanc esse vindictam, ut Sacerdotes laborent inopia, quisque intelligat qui Domini sententiam in Eli filios, & eorum posteros promulgatam attendit, cum fore dicit, ut rogaturi essent, ut admitterentur ad unam partem Sacerdotalem, ut comederent buccellam panis. Et quod ait ipse Dominus per Malachiam, *Ad vos mandatum hoc sacerdotes si nolueritis audire, mittam in vos egestatem*, &c. Ireratumque planè quod per *Isaiam* de Ægypto prædixerat: *Tradam Ægyptum in manum Dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum.* Tale judicium & reliquos subituros, qui ab Apostolica sede rebellant: ut cladibus pressi cogantur tandem cognoscere & invocare Matrem, cujus se filios esse negarant. Sed non desperandum post tot sæcula, quibus Ecclesia Alexandrina angustijs & miserijs oppressa est, quod tandem è tenebris emergens ad lucis radium apertis oculis salutem impetrabit, secundum illud ejusdem Propheræ: *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnatorem, qui liberet eos, & agnoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs & muneribus, & vota vovebunt Domino & reddent.*

Thren. 2. 6.

Malach. 2. 6.

Isaiæ 6. 19

CAPVT VII.

De natione, erroribus, ritibusque Abysinorum, ac methodo illos juvandi.

SUb Imperio Regis potentissimi, quem Europæi *Presbyterum Joannem* vocant, inter magnos ætatis nostræ Monarchas merito recensendi, ut qui inter utrumque Tropicum à mari rubro ad Æthiopicum fere oceanum pertingit, degunt Abyssini; his autem Alexandrinus Patriarcha præest, cui in suis ritibus omnis subjicitur Æthiopia, quam & per Memphiticos administrat Episcopos. De Æthiopum moribus, fide & Religione, aliisque illius Regionis proprietatibus consulat lector Franciscum Alvaresium, qui diligenter admodum, quæ in sua legatione observaverat, descripsit, & Joannem Bermunæsium, qui suam quoque legationem ad hos Abyssinos lingua Lusitanica edidit, ac Damianum à Goës in libello *de rebus Æthiopicis* ad Clementem VII. qui insertus in historia Lusitanica, vel simul cum libello de moribus gentium circumfertur, ac denique Patrem Ludovicum Guzman Provincialem Societatis JESU *Tomo primo* de missionibus suæ Religionis.

Est in his regionibus magnus utriusque sexus Monasteriorum numerus, Monachi quadragesimale jejunium, quod apud ipsos quinquaginta diebus continetur, aqua ut plurimum & pane observant, etsi plures eo tempore etiam à pane abstineant, herbis dumtaxat contenti: Sacerdotes Presbyterique sunt conjugati, Missam celebrant, processiones cruciibus, tubulisque peragunt: plura apud Alvaresium de eorum vivendi more & Religione. Illud unum subjiciam, Abyssinos majori ex parte rectè sentire de Primatu Romani Pontificis: in primis id constat ex literis ipsorum Imperatoris Davidis (quæ apud Damianum Goes) ubi David Æthiopiæ Rex potentissimus, & ipse prorsus agnoscit Romanum Pontificem caput omnium, atque adeo etiam patrem suum in epistola ad *Clementem VII.* P. M. appellat, hæc ejus sunt verba.

In nomine DEI Patris omnipotentis creatoris cœli & terræ, visibilium & invisibilium. In nomine DEI Filij JESU Christi, qui est idem cum ipso à principio mundi; & est lumen de lumine, & DEUS verus de DEO vero. In nomine DEI Spiritus Sancti, DEI vivi qui processit ex Deo Patre. Has litteras ego Rex mitto, cujus nomen Leones venerantur, & Dei gratia vocor Arani Tinghil, id est, Christus Virginis, filius Regis David, filius Salomonis, filius Regis per manum Mariæ, filius Nau per carnem; Filius Sanctorum Petri & Pauli per gratiam. Pax sit tibi juste Domine, Pater Sancte, potens, pure, sacrate, qui es caput Pontificum omnium; & neminem metuis, cum nemo possit tibi maledicere, qui es vigilantissimus supra animas curator, & amicus peregrinantium: consecratus Magister & prædicator fidei; & earum rerum hostis, quæ conscientiam offendunt; amator optimorum morum, vir sanctus, quem omnes laudant & benedicunt. O felix sancte Pater, ego tibi reverenter obedio, cum sis pax omnium, & cuncta bona merearis: & ita æquum est, ut omnes tibi obedientiam præstent sicut sancti Apostoli præcipiunt, & apud Deum hoc verè justum est. Ita etiam præcipiunt, ut veneremur Episcopos, Archiepiscopos & Prælatos. Similiter ut te loco Patris amemus & loco Regis vereamur, & tibi uti Deo fidem habeamus. Propterea dico ego humiliter ad terram genibus flexis, tibi Pater Sancte, sincero admodum corde, quod tu pater meus es, & ego filius tuus, &c.

Deinde Nicodemus Abbas, Æthiops, & Hierosolymitanus, Vicarius Patriarchæ apud Sanderum *de visibili Monarchia Ecclesiæ* Anno 1432. Palam est, inquit, eos, qui à Romana Ecclesia defecêre, corruisse, & dum quisque suam fidem veriorem prædicat, quod à Dæmone est, relicta Apostolorum sententia, in vias sui sensus abijsse omnes: Æthiopiam tamen integram liberam perduravisse; quia nequaquam perfidia & voluntaria defectione, ut aliæ Ecclesiæ peccasset; ac propterea in servitutem & exterminia non incidisse, sed locorum distantia, & itinerum periculis sejunctam fuisse, nec non Pontificum negligentiâ accidisse, ut nulla visitationis memoria, aut litterarum ratio apud eos à quingentis annis extaret; nihilominus Æthiopes tanta veneratione sedem Romanam colere, ut pedes eorum osculentur, qui Roma veniunt in Æthiopiam, vestiumque eorum partes rapere, & reliquiarum loco servare.

Nec mirum, si enim Regina Saba abijt Hierusalem, ut audiret sapientiam Salomonis, plus quam Salomon summus Pontifex est: Regem item Æthiopum tanti facere Romanum Pontificem & Latinorum fidem, ut nihil æquè in votis habeat, atque ut cum Romanis jungat Æthiopes, & se Pontificis subdat pedibus; avidissimeque am-

plexurum esse, quæ de concordia ineunda statuentur in Synodo. Pontificem autem omnium Ecclesiarum caput fatetur, suoque splendore orbem illustrare: Cui omnes Patriarchæ, Episcopi, Imperatores, & Reges inclinantur: nec se Legatos disputandi gratia mittere, sed ut summi Pontificis sententiam de fidei rebus sequantur. *Quo enim*, ait, *sole lumen auferat? Ingens est*, inquit, *& vetusta Latinorum scientia, & orbi nota, nec oportet Discipulum esse supra Magistrum.* Hæc ille in suis litteris, Anno millesimo, quadringentesimo quadragesimo primo, die decimo octavo Octobris, ad *Eugenium iiij* missis. Addit his omnibus, se affuturum Pontifici insciis Jacobitarum Patriarcha, & Saracenis, ne vi, vel ambitione aliqua impediatur.

Sed quicquid de hoc sit multa sunt, in quibus à nobis Abyssini dissident, quorum aliqua, ut veræ fidei Catholicæ contraria, emendari & corrigi oportet, utpote quæ vel manifestam hæresim, aut crassam, vel forte invincibilem continent ignorantiam; alia vero ad diversitatem cultus, sive sacrorum rituum referenda sunt: brevissimè igitur de harum Gentium erroribus ritibusque dicemus.

CAPVT VIII.

Errores, qui Abyssinis attribuuntur.

DE erroribus Abyssinorum certò aliquid definire sanè difficile videtur. Primo quia Scriptores non pauci, qui de natura harum gentium, moribus, & fide commentarios ediderunt, eos, ut veræ Religionis cultores commendarunt: Etsi authores alij, Orientalis Ecclesiæ rituum ignari, consuetudines etiam in illa gente laudabiles censeant, imo & in alijs etiam rebus Abyssinorum errores accusantibus alijs, plures etiam eos ab hac nota excusent. Quare ægrè ferrem, ante exactum examen, recitatis tot illis imponere errores, nisi in unoquoque breviter aliorum opiniones referrem.

Primus error. Cum Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarchæ (à quo Abyssini simul cum religione errores ebiberunt) à fide catholica in multis defecerint, sectantes ejus vestigia in eandem foveam lapsi sunt: Nam ut nunc omittam Dioscori errorem, quem Abyssini sicut & alij Orientales sequuntur & colunt, in alijs tamen rebus, tum ad fidem, tum ad ritus spectantibus, Æthiopes ab Alexandrina Ecclesia non rectam neque integram fidei Christianæ regulam sequuntur. Et imprimis licet reverentiam aliquam Romano Pontifici exhibeant, non firmiter sentiunt de primatu Romanæ Ecclesiæ, ut videre est apud Franciscum Alvaresium in *historia Æthiopiæ cap.* 72. quamvis Zagazabus illius gentis quasi Episcopus, in declaratione religionis & rituum Abyssinorum, Summi Pontificis primatum apud ipsos ex constitutionibus Apostolicis teneri fateatur, qui in hac re subscribere videtur sententiæ Nicodemi Abbatis superiùs relatæ.

2. Errant præterea & consequenter Abyssini tria tantum Concilia Generalia recipientes, nempe Nicænum, Constantinopolitanum primum & Ephesinum, ut videre est apud Diamanum Goës in confessione Zagazabi. Quare cum sanctam Synodum Chalcedonensem non admittant, inter hæsitantes hæreticos merito sunt annumerandi: Hi enim teste Nicephoro *lib.* 18. *cap.* 45. *Historiæ Ecclesiasticæ*, & Leontio de sectis hæreticorum, postquam Eutycheti & Dioscoro à Catholica Synodo dignitas abrogata est, qui illorum dogma amplectebantur ab Ecclesia recedentes, ambigentes sive hæsitantes seipsos appellarunt; hunc tamen errorem simul cum alijs Orientalibus attributis suo loco convincimus.

3. Cum Matrimonium ex Christo, sanctaque universali Ecclesia indissolubile sit, quamdiu alter conjugum vixerit, Abyssini divortium ex levi etiam causa permittunt, ita ut superstite altero conjugum, ut affirmat Alvaresius in *Historia Æthiopica cap.* 18. alter uxorem ducere possit: nec mirum est, ut ij qui divortium ab Ecclesia Catholica fecerunt, cujus conjunctio indissolubilis cum Christo Capite per matrimonium designatur, in divortium matrimonij carnalis contra expressam Christi sententiam facile ruant.

4. De Sacramento Confirmationis, neque extremæ unctionis, non invenio apud Æthiopum Scriptores expressam aliquam mentionem: proinde mirandum non est, si infirmati in fide indies inveniantur. Forte Sacramentum Confirmationis simul cum Baptismo conferunt, ut affirmat Zagazabus, quod & ex veteribus aliquos fecisse constat: sed tunc errant existimantes Confirmationem à simplici sacerdote posse ministrari: quod est contra Concilium Florentinum.

5. Errant præterea graviter Abyssini circa Sacramentum Baptismi, dum in die Epiphaniæ, teste Alvaresio, benedicto prius aquarum stagno trina immersione, tam mares quam fœminæ præmissa forma Baptismi, quotannis rebaptizantur: qui ritus in usu est (ut Possevinus docet in *Commentario de rebus Moscoviticis* ad Religionem spectantibus) apud Græcos orientales. Error tamen hic quantum conjicere possum, à Novatianorum hæresi ortum habuit, qui falso existimantes non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi lapsos, ut illi sine spe non remanerent; alterum Baptisma Abyssini admisêre, (ut ex eodem Alvaresio non obscurè colligitur) obliti Constitutionum Apostolicarum, in quibus *lib.* 2. *cap.* 41. & *lib.* 6. *cap.* 15. Apostoli pœnitentes non per secundum Baptisma, sed per manuum impositionem, hoc est, per pœnitentiam recipiendos expresè docent, & non recolentes, quod in symbolo Nicæno dicitur: *Confiteor unum Baptisma.*

6. Præterea simul cum Baptismo Abyssini Circuncisionem colunt, non quia existiment, ut ipsi fatentur, circuncisionem nunc esse ad salutem necessariam, sed ut in omnibus Christo Domino, ut ipsi dicunt, assimilentur. Ita Zagazabus apud Goes, & alij quam plures authores quamvis; non deficiant Historiographi, qui ritum circuncisionis apud illos in usu versari ea solum de causa æstiment, ut simili signo se originem à profapia Davidica ducere profiteantur: ita tenet Genebrardus *lib.* 1. *Chronograph.* & alij Historiographi quam plures. Tamen si velimus hujus ritus altiores radices quærere, forte aliam non contemnendam inveniemus rationem, si præmittamus circuncisionis usum, non solum ad Hebræos, sed & ad alias nationes extraneas, ut Ægyptios, & Æthiopes, & Colchos permanasse, sic Herodotus *lib.* 2. testatur, qui apud Ægyptios, & Æthiopes antiquissimum hujus cæremoniæ usum agnovit, quem sequuntur Divus Cyprianus *sermone de ratione circuncisionis*, & D. Hieronymus in *Jeremiæ cap.* 9. Prædicti autem

autem populi non utebantur eo signo, ut res sacra, Sacramentum aliquod continente, neque ad profitendam legem, ut Hebræi, sed solum ex humana quadam consuetudine, præsertim cum hoc facerent ad imitationem quandam, (ut Cyprianus docuit) suorum parentum. Quare cum Æthiopes circuncisionis antiquæ observatores ritum hunc, non ut legem Mosaicam, sed ut morem majorum observarent, tempore prædicationis Evangelicæ, vel non fuerunt à paterna traditione prohibiti, vel ab ea impediti iterum ad vomitum redierunt, sicque in hunc usque diem permanserè: quare in hoc forsan materialiter tantum errant, ut latiùs prosequar in *cap. de juvandis Abyssinis.*

7. Alius etiam error Abyssinis consequenter attribui solet, nempe legem veterem simul cum novæ censere observandam, quod tam ex circuncisione, quam aliis ritibus, & observationibus Judaicis aliqui voluerunt colligere: id tamen manifestò non constat; nam si legem veterem nunc ab ipsis observandam tenerent, nulla ratione affirmarent circuncisionem, quæ in lege veteri fuit in præcepto, non esse necessariam ad salutem. Et licet sabbatum observent, & à sanguine & suffocato abstineant, id non, ut observatoribus legis, sed ut antiquæ traditionis Ecclesiæ Orientalis cultoribus tribuendum est. Quid verò censendum sit de circuncisione & aliis ritibus veteris legis, *infra* dicemus.

8. Errant insuper Abyssini existimantes animas rationales non creari, sed per seminalem propagationem non aliter ac brutorum traduci; qui fuit antiquus Tertulliani, & Apollinaris error, ut refert Augustinus, *hæresi 86.* & D. Thomas *2. contra gentes cap. 86.* de quo errore infra.

9. Detestanda etiam est Æthiopum hæresis credentium animas Infantium decedentium ante Baptismum, eo solum salvari, quia orti sunt à parentibus fidelibus. Existimant enim Eucharistiæ virtutem à matre tempore prægnationis susceptæ prodesse infanti in utero existenti, ita affirmat Episcopus ille Zagazabus, & Alvaresius *cap. 19.* Quare cum Pelagianis peccatum originale de medio tollere videntur, hi enim (ut author est D. Augustinus *lib. 2. contra Julian. cap. 2. & 3.*) non esse in hominibus, maximè verò in filijs Fidelium, peccatum originale temerè affirmarunt. Et nostra ætate Bucerus & Calvinus, in filijs Fidelium negant peccatum originale, quos dicunt sanctos nasci, & salvari sine Baptismo.

10. Præterea traditiones sanctas non admittunt, solumque verbo Dei scripto fidem dicunt se habere (ut Alvaresius *cap. 78.*) numerantque inter Scripturas sacras *Apostolorum Canones*, quorum doctrina, ut catholica & de fide in omnibus gubernantur.

11. Nullas pro defunctis oblationes habent, nec facta faciunt pro vivis, fortè, vel quia existimant illis non prodesse, aut quia Purgatorium cum Græcis non agnoscunt: quamvis Zagazabus in confessione suæ fidei Purgatorij meminerit: imo & ipse Alvaresius parum constans contrarium affirmat in *fine cap. 105.* Et hoc verius existimo, nam in Canone Missæ Æthiopicæ, quam ex lingua Chaldaica transtulit Genebrardus, orant pro Patribus Concilij Constantinopolitani, & Ephesini; & in orationibus, quæ in Catechizandis factum baptisma susceptur is apud eundem Genebrardum *Tomo 6.* Bibliothecæ sanctæ circumferuntur, similiter orant sæpius pro defunctis.

CAPUT IX.

De varijs Abyssinorum ritibus.

CUm in Ecclesia varij sint ritus, quos prudenter ratione diversarum gentium Apostoli instituerunt, Abyssinorum gens, si quæ maximè antiquorum rituum est tenacissima. Exponam igitur eorum præcipuas observantias, ut sic constet, quid inter Catholicam Romanamque Ecclesiam, atque Æthiopicam inveniatur discrimis.

Primus ritus, in primis Sacerdotes, Græcorum more, ante Sacerdotium uxores ducunt, & in Sacerdotio eis utuntur.

Secundus, Cum Græcis non solum tenent Sabbato ac Dominico die non esse jejunandum, idque ex Apostolorum Canonibus præceptum existimant: sed etiam antiquam Orientalis Ecclesiæ de observatione Sabbati simul cum die Dominica consuetudinem sequuntur: quare in quadragesima Sabbato & Dominica die vescuntur carnibus.

Tertius, abstinent præterea (ut ipsi arbitrantur) ex Apostolorum decreto à sanguine, & suffocato, nescientes præceptum illud adversus Idolorum cultores latum fuisse, habentque præterea in alijs ciborum delectum.

Quartus, Pueri ante quadraginta dies baptismo non abluuntur, statim vero ut baptizantur Eucharistia illis confertur, retinentes in hoc antiquum Ecclesiæ usum approbatum à sancta Synodo Tridentina *sess. 21. cap. 4.* de qua optimè Paulinus Nolæ Episcopus in Epistola ad Severum fratrem hoc carmine scripsit:

Inde parens sacro ducet de fonte Sacerdos
Infantes niveo corpore, corde, habitu:
Circundansque rudes festis altaribus agnos
Pura salutiferis imbuit ora cibis.

Quintus, Quotidie secundum antiquos Apostolorum canones, vel saltem diebus festis omnes communicant, ministraturque Eucharistia etiam laicis sub utraque specie. In matrimonio saltem affinitatis gradus non verentur. Nam ut olim in lege, frater fratris defuncti uxori sine ulla dispensatione matrimonio copulatur, ut tradit Alvar. *cap. 76.*

Sextus, Sancto Quadragesimæ jejunio integram addunt hebdomadam, & totius anni spatio, quarta & sexta feria ex Apostolorum traditione jejunium observant, eo quod his feriis ablatus fuerit sponsus; nam quarta Domini traditionem pactus est Judas, sexta vero crucifixus est pro nobis benignissimus JESUS.

Septimus, In sacra altaris oblatione azymo pane (teste Alvaresio *cap. 9.*) utuntur, quamvis alij affirment fermentato, musto vero ex vuis passis confecto loco vini.

Octavus, Supremum tam in temporalibus, quam spiritualibus judicium tenet Imperator, ad eumque omnes causæ tam Clericorum, quam Monachorum devolvuntur: quamvis Patriarcha suam etiam spiritualem exerceat potestatem.

CAPVT X.

Pro juvandis Abyssinis.

NOn videtur res ulla vehementiori desiderio aut sollicitudine majori à Sede Apostolica procuranda, quam peramplæ Ecclesiæ Æthiopicæ unio; quippe præter animarum multitudinem, quæ à recta veritatis semita, in ea aberrant, hoc magis dolendum accedit, quod errores quibus involvuntur, quodammodo involuntarij existant: etenim in eos non ex superbia aut pervicacia aliqua adversus S. Ecclesiam lapsi sunt, sed propter aditus, per quos ad eos vera Ecclesiæ illuminatio & auxiliatio dimanare poterat, sibi præclusos; accedit huc, quod promptissimos semper ad fidelitatem & obedientiam Sanctæ Ecclesiæ præstandam sese exhibuerint. In hoc solo difficultas omnis sita est, ut via & modus cum Æthiopibus communicandi detegatur, qui veluti propositam sibi fidem, jam inde à temporibus Salomonis in hodiernum usque diem firmiter amplexi sunt, ita pariter à præsentibus erroribus extricati (quos salubrium institutionum penuria, & simul eo quòd Patriarchæ Alexandrino subsint, imbiberunt) facili negotio ad Evangelij sinceritatem revocari poterunt, multisque animabus, (proh dolor) tot ærumnas, vigilias, jejunia, aliasque rigorosas observantias, ex sola ignorantia, perperam & absque merito sibi imponi patiuntur, veridica salus adducetur.

Gemini ad communicandum cum Æthiopibus patent accessus; Prior per Cayrum, ductu Carabanæ, quæ in Æthiopiam transfretat, qui tamen ob assiduas & strictissimas Turcarum vigilias, periculosus admodum erit: siquidem Christianorum nemo, cum detectione confœderationis Christianorum Europæorum cum Æthiopibus, in Æthiopiam citra præsentissimum vitæ discrimen concedere potest. Accedit huc, quòd Patriarcha Alexandrinus, & cæteri Cophti idem maximoperè vereantur, ne scilicet Abyssini, rejecta unione cum Ecclesia sua, Romano Pontifici adhæreant, ideoque vehementer advigilant, ne Europæi ad interiorem penetrent Æthiopiam. Quocirca nisi Arabs quis foret, vel talem sese fingere posset, assumpto mercatoris habitu, supra dictâ viâ, nullo modo pateret adeundi copia. Nisi id fiat per navigationem Portugalliæ, mare rubrum transfretando per stratum Barganensium, qua alias ad communicationem transitus patuit; verum modò Turca terras omnes Presbyteri Joannis mari Rubro confines invasisse dicitur: atque ideo ad patefaciendum aditum hunc, Lusitanorum classem aliquem illorum portum expedientissimum necesse foret invadere, armorumque vi manutenere, quemadmodum alij plures in India Orientali occupantur; res procul dubio summi momenti. Ac primum Presbytero Joanni res patefacienda foret, quo terrestri expeditione, nostrisque navali urgentibus certæ victoriæ reportarentur, præcipuè cum loca ista tam remota sint ab ijs, in quibus Turca suas copias habet, ac præterea Persiano alijsque Principibus undique Turcam prementibus. Atque eo pacto Æthiopes nostris conjuncti Ægyptum & Terram sanctam possent forsan recuperare: habent enim illi certas prophetias, firmamque spem, quod Latinis uniti Terram sanctam sint occupaturi.

Alia insuper via est facilior forsan magisque expediens, scilicet per Regnum Congi, cui adjacet Regnum Damut, quod subest jurisdictioni Presbyteri Joannis, quamquam inter Regnum Congi, & Damut, Regnum quoddam gentilium interjacere dicatur, quo non obstante, si primum Presbyter Joannes certior factus foret per litteras Sanctitatis suæ per Abyssinum aliquem translatas ex ijs, qui Romæ degunt, vel etiam qui Hierusalem proficiscuntur, quibus Sua Sanctitas indicaret se legatos suos mittere ad Regnum Congi, ac proinde rogaret, ab eo Vice regem Damut interpellari ac moneri, ut viam illam ad vicinum Regem patefaceret, periculaque & impedimenta quoad fieri posset maximè removeret, ac salvos securosque in Damut perduceret, atque inde ad præfati Regis Curiam. Aliæ præterea ad Regem Congi scribendæ forent litteræ, quibus Legatorum prædictorum liber per Regna ista transitus peteretur, ac sic vel per unam vel per aliam viam, vel per Congum vel Damut securus aditus inveniretur, ac quæ à Gentilibus objici possent impedimenta evitarentur.

Abyssini proximi sunt unioni cum Ecclesia Romana, tum quia non obscurè percipiunt Ecclesiam Alexandrinam variis esse erroribus affectam, ac proinde ab impurissimo fonte non posse fidei puram emanare doctrinam, quam ob causam teste Alvaresio *cap. 98.* Imperator Cyriacus decreverat non ultra acceptare in Regnis Æthiopiæ Patriarcham ab Alexandrina Ecclesia missum, ajebat enim se potius velle Regna perire, quam Patriarchis hæreticis obedire, & ob eam causam quam maximo desiderio ferebatur, ut Romanus Pontifex sibi de Patriarcha provideret, fuitque in hac opinione & sententia usque ad mortem. At post ipsum Imperator Alexander ejus filius tredecim annis in Patris opinione permansit, sed tandem coactus necessitate Ministrorum mutavit sententiam: tum etiam, quia apud illas gentes prædictio quædam à Patribus derivata circumfertur, Patriarcharum numerum ultra centesimum non extendendum, qui numerus jam est impletus. Habent etiam alias propheties, quibus per adventum Europæ gentis in Regiones illas, magnum ipsis promittitur emolumentum. Ac demum cum ipsi sint à Turcis inclusi, nec portu aliquo gaudeant, sperant Europæorum auxilio, & armis liberati, portumque obtinere; ut sic ab Ecclesia Alexandrina, quæ origo & occasio est illorum damnationis, discedere valeant.

CAPVT XI.

De Æthiopica lingua, & de alijs pro unione Abyssinorum.

MArianus Victorius Reatinus usus in hoc Petri cujusdam Æthiopis linguæ

guæ Æthiopicæ eruditissimi ope, institutiones sive regulas quasdam, quibus hæc lingua commodè perdiscì posset composuit, nunquam antea à latini visas, Romæque edidit Anno Domini 1550. opus sanè utile ac eruditum, cujus hæc est inscriptio: *chaldaicæ sive Æthiopicæ linguæ institutiones.* Nam ut ipse Victorius affirmat, sicut Chaldæa lingua pendet ab Hebræa, ita à Chaldæa pendet Syriaca, Arabica, & Æthiopica: quamobrem Chaldææ ipsæ quoque sunt appellatæ: quæ quinque linguæ tanta invicem convenientia ac similitudine conjunctæ copulatæque sunt, ut qui unam optimè calleat, aliam quoque haud parva ex parte intelligere possit. Docet etiam linguam Æthiopicam omnium celeberrimam esse, atque earum quæ ab ipsa Chaldæa seu Babylonia exoriuntur emendatissimam, ut quæ ab omni bellorum externorum incursione expers, immunis, incorruptaque semper permanserit.

Deinde de hujus linguæ origine in procœmio prædictarum institutionum agens, sic ait: *Æthiopicam linguam quam Chaldæam vocant Æthiopes, veluti quæ à Chaldæa Babylonica exoriatur, Hebraicæ quam maximè similem esse haud dubium est: quod evenit, quia ab Hebræa non secus quam Syriaca, Arabica, ac etiam Babylonica, quam Assyriacam etiam appellamus, originem ducit. Scimus tamen Æthiopes contrarium asseverare, velleque Hebraicam posteriorem, & à sua progenitam potius esse. Vtcumque sit, satis ex hoc constat facillimè perdiscere hanc posse, qui Hebraicam ipsam calleat, siquidem major nominum pars utriusque linguæ communis est. Sunt que eadem ferè in Grammatica regulæ, idem dictionis genus, ijdemque in describendis signandisque vocabulis literis ritus: nam ubi Hebræi punctis lineisque exterius literæ appositis vocales explicant, Æthiopes quoque idem faciunt, differuntque in hoc uno, quod lineam ipsam punctumque extrorsus haud asscribunt, sed ipsismet literis conjungunt. Est & alia differentia, quod interdum Æthiopes non solum lineam non adjungunt, sed etiam partem ipsiusmet literæ detruncant, atque rescindunt.* Hactenus Victorius.

Præterea lingua Æthiopica fuerunt olim Romæ Biblia conscripta, typisque mandata, ego autem epistolas tantum D. Pauli vidi. Genebrardus Missam, quam Æthiopes celebrant, simulque alias cæremonias circa puerorum Baptismum in linguam latinam transtulit, quæ hodie inserta est *Tomo 6.* Bibliothecæ Sanctorum Patrum.

Pro juvandis Abyssinis maximè proderit constitutiones, sive canones Apostolorum cum doctissimi Turriani commentario præ manibus semper habere. His enim Abyssini in fide & moribus, tanquam uni ex libris Canonicis fidem adhibent, illisque gubernantur: utuntur versione 70. Interpretum; quare oportebit, dum cum illis agitur, uti hac etiam versione.

Qui Abyssinorum res omnes nosse desiderat, attentissimè legat Alburesij historiam, quam prius ipse Lusitanica lingua edidit, postea vero in Hispanam, ac tandem Italicam traducta circumfertur. Pro erroribus vero ac ritibus certò discutiendis illius Zagazabi Æthiopum quasi Episcopi apud Damianum Goes de Abyssinorum fide & Religione declaratio attentè erit perlegenda, quia nullibi apertius hujus gentis fides, mores, religio, rituque conspiciuntur.

Inter alia media unioni Abyssinorum cum Ecclesia Latina maximè conducentia, ac quæ maximè expedire videntur, ut illi ab Ecclesia Alexandrina, quæ origo est illorum damnationis, discedant, illud potissimum se offert, ut Sanctissimus provideat, & ut clarius loquar, dispenset, ut ex Abyssinis ipsis ad Patriarchatus, Episcopatus aliarumve dignitatum administrationem possint personæ digniores assumi. Nam ex decreto Concilij Nicæni tam Patriarchâ quam Episcopi, debent esse alterius nationis, ut constat ex *Canone* 36. de Patriarcha & Episcopis *lib.* 3. Concil. Nicæn. cujus verba sunt,

Vt non possint Æthiopes creare neque eligere Patriarcham. Quin potius eorum Prælatus sub potestate eius sit qui tenet sedem Alexandriæ; sit tamen apud eos loco Patriarchæ, & appelletur Catholicus: non tamen jus habeat constituendi Archiepiscopos, ut habet Patriarcha: siquidem non habet talem potestatem. Et si acciderit, ut si Concilium in Græcia habeatur, fueritque præsens hic talis Patriarcha Æthiopum, habeat septimum locum post Prælatum Seleuciæ, quæ est in Provincia Babyloniæ in Regno Zabur: & quando facta fuerit ei potestas constituendi Archiepiscopos in Provincia sua, non licebit ei constituere aliquem ex illis. Et quicunque non paruerit, Synodus eum excommunicat.

Circa hoc decretum notandum, eam praxin hodie pro electione Patriarchæ servari, ut refert Zagazabus, quod Religiosi ex Abyssinis, qui Hierosolymis degunt, eligunt sive nominant Patriarcham ex natione Cophtorum, quem confirmat Patriarcha Alexandrinus, hic electus & constitutus totius Æthiopiæ Patriarcha, postea ex ipsis Æthiopibus maximè aptis & idoneis creat Archi-

episcopos, quibus universa Æthiopia regitur & gubernatur: illi autem sunt, qui majori ex parte unionem cum Ecclesia Romana conantur impedire. Igitur ut Abyssinorum Imperator aliique Proceres illius nationis allicerentur ad unionem cum Ecclesia Romana procurandam, hoc unum inter alia juvaret maximè, ut summus Pontifex de plenitudine potestatis, utpote superior Conciliorum decretis, in rebus ad regimen spectantibus dispensaret in prædicto canone, ut tam Patriarcha quàm Episcopi deinceps sumerentur ex ipsis Abyssinis.

Denique ut Abyssini facilius reducantur, oportebit sanè illos ritus & cæremonias illis permittere, quæ salva fide Catholica tolerari possunt, maximè in principio, quoadusque firmentur in fide. Sed quia magna est apud Authores aliquos de Circuncisionis ritu apud illas gentes usitato mentio, præter ea quæ superius annotavimus, placuit hic breviter aliqua pertractare.

CAPVT XII.

An Abyssinis ab Ecclesia Catholica permitti possit ritus Circuncisionis, non tam Religionis quam honoris gratia introductus?

IN hac re in primis de fide statuendum est, circuncisionem, sicut & alia legalia post Evangelij promulgationem omnino extinctam esse, & non solum mortuam, sed observantibus mortiferam: ita definitum est in Concilio Florentino sub *Eugenio* quarto. Cherinthus enim, & alij Hæretici existimarunt legem veterem non cessasse, sed nunc simul cum nova observandam esse, teste Epiphanio *hæresi* 28. & August. *hæres.* 8. Idem tenuit Ebion, ut docuit Irenæus *lib.* 1. *cap.* 26.

Secundo certum est, observantiam aliquorum legalium non ut legalia sunt, posse adhuc licitè observari, & de facto observantur à Catholicis; Et ut clarius constet de hac propositione, prænotare oportet quatuor modis posse cæremonialia observari.

Primo, ut legalia sunt, id est ad servandam legem, ex cujus institutione erant introducta, qua ratione præcisè ea servavit Christus Dominus, ut patet de Circuncisione.

Secundo, non ut legalia solum, sed etiam ut figuralia; erant enim cæremoniæ istæ per se primo institutæ in lege veteri, ut figuræ Christi venturi, ut optimè docet D. Thomas 1. 2. *quæstione* 104. *artic.* 3. *in corp.* & hac ratione servarunt cæremonias illius legis Patres antiqui.

Tertio modo possunt servari cæremoniæ istæ, neque ut legalia, neque ut figuralia, sed tantum ad protestandam excellentiam divinam, ut ostendatur cæremonialia legis mala non fuisse, sed bona, & à bono authore, atque ut ita Synagoga cum honore sepeliretur.

Quarto modo possunt cæremonialia observari prorsus materialiter, materialiter, inquam, sine ulla formalitate, neque respectu ad legem veterem, sed ob alios fines licitos, & ab Ecclesia approbatos, sicut hodie celebratur festum Pentecostes alijs rationibus, quam in veteri testamento: olim enim solemnis erat festivitas, quia illa die data fuit lex vetus; hodie tamen, quia illa die data est lex spiritus & vitæ, ut docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 103. *art.* 3. *ad quartum.* Et in Ecclesia latina fit in pane azymo consecratio, ne ob id censetur judaizare, quia Judæis panis azymus fuerit in usu. Imo & Sancti Patres Ecclesiæ Orientalis ritum de observantia Sabbati laudant, nec ob id Ecclesia illa cum Synagoga consentit, cum sint utriusque diversissimi illius observantiæ fines, & causæ.

Quare tria sunt in cæremonijs istis necessariò distinguenda. Primum est, vis ipsa obligandi quam habebant à lege, ob quam rationem dicuntur legalia. Secundum, considerare oportet finem sive rationem formalem illarum, qua ratione erant figuralia. Tertium ipsam exteriorem cæremoniam materialiter sumptam, quam nunc appello ipsam substantiam actus. Hoc posito non est dubium, quin nunc servare legalia ut figuralia, vel ut legalia, neque etiam ad demonstrandum à Deo eorum observationem emanasse, illicitum impiumque esse. Servare tamen legalia materialiter tantum, hoc est nullo respectu ad prædictos tres modos, certum est licere, sicut qui circuncideretur ob medicinam, vel abstineret à carnibus porcinis ob salutem, vel Sabbatum servaret in B. MARIÆ Virginis honorem, quo etiam sensu circunciduntur mulæ ex gentibus nationes, ut supra ex D. Hier. & Strabone retulimus.

Duo restant examinanda. Primum, An Abyssini servent Circuncisionem ut legalem, vel ut figuralem, quia neutro modo sine manifesta hæresi licet? An vero tantum materialiter hoc utantur ritu. Secundum, An supposito, quod excusentur à culpa, an ratione circumstantiæ scandali aliarum Ecclesiarum sit ab Ecclesia Romana tolerandus hujusmodi abusus? Prima quæstio partim pendet à facto, nempe quo fine circuncidantur; nam in hoc non est una sententia illorum authorum, qui Abyssinæ gentis ritus moresque referunt, alij namque more Hebræorum affirmant circuncidi, alij ob Christi imitationem, alij denique, ut profiteantur se à Judaica prosapia originem ducere: tamen quidquid sit de opinionum diversitate circa finem; Primum constituo, si Abyssini circuncisionem observent ut legalem, vel figuralem, eos errare cum hæreticis Ebionitis, qui temerè legem veterem cum novâ observandam existimabant. Secundò deinde assero, Circuncisio si ab Abyssinis non Religionis sed honoris causa observetur, nempè, ut profiteantur se à Davidica prosapia ducere originem, non ob id erunt damnandi, quia circuncisione tantum materialiter utuntur. Unde optimè Guilielmus Reginaldus in suo *Calvino-Turcismo lib.* 2. *cap.* 9. Abyssini (inquit) Christianè quidem, & cum vera Christianorum fide infantes baptizant, & circuncidunt, nobilitatis antiquissimæ, nullo meriti aut Judaicæ fiduciæ respectu; quo posito, nollem eos propter circuncisionem magis damnare, quam si propter medicinæ causam abstinerent à carne porcina, quam tamen lex Mosaica prohibebat. Hæc Guil.

Solum

Solum ergo est difficultas, an si circuncidantur ad imitationem Christi Domini sit licita hujusmodi circuncisio. Cajet. *3. parte quæst. 37. art. 1.* tenet partem affirmativam, cujus sententiæ adhæret Bartholomæus de Medina *1. 2. quæst. 103. art.*

Contrariam sententiam tenet Sotus *lib. 2. de just. & ju. q. 5. art. 4.* qui expresse hujus gentis de circuncisione ritum damnat: & Sotum sequuntur juniores aliqui. Suarez, *3. p. dicta quæst. 37. art. 1.* & Gregorius de Valent. *12. d. 7. quæst. 7. pun. 7.* ea potissimum ducti ratione, quia Christus servavit Circuncisionem ut legalem, sed Abyssini servant Circuncisionem ad imitationem Christi: igitur videntur servare ut legalem, quod fieri non potest sine errore, quæ sententia probabilior & certior apparet, quam eruditè confirmat Valentia *supra citato loco.*

Secunda difficultas est, An dato, quòd circuncisio in sensu præfato in illis gentibus excusetur à culpa, an ob scandalum aliarum Ecclesiarum sit permittenda. Cajet. in affirmativam partem manifestè inclinat, quamvis tandem, utpote in re gravissima Ecclesiæ judicium desideret his verbis: Ego vero in hac difficultate, An oporteat Ecclesiam Romanam in illis gentib. Circuncisionem approbare vel saltem permittere, libentius ipsam Ecclesiam, quam alios auditem Authores.

CAPVT XIII.

De erroribus Abyssinorum hac nostra ætate grassantibus.

POstquam ex variis Authoribus præfatos Abyssinorum errores collegeram, evenit, ut dum casu Illustrissimi Cardinalis Sanctæ Severinæ Bibliothecam perscrutarer, in examen quoddam ab Illustrissimis Cardinalibus jussu sanctissimi Domini Papæ *Sixti V.* de quodam monacho Abyssino factum inciderim, qui requisitus specialim de Abyssinorum fide, ac Religione, apertum omnium illorum rituum, ac errorum testimonium reddidit, quod nulla ratione transeundum existimavi, ut major ac certior ipsorum cognitio haberetur, licet si quis attentè Zagazabi Episcopi Abyssinorum (cujus sæpius mentionem fecimus) confessionem perlegerit, multum hos Testes discrepare inter sese reperiat: neque id mirum, cum rerum Divinarum adeo ignari sint, ut quid credendum sit, etiam monachos fugiat.

Fratris Teclæ Mariæ presbyteri Abyssini, legati pro Lusitanis existentibus in Abyssinorum ditione, religionis Abyssinorum, coram Illustrissimis Cardinalibus Romæ facta declaratio, Die prima mensis Iulij & sequentib. anno 1594.

REverendus Frater Tecla Maria, Teclæ Nebiat filius, de Civitate Henza Matiani, provinciæ Xeva Regni Æthiopiæ, Sacerdos, & Monachus ordinis sancti Antonij, & Monasterij Libani ejusdem Provinciæ, ætatis suæ annorum 45. de mandato Illustrisimi & Reverendisimi Domini Cardinalis sanctæ Severinæ nationis Æthiopicæ Protectoris, à me infrapositio examinatus ad opportunas interrogationes eidem Arabicè, propositas, respondit, ut infra.

Interrogatus primo quid sentiant & credant Æthiopes de DEO, & Sanctissima Trinitate? Respondit: Nos Æthiopes credimus in DEUM unum, & Trinum in personis, Patrem sc. & Filium, & Spiritum sanctum: Pater est ingenitus, Filius est genitus à Patre tantum, & Spiritus sanctus est procedens à Patre & Filio.

Interrogatus, an Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio tanquam à duobus principijs, & duabus spirationibus, vel tanquam ab uno principio, & unica spiratione. Respondit, Tanquam ab uno principio & unica spiratione.

Interrogatus, quæ persona Sanctissimæ Trinitatis est incarnata? Respondit, Persona Filij, id est, Verbum Dei Patris.

Interrogatus de Incarnatione Christi Domini nostri. Respondit, Incarnatus est de Spiritu sancto ex MARIA Virgine.

Interrogatus, quot naturas, voluntates, & operationes profitentur Æthiopes in Christo Domino nostro? Respondit, Post unionem in Christo Æthiopes profitentur unam naturam, unam voluntatem, & unam operationem, sine tamen mixtione & sine confusione: in qua quidem opinione scio Æthiopes & Cophtos, & alios Orientales maximè aberrare à veritate.

Interrogatus, an Æthiopes profiteantur in Christo unam naturam ex duabus resultantem. Respondit hoc non dicere Æthiopes, sed profitentur simpliciter unam naturam, sine mixtione, & sine confusione, & illam asserunt esse divinam.

Item interrogatus de veneratione Imaginum? Respondit, Imagines apud Æthiopes sunt tantum depictæ, & non sculptæ, quas Æthiopes maximè venerantur, ratione repræsentationis & relationis, & ab eis thurificantur.

Interrogatus de libris Canonicis utriusque Testamenti? Respondit, Apud nos Æthiopes utrumque Testamentum est divisum in libros 81. quos omnes dixit haberi in Ægypto; & absque libro nomina omnium librorum non recordari.

Item interrogatus quot Concilia universalia tenent Æthiopes, & quid confiteatur in eis? Respondit, Apud Æthiopes sunt tantum tria Concilia universalia: Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum: quid vero contineat quodque eorum legi, sed nescio modò omnia recitare.

Interrogatus, an Æthiopes acceptent concilium Chalcedonense, & quid in eo contineatur? Respondit, Hoc Concilium Æthiopes damnant, quia in eo decretum est, duas esse naturas in Christo, duas voluntates, & duas operationes, & damnatus est Dioscorus Patriarcha Alexandrinus.

Interrogatus, an Æthiopes damnent Sanctissimum Papam *Leonem*? Respondit, In libris & historijs Æthiopum extat Papam *Leonem* damnasse Dioscorum, & Dioscorum damnasse Papam *Leonem*, quia Concilium Chalcedonense confir-

confirmaverat, & duas in Christo posuerat naturas, voluntates & operationes.

Interrogatus verò, quid ipse sentiat? Respondit, Ego ab annis circiter quindecim semper professus sum in Christo Domino duas naturas, duas voluntates, & duas operationes, & omnia Concilia habita auctoritate summi Pontificis Romani, ligare omnes Christianos, quia est Pontifex totius Christianitatis.

An sciat quot Concilia habita sunt universalia post Concilium Chalcedonense? Respondit nescire.

Item interrogatus, quot sunt Sacramenta Ecclesiæ? Respondit esse septem, S. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, & à Christo Domino esse institura.

Interrogatus, quibus verbis formalibus baptizant Æthiopes? Respondit, Quod post plurimas orationes dicunt, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Interrogatus, quæ est materia hujus Sacramenti; Respondit, est aqua naturalis.

Interrogatus, quis est Minister Baptismi? Respondit, Apud Æthiopes baptizat Sacerdos, & in absentia Sacerdotis Diaconus, præter quos nullum alium vidi baptizare.

Interrogatus, quam intentionem debet habere baptizans in baptizando? Respondit Illam, quam habet Ecclesia Catholica, Faciendi scilicet Christianum.

Interrogatus quoto die baptizantur infantes in Æthiopia? Respondit, Mares baptizantur post quadraginta dies, & fœminæ baptizantur post octuaginta dies, nisi fuerit mortis periculum, quia tunc statim baptizantur.

Interrogatus quis est effectus Baptismi? Respondit, Effectus est, ut homo efficiatur Christianus, & de Ecclesia, ac de membris Christi.

Interrogatus an Æthiopes circuncidant filios? Respondit, Æthiopes ab antiquissimo tempore, usque ad hodiernum diem in tota Æthiopia filios circuncidunt in propriis domibus absque ulla cæremonia, sed propter quandam antiquam consuetudinem in manibus præputium, in fœminis vero nympham circumcidentes.

Interrogatus, an credant Circuncisionem esse adhuc necessariam ad salutem? Respondit, Sciunt jam ipsam cessare, & non esse amplius necessariam.

Interrogatus, quare dicantur baptizari Æthiopes igne, & signare in fronte? Respondit, Nullus est in Æthiopia, qui baptizatur igne, sed in quibusdam Provinciis tantum signant se in fronte novacula, vel ad oculorum & visus sanitatem, vel, ut aliqui referunt, ex mandato cujusdam Regis Æthiopiæ, ut differant à Mahumerants.

Interrogatus, quare dicantur Æthiopes se ipsos singulis annis baptizare? Respondit, Æthiopes singulis annis propter solemnitatem Epiphaniæ exeunt ad flumen, & ibi multæ dicuntur orationes à Presbyteris, & omnes lavantur in flumine, & multi ibi pernoctant maxima cum festivitate ob devotionem Baptismi Domini nostri JESU Christi, sed nemo se baptizat, prout dicunt.

Item interrogatus de Sacramento Confirmationis, de materia, forma, & ministro? Respondit, Confirmatio, apud nos confertur à Sacerdote, una cum Baptismo, & ungitur infans Chrismate in fronte, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Interrogatus de effectu ipsius Confirmationis? Respondit nescire, sed credit dari, ut confirmetur Christianus in fide.

Interrogatus, an singulis annis conficiatur apudeos Chrisma? Respondit Chrisma mittitur eis à Patriarcha Alexandrino, à quo solo conficitur, & non ab Episcopo, & mittitur septimo quoque anno, & ratius cum peregrinis, qui redeunt à peregrinatione terræ Sanctæ, & in omnibus Ecclesijs antiquum Chrisma conservatur.

Interrogatus, ex quibus rebus fit Chrisma? Respondit, Ex balsamo & oleo, & ex pluribus floribus, & rebus odoriferis.

Item interrogatus de Sacramento Eucharistiæ, & ejus materia? Respondit, Materiam esse panem ex frumento, & vinum ex vua; sed in pluribus Provincijs Æthiopiæ in vino expresso ex vua passa, aqua lota, & infusa per aliquas horas eadem aqua.

Interrogatus, quæ sunt illa verba, quibus transubstantriatur panis in corpus, & vinum in sanguinem? Respondit, Sunt illa verba quando Sacerdos dicit: Et accepit panem in manibus suis, & elevatis oculis in cœlum ad Deum Patrem suum, benedixit dicens, Accipite & comedite. Hoc est corpus meum. Et similiter accipiens calicem benedixit & sanctificavit dicens, Accipite & bibite. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.

Interrogatus quis est Minister? Respondit, Solus Sacerdos, & effectus est remissio peccatorum.

Interrogatus, an omnes Æthiopes communicent sub utraque specie? Respondit, Omnes Æthiopes Laici & Clerici communicant sub utraque specie, Sacerdos ministrat corpus, Diaconus vero sanguinem cochleari.

Interrogatus, an infantes communicent? Respondit, infantes in die baptismi communicant in hunc modum: Sacerdos ponit indicem in Calice, & sanguine perfusum imponit in ore infantis. Et post baptismum in ore puerorum, qui carent usu rationis usque ad decennium imponitur digitus auricularis Sacerdotis sine sanguine, devotionis causa.

Interrogatus, an Æthiopes celebrent in pane fermentato vel in azymo, & quid sentiant de celebrante in azymo? Respondit, Æthiopes in fermentato celebrant, & illi qui in azymo celebrant, conficiunt etiam. Et nos in tota Æthiopia feria quinta in Cœna Domini singulis annis in hujus rei memoriam in azymis celebramus.

Item interrogatus, quid sentiant Æthiopes de Purgatorio? Respondit, Æthiopes, credunt animas post mortem detineri in quodam loco, qui lingua Æthiopica vocatur *Mecan aaraft.* id est, *locus alleviationu*, in quo detinentur animæ pœnitentium, quæ decesserunt ab hoc sæculo, non perfecta peccatorum eorum satisfactione.

Interrogatus, an animæ bonorum post mortem statim fruantur beatitudine, & malorum puniantur in inferno? Respondit, Sunt nonnulli in Æthiopia, qui opinantur quod animæ bonorum requiescant in Paradiso terrestri, in quo fuit creatus Adam, usque ad diem judicij. Sunt alij qui credunt, animas justorum statim post mortem frui earum Creatore in Paradiso.

Item interrogatus, quæ sunt peccata mortalia, & quot sunt? Respondit, Illa esse peccata mortalia, quæ fiunt contra præcepta Domini, quæ cum sint quam plurima, nescio numerare.

Inter-

Interrogatus, an peccata voluntaria, quæ non transeunt in actum exteriorem sint mortalia. Respondit, mortalia esse, si desidetio & concupiscentiæ consensum præstitit homo.

Interrogatus, an quis possit salvari extra fidem mediatoris DEI & hominum JESU Christi? Respondit, neminem salvari posse.

Interrogatus de ijs, qui sunt modo in lege naturæ, ad quos nondum pervenit notitia Evangelij? Respondit, Credo DEUM etiam ipsis providisse, ut aliquo modo possint salvari, cum præcepta naturæ servaverint.

Interrogatus, quid sentiant Æthiopes de indulgentiis? Respondit, Credo acceptas esse apud omnes, ipsasque vocant *Benedictiones*, usum vero earum cupio intelligere.

Interrogatus de Invocatione Sanctorum? Respondit, Sanctorum invocationem apud Æthiopes esse maximè acceptam, & eorum intercessionem apud DEUM omnes profitentur.

Interrogatus de Simonia, & de ijs qui favore aut conventione ordinantur in Sacerdotem, in Episcopos, & in Patriarcham? Respondit, prohibitum esse sacris Canonibus.

Interrogatus quæ differentia sit inter Æthiopes & Cophtos in rebus fidei? Respondit, nullam esse differendam inter eos, & in omnibus rebus concordare; sunt enim sub ejusdem Patriarchæ obedientia, in aliquibus tamen vidi eos differre, videlicet, in gradibus prohibitis Æthiopes non contrahunt, Cophti vero in secundo & sequentibus gradibus contrahunt passim cum licentia, & sine licentia eorum Episcopi, vel Patriarchæ.

Similiter Cophti extra Civitates in villis & ruri nullas observant festivitates, neque dies Dominicos: Æthiopes vero ubique maximè observant.

Item Æthiopes observant sabbatum, quod non faciunt Cophti.

Similiter Æthiopes ubique in tota Æthiopia filios & filias circuncidunt; Cophti vero Memphi, sive Cairi tantùm ab aliquibus annis, quidam non circuncidunt.

Item in cæremoniis Missæ Cophti multum differunt ab Æthiopibus, nam Cophtorum Sacerdotes sine Planetis, & Diaconi sine Dalmaticis celebrant, & capite cooperto quadam tobalea lanea, & corpus Dominicum & Calicem nunquam elevant in Missis, quæ cæremoniæ non sunt apud Æthiopes.

Interrogatus an sciat in quibus rebus differant Æthiopes & Cophti à fide Catholica Sanctæ Romanæ Ecclesiæ? Respondit, differre præcipuè in sequentibus.

Dioscorum Alexandrinum, & Jacobum primum ejus Discipulum, & Severum Antiochenum invocant in Ecclesijs cum Sanctis Patribus.

Concilium Chalcedonense & Sanctum *Leonem* Papam non recipiunt.

In Christo Domino nostro unam tantùm naturam, unam voluntatem, & unam operationem profitentur.

Hymnum ter sanctum recitant cum additione illorum verborum, *Qui crucifixus est pro nobis.*

Cum hac tamen expositione, ut terna sanctificatio applicetur Sanctissimæ Trinitati; illa verò verba, *Qui crucifixus es pro nobis*, applicentur tantùm Christo Domino nostro.

Circuncisione utuntur Cophti & Æthiopes, & Sabbatum observant Æthiopes tantùm.

Item interrogatus, ubi, quando, à quo, & quibus Ordinibus fuerit initiatus? Respondit, Anno ætatis meæ quinto decimo in Ecclesia sanctæ MARIÆ Monasterij Denobi Provinciæ Xeva in Æthiopia, fui Ordinibus initiatus à Josepho Cophto Æthiopiæ Archiepiscopo in hunc modum: Archiepiscopus ante Missæ celebrationem totundit caput meum in quinque locis, in modum Crucis, & chrismate me unxit in fronte, orationes recitando lingua Ægyptia, & in faciem meam insufflavit, & in eadem hora, inter celebrandum fecit me ostiarium & lectorem sive Psalmistam & Acolythum, & Nefeadiaconum, sive Subdiaconum, & Diaconum Evangelij, & Sacrosanctam Communionem mihi dedit, & longo tempore pòst anno ætatis meæ trigesimo in Civitate Bed, in Dembia Æthiopiæ, in Ecclesia sancti Georgij ab Archiepiscopo Marco supradicti Josephi successore initiatus sum Sacerdotio.

Interrogatus, an verba formalia singulorum Ordinum audivit Archiepiscopum protulisse in collatione Ordinum? Respondit ipsum Archiepiscopum protulisse, sed ego non audivi, neque significationem intellexi, quia celebrabat lingua Ægyptia, quam prorsus ignorabam.

Interrogatus, an in collatione singulorum Ordinum tradita fuerit ei materia ab Archiepiscopo, & an ipse manibus suis illam tetigisset, videlicet in Ostiariatu claves Ecclesiæ, & ostium aperuerit, & campanulam pulsaverit, in Lectoratu librum Lectionum vel Psalmorum retigerit. In Exorcistatu librum Exorcismi vel Missale, in Acolythatu candelabrum cum candela extincta & urceolum vacuum. In Subdiaconatu calicem vacuum, cum patena vacua superpositа, & urceolos cum vino & aqua, & bacile cum manutergio, & librum Epistolarum, & an capiti ejus fuerit ab eodem Archiepiscopo impositus amictus, & manipulus brachio ejus sinistro, & indutus fuerit tunicella. Et in Diaconatu, an librum Evangeliorum retigerit, & Stola super humerum ejus fuerit impositа, & dalmatica vestitus. Et in Sacerdotio, an retigerit Calicem cum vino & aqua, & patenam cum hostia, & an Archiepiscopus & Sacerdotes capiti ejus manus imposuerint, & an sibi aptata fuerit stola ante pectus in modum Crucis, & an indutus fuerit casula sine planeta, & manus ejus tactæ fuerint oleo Catechumenorum.

Respondit, Certo scio me in omnibus supradictis Ordinibus nullam materiam in collatione Ordinum mihi ab Archiepiscopo traditam esse, neque illam me tetigisse, neque me vestitum altqua veste singulis Ordinibus competente, neque capiti meo manus Archiepiscopi fuisse impositas, neque oleo sancto manus meas unctas fuisse.

Scio præterea Archiepiscopum nostrum in Æthiopia simul ordinare duo millia, & plures Clericos, eodem die, & singulis sex Ordines simul conferre, absque prævio examine, & absque aliquo scrutinio, delectu, approbatione, scriptura vel notatione, & propter ordinandorum multitudinem non posse singulis materiam tangendam tradere: & vidi eundem modum observari in omnibus ordinationibus à nostris Archiepiscopis successivè, licet secus observetur in Ægypto, ubi non tanta Clericorum multitudo simul & turmatim ordinatur, & materia singulis Ordinibus competens tangenda ordinando traditur.

Interrogatus, an scivetit suprадictos Archiepiscopos Josephum & Marcum, à quibus initiatus est, tempore suæ ordinationis fuisse schismaticos,

ticos, & extra Communionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Respondit, nesciviſſe. Imo potius certò credebat, tunc temporis ipsos esse Catholicos, una cum omnibus Æthiopibus, & Cophtis, & Sedi Apostolicæ in omnibus obedire, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem habere, & credebat Christianos omnes in rebus fidei convenire, sed ea quæ superius dixit, scivit postea dum esset Hierosolymis & in Ægypto.

CAPVT XIV.

De natione Iacobitica, ac de eorum erroribus.

DE Jacobitis ita scripsit Nicephorus *libro 18. c. 45. Historiæ Ecclesiasticæ*: Quis verò, inquit, Jacobus fuerit, unde Jacobitæ nomen acceperunt, æquum esse puto, ut hic referam. Altius autem narrationem petam. Postquam Eutycheti & Dioscoro à sancta quarta Chalcedonensi Synodo dignitas abrogata est, qui illorum dogmata defenderunt, facta ab Ecclesia Catholica defectione *διακρινομένους*, hoc est, *segregatos* sive *ambigentes* seipsos appellarunt: neque ullo modo, ut quæ rectè in Concilio sancto statuta essent comprobarent, adduci potuêre. Ij in duodecim sectas dissecti sunt: ex quibus multa millia hæresum pullularunt. Ex quarum sectatoribus quidam *Eutychianistæ* vocati sunt, alij *Acephali*, alij *Monophysitæ*, alij *Theodosiani*, alij *Julianistæ*, alij *Tritheitæ*, alij *Agnoetæ*, alij *Theopaschitæ*, alij *Armenij*, alij *Severitæ*, alij *Aphthartodocitæ*, alij *Phantasiastæ*, alij *Manichæi*, alij *Phthartolatræ*, alij denique *Scenolatræ* sunt appellati. Hactenus Nicephorus, qui *Cap. 52.* Historiam Jacobitarum prosequens: Jacobus porro (ait) à quo nunc quoque, ut jam diximus, *Jacobitarum* hæresis denominata celebratur, Syrus genere fuit, obscurus prorsus & nulla gloria vir, qui etiam *Zauzalus* propter summam tenuitatem est cognominatus. Hic Eutychetis & Dioscori, Gnaphæique, ac præterea Petri atque Severi dogmate recepto, magnopere id apud Syros propagare studuit. Idem quoque *ubi supra* Nicephorus: *Enimvero eo* (inquit) *quem diximus Jacobo Monophysitarum opinionem apud Syros prædicante, magnum exortum est dissidium. Nam qui rectæ opinioni adhæserunt*, Melchitæ *appellati sunt, quod sanctam quartam Synodum & Imperatorem ipsum* (Melchi enim Syris Rex est) *consectarentur. Qui autem diversum senserunt, multa variaque habuêre nomina. Jacobitæ tamen maximè sunt nominati, propterea quòd ei, quem dixi, Monophysitarum hæresis studioso Jacobo adhærerent. Qui etiam anathemati traditi sunt, ut Monophysitæ scilicet & Theopaschitæ.*

Postea verò aliud etiam hæresum examen ad se pertraxêre, qua Trinitatem consubstantialem credentes unam naturam post unionem in Christo esse docuerunt, sacram quartam Synodum repudiantes, ac deinceps omnes sanctos Patres rejicientes. Et quod maximum est, Divinitati ipsius unigeniti perpessionem tribuerunt, Tersancto illi hymno appendicem hanc, Qui crucifixus es pro nobis, *appendentes. Talis Jacobitarum hæresis radix extitit. Jacobus quoque Armeniorum sectæ dux fuit.* Hæc Nicephorus.

De natione Jacobitica Leonardus Episcopus Sidoniæ, Nuntius atque visitator Apostolicus per Sanctissimum D. Papam *Gregorium XIII.* In legatione sua ad partes Orientales, quam manu scriptam vulgari lingua reliquit, inter alia disserens inquit: Natio Jacobitica dispersa est per civitates, terras, & oppida Syriæ, Mesopotamiæ, & Babyloniæ, mixta aliis nationibus, numeram quinquaginta millium domuum obtinens, cujus præcipua pars paupercula est, quotidianoque labore victum quæritat. In Aleppo, & Caramit multæ sunt divites & honestarum facultatum familiæ, aliæque in commercio & mercatura vitam ducentes.

Ecclesia Patriarchalis hujus nationis est in Mesopotamia, extra Civitatem Moradim, in monasterio Zafram, sed Patriarcha residet in Civitate Caramit ad majorem sui commoditatem & quietem. Hæc natio subdita est Patriarchæ David, sed ab Episcopo Thoma, Vicario Generali fratreque majori ipsius Patriarchæ gubernatur. Sub cujus obedientia modernè vivunt inferiores Prælati, Joannes Metropolitanus Hierosolymitanus, à Jacobitis dictus quintus Patriarcha, Michaël Archiepiscopus Damascenus, Jacobus Archiepiscopus Edessæ dictæ Orfa, vel Raha, Minas Archiepiscopus Saur, Effrem Archiepiscopus in eadem Provincia. Jacobus Archiepiscopus Bisuairiæ, Abraham Episcopus Aatafræ, Melchez Episcopus Sancti Melchi in Tur, Jesu Episcopus Monasterij Deiriloomor, Abelmedich in Provincia Tur, Elias Episcopus in Salach, Elias Episcopus in Monasterio Sanctæ Crucis in Zaz, Gazel Episcopus in Tarach, David Episcopus in Maaden, Pilatus Metropolitanus in Musal & orientes, Gazel Archiepiscopus de Miaferichin, Archiepiscopus Monasterij de Mar Abihai, Ananias Episcopus Sancti Bertoniæ, Joannes Episcopus de Hartbert, Isaach Archiepiscopus Cypri, Simeon Archiepiscopus Caramitanus, Habib Episcopus.

In supradictis Provincijs multa sunt monasteria ejusdem nationis, Ecclesiæ quoque, Religiosi, & Diaconi, ac Clerici innumeri, quos non potui visitare propter repulsam, quam passus fui ab Episcopo præfato Thoma Vicario Generali: visitabam tamen templum Jacobitarum in Tripoli, in Aamanin, Damasco, in Neph, in Hierusalem, in Aleppo, in Orfa, & in Orbis, & in Monasterio de Mar Abihai, in Gargar, inter quarum partium Ecclesias Hierosolymitanam & Aleppi benè instructam & excultam inveni, cæteras autem sine imaginibus & malè gubernatas: asservabatur siquidem Sacramentum in pyxidibus ligneis, sine lumine aut lampade, fonteisque Baptismales aqua carentes, quia quoties baptizant, aquam fontemque de novo benedicunt, altarium quoque ornamenta vilissima, Missæque officium sordidè satis ac stupidè peragebatur. Ex oleis sanctis solùm chrisma in Ecclesijs asservabatur, quod *Miron* vocatur, benedicituique à Patriarcha omni septennio, cum multis floribus, rebusque odoriferis. Oleum Catechumenorum nota habent: oleumque extremæ unctionis Sacerdos in lucernis à quatuor partibus in modum Crucis accensis benedicit, eoque ægrum multis prius Evangeliis & Orationibus recitatis inungit.

Sacramentum autem Confessionis ratissimè apud nationes illas frequentatur, multique communicant sine auriculari confessione.

Refert idem Leonardus Sidoniæ Episcopus, se Jacobitarum Patriarchæ unionem cum Ecclesia Catholica proposuisse, eandemmet aliàs desideranti, eumque ad præcipuos Catholicæ fidei professionis articulos ventum esset, ubi de Chalcedonen-

donensis Concilij acceptatione mentio fieri cœpit, nonnihil subsistere visus, inquit, Haud quaquam fas esse rem hanc una in populum vice, idque continuo tractu evulgari, sed paulatim ipsoque temporis progressu, datâ nimirum prius Apostolicæ sedi obedientia, eidemque justâ exhibitâ benevolentiâ. Tandem ad Dioscori condemnationem procurrimus, ubi summo cum fervore, absit, absit, inquit, excommunicatum esse Dioscorum; Damnatus non est, imo vero sanctitate fulget Dioscorus, velut primarius Jacobiticæ nostræ nationis parens: hoc recipi nulla ratione potest, quippe si casu Jacobitica natio resciret: nos in damnatum consentire Dioscorum, absque mora & nostro privaremur Patriarchatu, & ab universo populo ingenti cum fervore saxis obrueremur. Cumque lectione procederem in secundum tertiumque Constantinopolitanum Concilium incideremus, licet Jacobitæ adjungant in Trisagio, *Qui crucifixus es pro nobis*, dicantque in Christo Domino nostro unam esse naturam, unam voluntatem, unamque operationem resultantem ex duobus, dixit tamen Vicarius se Isiagium & Crucifixionem soli Christo Domino nostro applicare, non autem Sanctissimæ Trinitati, cæterisque absque contradictione applausit, præsertim vero Sanctæ Apostolicæ sedis primatum pro superiori capite agnovit, ac supremam SS. D. N. Papæ authoritatem in singulis suorum Ecclesijs, obedientiæ promissione admisit.

Percunctabatur deinde, quamobrem Chalcedonense Concilium in Dioscorum excommunicationem fulminasset, cum & eruditione & religiosæ ac sanctæ vitæ præstantia polleret. Cui ego; Fuisse à Chalcedonensi Concilio excommunicatum, quia acta Eutychetis approbaret, & in suâmet hæresi, alijsque innumeris in dicto Concilio enumeratis contumaciter & superbè persisteret.

Sed ipse contra ajebat, Dioscorum nunquam Eutychetis opinionem approbasse, cum ipsi Jacobitæ Dioscoriani sint, ac semper Eutychetis errores una cum auctore suo condemnarint, & etiam nunc condemnent, qui duas naturas in unam confundebant; at ipsi contra hanc opinionem asserant duas in Christo naturas esse unitas, unamque factam naturam personatam de duabus naturis non personatis, sine mixtione tamen aut confusione, referebarque corruptam in ipsorum libris Dioscori historiam, quâ eum iniquè & immeritò in præfato Chalcedonensi Concilio, damnationis & excommunicationis sententiam perpessum nitebatur probare.

Adversus hanc ipsius discursum, multis illi rationibus palam faciebam, Dioscorum justo excommunicationis telo fuisse confossum, & reprobatum, historiamque de eo confictam omnino falsam esse: verum is pertinaciter rejiciebat omnia, negabatque, quæ de Dioscoro objiciebantur. Frequentius igitur affirmabam, si Catholici dici, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ obedientiam præstare decrevissent, ipsos obligari, perfectè in omnibus Chalcedonense Concilium unà cum Sancta Romana Ecclesia à divino spiritu gubernata, sequi & amplecti. Quare Dioscorum damnarent, adinventionesque ac inanem verborum superfluitatem contra dicti Concilij determinationes, rejicerent, omissoque illo dicendi modo, nempe Unam naturam personatam de duabus naturis non personatis, sine mixtione & confusione, sed liberè unam personam, & duas naturas, duas voluntates, & duas operationes in Christo, juxta idem Concilium à sancta Romana Ecclesia probatum confiterentur.

Tunc autem respondit, Latinos nec Græcos potuisse excogitare & inveuire hoc temperamentum vocum & terminorum, in propositione ista, quemadmodum doctè Jacobitæ invenerunt, & quidem in significatione eandem esse, cum ea quam Ecclesia Latina obtinet, & verbis solum differre affirmabat. Hæc Leonardus Episcopus.

CAPVT XV.

Hæreses & errores nationis Jacobitarum ex eorum Catechismo collecti.

BReviter vero referam errores omnes, quos ex *Catechismo Jacobitarum*, qui Romæ in Bibliotheca Cardinalis S. Severinæ, tam in Arabica, quam in Latina lingua conscriptus habetur, colligere potui: tum ut errores illius Gentis clarius cognoscantur, tum ut si quando ipsam ad Ecclesiæ gremium (ut in Domino speramus) redire contingat, facilius Catechismi errores emendentur, & ad fidei regulam componantur.

Inprimis frustra Jacobitæ in suo Catechismo probare conantur, Christum Dominum nostrum unam habere naturam, & unam voluntatem, ac unam operationem, plurimas allegantes auctoritates, cum ex eisdem authoritatibus oppositum potius colligatur.

Sanctum *Leonem* Summum Romanum Pontificem, quia duarum meminit naturarum, cum Arrio & Nestorio, & alijs Hæresiarchis malignè annumerant, ut hac via magno afficiantur erga Ecclesiam Catholicam odio, utque à duarum naturarum mentione omnes abhorreant.

Seipsos Syros vocant, & falso se jactant Cophtos, Abyssinos, Armenos, & Nubianos ipsos sequi in fide, cum ipsi cæteris sint multo minores ac pauciores, & Rege destituti.

Profitentur Christum ante & post adunationem esse unam naturam, unitam & compositam ex Divinitate & humanitate, & unam personam compositam ex Divinitate & humanitate. Et unam voluntatem compositam ex Divinitate & humanitate. Et unam operationem productam ex Divinitate, & apparentem ex corpore.

Contradicunt sibi ipsis asserenter, operationem voluntatis apparere ex Divinitate personæ Verbi creatoris æterni, & operationem apparere ex humanitate unita eidem Verbo: Non intelligentes communicationem idiomatum, asserunt Græcos & Latinos errare, dum vocant Christum modo DEUM, modo hominem: deinde falsò præsupponunt eosdem credere quaternitatem in Divinis, duas credendo in Christo naturas.

Falsò etiam vocant eosdem Arrianos, quia duas in Christo naturas, voluntates, & operationes credant.

Falsò præterea asserunt Latinos credere in unam Christi voluntatem, & eosdem esse sub trium Conciliorum anathemate, quia quartum Chalcedonense acceptarunt Concilium.

Existimant se esse in communione Catholicæ & orthodoxæ Ecclesiæ, alios vero extra eandem existere.

Sanctum *Leonem* Summum Romanum Pontificem bis cum hæresiarchis annumerantes, falsò & malignè asserunt, eum addidisse in Sanctissima Trinitate unam naturam, unam voluntatem, & unam operationem, & in quaternitatem credidisse.

Falsò etiam & malignè asserunt Nicæni Concilij Patres prohibuisse mentionem duarum naturarum in Christo, & duarum operationum & duarum voluntatum.

Licet fateantur in Christo duas esse naturas personali unione unitas, dicunt tamen illam unionem esse non secundum Græcorum communicationem, neque secundum congruentiam Nestorianorum, sed per compositionem unionis apparentis in professione Jacobitarum, duarum scilicet naturarum unitarum, sicut est unio ignis cum ferro.

Nullam videntur facere differentiam inter unionem, & compositionem, neque inter personam & naturam.

Asserunt in Christo unam esse naturam, & unam personam, & Verbum humanatum coæquale esse Deo Patri Divinitate, & humanitate, & esse constrictum corpore, & inconstrictum anima.

Falsò etiam præsupponunt Christum dividi in duas personas, si duæ in eo connumerentur naturæ, & voluntates, & operationes.

Errant dicentes, tertium universale Concilium (Ephesinum scilicet) fuisse coactum contra Macedonium, cum fuerit contra Nestorium.

Particulam *Filioque* non exprimunt in Symbolo.

Hæreticorum more ad confirmanda sua dogmata aspidum ova alijs fovenda supponentes, quæ Jacobitarum sunt, S. Joanni Chrysostomo attribuunt, ut sua ipsorum scripta insignibus titulis illustrata divulgentur.

Asserunt Dei verbum gigni ab æterna essentia.

Asserere videntur Divinam tantum in Christo esse naturam.

Damnant, qui prædicant Christi indumentum, id est, humanitatem permansisse creatam.

Vocant DEI Verbum Creatorem, compositum, & damnant, qui Christo refert servitutem, & qui post unionem duas in Christo ponit naturas, & duas voluntates.

Asserunt omnes Christi operationes esse cælestes, & si quam operationem Christus fecit humanam, illam fecisse provisione quadam.

Asserunt Christum esse creantem & non creatum, & in multis sibi ipsis contradicunt indistincte loquentes.

Plurima referunt apocrypha.

Sibi ipsis contradicunt asserentes, licuisse per humani oculi applicationem Divinam videre & perspicere essentiam, prædicentibus Propheris Christum appariturum in figura humana: asserentes paulò inferiùs Divinam essentiam in hoc mundo esse invisibilem.

Errant, & sibi ipsis in eodem Catechismo contradicunt, asserentes formationem corporis Christi non in instanti, sed quadraginta dierum spatio fuisse factam.

Beatissimæ Virginis MARIÆ sanctificationem à peccato in Christi conceptione factam esse asserunt.

Asserunt corpoream Christi figuram esse æternam, & de ea DEUM dixisse: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.

Negant Angelum Gabrielem dixisse Beatissimæ Virgini ipsam pariturum filium duas naturas & voluntates habentem, quod Arrium dixisse asserunt.

Asserunt Christum sepelisse Adami imaginem in sepulchro, & illam resurgere fecisse divinam & æternam: unde asserere videntur, naturam humanam fuisse conversam in Divinam.

Asserunt æternam imaginem & humanam figuram factas esse unione unam imaginem, sive figuram, & æternam per humanam subsistere, & per eam factam esse Dominum, & Christum, & Deum, & sæculorum Judicem.

Asserunt omnes justos manere in terra usque in diem judicij, secundum Christi adventum è cælo expectantes.

Asserunt Angelos esse ex duabus substantijs scilicet ex igne & lumine.

Asserunt Spiritum Sanctum procedere à Patre, quoniam est prima causa, & capere à Filio secundam causam, cum sit ipse tertia causa in proprietatibus & una in essentia.

Asserunt non concedi perfectionem nominis DEI, nisi in his gloriosis nominibus, Trinis in personis, & unitis in substantia.

Asserunt animam justificari ex opere suo bono.

Hi sunt errores, qui potissimum hodie apud nationem Jacobitarum vigent, ut ex eorum Catechismo clarissimè constat. Contra præcipuos Jacobitarum errores infrà latius acturi, nunc pro adjuvanda eorum natione non erit abs re, unionem ab eis cum Ecclesia Catholica olim in Concilio Florentino strictissimo obedientiæ vinculo celebratam, in memoriam revocare: quia juvat etiam maximè ad fidem Catholicam stabiliendam contra præcipuas eorum hæreses quædam commemorare.

CAPVT XVI.

Constitutio Concilij Florentini sub sanctissimo Patre & D. N. EVGENIO IV. super unione Iacobitorum sive Iacobinorum.

EVGENIVS Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Cantate Domino quoniam magnificè fecit: annunciate hoc in universa terra. Exalta & lauda habitatio Sion: quoniam magnus in medio tui sanctus Israel. Cantare profecto, & exultare in Domino decet Ecclesiam Dei, pro hac grandi magnificentia, & gloria nominis sui, quam hodie clementissimus DEVS operari dignatus est. Toto siquidem corde laudare & benedicere Salvatorem nostrum nos convenit, quia Sanctam Ecclesiam suam novis quotidie accumulat incrementis: quamquam autem in populum Christianum sua beneficia omni tempore multa & magna sint, quæ luce clarius erga nos suam immensam charitatem ostendunt

dunt: si tamen accuratè inspicimus: quæ & quanta his diebus novissimis divina Clementia facere dignata est: judicare certè poterimus, hoc nostro tempore plura ac majora, quam à multis retroactis temporibus sua charitatis munera extitisse.

Ecce enim nondum exacto triennio in hac Sancta Oecumenica Synodo salubberrimam trium magnarum nationum unionem, Dominus noster JESUS Christus, pro sua ineffabili pietate ad commune perenneque totius Christianitatis gaudium, tam copiosè effecit; Unde factum est, ut totus ferè Oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non parua septentrionis portio, post longa dissidia, cum Sancta Romana Ecclesia in eodem fidei ac charitatis vinculo jam convenerint. Primo etenim Graci, & hi, qui subsunt quatuor Patriarchalibus sedibus, multas gentes, nationesque, & idiomata continentibus; deinde Armeni multorum populorum gens: hodie vero Jacobini magni etiam per Ægyptum populi, sanctæ Sedi Apostolicæ sunt uniti.

Et cum nihil salvatori nostro Domino JESU Christo gratius sit, quam mutua inter homines charitas, nihilque nomini suo gloriosius, atque Ecclesia utilius esse possit, quam ut Christiani, omni inter se sublato dissidio, in eadem simul fidei puritate conveniant; merito nos omnes, & cantare præ gaudio, & jubilare in Domino debemus: quos ut tantam Christianæ fidei magnificentiam diebus nostris videremus, divina miseratio dignos effecit. Summa igitur cum alacritate annuntiamus magnalia hæc in universa Christianorum terra: ut sicut nos à gloria DEI & exaltatione Ecclesiæ, gaudio inenarrabili repleti sumus, ita & alios tanta lætitia participes faciamus: ut omnes uno ore magnificemus & glorificemus DEUM, & sua majestati prout dignum est, magnas quotidianasque gratias agamus, pro tot tantisque beneficiis innumerabilibus, hac ætate Ecclesiæ suæ Sanctæ collatis.

Et quoniam, qui opus Dei diligenter exercet, non modo meritum ac retributionem in cælis expectat, sed etiam apud homines amplam gloriam laudemque meretur: Venerabilem fratrem nostrum Joannem Jacobinorum Patriarcham hujus sanctæ unionis cupidissimum, à nobis & tota Ecclesia meritò laudandum & extollendum, ac communi omnium Christianorum favore, cum tota sua gente dignum judicamus. Is enim à nobis per nostrum Oratorem, ac literas excitatus, ut ad nos, & hanc sanctam Synodum legationem mitteret, & se, ac suam gentem in eadem cum Ecclesia Romana fide uniret, dilectum filium Andream natione Ægyptium, Abbatem Monasterij S. Antonij apud Ægyptum, in quo & habitasse, & mortuus esse sanctus ipse Antonius perhibetur, religione & moribus non mediocriter institutum, ad nos & ipsam Synodum destinavit. Cui devotionis zelo accensus imposuit atque commisit, ut fidei doctrinam, quam Sancta Romana Ecclesia tenet & prædicat, nomine ipsius Patriarchæ & suorum Jacobinorum reverenter susciperet, deferendam postea per eum ad ipsum Patriarcham, & Jacobinos, ut & ipsi eandem agnoscerent, ratamque haberent, & in suis regionibus prædicarent.

Nos igitur, quibus voce Domini commissum est, pascere oves Christi, ipsum Andream Abbatem per nonnullos hujus sacri Concilij insignes viros super articulis fidei, & Sacramentis Ecclesiæ, & quibuscunque ad salutem spectantibus diligenter examinari fecimus, & tandem quantum visum est, necessarium fore, exposita eidem Abbati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide Catholica, & per ipsum humiliter acceptata, hanc quæ sequitur necessariam & veram doctrinam hodie in hac solemni sessione sacro approbante Oecumenico Concilio Florentino, in nomine Domini tradidimus.

Inprimis igitur Sacrosanctum Concilium, proponit & confitetur fidem Sanctissimæ Trinitatis, reprobans omnes hæreticos contra illam tenentes, & libros tam veteris, quàm novi testamenti enumerat, omnia ferè, ut in professione fidei Catholicæ ab Orientalibus emittenda, de qua infrà: & ideo consulto omittimus, maximè, quia Jacobitarum errores potius circa Incarnationis, quam Trinitatis mysterium versantur, prosequitur postmodum Concilium.

Firmissimè credit, profitetur, & prædicat, unam ex Trinitate personam verum DEUM, DEI filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem, & coæternum in plenitudine temporis, quam divini Concilij inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis veram hominis integramque naturam ex immaculato utero MARIÆ Virginis assumpsisse, & sibi in unitatem personæ copulasse, tanta unitate, ut quicquid ibi DEI est, non sit ab homine separatum, & quicquid est hominis non sit à Deitate divisum. Sitque unus & idem indivisus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, DEUS, & homo DEI filius, & hominis filius, æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem; immortalis & æternus ex natura divinitatis: passibilis & temporalis ex conditione assumptæ humanitatis.

Firmiter credit & profitetur & prædicat DEI filium in assumpta humanitate ex Virgine verè natum, verè passum, verè mortuum & sepultum: verè ex mortuis resurrexisse, in cælum ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, & venturum in fine sæculorum ad vivos mortuosque judicandos.

Anathematizat autem, execratur & damnat omnem hæresim contraria sapientem.

(Et damnatis hæreticis omnibus contrarium sentientibus addit) Anathematizat etiam execratur, & damnat Eutychem Archimandritam, qui cum intelligeret, juxta Nestorij blasphemiam veritatem Incarnationis excludi, & propterea oportere, quod ita DEI verbo unita esset humanitas: & Deitatis & humanitatis una esset eademque persona: ac etiam capere non posset ante pluralitate naturarum unitatem personæ: sicut Deitatis & humanitatis in Christo posuit unam esse personam, ita unam asseruit esse naturam: volens ante unionem dualitatem fuisse naturarum, sed in unam naturam in assumptione transisse, maxima blasphemia & impietate concedens: aut humanitatem in Deitatem, aut Deitatem in humanitatem esse conversam.

Anathematizat etiam, execratur & damnat Macharium Antiochenum, omnesque similia sapientes, qui licet vere de naturarum dualitate, & personæ unitate sentiret: circa tamen Christi operationes enormiter aberravit, dicens in Christo utriusque naturæ unam fuisse operationem, unamque voluntatem. Hos omnes cum hæresibus suis anathematizat Sacrosancta Romana Ecclesia, affirmans in Christo duas esse voluntates, duasque operationes.

Firmiter credit, profitetur & docet, neminem unquam ex viro seminaque conceptum à Diaboli dominatu fuisse liberatum: nisi per meritum mediatoris DEI & hominum JESU Christi Domini nostri: qui sine peccato conceptus, natus, & mortuus humani generis hostem peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit, & regni cælestis introitum, quem primus homo peccato proprio, cum omni successione perdiderat, reseravit, quem aliquando venturum omnia veteris testamenti sacra, sacrificia, sacramenta, cæremonia præsignarunt.

Firmiter credit, profitetur & docet legalia veteris testamenti, seu Mosaica legis, quæ dividuntur in cæremonias, sacra, sacrificia, Sacramenta: quia significandi alicujus futuri gratia fuerant instituta: licet divino cul-

tui illa ætate congruerent, significato per illa Domino nostro IESV Christo adveniente, cessasse, & novi testamenti sacra cepisse. Quemcunque etiam post passionem in legalibus spem ponentem, & illis velut ad salutem necessarijs se subdentem, quasi Christi fides sine illis salvare non posset peccasse mortaliter. Non tamen negat, à Christi passione usque ad promulgatum Evangelium, illa potuisse servari: dum tamen minimè ad salutem necessaria crederentur. Sed post promulgatum Evangelium sine interitu salutis æternæ, asserit non posse servari.

Omnes ergo post illud tempus Circumcisionis & Sabbati, reliquorumque legalium observatores alienos à Christi fide denunciat, & salutis æternæ minimè posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant. Omnibus igitur, qui Christiano nomine gloriantur, præcipit omnino quocunque tempore, vel ante, vel post baptismum, à Circumcisione cessandum, quoniam sive quis in ea spem ponat, sive non, sine interitu salutis æternæ observari omnino non potest. Circa pueros verò propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, cùm ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per Sacramentum Baptismi, per quod eripiuntur à Diaboli dominatu, & in DEI filios adoptantur, admonet non esse per quadraginta, aut octuaginta dies, seu aliud tempus juxtà quorundam observantiam, sacrum baptisma differendum: sed quamprimum fieri potest, debet conferri: ita tamen, quòd mortis imminente periculo, mox sine ulla dilatione, baptizentur etiam per laicum, vel mulierem, in forma Ecclesiæ, si desit sacerdos: quemadmodum in Decreto Armenorum plenius continetur.

Firmiter credit, profitetur & prædicat, omnem creaturam DEI bonam: nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: quia juxta verbum Domini, non quod intrat in os coinquinat hominem: illumque Mosaicæ legis ciborum mundorum, & immundorum differentiam, ad cæremonialia assirit pertinere, quæ surgente Evangelio transierunt, & efficacia esse desierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, dicit illi tempori congruisse, quo ex Judæis atque gentilibus, qui antea diversis cæremoniis, moribusque vivebant, una surgebat Ecclesia: ut cum Judæis etiam Gentiles aliquid communiter observarent, & in unum DEI cultum fidemque convenienti præberetur occasio, & dissensionis materia tolleretur: cùm Judæis, propter antiquam consuetudinem, sanguis & suffocatum abominabilia viderentur: & esu immolatitij poterant arbitrari gentiles ad idololatriam redituros. Ubi autem eousque propagata Christiana Religio, ut nullus in ea Judæus carnalis appareat, sed omnes in Ecclesiam transeuntes, in eosdem ritus Evangelij cæremoniasque conveniant, credentes omnia munda mundis, illius Apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denunciat, quam societas admittit humana: nec inter animalia discernendum, per quemcunque sive virum, sive mulierem, & quocunque genere mortis intereant, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari & Ecclesiastica disciplina, possint & debeant, multa non negata dimitti, quia juxta Apostolum, omnia licent, sed non omnia expediunt.

Firmiter credit, profitetur, & prædicat, nullos extra Ecclesiam Catholicam existentes, non solùm Paganos, sed nec Judæos, aut hæreticos, atque schismaticos, æternæ vitæ fieri posse participes, sed in ignem æternum ituros, qui paratus est Diabolo, & angelis ejus, nisi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati. Tantumque valere Ecclesiastici corporis unitatem, ut solis in ea manentibus ad salutem Ecclesiastica Sacramenta proficiant, & jejunia, eleemosynæ, ac cæteræ pietatis officia, & exercitia militiæ Christianæ præmia æterna parturiant, neminemque, quantascunque eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse salvari, nisi in Catholicæ Ecclesiæ gremio & unitate permanserit.

(Exprimit deinde & refert Synodos Oecumenicas, nempe Nicænam, Constantinopolitanam, & primam Ephesinam, easque amplectitur & approbat, de Calchedonensi verò & de alijs, quas Jacobitæ non admittunt, addit:) *Amplectitur etiam, approbat, & suscipit Sanctam Calchedonensem Synodum, quartam in ordine universalium Synodorum, Sexcentorum & triginta Patrum, temporibus præfati Beatissimi Leonis prædecessoris nostri, & Martiani Principis celebratam, in qua hæresis Eutychiana, cum suo authore Eutyche, & Dioscoro defensore damnata est: & diffinitum est, Dominum nostrum* IESVM *Christum esse verum* DEVM *& verum hominem, & in una eademque persona divinam humanamque naturas integras, inviolatas, incorruptas, inconfusas, distinctasque manssisse, humanitate agente, quæ hominis sunt, & Deitate, quæ* DEI. *Quos damnat, damnatos habet; quos approbat, approbatos.*

Amplectitur etiam, approbat, & suscipit Sanctam quintam Synodum secundo apud Constantinopolim tempore Beatissimi Vigilij prædecessoris nostri, & Justiniani Principis celebratam: in qua Sacri Chalcedonensis Concilij definitio de duabus naturis & una persona Christi renovata est, multique Origenis errores, suorumque sequacium, præsertim de damnorum, aliorumque damnatorum pœnitentia & liberatione, reprobati atque damnati sunt.

Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam tertiam Constantinopolitanam Synodum, centum & quinquaginta Patrum, quæ sexta est in ordine Universalium Synodorum, temporibus Beatissimi Agathonis prædecessoris nostri & Constantini quarti, hujus nominis Principis, congregatam, in qua Macharij Antiocheni Episcopi, & sectatorum hæresis condemnata est: & diffinitum est, in Domino nostro IESV *Christo duas esse perfectas integrasque naturas, & duas operationes, duas etiam voluntates, licèt esset una eademque persona, cui utriusque naturæ competerent actiones, Deitate agente, quæ* DEI *sunt, & humanitate, quæ hominis sunt.*

Amplectitur etiam, & veneratur, & suscipit omnes alias universales Synodos, auctoritate Romani Pontificis, legitimè congregatas, ac celebratas & confirmatas, & præsertim hanc Sanctam Florentinam: in qua inter alia Græcorum atque Armenorum sanctissima unio consummata est, & multa circa utramque unionem salubberrimæ diffinitiones editæ sunt: prout in decretis desuper promulgatis plenè continetur, quorum tenor in hunc modum sequitur.

Positis deinde alijs decretis Sacrosanctæ Synodi circa Unionem tam Græcorum quàm Armenorum, in quibus fidei nostræ fundamenta stabiliuntur ac declarantur; in fine Bullæ sive Decreti Unionis cum Græcanica natione, addit: *His omnibus explicatis præfatus Andreas Abbas, nomine dicti Patriarchæ, ac proprio & omnium Jacobinorum, hoc salubberrimum Synodale decretum, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam: nec non quicquid tenet & docet sancta sedes Apostolica & Romana Ecclesia, cum omni devotione & reverentia suscipit & acceptat. Illos quoque Doctores & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipse reverenter suscipit, quascunque verò personas & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat & damnat, ipse pro damnatis & reprobatis habet, profitens tanquam*

Apo-

vera obedientiæ filius, nomine quo supra, ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus & jussionibus fideliter & semper obtemperare.

Lecto solemniter in præsenti Synodo hoc decreto Latino sermone, mox in Arabico præfatus Andreas Abbas ipsum Jacobinorum Decretum publicè ibidem prælegit, atque infrascripta verba in scripto Arabicè subjunxit, quæ in continenti latinè recitata sunt: Beatissime Pater Domine Eugeni Sanctæ Romanæ Ecclesiaque universalis summe Pontifex, vereque Christi Vicarie, ac Beati Petri successor, & sanctissima Universalis Florentinensis Synode, totum hoc Sanctum decretum, cum inserto & sancto decreto Unionis Græcorum & Armenorum, quod nunc in vestra præsentia publicè lectum est, Ego Andreas humilis Abbas S. Antonij, Orator Reverendi Patris Domini Joannis Patriarchæ Jacobinorum, habens ipsius decreti per plures dies plenam notitiam & instructionem, cognosco confiteorque omnia in ipso decreto contenta, divinæ ac Catholicæ veritati consona existere. Nomine igitur prafati Domini Patriarchæ, omniumque Jacobinorum, ac meo, quemadmodum vestra sanctitas attestatur, præfatum salutherrimum Synodale decretum, cum dictis insertis decreto, omnibusque suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis: omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quicquid tenet & docet sancta sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni devotione & reverentia suscipio & accepto. Illos quoque Doctores, & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, reverenter suscipio: quascunque verò personas & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat, & damnat, pro reprobatis & damnatis habeo, pollicens nomine quo supra ipsum Patriarchum, Jacobinosque, & me ipsum tanquam veræ obedientiæ filios, vestris & sedis Apostolicæ ordinationibus & jussionibus fideliter & semper obtemperaturos. Datum Florentiæ in publica sessione Synodali, solemniter in Ecclesia domus Sanctæ Mariæ novellæ, apud quam nunc residemus, celebrata, anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, pridie nonas Februarij, Pontificatus nostri anno undecimo.

CAPVT XVII.

De natione Armena eorumque erroribus.

DE Armenis & eorum erroribus scripserunt inter alios Vincentius Beluacensis in *Speculo historiali lib. 30. c. 98.* & ex eo ad verbum S. Antoninus *3. p. tit. 19. c. 8. §. 10.* & de novitatibus apud eos, idem Anton *tit. 21. cap. 5. in princ.* Guido Perpinianus, Episcopus Majoricensis & Eluensis, ex Ord. Carmelitarum assumptus, Rodulphus Armacanus, & novissimè Prateolus *lib. de sect. hæret.* verbo *Armeni.*

Hæreles & errores præcipui nationis Armeniæ ijdem ferè sunt cum erroribus Jacobitarum & Græcorum: Dicunt enim in Christo Domino nostro unam naturam esse, unam voluntatem, unamque operationem. Dioscorum colunt. Tria solum habent Concilia universalia. Adjungunt Trisagio, *Qui crucifixus est pro nobis.*

Cum Græcis Spiritum Sanctum, non à Filio, sed à solo Patre, procedere: Sacramentum Eucharistiæ non in azymo, sed solùm in fermentato confici; nullam animam antè diem universalis Judicij fore beatam: nullum denique esse Purgatorium, in quo animæ ex hac luce migrantes purgentur, affirmant; ac proinde neque orandum esse pro defunctis.

Præter hos etiam errores, alijs quam plurimis scatent, de quibus latissimè noster Guido in *libro* quem *de hæresibus* edidit. Primò asserunt, Adamum & Evam nunquam carnali copula conjungendos, si in eo statu quo illos DEUS condiderat, permansissent, humanam speciem aliter propagandam asserentes.

2. Ab omnibus etiam Sacramentis virtutem conferendi gratiam tollunt.

3. Baptizant eos, qui jam semel Baptisma susceperunt in Ecclesia Romana, in ea dicentes non esse verum baptisma, propterea quòd apud Latinos non esse veram & Catholicam Ecclesiam affirment, sed solùm penes ipsos.

4. Dicebant etiam Baptismum alicui conferri non posse, nisi eidem conferatur & Eucharistiæ Sacramentum.

5. Chrisma quoque adeo necessarium ad verum Baptisma perficiendum, ut nisi baptizandus ipso Chrismate ungatur, non baptizatum censerent.

6. Asserebant rursus pueros non indigere Baptismo ad delectionem peccati originalis, utpote, qui pueros negarent ante Baptismum ullum peccatum originale habere.

7. Item Beatos essentiam Dei non videre, sed claritatem quandam illius essentiæ, in qua visione asserunt supremam consistere beatitudinem.

8. Fatentur, Deum esse mendacem, propterea quòd cum Deus dixisset, Cain futurum, ut à nullo homine occideretur, seipsum tamen occiderit, qua ex re convincunt Deum protulisse falsum, cùm Cain fuerit ab homine occisus.

9. Item negant illi, verum Christi corpus realiter in Sacramento Eucharistiæ sub panis, & sanguinem sub vini speciebus contineri.

10. Rursus sic vinum in calice apponunt, ut nullam penitus misceant aquam, eam asserentes minimè miscendam esse.

11. Asserunt etiam hunc sacratissimum cibum nec prodesse quicquam, nec etiam obesse.

12. Item inferni pœnam non esse perpetuam, dicentes Christum, cùm ad Inferos descendit, omnes animas inde eduxisse.

13. Negant in nuptijs contrahendis aliquod esse Sacramentum, asseverantes illam maris & fœminæ indissolubilem conjunctionem non esse Sacramentum, neque per illam aliquam gratiam conferri conjunctis.

14. Et quamvis dicant originale peccatum nullum esse, fatentur tamen Baptisma esse necessarium ad vitam æternam consequendam. Parvulos verò, qui absque Baptismo decedunt, negant vitam beatam possidere, sed eos dicunt in paradisum terrestrem migrare, si filij sint fidelium; si verò infidelium filij extiterint, illos dicunt descendere in Infernum cum suis parentibus.

15. Docent rursus, omnes homines ante passionem Christi fuisse damnatos ob primorum parentum peccatum atque transgressionem. Dicunt enim eorundem primorum parentum peccatum adeò fuisse exitiale & noxium, ut toti posteritati usque ad Christi passionem nocuerit, eamque posteritatem ad infernum abduxerit: non quidem propter originale vitium, quod à primis parentibus contraxerunt nascentes (quia uti jam diximus, nullum esse astruunt) sed ob proprium primorum parentum peccatum omnes damnatos esse affirmant, etiamsi ipsi in se nullum habuerint peccatum.

16. Dicunt item, nullum fuisse futurum peccatum, si Dæmones non fuissent, qui homines ad tentationem impellerent: ex quo inferebant, peccatum esse simpliciter à Dæmone, & nullo pacto à libero arbitrio.

17. Dicunt etiam esse aliqua peccata ita prorsus irremissibilia, ut à nullo sacerdote remitti possint, contra illud, quod Christus dixit Petro Matt. 16. *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cælo; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælo.* Ubi qui totum dicit, nihil excludit.

18. Docent quoque Christum surrexisse à mortuis die Sabbati, post parasceven, hora sexta, cùm tamen eum surrexisse tertia die omnes Scripturæ testentur, juxta quod ipse salvator promiserat *Luc.* 18. & *Matth.* 12.

19. Item omnes homines in sexu virili resurrecturos, nullumque post resurrectionem futurum esse femineum sexum.

20. Negant denique ullum Sacramentum gratiam conferre posse suscipienti, quantumlibet ad illius susceptionem animam suam præparet.

CAPVT XVIII.

De quibusdam Armenorum ritibus

REcensitis his & similibus Armenorum erroribus, addit Niceph. *lib.* 18. *Histor. Ecclesiast. cap.* 53. Dicuntur (ait) habere constitutiones multifarias divinorum ministeriorum, præter Ecclesiæ traditionem & consuetudinem. Atque ut Monophysitas se esse satis ostendant, digito uno à læva dexteram versus, seipsos cruce consignant.

Et Crucem Sanctam, magno Parasceves die, sub terra abscondunt, usque ad magnum Dominicum diem. Tum verò cum lumine per plateas & angulos circumeuntes hinc & inde eam quærunt, & inventam proferunt.

Tempore autem procedente alios ritus & cæremonias, quæ pietate salva vel observari vel omitti possunt, complexi sunt, peculiaria jejunia instituentes, & sabbatis atque diebus Dominicis magnæ Sanctæ Quadragesimæ, lac, caseum, & ova comedentes, & per panem azymum sacrificiū peragentes, atque id quod Arziburi dicitur jejunium, paulo ante eum diem, quo carnium esus interdicitur, servantes. Hactenus Nicephorus. Hæ autem constitutiones, de quibus Niceph. paulo antè, sunt de quibusdam Armenorum ritibus, qui majori ex parte à consuetudine omnium Ecclesiarum, & à pietate alienissimi videntur, de quibus, aliisque Armenorum consuetudinibus, S. Antonin. *ubi suprà*, sic ait: Armeni siquidem in Sabbato Paschæ comedunt ova & caseum in vespere; dicunt enim, quod Christus resurrexit in vespere sabbati.

Item post pascha comedunt carnes per omnes sextas ferias, quæ sunt septem usque ad Pentecosten.

Diem natalis Domini nesciunt, nullaque festa, vel Vigilias custodiunt, nec quatuor tempora noverunt.

Per totam Quadragesimam non celebrant, nisi die Sabbati vel Dominicæ, quia dicunt hominem jejunium frangere quoties celebrat. Propter hanc etiam causam in sextis feriis non celebrant, ne jejunium frangant.

Diebus autem, quibus carnes comedunt, celebrant, quia tunc non jejunant. Multa verò jejunia faciunt.

In septimana ante Septuagesimam, quia dicitur jejunium S. Sergij, à secunda feria usque ab Sabbatum jejunare incipiunt.

Et in Sabbato, & in Dominica carnes comedunt.

Idem in hebdomada sequenti faciunt.

In quarta & sexta feriis oleum & pisces non comedunt, nec vinum bibunt, nec etiam per totam Quadragesimam.

Plusque peccare, qui in Quadragesima comedit pisces, vel oleum, aut vinum bibit, quàm illum qui ad lupanar vadit.

Porrò in septimana ante Quadragesimam ita strictè jejunant, quòd in secunda feria penitus abstinent. In die Martis aliquid, sine tamen oleo, & vino manducant. Et in die Mercurij omnino nihil, & in Sabbato comedunt carnes. Et hoc quidem jejunium faciunt majores.

Infantes autem duorum mensium Sacramento communicant, & quoslibet indifferenter.

Tandem odium inter Georgianos & Armenos existit, quod Georgianus dicit: *Si quis vestrum habeat spinam in pede sixam transiens ante Armenorum Ecclesiam, debet spinam sustinere, nec se ad pedem suum evellendi causa inclinare, ne per hoc videatur ante Armenorum Ecclesiam, ab omnibus Christianis vilipendendam, se inclinare.*

Omnes hi, aliique plures Armenorum nationi adscribuntur errores, non quòd omnes Armeni illis inhæreant, sed quia eorum aliqui aliquibus ex his, alij verò alijs teneantur hæresibus.

Armenorum errores aperuerunt, atque confutarunt præcipui Patres Chalcedonensis Synodi; Græci item atque Latini, qui de Christi Domini incarnatione scripserunt, quod & strenuè fecerunt etiam Scholastici Theologi, quin & Ricardus Radulphus hoc præstitit, undeviginti libris, quos advertus Armenorum errores conscripsit, sed cautè legendus est: interdum enim dum alios corrigit, ipse in errores lapsus est, quos noster Thomas Waldensis & alij confutarunt. Et ex Antiquioribus contra Armenorum errores scripserunt Proclus Patriarcha Constantinopolitanus in *Epistola ad Armenos*, S. Nilus in *Tractatu de peßima Armenorum Religione*, S. Thom. in *opusc. de Armenorum erroribus*, & præcipuè Concilium Florentinum in *Bulla Unionis Armenorum.*

CAPVT XIX.

Pro juvandis Armenis.

ARmeni Asiam incolunt in ea parte, quæ est inter Taurum, & Caucasum montes constitutra, quorum patria Armenia dicitur à Cappadocia usque ad Caspium mare protensa; cum autem illi Catholicam fidem fuerint edocti, tempore Constantini Imperatoris, sedem Romanam & Apostolicam venerati sunt, ut ex eorum libris, maximè ex actis B. Gregorij, magni Præsulis Armeniæ virique sanctissimi constat. Referunt enim Armeni inter Imperatorem Constantinum, & Tiridatem Re-

Regem Armenorum, Sanctumque Gregorium (quem *Illuminatorem* vocant, quia per illum ad fidem & baptismum fuerunt adducti) & B. Silvestrum Papam unionem olim fuisse initam; ac deinde inter orientales nationes nulla est, quæ ita firmiter Petri sedi adhæserit, ut Armeni: quam verò ob causam ab Ecclesia defecerint conjicere licet ex historicorum scriptis; nimirum propter Decreta Concilij Chalcedonensis sub LEONE primo & Martiano Imperatore celebrati, quòd videlicet in eo ipso Concilio Eutyches Abbas Constantinopolitanus, & Dioscorus Alexandrinus Episcopus, quorum opinionem Armeni sequebantur, damnati fuissent. Nam quòd tempore Philastrij Brixiensis Episcopi, & B. Augustini nondum ab Ecclesia sejuncti essent, ex eo constat, quòd neuter eorum Armenorum hæresis mentionem faciat. Armeni itaque his hæreticis faventes decreta Concilij Chalcedonensis admittere contempserunt.

At postea in Concilio Florentino, tempore *Eugenij IV.* celebrata est Armenorum unio cum Ecclesia Catholica, quamvis nunc apud Armenos ipsos, sicut nec apud Græcos, unionis in illo celeberrimo Concilio, præsente Imperatore Palæologo factæ, nullum ferè existat vestigium: & quamvis hodie aliqua illorum pars à Romana dissentiat Ecclesia, major tamen eorum numerus, ac præcipuè Patriarchæ & Episcopi, paratissimi sunt ad redintegrandam, & confirmandam eandem unionem, præstandamque obedientiam Apostolicæ Sedi. Quemadmodum nuper à Religiosis nostri Ordinis, *jussu Clementis VIII.* Sanctæ memoriæ Papæ, in Persarum Regis ditionem, salutis animarum causâ penetrantibus, relatione fide digna accepimus.

Natio Armena, quæ copiosissima est, teste Leonardo Episcopo Sidonienſi, (qui à *Gregor. xiij.* missus, omnes ferè Orientis Provincias perlustravit) duobus Patriarchis principalibus subjecta, quorum unus est Armeniæ majoris, residens in Monasterio & Ecclesia Ecmeazin, propè civitatem Eruan in Persia. Alius autem Armeniæ minoris, residens in civitate Sis in Cilicia, hodie dicta Caramania. Alij insuper Patriarchæ inter eandem nationem favore Turcarum creati reperiuntur, suntque exactores tributorum, quæ familiæ Armeniæ Turcis reddere tenentur. Alij etiam sunt coadjutores electi eorundem Patriarcharum, cum consensu Episcoporum & populi. Alij insuper sunt Primates, aut potius Patriarchæ ejusdem nationis, in ultimis partibus Persiæ, & in Constantinopoli, qui quanquàm vi juris subditi sint huic Patriarchæ Armeniæ majoris, quandoque tamen eum non recognoscunt.

Familiæ, quæ huic Patriarchatui majoris Armeniæ subsunt, excedunt numerum centum & quinquaginta millium, præter monasteria quamplurima, Episcopos, Sacerdotes, Religiosos & Diaconos permultos.

Hujus Patriarchatus Magistri & Concionatores Armenica lingua, *Mortabiti* dicuntur, quibus natio ipsa non minorem obedientiam, quàm ipsismet Patriarchis præstat.

In Provincia Neuuam, in ipsa quoque Persia, in duabus civitatibus degunt Armeni Catholici, qui Archiepiscopo Dominicani ordinis alijsque fratribus ejusdem familiæ, subduntur, qui Latino ritu ac sub obedientia Romanæ sedis vivunt.

Patriarcha verò Armeniæ minoris habet sub ditione sua viginti quatuor Prælatos Episcopos, & Archiepiscopos, & ad duodecim Episcopos superiores viciniores que Ecclesiæ Patriarchali, spectat electio Patriarchæ, quandoque tamen à populo Armeno, favore & jussu officialium Turcarum Patriarchæ creantur; postmodumque ab Episcopis & Archiepiscopis consensum obtinent, præcipuique populi favore Coadjutor cum futura successione ei deputatur, qui è Magistrio & prædicatore post mortem præfati sui prædecessoris, à populo in Patriarcham recipitur & confirmatur.

Familiæ huic Patriarchatui subditæ numero circiter viginti millium recensentur, aguntque in civitatibus, villis & castellis Syriæ & Ciliciæ, suntque viginti Monasteria centum Religiosorum, Sacerdotes trecenti, Diaconi & Clerici quamplurimi, qui eleemosynis propriaque industria vivunt. Hæc ex prædicto viro piissimo Leonardo Sidonienſi Episcopo: qui veritati consentanea pro ejus temporis ac rerum statu referebat. Verum Rex Persarum hac tempestate armorum vi, & potentia tam majorem quàm minorem Armeniam à Turcarum tyrannide vindicavit, ac sibi subegit imperio. Pro juvandis Armenis legendus est prefatus Guido Carmelita; extat quoque Romæ professio fidei Armena lingua edita: cætera quæ dixerimus infrà pro juvandis Schismaticis Orientalibus, considerandaque sunt in Armenorum ad fidem reductione: nunc verò sufficiat pauca ex unione ab Armenis cum Ecclesia Catholica in Concilio Florentino facta referre.

CAPVT XX.

De unione Armenorum, Decretum à Sancta Synodo Florentina sub EVGENIO iiij. Pont. Max. editum.

EVGENIVS Episcopus servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.

Exultate DEO adjutori nostro: Jubilate DEO Jacob, omnes ubique, qui nomine censemini Christiano. Ecce enim iterum Dominus recordatus misericordiæ suæ alium disfidit lapidem nongentis & amplius inveteratum annis, de Ecclesia sua auferre dignatus est: Et qui fecit concordiam in sublimibus, & per quam in terra pax est hominibus bonæ voluntatis optatissimam Armenorum unionem sua ineffabili miseratione concessit.

Benedictus Deus & pater Domini nostri IESV Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Intuens namque pijssimus Dominus Ecclesiam suam, modò ab his qui foris sunt, modo ab his qui intra, non parvis agitari turbinibus; ut inter ipsas respirare angustias, & ad resistendum fortior assurgere valeat, multis eam quotidie modis consolari & roborare dignatur.

Nam & pridem magnam illam Græcorum unionem, multas longè latèque continentium nationes & linguas: hodie verò hanc ipsam Armenici populi, qui per Septemtrionem, & Orientem in magna copia diffusus est, in eodem fidei & charitatis vinculo cum Sede Apostolica stabilivit. Hæc profectò tam magna & mira sunt divinæ pietatis beneficia, ut non solùm pro utroque, sed ne quidem pro altero, satis dignas suæ Majestati referre gratias possit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur uno eodemque tam brevi tempore, duo sic præclara, & tot sæculis desiderata opera, in hoc

Sacro Concilio fuisse tam feliciter consummata? Vere à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quæ enim hominum prudentia vel industria, nisi gratia Dei & capisset & perfecisset, has tales ac tantas res explere potuisset?

Laudemus igitur & toto corde benedicamus Dominum, qui fecit mirabilia magna solus, ipsique psallamus spiritu, psallamus & mente, oreque & opere, quantum finit humana fragilitas pro tantuque muneribus gratias agamus, orantes & obsecrantes, ut quemadmodum ipsi Græci, atque Armeni unum cum Ecclesia Romana effecti sunt, ita fiant & cæteræ nationes; præsertim Christi charactere insignitæ, & totus denique populus Christianus, omnibus odiis, bellisque extinctis, mutua invicem pace ac fraterna charitate quiescat & gaudeat. Ipsos autem Armenos magnis laudum præconiis dignos esse meritò censemus. Ut primùm enim à nobis ad Synodum accersiti sunt, tanquam ecclesiasticæ avidi unitatis, spectabiles, devotos, & doctos oratores suos, cum sufficienti mandato de suscipiendo videlicet, quicquid Spiritus Sanctus hanc Sanctam Synodum illustraverit, ex remotissimis Regionibus per multos labores marisque pericula, ad nos & hoc Sacrum Concilium destinarunt.

Nos verò tota mente, ut nostrum pastorale decebat officium, cupientes tam sanctum perficere opus, sæpè cum ipsis Oratoribus de hac sancta unione contulimus. Et ne vel parva huic sanctæ rei dilatio fieret, deputavimus de omni statu hujus Sacri Concilij viros, Juris Divini & humani doctissimos, qui cum omni cura, studioque & diligentia, rem istam cum ipsis pertractarent Oratoribus, ab eis accuratè inquirentes eorum fidem, tam circa divinæ unitatem essentiæ, & divinarum personarum Trinitatem, quàm Domini nostri JESU Christi humanitatem, & septem Ecclesiæ Sacramenta, & alia ad fidem orthodoxam, & ritus universalis Ecclesiæ pertinentia. Multis itaque adhibitis disputationibus, collationibus, & tractationibus, postquam non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex Sancta Ecclesiæ Patribus & Doctoribus deducta sunt, & earum de quibus agebatur rerum discussionem, tandem expedire judicavimus, ne ulla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat, atque idem per omnia sapiant cum Sede Apostolicâ, unioque ipsa stabilis ac perpetua sine ullo scrupulo perseveret, ut sub quodam Brevi compendio orthodoxæ fidei veritatem, quam super præmissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum sacro hoc approbante Florentino Concilio, ipsis Oratoribus ad hoc etiam consentientibus traderemus.

Deinde Sancta Synodus exponens Armenis fidei nostræ arcana, tradit symbolum Constantinopolitanum, asseritque in Christo duas naturas & unam personam, & quòd JESUS Christus consubstantialis Patri sit secundum Divinitatem, & nobis secundum humanitatem, & in eo sint duæ voluntates & duæ operationes. Deinde explicat septem Sacramentorum formam, materiam, & effectum eorum, ac novissimè refert & amplectitur sancti Athanasij Symbolum, quæ à nobis consultò omittuntur, quia nimis longa; & ferè omnia (exceptis his, quæ ad Sacramenta pertinent) repetuntur in professione fidei infrà à nobis, in fine hujus Tractatus adducenda. Demum lecta Bulla unionis Græcorum cum Latina Ecclesia, prosequitur Concilium dicens.

His omnibus explicatis, prædicti Armenorum Oratores nomine suo, ac sui Patriarchæ, & omnium Armenorum, hoc salubertimum Synodale decretum, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quicquid tenet & docet Sancta Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni devotione & obedientia acceptant, suscipiunt & amplectuntur. Illos quoque doctores & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reverenter suscipiunt: quascunque verò personas, & quicquid Romana ipsa Ecclesia reprobat & damnat, ipsi pro reprobatis & damnatis habent, Professitentes tanquam veri obedientiæ filij, nomine, quo supra, ipsius Sedis Apostolicæ ordinationibus & jussionibus fideliter obtemperare. Lecto autem solemniter in nostra, & hujus Sanctæ Synodi præsentia, memorato decreto, mox dilectus filius Nartes Armenus, nomine ipsorum Oratorum, in idiomate Armenico publicè hæc, quæ sequuntur legit, quæ incontinenti dilectus filius Basilius, Ordinis fratrum Minorum, noster & ipsorum Armenorum communis interpres, publicè sermone Latino in hunc modum ex scripto legit. Beatissime Pater, & sanctissima Synode, totum hoc sanctum decretum, quod nunc latinè coram vestra publicè lectum est præsentia, fuit nobis pridie de verbo ad verbum in nostro idiomate clarè expositum & interpretatum, quod quidem nobis optimè placuit & placet.

Ad majorem autem nostræ mentis expressionem, ejus effectum summatim reperimus. In ipso continetur

Primò, qualiter populo nostro Armenorum traditis sanctum Symbolum Constantinopolitanum, cum illa additione *Filioque*, ut in Ecclesijs nostris, diebus saltem Dominicis, majoribusque festivitatibus, intra Missarum solemnia, decantari seu legi debeat.

Secundò, definitionem quarti universalis Concilij Chalcedonensis de duabus naturis in una Christi persona.

Tertiò definitionem de duabus Christi voluntatibus & operationibus, in sexto universali Concilio promulgatam.

Quartò declaratis, quòd ipsa Chalcedonensis Synodus, & Beatissimus LEO Papa, rectè de duabus in una persona Christi naturis veritatem definierunt, contra impia Nestorij & Eutychis dogmata, jubetisque ut ipsum Beatissimum Leonem tanquam Sanctum, & fidei columnam veneremur. Atque non solùm has tres Synodos Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, sed & omnes alias universales auctoritate Romani Pontificis legitimè celebratas, reverenter suscipiamus.

Quintò, brevem formulam Sacramentorum septem Ecclesiæ, videlicet Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonij; declarando quæ sit cujusque Sacramenti materia, forma, & minister, quodque in Sacrificio Altaris, dum calix offertur, vino paululum aquæ admisceri debet.

Sextò, quandam compendiosam Beatissimi Athanasij fidei regulam, quæ incipit, *Quicunque vult salvus*, &c.

Septimò, Decretum unionis conclusæ cum Græcis in hoc Sacro Concilio pridem promulgatum, continens, qualiter Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter procedit, & quod illa additio *Filioque*, licitè ac rationabiliter ipsi Symbolo Constantinopolitano fuit apposita. Quodque in pane triticeo, azymo vel fermentato corpus Domini conficitur. Quid etiam credendum sit de pœnis Purgatorij & Inferni, ac vita Beata, & de suffragijs, quæ pro defunctis fiunt. Item de plenitudine potestatis Sedi Apostolicæ tradita à Christo, Beato

Petro

Petro & ſuis Succeſſoribus, atque de Ordine Patriarchalium ſedium.

Octavò, definitionem, ut de cætero Armenihas feſtivitates infraſcriptis diebus, more univerſalis Eccleſiæ, celebrare debeant, videlicet Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, viceſima quinta Martij, Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ, viceſima quarta Junij; Nativitatis Salvatoris noſtri, ſecundum carnem, vigeſima quinta Decembris; Circunciſionis ejuſdem, prima Januarij; Epiphaniæ, ſexta ejuſdem Januarij; Præſentationis Domini in templo, ſeu Purificationis B. MARIÆ, ſecunda Februarij. Nos igitur oratores, nomine noſtro, noſtrique Reverendi Patriarchæ, & omnium Armenorum, ſicut & veſtra Sanctitas in ipſo Decreto atteſtatur, hoc ſalubertimum Synodale Decretum, cum omnibus ſuis capitulis, declarationibus, definitionibus, traditionibus, præceptis, & ſtatutis, omnemque doctrinam in ipſo deſcriptam, nec non quicquid tenet & docet Sancta Sedes Apoſtolica, & Romana Eccleſia, cum omni devotione & obedientia, acceptamus, ſuſcipimus, & amplectimur. Illoſque Doctores & Sanctos Patres, quos Eccleſia Romana approbat, reverenter ſuſcipimus. Quaſcunque verò perſonas, & quicquid ipſa Romana Eccleſia reprobat & damnat, nos pro damnatis & reprobatis habemus. Profitentes tanquam veri obedientiæ filij, nomine, quo ſuprà, ipſius Sedis Apoſtolicæ ordinationibus & juſſionibus fideliter obtemperare. Datum Florentiæ in publica ſeſſione Synodali ſolemniter in Eccleſia majori celebrata, anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quadringenteſimo, decimo Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno IX.

De Armenis, qui poſt reductionem Græcorum etiam ipſi inſtructionem fidei, ſecundum Romanam Eccleſiam, ſuſceperunt ab *Eugenio* Papa IV. in Concilio Florentino, ſcribit idem S. Antonin. *in Eadem 3. parte tit. 22. cap. x1. §. 1. in fine.* Quod inſuper Armeni & aliqui ex India miſerunt Oratores ſuos Florentiam ad Dominum Eugenium, poſtulantes & ſupplicantes inſtrui & eruditi, in ijs, quæ ſunt fidei, à Romana Eccleſia, & uniri cum ea in charitate Chriſti: qui examinati, in paucis reperti ſunt diſſentire à Catholica fide, & in illis ſubjecerunt ſe correctioni Apoſtolicæ ſedis; quæ de concilio Prælatorum decrevit, eos in ritibus ſuis, qui non ſunt contra veritatem fidei, tolerari; ſicut & Græci, licet diſſimiles ſint à moribus Latinæ Eccleſiæ. In aliquibus verò, qui à fide vera diſcrepabant, prohiberi, ut qui Sacramentum Confirmationis non habebant in uſu conferendi illi nationi, docentes eos, illud, ſicut & cætera Sacramenta, debere accipere, credere, & conferre, & aliqua alia: quibus determinationibus acquieverunt. Ex quibus collige tolerandos eſſe ritus aliarum nationum, etiamſi ab Eccleſia Romana diſſentiant, dummodo in alijs Catholicè ſapiant: & hæc de Armenis.

CAPVT XXI.

De Georgianis, (alio nomine Iberis,) & eorum erroribus.

INter cæteras Schiſmaticorum nationes, qui Orientalem regionem inhabitant, non ſunt minoris notæ Georgiani, quorum Prateolus in libro de vitis & ſectis Hæreticorum, verbo *Georgiani*, ritus, mores ac ſimul errores breviter refert.

Georgiani (inquit) ſunt ij, quos *Iberos* appellant Coſmographi, gens barbara & bellicoſa, & quæ (authore *Pio II.* hujus nominis Romanorum Pontifice in ſua *Coſmographia*) Armenico & Medico cultu utitur, Scytharumque more vivit, quorum cognati ſunt & contermini. Habitat enim hæc natio in interiori Armeniæ parte ad ſeptemtrionem, & Euxinum verſus: quam Magnus Pompejus Romano Imperio ſubjecit: ſed ſub Conſtantino Cæſare, Helenæ filio, & Sylveſtro Papa, verbi Dei fœdera & fidem futuri regni ſuſcepit, circa annum Domini 325.

Qui licet hodie Chriſtum colant, procul tamen ab Apoſtolica ſede, veritatis Magiſtra, colunt: & barbaris circumfuſi gentibus, non omnem puritatem Evangelij ſervant. Nam in Sacramentis & alijs pleriſque rebus, Græcorum errores ſequuntur. Eorum Clerici rotundas circumferunt coronas more noſtro, Laici verò quadratas. Illuſtriores illorum mulieres Amazonum inſtar, armis in prælijs utuntur. In officijs Eccleſiaſticis & Scriptis, quidam eorum lingua Græca, alijque Chaldaica utuntur.

Georgiani verò appellantur, à Divo Georgio, quem velut præcipuum patronum, & in ſuis prælijs contra Paganos velut ſigniferum & propugnatorem in genti honore venerantur. Quocunque rendunt, turmatim incedunt, vexillum divi Georgij imagine inſignitum circumferentes, cujus ope & auxilio ſe in bello maximè juvari credunt. Archiepiſcopum habent, qui in monte Sina clauſtrum divæ Catharinæ incolit, cui per omnia, ut nos ſummo Romanorum Pontifici, obtemperant. Cur verò tanto in honore Divum illum Georgium habeant, ſit inde quòd ille primus ad fidem Chriſti Armenos Iberoſque convertit, divinumque dogma apud eos diſſeminaverit: quamvis Ruffinus & Sozomenus *lib. ſecundo cap. ſexto, & ſequenti*, & poſt eos Nicephorus *lib. 8. cap. 34.* mulierem captivam tanti boni illis cauſam præſtitiſſe aſſerant. Quæ cum alias ſemper pudicè caſteque vixerat, tum captiva quoque nihil de pietate ſanctioreque inſtituto remiſit. Nam die noctuque pietatis exercitia exhibebat, jejuniis plurimùm vacabat, continueque precationibus inſiſtebat. Hactenus Prateolus: quam mulierem fuiſſe Barbaris admirationis magnæ, ac ſuo exemplo & oratione, & miraculis, Reginam & Regem illius provinciæ, ad fidei cognitionem perduxiſſe, latius proſequitur idem Prateolus: ſed hæc pro Georgianorum erroribus ſufficiant; hi enim facilè ex his, quæ contra Græcorum errores ſcripſimus, convincuntur.

De Georgianorum ad fidem Chriſtianam converſione, Ruffinus in *Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 1. cap. 11.* à quo omnes alij acceperunt, ut Nicephorus *lib. 8. cap. 34.* Sigibertus in *Chronicis*, Genebrardus in *Chronographia lib. 2.* ſub Sancto Marco Papa I. Supplementum Chronicorum *lib. 9.* qui in eum errorem lapſus eſt, ut putarit Iberiam eſſe, quæ hodie Scotia nuncupatur; cùm revera aliud ſit Ibera in continenti terræ, aliud Iberia inſula prope Britanniam, & tunc aliud Hibernia, ſeu Irlanda Inſula, aliud Scotia, quæ contigua eſt Angliæ, & pars antiquæ Inſulæ Britanniæ.

Eorum converſionem ad fidem per captivam mulierem, præter Ruffinum *ubi ſupra cap. 10.* tradunt Sozomenus *lib. 2. Eccleſiaſt. hiſtor. cap. 6.* Caſſiod.

sioñ. *lib. 3. cap. primo*, Theodoretus *lib primo Eccles. hist. cap. 24.* Nicephor. *lib. 8. cap. 34.* Socrates *lib. primo cap. 16.* & alij post ipsos.

De Schismate Georgianis immisso à Patriarcha Antiocheno, & eorum erroribus Vincentius Beluacensis in *Speculo historiali lib. 30. cap. 93.*

De eorum moribus, & de Catholico pro Patriarcha deputato, & quòd Græco ritu vivant, & de alijs si quis plura desiderat, legat S. Antoninum 3. *parte hist. tit. 19. cap. 8. §. 9. qui §. 10. in fine* agit de odio, quo afficiuntur Georgiani adversus Armenos, de quo supra nonnihil diximus.

Addam verò ea, quæ de eorum moribus breviter retulit Raphael Volaterranus *lib. 21. de sectis Syriæ.* His inquit proximi, sive, ut nonnullis placet, ijdem sunt *Georgiani*, quæ gens & ipsa Christiana, bello fortissima & vicinis formidata, cognominata, ut ferunt, à Divo Georgio, cujus vexillum in bello contra Infideles gestant. Ego tamen non minus puraverim eos esse posse, quos Plinius *Georgos* appellat in ea ferè regione. Igitur ij, quòd procul sint à ritu orthodoxo, aberrant, Græcorum ferè sectantes errores, eadem & in sacris libris lingua utentes. Sacerdotes eorum diro squalore petasati incedunt, crinibus oblongis, barbaque ad pectus promissa, sacrificant etiam more Græcanico, in calice molliunt offam, quam prius Sacerdos ipse cochleari argenteo delibat, deinde volentibus delibandam modo simili præbet. Venêre quondam ad Cottadinum Principem Damascenum, dum nostri obsiderent Damiatam, quæstum, sese, cum Christiani sint, ab eo neglectos, ac inexpugnata tunc Hierosolyma minimè vocatos. Sepulchrum dominicum immunes adeunt ab omni vectigali, cum & ipsi quoque Saracenis vicinis beneficium compensent. Nostra memoria miserunt legationem ad *Pium ij.* Pontificem, cùm è Conventu Mantuano se in Urbem reciperet. Hæc ibi.

Bernardus Lucemburgus in Catalogo Hæreticorum, editione quarta verbo *Georgiani*: Habent, inquit, Archiepiscopum, qui est in Monte Sina in Claustro S. Catharinæ, cui obediunt per omnia, ut nos Domino Papæ. Errores Græcorum sequuntur in Sacramentis & alijs: Clerici eorum rotundas habent coronas, laici verò quadratas: nobiles eorum mulieres more Amazonum armis in prælijs utuntur. In officijs & Scripturis lingua Græca utuntur, alias Chaldaica.

Paulus denique tertius, anno Domini 1545. Regi Georgianorum amanter, ut fidem Catholicam conservet, & Oratores ad Sedem mittat, scripsit, & Stephanum Colynzam electum Nesciovanensem in Armenia, deputavit in Nuntium & Oratorem ad Reges Georgianorum & Armeniæ, ut habentur hodie Bullæ in Secretaria domestica Pontificum. Rex verò ad Pontificem maximum dedit literas sub hac forma.

Miseratione Dei Simeon Rex Cardelij totius Iberiæ, & Orientis.

EXcelse, & splendidissime, & sanctissime, & beatissime Domine noster, Pater noster, & Papa, pastor pastorum, princeps principum, & decimetertie Apostolorum, Pater noster, & Papa magnæ Romæ, aurea tuba, organum Dei inflatum; Petre judex, & clavicularie regni cœlestis, Paule Doctor gentium, qui ascendit usque ad tertium cælum, & raptus est usque ad paradisum, & audivit ineffabilia verba, quæ dici non possunt: totius orbis prædicator, ipsarum Ecclesiarum luminare, ubi sancta, & veneranda sepulcra Apostolorum, ubi requiescunt sanctæ Reliquiæ ipsorum, & Dominator Ecclesiæ Catholicæ, & Gubernator magnæ & illustrissimæ Romæ, sicut Sol, qui vertitur per totum Occidentem, Maxime Princeps Papa Romæ, sicut Sylvester, Regum Vates, Domine & Dominator & Pater spiritualis, Sanctissime Papa, profundam genu flexionem facimus, & salutamus Sanctam dexteram ejus.

Benedictus sit DEUS Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, cum Domina, & pura Matre, filij DEI genitrice Sanctissima. Et si nobis mandas per Sanctitatem tuam, qualiter venit huc Procurator Magnæ Scythiæ Ecmiacensis, Nomine Ter Jacob, & accepimus venerandam Scripturam tuam, sed nos nescivimus intelligere eam, & de ore retulit nobis, quod erat præstantius: gavisi sumus propter honoratissimam, & sanctam tuam Celsitudinem, & Regum laudem, & victoriam, & gloriam, & exultavimus lætitia sempiterna, gratias agentes DEO omnipotenti, & Dominæ nostræ DEI paræ, & Sanctæ Virgini MARIÆ, & Venerandæ, & vivificanti Cruci. DEUS omnipotens, & miserator majorem fortitudinem, & victoriam det nobis, & Christianis ab impijs Agarenis, nobis, & omnibus Orthodoxis populi Christiani, & gloriam, & spem, & consolationem: & confundat eos, qui sunt extra fidem.

Precamur Optimum DEUM, ut sustentet imperium maximæ Sanctitatis tuæ: & per orationes tuas sanctas liberet nos ab injurijs inimici. Et etiam refero sanctitati tuæ, quod beatissimus, sanctus, & à Deo corona datus fuit Rex, & pater meus Chirluar Saphi, ut Sanctitas tua audivit, propter religionem: quoniam propter amorem Christi, impij Agareni occiderunt eum in bello, & accepit Martyrium, & sanguinem suum effudit, & nunquam voluntatem eorum fecit: postremo & nos auxilio Dei accepimus thronum patris nostri, & ex tunc à bellis non cessavimus diu noctuque inter pulverem, & pluvias. Quot bella, & angustias, & mœstitias propter amorem Christi accepimus, & alia mala passi sumus? donec vulnerati fuimus in prœlio, & inclusi fuimus in carcere in manibus Persarum, & DEI voluntate, & auxilio ejus, & per orationes tuas sanctas liberati sumus, & iterum sedimus in throno nostro, & iterum non quievimus à bello, cum Ottomanis feris, & transierunt plura prœlia primis cum Ottomanis, ut opinor, vos audivisse, quot mœrores, & angustiæ? Sed non occubuimus his usque ad caput meum, & vitam meam cum parvulo filio meo, ut effunderem sanguinem meum, propter Crucifixum Christum meum, & Deum meum: donec vixero, non parcam vitæ meæ à bello unum pugillum sanguinem dulcis mei, & Domini mei, & Dei mei non vacuum dimittam. Nunc Christianitas, & totus mundus est in te, & in manibus tuis, ô Domine mi Sanctissime, nunc da virtutem, & auxilium, ut salvetur populus Christianus, Deus rettribuat tibi Regnum Cœleste, & nos cum auxilio Dei, & per pias preces tuas sanctas, donec vixerimus, non faciemus voluntatem Agarenorum. Sed in nos deinceps quis scit, quid velit fieri? Veremur ne convertatur bonitas in insipientiam, & incidamus in impietatem. Ideò refero Sanctitati tuæ, ut scias ex parte mea, quòd benè valeo, & caput meum & vitam meam pono ad

mortem

mortem propter Christianitatem. Et etiam refero Sanctitati tuæ, da auxilium, & misericordiam Christianis, & salva eos à manibus iniquorum. Et precor, & rogo ne nostri obliviscaris in orationibus tuis sanctis omni tempore: Et præcipuè ne obliviscaris scribere nobis, ut sciamus sanitatem tuam, & Populi tui, piorum Christianorum, ut cor nostrum cognoscas: ore suo referet Sanctitati tuæ Ter Jacob Sacerdos. sanctæ orationes tuæ sint nobiscum. Amicus animo, & corpore. Amen Anno 7104. Christi 1546. Idichion 9.

CAPVT XXII.

De Maronitarum natione.

MAronitæ, non ab hæretico nomine *Maron* sunt cognominati, ut falsò sibi Prateolus & alij persuaserunt, sed potius à *sancto Marone*, cujus Monasterij Monachi *Maronitæ* dicebantur, ut accuratè colligit Card. Baron. *Tomo 7. sub annum Christi 518.* ex Synodo quadam Tyri eodem tempore celebrata: ad quam aliqui Archimandritæ contra Hæreticos Eutychianos literas scribentes. Inter hos primo loco habetur subscriptio *Alexandri Archimandritæ Monasterij S. Maronis*, qui Maronitæ dicebantur, omnes professores & defensores tunc Catholicæ veritatis. Et licet postea à fide declinantes anno 699. ab Ecclesia Catholica discedentes, teste Prateolo, Eutycheti, Dioscoro, & Monophysitis hæreticis adhæserint, tandem, abolito diro schismate, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem Catholicam, divino afflante spiritu, redierunt. Celebrata est hæc cum Ecclesia Catholica unio per manus Eymerici Antiocheni Patriarchæ, ac posteà eorum Patriarcha Generali interfuit Concilio Romæ celebrato sub *Innocentio* hujus nominis tertio, circa annum Domini 1215. quare de Maronitis pauca inserenda huic operi existimavi, ut si fortè Evangelici operarij in illum Orientis tractum aliquando pro animabus Deo lucrandis mittantur, morum ac Religionis istius Catholicæ gentis non ignari, illis etiam consulere possint.

Maronitæ igitur, teste Antonio Possevino in *Apparatu*, verbo *Maronita*, Libani montis in Syria incolæ, sub eorum Patriarcha, pietatem ac fidem erga Romanum Pontificem, & sedem Apostolicam, uni ex omnibus Orientis populis sat integram, à tempore *Innocentij iij.* retinuerunt. Eorum Patriarcha, qui dicitur *Maronitarum*, quique appetit Antiochenus vocari, cùm apud sese extet ejus nominis monumentum in antiquis scriptis aliquot, monachus est: (Monachi enim fiunt, nisi & antea sint, quicunque ad Episcopatus evehuntur) & octo, novemve sub se Suffraganeos habet Episcopos. In monte Libano, qui valde protenditur, ac cujus ambitus est septingentorum millium passuum Patriarchæ est sedes in Monasterio, seu Cœnobio, in quo paulo plus viginti Monachi degunt, qui Monachi dicuntur S. Antonij. Abest id Cœnobium Tripoli Syriæ, (ubi Mercatores agunt Turcæ, Judæi, alij, & pauciſſimi Christiani, qui sacellum habent domi) viginti quinque passuum millibus. Porro cùm in monte Libano Civitas nulla, pagi tantum, & hi frequentes, neque exigui sint, omnes Catholici sub unius Patriarchæ spirituali ditione vivunt. Duos Principes, sive Præfectos habent, qui Diaconi (licet Laici) ab ijs vocantur, quique Juri dicundo ijs præsunt, quique Christiani & pij sunt. Tributa pendunt Turcis pluſquam ferre possint. Singuli verò, ubi ætatem duodecim annorum excesserint, singulis annis 17. aureos numos, è solo autem sive agris pro singulo spatio, quod sexdecim Spithamas complectitur, aureum quotannis Turcis Quæstoribus pendunt: quod tributum nisi certo die persolvant, agri ijs demuntur, aut jactura ingenti bonorum patiuntur. Cumque eam ob causam Turcæ minitati fuissent, incolas sese missuros Turcas, qui partem illam agrorum, quæ vacua maneret, excolerent, duobus millibus alijs aureis in singulos annos pacti sunt Maronitæ, sese vexationem illam, sive Turcarum commercium redempturos, sic integri ab omni Turcarum consuetudine vivunt. Et verò Maronitæ, non solùm in Montis Libani tractum, verum etiam Damasci, Aleppi, & in aliqua Cypri parte sic vitam agunt, ut Patriarchæ suo obediant, & ritum, qui apud eos est Catholicum simplici ductu, & singulari propensione sequantur. Excommunicationem, quo uno spirituali gladio Patriarcha sæpè uti cogitur, ut homines vel à peccatis arceat, vel in officio contineat, magnopere verentur ac metuunt.

Cæterum apud Patriarcham diligenter asservantur diplomata Pontificia Romanæ Sedis, jam inde usque ab *Innocentio* iij. ac deinceps à reliquis Pontificibus, qui ad eos vel Legatum, aliquando Cardinalem S. Marcelli, vel alios miserunt: cumque in litteris Pontificijs olim admoniti fuissent Maronitæ, una cum Græcis, ne aliquos errores tenerent, sed abjicerent; factum est, ut à quibusdam, qui eò ex Urbe commigraverant, existimaretur, ijsdem Maronitas erroribus teneri, quibus plerique Græci implicarentur; nimirum processionis Spiritus Sancti à Patre damnatæ, negationis Purgatorij, & aliorum ejusmodi dogmatum. At Maronitæ ingenuè non solùm testati sunt, ab ijs erroribus se esse alieniſſimos, verum etiam plura in suis libris, ac liturgijs demonstrarunt, quibus & Catholica dogmata constanter tuentur, & re ipsa in anniversarijs cæteriſque defunctorum officiis crebri sunt.

Quin etiam cùm astu Jacobitarum, apud quos non paucæ sunt hæreses, varij libri disseminati fuissent inter Maronitas, accidit, ut qui eos reperit, dum ex Urbe missus est, putaret Maronitarum esse errores, qui revera sunt Jacobitarum. Quamobrem conquesti sese purgarunt, & noviſſimè professi sunt omnem fidem, atque obedientiam *Clementi VIII.* Pont. Max. qui ad eos allegavit duos Sacerdotes ex Patribus Societatis, simul cum Episcopo, quorum primus fuit Hieronymus Dandinus Theologus, doctus & perspicax, qui etiam generalem confessionem per interpretem excepit unius ex illis 2. Diaconis, cui & Eucharistiam sub una specie porrexit, cum sub duabus soleant communicare.

Hujus autem missionis à Pontifice Maximo ad montem Libanum causa fuit, ut oculis ipsis cerneretur, num, qui sumptus in Urbe alendo seminario Maronitarum fierent benè ponerentur: quæve spes aut restituendæ, aut propagandæ Religionis Christianæ in eo esset tractu.

Missus à Pontifice per eundem Dandinum ad Patriarcham apparatus integer holosericus aureus, ad Sacrum Patriarchali ceremonia

& in-

& indumentis faciendum. Missæ item variæ cistæ librorum Chaldæa lingua cusorum in urbe, quibus eæ liturgiæ, quæ sunt S. Jacobi, Sancti Petri, & S. Sixti Pontificis Max. recitari possent, cum in eo tractu nulli essent libri, nisi manu scripti, & hi vel laceri vel erroribus fortè aspersi. Missa item, quæ dicuntur Officia, eadem lingua, ad Deum, ac Beatissimam Virginem orandam. Nam Chaldæa tantum lingua sic in sacris utuntur, quemadmodum nostri sacerdotes Latina: itaque habentur inter eos docti, qui Chaldaicam linguam callent, licet aliis disciplinis exculti non sint, præter eos alumnos Sedis Pontificiæ, qui ex Urbe eò missi sunt, quorum alter jam hujus Patriarchæ coadjutor est creatus, & factus Episcopus, uti & alter alterius Episcopatus. Communis porro eorum lingua est Arabica, homines robusti, & magno animo, & qui non minimi momenti futuri sperantur, ad rem Christianam bene gerendam.

Abusus autem potius quidam, quam errores in dogmatibus irrepsêre apud Sacerdotes illos Montis Libani, qui ut efficacius atque suavius amoverentur, rogavit Patriarcha, ut id mandato summi Pontificis fierer. Hoc enim nomen summo apud ipsos est in honore, ut facilè omnes essent obtemperaturi.

Et verò argentei calices à Pontifice Maximo, & instrumenta ferrea ad conficiendas hostias, & vestes aliæ sacræ pro alijs sacerdotibus missæ sunt, ac per eundem P. Dandinum illatæ, quæ omnia gratissima fuerunt.

Commoratus est duobus mensibus in Monasterio Patriarchæ ipse Pater Societatis Jesu cum Socio Sacerdote: quo tempore cum senex Patriarcha, qui jam professionem fidei, & obedientiam summo Pontifici dederat, diem obiisset; alter per Synodum, ut solent, suffectus est, qui eandem fidei professionem & obedientiam præstitit. Patribus autem Societatis officium, quod poterant humanitatis exhibuêre Patriarchæ, & Monachi, licet hi vivant parcè, vixque obsoniis utantur alijs, præter orizam, jusculà, herbas: vinum autem bibant tantummodo festis, aquam profestis, humi edant: noctu vero & interdiu, cum matutinas, & reliquas horas diebus festis recitant, confluunt populi. Sacerdotes castè & cælibes vivunt, sed nullis studijs literarum addicti: quod reliquum habent temporis, id præstant culturæ in agris, sive ut operarios ad laborem hortentur, sitque unde & cibus percipi, & tributum persolvi possint. Porrò quæ ibidem ab eodem P. Dandino fuere constituta, priusquam inde discederet, hæc ferme sunt.

Nullus, saltem junioris ætatis, ad Sacerdotium admitebatur, qui uxorem non duxisset. Cùm igitur à P. Dandino declaratum esset, conjugiũ sacerdotibus in aliquo Orientis tractu licet usurpatum, non fuisse tamen unquam ab Ecclesia imperatum, statutum est, ne in posterum quisquam ad id cogatur, sed liberè qui in cælibatu vivere velint, sacris initientur.

Nulla Concio de rebus ad spiritum attinentibus habebatur, sed solum quibusdam diebus festis aliqua Homilia alta voce recitabatur. Decretum est, ut aliqui ex doctioribus decernantur, qui singulis diebus festis panem esurienti populo frangant: ad quod præstandum ij præcipuè sunt idonei, qui ex Urbe Roma alumni ad Montem Libanum jam redeunt. Quorum etiam munus erit, summam aliquam Catuum scribere, quæ varijs in locis à doctioribus Sacerdotibus, alijs indoctioribus explicentur; ut hac ratione omnes in laicis instituendis, & expiandis unanimes sint. Jamque unum ex Alumnis huic muneri assignaverant.

Cautum porro fuit, ne quis alio Missali utatur, quàm ex ijs, qui missi sunt à Romano Pontifice, vel certè ex antiquis ij tantùm in usu essent, qui à Patriarcha erunt propria manu subscripti; & uni ex suprædictis Alumnis demendatum fuit, ut eos diligenter inspiceret, atque expurgaret erroribus, quibus à Jacobitis fuerant aspersi.

Cautum item, ut reliqui libri examinarentur, quive minus Catholicæ veritati consoni viderentur, apud Patriarcham asservarentur.

Cùm alicubi pueri ad Eucharistiam admitterentur, cautum est, ne posthac ante usum rationis admittantur.

Nullus Casus erat reservatus. Aliqui igitur graviores, tum Episcopis, tum ipsi etiam Patriarchæ reservati, ut magis in officio quisque contineretur.

Religiosi Regulares cum liberius viverent, de disciplina Ecclesiastica in Synodis actum est: Patriarcha pollicitus est, se curaturum, ut ea restitueretur.

Cæterum Montis Libani fœminæ sunt verum honestatis exemplar, vestitus earum modestus: si cui ignoro viro obviam fiunt, vel aliò fugiunt, vel certè faciem quam solam detectam ostendere solent, omnino contegunt. Dum divinis officijs intersunt, prorsus à viris separatæ in Ecclesia manent, in ea videlicet parte, quæ est propè ingressum, ulterius procedentibus viris: ablutisque Divinis officijs, illæ primum è templo exeunt. Quare non prius viri è suo loco moventur, quàm illæ omnes discesserint.

At verò tam mulierum, quàm virorum modestia, & continentia ex hoc uno maximè conjectari potest, quòd in toto Monte Libano nulla muliercula reperitur, quæ turpi lucro operam navet, neque tamen adulteria, aliave contra honestatem vitia audiuntur. Ex quo facilè dignoscitur, quam facilè sit juvare in Domino nationem tam Romanæ Sedi devotam, & incontaminatam, si ad illam operarij mittantur.

CAPVT XXIII.

Hæreses præcipuæ, quæ Iacobitis, Cophtis, Abyssinis & Armenis attribuuntur.

REstat jam, ut ad ea, quæ supra de commemoratis hæresibus attigimus revertamur, ac renovandæ memoriæ causa, brevius strictiusque præfatos errores repetamus: quo scilicet & intelligantur iterata planiùs, & firmius inculcata teneantur: recensebimus tamen illos præcipuè, in quibus nationes istæ consentiunt: his enim, qui aliorum sunt veluti fundamenta, destructis, facillimo negotio alij infirmabuntur.

Inprimis ferè omnes non firmiter sentiunt, de Primatu Romani Pontificis; veramque Ecclesiam apud Cophtos, Jacobitas, Armenos, & Abyssinos esse tantummodò credunt.

2. Con-

2. Concilium Chalcedonense contra Eutychem & Dioscorum congregatum damnant, & anathematizant simul cum *S. Leone* Pontifice: quatetria tantum Concilia admittunt; & quamvis Eutychem rejiciant ut hæreticum, Dioscorum tamen amplectuntur, eique divinos conferunt honores.

3. Jacobitæ, Cophti, Abyssini, & ex Armenis quamplurimi simul colunt Baptismum & Circuncisionem.

3. Sacramentum Confessionis auricularis, ut est apud Ecclesiam, Confirmationis, & extremæ Unctionis fere non agnoscunt. Matrimonium verò ex levi causa dissolubile confitentur.

5. Legem veterem cum nova observandam tradunt.

6. Purgatorium, nec pro defunctis preces admittunt; nec Beatos ante Judicii diem ad Paradisum evolare credunt, & tunc negant DEUM facie ad faciem, sed claritatem quandam, & splendorem divinum visuros.

7. Animas rationales non de novo creari à DEO, sed per seminalem propagationem, ex potentia naturæ educi, sicut & animas brutorum affirmant.

Hi sunt Ecclesiæ Orientis errores præcipui & communes: ut nunc Nestorianorum omittam blasphemias, contra quos brevissimè agemus. Non enim opus est, singulos discutere errores: destructis enim primis adversariorum principiis, necesse est, ut totum corruat ædificium.

CAPVT XXIV.

De Concilio Chalcedonensi admittendo, ac de abjurando Dioscoro.

COntra Chalcedonense Concilium acriter ferè omnes Schismatici Orientales invehuntur, illudque damnare, & anathematizare non verentur: & quamvis Eutychem, hæreticum censeant, Dioscorum laudant, eumque Eutychiana hæresi minimè infectum, ac injustè damnatum à Chalcedonensi Synodo rationibus infra adducendis contendunt.

Contra horum verò Schismaticorum impiam blasphemiam, quæ altas in eorum animis egit radices, ac ob id radicitùs evellendam, primò constituendum est, ut certum de fide Catholica, Concilium Chalcedonense, in quo Eutyches & Dioscorus fuerunt damnati, fuisse in Spiritu sancto legitimè congregatum, totam repræsentans Ecclesiam, quæ in dogmatibus fidei errare non potest, ac proinde ab omnibus Fidelibus esse necessariò acceptandum, ac credendum. Singulæ hujus assertionis partes hac ratione confirmantur; quia tunc perfectè, debitè ac legitimè congregatur Concilium generale, quando Romani Pontificis authoritate convocantur omnes, quorum interest de re illa definire: quod constat ex antiquissimo Canone Concilii Nicæni, quo statuitur præter sententiam Romani Pontificis non posse generalia Concilia celebrari. Fuit autem Concilium Chalcedonense à *Leone* Sanctissimo Romano Pontifice congregatum convocatis 630. Episcopis totius orbis Pastoribus.

Præterea neque defuit ratio urgentissima, ob quam Concilium debuit congregari, nempe hæresis Eutychiana, quæ impudenter asserebat, Christum Dominum ante adunationem, ex duabus constare naturis: post adunationem verò unam tantùm naturam confitebatur: quæ hæresis à Dioscoro Episcopo Alexandrino approbata fuit in Pseudosynodo Ephesina: quare opus fuit, huic tam gravi vulneri Orientali Ecclesiæ ab hostibus fidei inflicto, aliquod remedium adhiberi per generale Concilium, à summo Pontifice congregatum. Igitur fuit legitimum Concilium, in eoque adfuit Spiritus sanctus: nam si ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine Domini, ibi Dominus est in medio eorum, ut *Matth.* 18. dicitur: quanto magis, si congregentur sexcenti & triginta in nomine Domini: & ut ita dicam, omnes totius ferè Ecclesiæ Pastores?

Hoc autem nequaquam dici potest de Concilio Ephesinosec undo: nam & defecit authoritas Romani Pontificis, & ita fuit acephalum, & veluti corpus sine capite. Defuit etiam forma, nempe Episcoporum consensus, quia fuerunt coacti vi armorum: Nam cum Dioscorus, qui in eo conventu præsidebat, infanda Eutychetis acta legisset ac approbasset, atque in sui defensionem allegaret, quòd tota illic congregata Synodus, secum tam in depositione Flaviani, quam in omnibus aliis, quæ ibidem decreta sunt, consensisset; omnes Orientales Episcopi trementes ad dicta Dioscori exclamarunt dicentes, *quod Dioscorus dicit falsum est; nullus voluntariè consentit.* & addiderunt, *violenta facta est vis in plagis, in pura charta subscripsimus, minabatur nobis mors, minæ exilij tendebantur. Milites cum fustibus & armis instabant, timebamus & fustes, & gladios. Ubi gladij & fustes, qualis Synodus esse potest? Milites propter hoc accepit Dioscorus, ut nos terreret, unde quicquid egimus terrore compulsi egimus; peccavimus tamen, omnes veniam postulavimus, quia per vim & necessitatem in pura charta coacti fuimus subscribere.* Imo cum dicerentur in exercranda illa Synodo hæc verba, Confitemur ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post verò adunationem unam naturam (verba fuerunt ista à Dioscoro recitata, & approbata) Omnes Orientales qui tunc astabant Episcopi clamarunt: *Anathema ei, qui dicit ista*, hæc Dioscori sunt, ista Pharaonis sunt.

Deinde quæri potest à sectatoribus Dioscori, cur prima tria Concilia recipiant, cur non etiam quartum, cum quatuor primis Conciliis, perinde ac quatuor Evangeliis, teste *D. Gregorio* Papa, Fides adhibenda sit, ab omnibus Fidelibus: fortasse tunc Ecclesia, cujus authoritate tria priora Concilia congregata sunt, periit, aut potestatem amisit, aut fortasse defuit aliquid in hoc Concilio, quod in solis primis tribus inveniri potuit? At quid illud est? Conferamus Concilium primum, secundum, vel tertium, cum quarta Synodo Chalcedonensi: in tribus prioribus adfuere Episcopi undique vocati, adfuerunt & in quarto: in primo legati sedis Apostolicæ, adfuerunt & in quarto: in primo adfuit Imperator Constantinus; in quarto Martianus per legatos suos: in primo dictum, *Anathema Ario*, in quarto dictum est, *Anathema Eutycheti & Dioscoro*, illosque ut manifestos hæreticos detestata est. Igitur si in primo creditis adfuisse Spiritum sanctum, cur non idem credetis de quarto, nisi dicatis Spiritum sanctum Ecclesiam deseruisse, qui missus est, ut doceret Domini veritatem. Fruſtra igitur recepit tria priora Concilia, qui non recipit quartum, quintum, sextum, & omnia alia legitimè celebrata, cum eadem sit de omnibus ratio. At dicunt, Rem novam, & inauditam, Patrumque sententiæ contra-

riam, Chalcedonensis Synodus decrevit, & ideò à Catholicis non admittenda : sed quæ fuerit SS. Patrum testimoniis decreta Chalcedonensis Synodus, clariùs ex dicendis infra constabit.

Secundò, Indubitatè tenendum est Dioscorum justissimè à Concilio fuisse condemnatum, & ut nunc omittam alia, quæ de Dioscoro dici possent, tantum ea hic proferam, quæ in Actis Concilii Chalcedonensis relata fuêre.

In tertia actione Concilii Chalcedonensis accusatur Dioscorus ab Eusebio Dorilei Episcopo, qui interpellat Sanctam Synodum, ut sceleratissimum dogma Dioscori anathematizare dignetur, ipsum etiam compellere, ut coram Concilio compareat. Rursus accusatur à Theodoro Diacono Ecclesiæ Alexandrinæ, primum de homicidio, secundo de blasphemia in sanctissimam Trinitatem. Deinde quia cum Origene consenserit, & quòd in Ecclesia ejus fuerit. Postremò quòd excommunicationis sententiâ contra sanctissimum Apostolicæ Sedis Romanæ LEONEM Pontificem Maximum protulerit. O rem inauditam! posito, sed non concesso, quòd S. Leo, cùm Eutychianam hæresim destruere conaretur, malè fecerit, num ideo ab Episcopo, se inferiore, poterit excommunicari ? Si par in parem non habet imperium, quanrò minus inferior contra superiorem.

Legimus in antiquis rerum Ecclesiasticarum historiis de Marcellino, qui cum Romanus esset Pontifex Vigesimus octavus à S. Petro, & convictus esset quòd coram Tyranno ob mortis metum thus obtulisset in templo Isidis, ad Concilium venit ducentorum Episcoporum, cinere conspersum habens caput, ac clara voce dixit : peccavi coram vobis. Responderunt Episcopi, & Presbyteri omnes : Nemo unquam judicavit Pontificem, quoniam prima Sedes non judicatur à quopiam : Tu ipse eris Judex, ex te condemnaberis : tanta semper fuit, est, eritque auctoritas, & dignitas Romani Pontificis, ut omnes Episcopi non fuerint ausi talem Pontificem ob mortis metum peccantem condemnare, nec excommunicare. Qualis quantusque fuit Dioscorus, qui tam temerario & nefario ausu ac spiritu ductus, præsumpsit primam Sedem, quæ nunquam à quoquam judicati potuit, nec poterit, injuria afficere. Meritò quidem contra eum indignatus est Dominus & percussit, sicut quondam Oziam, manum suam ad Arcam extendentem; sed hæc omissa taceamus.

Quid plura de Dioscoro dicam ? Iterum, atque iterum accusatus ab Ischirione Diacono, producente alium libellum contra ipsum, qui sic incipit: *Sanctissimo ac Beatissimo Universali Archiepiscopo, Patriarchæ magnæ Romæ LEONI, & sanctæ Universali Chalcedonensi Synodo* : ubi de innumeris criminibus Dioscorus accusatur.

Præterea productus est alius libellus adversus eundem per Athanasium Presbyterum de immanibus sceleribus. Item Sophronius Laicus eum accusavit publicè coram Concilio & præter alia accusavit illum de adulterio, & quod miquè desiderio captus suam uxorem rapuerat : quibus criminibus à Dioscoro patratis, ac à sancta Chalcedonensi Synodo auditis, perpensis, & examinatis, verisque inventis, vocatus Dioscorus ad Concilium, primò per Notarium ejusdem Synodi, ut ad prædictas accusationes responderet : ille tamen ægritudinem simulans, noluit venire.

Vocatus est secundo, directis ad eum à Concilio litteris, missis tribus Episcopis; qui commonefacerent illum, ut veniret, & satisfaceret iis, quæ in Concilio de eo ingerebantur, quo adhuc renuente, iterum directæ sunt literæ à Sacro Concilio ad illum, quibus jam tertiò vocatus est, ut in sacrum illud Concilium veniret ad satisfaciendum simul & Reverendissimo Eusebio Episcopo, & iis quæ tunc illi ingerebantur. Alias, si post tertiam (dicti Patris) hanc regularem vocationem, ex omni parte nullam habentem suspicionem, advenire distulerit, præsens sancta Synodus ad illum veniet modum, quem contra contumaces, & contemptores Synodalis vocationis sumere solet.

Dioscorus vero cum in sua adhuc pertinaciæ perseveraret, ac perseverans permaneret, sanctissimus Archiepiscopus magnæ Romæ LEO per Paschasinum Episcopum, Lacentium Episcopum, Bonifacium Presbyterum, tenentes locum ejusdè Sanctissimi Pontificis Romani, & per præsentem sanctam Synodum, unà cum ter Beatissimo, & omni laude digno Apostolo, qui est petra & cardo Ecclesiæ Catholicæ, & rectæ fidei fundamentum, Dioscorum Episcopali dignitate nudavit, & omni sacerdotali orbavit ministerio. His peractis Sacratissimum Concilium misit ad Valentinianum ac Martianum Imperatores, rationem reddens de his omnibus, quæ in his actionibus gesta sunt, in depositione Dioscori, hujus causas in eadè Epistola breviter complectens, ut Dioscori malitiam, & in eum prolatæ justæ sententiæ sinceritatem considerarent. Propterea miserunt Patres & aliam epistolam ad Pulcheriam Augustam, quæ idem continebat argumentum. Concordes omnes fuerunt, ac sanctissimi Concilii sententiis consenserunt : & præcipuè Anatolius Archiepiscopus Constantinopolitanus firmissimo consensu confirmavit & approbavit, quæ Legati Sedis Apostolicæ circa sententiam hanc decreverunt. Imò cum extaret quædam epistola Pseudoprohimadriarum hæreticorum, quam protulerunt in Concilio pro restitutione Dioscori, & hæc legeretur, omnes Episcopi dixêre, *Anathema Dioscoro*, Dioscorum Christus deposuit, istas foras mitte petitiones, istas Synodum audire non licet : quem ergo talis ac tanta Synodus reprobat, & quem Dominus incommunicabilem suis Fidelibus reddidit, quomodo, qui eum recipit, ingens piaculum non commiserit, & palam se Christi hostem declaraverit.

Pro confirmatione vero Chalcedonensis Synodi, ac Dioscori impietatis hic inferendam duximus partem cujusdam elegantissimæ collationis habitę agente Imperatore Justiniano, quâ adducit Card. Baron. *Tom. 7. Anno Christi 532.* inter sex Episcopos Monothelitas ex una parte, ac quinque Episcopos veritatis Catholicæ propugnatores ex adverso stantes, ubi Archiepiscopus Hyparius Catholicus, Monothelitas Severi Sectatores, (qui in collatione *Contradicentes* nuncupantur,) qui jam Imperatori scripto sententiam suam tradiderant, sic post collationis initium alloquitur : Chartulam illam pervidimus, in qua tam suprà, quàm infrà Chalcedonense Concilium crimina missi, quod adversus Eutychianam est hæresim congregatum. Propter quod dicite nobis, qualem opinionem de Eutyche habetis? Orientales dixerunt tamquam hæreticus, magis autem princeps hæresis. Reverendissimus Episcopus dixit : De Dioscoro verò, & secundo in Epheso Concilio, quod ab ipso congregatum est, qualem? Orientales : Tamquam Orthodoxorum. Episcopus dixit : Si Eutychem velut hæreticum condemnatis, quemadmodum Dioscorum, & cum eo congregatos, Orthodoxos dicitis esse, qui Eutychen quidem hæreticum justificarunt, Flavianum verò, & Eusebium condemnarunt? Orientales : Eutychen tanquam acta forsitan

pœni-

pœnitentia justificarunt. Episcopus: Si ergo pœnituit Eutyches, quemadmodum illum anathematizatis? Illis verò ad hanc responsionem hæsitantibus; rursus Episcopus: In tantum non pœnituit, quin & antequam implerentur, quæ in Constantinopolitana urbe adversus eum gesta sunt, illum quidem tanquam orthodoxum justificarunt, Flavianum verò, & Eusebium tanquam hæreticos condemnarunt. Si enim pœnituit Eutyches, rogari oportuit eos, non condemnari. Ut autem dicamus secundum vos, confessionem duarum naturarum esse hæreticam: quam exigebat Eutyches confiteri ab Eusebio & Flaviano, docebat Dioscorus laudare eum tanquam non susceptam duarum naturarum confessionem. Ut autem Consubstantialem Patri secundùm divinitatem, & consubstantialem matri secundum humanitatem, dicere oportuit: Cum omni subtilitate exigere eum, ut confiteretur, & nisi hoc fuisset confessus, susci pi non oportuit. Dioscorus verò non solum quia non exigit ab eo consubstantialis confessionem, sed magis consentit contrariæ ejus, & perversæ confessioni, quæ dicit: Ante unitionem quidem ex duabus naturis confiteor: post unitionem verò, unam naturam. Et compulit omnes, qui cum eo erant vociferari: Eutychen quidem Orthodoxum esse, Flavianum verò, & Eusebium impios & hæreticos. Quid ergo vobis de istis apparet?

Contradicentes dixerunt: Revera oportuit exigi Eutychen à Dioscoro consubstantialis confessionem: sin autem sine ista susceptus est, & justificavit, cæcitatem passus est idem Episcopus. Si ergo illum cæcitatem passum esse fatemini, ea quæ superius dicta sunt, repetamus. Orthodoxum, aut hæreticum Eutychen dicitis fuisse? Contradicentes dixerunt, hæreticum: & Episcopus, Justè ergo ab Eusebio accusatur: condecenter verò à Flaviano condemnatus est. Contradicentes dixerunt: Injustè. & Episcopus: Si ergo justè à Flaviano condemnatus est; injustè & irrationabiliter suscepit eum Dioscorus, & cum eo congregatum Concilium, an non? Contradicentes, Proculdubio apparet quod injustè. Episcopus: Quoniam ergo totum illud universale Concilium, quod cum Dioscoro congregatum est, consensit, sicut vos ipsi fatemini, injustitiæ & cæcitati: Oportebat Universalis illius Concilii injustitias & cæcitates ab altero universali emendari Concilio, an non? Contradicentes dixerunt: Modis omnibus ita fieri oportebat. Episcopus dixit: Chalcedone itaque justè congregatum Concilium est, ut ea, quæ Universale Concilium deliquerat, vel sicut vos dicitis, minus viderat, ab Universali Concilio corrigerentur. Contradicentes dixerunt: Benè quidem, & necessariè congregatum est, si & justum finem susceperit.

Et infra. Ante omnia inquiunt Contradicentes: Peccavit Concilium tradens duarum naturarum novitatem, &c. Contendunt enim hæretici Concilii Sanctiones Beato Cyrillo, Athanasio, ac aliis Patribus fuisse contrarias: sed Catholici manifesto ostendunt Chalcedonensis Concilii doctrinam Conciliis & Patribus valde consentaneam.

Plura alia Collatio illa scitu digna continet, quæ brevitatis gratia omitto.

Constat igitur ex hac collatione apertissimè ratio, ob quam fuerit damnatus Dioscorus. Sed demus Dioscorum fuisse virum sanctissimum, qualem sectatores suorum dogmatum mentiuntur, inhærendumne erit unius Dioscori sententiæ, an potius standum tot Sanctis in Christo Patribus congregatis?

CAPVT XXV.

Solvuntur objectiones Schismaticorum contra Concilium Chalcedonense.

LEontius Byzantius, Monachus Orientalis, in nova Lauta S. Sabæ propè Hierosolymam, ut Antonius Possevinus *Tomo 2. Apparat. Sac.* verbo *Leontius* tradidit, acerrimè contra Eutychianos, Nestorianos, & Severum hæreticos scripsit: Idem ipse *Apologiam* edidit contra eos, qui Synodum Chalcedonensem calumniantur, & licet librum peculiaremque Tractationem, qui inscribitur, *Solutiones argumentorum Severi* ediderit, in prædicta vero *Apologia* breviter hæreticorum argumenta contra Synodum Chalcedonensem solvens, eam ut par erat viro Catholico, laudat dicens: *Quia nonnulli à Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia recedunt, propter causam, quæ magis eos cum Ecclesia conjungere debebat, cum non possim ferre ut membrum* nullum necessarium à nobis avelleretur, *existimavi opera pretium esse, suspiciones quasdam ipsis de Synodo Chalcedonensi injectas, tanquam vaporis quosdam excitatos dissolvere, ne quis mendaciis contra Sanctos Patres anticipatus, ab spirituali matre sua, & nostra, ab Ecclesia inquam communi abstraheretur. Conantur enim accusare Synodum Chalcedone voluntate DEI coactam, tanquam non rectè habentem, sed potius novitatem novorum dogmatum introducentem, & hac simulatione usi se ab Ecclesia separant, quos quidem conabimur docere, si tamen doceri volunt, non rectè eos sentire; nec justè ad hanc calumniam moveri. Omni igitur patrocinio prætermisso, illud solum & primum dicimus, quod Sancta Synodus in omnibus cum Synodo Nicæna convenire cernitur; item cum Synodo Constantinopolitana 150. Sanctorum Patrum, in quibus de perfecta dogmatum cognitione certarunt & victoria parta coronam tulerunt; atque ita quidem convenit, ut cum sententia etiam verborum ipsorum ordinem servet, & hac tanquam leges quasdam fixas & stabiles, quæ dissolvi non possunt, sequitur, procul fugiens ab insania Eutychis, & blasphemum os Nestorij longè abjiciens cujus audaciam accusat sicut sapientes illi, & fidei defensores. Quod verò ita sit, & Patres illi revera hoc certamen susceperunt, ut in commune lucrum conferrent, ex ipso argumento, & materia licet intelligere, & datum testimonium producere, omnia enim ipsorum SS. Patrum collegimus, & cum illis ex Synodo inter se collata, iis qui veritatem rectè exigere, & dignoscere voluerint, proposuimus. Attendentes igitur ea, quæ in Synodo dicta sunt, facilè demonstrationem capietis, ne minimum quidem Synodum Chalcedonensem à recta sententia Sanctorum Patrum discessisse.*

(Exponit deinde fidem quam Sancta Synodus adhærens Patrum vestigiis, præcipuè B. Cyrilli Alexandrini, professa est, & infra addit.) *Cum hæc ita sint, & res ipsæ ferè vocem emittant, & clament, quis jam contentiosus* εἰ δέ τι ἀπρόοπτον, *& accusans reprehendet, quæ fortiora sunt, quam ut reprehendi possint, & Synodum criminabitur, quæ cum iis quidem, qui nihil sani afferunt, pugnat, cum Nestorio inquam, & cum Apollinario, & cum iis, qui cum illis sentiunt; veros autem Doctores, & Orthodoxos diligit, & adjuvat Cyrillum, & similes; divinasque regulas nunquam transit; neque quicquam novum aut proprium parit, quin potius antiquis*

inhaeret tanquam cuidam fundamento immobili, & ut breviter dicam, quæin Synodo Chalcedonensi acta sunt, per omnia cum sanctis Patribus Concilij Nicani consonant, ut ipsa demonstrant. Quæ illi sanxerunt Patres Concilij Chalcedonensis ab illis sancita exposuerunt, & interpretati sunt, & se unam fidem scire pradicaverunt, & unum Symbolum, & solum, quod illi tradiderunt, & definierunt praluxisse rectam fidem, & omni reprehensione carentem à sanctis Patribus Synodi Nicænæ expositam & editam, & hanc ἀπαρεγχείρητον, id est, intactam manere jusserunt; & hoc Symbolo ab illis edito, eos qui ab errore, aut alia opinione converterentur, & saltem consequi vellent, armari & erudiri mandarunt. Hinc igitur liquet eum, qui cum hac Synodo pugnat, bellum cum Nicæna Synodo suscipere. Reperitur etiam contradicere sancto Cyrillo: illius enim sermonibus Patres hujus Synodi gloriantur, & in omnibus cum fide ejus & verbis consonant, ac consentiunt. Postquam igitur docuimus Synodum Chalcedonensem per omnia cum sanctorum Patrum dogmatibus convenire, nihilque ab eis alienum habere cognoscamus, quæ sint, & quales hæreses, quibus hæc Synodus repugnat, & quantopere certat pro impiis dogmatibus dissolvendis. Sic autem cognoscemus.

(Et post pauca Acephalorum argumenta dissolvit dicens) *Sunt præterea quædam alia, quæ Acephali contra Synodum Chalcedonensem objiciunt, quorum etiam meminisse oportet. Ajunt non debere recipi Synodum Chalcedonensem, quia quum ea congregati sunt, erant judicio inconstanti, & à se dissentientes: ijdem enim Byzantij Eutychem ejecerunt, & hunc Ephesi cum Dioscoro receperunt, ejecto Flaviano: Et rursus ijdem Chalcedone Flavianum receperunt, Dioscorum verò ejecerunt. Ad hoc dicimus, non oportere cogitare, quæ hominibus evenire solent, multis enim sæpenumero hoc accidit, & fortasse, qui existimatione præstant. Cæterum, & si quinque, aut amplius, vel etiam triginta, ex sexcentis reperti sunt, ut dicitis instabili sententia & judicio, non propterea oportet Synodum sexcentorum virorum repudiare, quandoquidem iidem Ephesi etiam cum Dioscoro congregati fuerunt; neque tamen propter eos Synodum talem Ephesinam repudiatis.*

Rursus ajunt, si, ut Anatolius Constantinopolitanus dixit, non propter fidem depositus est Dioscorus, *sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni, & tertio vocatus est & non venit; quare non recipitis eum? Resp. Dioscorum manifestè fuisse hæreticum, nam in illo Concilio Ephesino approbavit Eutychetis errorem, ut latius in fine superioris capitis ostendimus. Ideo autem dixit Anatolius Dioscorum non fuisse damnatum ob fidem, quia ipsa damnatus non fuit, quod erraverit in Concilio Ephesino secundo, sed quod parere noluerit in Chalcedonensi, cum ter fuisset vocatus. Ut enim constat ex Nicephoro* lib. 15, Historiæ cap. 4. *& ex ipso Concilio Chalcedonensi* actione prima *post Epistolam Imperatoris ad Dioscorum, ipse initio interfuit Concilio Chalcedonensi, & ibi seipsum excusavit, quod solus non fuerit in Synodo Ephesina secunda, & quod vi potius, atque ignorantia, quam voluntate condemnaverit Flavianum, & secutus fuerit Eutychetem: sed ab aliis Episcopis, qui Synodo Ephesinæ secundæ interfuerunt, falsitatis convictus est: & illi quidem venia petita a sui erroris, in Concilium admissi sunt: Dioscorus vero interfuit sanè actioni primæ Concilij Chalcedonensis, verum cum multa ei alia crimina in* actione tertia *objecta fuissent à Concilio, ut colligitur ex Nicephoro* loco citato, *& ex Liberato* Cap. 13. *Breviarij, ter etiam vocatus ægritudinis causam prætendens, parere noluit, neque ad Concilium redire, atque ea de causa depositus. Hoc idem colligitur ex actione 16. ejusdem Concilij in exemplari Paschasiani, quod est in fine actionis. Legatur etiam Eusebius* lib. 15. cap. 30.

Rursus ajunt, quod hæc Synodus hæreticos recepit, & non licet recipere ipsam. Hoc autem dicunt de Theodoreto, & Iba, dicimus, non prius Synodum eos recepisse, quam Nestorium anathematizassent.

Rursus dubitant, quare non petierunt à Theodoreto, ut quæ contra Cyrillum scripserat anathematizaret, respondemus, non oportere eos Synodum de hoc accusare, sed sanctum Cyrillum; *is enim cum in communionem cum in Orientalibus, & cum ipso Theodoreto venisset, non petivit ab eo, ut quæ scripserat anathematizaret. Quod igitur non fecit S. Cyrillus, non debet accusari S. Synodus, non fecisse, tametsi id quod non fecit ille, fecit hæc, cum ab eo petierunt ut Nestorium anathematizaret. Quod si demus hæreticos fuisse illos, neque sic propter hoc Synodus est repudianda. Siquidem & Synodus Nicæna septem hæreticos recepit, qui & antea Arriani fuerant, & postea in hæresi perseverarunt, neque propter hanc causam dicitur Synodus centum undecim Patrum, sed centum sedecim. Siquidem & Juvenalius Episcopus Hierosolymitanus, & alij multi Episcopi, qui Ephesi cum Dioscoro reperti sunt, Synodo Chalcedonensi interfuerunt, neque tamen propter hoc, ipsi Synodum illam* Ephesi *repudiant, sed potius amplectuntur. Hæc Leontius, sed plura qui videre desiderat, legat eundem Leontium* libro de Sectis, *præcipuè* actione 6. *& hæc de argumentis historicis, quæ hæretici objiciunt in sanctam Synodum.*

CAPVT XXVI.

In Christo Domino post unitionem duas esse naturas, divinam & humanam, omnino esse distinctas.

ACephali, eorumque sectatores Orientales, Eutychem, qui ansam eorum erroribus præbuit, nunc anathematizant (teste Leontio de *Sectis actione quinta*) propterea quod Christi corpus non esse ejusdem substantiæ nobiscum traderet; ipsi vero licet duas naturas ante unitionem fuisse agnoscant, post unitionem vero unam fuisse tantum, ex his duabus conflatam, manentibus naturis inter se inconfusis & distinctis, temerè affirmant: eodem prorsus modo ac corpus & anima, quæ citra confusionem in homine unita sunt, unum visibile, alterum invisibile, unum mortale, alterum immortale, hominis non duas naturas, sed unam tantum hominis naturam constituunt. Orientales enim hodie cum non possint intelligere discrimen inter naturam & personam, verentur duas in Christo fateri naturas, ne cum Nestorio duas etiam videantur acclamare personas.

Statuendum igitur est de fide Catholica, Christum nomen esse unius personæ duas habentem naturas, divinam scilicet & humanam; hanc vero esse fidem Catholicam, & ad salutem necessariam, & sanctissimis Conciliorum decretis, ac sanctis Patribus apertissime probabimus: sed ne ex ignorantia vocum nobis error contingat, necessarium erit quatuor vocabula, quæ apud Patres passim inveniuntur, paucis explanare. Vocabula autem sunt, *Substantia, Natura, Persona, & Hypostasis.* Sciendum ergo, ut optimè advertit Leontius de *Sectis actione prima*, substantiam & naturam apud Patres idem esse, ac rursum idem hypostasim & personam: & cum Verbum divinum assumpserit naturam singu-

singularem scilicet humanitatem & non personam, hoc est hominem, multum interest, tum ad Eutychianos, tùm etiam ad Nestorianos hæreticos convincendos, scire quid intersit inter *personam* sive *hypostasim*, & *naturam singularem*: ut ea re explicata intelligi facilius possit, maximè cohærere & consistere hanc Catholicam doctrinam, DEUM assumpsisse naturam non assumpta persona, ac post incarnationem, humanam naturam assumptam esse omnino distinctam, & aliam naturam à natura Divina. Et quamvis inter omnes constitutum sit in ratione personæ aliquid aliud contineri ultra ea, quæ continet ratio naturæ, siquidem significatur ab omnibus vocabulo concreto, (ut vocabulo *homo*) natura vero abstracto, nempe *humanitas*: sed quid sit hoc quod persona addat sive includat ultra rationem naturæ, & in quo ab ea distinguatur, omissis variis dicendi modis breviter perstringemus.

Persona igitur creata à natura singulari realiter distinguitur tanquam includens ipsam naturam singularem, & præterea aliquid aliud addens re à natura distinctum, quod propriè sit personalitas. Quam sententiam esse D. Thomæ constat ex 3. p. q. 4. art. 2. Illud vero reale, & à natura realiter distinctum, quod persona includit, nihil aliud est, quam ipsam personalitatem esse naturæ quendam terminum, & complementum substantiale, quo perficitur ultimo, & constituitur substantia primo completa; qui terminus differt re ipsa à natura singulari, tanquam id, quod terminat & complet naturalem ipsius dependentiam ab ultimo termino, in latitudine substantiæ: hic igitur terminus naturæ, quo natura ultimò completur, appellatur subsistentia naturæ, personalitas, sive hypostasis.

Objicies ex hac sententia sequi, fore aliquam realitatem substantialem in materiali natura, quæ neque sit materia, neque forma, nec compositum ex utraque. Respondetur, si directè intelligas, verum est: indirectè autem & reductive dici potest, personalitatem istiusmodi pertinere ad compositum ex materia & forma. Nam si per compositum intelligas naturam singularem, ut in abstracto significatur, eatenus ad illam hæc personalitas reducitur, & pertinet, quatenus est naturalis terminus & complementum ejus. Si autem per compositum intelligas completam hypostasin, seu suppositum, ad illud hæc personalitas reducitur tanquam ultimum constitutivum ejus, ut ex prædictis patet.

Nec Philosophus negare voluit esse aliquid substantiale, quod non directè sit materia, nec forma aut natura ex ipsis composita: sicut satis apparet dividens in 5. *Metaph.* & in *Prædicamento substantiæ*, substantiam in primam, & secundam, hoc est, in essentiam & hypostasin seu suppositum. Sicut enim ex sententia Philosophi essentia constituitur per gradum aliquem positivum substantialem: ita etiam ex ejusdem mente intelligere debemus, constitui hypostasin, seu primam substantiam (quæ maximè substantia est) per gradum etiam aliquem & terminum ultimum substantialem.

Neque valet, si objicias primam substantiam Philosopho esse, non nisi naturam singularem ipsam, cum singularitas faciat, ut natura, quatenus singularis est, non sit substantia secunda. Non inquam hæc objectio valet: Nam inter substantiam secundam & primam completam, qualem intelligere potuit Philosophus, media esse potest substantia prima incompletè & reductivè, quæ nimirum sit natura ut singularis. Cum enim ex natura ut singulari inprimis constituatur suppositum accedente personalitate, sicque demum fiat substantia prima completa: non incommodè natura singularis ad primam substantiam revocabitur, tametsi non sit ipsa sola directè & completè substantia prima.

Quod si fundamentum quæras, cur ita de divisione substantiæ, atque adeo de ratione suppositi philosophemur? Respondeo illud præcipuè esse positum in revelata doctrina de hoc Incarnationis Mysterio, quæ & naturale lumen, (ut in aliis materiis) illustrat, & tum demum rectè consistit ac defenditur, si sic ratiocinemur, præsertim cum ista quoque secundum naturæ lumen æquè probabilia atque alia, videantur.

Ex his fit, personam à natura in multis differre. Primo in essendo: nam natura est quædam forma, per quam verbi gratia Petrus constituitur in esse specifico, est enim natura ipsa essentia rei, persona vero superaddit naturæ subsistentiam; quatenus est principium subsistendi in se: quare persona nihil aliud est, quam terminus & sustentaculum naturæ.

Secundo differunt in operando, nam licet ad operandum tam persona quam natura concurrant, tamen diverso modo: nam suppositum seu persona concurrit ut principium quod operatur & subsistit; natura vero est principium quo mediante elicitur opus.

Tertio differunt ex modo prædicandi: nam suppositum seu persona primò dicitur generari, produci: & ratio est, quia simpliciter esse, est esse in seipso, & per seipsum, id est, subsistere, hoc autem est suppositi, quia esse in alio est esse quasi diminutum, & natura non dicitur simpliciter esse, sed ratio essendi, quia subsistit non in se, sed in supposito. Item suppositum dicitur operator & agens, natura autem non est propriè operans, sed ratio operandi, & Joannes dicitur loqui, natura humana, quæ est in Joanne, dicitur ratio loquendi.

Præterea assumere naturam, & habere se per modum assumentis, est suppositi, habere se per modum assumpti, est naturæ; ratio est, quia assumere est totius: natura autem significatur per modum partis. Ecce differentiam seu distinctionem utriusque, naturæ videlicet & personæ, quam differentiam non cognoscentes, seu dignoscere nolentes Nestorius, & Eutyches, simul cum Dioscoro prolapsi sunt in varias hæreses. Nestorius falsò putans idem esse naturam & personam, & nullam faciens inter utrumque distinctionem, & videns in Christo duas naturas distinctas, intulit duas personas. Eutyches vero & Dioscorus dicentes idem esse naturam & personam, cognoverunt in Christo unam personam intuleruntque unam naturam: itaque tam Eutyches, quam Nestorius ex ignorantia hujus discriminis prolapsi sunt in contrarias hæreses, iste in dualitatem personarum, ille in unitatem naturæ.

Ita & hodie Orientales videntes in Christo unam personam, pro una persona unam dicunt naturam: sed quæro ab illis, si natura & persona omninò idem essent, nullumque esset inter utramque discrimen, sequeretur quod in DEO cum sit una natura, una etiam esset persona. At habemus in Scriptura, *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*: unde evidenter apparet aliquid discriminis esse inter personam & naturam, cum in Divinis natura sit una, personæ vero tres. Item pergo à vobis, cum moritur aliquis homo, utrum *1 Joan. 5. cap. 5.*

natura moriatur, an persona? Naturam quidem mori non respondebitis, ergo persona, igitur idem omnino non sunt natura & persona? Propterea cum multæ sint atque adeo innumerabiles hominum personæ, multasne atque innumerabiles naturas hominum dicetis? sed una est omnium hominum natura, & non una est omnium hominum persona, ergo differt natura à persona.

Denique si Orientales renuunt duas admittere in Christo naturas, ne duas videantur admittere personas, cum ex eorum sententia natura & persona idem sint, sequitur quod agnoscentes hanc differentiam inter naturam & personam, facili negotio poterunt vitare errorem, quem timent, & Ecclesiæ Catholicæ conformari: quod si pertinaciter renuant discrimen hoc confiteri, manifestè incidunt in errorem Nestorii, quem declinare se illa via arbitrantur. Nam fides Catholica prædicat Verbum DEI assumpsisse naturam humanam; igitur si ipsi dicunt idem esse naturam & personam, sequitur quod personam etiam assumpserit, & sic in Christo erunt duæ personæ, ut constituebat Nestorius.

Neque prorsus audienda est aliquorum Orientalium responsio, qui non verentur, hoc convicti argumento, fateri DEUM etiam assumpsisse personam ut partem perfectionis naturę (& ut distinguantur à Nestorio) addunt hanc quam assumpsit personam, non esse operosam, sed otiosam, non enim operatur quicquam, sed feriatur, & ab opere vacat: sed error iste turpissimus est, & execrandus; nam humanitati assumptæ à Christo nihil perfectionis deest, licet propriam non habeat personalitatem, quia perfectius est, & dignius humanæ naturæ subsistere in persona VERBI, quam subsistere in propria persona; quis enim dubitet naturam humanam sustentatam à divina persona, longè perfectiorem esse in Christo, quam in unoquoque nostrum, est enim incomparabiliter, & infinitè perfectior, subsistens in persona VERBI: quæ cum sit infinitæ perfectionis supplet in natura humana perfectionem humanæ personæ. Demum, si in operibus naturæ nihil otiosum & frustra concedimus, quanto magis in operibus DEI, maximè vero in hoc opere omnium divinissimo.

Secundo, quia si admittunt duas personas, à fortiori duas etiam naturas distinctas post incarnationem admittere debent, quia distincta persona naturam distinctam omnino supponit. Tertio, quare si admittitis duas naturas, duas etiam non admittitis voluntates, quarum altera sit operosa, altera otiosa? Quarto, quare post incarnationem dicitis unam naturam, & non unam etiam personam? sed adversus hunc errorem *infra* latius oppugnantes Nestorium dicemus.

Præterea absurdissimus error est, asserere in Christo ante unionem, duas illas esse naturas: quomodo enim in Christo fuerunt ante unionem, si ante unionem non fuit formaliter Christus ut talis. Idque patet manifestè ex plurimis locis Scripturæ, præcipuè ex *Cap.* 1. *Joannis*, ibi enim ille Christus, qui habitavit in nobis, dicitur ipsum VERBUM incarnatum, ut patet ex illo contextu sermonis, *In principio erat verbum*, &c. *& Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*, &c. Quomodo igitur in Christo, hoc est, in VERBO ante unionem fuerunt duæ naturæ, divina, & humana, si ante Unionem VERBUM non fuit incarnatum. *Joan.* 1.

Rectissimè itaque S. LEO *Epistola* 10. *ad Flavianum cap. ultimo* (quæ in Concilio Chalcedonensi fuit approbata) cum illa verba Eutychetis retulisset: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero unam naturam confiteor*; addit: *Miror tam absurdam, tamque perversam ejus professionem*, &c. Cum tam impiè duarum naturarum antè Incarnationem unigenitus DEI Filius fuisse dicatur, quam nefariè, postquam *VERBUM caro factum est*, natura in eo singularis asseritur.

His igitur præmissis, contra errores alios, ut certissimum statuamus, Christum JESUM una constare persona, duabus naturis, divina & humana inter se conjunctis, non confusis, salva cujusque naturæ proprietate; fides enim Catholica agnovit semper in Christo post incarnationem duas integras, & perfectas naturas, divinam, & humanam, quæ sine ulla permixtione ac confusione, aut inter ipsas compositione, in vera persona VERBI subsistant, neque divinam naturam in humanam, vel humanam in divinam fuisse conversam, neque tertiam per commixtionem resultasse, sicut ex anima rationali & corpore, ut Orientales hodie fatentur.

Primo hæc veritas ex Scriptura probatur, & ante omnia duas esse in Christo naturas, testantur illa Domini verba Joan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi, qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Nam iste, qui loquebatur, secundum eam naturam, per quam videbatur, & loquebatur, ac Filius hominis erat, non descenderat de cælo, aut tunc cum loquebatur erat in cælo. Ergo alteram habuit nempe divinam, secundum quam descenderat, & erat in cælo. *Joan.* 3.

Deinde nullo modo fieri potest secundum eandem naturam Christum esse æqualem Patri, & minorem: at *Joan.* cap. 15. *Ego* (inquit) *& Pater unum sumus.* & cap. 14. *Pater* (inquit) *major me est.* Igitur secundum unam fuit æqualis Patri, secundum aliam minor. *Joan.* 15. *Joan.* 14.

Præterea, *Antequam* (inquit ipse Christus Joan. 8.) *Abraham fieret ego sum.* At idem natus erat temporibus Augusti, nequit autem fieri, ut idem secundum idem fuerit ante & post Abraham. Item, quod S. Thomas *Joan.* 20. viderat & tetigerat in Christo, non erat DEUS, sed caro, & tamen exclamavit dicens: *Dominus meus & Deus meus.* Igitur ille, cujus carnem viderat, simul erat verè DEUS & homo, quod etiam apertè constat Actorum secundo. *Dextera* (inquit Petrus) *Dei exaltatus, effudit hoc donum.* Nam exaltari non est DEI, sed creaturæ, effundere Spiritum sanctum non est creaturæ, sed DEI. Item, *Spiritus sanctus posuit vos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, &c. *Joan.* 8. *Joan.* 20. *Act.* 20. *cap.*

Jam verò illas naturas non esse permixtas, satis ex sacra Scriptura constat, quæ frequenter asserit naturâ Divinam esse prorsus immutabilem: Malach. 3. *Ego Deus & non mutor.* Et Jacobi primo: *Apud quē non est transmutatio*, &c. Itaque stare non potest tertium, quod Eutyches dixit, divinitatem in humanitatem, aut contra, fuisse conversam. Nam fieri non potest, ut nullo modo mutetur, vel quod in aliud convertitur, vel id, in quod convertitur aliud. *Malach.* 3 *Jacob.* 1.

Præterea Christum Dominum revera fuisse natum ex Virgine, passum, mortuum, sepultum, & resurrexisse tertia die, ac postea cælos ascendisse: neque eundem Christum, non secundum Divinitatem, sed secundum humanitatem, non simulatam, sed veram, fuisse passum, contra errorem seu potius delirium Eutychetis passim, ac luce ipsa

ipsa manifestius Scripturæ fatentur: sed quia hodie Orientales in hoc etiam Eutychetem damnant, non opus est in his amplius immorari.

Restat igitur, ut ex Conciliis & Patribus sententiam Catholicam de duabus in Christo naturis comprobemus. Plurima sunt Concilia, in quibus error iste expressè damnatur. Primo in Chalcedonensi Concilio ex instituto, & præsertim *actione 5.* in *Symbolo fidei*, ubi sic dicitur; Confitemur in novissimis diebus Filium DEI Unigenitum in duabus naturis, inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter unionem.

Item in Concilio Constantinopolitano (quod est quinta Synodus generalis) *Can. 2. 7. 8. 10. 11.* Ubi in *Canone illo* 8. sic dicitur: Secundum substantiam dicentes carni unigenitum Verbum unitum esse, non confusionem quandam ad vices naturarum factam fuisse dicimus, magis autem utraque manente natura, hoc quod est unitum, intelligimus esse carni Verbum.

Item in *6. Synodo generali actione 4.* in Concilio Lateranensi, sub *Martino Primo* consultatione *5. Cano. 5. 6. 7. & 8.* in Concilio Hispalensi *2. c. 1.* & passim in aliis; quibus denique adde Symbolum Athanasii, ubi eandem veritatem Ecclesia profitetur maximè in illis verbis: *Unus autem non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in DEUM: unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Tertio repugnat iste error orthodoxis Patrum sententiis: inprimis *S. Cyrillus* Alexandrinus apertissimè variis in locis hanc veritatem testatur, in *Epistola 8. ad Nestorium*, ubi referens fidem & sententiam Concilii Nicæni: *Licet* (inquit) *differentes inter se naturæ in veram sint unitatem conjunctæ, unus tamen ex utrisque est Filius ac Christus, interim non sublata differentia naturarum propter adunationem.* Hæc *Cyrillus*: cujus vestigiis adhærens Sancta Synodus Chalcedonensis 630. Patrum, *Cyrilli* testimonium referens sic ait.

Synodus.

Sequentes igitur Sanctos Patres unum & eundem filium Dominum nostrum JESUM Christum, in duabus naturis sine confusione, sine mutatione, sine divisione, sine separatione cognitum, uno omnes consensu docemus. Hæc Synodus. Postea adducit verba S. Cyrilli.

Cyrilli ex Epistola ad Sucensum.

Considerantes igitur, ut dixi, modum Incarnationis, videmus, quod duæ naturæ coierunt inter se secundum unionem, quæ distrahi non potest sine confusione, sine mutatione. Caro enim caro est, & non Divinitas, & si DEUS factus est Caro homousie, & Caro enim Verbum DEUS est, & non caro, & si propriam fecit carnem Oeconomicè.

Ejusdem ex eadem Epistola.

Duas naturas dicimus, unum vero Christum filium, Dominum, DEI VERBUM factum hominem, & incarnatum.

Ejusdem ex libro de fide ad Alexandrinos.

Ego commixtionem non approbo, alienum enim est à fide Apostolica, & à recta traditione DEI. Commissio enim deletionem naturarum operatur. Unio vero ineffabilis, quam qui rectè sentiunt, confitentur, utramque naturam sine confusione servat.

Synodus.

Differentia naturarum nequaquam sublata propter unionem.

Cyrilli ad Nestorium.

Non tanquam differentia naturarum sublata propter unionem.

Synodus.

Quin potius servata proprietate utriusque naturæ.

Cyrilli ex Epistola ad Sucensum.

Etsi enim unus à nobis dicitur unigenitus Filius Dei, incarnatus, & factus homo, non propterea commixtus est, sicut illis videtur. Nec in naturam carnis mutata est natura VERBI; imò neque carnis in naturam VERBI, sed in proprietate secundum naturam, utraque manente simul, & intellecta secundum rationem paulo ante à nobis redditam unio ineffabilis, & inexplicabilis unam nobis demonstravit naturam Filij, sed incarnatam.

Synodus.

Et in unam personam, & in unam hypostasim concurrente.

Cyrilli ex Epistola ad Joannem.

Et tanquam in una persona cognitus, unus enim Dominus JESUS Christus, etsi non ignoratur differentia naturarum.

Præterea S. Dionysius Areopagita *cap. 3.* de Ecclesiastica Hierarchia: *Divina* (inquit) *bonitatis infinita clementia benignissimè omnino providentiam nostri, nec sic quidem (post peccatum) omisit per seipsam operari, nostrorum omnium veraciter sine peccato particeps facta, nostræque humilitati inserta absque confusione ulla, & maculatione vera & integerrima Divinitatis suæ.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catech. 4.* cum agit de Christi generatione ex Virgine: *Duplex*, inquit, *erat Christus: homo quidem id quod apparebat: DEUS vero quod intelligebatur. Comedebat quidem ut homo verè, ita ut nos, similes enim nobis corporis affectiones habebat: ut Deus autem quinque panibus aluit quinque millia, &c.*

S. Athanasius in *Evangelium* de Sanctissima Deipara: *Sanctificata*, inquit, *superventu Spiritus sancti Virgo eum gestabat, qui ex sua propria essentia DEI erat Filius, pro unica ejus Divinitatis natura, & gignit eundem incarnatum & hominem factum, secundum duarum naturarum proprietatem, eundemque duplicem & unum ex duobus constantem inconfuse, immutabiliter, atque indivisim credi oportere statuimus.* Et infra: *DEUS interim perfectus & homo perfectus: unus ratione unius personæ, duplex tamen natura.*

S. Basilius *libro primo contra Eunomium* post medium: *sicut formam*, inquit, *assumpsisse servi, in essentia humanæ naturæ Dominum nostrum natum esse significat: sic cum dicit in forma DEI esse* (ad Philipp. 2.) *Divinæ essentia proprietatem penitus declarat.*

S. Gregorius Nazianzenus *Orat. in Christi* Nativitatem: *Missus*, inquit, *est, verum ut homo; duplicis enim naturæ erat; siquidem & fatigatus est, &*

fame & siti laboravit, & angore correptus est, & lachrymas fudit, ut lex naturæ fert.

Innumera Patrum tam Græcorum, quam Latinorum possemus testimonia adducere: qui plura desiderat legat Theodoretum in Dialogo *Immutabilis*, & in Dialogo *Inconfusus*, ubi prolixè testimonia omnium fere Patrum, qui ante ipsum fuerunt adducuntur. Idem fecêre S. Leo in *suis Epistolis*, B. Vigilius *lib. 5. contra Eutychetem*, Gelasius in *lib. de duabus naturis*, & novissime omnia Patrum & Doctorum usque ad nostra tempora testimonia congessit Author Thesauri Catholici *libr 2. de Christo Salvatore.*

Denique error iste repugnat etiam manifestè rationi; sed antequam ulterius procedamus, notandum est pro explicatione hujus controversiæ, ex D. Thoma *4. contra Gentes cap. 41.* quod uniri aliqua in natura non est, quod duæ naturæ adinvicem quomodocunque uniantur: Nam revera in Christo duæ naturæ unitæ sunt, sed quod illæ duæ naturæ conveniant in una tertia natura, vel essentia, quæ aliquo modo ex naturis unitis constituatur, sicut quod aliquæ duæ naturæ in persona uniantur, dicit quod eadem persona in duabus naturis subsistat, munusque ac rationem personæ exerceat, in ordine ad utramque naturam ipsam sustentans, & proprias utriusque naturæ operationes exercens. Hoc suppositò; Probatur. Tunc aliqua duo uniuntur in natura, quando uniuntur in aliqua essentia, quæ ex unione duarum naturarum resultet: sed implicat naturam Divinam & humanam hoc modo uniri, ergo, &c. Probatur minor: Nam quæ uniuntur in natura, necessario habent mutuum & intrinsecum ordinem inter se, imo & essentialem dependentiam ad invicem: sed implicat naturam Divinam habere aliquo modo ordinem, quia forma totalis, qualis est humanitas, cum per se loquendo sit totum, & non pars, nequit intrinsecè & substantialiter ordinari ad alterius naturæ compositionem. In quo distinguitur humanitas ab anima rationali, quia hæc & quæcunque alia forma ex proptia natura non est substantia totalis, sed potius pars alterius naturæ integræ: & ita dicit intrinsecum, & substantialem ordinem ad naturam, cujus est pars, & ad aliam partem simul componentem: at humanitas & quæcunque forma totalis non dicit talem ordinem per se, & substantialem, ergo, &c.

Secundo probatur, quando aliqua duo uniuntur in natura, talis natura, in qua fit unio, semper est perfectior aliis naturis, quæ in illa uniuntur: continet enim perfectionem utriusque: sed implicat dari naturam perfectiorem essentiâ Divinâ; ergo nulla natura potest esse terminus hujus unionis.

Tertio probatur. In Christo post unionem sunt duæ formæ: ergo sunt duæ naturæ. Consequentia patet, quia forma, natura, & essentia, idem sunt. Antecedens probatur ex illo ad Philippenses 2. *Qui cum in forma Dei esset, formam servi accepit.* Sed forma DEI & forma servi sunt duæ formæ: ergo, &c. *Philip. 2.*

Quarto, in sacris literis post unionem contraria enunciantur de Christo, nempe ea quæ sunt potentiæ Divinæ, & quæ sunt infirmitatis humanæ: sed contraria de eodem secundum idem enunciari non valent: ergo enunciantur secundum aliam, & aliam naturam, & ex consequenti non est in Christo tertio aliqua natura ex duabus resultans.

Postremo, Christus est verus DEUS & verus homo, ut constat ex sacra Scriptura; ergo verè habet naturam divinam & humanam; non enim fieri potest, ut divina natura & humana fiant una natura, ut ostendit D. Thomas *3. p. q. 2. art. 1.* hac evidenti ratione.

Quia si ex Divinitate, & humanitate fit unum, vel fit unum ordine & compositione, eo modo, quo ex pluribus lapidibus fit unus acervus, vel una domus: sed hoc dici non potest: quia Christus non esset unus per se, sed per accidens: item non esset unus simpliciter, sed multa simpliciter, & unum secundum quid: quorum utrumque derogat veritati Incarnationis. Vel fit unum per se, per transmutationem, eo modo, quo ex elementis fit mixtum, & hoc affirmari non potest; tum quia natura divina est omnino immutabilis, & sic neque ipsa potest in aliud converti, neque aliud in ipsam: tum quia id, quod ex mixtione resultat, ut constat ex *primo de Generatione cap. de mixtione*, non est ejusdem substantiæ cum miscibilibus; & sic Christus, neque esset consubstantialis Patri, neque Matri, quorum utrumque fidei adversatur. Vel fit unum per se, absque ulla transmutatione: sed neque hoc potest dici; nam fieret unum modo quantitativo, sicut ex diversis membris fit unum corpus: & hoc non, cum natura Divina sit incorporea: vel eo modo, quo ex materia & forma fit unum, & hoc est adhuc impossibilius; tum quia natura divina, & humana sunt entia completa in actu, & ex duobus entibus in actu nequit unum per se fieri; tum quia natura divina nullius potest esse forma, præsertim corporis: tum quia alia species inde resultans, esset pluribus communicabilis, & ita essent plures Christi: tum denique quia Christus alias neque esset naturæ divinæ, neque humanæ; differentia enim addita variat speciem, sicut unitas numerum.

Ut vim hujus rationis Patrumque sententiam manifestam, effugiant Jacobitæ, hodie aliam excogitarunt suam hæresim propagandi viam, dicentes in Christo Domino duas naturas fuisse unitas, ac post unionem in illo veram fuisse Divinitatem, veramque Humanitatem; unam tamen factam fuisse naturam personaram, ex duabus naturis non personatis, sine tamen mixtione, aut confusione. Quare licet concedant Christum ex duabus constasse naturis, tenuunt tamen concedere illum in duabus naturis subsistere, ne videantur cum Nestorio duas ponere in illo personas. Sed ferè idem est, iste errandi, sive dicendi modus cum aliis. Nam vel illæ naturæ non personaræ sunt ante unionem distinctæ inter se, & hoc nequit intelligi, ut jam supra confutavimus. Vel illa natura personata, quæ resultat ex duabus naturis Divina & Humana, est tertia natura composita ex duabus, sicut homo ex anima & corpore, & hoc est quod Patres Concilii, & ratio ipsa demonstrat esse erroneum. Si autem volunt dicere personam Christi esse compositam ex duabus naturis, hoc est, subsistentem in illis, hic sensus Catholicus est: sed tunc fatendum est, cum Ecclesia Catholica duas esse in Christo naturas perfectas, indistinctas, neque inter se commixtione aliqua, aut compositione conjunctas, duas itidem voluntates & operationes, ut jam *infra* etiam ostendere conabimur.

C A-

CAPVT XXVII.

Solvuntur argumenta Eutychetis, & aliorum.

ARgumenta, quibus usi sunt Eutyches, & ejus sectatores tam veteres, quam novi ad sui erroris confirmationem, facili negotio solvuntur. Primum est, quod *Joannis* 1. dicitur: *VERBUM caro factum est.* Joan. 1. Est igitur natura Verbi conversa & mutata in humanam: sicut aqua illa conversa fuit in vinum, de qua simili loquendi modo dicitur Joan. 2. *Cum vidisset architriclinus aquam vinum factam, &c.* Joan. 2.

Respondeo primo, si hoc argumentum valeret, falsum etiam esset, quod Eutychiani dixerunt, naturam illam unam, quæ in Christo mansit, fuisse revera Divinam. Etenim quod in aliud convertitur minimè manet: ut neque mansit aqua, postquam facta est vinum. Secundo dico, illo modo loquendi, cum scilicet unum dicitur factum aliud; non semper in Scriptura significari conversionem, sed solum accessionem aliquam sine interitu prioris. Ut cum dicitur ad Galat. 3. *Christus pro nobis factus est maledictum*: Galat. 3. vel cum dicitur Luc. 2. *factus annorum duodecim*, &c. Luc. 2.

Ita hoc explicant Athanasius in *Epistola ad Epictetum*, & Gregorius Nazian. in *Epistola* 1. *ad Cledonium*, & Ambrosius *de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap.* 6. & Theodoretus in *Dialogo* 1. ubi prædictos Patres pro ea interpretatione citat, & eam inde confirmat, quod statim Joan. de eo ipso VERBO Incarnato subjungit, *Et habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, &c.* Joan. 1. Unde evidenter apparet, VERBUM non propterea esse destitisse. Item ex eo, quod alibi Incarnatio verbi sic describitur, ut manifestum sit mansisse post eam salva natura sua VERBUM. Nam ad Philip. 2. lip. 2. dicitur: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Et ad Hebræos 2. *Semen Abrahæ apprehendit.* Heb. 2. Manet autem omnino is, qui quippiam accipit & apprehendit.

Tertio dico ex illo ipso loco *Joan.* 1. potius revinci evidenter errorem Eutychetis. Nam si *Verbum caro factum est*: ergo mansit in Christo post unionem vera caro, & natura humana, quod Eutyches negabat. Manet enim id in quod aliud dicitur evadere, sicut mansit vinum illud in quod evasit aqua, & manet etiam dignitas Consulis, cum dicimus de aliquo quod sit factus Consul.

Secundum argumentum *Joan.* 1. dicitur: *Verbum caro factum est.* Joan. 1. In Concilio Chalcedonensi *Act.* 1. post Epistolam Cyrilli ad Joannem Antiochenum, Eustachius Episcopus Berytensis, testatus est S. Cyrillum asseruisse, non oportere intelligi duas naturas, sed unam naturam DEI Verbi incarnatam.

Respondeo sensum esse, quod non sint in Christo duæ naturæ supposito distinctæ reipsa, & separatæ, sicut sentit Nestorius, sed naturam Divinam, cum humana natura conjunctam, in una & eadem divina persona. Ita enim illud dictum Cyrilli intelligendum esse definitum est in *V. Synodo generali, Can.* 8.

Et eodem modo debet accipi, quod dixit Gregorius Nazianzenus *Epistola prima ad Cledonium*, Carnem esse Deificatam: & quod in Concilio Lateranensi sub Martino 1. *Can.* 5. definitur, naturam DEI Verbi fuisse incarnatam, quod etiam asserit Damascen. *lib.* 3. *cap.* 6. His enim modis loquendi à Patribus significatur solum illa realis & substantialis conjunctio Divinitatis cum Humanitate, in una & eadem persona Divini Verbi, non autem aliqua utriusque naturæ confusio.

Tertium argumentum est, quod aliqui antiqui Patres dicant, naturam Divinam fuisse mixtam cum humanitate, sic enim scribit S. Cyprianus in *lib. de vanitate* Idolorum: *Carnem Spiritu sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est.* Et S. Gregorius Nyssenus in *Orat. Catechetica cap.* 25. Incarnationem appellat nostræ naturæ cum divina commixtionem. Similiter loquitur Irenæus *lib.* 3. *cap.* 21. & Vigilius *lib.* 1. *contra Eutychetem.*

Respondeo hoc vocabulo mixtionis Patres fuisse usos, ad significandum Unionem illam esse omnino realem, & substantialem, sicut est suo modo mixtio elementorum in uno & eodem substantiali supposito, non autem ad significandum, quod sit mixtio propriè.

Quartum argumentum. S. Athanasius in Symbolo dicit: *Sicut anima rationalis & caro, unus est homo; ita DEUS & homo unus est Christus.* Est igitur unica natura in Christo sicut in uno alio homine.

Respondeo minimè id sequi, non enim est sensus, ita ex humana & divina natura fieri unam naturam, sicut fit ex anima & corpore una humanitas; sed sicut ex anima & corpore fit una substantia, quæ est natura, ita etiam ex unione naturæ humanæ & divinæ in persona Verbi, constare similiter substantiam quandam unicam, quæ est Christi persona, ut subsistens in utraque natura.

Quintum argumentum (quo maximè nitebatur Eutyches) Si in Christo sunt duæ naturæ. Ergo etiam duæ personæ. Qui fuit error Nestorii.

Respondeo nihil minus sequi: Est enim alia ratio naturæ, quam personæ. Unde etiam in Divinis, ubi natura & persona re non distinguuntur, credimus esse personas tres, quamvis earum tantum sit unica natura. Possunt igitur in Christo vice versa esse naturæ duæ, & persona unica. Et hactenus de errore Eutychetis.

CAPVT XXVIII.

De duabus Christi voluntatibus.

NOn solum Eutyches, qui in Christo non esse naturam humanam veram ausus est affirmare, consequenter ab eo voluntatem humanam adimebat, sed & hæretici alii Orientales, qui naturam humanam in Christo confitebantur, in eo non fuisse voluntatem humanam temerè affirmarunt: inter quos fuerunt *Monothelitæ*, sic nuncupati ab assertione unius voluntatis in Christo, eo adducti fundamento, propterea quod omnia operatur Christus ex nutu divinæ voluntatis.

Sed hic error breviter & manifestè convincitur primo testimonio ipsius Christi Lucæ 22. *Non mea, sed tua fiat voluntas.* Ubi utramque voluntatem apertissimè distinguit. Item Joan. 6. *Descendi de cælo, non ut facerem voluntatem meam, sed ejus qui misit me, Patris.* Ex quo loco confirmatur hæc veritas in *Synodo VI. generali, act.* 17. ubi damnatur hic error. Luca 22. Joan. 6.

Secundo ex his, quæ supra contra errores alios ex fide constituta sunt, dicitur manifestum argumentum. Etenim vera natura humana sine voluntate

luntate humana non consistit, ut est etiam ratione naturali perspicuum. Sed VERBUM divinum assumpsit veram humanam naturam, ejusdem speciei, cujus est natura aliorum hominum. Ergo etiam voluntatem humanam.

Et confirmatur: nam potentiæ naturales proxime spectant ad naturam. Unde videmus in Divinis, quamvis tres personæ sint; tamen quia est una natura, unicam esse voluntatem. Sed in Christo sunt duæ naturæ, ergo unaquæque suam habet voluntatem. Denique huc etiam pertinent Patrum testimonia, quibus supra probavimus duas in Christo naturas perfectas, & in particulari in Christo esse duas voluntates docent Athanasius *lib. de Trinitate*, Gregorius Nyssen. *contra Apollina.* Epiphanius *sermone 69. contra Marcionistas.* & B. Cyrillus Alexandrinus, cujus testimonium magni faciunt omnes Orientales in *sermone* 10. in Matth. *Subest quidem in Christo pavor passionis propter humanitatem: compescitur autem statim virtute inhabitantis verbi: Ait enim, Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis, humanitas quidem hoc ait: nam secundum quod DEUS est, non est extra voluntatem Patris. Sicut enim una est Deitas, ita una est Patris & Filij voluntas.* Idem *lib.* 4. in Joannem. *Voluntaria quidem passio, eo quod ita voluisset divina natura, involuntaria autem quantum ad carnem recusantem mortem, & secundum quod Christus homo erat.* Idem *lib.* 10. *Sicut consubstantialis est ita & convoluntarius proprio Genitori, unius enim essentiæ una perfecti voluntas est.*

Nec valet quicquam argumentum hæreticorum. Nam etsi Christus omnia ex nutu divinæ voluntatis operabatur, non quia ex una divina voluntate omnia operaretur, sed quia humana ejus voluntas erat divinæ conformis.

Porro iisdem argumentis patet in Christo fuisse, etiam intellectum creatum præter divinum, quia est etiam humanæ naturæ potentiæ naturalis. Quod ex scriptura etiam patet Isaiæ 52. *Ecce intelliget puer meus.* Et Matth. 8. *Audiens JESUS miratus est*, quod pertinet ad intellectum. Item ex Augustino *lib.* 83. *qq. q* 80. *contra Apollinaristas.* qui animam rationalem, & intellectum in Christo negabant, inferentes quod tunc Verbum belluam quandam cum figura humani corporis suscepisset.

Isaiæ 52. Matth. 8.

Item iisdem argumentis efficitur, reliquas animæ potentias sensitivas esse in Christo, atque etiam liberum arbitrium. Nam liberum arbitrium nihil aliud est, quam voluntas ipsa, prout tendit in sua objecta cum indifferentia quadam. Neque obstat quod Christus nullo modo peccare potuerit: Nam potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii.

Unde Augustinus in *lib. de prædestinatione Sanctorum c.* 15. de Christi impeccabilitate loquens, An ideo, inquit, in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat.

CAPUT XXIX.

De duabus Christi Domini operationibus.

ORientalium etiam hodie error est, qui etiam fuit quondam Monothelitarum, in Christo tantum fuisse unicam operationem, nempe Divinam, tametsi diversa per illam operaretur. Idque probabant, quia omnia fiebant ab eodem VERBO Divino. Damnatur hic error in VI. *Synodo act.* 4. 8. & 9. ubi inter cætera sic legimus: *Duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inconfusè, inseparabiliter in eodem Domino JESU Christo vero DEO nostro glorificamus, hoc est, divinam, & humanam.* Ponuntur autem illæ particulæ indivisè, inconvertibiliter, ad ostendendum ab una & eadem persona VERBI utriusque generis operationes, salva differentia ipsarum, profectas esse.

Plena etiam sunt Evangelia manifestissimis Christi operibus, quibus ostendi possit duas esse in Christo operationes. Primum enim una est Patris & Filii operatio, sicut & natura, ut patet ex illis locis: *Omnia quæ Pater habet mea sunt. Et quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit.* Ne quis autem putaret alia Patrem, alia Filium operatione operari, alibi ait: *Pater in me manens ipse facit opera.* Item *non potest filius quicquam facere nisi viderit Patrem facientem.* Quod autem filius præter hanc Divinam operationem, aliam diversam habeat, non communem cum Patre, adeo apertum est, ut supervacaneum videatur, id velle probare. Nam quod inter homines, conversabatur, loquebatur, ambulabat, comedebat, oculis, manibus, pedibus, reliquisque corporis membris & animæ sensibus & potentiis operabatur, id certè Patri commune cum eo non erat, nisi quis Patrem incarnatum esse dicat simul cum Filio: quod est nefas dictu. Cumque Filius solus, & non Pater, nec Spiritus sanctus naturam humanam assumpserit, corpusque & animam habuerit, certe ea, quæ per animam & corpus exercebat, Patri aut Spiritui sancto tribui non possunt, sed soli Filio: & quis unquam dixit Patrem esuriisse, fatigatum ex itinere, seu illum super puteum collocutum cum Samaritana, disputasse in templo cum Judæis, aliaque hujusmodi multa fecisse, quæ de Christo referunt Evangelistæ? An etiam illud Patri tribuendum est, quod Lucas de Christo ait: *Et erat subditus illis*, & quod Patrem sæpè oraverit, quod & missum à Patre in mundum, dicit: quodque ait non suam gloriam quærere, sed Patris, & ejusmodi alia plurima. Nimis profecto obtusæ mentis est, qui hoc non videt, nimis obstinatæ, qui cum viderit, tamen credere non vult, cum præsertim id senserint omnes Catholici Patres.

Joan. 16. c. idem 5. cap.

Præterea illi, qui in Christo concedunt duas naturas, ut omnes tenent Catholici, necesse est, ut duas confiteantur voluntates, duas operationes, cum ad naturæ veritatem pertineat operatio ei conveniens. Unde Ambrosius *lib.* 2. *de fide ad Gratian. c.* 4. *Nunquid potest una operatio esse, ubi diversitas est substantiæ?*

Atque eodem argumento convincitur, in Christo fuisse non tantum operationem humanam; sed etiam plures humanitatis operationes, quales sunt aliorum hominum. Tametsi omnes illæ potuerint, maximè in Christo, dici unica operatio, si spectemus earum, quasi principium, nimirum humanam rationem ac voluntatem in Christo, qua dirigebantur seu imperabantur omnes.

Fundamentum vero illorum hæreticorum nullius prorsus momenti est: quamvis enim idem Verbum divinum esset principium omnium Christi operationum, tanquam suppositum; non tamen illas omnes efficiebat per eandem naturam, ut per formam, sed per diversas, scilicet per divinam & humanam. Itaque diversæ omnino ejus operationes fuerunt.

Sed

Sed ut in Catholico sensu aliqua Patrum dicta commodius intelligantur, ex sententia Theologorum doctissimorum notandum est, operationum in Christo triplex genus distingui posse. Nam primo quædam fuerunt tantum divinæ: ut creatio & gubernatio mundi. Secundò, aliæ Christi operationes fuerunt humanæ tantum, ut deambulatio, comestio. Quas operationes ideo dico humanas tantum; quoniam conveniunt etiam aliis puris hominibus naturaliter, tamesi & à supposito divino ejusmodi operationes Christi proficiscerentur, & ad eas Divinitas generali concursu cooperata sit, quod negavit Duran. in 3. dist. 18. q. 1. quia nimium in universum alioqui existimant, DEUM non concurrere immediatè efficiendo ad effectus causarum secundarum.

Tertii generis operationes possumus in Christo nominare mixtas seu duplices, id est, partim divinas, partim humanas: quia licet uno eodemque vocabulo significentur; verè tamen sunt duplices: ut justificatio impii, suscitatio mortuorum, & aliorum miraculorum patratio. Hujusmodi enim nominibus partim significamus actionem divinam principalem, quæ scilicet sua vi attingit principalem effectum, (nempe gratiam, vitam miraculosè restitutam, &c.) partim etiam actionem humanam, videlicet instrumentalem Humanitatis Christi, quæ à verbo Divino, tanquam instrumentum usurpata, contulit etiam miraculosè aliquid ad ejusmodi effectus; ut vox Christi revocantis ad vitam Lazarum, &c.

In quibus actionibus & illud animadvertendum est, peculiari quadam ratione divinam actionem Christi principalem, Humanitati adscribi; & vicissim instrumentalem actionem Humanitatis, Divinitati. Quam ob causam appellavi etiam has actiones duplices & mixtas. Quia enim principale agens effectum attingit, conferente ad id instrumento; peculiari ratione actio principalis agentis pertinet etiam ad instrumentum. Unde dicimus scamnum v. g. à serra fieri, quia participatur veluti à serra actio principalis artificis conficientis scamnum. Et rursus quoniam principale agens usurpat instrumentum, ejusque actionem ad effectum principalem: ipsi etiam peculiari ratione adscribitur actio propria instrumenti. Unde dicimus artificem secare v. g. scamnum, cum proprie secet serra.

Illæ igitur Christi operationes, Justificatio, suscitatio mortuorum, &c. duplices atque etiam mixtæ à nobis dicuntur: non tantum quia hujusmodi nominibus partim significatur actio divina, partim actio humana, ut dictum est; sed etiam, quoniam divina illa actio, quæ significatur, peculiari ratione adscribitur non tantum Divinitati, sed etiam Humanitati, tanquam instrumento. Itemque vicissim actio humana, quæ illis nominibus significatur, tribuitur ratione peculiari Divinitati, quæ ejusmodi actione instrumentali utitur. Et hic rectè tum divina, tum humana hujusmodi actio mixta, atque duplex dici potest, ex parte etiam sui principii seu causæ.

Ac de hoc quidem tertio genere operationum Christi intelligendum est, quod B. Dionysius *libro de divinis nominibus cap.* 2. disserit de operatione Christi, quam vocant *theandricam*, id est, Dei, & hominis simul: Item illud, quod B. Leo in *Epistola* 10. ad Flavianum *cap.* 4. scripsit: *Agit* (inquit) *utraque forma* (id est natura) *in Christo cum alterius communione quod proprium est; verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est.*

At in universum ad istud tertium operationum genus referendæ sunt omnes sententiæ similes, quibus significari videatur Christum per utramque naturam communiter seu simul fecisse, quod fecit. Hoc enim non ita ab Orthodoxis dicitur, quia sit tantum una & eadem utriusque naturæ operatio: sed quia vicissim utriuslibet naturæ operatio, quantumvis propria, & distincta, tribuitur suo modo alteri etiam naturæ (ut explicatum est) atque ita utraque natura agit cum alterius communione, in illo quidem genere tertio mixtarum & duplicium operationum.

CAPVT XXX.

In Christo Domino non duas, sed unicam tantum esse personam contra Nestorianos.

INdubitata est apud Orthodoxos omnes affirmativa pars hujus sententiæ: pro ejus tamen intelligentia explicare oportet, in quo propriè consistat hæc unio, quæ facta est duarum naturarum in persona Christi. Omissis igitur aliis philosophandi modis, tenendum erit hanc unionem in eo consistere, quod natura humana careat propria subsistentia, assumpraque sit à VERBO, ad ipsam subsistentiam VERBI. Tribus siquidem modis possunt aliqua uniri, primo ut partes rei essentiales, quomodo materia & forma, genus & differentia, ex quibus resultat composita natura: quo certè modo non est facta unio in VERBO; unio enim partium essentialium ex imperfectis ad perfectum procedit. Secundo, ut accidens & subjectum, vel substantia cum substantia, ex quibus resultat forma accidentalis: at neque VERBUM est subjectum humanitatis, neque ex unione cum VERBO resultat accidentalis perfectio. Tertio, cum substantia, quæ alioquin per se subsisteret, trahitur ad subsistentiam alterius, & ab illo dumtaxat pendet: qualis unio Verbi & Humanitatis: quæ solet quibusdam declarari exemplis.

Primum est animæ cum corpore: nam separatæ per se subsistunt, unita vero, una utriusque est subsistentia: sed cum utrumque sit natura imperfecta, neutrumque trahat aliud ad sui subsistentiam, sed pendeat à tertia, quæ totius compositi est, deficit in eo exemplum: nam nec Verbum est natura imperfecta, nec à tertia pendet subsistentia, sed ad suam trahit subsistentiam naturam humanam.

Secundum est ferri igniti, quod proprietates & ferri, & ignis habet, sed maximè deficit. Nam calor DEUM repræsentans sustentatur à ferro, non est substantia, nec dicitur ferrum, quæ non consonant VERBO hypostaticè unito.

Tertium hominis, in quo duæ accidentales formæ, ut medicina & Jurisprudentia: unum enim supposítum est, variæ tamen appellationes, & communicatio idiomatum: verum hujusmodi formæ non trahuntur ad subsistentiam propriè hominis: Nam accidentium propriè non est subsistere.

Quartum est arboris, verbi gratia, piri, cui inseritur ramus mali. Nam illa pirus est subsistentia prima, atque ideo suppositum verum, nec pendet à ramo insito, quem tamen sustentat, qui alioquin per se existeret, sive subsisteret, atque jam vocatur pirus & malus, producit pira & mala,

mala, ac dici potest pirus malus, & è contra. Quod si malus ille forsan siccaretur, & revirescere, non propterea pirus mutaretur, sed tota mutatio contingeret in ramo.

Ita Verbum instar magnæ arboris susceptt ramusculum humanæ naturæ, suo trunco à cælesti Agricola mirabiliter insertum, unde Verbum DEUS & homo, opera divina & humana egit: nec VERBUM ab humanitate, sed hæc ab illo dependet. Cumque per passionem & mortem humanitas quodammodo aruisset, ac deinde per Resurrectionem reflorusset, nulla mutatio in VERBO, sed tota in Humanitate contigit.

In hoc tamen exemplum deficit, quod ramus non sit arbor perfecta: caret enim radicibus & trunco, & quod antequam insereretur per se revera subsisteret.

Unionem igitur hypostaticam in eo consistere probatur. Primo, quia ex Scripturis habemus unam esse in Christo personam, duas vero naturas: at si duæ subsistentiæ essent, duæ quoque personæ. Quid enim in natura intellectuali singulari totali addit subsistentia; nisi personalitatem? si una, non communicavit Humanitas suam VERBO, ut omnes fatentur, cum propria careat; igitum VERBUM suam Humanitati; in hoc igitur consistit Incarnationis mysterium.

Secundo Epistola Alexandr. à Conciliis probata Ephes. & Chalcedonensi: *Si quis* (inquit) *non confitetur carni secundum subsistentiam unitum DEI Patris Verbum, anathema sit.* Item: *Si quis in uno Christo dividit subsistentias post unionem, anathema sit, &c.* Conc. Chalced. *Salva utriusque naturæ proprietate, & in unam personam ac subsistentiam concurrente, Unigenitum Filium, & DEUM Verbum agnoscimus.* Synod. General. quinta: *Si quis introducere conatur in Mysterio Christi duas subsistentias, vel personas, & unam personam dicit per dignitatem & honorem, & adorationem, & non confitetur Verbum carni subsistantialiter unitum, & propterea unam esse ejus subsistentiam, &c. anathema sit.*

Error igitur fuit Nestorii & sectatorum ejus, Christum non unica persona, sed duabus contineri; Divina scilicet increata, & creata humana; quarum altera (scilicet Divina) sit Filius DEI, omnipotens creator; altera vero, scilicet creata, tantum sit filius hominis, natus, passus, mortuus: ita ut non idem omnino secundum eandem personam fuerit Filius DEI, & Filius Virginis, creator & factus, impassibilis & passibilis.

Quoniam autem scriptura de Christo loquitur, tanquam de uno; unum, seu unam personam, ipsum esse ac dici ajebat Nestorius, non unitate simpliciter substantiali, aut naturali, sed secundum quid, & per accidens, propter varias rationes, quas possumus colligere ex testimoniis *S. Cyrilli*, sicut eas etiam ex Concilio Ephesino, & aliis Synodis collegit diligenter sanctus Thomas *3. p. q. 2. art. 6.*

Nempe primo, propter inhabitationem unius personæ in altera, scilicet divinæ in creata, tanquam in templo. Unde dicebat Christum secundum creatam personam, non esse DEUM sed *Deiferum*, & ideo ipsum nominari *Emmanuel*, quod significat, *nobiscum Deus*. Secundo propter conjunctionem affectus, quoniam fuit voluntas personæ creatæ, cum voluntate personæ divinæ prorsus conformis. Tertio propter communionem operationis: quia persona creata fuit instrumentum verbi Divini. Quarto, propter communionem ejusdem dignitatis & honoris divini, qui etiam illi personæ creatæ, tanquam templo divinæ personæ tribueretur. Quinto, quoniam ob dictas ratione filius hominis dicebatur quadamtenus Filius DEI, & è contrario: itemque homo, Deus; & vicissim.

Fuisse hanc Nestorii sententiam, accuratè collegit præ aliis Gregor. de Valentia *3. p. q. 2. disp. prima, puncto 2.* tum ex Canonibus Concilii Ephesini, & quintæ Synodi generalis, tum ex testimoniis S. Cyrilli, testimoniaque sanctæ Scripturæ, & Patrum breviter recensel, quibus Nestorianorum hæresis facilè convincitur: quæ etiam nos in hoc capite ac parte adducimus.

Fuit autem error Nestorii (ut ex dictis appareat) errori Eutychetis per extremum contrarius. Nam Eutyches sic personam unam Christi confitebatur, ut naturas etiam confunderet, faceretque ex utraque unam. Nestorius autem ita naturarum differentiam credidit, ut unicuique illarum personam suam distinctam attribueret. Ecclesia Catholica incedit media via, quæ & naturas contra Eutychetem distinguit, & contra Nestorium retinet personæ unitatem.

Quam sententiam Ecclesiæ orthodoxam ita declararunt Patres in Conc. II. Constantinopolitano, (id est in sancta Synodo generali) can *4. Cum multis*, inquit, *modis unitas intelligatur, qui iniquitatem Eutychetis & Apollinarij sequuntur, in peremptionem eorum, quæ convenerunt colentes, unitionem secundum confusionem prædicant. Theodori autem & Nestorij sequaces divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta vero DEI Ecclesia utriusque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem DEI Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam.*

Pro hoc sententia orthodoxa, contra prædictum errorem Nestorii, urgent aliqui, Christum fuisse verum DEUM, & verum hominem; quasi contrarium ponatur secundum opinionem Nestorii: sed nisi aliter argumentum formetur, non videtur satis firmum. Concessit enim Nestorius Christum verum DEUM & hominem verum fuisse, quamvis secundum aliam, & aliam personam, ex quibus Christus constaret. Quare id propriè contra illum est probandum. Unam & eandem personam Christi fuisse verum DEUM, & verum hominem.

Id autem potest Primo probari ex Scriptura sacra, quinque modis, seu quinque generibus testimoniorum. Primo sic: Christus ita fuit verus DEUS, & verus homo, ut & homo ille, qui Christus est, verè & propriè fuerit DEUS: & vicissim DEUS ille, verè & propriè homo. Sed nisi concedatur secundum unam & eandem personam, fuisse Christum verum DEUM, & verum hominem, hoc verum non erit. Ergo id omnino concedi debet. Minor probatur. Quoniam hæc propositio: Homo est DEUS, non potest propriè & verè concedi, nisi aliqua sit subsantialis identitas subjecti & prædicati, hoc est, DEI & hominis, siquidem nomen tum DEI, tum hominis significat substantiam, & in omni enunciatione affirmativa significatur aut consignificatur, rationem formalem prædicati, & rationem formalem subjecti convenire in unum & idem, quod sit utrumque. At ea identitas subsantialis minimè hic existit secundum naturam divinam & humanam, ut patet: Ergo necesse est eam concedere secundum personam, quæ eadem significatur verbis illis, DEUS & homo.

Jam probatur Major ex Scriptura in illis locis, quibus Christus de se loquens, tanquam de homine, qui cum hominibus conversabatur, affirmavit sim-

simpliciter se esse DEUM, atque adeo DEI coæternum, & coæqualem Filium. Ut Joan. 8. *Tu quis es? Dixit eis JESUS, Principium qui & loquor vobis.* Et Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Et Marci 14. ad Pontificem interrogantem num esset Filius DEI: *Ego inquit sum.* Et Joan. 4. *Si scires donum DEI, & quis est, qui dicit tibi, &c.* Et Joan. 3. *Nemo ascendit ad cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo* (nempe ut idem DEUS) Et Joan. 9 ad illuminatum cæcum, *Tu credis in Filium DEI? Respondit ille, Quis est Domine, ut credam in eum? Dixit ei JESUS: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. At ille ait, credo Domine. Et procidens adoravit eum.* Idem patet ex illo testimonio Gabrielis Lucæ 1. *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius DEI,* id est, ille homo, quem concipies. Et ex illo *ibidem,* Elisabethæ: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me?* Et ex illo Apostol. ad Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO:* ut plurima omittam similia testimonia.

Joan. 8. Joan. 10. Marc 14. Joan. 4. Joan. 3. Joan. 9. Luc. 1. Philip. 2.

Secundò, quia nisi eadem persona Filii DEI sit etiam homo; nequaquam verè & propriè credi potest, Verbum Divinum incarnatum esse, factumque hominem. At hoc vertissimè & maximè propriè creditur, ut patet *Joan.* 1. & fatemur in Ecclesiæ Symbolis. Ergo non secundum aliam personam creatam, sed secundum illam ipsam divinam, quæ est Verbum & Filius DEI, Christus est homo. Major probatur. Quia, ut albus verbi gratia non dicitur, per eam albedinem, quæ est in altera persona, sed per eam, quam in sua ipsius persona habet: ita neque Filius DEI homo dici & esse potest per humanitatem in altera persona existentem, neque Verbum incarnatum per carnem alterius personæ. Quod argumentum passim attingitur in Concilio Ephesino primo, ubi Nestorius damnatus est.

Tertiò, quia Scriptura sacra ubique loquitur de Christo, tanquam de una & eadem persona, sicut est unusquisque alius homo. Impium igitur est, Christum non unicam, sed plures interpretari personas. Assumptum patet ex illis omnibus locis, in quibus Christi persona significatur Pronominibus illis singularibus, *Ego, hic, ille,* quæ passim occurrunt. Deinde etiam peculiariter ex his, 1. Corinth. 8. *Unus Dominus JESUS Christus, per quem omnia.* Est igitur unus & idem JESUS (id est Filius MARIÆ) & Christus Filius DEI vivi, ut Matth. 16. ait Petrus. & 1. Joan. 2. *Quis est mendax, nisi qui negat, quoniam JESUS est Christus.* Et 1. Joan. 4 *Omnis Spiritus, qui solvit JESUM, ex DEO non est, & hic est Antichristus.* Hoc enim maximè est Christum solvere, tollere duarum naturarum in ipso vinculum, quod est unitas personæ. Neque objiciat aliquis in exemplaribus Græcis, quæ modo extant, non legi illud, *Qui solvit,* sed *Qui non confitetur,* &c. Fuerunt enim ejusmodi exemplaria olim ab hæreticis in eo loco corrupta, ut in *historia tripartita lib. 12. cap. 4.* videre est. Nec dubium est, quin illo modo verè legamus. Cum ita contra hæresim hanc Nestorii citaverit eum locum S. Leo Pontifex in *Epistola 10. ad Flavianum* approbata in Concilio Chalcedonensi *Act. 5.* Et rursus ibidem, *Quisquis confessus fuerit quoniam JESUS est filius Dei, DEUS in eo manet, & ipse in Deo.* Et cap. quinto. *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam JESUS est Filius DEI.*

1. Cor. 8. 1. Joan. 2. 1. Joan. 4. 1. Joan. 4 1. Joan. 5.

Quarto, quia constat ex Scriptura hominem Christum non per adoptionem, ut alios Sanctos, sed longè excellentiori modo esse Filium DEI, ut patet manifestè ex illo Matth. 16. *Tu es Christus Filius DEI vivi.* Et Lucæ 1. *Vocabitur Altissimi Filius.* Et Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus quasi gloriam unigeniti à Patre,* & ad Galat. 4. *Misit DEUS Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Et aliis ejusmodi evidentibus testimoniis, quibus hoc ipsum probatur. Si autem homo Christus non diceretur Filius DEI, nisi ob illas rationes quas assignabat Nestorius, scilicet propter inhabitationem DEI in illo, tanquam in templo, propter affectus conformitatem, propter rationem instrumenti, propter dignitatem & honorem, propter appellationem DEI; solus esset Filius Dei per gratiam & adoptionem, ut alii Sancti. Nam alii Sancti sunt etiam templum DEI 1. Corinth. 13. *Nescitis, quoniam templum DEI estis:* Et per illos etiam tanquam per sua instrumenta DEUS operatur, 2. Corinth. 5. *Tanquam DEO exhortante per nos.* Et 1. Corinth. 12. *Idem DEUS qui operatur omnia in omnibus,* & affectu cum Deo conjunctissimi sunt 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Domino, unus Spiritus est.* Et appellatio DEI eis tribuitur. Psalm. 81. *Ego dixi, dii estis.* Et denique cum sint etiam templum Dei, si ob id solum Christus habet dignitatem & honorem divinum (ut voluit Nestorius) illis quoque eadem ratione honor divinus deferri posset. Cum igitur longè excellentius (ut probatum est) Christus sit DEI Filius, quam alii Sancti: fatendum est, eum non, ob illas rationes, quas assignavit Nestorius, sed plane natura esse DEI Filium, atque adeo eundem esse substantialiter DEUM.

Matt. 16. Luc. 1. Joan. 1. Galat. 4. 1. Cor. 13 2. Cor. 5. 1. Cor. 12. 1. Cor. 6. Psal. 81.

Quinto, Nam nisi eadem omnino persona, quæ est DEUS, esset etiam Christus homo, impiè illi homini, qui Christus est, eundem honorem, quem Verbo Divino, tribueremus, quantumcumque esset DEI templum. Non enim idem honor templo, aut domui, & inhabitanti debetur. Alioqui liceret mundum quoque adorare, quatenus in eo habitat DEUS. Quod tamen manifesta esset Idololatria. At divinum honorem esse Christo homini tribuendum, Nestorius etiam fatetur. Ergo, &c. Quare rectè in Ephesina Synodo *Can.* 7. ita scribitur: *Si quis vel ut hominem JESUM, operante DEO Verbo, dicit adjutum, & unigeniti gloriam tanquam alteri, præter ipsum existenti tribuit, anathema sit.* Quod idem habetur *Can.* 8.

Notandum est autem, argumenta hæc, quæ directè probant, Christum secundum unam & eandem ipsius personam fuisse DEUM & hominem: simul etiam probare, illam unam personam, secundum quam Christus fuit Deus & homo fuisse Divinam, & non creatam. Nam, ut est impossibile divinam naturam per creatam personam hypostaticè terminari: ita est impossibile personam eam esse creatam, quæ eadem subsistit in natura Divina & humana, atque adeo est Deus & homo. Subsistit enim persona in natura aliqua non aliter, quam hypostaticè terminando illam, ut patebit ex iis, quæ de ratione personæ disseruntur. Et hactenus de prima probatione assertionis Orthodoxæ contra Nestorium, petita ex sacra Scriptura.

Secundo probatur eadem assertio ex Fidei Symbolis. Nam in Symbolo Apostolico, ipsum Filium DEI Patris unicum credimus, conceptum esse de Spiritu sancto, & natum ex MARIA Virgine, passum sub Pontio Pilato, &c. Ac similiter in Symbolo Nicæno, Credimus in unum Dominum JESUM Christum Filium DEI, unigenitum, &

ex Patre natum ante omnia sæcula, &c. qui (idem) incarnatus est de Spiritu sancto, ex MARIA Virgine, & homo factus est, crucifixus, &c. Et in Symbolo Athanasii: *Quilicet Deus sit & homo, non duo tamen sed unus est Christus: Unus omnino non confusione substantiæ, sed Unitate personæ, &c.*

Tertio probatur ex Conciliis. Concilium Ephesinum Can. 2. *Si quis non confitetur, carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unum esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul & hominem, anathema sit.* Et Can. 3. *Si quis in uno Christo dividit substantias post Unitatem, sola societate conjungens eas quæ secundum dignitatem est, vel etiam auctoritatem, & potestatem, & non magis conventu, qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.* Item Can. 4. *Si quis in personis duabus, vel subsistentiis, eas voces quæ in Apostolicis scriptis & Evangelicis continentur dividit, vel quæ de Christo dicuntur à Sanctis, vel ab ipso: & aliquas quidem ex iis velut homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit: aliquas vero tanquam DEO dignas soli Verbo Dei Patris deputaverit, anathema sit.*

Item in Concilio Chalcedonensi *Act.* 5. approbantur & recipiuntur prædicti Canones Concilii Ephesini. Item in Synodo quinta generali Can. 5. *Si quis in Mysterio Christi conatur introducere duas substantias vel personas, & introductis duabus personis, unam personam dicit per dignitatem & honorem sicut Theodorus, & Nestorius insanientes conscripserunt; & non confitetur Dei Verbum carni substantialiter uniri, & propterea unam ejus substantiam, vel unam personam, anathema sit.* Idem habetur in Concilio Lateranensi sub Martino primo Can. 2. & in Synodo 6. *Act.* 4. & in Concilio secundo Hispalensi *cap.* 13. &c.

Quarto probatur ex Patribus. Ac inprimis B. Cyrillus in *libro de Incarnatione Domini*, & in *Apologetico* pro duodecim capitulis, & in aliis ferè omnibus suis operibus, ubi etiam multa veterum testimonia pro se adducit. Cassianus *libros septem de Incarnatione* scripsit contra Nestorium, jussu S. Leonis 1. & in fine libri septimi, plurima recitat Græcorum & Latinorum Patrum testimonia.

Præterea, quæ isti adducunt possimus alia quædam afferre. S. Ignatius in *Epist.* ad Ephes. *Filius* (inquit) *DEI qui ante sæcula natus est, ipse in utero portatus est à MARIA secundum DEI dispositionem, ex semine David & Spiritu sancto.*

B. Justinus Martyr in *lib. de recta fidei confessione* circa medium: *Unus* (inquit) *est Filius, & qui mortuus est, & qui id quod mortuum erat excitavit. Cum ergo de uno filio contrarias voces audies, ea quæ dicuntur, naturæ tribue: ac si magnum quiddam & Divinum, divinæ id naturæ tribuito; si quid parvum & humanum, humanæ adscribito. Sic enim & verborum discrepantiam vitabis, cum tua, utraque natura recipiet; & Filium unum omnia sæcula antecessisse, & novum ex scripturis fatebere.*

S. Irenæus *libro* 3. *contra hæreses à cap.* 18. *usque ad* 22. probat multis testimoniis Scripturarum, unum & eundem esse JESUM Filium MARIÆ, & Verbum DEI Patris. Athanasius in *Epistola ad Epictetum* circa finem: *De solo*, inquit, *MARIAE Filio scriptum est, Verbum caro factum est. In quibus ostenditur ad reliquos Sanctos verbum factum esse, prophetandi gratia; ex MARIA autem ipsum Verbum, carne assumpta, hominem prodiisse.* Et infra: *Non quod filium à Verbo segregemus: sed quia eundem hunc esse agnoscimus, per quem omnia facta sunt, & per quem nos liberati sumus.*

Gregorius Nazianzenus *Epistola prima* ad Chelidonium: *Si quis*, inquit, *Virginem MARIAM ne quaquam DEI genitricem esse credit, is etiam à Deitate sit separatus. Si quis duos introducit Filios, unum quidem ex DEO Patre, secundum autem ex Matre, & non unum & eundem, adoptione filiali, quæ promissa est ijs, qui rectè credunt, excideris. Si quis non adorat Crucifixum, anathema sit, ac DEI annumeretur interfectoribus.*

Basilius *libro quarto in Eunomium*, exponens illud: Dominus creavit me, *Accipiendum est* (inquit) *verbum Genuit, de DEO Filio: Creavit autem, de eo qui formam servi suscepit. In omnibus vero his non duos dicimus, DEUM per se, & hominem per se. Unus enim erat, sed juxta intelligentiam cujusque naturam reputantes.*

Damascenus *lib.* 3. *de fide* cap. 9 *Ipsius* (inquit) *Verbi hypostasis utriusque naturæ hypostasis existens, nullam insubsistentem esse permittit*, &c.

Et ex Latinis Patribus S. Cyprianus *lib.* 2. *contra Judæos c.* 8. Ambr. *lib. de Incarnat. Domin. Sacram. cap.* 5. Hilarius de *Trinitate lib.* 2. Hieronymus in *c.* 14. *Matth.* Augustinus in *Enchiridio c.* 5. & *lib.* 13. *de Trinit. c.* 17. & alibi sæpe. Ac denique Leo Papa nihil frequentius repetit in omnibus suis sermonibus & Epistolis.

CAPVT XXXI.

Solvuntur Argumenta Nestorii.

ARgumenta omnia Nestorianorum Sophistica sunt, ac facilè dissolvuntur duobus sequentibus fundamentis.

Primum est: non idem propriè esse Christum hominem, & Christi humanitatem, seu carnem seu corpus. Nam vocabulum homo significat personam, quæ in Christo (ut probatum est) non fuit nisi divina: Humanitas vero, &c. sunt nomina significantia tantummodo naturam; itaque non debet intelligi de ipso Christo homine, quicquid de ejus humanitate seu corpore dicitur.

Hinc respondetur ad illud Joan. 2. *Solvite templum hoc*, quod pro Nestorio objiciebat Theodoretus contra secundum anathematismum Cyrilli; Templum enim divinitatis suæ appellat ibi Dominus non personam aliquam distinctam à sua propria, sed suam humanitatem seu corpus, ut apparet etiam ex verbis illis, quæ Joannes subjungit: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.*

Ex eodem quoque fundamento respondetur ad testimonium Basilii in *Psal.* 59. quod citabat Theodoretus in refutatione quinti anathematismi Cyrilli. Basilius enim ibi non ait (ut falso citabat Theodoretus) hominem Christum esse Deiferum, sed carnem Christi (σάρκα) Deiferam esse, quatenus nimirum altera Christi natura potest dici esse in altera per hypostaticam unionem.

Secundum fundamentum est, Christum hominem non fuisse hominem purum, ut sunt alii homines; sed hominem & DEUM, utpote in duplici natura, divina & humana subsistentem; ac proinde de illo secundum aliam & aliam naturam affirmari posse, quæcunque conveniunt vero DEO, & vero homini, excepto peccato, ut infra videbimus suis locis.

Hinc solvitur, id quod teste Theodoreto *lib.* 4. *hæreticarum fabularum* objiciebat Nestorius, nomen DEI non significare DEUM homini vel humanitati unitum; sed tantummodo DEUM: ac proinde

proinde beatam Virginem neque esse, neque debere dici *Matrem* DEI. Assumptum namque est falsum. Nam cum DEUS humanitati unitus, sit verus DEUS; ipsi quoque omnia ea conveniunt, quæ competunt DEO vero, atque adeo etiam DEI nomen, & consequenter B. Virgo verissimè est *Mater DEI*, hoc ipso quod est Mater DEI, cum humanitate uniti. Quanquam ante hoc quidem Incarnationis Mysterium, nomen DEI non aliud, quam solum DEUM significabat. Peracto autem eo Mysterio, suapte ratione id nomen significat etiam DEUM humanitati unitum.

Ex eodem quoque fundamento patet responsio, ad ea, quæ Nestoriani objiciebant, dici de Christo quandoque, velut de homine, qui non sit DEUS. Ut quod ipse compellat DEUM suum
Matt.26. Matth. 26. *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* & quod consolationem ab Angelo accipit, &c.
Luc.22. *Luc.* 22. Quandoque autem velut de DEO, qui non sit filius hominis: Ut quod fuerit ante Abraham, atque adeò etiam ante MARIAM: atque adeo etiam quod non sit ei MARIA consubstantialis, sicut oportet et, ut esset ejus Mater &c. Respondendum est enim, ex hac differentia attributorum Christi, non debere colligi diversas esse in eo personas, sed diversas naturas, per quarum alteram, scilicet humanam, conveniant verè Christo DEO, quæ sunt humana, atque adeo etiam ut sit Matri consubstantialis; per alteram autem, scilicet Divinam, conveniant eidem Christo homini divina.

Item respondetur facilè ex eodem fundamento ad illud Apostoli: *In similitudinem hominum*
Philip.2. *factus, & habitu inventus ut homo*, Philip. 2. Ex quibus Verbis Theodoretus (initio Nestorianus) in Commentario ejus loci argumentabatur Filium DEI non esse factum hominem, sed induisse hominem. Sed perperam hoc colligebat. Nam habitu inventus ut homo, & in similitudinem hominum factus Filius DEI dicitur, non quia verè non sit factus homo; sed quia sine mutatione sui homo factus est, perinde ac homo sine mutatione suæ substantiæ vestitur, ut ex sancto Augustino *lib.* 83. *qq. q.* 73. declaratur. Quod autem Apostolus ait: *In similitudinem hominum factus*, veritatem potius confirmat naturæ humanæ à Christo sumptæ, utpotè aliorum hominum planè similis. Dato etiam, quod σχήματι ibi idem sit quod figura, ut exponit illic Chrysostomus & Theophylactus: tamen sensus esse posset, Christum externa tantum figura & similitudine fuisse talem hominem, quales sunt alii, nempè hominem purum. Sed prior interpretatio, quæ est etiam D. Thomæ in eum locum mihi magis probatur, & melius cohæret cum verbis illis antecedentibus, *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*, ubi de vera essentia humanitatis assumptæ sermo est.

CAPVT XXXII.

Secundum fidem Catholicam, Beati in Deo non tam claritatem, quàm ipsam divinam intuentur essentiam.

DUpliciter contingit videre, aut cognoscere rem aliquam; primum quasi ipsam intuendo sicuti est, quod est videre per suam essentiam: Deinde per effigiem aliquam, & similitudinem sui, sicut amicum absentem in imagine ipsius, & DEUM in effectis ejus quodammodo agnoscimus, in uno quidem perfectius quàm in alio: fuit ergo error Armenorum apud Armacanum lib. 14. *quæstionum* contra illos, *cap. primo.* & recentiorum Græcorum, ut narrat idem Auctor asserentium, DEUM nec à Beatis secundum essentiam suam clarè videri, nec posse: sed tantum per quandam illius similitudinem, aut lucem ab eo derivatam. Eundem errorem illis asscribunt Alphonsus de Castro *contra hæreses verbo* Beatitudo, *hæresi prima*, & Gabriel Prateolus in suo *Elencho*, verbo *Armeni*. Tametsi Nicephorus *lib.* 18. *cap.* 53. eorum recensens errores, inter illos hunc non connumeret. Huic Armenorum errori aliqui ex Græcis Patribus adhæsisse videntur. Contra hunc errorem fide Catholica tenendum est, Beatos videre DEUM per essentiam. Hæc veritas clarè ex sacra Scriptura colligitur. Primus locus Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM* Matt.5.6. *videbunt.* Quem ita intelligit D. Augustinus *Epistola* 112. *cap.* 4. Hilarius *Can.* 4. *in Matthæum*, imo Augustinus ex hoc loco id esse de fide videtur deducere; ait enim; *Scimus, posse DEUM videri, quoniam scriptum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt, &c. An forte dicere non debui, Scimus, sed Credimus, quia scriptum est in scriptura, Cui credimus. Et respondet statim optimè dictum esse Scimus, quia cum apparuerit similes ei erimus: quia videbimus eum, sicuti est; eo quod id tanquam certum credebat.*

Secundus locus est Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Ubi Faciem substantiam ipsius DEI sicuti est, interpretatur Hilarius *Canone* 18. & in illud Psal. 118. *Deprecatus sum faciem tuam.*

Tertius locus est 1 ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Dicit, *Ut cognitus sum*, ut explicat Theodoretus, hoc est, Sicut notus & familiaris, qui vultum amici clarè intuetur: Hieronymus, Perfectè, sicut à DEO cognitus sum; Chrysostomus & Theophylactus. Ira ei occurram visione, sicut ipse me prævenit, cum prius me cognovit. Alii, Cognitus sum, pro edoctus sum, positum putant. Quod si in alia vita DEI essentia per se non appareret, sed in aliqua luce ab ipsa derivata, absque dubio in ænigmate adhuc, & sub obscuro velamine, non facie ad faciem videretur: nec cognosceremus sicut cogniti & familiares, sed ex parte tantum, licet perfectiori modo quam in via. Ænigma enim, teste Augustino 15. *de Trinitate cap.* 9. est similitudo quædam obscura ad intelligendum, cum per unam rem aliam significare volumus. Cum ergo quævis lux aut creatura à DEO derivata, sit magis diversa res ab ipso DEO, quam una creatura ab alia; efficitur, multo magis, illam ænigma esse DEI; quam una creatura alterius esse potest.

Quartus locus est 1. Joan. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*: ibi enim sermonem esse de Deitate, non de humanitate Christi patet primo ex contextu. Nam paulo ante de Patre, hoc est, de DEO locutus fuerat, *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij DEI nominemur, & simus*; & de eodem prosequitur, cum dicit; *Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus.*

Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, id est DEO, *quoniam videbimus eum sicuti est*: eum inquam, qui dedit nobis, ut Filii DEI simus; cum vero postea subjungit: Et *scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret*, loquitur etiam de DEO, qui in carne apparere dignatus est.

Secundo patet ex definitione Ecclesiæ: Evaristus in *prima sua Epistola* ex illo 1. Joan. 3. *Videbimus eum sicuti est*, disertè affirmat Dei substantiam à Beatis videri. Ipsum Concilium Francofordiense in Epistola ad Episcop. Hispaniæ, his verbis asserit: *Prædicamus eum* (scilicet Christum) *DEUM verum, & vivum, & verè Filium DEI, ut ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, in qua est aterna beatitudo & beata æternitas.* Probaverat autem ante medium Epistolæ ex illo 1. *Joan.* 3. visionem hanc futuram esse DEI, sicuti est. Ad hæc *Eugenius IV.* & Concilium Florentinum Sessione ultima in litteris Unionis, quæ ab universa Synodo verè fuere receptæ & subscriptæ, licet postea fraudibus cujusdam ex Græcis Patriarchis Imperator Græcorum resilierit: inter alia definiunt eos, qui suppositio baptismate, vel peracta pœnitentia in gratia decesserint, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum DEUM Trinum & Unum sicuti est. Denique *Benedictus XI.* in quadam *Extravaganti*, quam referunt Major in 4. *q. ultima*, & supplementum Gabrielis in 4. *d.* 4. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 3. definit Animas defunctorum, qui in gratia decesserunt ante diem Judicii, ex visione clara & fruitione Dei, verè esse beatas.

Secundo ex Patribus plures quoque & magni nominis idem nobis tradiderunt. Dionysius de *Cœlesti Hierarchia c.* 4. Martialis in *Epistola ad Tolosanos cap.* 27. Origenes 1. *Periarchon c.* 5. Explanans illud Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* & Nazianzenus *oratione* 25. *in fine*, ubi sic ait: *In hoc igitur commune nomen* (scilicet Dei) *crede, & prospere incede, & regna: atque hinc ad alterius vitæ beatitudinem transibis. Ea porro, ut mihi quidem videtur, in expressiore horum cognitione, ac comprehensione sita est.* Apud Patres vero comprehensio pro clara Dei visione accipitur Fusius tamen Irenæus *lib.* 18 *ca.* 38. idem docet. Consentit Augustinus *Epistola* 112. de videndo DEUM *cap.* 4. & 8. quod enim in fine Epistolæ dubitat, An ab Angelis DEUS nunc videatur, non obstat: de omnibus enim beatis in Augustino dubium est, num ante diem Judicii DEUM clarè immeantur: non tamen dubitat, an aliquando DEUS videndus sit.

Exod 13. Neque obstant aliqua S. Scripturæ loca, Exodi
1. *Tim.* 6. 23. *Non videbit me homo & vivet*, & 1. ad Tim. 6.
Lucem habitat, &c. *quem nullus hominum videt, nec*
1. *Pet.* 1. *videre potest.* 1. Pet. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere*, ergo non respiciunt. præterea sunt aliqua loca SS. Patrum, ut Chrysost. qui videtur negare DEUM clarè videri. Pro responsione primo notandum, quadrupliciter intelligenda esse illa loca Scripturæ, primo ut negent DEI visionem comprehensivam; ita Chrysost. *Hom.* 14. *in Joan.* Epiphan. August. Gregor. & Dionysius *cap.* 9. *de divinis nominibus.* Secundo, quod DEUS non potest videri oculo corporeo, seu phantasia naturali, benè tamen videri potest intellectu. ita Aug. *Epist.* 111. & 112. & Chrysost. Tertio, ut sit Deus invisibilis viribus naturæ, ita Epiphan. *hæresi* 70.
Matt. 11. sed benè poterit videri per gratiam. Matth. 11. *Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

Quarto, & est Durandi, quod intelligitur non posse videri DEUM in hac vita de lege ordinaria, & Angeli desiderant prospicere, non quia careant illa visione, sed quia nunquam fastidiunt: imo ille locus est pro nobis, non enim desiderant rem impossibilem: & illud Joan. 1. *DEUM nemo vidit unquam, Unigenitus*, &c. Jansenius explicat de comprehensiva visione; adde, quod nullus vitibus propriis videt, ut posset primus Auctor alios enarrare, quæ viderat, & ibi commendatur Auctor prædicationis Evangelicæ. *Joan.* 1. 6.

Quintò, *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*; & notandum, quod licet DEUS sit infinitus, tamen continetur sub ente, quod est objectum intellectus, ideo ex auxilio gratiæ potest intellectus elevari ad videndum DEUM. Angelus vero licet sit finitus, non tamen videri potest oculo corporeo, quia est extra latitudinem objecti ipsius oculi, veluti neque sonus potest videri. Deinde excusat Chrysostomum qui explicandus est per alia loca, ubi negat DEUM videri, & addit exactè vel perfectè, quod idem est ac dicere Deum non comprehendi, vide Sixtum Senensem in *Bibliotheca lib.* 6. *annot.* 182. & Duran. in 4. *dist.* 35.

CAPUT XXXIII.

Pœnitentia, quæ in Ecclesia Catholica agitur, est Sacramentum à Christo Domino institutum.

APud plurimos ex Orientalibus ignotum est pœnitentiæ Sacramentum, cujus ferè nullus est usus, imo inter aliquas ex his nationibus nolunt relapsos à fide admittere, ad absolutionem & reconciliationem cum Ecclesia, etiam pœnitentes, ut olim Novatiani, & Montanistæ hæretici faciebant. Probatur autem pœnitentiam, quæ agitur in Ecclesia Catholica, esse Sacramentum à Christo institutum.

Primò, ex potestate, quam Christus Dominus dedit Apostolis suis, & ipsorum Successoribus, ad dimittendum vel remittendum peccata. Matth. 18. Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ista enim sine gratia Sacramenti fieri non possunt.

Secundò, ex omnibus requisitis ad essentiam Sacramenti, etiam juxta ipsorum hæreticorum placitum. Enumerant enim octo requisita ad perfectam rationem Sacramenti, quæ ordine recensebimus. Primum est, ut sit signum externum. Hoc in pœnitentiæ Sacramento sunt actus pœnitentis, qui confitetur peccata sua, & Verba absolutionis: *Ego te absolvo*, hoc est, *Remitto tibi peccata tua.*

Alterum requisitum, ut signum illud externum habeat mandatum à DEO. Tale habet pœnitentia ex Verbis Christi, *Matth.* 18. *Joan.* 20.

Tertium, ut mandatum hoc sit in novo Testamento. Etiam hoc certum est de Sacramento pœnitentiæ, ut patet ex *loco Joan. citato* & ex Paul. 2. Cor. 5. *Posuit in nobis verbum reconciliationis, & pro Christo legatione fungimur.* Quorsum enim daret Christus Apostolis absolvendi potestatem, nisi etiam, ut ea uterentur, quando opus esset, juberet?

Quartum, ut sit ritus perpetuus. Talis utique est pœnitentiæ Sacramentum, quod semper fuit, semperque durabit in Ecclesia usque ad finem mundi.

Quin-

Quintum, ut signo illi addita sit promissio gratiæ Divinæ. Et hoc manifestum hic est; Nam promissa peccatorum remissio magna est gratia *Joan.* 20.

Sextum, ut sit promissio gratiæ justificantis. Talis maximè est in hoc Sacramento post acceptum Baptismum: cum sine eo non detur in Ecclesia remissio peccatorum.

Septimum, ut promissio illa gratiæ signo aliquo externo adjuncta & vestita sit. Hoc in primo requisito ostensum est.

Octavum, ut ea promissio gratiæ non tantum in genere annuncietur, sed etiam in particulari singulis applicetur. Et hoc quoque manifeste fit in Sacramento pœnitentiæ, ubi singulis pœnitentibus legitimè datur remissio peccatorum. Ex doctrina ergo adhuc Hæreticorum sequitur, Pœnitentiam esse Sacramentum.

Deinde Testimoniis Patrum Græcorum, S. Joannis Chrysost. Neque enim (inquit) solum cum vos regenerant, sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent, S. Cyrillus *lib.* 13. *in Joan. cap.* 56. Duobus modis dicit remitti peccata à Sacerdotibus, ut Dei ministris per Baptismum, & pœnitentiam. Theodoret. in *Epitome* divinorum decretorum *cap. de pœnitentia* dicit: Sacrorum mysteriorum Baptismi, & Pœnitentiæ figuras fuisse in testamento veteri ablutiones, & Sacrificia. Ubi non solum conjungit Theodoretus Pœnitentiam cum Baptismo, sed etiam utrumque, mysterium (quia voce Sacramenta nominari solent) appellat.

Tertio probatur ex fide & moribus totius Ecclesiæ Dei, quæ semper credidit & frequentavit hoc Sacramentum inter alia septem: ut testantur Sacri *Canones de pœnitentia* 33. *q.* 3. Et omnes Theologi 4. *Sentent. dist.* 14. Quæ eadem omnia confirmantur auctoritate, & decretis SS. Conciliorum Florentini & Tridentini, illius in *Institutione Armenorum*: hujus *Sess.* 14. *cap.* 1. & *Can.* 1, cujus verba sunt: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum, pro Fidelibus, quoties in peccata labuntur post Baptismum, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit.*

Hoc autem pœnitentiæ Sacramentum necessario requirit tres actus pœnitentis, nimirum veram contritionem, confessionem, & satisfactionem, quibus accedit ex parte Sacerdotis actus absolutionis, idque constat primo ex hujus Sacramenti propria essentia. Nam ad ea saltem duo sunt necessaria, ut & in aliis Sacramentis: scilicet signum externum, & verbum prolatum: illud materiæ, hoc formæ rationem habet. Materia in hoc Sacramento sunt actus pœnitentis: forma sunt verba Sacerdotis, dicentis, *Ego te absolvo.*

Actus porro pœnitentis ex natura rei debent esse tres: scilicet: Contritio seu dolor cordis de peccatis commissis; Confessio eorundem integra, ordinario Sacerdoti facta: & satisfactio pro pœnis temporariis luendis ob peccata commissa, & dimissa: alioqui esset pœnitentia simulata, non vera.

Deinde probatur auctoritate omnium Theologorum *lib.* 4. *Sent. dist.* 16. quam confirmavit Concil. Florentinum in *Decreto de Sacramentis.* Et novissimum S. Concil. Trident. *Sess* 14. *Can.* 4. cujus hæc sunt Verba: *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres partes pœnitentiæ dicuntur: aut dixerit duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, & fidem acceptam ab Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit.*

CAPUT XXXIV.

Unctio extrema verè est Sacramentum Ecclesiæ.

Hæc veritas etiam contra ipsos Orientales primo probatur ab authoritate Scripturæ sacræ, *Jacob. cap.* 5. ubi Apostolus ex doctrina Christi, de cura infirmorum scribit: *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hæc verba omnes Sacri interpretes hactenus de Sacramento Unctionis extremæ intellexerunt.

Secundo, ex fide & observatione Ecclesiæ Dei, quæ à temporibus Apostolorum hactenus credidit & docuit esse septem Sacramenta, inter quæ etiam numeratur Unctio extrema. Et semper in usu fuit etiam Unctionis hoc Sacramentum, ut ex sequentibus testimoniis clarescet.

Tertio, ex testimoniis totius antiquitatis. Ita enim D. Augustinus *Ser.* 215. de Temp. *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, Corpus & sanguinem Christi ille, qui ægrotat accipiat: & inde corpusculum suum ungat; ut illud quod scriptum est impleatur in eo, Infirmatur aliquis &c.*

Et *lib.* 2. de visit. Infirm. cap. 4. *Nec prætermittendum est illius Apost. Jacobi præceptum: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccl. sia &c.* Subjungit: *Ergo sic roges de te, & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Jacobus: imo per Apostolum suum Dominus.*

Et D. Hieron. in Cap. 14. *Oseæ*, ad verba: *Et erit Oseæ.* *quasi oliva gloria ejus. Sanctum virum*, inquit, *& conversum ad Dominum olivæ fructiferæ comparat, quæ dicit in alio loco: Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei. Cujus fructum sibi quinque sapientes Virgines paraverunt: ex quo vulnerum mitigatur tumor, languentia membra quiescunt, in tenebris lumen accenditur, unguntur in agone certantes.*

Præterea D. Chrysostomus *lib.* 3. *de Sacerdotio* cap. 6. *Non modo*, inquit, *dum nos Deo regenerant, sed & postea condonandorum peccatorum habent potestatem. Infirmatur enim quis in vobis, advocet, &c. ut antea Jacob* 5.

Antiquior his Innocentius Papa 1. *Epist. ad Decentium relata cap.* Illud superfluum. *dist.* 95. statuit licere etiam Episcopo Unctionis Sacramentum infirmis dispensare: quod Jacobus Apostolus dumtaxat presbyterorum meminerit, ne oneraret hac cura Episcopos solos.

In Concil. Niceno I. *Canone* 69. obiter fit mentio benedictionis olei Infirmorum.

In Concilio Cabilonensi, quod habitum est sub Carolo Magno *Can.* 48. ita statutum legimus; *Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent. Sic enim ait: Infirmatur quis &c. Non est itaque parvi pendenda hujusmodi medicina, quæ animæ & corpori medetur languoribus.*

Post hæc tempora celebratum est Concilium Florentinum, in quo institutio Armenorum facta est, quæ inter alia etiam continet doctrinam de septem Ecclesiæ Sacramentis.

Quartò probatur Catholica veritas rationibus evidentibus. Quarum prima, quod Unctio hæc habeat signum exterius, & promissionem gratiæ & mandatum perpetuæ observationis, & destinatum ministrum, ut ex verbis Apostoli Jacobi manifestè constat. At ista sunt essentialia Sacramenti cujuslibet: itaque & Unctio infirmorum, de qua B. Jacobus loquitur est Sacramentum.

Altera ratio est, ex necessitate hujus Sacramenti; nam cum omnis homo judicetur à Deo secundum statum, in quo moriens invenitur, juxta verba DEI *Ezech. cap. 18.* Hinc fit, ut Diabolus si nullo alio tempore, certe sub agonem mortis ei omnium maximè insidietur, ut ad desperationem, vel aliud genus peccati eum pertrahat, & à DEO avertat. Facit ergo Sacramentum hoc, ut homo contra istiusmodi Diaboli machinationes muniatur, & securus emigret.

Denique confirmantur hæc omnia, decreto S. Concilii Tridentini *Sess. 14.* in qua post explicatam doctrinam de hoc Sacramento, *Can. 1.* sic definivit ac statuit: *Si quis dixerit extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

CAPUT XXXV.

De confirmationis Sacramento.

COnfirmationem Orientales non tam ut verum Sacramentum gratiam conferens, quam ut ritum dumtaxat Institutionis puerorum, qui baptizantur colere videntur. At Confirmationem esse verum Sacramentum à Christo Domino institutum, probatur. Primo ex his, quæ ad essentiam cujuslibet Sacramenti pertinent: quorum tria sunt scilicet, primum signum sensibile, secundum promissio gratiæ, tertium mandatum dispensationis seu usus. Quæ omnia etiam in hoc Sacramento inveniuntur. Primum, Signum sensibile, quo Apostoli hoc Sacramentum acceperunt fuit singulare. Ut in spiritu vehementi & linguis igneis *Act. 2.* Signum vero, quo Apostoli hoc Sacramentum aliis dispensarunt, fuit impositio manuum cum oratione, *Act. 8. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* In qua impositione manuum etiam subintelligitur unctio in fronte cum Chrismate, ut testantur antiquissimi Doctores Ecclesiæ. Promissio gratiæ fuit cùm Christus suis Apostolis promisit, missurum se eis Spiritum sanctum, *Joan. 14. & 16. Luc. ult. Sedete in civitate donec induamini virtute ex alto*: & *Act. 1. Accipietis virtutem Spiritus sancti, & eritis mihi testes, &c.* Hanc enim fuisse justis factam promissionem, & jam baptizatis, ut fortiores evaderent in fide, nullus negabit. Deinde mandatum dispensationis hujus Sacramenti habemus ex factis Apostolorum. Ipsi enim Spiritum sanctum dederunt credentibus, haud dubiè jussi Christi. *Act. 8. & 19.* Quod ergo olim dictum est Sacramentum Impositionis manuum, postea dictum est Sacramentum Confirmationis; mutato quidem nomine, sed manentibus signis exterioribus iisdem & verbis.

Secundo probatur ex testimoniis antiquissimorum Doctorum Ecclesiæ, ut D. Ambrosii *lib. 3. de Sacrament. Cap. 2.* ubi scribit: *Sequitur spirituale signaculum: quia post fontem sequitur ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.*

Et D. August. *lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. In hoc* (ait) *unguento Sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sunt ipse Baptismus: sed potest esse in hominibus pessimis.*

Sic D. Hieronymus in *Dialogo contra Luciferianos; postea quam hæreticis interrogantibus, ubi scriptum sit, Episcopos, baptizatis per impositionem manuum dare Spiritum sanctum, respondisset: In Actibus Apostolorum:* (mox subjungit) *Sed etiamsi Scriptura auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

Et D. Gregorius *Homil. 17. in Evang.* sub fin. *Per nos* (inquit) *Fideles ad sanctum Baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, & per impositionem manuum nostrarum à Deo Spiritum sanctum percipiunt: atque ipsi ad regnum cælorum pertingunt: & ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus.* Rursus *lib. 3. Epist. 9. Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos ungant pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.*

Accedunt his alii multi Patres à Bellarmino citati *Tomo 2. lib. de Confirmat. cap. 6.* Itemque cæteri, qui de Sacramentis ex professo tractant. Magister sentent. cum omnibus Theologis Scholæ *lib. 4. sent. dist. 7.* D. Thom. *part. 3. q. 72.* Addantur & sacri Canones de *Consecrat. dist. 5.* Et *tit. de Sacr. Unct. §. per frontis Chrismationem*, aliorumque summorum Pontificum, Conciliorumque decreta, quæ Bellar. *libr. de Confirmat.* recenset.

Tertio, utilitatibus seu effectis hujus Sacramenti (ut est corroboratio Fidelium ad fidem Christi conservandam, & ad eam profitendam publicè, quoties opus fuerit, etiam cum periculo facultatum & vitæ. Ut etiam est fortiter resistere insidiis ac tentationibus Diaboli, quibus nos ad quævis peccata pertrahere molitur) accedunt miracula per hoc Sacramentum olim ostensa, quorum aliqua recenset Bellarminus antea *notato c. 6.*

Confirmant ut denique hæc omnia auctoritate & Decreto S. Concilii Tridentini, cujus *Sess. 7. de hoc Sacramento Confirmationis Can. 1.* Verba hæc sunt: *Si quis dixerit confirmationem Baptizatorum, otiosam cæremoniam esse, & non potius verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam Catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.*

Et Can. 2. *Si quis dixerit injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuant, anathema sit.*

Denique Can. 3. *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.*

CAPUT XXXVI.

Matrimonium non posse dissolvi propter adulterium.

NUlli Christianorum licitum est, ut Orientales falsò existimant, & ex Græcis aliqui, dimissa uxore adulterii, vel alterius rei causa aliam ducere. Hoc apertè docuit Christus Dominus *Marci cap. 10.* cum ait: *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* Marci 10

mœchatur. Ita quoque apud Lucam Christus loquitur: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro duxerit, mœchatur.* Luc. 16. E quibus verbis necessario sequitur, Si uxor non est dimittenda, nisi ob fornicationem juxta mandatum Christi *Matth. 5.* & dimittens uxorem suam non potest alteram ducere; Ergo nullatenus possunt disjuncti ad alias nuptias transire. Luc. 16.

Præterea si nemini licet dimissam ducere in uxorem, oportet eam esse adhuc ligatam vinculo prioris mariti: alioqui non potest ratio inveniri, cum pœnitens facti, non possit alteri nubere.

Ad hæc Apostolus Paulus vult dimissam viro suo reconciliare. At si vir alteram uxorem duceret, non esset amplius locus reconciliationis cum priore. Unde idem Apostolus docet mulierem alligatam esse legi Matrimonii quanto tempore vir ejus vivit. Vicissim ergo & maritus alligatus erit legi isti, quanto tempore uxor ejus vivit, 1. *Corinth. 7.*

Secundo ex auctoritate & observatione totius Ecclesiæ DEI. Nam à temporibus Apostolorum usque in hodiernam diem non legitur permissum dimittentibus uxores suas ob adulterium, aut alias causas, ut ducerent alteras, viventibus adhuc dimissis, juxta *Cap.* Gaudemus, de divortiis, & multa alia *cap. 32. q. 7.*

Tertio ex evidentibus rationibus. Quarum prima à mystica significatione matrimonii. Nam, ut antea ostensum est, Matrimonium significat conjunctionem Christi & Ecclesiæ, quæ est indissolubilis. Itaque & matrimonii vinculum erit indissolubile.

Ratio secunda à contrario absurdo. Si enim Matrimonii Vinculum per adulterium dissolveretur, utrique conjugi liceret ad alteras nuptias transire. Ita multi ex industria adulterium committerent, ut à priori conjuge liberati, aliis nobilioribus, locupletioribus magisque dilectis conjungi possent. Vel multi mariti ob aliarum desiderium, suos uxores etiam innocentes adulterii accusarent. Quod & D. Hieron. *Cap 19. in Matth.* annotavit.

Ratio tertia ex occasione dissidiorum inter veros parentes, & non veros, si in eodem loco habitarent. Naturalis enim amor filiorum non potest extingui. Vera quippe mater dimissa non poterit oblivisci filiorum suorum, idque si noverca nova ducta à suo marito eos foveat, ac tractet, uti ipsa voluerit, erit occasio jurgiorum, querelarum, & accusationum multarum. Gravia autem pericula timenda forent, si parens verus dimissus sit, & uxor ejus nubat alteri, qui sit vitricus filiorum. Et sanè nemo impedire poterit, quin filii sæpe accurrant ad veram matrem, aut verum patrem, si à noverca, aut vitrico durius tractentur.

Ratio quarta ex publica inhonestare: Quid enim inhonestius quam vocare novercam matrem filiorum, matre vera adhuc vivente? aut vitricum patrem, quanto tempore verus pater vivit?

Confirmantur denique hæc omnia Decreto S. Concilii Tridentini *Sess. 24. Can. 7.* cujus verba sunt: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi: & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere: mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit: & eam, quæ dimisso adultero alij nupserit, Anathema sit.*

Ac demum Matrimonii vinculum esse indissolubile, etiam in casu fornicationis alterius conjugis, magno consensu affirmant veteres Patres, ut Justinus in *Apologia ad Antoninum.* Evaristus *Epistola 2.* Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem.* Clemens Alexandrinus *lib. 2. Stromat.* Hieronymus in *cap. 19. Matthæi,* Augustinus, Ambrosius in *c. 16. Lucæ.* Innocentius I. *Epistola 3. ad Exuperium.* & communiter interpretes in *cap. 7. 1. ad Corinth.* & in *Cap. 10.* Marc. & in *Cap. 19.* Matthæi.

Neque veritati Catholicæ obstat locus ille Matthæi 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur,* ex quo colligunt licitum esse divortium ob fornicationem; nam respondetur apud Matthæum Christum exceptionem illam (nisi ob fornicationem) non ideo fecisse, ut indicaret Matrimonium fore cum alio licitum, quando propter fornicationem primus conjunx dimittitur: sed ut indicaret non fore dimissionem illicitam, cum fit propter fornicationem. Unde cum Christus dicit, *Quicunque dimiserit, nisi ob fornicationem,* subaudire debemus peccat, & illicitè facit dimittendo. Quod verò sequitur, *& aliam ducit: & qui dimissam duxerit, mœchatur,* universaliter, de omni qui dimittit, sive propter, sive præter causam fornicationis, accipiendum id est. Ita SS. Patres communiter eam Christi sententiam intellexerunt, neque Christus tale divortium approbavit in casu fornicationis alterius conjugis, quale erat illud, de quo Judæi interrogabant, utrum esset licitum quacunque ex causa. Quinimo illum Judæorum errorem coarguere Christus voluit responsione sua, quod existimarent tale aliquod divortium, propter aliquam omnino causam liberum esse (saltem per se spectata lege divina) in quo non solum dimitteretur uxor, sed alia etiam duceretur. Contra Christus generatim dicit, illud divortium adulterium esse secundum legem divinam.

Neque vero novum hoc est, ut cum quis respondet, non modo respondeat directè ad id, de quo interrogatur, sed etiam corrigat errorem, qui supponitur in interrogatione. Ita igitur in proposito: cum Judæi putarent sibi licere, aut etiam per se, & ex ordinaria lege sine peculiari dispensatione, esse licitum tale devortium, in quo dimitteretur uxor, & alia duceretur; ac eo errore supposito tantum interrogarent de causis, propter quas id facere liceret; Christus responsione sua duo facit. Nam primo removet eum errorem, quem ea interrogatio supponebat, affirmatque tale divortium adulterium esse, idque confirmat ibi ex lege divina, lata in prima institutione conjugii. Deinde simul etiam respondens ad ipsam formam interrogationis docet, licitum divortium, id est, dimissionem in perpetuum, absque eo, quod alia ducatur, solum habere unam causam, nimirum fornicationem.

CAPVT XXXVII.

Legem veterem omnino esse jam abrogatam.

ERror fuit olim veterum Hæreticorum, legem veterem non cessasse, sed perpetuo servandam una cum nova; ita Cherintus, teste Epiphanio *hæresi 28.* Augustino *hæresi 8.* & Ebion, teste

Irenæo *lib.* 1. *c.* 26. sunt Eubionæi & Nazaræi, teste Augustino, *hæresi* 9. & Epiphanio *hæresi* 18. Huic etiam errori adhærent hodie aliqui ex Orientalibus, ut ex superioribus satis apertè constat. Hos tamen omnes errores redarguit Paulus scribens Galatis, qui eodem errore fuerant infecti dicens:

Gal. 3. *Prius autem quam veniret fides sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Et iterum de duobus testamentis loquens, sub figura duorum filiorum Abrahæ, ait: *Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc.*

Gal. 4. *Sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam & filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres non sumus ancillæ filii sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Ecce Paulus apertè testatur ejiciendam esse legem veterem, quæ tanquam ancilla fuit legis Evangelicæ. Et rursum in eadem Epistola:

Gal. 5. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini. A gratia excidistis. Non enim spiritu ex fide spem justitiæ expectamus. Nam in Christo JESU neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides, quæ per Charitatem operatur.* Et in Epistola *ad Hebræos* de eadem re disputans ait:

Heb. 7. *Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, alium surgere sacerdotem, & non secundum Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* Et iterum: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio vero melioris spei per quam proximamus ad DEUM.* Demum de hac re ab ipsis Apostolis in unum congregatis, in illo celeberrimo Hierosolymitano Concilio, data est definitio:

Act. 15. quoniam (ut Apostolica refert historia) *quidam descendentes de Judæa, docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salvari. Surrexerant enim quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt & dicebant oportere circumcidi, & servare reliqua omnia, quæ Moyses in lege præceperat. Ob quam doctrinam facta est non modica seditio, resistentibus assertioni huic Paulo & Barnaba. Propter quod Apostoli & seniores convenerunt Hierosolymam, ut de hac re definirent. Habitaque matura, prout decebat, rei examinatione, protulerunt sententiam, quam per Epistolam suam miserunt his, qui erant Antiochiæ, in hunc modum: Visum est enim Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocatione, à quibus custodientes vos bene agetis.* Hæc Concilium Apostolorum. Quis erit ergo, qui tam illustris Concilii definitioni repugnare audeat? Nullus certè, nisi demens aut infidelis ille fuerit; & certè, si lege Evangelica data adhuc oporteret observare legem veterem, contra eandem legem visus fuisset facere DEUS, qui talem in Levitico condidit le-

Levit. 18. gem, *Sororem uxoris tuæ in pellicatum ejus non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente.* Quæ quidem rectè præcepta sunt, ne si forte aliquis simul uxori, & sorori illius jungeretur, inter simul habitantes excitaretur zelus, unde contentio nixaque generata fuisset. Prius quidem synagogam sibi desponsaverat DEUS: hujus Soror est Ecclesia, quam etiam DEUS sibi conjungere optabat: verum ut nulla esset contentionis inter eas occasio, noluit secundam superducere vivente prima.

Deinde legem veterem cessasse in morte Christi Domini, convenienter omnes illi Patres, qui communiter exponunt illud dictum Christi Joan. 19. *Consummatum est.* id est, absolutum est mysterium redemptionis, quatenus erat meritis Christi perficiendum, quo lex vetus imprimis, ut ad finem & terminum suum referebatur. Joan. 19.

In cujus signum mortuo Christo velum templi scissum est, ut ea re significaretur totam summam legis veteris tunc adimpleri & antiquari. Et hoc est quod Theologi dicunt, legem veterem in morte Christi fuisse mortuam ac sepultam. An vero ab illo instanti fuerit mortifera, ita ut illius observatio esset observantibus mortifera, controversia est inter doctos.

Pro qua oportet advertere tria præceptorum genera in lege veteri contineri: quorum alia ad singulorum vitam & mores componendos & formandos pertinebant, & ideo moralia dicuntur. Alia vero ad Cæremonias & ritus Religionis, qua debitus DEO cultus, honor & veneratio defertur, & vocantur cæremonialia præcepta. Alia denique spectabant ad bonam reipublicæ administrationem civilem, quibus humana civium salus, & pax ac tranquillitas conservatur: & hæc Judicialia præcepta nominantur. Quo fit, ut in sacris litteris sæpè hæc tria conjungantur: Præcepta, Cæremoniæ, Judicia. Primum (uti diximus) ad mores refertur: secundum ad ritus & cæremonias sacrorum: tertium ad civilem populi gubernationem.

Judicialia igitur præcepta, ut rectè D. Thomas docet 1. 2. *q.* 104. *art.* 3. non fuêre mortifera à morte Christi, etiam si fuerint mortua, quia non erant illa præcepta figuræ Christi venturi, nec referebantur principaliter ad significationem mysteriorum Christi; sicut & cæremonialia, quæ ut fuerunt mortifera, vel à morte Christi, vel à promulgatione sancti Evangelii, ut alii Patres volunt. Quia cum cæremoniæ illæ principaliter spectabant ad cultum illi populo convenientem, secundum significationem mysteriorum Christi venturi, quare post passionem Christi, jam cultus ille cæremonialis erat falsus, quia jam Christus non expectabatur, ac ideo post mortem Christi cessasse de fide est. Præcepta vero moralia, quæ ex lege naturæ derivantur, servari debent, non tamen, quia in lege veteri fuerint præcepta, sed quia natura duce tenemur servare.

Neque obstat, quod *Actorum* 15. Apostoli jus- Act. 15.
serunt *abstinere à sanguine suffocato*: & addiderunt illud se oneris tantummodo inter alia necessaria velle imponere. Viguit igitur post Christi passionem illa cæremonia. Confirmatur, quoniam in Concilio Gangrensi est nultis annis post id decretum innovatum.

Respond. cum D. Thom. *quæst.* 103. *art.* 4 *ad tertium*, non fuisse id præceptum ad cultum, sed materialiter in alium finem, ut scilicet posset facilius ex Judæis & gentibus unus populus coalescere, si eo genere abstinentiæ sese Gentiles cum Judæis, qui maximè à suffocato & sanguine abhorrebant, in communi convictu confirmarent. Ad confirmationem autem Respondet Scotus, tunc temporis etiam durasse illam causam propter quam eodem respectu erat utile ab iis abstinere.

C CA-

CAPVT XXXVIII.

De animæ rationalis productione.

ERant deinde Orientales credentes, animas per traducem gigni ab animabus parentum, sicut corpora à corporibus; atque adeo ab Adami anima omnes propagari, quæ olim fuit Tertulliani sententia.

Stabilienda est contra hunc errorem veritas Catholica. Hæreticum est dicere, Animam intellectivam traduci cum semine: ita sentit D. Thom. 1. *p. q.* 118. *art.* 2. Probatur primo ex sacra Scriptura, quæ semper ascribit productionem
Gen. 2. animæ ipsi Deo, & non alteri, ut Genes. 2. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo*
Job 31. *in animam viventem.* Et Job 31. *Nunquid non in utero fecit me, & formavit me in vulva unus?* Hoc certè intelligi non potest de formatione hominis quoad corpus, cum illud etiam formetur à parente per virtutem fœminæ. Oportet igitur id intelligi de formatione hominis, quoad animam, quam solus DEUS creat. Et quamquam in Hebraico textu, hic locus non ita planè legatur, tamen parvipendi non potest authoritas vulgatæ editionis, quam Ecclesia sanxit habendam esse
Psal. 32. pro authentica. Præterea Psal. 32. *Qui finxit figillatim corda eorum.* Et Zachar. 12 *Fingens spiritum*
Zach. 12. *hominis in eo.* Et Ecclesiast. 12. *Spiritus revertatur*
Eccles. 12. *ad Dominum qui dedit illum.* Et quamquam hæc ferè testimonia per se sola non planè convincant, ut Augustin. *Epist.* 28. de aliquibus hujusmodi testimoniis notat; tamen magnum habent pondus ob Ecclesiæ auctoritatem, quæ eam esse vim horum locorum Scripturæ intellexisse videtur.

Et ratione etiam convincitur, quia nulla virtus activa agit ultra suum genus; sed anima intellectiva excedit totum genus corporeæ naturæ, cum sit substantiæ spiritalis. Nulla igitur virtus corporea ejus effectionem valet attingere, atqui omnis actio seminalis facultatis est à virtute corporea, cum spectet ad potentiam vegetatricem corpori prorsus inhærentem. Ergo fieri non potest, ut animæ intellectivæ virtute seminis deriventur. Secundo, cum generatio alicujus est causa, cur aliquid sit; ejus dissolutio causa item est, cur aliquid pereat; atqui dissolutio corporis non affert interitum animæ rationali; siquidem immortalis est: ergo neque corporis generatio erit ei causa, ut esse incipiat; at seminis traductio propria causa est generationis corporis, non igitur causa est generationis animæ. Tertio, omne agens naturale, sicuti agit dependenter à materia, ita non producit nisi quod à materia dependet: sed anima rationalis non ita se habet: cum extra corpus existere valeat. Non ergo anima rationalis ab agente naturali producitur, sed aliam habet originis suæ causam. Ob hæc, & alia, quæ antiquos Patres non latuerunt, D. Chrysost. *Hom.* 1. de incomprehensibili DEI natura: *Anima*, inquit, *inspirantur, corpora effinguntur*: Et Procopius Gazæus in *Gen.* 2. *c.* ad illa verba: *Hoc nunc os de ossibus* *Gen.* 2. *meis, & caro de carne mea*, oraculum, ait, non dixisse, Et anima de anima mea, caro scilicet non gignit animam. Lege Gregorium Nyssenum *disputatione de anima & resurrectione.*

Ex quo fit, animam rationalem à Deo creari, quod hac ratione demonstrat D. Thomas *lib.* 2. *contra gent. c.* 87. Omnis substantia, quæ producitur, aut generatur per se, aut per accidens; aut creatur; sed animæ rationales non generantur per se, cum non constent ex materia & forma: neque per accidens, quia cum sint formæ corporum, orirentur per eorum generationem ex virtute seminali, quod improbatum est: superest ergo, ut per creationem esse accipiant. Huc spectat, quod cùm animæ humanæ omnibus formis physicis naturæ dignitate præstent, sintque in suo esse subsistentes: oportet eas nobiliorem habere originem & more aliarum substantiarum intellectualium per creationem produci.

Neque huic veritati obstat, quod *Genes.* 2. dicitur, *DEUS requievisse ab omni opere, quod patrarat.* Primum, quia non dicitur DEUS absolutè requievisse, sed requievisse ab opere, quod patrarat, videlicet illis primis sex diebus. Ut sic sensus, DEUM mundi opificium absolvisse sex diebus, atque ita die septimo destitisse mundi machinam condere. Item, quia ut interpretatur D. Thom. *lib.* 2. *contra gentes c.* 84. & in 2. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 7. Beatus Albertus Magnus in *Summa de homine q.* 15. Istiusmodi quies DEI intelligenda est secundum cessationem à novis speciebus condendis, non autem à novis individuis? quorum similia secundum speciem præcesserint. Quare cum omnes animæ intellectivæ, omnesque homines sint unius speciei, nihil repugnat prædictæ quieti DEUM quotidie animas creare.

Illud tamen oportet advertere, duas actiones DEI intervenire in animæ productione; prima qua DEUS producit animam, & hanc ipse solus facit, sine interventu causarum secundarum, eo modo quo creavit Angelos. Altera etiam tunc actio DEI intervenit, ad uniendam animam corpori, & hanc cum agente naturali facit: quæ tamen ita intelligenda sunt, ut non prius tempore anima existit, quàm uniatur corpori.

Legêdus de his, quæ toto hoc *lib.* 7 pertractantur, noster *Dominicus à SS. Trinitate*, qui *Tomo* 5. suæ Bibliothecę Theologicæ *lib.* 4. *sect.* 10 *per* 26 *capita* copiosissimè & admodũ eruditè disserit, de his hæresibus. Cõmoratur quoque in Oriente quædã hominũ natio, qui *Christiani S. Joannis* nuncupantur, quorum in superioribus nulla fit mentio, de quorum origine, ritibus & erroribus, Tractatum Romæ edidit anno 1652. noster *Ignatius à JESU*, Missionarius & Vicarius nostræ Residentiæ in Bassora Mesopotamiæ, in quo errores & hæreses illorum adducit, & egregiè confutat, quorum magnam etiam multitudinem ad Catholicam fidem traduxit.

DE

DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM PROCURANDA.

LIBRI VII.

PARS SECUNDA.

CAPVT I.

De juvandis Orientalibus.

LIcet Orientis Ecclesiæ errores & clades innumeræ, quibus tot annis obruta permansit; illarum gentium, ob sua peccata, obduratam jam habere frontem, & obstinatam mentem : & ideo à DEO Optimo Maximo derelictæ videantur: tamen nos animare debet ad meliora sperandaIs, apud quem non est impossibile omne verbum, quique quærentibus seriò regnum DEI, ejusque gloriam animarum lucra multa solet adjicere, atque ita hoc ultimo sæculo in remotissimis Indiis, ad ortum, occasum, & meridiem, deletis idolis trophæum Crucis passim excitavit, cùm hæc mundi plaga, quæ vergit ad Orientem, restet, in qua necesse etiam sit Evangelium rectè annuntiari, magnum in ea ostium aperiri posse orthodoxæ fidei, experientia ostendit, si summi Ecclesiæ Patris, longanimi ut ita dicam diligentia, quâ potissimum tot alia Regna jugo Christi fuêre subjecta, negotium hoc promoveatur.

Insudarunt olim summi Pontifices pro tuenda fide in Ecclesia Orientali, maximosque labores & pericula subiêre, ac nostro etiam sæculo magnopere studeant Orientalibus nationibus opem ferre, auxiliumque in omnibus præstare: præcipuus tamen *Gregorius XIII.* dignus æterna memoria Pontifex, præter alios operarios, quos in Indias, in Angliam, Constantinopolim, aliasque orbis partes misit, etiam in Alexandriam Ægypti, Syriam, Palæstinam cum Libano monte, Babyloniamque aliquot destinavit, qui hujus tractus nationes divino verbo, ac piis etiam muneribus à Pontifice ipso missis, ad fidem atque pietatem allicerent. Præcipuus in Orientem Legatus fuit Leonardus Episcopus Sidonienſis, & Apostolicus Nuntius, qui in Orientem, cum aliis etiam viris doctis & piis, (inter quos P. Joannes Baptista Romanus, Societatis JESU) à summo Pontifice ad Patriarchas illos Orientales, ad alioſque Metropolitas & Episcopos, vestimenta sacerdotalia, argenteos calices, libros etiam aliquos linguâ Arabica conscriptos, aliaque pretiosa dona deferentes, missi sunt; plurimique tam ex Patriarchis illius tractus, quàm Episcopis, & Archimandritis fidei professionem, unionemque cum sancta Romana Ecclesia jam ptidem retentam confirmarunt; alii de novo emiserunt, sanctissimoque Romano Pontifici totius orbis Capiti obedientiam præstiterunt; alii propter magna sibi pericula, tam à Turcis, quam à falsis fratribus imminentia fidei professionem oportuniori tempore reservarunt. Stant hodie in Bibliotheca Illustrissimi Domini Cardinalis de S. Severina, qui tunc totius Orientis protectione gaudebat, quamplurium Patriarcharum, aliorumque Episcoporum Orientalium fidei professiones Arabica lingua conscriptæ, eorum sigillis & subscriptionibus firmatæ, ac in Latinam etiam linguam traductæ. Et ut *Gregorio XIII.* è vivis discedente, hujus missionis fructus consisterent, seminarium instituit, in quo pueri Orientalium, & Maronitarum excepti, in Catholica doctrina erudiantur, ut inde in patrias sedes reversi suos docere possint, quæ ad cultum Christi pertinent, & in officio fidei continere. Quare postea *Clemens VIII.* post *Gregorium XIII.* ad montem Libanum duos Sacerdotes, (ut jam supra de Maronitis agentes latius scripsimus) è Patribus Jesuitis misit, ut certior fieret, num sumptus, qui in Urbe, in Seminario Maronitarum, & aliorum Orientalium fiunt, benè ponerentur; quæve spes, aut restituendæ, aut propagandæ religionis esset in Oriente.

Gregorij XIII. zelus pro juvandis Orientalibus.

Leonard. Episc. Sidonienſis Legatus in Orientem.

Seminarium pro Orientalibus institutum.

Messes quidem in Oriente jam albæ sunt ad metendum, solùm superest, ut summi sanctæ Ecclesiæ Pontifices mittant falcem, & huic negotio incumbant, præcipuè ut nobis conjungantur : sed ut hoc fiat, non est opus unius diei, aut legationis, sed & longanimi, & non intermissa perseverantia, & frequentissimis legationibus opus est, quæ omnia disponunt animos ad Catholicam fidem, ritusque suscipiendos, quoadusque opus DEI perficiatur. Maximè vero oportet, ut Christianis in regionibus illis sub Turcarum ditione inopia, aliisque calamitatibus oppressis, succurratur : id enim præstiterunt Romani Pontifices ab initio nascentis Ecclesiæ, usque ad ætatem nostram, qui Christianorum Catholicorum inopiam eleemosynis abundè sublevarunt.

Christianis inopia & tyrannide oppressis à SS. Pontific. succurrendum.

Hujus rei testis est Epistola Dionysii Episcopi Corinthiorum vetustissimi ad Ecclesiam Romanam, in qua sic alloquitur Romanos : *Apud vos jam mos inveteravit, ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis, & Ecclesiis permultis, quæ in quaque civitate sunt, vitæ mitteretis subsidia. Sic planè non solum egentium sublevatis inopiam, verum etiam fratribus, qui sunt ad metalla damnati, opem fertis: atque ita per ea beneficentia subsidia, quæ jam primis Ecclesiæ vestræ jactis fundamentis passim mittere consuevistis, cum sitis Romani, Romanorum consuetudinem sedulo observatis; quam quidem certè beatus Soter vester Episcopus, & hactenus custodivit diligenter, & valde suo propenso studio adauxit. Idque non modo opes in Sanctos reficiendos delegatas benignè subministrando, verum etiam fratres ad ipsum adventantes, tanquam pater indulgens ac clemens in liberos beato ac pio sermone ad virtutem cohortando.* Hæc Dionysius. Testatur porro Eusebius hanc consuetudinem (de qua Dionysius) Eccle-

Dionys. Corinth. Episc.

Euseb.

Ecclesiæ Romanæ suo adhuc tempore maximè servatam. Hinc Paulus Diaconus scribit à Symmacho Papa abundè missum, unde se alere possent Episcopi Africani, qui suis ejecti sedibus, in Sardinia exulabant. Liquet ex *Epistolis Gregorij Magni*, quantum Pontifici Romano semper curæ fuerit in singulis totius orbis regionibus egentes Catholicos sublevare & bene iis facere. Ob id Romæ videmus esse cunctis nationibus, vel remotissimis, hospitales ædes cum suis redditibus, excitatas ab antiquis temporibus, ita ut neque Chaldæis sua domus, neque Indis, & Æthiopibus desit: tot verò ac tantos sumptus à Pontificibus Romanis factos, ac fieri indies ad inopiam sublevandam egentium.

Paulus Diaconus

Gregor. Magnus.

Et cùm longè sit certissimum Orientales nationes in summa penuria spiritualium institutionum versari, rationi quàm maximè consentaneum est, ac officio hujus sanctæ Sedis incumbit, data occasione quam citissimè operarios, qui non quærant quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi, ad eas expedire. Cavendum tamen sedulo est propter exploratores occultos, ne per Romam divulgetur rumorque spargatur, tales à Summo Pontifice, tanquam Reformatores, aut aliorum negotiorum expediendorum causa missos esse, sed secretò tanquam aliud acturi vadant.

Quinam operarii & quo modo in Orientē mittendi

Deinde omnium sibi gratiam conciliantes, sint etiam propensi in Orientales animo, non scrupulosi, non ignari, nimiúmve zelosi: in hoc enim casu minus inest mali peccato. nimiæ dissimulationis, quàm in altero extremo: dico in nimio zelo; hoc quippe plus damni quàm utilitatis causare posset: non oportet quemquam exasperare; nam casu, quo Turca hujusmodi rei fieret conscius, severius aliquod edictum statueret, ita ut in perpetuum aditus præcluderetur Ecclesiæ conatibus, atque omnis spes præscinderetur: quamobrem cum omnibus quam humanissimè, & quoad fieri potest amicabiliter erit agendum.

Si cætera inter Ministros paria sint, omnibus præferendi erunt ex iisdem partibus oriundi, & Arabico idiomate utentes, idque multas ob causas, & præsertim, quia tanta non est Turcarum in eos suspicio, vel persecutio.

Proximè secundum hos convenientissimi sunt huic Missioni Franci, quia benignius à Turcis recipiuntur, maximè habitis litteris à Rege Franciæ, aut ipsius Legato Constantinopoli residente. Post quos idonei etiam sunt, qui Gallicam linguam callent, pro talibus enim haberentur, & à Francis ibidem negotiantibus favore afficerentur, præcipuè virtute literarum à suprædictis obtentarum.

Apti insuper sunt & alii, habito salvo conductu, servatisque statutis, & ordinationibus Turcarum, modo in iis conditiones requisitæ illucescant.

Minori dispendio, fastidio, periculo, & suspicione mitti poterunt aliqui earundem Religionum ibidem habitantium, utpote S. Francisci, S. Dominici, S. Basilii, S. Benedicti, &c. dummodo apti reperiantur, eos inquam ex illis Monasteriis evocando, & transferendo per Generalem eorum, modo hunc, modo illum, sub aliquo prætextu, & honesto colore.

Expediens autem foret exhortari ad hanc rem Generales Religionum, aut Procuratores eorundem Romæ residentes, atque insuper exposcere Catalogum omnium Orientalium, quos curæ suæ subjectos habent, & quinam ex iis, vel pro præsenti, vel pro futuro huic functioni convenientes reperirentur, quod non ita novum, vel ab usu alienum videbitur, si *Martinum V.* in memoriam revocemus, qui totius orbis literatissimorum ac præstantium virorum nomina penes se in scriptis asservabat.

Omnibus ad hanc functionem idoneis repertis, locus Romæ in propriis eorum Monasteriis assignandus esset, ut ibidem in rebus ad similem missionem necessariis instruerentur, docerentur, ac penitus perfecti redderentur: & quidem, ut alacrius se huic operi accingant, ferventi zelo succendendi & inflammandi sunt, atque alii etiam spe quadam animandi, tanquam si foret probatio quædam ad majora.

Præterea non minima difficultas est, & quæ Schismaticos Orientales fortasan magis in Schismate detinet, quod Dioscorum aliosque Schismaticos antesignanos, quos Ecclesia Catholica hæreticos censet, ipsi ut viros sanctissimos colant, & tam in Missæ Sacrificio, quàm aliis communibus precibus, solenniter invocent: sicut & apud Moscovitas, etiam contingit, qui, asserente Antonio Possevino in *sua Moscovia*, licet res planè fabulosa sit, corpora quorundam, qui Schismatici fuerunt, integra sese habere gloriantur, per quos miracula frequenter edi, cæcis visum restitui, ægrotos sanari constanter affirmant. Ut plurimi periculi res esse videantur, si quis illorum corporum elevet præconceptam animis sanctitatem, aut quasi dubius quærat, num ii verè Sancti, Martyresve fuerint? Inter alios autem numerantur Cleba, & Boris, Petrus Metropolita, Alexius, quorum corpora extare aiunt Moscovitæ. Hæc Possevinus. Unde hodie Jacobitæ aliæque Orientalium nationes, ut legati à *Greg. XIII.* missi, experti asserebant, facillimè summi Pontificis Primatum agnoscebant, unius naturæ in Christo errorem, aliosque similes non sine animi promptitudine confitebantur: at cum ventum fuisset, ut Dioscorum abjurarent, ita ægrè tulerunt, ut ob id potissimum legati re infecta reverterentur.

Ant. Possevin.

Non minorem Orientales, sicut & Græci omnes habent difficultatem in recipiendo Kalendario Romano emendato, cujus emendationem renuunt admittere: quare oportet, ut operarii, qui mittendi sunt hujus emendationis causas rationesque cognoscant, ut qui erudiendi sunt, capaces sanctæ novitatis fiant. De qua re videndi sunt Antonius Possevinus in *Refutatione adversus Davidem Chytræum*, & Christophorus Clavius, qui librum hac de re absolutissimum edidit Romæ. Quod si non facile se Romano Kalend. accommodaverint, ferendi sunt, dum in aliis substantiam Catholicæ fidei amplectantur.

Juvandi sunt, & urgendi Orientales ferè eisdem argumentis, quibus Græci ipsi, desumptis à suppliciis à DEO Optimo Maximo illis, postquam à Romana Ecclesia descivêre inflictis. Si enim respiciamus Ægyptum, cæterasque Asiæ Provincias, agitur annus fere millesimus, ex quo illæ à nobis discesserunt, hæreticis Nestorio, Eutyche, Dioscoro, ac præcipuè Monophysitis Ecclesiam perturbantibus, (ut cætera omittam) vix aliquis ex illis proferri poterit, qui fuerit excellenti præditus doctrina: corruerunt enim in summa tam liberalium artium, quam Theologiæ, ac cælestium disciplinarum fundamenta, ac ipsi in turpissimam prolapsi sunt ignorantiam.

Deinde operarii maximo studio curabunt, ut ex Christianis tam Græcis quam Jacobitis, Armenis, Nestorianis, Cophtis, aliisque nonnulli, qui præstantiori pollent ingenio Romam mittantur,

tantur, linguarum, literarum, aliarumque scientiarum ediscendarum gratia: quos Romæ benignissimè recipiendos admonebunt, Græcos in Collegio Græco & alios in Collegio nationum ultramarinarum, ac ibi amicè tractandos, & educandos: & quod amplius est, cum conservatione rituum ipsorum, ut nimirum postquam benè instructi fuerint, & eruditi ad utilitatem, ac emolumentum earundem nationum, in suam singuli patriam revertantur. Illud autem maximè advertendum, ut sint bonæ indolis adolescentes, bonisque moribus imbuti, apti, dociles, atque ingenii perspicacis, quique principia quædam linguarum habeant, & ætatis sint convenientis, Græci videlicet à duodecimo anno ætatis usque decimum quintum, vel decimum sextum ad summum: aliarum vero nationum à duodecimo, usque ad decimum octavum annum aut vigesimum, qui cum transmittendi fuerint, securè & mercatorio more diligenti cura navibus committantur.

Curabunt deinde libros aliquos Græco, Arabico, Chaldæo vel aliis illarum nationum linguis conscriptos secum portare, professiones etiam sanctæ fidei, non solum Latino idiomate, sed in lingua Græca, Arabica, Chaldæa: doctrinam quoque Christianam, lingua Illyrica & characterе Italico: quæ & alia similia opera Romæ typis excusa facilè invenientur.

CAPVT II.

Instructiones aliæ pro juvandis Orientalibus.

GUardianus, una cum Religiosis Familiæ Franciscanæ Hierosolymis degentibus, citra dubium plura præstare posse, quæ ad summam DEI gloriam, haud exiguum sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequium atque omnium propè Orientalium spiritualem profectum, & animarum salutem non modicum conducerent.

Cum in Dominico Sepulchro immorentur Religiosi septem diversarum nationum Schismatis labe infecti, uti sunt, Græci Georgiani, Abyssini, Armeni, Jacobitæ, Cophti, Suriani, Maronitæ; operæ pretium erit, hos inprimis omni studio & industria ad veram sanctæ Ecclesiæ unionem reducere, quibus post veluti aptissimis instrumentis, eorundem pariter nationes in viam rectam dirigantur.

Sicuti omnes isti Religiosi, vitæ auctoritate elucent, idcirco Religiosi Latini, eosdem probationis ac sanctioris vitæ exemplo præcellere contendent; quo majoris faciant sanctam Romanam Ecclesiam, cujus hi partes agunt, ut similiter alios sincero vivendi modo ad vitæ melioris frugem, & avitæ Religionis normam pertrahant: præibunt autem illos, tum in virtutibus, tum vel maximè in servitio, & cultu divino.

Denique ut facilius animi eorum concilientur, operæ pretium erit, quam optimè erga illos affici, cum omni honoris respectu, & obsequiorum prompta exhibitione: ut congerant carbones ignis super capita eorum.

Majoris ergo profectus gratia, Religiosi discretione, prudentia, & humanitate cæteris præstantiores, facilioriisque ingenii seligendi, quibus Guardianus, cum aliarum nationum Religiosis, communicationem persuadeat ea ratione, ut cuivis nationi unus pluresque deputentur.

Modus agendi cū Schismaticis.

Modus vero agendi cum ipsis erit ejusmodi; ut nimirum captata eorundem benevolentia, etiam rituibus ipsorum præposteris nonnihil conniveatur, bona autem illorum opera haud mediocri existimatione censeantur, D. Pauli Apostoli instar ad Corinthios scribentis. Accedet insuper omnis diligentia, qua & eorum opiniones advertantur & rerum temporalium, spiritualiúmve status iis nationibus proprius cautè eliciatur, & conditiones tum naturales, tum morales perdiscantur, atque, ut verbo absolvam, ut præcipuo studio cujusvis nationis status & mores plenè, quo ad fieri licebit, comprehendantur. Quæ, ut rectius ac majori cum fructu peragantur, necessarium erit, quemque Religiosorum in id opus incumbentium, sedula lectione Auctores de natione scribentes, quam quilibet ad sententiam saniorem perducere molitur, ante evolvisse, verum ante singula, ipsimet errores errorumque fundamenta, integræque historiæ penitiùs introspiciendæ, sine quibus vix, aut ne vix quidem ullus poterit exspectari profectus.

Ostendendum etiam, Ecclesiam Romanam probare ac indulgere, ut quævis Ecclesia propriis adhæreat ritibus ac cæremoniis, quippe cum Schismatici propriorum rituum tenacissimi sint. Ne ipsos eorum perdendorum ingruens aliqua suspicio ab Ecclesia Romana alienet & avertat, opportunè laborandum, ut se in propriis cæremoniis insectandis conservandos esse persuadeantur.

Exemplis deinde ac historiis antiquis primitivæ Ecclesiæ, sanctorumque Patrum præteritorum temporum, iis aperienda auctoritas, ac summi Pontificis in præsentiarum usque continuata potestas explananda: quodque calamitates universæ, Tyrannorum furor, ac quævis persecutionum procellæ in Ecclesiam Catholicam insurgentes Pontificum obedientia suppressæ hactenus semper evanuerint.

In emendandis vero ipsorum erroribus, cùm leniter, tum modestè procedendum, ne scilicet apertè nimis convincantur, vel acerbius urgeantur, sed suavi reprehensioni, rationes & auctoritates addantur subinde, ut sic facilius eorum mentes ac responsiones percipiantur. Quare opus esse duxerim, antiquiorum SS. Patrum & Doctorum prænosse nomina, nempè qui in cujusvis nationis majorem existimationem cadunt, ut doctrinarum eorundem habita notitia, inde argumenta sumantur, lenius tamen, omni disputationis acerbitate secluſa: nationes enim istæ, & præsertim Religiosi suorum rituum, & sectarum tenacissimi, ac in erroribus pertinaces, salutis suæ studiosos, præstigias sibi imponere velle falso augurantur. Ulterius etiam, de pluribus simul erroribus non sunt coarguendi, sed de uno, deinde altero, iisque evidentioribus & nullatenus tolerandis: plura namque, quantumvis nihil decoris aut venustatis habeant, apud eos tamen ferenda erunt.

Maronitæ.

Maronitis sanctæ Romanæ Ecclesiæ unitis congratulandum, & in fide sanctæ Romanæ Ecclesiæ confirmandi. Verum cum creditu sit facile, complures eorum antiquis erroribus adhuc nuntium non remisisse, opera ponenda, quò iisdem rejectis Catholicæ veritatis reddantur capaces.

Georgiani. Armeni. Æthiop. Abyssini

Georgiani quoque, & his ad resipiscentiam procliviores Armeni summa cura, familiari tamen tractu, ad Ecclesiæ Romanæ unionem invitandi.

Æthiopes autem & Abyssini, ad Catholicorum

rum ritus, summique Pontificis recognitionem, velut capitis sui, suapte sponte magnopere aspirantes; propter Nicæni tamen Concilii dispositionem dubii, quo cautum fuit in Ecclesiæ Patriarchalis distributione, Æthiopiam Alexandrinæ subdi Ecclesiæ, à cujus Patriarcha, *Abunam* quendam sic nuncupatum, Schismatis semper labe infectum, assignatum sibi agnoscerent Patriarcham: diligentissimè, & haud vulgari prudentia erunt dilucidandi, ostendendumque, duos habere Alexandriæ Patriarchas, Græcum alterum, alterum Cophtum, eodemque fundamento Schismatis, quo Græcum Patriarcham rejiciunt, simili itidem errore Cophtum inquinatum, nusquam ut Patriarcham debere circumplecti. Insuper cum uterque, & Græcus & Cophtus, Turcarum dominio subsit, idcirco summus Pontifex eos hucusque ab erroribus quibus contaminantur pro libitu vendicare nequivit. Accedit, quòd cum ob Schisma falso Patriarcharum nomine insigniti sint, Ecclesia Romana semper Alexandrinæ de vero, Catholico insignique eruditione exculto Patriarcha providet, quem, ubi Nicæni Concilii decreta ritè sequuntur, pro vero Patriarcha Alexandrino, Romæ ob Alexandriam à Turcis interceptam residente, & ob Alexandrinum ibidem Patriarcham Schismate notatum, recipere tenentur.

Ultimò tandem, quicquid in dictis nationibus, Catholicæ fidei dilationis, & incrementi accesserit, totum plenè & sincerè, sanctæ Apostolicæ Sedi transscribatur, quo, quid ulterius facto opus fuerit, maturè decernere & statuere valeat.

CAPVT III.

De quibus præcipuè tam in fide, quàm in moribus, interrogandi & instruendi videantur Christiani Orientales, qui volunt profiteri sanctam Fidem Catholicam, seu redire ad unitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & detestari ac abjurare errores & hæreses, plus minúsve pro prudentia Theologi interrogantis.

De DEO & ejus unitate.
De Trinitate personarum.
An in personis detur majoritas aliqua vel æqualitas.
De Patris paternitate, de Filii filiatione, & Spiritus sancti processione, seu spiratione.
An Filius sit coæternus, coessentialis, & per omnia coæqualis Patri?
De Spiritu sancto, An sit coæternus, coæqualis & coessentialis Patri & Filio?
De Spiritu sancto, A quo procedat, an à Patre tantum, vel à Patre & Filio, an ab uno vel pluribus principiis?
Quæ persona fuerit incarnata?
De Christi Incarnatione.
De ejus naturis, an una, an plures.
Item de voluntatibus & operationibus Christi, an una, an plures?
Quid sentiat de illa natura, quam dicunt aliqui Orientales resultare ex duabus, & sic de una voluntate & operatione?
De libris Canonicis sacræ Scripturæ, qui, & quot?
De sacris Generalibus Conciliis, & quid unumquodque eorum damnavit?
De Concilio Ephesino, & Chalcedonensi, quid sentiat?
Quid item de S. Leone Papa primo?
An B. Virgo MARIA Mater Domini nostri JESU Christi, dicenda sit DEI genitrix, seu Mater DEI?
De Hymno Trisagio, quomodo dicatur; An in fine ei addatur: Qui crucifixus est pro nobis miserere nobis?
Quid sentiat de Nestorio olim Constantinopolitano Episcopo?
Quid de Dioscoro olim Episcopo Alexandrino, & Eutyche olim Presbytero Constantinopolitano, & Severo olim Episcopo Antiocheno?
Quid item de Cyro olim Alexandrino, & de Sergio Pyrrho, Petro, & Paulo olim Constantinopolitanis: & Macario olim Antiocheno Episcopo, & aliis similibus hæresiarchis & hæreticis, in Sacris Ephesina prima, & Chalcedonensi quinta & sexta Synodis & in Concilio Romano sub S. Martino Papa primo, & aliis generalibus Conciliis damnatis: quos interrogans non vocet, aut dicat tales esse, ne pudorem incutiat interrogatis, aut eos retrahat à veritatis confessione.
De aliis Oecumenicis & generalibus Conciliis auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ confirmatis, & præcipue de Florentino.
De Sacramentis & eorum numero.
Quid unumquodque eorum contineat?
De effectu, de materia, de forma, ministro, & intentione ea tradentis, & suscipientis.
Specialiter verò de Baptismo parvulorum, & quot dies nati baptizentur?
De Sacramento Confirmationis, & quæ sit materia, & quomodo consecretur, & à quo & quando renovetur Chrisma, & an quotannis?
De Ministro, an solus Episcopus?
De forma.
De Sacramento Ordinis, quot Ordines habeantur, qui item sacri?
De tempore & modo ordinandi.
De ætate ordinandorum.
In Missa quæ sint verba Consecrationis Corporis & Sanguinis Christi?
An apud suos in azymo vel fermentato panis offeratur?
An cum vino misceatur aqua?
Quid sentiat de offerentibus in azymis?
De Communione Clericorum, aut Presbyterorum non celebrantium, & populi, & an sub utraque specie?
De forma cujuslibet Ordinis.
De Simonia, præcipuè de iis, qui pecuniis aut conventione, aut alio humano studio, & favore ordinantur in Diaconos, Presbyteros, eliguntur aut confirmantur in Episcopos, Archi-Episcopos & Patriarchas respectivè.
Quam authoritatem accipiant in Ecclesias ad quas ordinantur à Tyranno Turcarum, vel Persarum, aut alio Principe infideli?
De Matrimonio, an apud eos sit Sacramentum?
Cujus ætatis esse debeant, qui aliud contrahunt, ac quibus ritibus, vel cæremoniis.
An inter consangineos & affines, vel quoto gradu?
An admittant repudium, vel divortium?
An vivente prima uxore aliquo casu aliam ducere

apud eos liceat, & contrà vivente primo marito alteri copulari?
An altero conjugum in captivitate vel servitute detento, alteri nuptiis aliis jungi liceat?
De peccato Originali, quid credat, aut sentiat, & an animæ creentur à Deo?
An quis salvari possit extra fidem mediatoris DEI & hominis Christi JESU, & quid de iis, qui sunt modò in lege naturæ?
De peccatis mortalibus.
De peccatis voluntatis, quæ non transeunt in actum exteriorem, an sint mortalia?
De Sacramento Pœnitentiæ.
De peccatorum Confessione Sacramentali, & quoties fiat?
Quæ peccata sint confitenda?
Quæ pœnitentiæ vel satisfactiones apud suos imponantur?
De absolutione à peccatis, & ejus forma.
De Indulgentiis.
De Sacramento extremæ Unctionis, seu Unctionis infirmorum, an apud eos habeatur?
De materia, forma, & usu.
An sint facienda suffragia pro defunctis, & quæ?
An animæ decedentium ex hac vita indigeant purgatione aliqua, & quorum?
De Purgatorio, & loco purgationis animarum hujusmodi.
An modò animæ Sanctorum & justorum fruantur beatitudine, & animæ malorum puniantur in inferno, an verò expectetur resurrectio corporum, & Judicium universale?
De invocatione B. Genitricis MARIÆ, & Sanctorum.
De cultu sanctarum Imaginum Domini nostri JESU Christi, B. MARIÆ Deiparæ, & Sanctorum.
De lege veteri, ejusque Cæremoniis, an cessaverint, quæ & quando?
De festivitatibus, quas habent, & illarum tempore?
De Jejuniis, quæ observant, & illorum tempore.

CAPVT IV.

Brevis orthodoxæ Fidei professio, quæ ex præscripto Sedis Apostolicæ ab Orientalibus, ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ unitatem venientibus facienda præponitur.

Hãc formulam professionis fidei adducit. *Baron. 6. Tom. in fine.*

COrde credo, & ore confiteor, quod unus est DEVS, verus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, ineffabilis, & æternus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, unus in essentia, trinus in personis, Pater ingenitus, Filius à solo Patre genitus, Spiritus sanctus à Patre Filioque æternaliter procedens, non sicut à duobus principiis, aut duabus spirationibus, sed ab utroque tanquam ab uno principio & unica spiratione. Pater non est Filius, aut Spiritus sanctus: Filius non est Pater, aut Spiritus sanctus; Spiritus sanctus non est Pater, aut Filius, sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, & Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus est. Nullus alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate, sed absque initio semper est, & sine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens; consubstantiales, coæquales coomnipotentes, & coæterni. Hæ tres personæ sunt unus DEVS non tres Dii, una essentia, una substantia, una immensitas, unum principium, unus Creator visibilium omnium, & invisibilium, corporalium, & spiritualium, qui quando voluit universas condidit creaturas sua bonitate, quas & valdè bonas voluit. Et ideo reprobo, & anathematizo omnes hæreses, & hæreticos sentientes & docentes contraria.

Firmiter etiam credo, & profiteor, quod unigenitus Dei Filius Patri consubstantialis semper cum Patre, & Spiritu sancto existens in plenitudine temporis, quam divinæ misericordiæ consilium inscrutabile disposuit, ut nos à peccato Adæ, ac ceterarum culparum nostratum sordibus mundaret, & à morte, & inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu sancto, in immaculato utero beatissimæ MARIÆ semper Virginis, veram, & integram hominis naturam assumpsit, corpus videlicet, & animam rationalem, in unitate personæ divinæ, tanta unitate, ut unus & idem Christus sit Deus, & homo, Dei Filius, & hominis filius: ita quod una natura non confunditur cum altera,, nec una transit in alteram, nec una miscetur alteri, nec altera evanescit, sed in persona omnino una, sunt duæ perfectæ naturæ, divina scilicet & humana, salvis earundem naturarum proprietatibus, duæ voluntates, duæ operationes, ita ut Christus sit tantum unus. Et sicut formam servi Dei forma non ademit, ita formam Dei servi forma non minuit. Qui enim verus Deus est, idem verus est homo: Deus per id quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Homo per id quod Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Deus per id, quod de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, quod Samaritanæ aquam salientem in vitam æternam promisit, quod Lazarum quatriduanum à mortuis resuscitavit. Homo per id quod esurivit, sitivit, fatigatus est, & in ligno Crucis clavis affixus est: unus, & idem secundum divinitatem, æqualis æterno Patri, immortalis, impassibilis, secundum verò humanitatem minor Patre, mortalis, & passibilis.

Insuper firmiter credo, & prædico eundem Dei Filium incarnatum, verò natum

natum esse ex MARIA semper Virgine, & ideo ipsam virginem fateor veram Dei Matrem, atque genitricem: item verè passum, verè mortuum, & sepultum, verè cum anima descendisse ad inferos ad liberandas animas sanctorum Patrum, quæ in limbo detinebantur, alligato insatiabili homicida, subinde ex mortuis verè resurrexisse, & per quadraginta dies Apostolos docuisse de regno Dei, moxque ad cælos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, & venturum esse in fine seculorum ad judicandos vivos & mortuos.

Credo & profiteor nullum unquam hominem ex semine Adæ conceptum, & natum fuisse salvatum, aut fore salvandum, nisi per fidem mediatoris Dei & hominum Domini nostri JESU Christi, in sanguine, & morte ipsius, quâ nos reconciliavit æterno Patri, & delevit chirographum iniquitatum nostrarum æterna redemptione inventa.

Item firmiter credo legalia omnia veteris Testamenti, seu Mosaicæ legis, quia Christum figurabant, licet divino cultui illa ætate congruerent, ipso adveniente cessasse, & jam promulgato Evangelio servari non posse sine interitu salutis æternæ. Omnes igitur post illud tempus circumcisionis, Sabbathi, ciborum ea lege prohibitorum, reliquorumque legalium observatores alienos à fide denuncio, & salutis æternæ non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant: ab his enim omnibus liberavit nos Christus, & septem novæ legis Sacramenta instituit, quæ veneror, credo, & profiteor, unum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium & extremam Unctionem, quæ omnia ea dignè sumentibus virtute Passionis ejusdem D.N. JESV Christi gratiam conferunt. Ista septem Sacramenta perficiuntur tribus, verbis videlicet & rebus, ac ministro; verbis ut forma; rebus, ut materia; ministro, qui facere intendat, quod facit Ecclesia.

Recipio insuper quicquid de iisdem Sacramentis sancta, & Catholica Ecclesia Romana docet, & prædicat.

Credo, quodsi verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissorum, & omissorum pœnis satisfecerint, coram divina justitia eorum animas pœnis Purgatorii post mortem purgari, utque à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis Fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificium, orationes, & eleemosynas, ac alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ institutа. Illorumque animas, qui post Baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post perpetrati peccati maculam (ut dictum est) purgatæ sunt, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum DEVM trinum, & unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius: illorum verò animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus perpetuò puniendas.

Firmiter etiam teneo, & credo symbolum fidei à trecentis decem & octo Patribus in Concilio Nicæno, & à centum & quinquaginta in Concilio Constantinopolitano traditum, ac semper in Ecclesia usque modo inviolatè custoditum, videlicet:

Credo in unum DEVM Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium, & in unum Dominum IESVM Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. DEVM de DEO, lumen de lumine, DEVM verum de DEO vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex MARIA Virgine, & homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas; & unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Confiteor, teneo, & prædico unum eundemque DEVM veteris & novi Testamenti, hoc est legis & Prophetarum, atque Evangelii Auctorem esse, quoniam eodem Spiritu sancto inspirante utriusque

utriusque Testamenti Sancti locuti sunt. Itaque suscipio omnes libros Canonicos, quos suscipit sacrosancta Romana, & Catholica Ecclesia. Sunt verò infrascripti: Testamenti veteris, quinque Moysis, id est, *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium*: deinde *Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ* 1. & 2. qui dicitur *Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum* 150. Psalmorum, *Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias* cum *Baruch, Ezechiel, Daniel*, duodecim Prophetæ minores, id est, *Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias*, duo *Machabæorum* 1. & 2. Testamenti novi, quatuor Evangelia secundum *Matthæum, Marcum, Lucam*, & *Ioannem*: *Actus Apostolorum*, à Luca Evangelista conscripti, quatuordecim *Epistolæ Pauli ad Romanos*, duæ ad *Corinthios*, ad *Galatas*, ad *Ephesios*, ad *Philippenses*, ad *Colossenses*, duæ ad *Thessalonicenses*, duæ ad *Timotheum*, ad *Titum*, ad *Philemonem*, ad *Hebræos*. *Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudæ Apostoli una, & Apocalypsis Ioannis Apostoli.*

Item amplector, suscipio, & approbo sacrosanctam Synodum Nicænam primam, trecentorum decem, & octo Patrum, & profiteor & sequor quicquid illa decrevit, & reprobo, & damno quicquid illa damnavit: & maximè impiam hæresim Arianorum, cum ipso auctore Ario, qui affirmare ausus est Filium DEI non esse ab æterno ab ipsa Patris substantia genitum, sed ex tempore, atque ex nihilo procreatum.

Item amplector, suscipio, & approbo sanctam Synodum Constantinopolitanam primam, centum & quinquaginta Patrum, & credo quicquid illa decrevit, & reprobo quicquid illa reprobavit: & maximè impiam hæresim Macedonii cum ipso auctore. qui affirmare ausus est, Spiritum sanctum non esse Patri & Filio coæternum, & consubstantialem, atque ideo nec esse DEVM, sed creaturam.

Item amplector, suscipio & approbo sacram Synodum Ephesinam primam, ducentorum Patrum, & credo quicquid illa decrevit, & reprobo quicquid illa reprobavit: & maximè impiam hæresim Nestorianorum cum suo auctore Nestorio, qui duas personas in Christo constituens asserebat non esse à Verbo DEI carnem assumptam in unitate personæ; sed per solam inhabitationem instar templi sanctificatam, & Christum non esse dicendum DEVM incarnatum, sed hominem Deiferum, nec beatam MARIAM ejus genitricem dicendam esse Deiparam sed Christiparam.

Item amplector, suscipio, & approbo sanctam Synodum Chalcedonensem sexcentorum triginta Patrum, quartam in ordine universalium Synodorum, & credo ac sequor quicquid illa decrevit, & reprobo ac damno quicquid illa reprobavit: & maximè impiam hæresim Eutychetis, & Dioscori Alexandrini, cum ipsis auctoribus, qui affirmare ausi sunt, non esse in Christo post unionem Verbi cum carne duas integras, perfectas, inconfusas, & impermixtas naturas, cum unitate hypostasis sive personæ, & reprobo secundam Synodum Ephesinam, immo potius latrocinium, quod factione ejusdem Dioscori, occiso beato Flaviano, Episcopo Constantinopolitano, legatis summi Romani Pontificis fugatis, & Episcopis cæteris terrore armorum ad assentiendum compulsis, Eutychianam hæresim impiè confirmavit.

Item amplector, suscipio, & approbo Synodum Constantinopolitanam secundam, centum sexaginta quinque Patrum, quintam in ordine universalium Synodorum, & credo quicquid illa decrevit, & reprobo, quicquid illa reprobavit: & maximè impiam hæresim Petri, Antimi, Severi, & aliorum, qui existimantes ipsam divinam naturam trium personarum divinarum pro nobis crucifixam. Trisagio verba, Qui crucifixus est pro nobis, addebant.

Item amplector, suscipio, & approbo Synodum Constantinopolitanam tertiam, ducentorum octoginta novem Patrum, sextam in eodem ordine, & credo quicquid illa decrevit, & reprobo quicquid illa reprobavit: & maximè impiam hæresim Sergii, Pyrrhi, Pauli, Petri, Cyri, Macarii, ac Theodori, qui unam tantum in Christo voluntatem, & operationem statuentes, unam quoque dumtaxat naturam, cum Eutychianis asserere conabantur.

Item amplector, suscipio, & approbo Synodum Nicænam secundam, trecentorum quinquaginta Patrum, septimam in eodem ordine, & credo quicquid illa decrevit, & reprobo, quicquid illa reprobavit: & maximè impiam hæresim Iconoclastarum, qui venerandas Christi & Sanctorum imagines, tanquam si idola gentium essent, è templis auferendas, & flammis absumendas esse dicebant.

Item amplector, suscipio, & approbo sanctam Synodum Florentinam amplius quàm centum & quadraginta Patrum, & credo quicquid illa decrevit de

proce-

processione Spiritus sancti, à Patre, & Filio, de consecratione panis azymi, vel fermentati, de Purgatorio, de beatitudine animarum, de primatu summi Romani Pontificis, nec non de Sacramentis, & libris Canonicis, & reprobo, ac damno quicquid illa reprobavit, & damnavit.

Præterea amplector, suscipio & approbo quæcunque alia Concilia, quæ recipit, & approbat sacrosancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, & maximè sanctam Oecumenicam generalem Synodum Tridentinam, novissimè celebratam, ac damno & reprobo omnes hæreses, & auctores earundem, quos & quas reprobat, & damnat dicta sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, nec non quicquid illa tenet, & docet cum omni devotione, & reverentia suscipio & amplector. Illos quoque Doctores, & Sanctos Patres, quos eadem Romana Ecclesia approbat, reverenter suscipio. Teneo & confiteor sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ esse caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à D. N. JESV Christo plenam potestatem traditam esse: Cujus Ecclesiæ unitatem tanti faciendi esse affirmo, ut nullos extra eandem Ecclesiam Catholicam existentes æternæ vitæ participes fieri posse confitear.

Insuper promitto, me tanquam obedientiæ filium ordinationibus, præceptis, censuris, ac jussionibus sanctissimi Domini nostri N. divina providentia Papæ & successorum suorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, & Sedi Apostolicæ semper, & fideliter obtemperaturum.

Hanc veram, Catholicam fidem, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè, DEO adjuvante, retinere ac confiteri spondeo, voveo ac juro. Sic me DEVS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia. Ego N. &c.

CAPVT V.

Interrogationes aliquot factæ suæ Sanctitati à Reverendissimo Patriarcha Maronitarum super fide, & ritibus Catholicis; manifestandæ in Synodo celebranda circa festum Paschatis Anno 1578.

De Baptismo. §. 1.

QUantum ad Sacramentum Baptismatis. Primò, nos benedicimus & consecramus aquam, quoties volumus baptizare, non autem consecramus in Sabbato Sancto secundum ritum Ecclesiæ Romanæ. Secundò, Non simul baptizamus masculos & fœminas, credentes hoc pacto affinitatem contrahi. Tertiò, Ordo etiam Baptismatis nostri diversus est ab Ecclesia Romana, quan quam forma sit eadem. Quartò, Item quia gens nationis nostræ habitat mixta Schismaticis, hinc quandoque fit, ut nostrorum filii ipsorum ritu baptizentur.

Responsio.

AD primum, Laudabile est benedici fontem baptismi in Sabbato Sancto, idque paulatim in Ecclesiam Maronitarum esset introducendum: quia, ut patet de *Consecratione Dist.* 4. antiquissimus fuit omnium Ecclesiarum usus ab Apostolis acceptus, in Paschate, & in Pentecoste conferre baptismum: in Paschate præcipuè, quia propriè (inquit Leo Papa *Can.* Propriè, *eo tit.*) in morte Crucifixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismi novam creaturam condidit ex veteri, ut in renascentibus & mors Christi operetur & vita: dicente Apostolo: *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Hæc ille. Imo Siricius Papa (*ibidem Can.* Non ratione) temeritatis arguit Claraconensem Episcopum, quod extra hæc duo tempora baptizaret. Qui mos licet modò non servetur, quod ea tempora adultis essent attributa, qui nunc ratò veniunt ad baptismum, decet tamen retinere consuetudinem sub ipsum Pascha benedicendi fontem baptismi, & sine ullo scandalo videtur id introduci posse apud Maronitas. Urgente tamen necessitate servetur cõsuetudo.

Ad secundum, Hujusmodi affinitas nulla est, cùm veteres canones (30. 4. 3. can. Pyctatium, & *lib. 6. de cognitione spirituali,*) non aliam agnoscant affinitatem ex baptismo, nisi paternitatem, compaternitatem, & fraternitatem, quæ sit inter regeneratum & liberos tum regenerantis, tum susceptoris. Imò Tridentinum Concilium *Sess.* 24. c. 2. statuit ut inter susceptores, & baptizatum, & illius patrem & matrem: nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur.

Ad tertium, Cum Florentinum Concilium suas Græcis cæremonias reliquerit, possent & suæ permitti Maronitis in Baptismo: dummodò per viros doctos ab omni superstitionis, aut erroris specie expurgentur. Dummodo servetur forma, licet videatur diversa

Ad quartum, Licet permittendum non sit, ut Catho-

in erroribus annotatis, dicitur enim ibi Baptizetur agnus de grege Christi in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Catholicorum filii à Schismaticis baptizentur, valet tamen eorum baptismus. (ut habetur de *Consecratione dist.* 4. *Can.* Si non sanctificatur *Can.* Romanos. *Can.* A quodam Judæo; & in Concil. Florentino in unione Armenorum,) si tamen debita forma & materia adhibita sint, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, dummodo non intendat baptizans profiteri, vel inducere suum errorem & hæresim, addendo formæ aliqua verba orthodoxæ fidei repugnantia. Quapropter servandum est, quod statuitur in Concilio Arelatensi relato de *Consecratione dist.* 4. *Can.* de Arrianis, ut videlicet ab hæreticis baptizati interrogentur, qua forma fuerint baptizati: nam si constabit rite baptizatos, nihil agendum est; si irrite, simpliciter baptizentur; si probabiliter dubitetur, sub conditione baptizentur.

De Chrismate. §. 2.

QUantum ad Sacramentum Confirmationis attinet. Primò, Quia chrisma nostrum hocce anno præsenti antiquo ritu consecravimus, offenderetur populus noster, si ex propria mea auctoritate idipsum igne absumerem; idem dico de chrismate, quod Divina favente gratia hocce die Jovis Sancto, secundum ritum Ecclesiæ Romanæ, & Pontificis sum consecraturus, quod servatum velim pro aliquo anno, eandem ob causam: insuper non ita facilè hic reperitur balsamum. In posterum chrismate sancto pueros ungemus circa annum ætatis eorundem octavum: scire etiam aveo, quid statuendum sit circa nostrates, antiquo nostro ritu chrismate inunctos, idque à Sacerdote, & tempore baptismi?

Responsio.

Servetur in confectione Ecclesiæ Romanæ ritus, & quoad annuam combustionem, si id sine scandalo cõmode fieri possit.

AD primum, Per hæc initia liberandi à chrismatis annua combustione, ob populorum offensionem, & inopiam balsami, modò moneantur ut pedetentim studeant hortari populos ad recipiendum hunc Ecclesiæ Romanæ ritum, de quo Fabianus Papa Martyr de *Consecr. dist.* 3. Can. *Litteris*; severè scribit Episcopis Orientalibus in hæc verba: *Litteris vestris invenimus quosdam religionis vestræ Episcopos, à vestro nostroque Ordine discrepare, & non per singulos annos in cœna Domini chrisma conficere. Errant vero, qui talia excogitant, & mente vesana potius quam recta sentientes hoc facere audent. Sicut enim ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius chrismatis sancti confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renovanda, & Fidelibus est tradenda: quia novum Sacramentum est, & per singulos annos in jam dicta die innovandum, & vetus in sanctis Ecclesiis est cremandum.*

Servetur consuetudo nec præfigenda est ætas, videlicet non ante usũ rationis.

Ad secundum Concilium, Aurelianense (relatum de *Consecr. dist.* 5. Can. *Ut jejuni,*) sancire videtur, ne ante usum rationis pueri chrismentur: Sic enim ait, *ut jejuni ad confirmationem veniant, perfectæ ætatis: ut moneantur confessionem facere prius,* &c. nec immeritò: hac enim de causa, dum quis confirmatur, alapa cæditur, ut admoneatur quemadmodum juxta verbum Evangelicum ante Reges & Præsides flagella pro fide æquanimiter ferre debeat, & mortem: pueri autem ante usum rationis tam ad pugnam quam ad hujusmodi cæremonias inepti sunt. Cæterum quoniam id solo Ecclesiæ usu tenetur, non malè sentit Dominicus Sotus in 2. *Sent. dist.* 7. *q. unica art.* 8. si aliquibus nationibus usus esset confirmare infantes, retineri posse, cum id etiam fecerit Ecclesia primitiva, ut ex Dionysii 2. *cap. Ecclesiastica hierarchia* colligitur.

Ad idem secundum, Sacramentum à presbytero collatum irritum est, ut ait Eusebius Papa de *Consecr. Dist.* 5. Can. *Manus*: id quod Innocentius primus *Epistola* ad Eugubinum Episcopum *cap.* 3. docet, non solum consuetudine Ecclesiastica demonstrari, sed etiam actis Apostolicis, quæ asserunt Petrum, & Joannem esse missos, qui baptizatis traderent Spiritum sanctum. Tametsi, ut Florentinum Concilium in unione Armenorum docet, possit presbyter ex Papæ dispositione confirmare, quod Ecclesiæ Calaritanæ concessit D. Gregorius *lib.* 3. *Regist. Epistola* 26. quam dispensationem Apostolicam, quia Hierosolymitanæ Ecclesiæ collatam esse non legimus, idcirco si qui à presbyteris chrismati vellent iterum ab Episcopo chrismari, possent chrismari; cum cæteris verò, qui sine scandalo ejus rei nequeunt admoneri, dissimulandum est, cum non sit Sacramentum necessarium saluti.

Eusebius Pontifex. Innocent. Pontifex.

De Eucharistia. §. 3.

DE sanctissimo verò Missæ Sacramento, Primo, Nos Missam celebramus in solo azymo, laici verò nostri sub utraque specie communicant. Secundo, neque pluries quam semel uno eodemque die, super eodem & uno altari celebramus. Tertio, itidem apud nos mos obtinet, quod uno Sacerdote celebrante Missam, quotquot alii præsentes sunt Presbyteri, habitu tamen dicentium Missam carentes, neque etiam consecrantes, (communicantes tamen) omni onere atque obligatione tam pro vivis, quam defunctis, eleemosynisque eam ob causam acceptis Missam celebrandi, absoluti, & satisfecisse censentur. Quartò, Diebus verò Jejunii circa vesperam, imò quandoque exacto die solemus Missam celebrare. Quinto, Communicantibus autem administratur particula de ipsamet hostia majori sub qua celebratur, etiamsi magnus foret communicantium numerus, sub hisce verbis Christi: *benedixit, fregit, deditque, &c.* Sexto, Timore infidelium non asservatur Sacramentum Eucharistiæ, neque ubi pro infirmis conservatur, lampas ulla accensa præponditur.

Responsio.

Si aliter sine scandalo fieri non potest servetur antiqua cõsuetudo

AD primum, Si volunt in azymis consecrare, non videntur prohibendi, laici verò à communione sub utraque specie pedetentim arcendi sunt, cum id tanti faciat Tridentina Synodus *Sess.* 21. Totus enim Christus sub una specie continetur, & in usu calicis magnum est periculum effusionis.

Ad secundum, Non peccatur sæpius una die in eodem altari celebrando, tametsi ea consuetudo mala non sit.

Ad tertium, Non satisfaciunt eleemosynis pro Missa collatis, nisi qui sigillatim, ritè celebrant, & consecrant: tametsi dissimulandum non est, quod asserunt Paludanus in 4. *dist.* 45. *q.* 2. D. Antoninus *part.* 1. *tit.* x. *cap.* 2. §. 4. & Silv. Ver. *Missa* 1. x. videlicet Sacerdotem posse una Missa satisfacere multis, quibus Missam promisit ob acceptas diversas eleemosynas, si ipsi id sciunt, vel scire tenentur, quia scienti & volenti non fit injuria. Hæc illi. Quæ sententia quia probabilis est, tolerari posset mos Sacerdotum Maronitarum, si

Paludanus. Silvest. Antoninus.

inter

inter se convenlant, ut Missa, quæ in communi dicitur, aut legitur à multis, applicetur iis qui eleemosynas contulerunt, cum ipsis ea consuetudo Sacerdotum perspecta jam sit, ut probabile est.

Ad quartum, Hujusmodi mos mutandus non videtur, nam antiquus fuit in Ecclesia, cum Concilium Cabilonense relatum *de Consecr. dist. 1. Can.* Solent. præcipiat, *in jejunio quatuor temporum circa vespertinas horas; in Sabbato vero Sancto circa noctu initium Missarum solemnia celebrari.* Id quod licet jam diu Latinis Ecclesia remiserit, nostræ consulens imbecillitati, tamen ubi servari potest, non modò tollendum non videtur, sed collaudandum etiam, quo diutius protrahatur jejunantibus hora comedendi, quam non nisi vespertinam olim fuisse tota Quadragesima, idem Concilium declarat: quæ consuetudo ad tempus usque D. Thomæ Aquinatis ferè perduravit, quia, ut ipse testatur 2. 2. q. 147. art. 7. suo tempore jejunabatur usque ad horam nonam, quæ, ut *ibidem* annotat Cajer. est hora tertia post meridiem, ut nempe jejunantes Christo compaterentur usque ad horam nonam, qua expiravit. Qua item hora, quia peractum est cruentum sacrificium, non indecorè in eandem horam defertur incruentum.

D. Thom. Cajetan.

Ad quintum, Non damnandus videtur is ritus, si non ex superstitione fiat, sed ex pio affectu in ea Evangelii verba, *Benedixit, fregit, dedítque.*

Et dummodo talis cõsuetudo sit antiqua.

Ad sextum, Servetur quod in ipsorum Synodo 12. *Constitutione* decernitur, & quod necessitas jubet.

De Confessione. §. 4.

QUod ad Confessionem attinet. Primò, Ob raritatem Sacerdotum peritorum, singulis terris & oppidis, villisque proprio Pastori constituendo non sufficit eorum numerus; hinc ad diversa loca diversi Sacerdotes confessiones excepturi mittuntur, sic ut ovilia Pastore privata quandoque remanere cogantur. Secundò, Et quia hactenus auctoritatem à sancta Sede Apostolica mihi particulariter concessam ignoro, etiam me latet quousque in alios eadem extendenda sit. Quapropter Sanctitas Vestra hacce in re mihi limites præscribere non dedignetur. Tertiò, Insuper informatum me velim Brevi Sanctitatis Vestræ, quod & aliis ostendere possim, num antiquæ pœnitentiæ observandæ sint, num verò arbitrariæ imponendæ.

Responsio.

Horretur ut Ecclesiæ Romanæ consuetudo instituatur & servetur.

AD primum, Propter magnam, ex propriorum Pastorum in suis Ecclesiis residentia, utilitatem, gravissimè in sactis Canonibus, & Tridentino Concilio commendatam, magnopere conandum esset, ut quo ad ejus fieri poterit, proprii Pastores singulis parœciis oppidisve deputentur. Et per hæc initia sumtio Pontifici supplicandum esset, ut aliquos eò Sacramentorum idoneos ministros mitteret, qui & præsentem Ministrorum paucitatem sublevarent, & alios subinde alerent ac docerent, qui sibi deinceps succederent.

Servetur eorum consuetudo.

Ad secundum, Huic Patriarchæ concedenda videntur priscorum Patriarcharum privilegia, quæ habentur de privilegiis & excessibus privilegiorum Cap. Antiqua, cum expositione Doctorum: nec deneganda facultas absolvendi ab omnibus censuris & casibus propter molestiam transmarinæ navigationis evitandam: atque hæc concessio, quò fuit amplior, eò minus ipsis videbitur laboriosus & gravis, novus ad Ecclesiam Romanam reditus ac subjectio.

Quod utrisque utantur prout necessitas postulat.

Ad tertium, Arbitrariæ pœnitentiæ concedendæ videntur, commendandæ tamen antiquæ, & ad eas populus suaviter inducendus, cum experiamur, rigidarum pœnarum relaxatio, ad quantam licentiam in peccando Christianum populum deduxerit: dummodo illorum antiquæ pœnitentiæ recognoscantur: & si oportuerit, expurgentur.

De Matrimonio. §. 5.

QUantum ad Matrimonium attinet. Primò, Gens nostræ nationis induci non potest ad intelligendum, illicitam esse repudiationem uxorum etiam in adulterio repertarum; quas ita repudiatas rursus mattimonio associari posse existimant: quare, &c. Secundò, Qualiter cum utriusque sexus hominibus taliter repudiatis, postmodumque de novo matrimonio copulatis, sit disponendum? Tertiò, Et num eorum proles legitima sit, & in Clerum admittenda nec ne? Quartò, Item credimus viros ad quartas nuptias, fœminasque ad easdem non esse admittendos. Quintò, Itidem num licitũ sit Christianis cum Schismaticis matrimonium contrahere (quod proh dolor! sæpe fit) aut non? Sextò, Scire etiam desidero, quousque mihi liceat circa matrimonium dispensare? Septimò, De impedimento publicæ honestatis non cognoscimus, quod tamen quandoque incurritur, desideroque cum talibus dispensari. Octavò, Credimus etiam illicitum esse patrem & filium cum matre & filia, duosve fratres cum duabus sororibus matrimonio posse copulari.

Responsio.

AD primum, Constat divortio ob fornicationem habito, matrimonii vinculum non solvi, sed quia affirmat Patriarcha id suæ nationi incredibile videri, percommodum esset hanc Catholicam veritatem illis promulgare, certissimis Scripturarum Patrumque auctoritatibus & rationibus communitam.

Ad secundum, Quia prioris matrimonii vinculum adhuc durat, faciendum est, quod Apostolus præcipit 1. Cor. 7. *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Separandum itaque est secundum matrimonium, & redeundum ad primum, si ambo conjuges vivant: alioquin manere possunt cum iis, quibus jam juncti sunt; dummodo denuo spontè contrahant: perinde ac si nihil ante contraxissent.

1. Cor. 7.

Non videntur alia declaratione indigere,

Ad tertium, Liberi ex hujusmodi matrimoniis, quæ vera putabantur, cùm non essent suscepti, ut in clerum recipi possint, auctoritate Apostolica legitimi declarentur. Cum legitimi filii in jure censeantur nati ex matrimonio, quod vel legitimum erat, vel legitimum putabatur, ut colligitur ex C. Cum inter, & ex C. Ex tenore, qui fil. sint legit.

Ad quartum, Hic usus est contra illud Hieronymi 31. q. 1. *Can.* Aperiant: *Non damno*, inquit, *bigamos, imo nec trigamos, etsi dici potest octogamos.* Infra: *Ego nunc voce proclamo liberam, non damnari in Ecclesia bigamiam, nec trigamiam, & italicere quinto & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito rectè nubere.* Hæc ille: & ratio in

S. Hieron.

promptu est, quia ex nuptiis quotiescunque repetitis existunt & bonum prolis, & remedium concupiscentiæ; Catholicè itaque non sentit, qui id licere negat.

Ad quintum, Non licet contrahere cum Schismaticis & hæreticis, cum id prohibeatur 28. q. 1. *Can.* Cave, ex D. Ambr. *Can.* Non oportet, ex *Conc. Agathensi.* Item Concilio Chalcedonensi *Can.* 13 Hoc tamen impedimentum non dirimit contractum: tenet enim Matrimonium ratione characteris baptismalis ex D. Thoma *quarto dist.* 39. *q.* 1. *art.* 1. *ad quintum*, & communi sententia Doctorum, quoad habitationem tamen separandi essent, si fidei periculum Catholicis immineret, *Cap.* Quæsivit. *de divort.*

In utroque casu servetur antiqua Patriarchæ consuetudo.

Ad sextum, Idem videtur dicendum, quod supra ad secundum de Confessione.

Ad septimum, Libera est summo Pontifici dispensatio in hoc impedimento, cùm nihil habeat divini Juris.

Ad octavum, Putandum non est non licere contrahere duos fratres simul cum duabus sororibus, aut patrem cum matre, & unius filium cum filia alterius. Affinitas enim non est in cognatos contrahentium; sed inter unum contrahentem, & cognatos alterius contrahentis, ex 6. Quod super his *de consang. & affin.*

De Ordine. §. 6.

QUantum ad Sacramentum Ordinis attinet. Primò, in nostro Pontificali conferuntur Ordines sine forma per modum precationis, dicendo, Ut eligas hunc in Diaconum, Presbyterum. Et si quid in hoc sit dubii, nobis insinuare dignemini, quanquam in posterum secundum Pontificale Romanum, quod modo de novo à Legatis Sanctit. Vestræ in linguam nostram vulgarem est traductum, illos conferemus. Secundò, Creamus insuper pueros 5. vel 6. annorum subdiaconos, sine obligatione legendi horas Canonicas. Tertiò, Neque etiam confertur apud nos Diaconatus vel Sacerdotalis dignitas, nisi his, qui prius (contra tamen usum Ecclesiæ Romanæ) cum virgine contraxerint; cum vidua vel corrupta non item: quibus tamen secundæ nuptiæ sunt interdictæ. Quarto, Dubium insuper nobis est, an iis, qui ordinati sunt sine auctoritatate vel litteris dimissorialibus Patriarchæ, vel proprii Episcopi, in tali sint Ordine, vel suspensi, vel irregulares, similiterque Episcopi sine Ordine auctoritateque Patriarchæ.

Responsio.

AD primum, Posthac juxta Pontificalis Romani ritus habeantur ordinationes. Quæ verò ante hac præter illud factæ sunt, quales fuerint, judicari certò non potest, nisi huc mittant illi suum Pontificale, ut ejus ritibus & cæremoniis perspectis facilius de re tota statuatur.

Ad secundum, Sapienter Ecclesia (*dist.* 77. & 78.) in ordinandis, non solum usum rationis requirit: sed perfectam magis, minusve ætatem pro Ordinum varietate, idque tum ratione characteris, qui cum sit potestas exercendi conferendique, quæ ad DEI cultum pertinent, tradi non debet, nisi in ea ætate, quæ hujus potestatis exercendæ sit capax: cum ratione annexi voti castitatis, quo nullus nisi sciens & volens debet obstringi. Itaque in sexta Synodo Constantinopolitana *Can.* 14. & 15. statuitur, ne Diaconus ante 25. annum creetur, nec Subdiaconus ante 20. nec Presbyter ante 30. quæ tempora licet varie mutata sint, inducendi tamen sunt Maronitæ, ut Tridentini Concilii tempora observent *Sess.* 23. *cap.* 12. Dummodo intelligatur Ordines ante usum rationis collatos valere ex communi sententia Theologorum, in *quarto Sent. dist.* 25. Tenentur etiam omnes ordinati ad horas Canonicas, saltem illi nationi consuetas, & à viris doctis recognitas; non solum beneficiati, sed etiam qui sunt in sacris sine beneficio, ex D. Thoma 6. *Quodlib.* & *in* 4. *dist.* 25. ex Panor. in C. 1. *de celebr. Miss.* ex Cardinale in *Clem.* 1. *eo tit.* & communi sententia.

Clement.

Ad tertium, Cum Stephanus Papa (*dist.* 31. can. *Aliter*) tradat Orientalium veterem esse traditionem, ut eorum Sacerdotes matrimonio copulati sint, cumque id illis nunquam interdixerit Ecclesia, nec videtur interdicendum Maronitis: lex enim cœlibatus semper gravis visa est Græcis, propterea conjugium permissum est illis. Sic enim scribit Clemens III. c. *Quæsitum* de pœniten. & remiss. *Sacerdotibus Græcis legitimo matrimonio licet uti.* Et clarius Innocentius tertius C. *Cum olim*, de cler. conjug. *Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, & in sacris utuntur matrimonio jam contracto.* Hæc illi. Permittendum id itaque videtur Maronitis, dummodo ad matrimonium non compellantur, qui cælibes esse vellent: sed ad id potius piis hortationibus inducantur.

Innocent.

Ad quartum, Benè res se habet.

De Conciliis. §. 7.

DE sacris vero Conciliis, nullam aliam notitiam habemus, quam de quatuor generalibus: hinc quid alia Concilia generalia circa consuetudines innovarint, vel abrogarint prorsus ignoramus, &c.

Sed admonēdi sūt, quod illi Episcopi qui ante ordinationem non sunt à Patriarcha legitime electi, etiamsi cō, secrateātur, vel ut ipsi dicunt, ordinarentur; non sunt Episcopi nedum suspensi executione ordinationis episcopatus.

Responsio.

QUoniam quatuor tantum Concilia generalia habent, & postulant de reliquis edoceri, necessarium videtur ad tantæ rerum divinarum ignorationi consulendum, jussu Summi Pontificis ab aliquot Theologis colligi in libellum omnes Catholicas & Orthodoxas propositiones, ceteris Conciliis generalibus sancitas, tametsi Concilium Tridentinum totum posset ad eos mitti in Arabicam linguam convertendum, idem de Catechismo ad Parochos.

Quod curabimus Cōcilū Tridentinū & Canones necessarios aliorum Conciliorū ad ipsos in eorum idioma trāsmittere.

De variis rebus. §. 8.

QUod ad diversas vero res alias attinet. Primò, Quæro, quid statuendum mihi erit, circa certum populum diœcesis nostræ vulgariter Bianchi nominatum, mera tributorum seu mortis, Mahumeticæ legis ritus externos obeuntem, qui tamen nostro ritu baptizatur & jejunat, confessionem, sacramque communionem maximè exoptans. Secundò, Item num modus noster jejunandi sit validus, qui sic instituitur, ut toto die in jejunio transacto, vesperi tamen interruptam cœnam in dormiendi usque tempus protrahamus. Tertiò, Cavetur insuper exactissimè, ne mulieribus menstruum patientibus sacra Synaxis, vel oleum Sanctum administrentur, multoque minus in Ecclesiam intromittantur. Quartò, Lapides altarium nostrorum sacri Oleo chrismatis unctis

unctí sunt, non adhibitis sacris Sanctorum reliquiis, super quibus num rectè celebretur nec ne? Quinto, Ornatus itidem Ecclesiarum nostrarum, velaminaque alba altarium bombycina sunt, propter lini penuriam. Sexto, Præterea cum Pontificale Romanum statuat jubeatque singulos Episcopos ultramarinos omni triennio Romam venire de Ecclesiarum ipsorum statu deposituros, num & nostri ad idem teneantur nec ne, sufficiatque propter itineris difficultates Turcarumque pericula, quempiam eorum nomine delegare?

Responsio.

D.Thom. Cajet. AD primum, D. Thom. & Cajet. 2. 2. q. 3. docent aliud esse occultare suam fidem in Christum, aliud profiteri religionem falsam. Illud non semper malum, non enim necessaria confessio fidei, nisi cum interrogamur, vel urget necessitas proximorum, vel scandalum, &c. Hoc vero nunquam licet nec verbo, nec facto, cum utroque modo Christus æquè negetur, etiamsi corde credatur. Inde qui in tormentis Christum negant, quamvis animo fidem retineant, damnantur xi. q. 3. Can. *Existimat*, ab Hieronymo; Can. *Non solum*, ab Augustino, Can. *Nolite*, à Chrysostomo: & credere id licere, pertinet ad hæresim Elcesaitarum; de quibus Euseb. *lib. 6. cap. 38.* Contra quos Origenes in *Psal. 82.* scribit: Quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Ex quo patet hos populos Alborum in statu damnationis esse, si metu tributorum seu mortis vel obeunt externos ritus Mahometicæ legis, vel habitum aliquem gerunt per se institutum ad eam profitendam, ut diserte Cajet. *ibidem* Sylv. Ver. *fides* §. 5. aliique.

Euseb. Rom. 10. Matth. 10

Cajetan. Sylvest.

Ad secundum, Conandum est, ut Jejunium non multis interruptis connectionibus fiat, sed unica tantum, id enim Ecclesiastico jejunio necessarium esse asserit D. Thom. 2. 2. q. 147. *art. 6.* & Theologi reliqui in 4. *dist. 25.*

D.Thom.

Ad tertium, Menstruatis nec Eucharistia, nec oleum sanctum, nec Ecclesiæ ingressus inhibendus, nisi ipsæ ex devotione abstineant. Sic enim de iis D. Gregor. Augustino Anglorum Episcopo scribit *dist 5. Can.* Ad ejus: *Mulier, dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi Ecclesiam intrare non debet: quia ei natura superfluitas in culpam reputari non debet, & pro hoc quod invita patitur, injustum est ut Ecclesia ingressu privetur. Novimus namque quod mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur, post tergum Domini humiliter veniens, vestimenti ejus fimbriam tetigit: atque ab ea statim sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit vestimentum Domini tangere: cur etiam, qua menstrua patitur sanguinis, ei non liceat Ecclesiam intrare? Si enim ea benè præsumpsit, qua vestimentum Domini in languore posita tetigit, quod uni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ suæ vitio infirmantur? Sancta quoque communionis ministerium in eisdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna recipere non præsumpserit, laudanda est; sed si susceperit, non est judicanda.* Hæc ille.

D.Greg.

Servetur antiqua consuetudo dū modo

Ad quartum, Dispensari posset, donec mittantur commodè reliquiæ, quæ portatili altari inserantur.

Ad quintum, Concedendum videtur, ut utantur in Ecclesiæ ornamentis, telis bombycinis, ob lini penuriam.

Ad sextum, Ob magnam locorum intercapedinem denegandum non videtur, quod petunt, ut satis sit unoquoque triennio, unum Episcoporum omnium nomine Romam destinari.

non adsit aliqua superstitio.

Constitutiones aliquot dandæ in Synodo Provinciali Reverendissimi Patriarchæ Maronitarum.

§. 9.

PRima, ut in posterum inter nationem nostram, nec in Ecclesia, nec extra dicatur cum Trisagio, *Quando crucifixus es*, vel *Quando mortuus es*, vel *Quando resurrexisti*, &c. sed solum in hunc modum: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis*: extra verò Trisagium dici poterit in piam commemorationem Passionis Christi.

II. In posterum tam masculi, quàm fœminæ octiduani baptizentur, neque post baptizationem communicent, aut chrismentur, qualiter hactenus fieri solitum est: chrismate tamen inungantur, idque super capite post baptismum, qualiter consuevit Ecclesia Romana.

III. Singulis annis, die Jovis sancto consecretur chrisma cum reliquis oleis sanctis, & vetus exuratur coram venerabili Sacramento, nec alia adhibeatur materia præter oleum olivarum, & balsamum, cum consecratione & ordine secundum ritum Ecclesiæ Romanæ.

IV. Sacramentum Confirmationis pueris octavum agentibus annum conferatur, idque in fronte à Patriarcha, vel Episcopis juxta ritum Ecclesiæ Romanæ, non autem à Sacerdotibus cum baptismo, uti hactenus consueverunt.

V. Sanctum Eucharistiæ Sacramentum in posterum non administretur, nisi usum rationis habentibus, ut nimirum dignè sumatur secundum S. Pauli Apostoli admonitionem, usumque & mandatum sanctæ Ecclesiæ Romanæ.

VI. Insuper quia (ut notum vobis est) inter tot schismaticas nationes habitantes, nostri illorum libris mixti sunt, summis etiam cum erroribus contra Romanam Ecclesiam; hinc nobis perplacet, Si RR. Patres à V. Sanctitate missi ad nos, libros nostros examinent, bonos seligentes, suspectosque comburentes, qualiter in nostro Monasterio sancto de Canubit facere cæperunt; quod si præstemus, Sanctissimus Papa noster promisit se Biblia, aliosque multos libros utiles, & Catholicos, secundum usum Romanæ Ecclesiæ imprimi curaturum; quapropter quotiescunque hacce de causa requisiti fueritis, nullos libros eorum conspectui subtrahatis.

VII. Cæterum ut fides pura, & obedientia syncera inter nostras nationes, erga sanctam Catholicam Ecclesiam Romanam conservetur, quoties inter nos novus Patriarcha eligetur, subitò Oratores ad Sanctitatem suam pro confirmatione ejusdem delegentur, qualiter fecerit antecessore nostri tempore Reverendissimi Patriarchæ Jeremiæ bon. mem. quod ipsum etiam à me ultimò observatum est: similiter quotiescunque creabitur novus Pontifex Romanus, transmittenda erit à paupercula nostra natione obedientia nomine Patriarchæ, totiusque Cleri, & populi Maronitarum. Et omni triennio, si idem Patriarcha Romam, sedis, & officii sui rationem redditurus Sedi Apostolicæ, proficisci nequeat, ad minus expedire aliquē fidelem & diligentem, ac in omnibus benè informatum, qui suæ Sanctitati rationē reddat,

reddat, transmittereque tenebitur. Paratissimi interim nos semper quicquid sanctissimæ Sedi in salutem animarum nostrarum placuerit mandare, syncerissimè acceptare.

VIII. Item quando RR. PP. legati Sanctitatis S. ad vos visitandarum Ecclesiarum vestrarum causa, ritumque administrandi Sacramenta inspecturi, (qualiter eosdem obsequatus sum) venerint; meam, vel alicujus Archiepiscoporum meorum præsentiam dignentur. Quare supplico charitati vestræ, velitis eosdem benigno vultu, debitoque honore, & rationi consono recipere, cum patriâ relicta suæ Sanctitatis mandato pro salute vestra, tot maria & pericula fuerint dimensi; salutiferisque eorum mandatis, & circa Ecclesiam salutemque vestram præceptis morem gerite; nullam in ostendendis libris, staruque Ecclesiæ vestræ explanando difficultatem facientes: verum quicquid circa ritum rectè administrandorum Sacramentorum, & vestram, oviumque vestrarum salurem præceperint, sincero corde, paratoque ad obediendum animo amplectamini, & salubres eorum admonitiones & ordinationes scriptis mandate, ne memoria excidant, quæ omnia, divina favente gratia, sum executurus; hæc enim est voluntas Sanctitatis suæ, & dilecti nobis fratris Cardinalis Caraffa, simulque id ipsum à vobis postulamus.

IX. Præter ea, quæ sua Sanctitas mandat, & dilectus frater & protector noster Cardinalis Caraffa, vos insuper monitos velim (quod & vobis notum est) multos utriusque sexus homines nationis nostræ esse salutarium instructionum ad fidem pertinentium ignaros: quare vos obtestor gnavam instruendo ovili vestro in hisce, quæ animarum salutem tangunt, operam dare velitis, præcipuèque in oratione Dominica, & salutatione Angelica, decemque præceptis decalogi edocendis, cum hocce proprium vestrum officium concernat.

X. Curetis insuper Ecclesiastica cuncta sint quàm nitidissima, & præsertim corporalia, calices, patinæque, super quibus consecratur, ponaturque sanctissimum Corpus & Sanguis Christi.

XI. Nullus etiam in posterum Missam celebrare præsumat sub altera hostia, quam ea qua utitur Ecclesia sancta Romana, composita nimirum ex solo polline & aqua, & quousque dabitur copia ferrorum formandarum hostiarum, statuimus paucula similia ferra pro tempore inter nos extantia distribuantur, sic ut cuique Ecclesiæ possit satisfieri.

XII. Sanctissimum quoque Sacramentum in loco nitido & secuto asservetur, illique semper lampas accensa præpendeatur, atque id ipsum ad minus singulis mensibus Romanæ Ecclesiæ ritu renovetur.

XIII. Item Missæ in ipsa Ecclesia devotè celebrentur, nec inter cantandum novus versus ante finitum priorem incipiatur: sciendum enim est nos cum DEO benedicto pro impetratione rerum nobis necessariarum tractare.

XIV. Ornamenta etiam Ecclesiastica, ubi sorduerint lavanda sunt, cùm nihil de earum consecratione per lotionem detrahatur, contra quorundam tamen opinionem; corporalia autem prius à Sacerdote abluenda sunt, deinde per laicum quemvis, ut sic videlicet omni puritate & nititate Deo omnipotenti serviatur.

XV. Quoties autem in Ecclesia divinum officium celebrabitur, unus ad minimum cereus, aut oleaceum lumen ad finem usque accendatur, summaque cum devotione silentium in Ecclesia observetur.

XVI. Sit quoque in omni Ecclesia vas aliquod conservandæ aquæ lustralis ritu Romanæ Ecclesiæ, cujus benedicendi modum & formam, singulis videlicet diebus Dominicis vobis trademus.

XVII. Sanctum verò chrisma, aliaque olea sacra, singulis diebus Jovis sanctis, posthac à nobis renovanda, & per totam diœcesim distribuenda, in loco nitido asservanda sunt, non tamen sanctissimo Sacramento miscenda.

XVIII. Neque in posterum Missa celebretur calicibus vitreis, ligneis, vel æneis, sed aureis argenteisve, aut stanneis; quique nec stanneos habent, mutuò ab aliquo sumant, quousque divino favente auxilio, Romanæque Ecclesiæ subventione hisce providebimus.

XIX. Instabitis etiam summa cum diligentia, ut grex vester ad minus ter in anno communicet; Sacerdotes verò Diaconique sacro inservientes, pro necessitate salutis animarum suarum, sæpius sacram synaxim sumere moneantur.

XX. Omnis autem Diaconus aut Sacerdos singulis diebus horas Canonicas in Ecclesia, vel si id commodè fieri non possit, saltem extra, legere teneatur.

XXI. Dies quoque Dominici vel festi, in posterum melius colantur, ebrietatem, excessusque illicitos & inconvenientes exactius quàm hactenus fugiendo.

XXII. Quisque etiam vestrum fugiat juramenta, mendacia, & ingurgitationes, vitia nationi nostræ communissima, atque eo modo subditos vestros bono exemplo præcatis.

XXIII. Efficite insuper ut quàm possint maximè subditi vestri schismaticorum, hæreticorum, excommunicatorum, & infidelium conversationem execrentur; multoque minus cum eisdem, prout hactenus, nuptiæ contrahantur: ne Christiani talium sectarum hominibus prorsus fugiendis commisceantur.

XXIV. Curandum in posterum, ne repudia ullam ob causam, ne quidem fornicationem, cum contractione novarum nuptiarum committantur: verum tali (quod avertat DEUS) interveniente vitio, separatio fiat habitatione tenus, &c. & ita separata, si postmodum sese convertat, muniaque debita marito præstet, ob amorem DEI, qui contritæ & pœnitenti per confessionem censetur condonasse, rursus in conjugalem thalamum admittatur: ne forte conjugum alter per humanam fragilitatem in peccatum labatur; sunt enim Evangelica verba, ad mentem Ecclesiæ Romanæ intelligenda.

XXV. Non præsumat, nec Sacerdos, nec sæcularis, pecunias sub usuris exigere.

XXVI. Item Reliquiæ Sanctorum, si quæ sint, in Ecclesiis in loco sacro & nitido asserventur, & summo honore ad majorem DEI gloriam afficiantur.

XXVII. Quicquid à debitis vacationibus vobis temporis supperet, legendis bonis libris, impendite; hæreticorum scripta nationi nostræ frequentissima fugiendo: ex libris enim salutiferis quid vestris, subditorumque vestrorum animabus conducat elicietis.

XXVIII. Sacerdotes uxoribus carentes, nisi urgentissima necessitate requirente, fœminis mixtim cohabitare non sinantur: religionem verò professis mulieribus, ne quidem matri, cognatis, sororibusque cohabitare non permittantur;

quem-

quemadmodum expresè *Canone* 4. *Concil. Nicani* caverur.

XXIX. Prælati nullos gradus clericales, præsertim Sacerdotalem, aliis quam bonis, & doctis, bonamque famam habentibus conferant: & quisquis hisce donis caret, ad eosdem gradus aspirare non præsumat.

XXX. Moneo vos insuper, quod in posterum singulis annis hocce tempore Synodum faciemus; ad statuendum & ordinandum de aliis rebus Ecclesiam nostram, Maronitarumque nationem concernentibus: quapropter paratissimi sitis huc moniti diligentissimè venire, de aliis negotiis statuendis audituri.

XXXI. Ultimò vos moneo celebrare Missam pro vivis vel defunctis, quoties vos obligatos esse contigerit, quisque vestrum conscientiam suam exsolvat; neque enim satisfit, nec sat est uno celebrante cæteros præsentes secundum ritum Ecclesiæ nostræ simul legere; absolutè enim & integrè, & secundum obligationem Sacrum est celebrandum. Vos insuper obtestor divinam Clementiam precari dignemini pro salute sanctissimi nostri Papæ *Gregorij XIII.* dilectique fratris & Domini nostri Cardinalis Caraffa protectoris humilitatis, totiusque nationis nostræ, & pro cunctis gentis nostræ Fidelibus humiles ad DEUM preces effundere non dubitetis. Laus DEO. Factum in Canubir.

CAPVT VI.

Propositiones aliquot excerptæ tum è quibusdam libris Maronitarum, dum expurgarentur à Legatis Apostolicis, tum ex communi consensu, & quadam traditione receptis, quæ videlicet hæreses sunt manifestæ, vel erroneæ, vel superstitiosæ: qui etiam errores solent esse communes aliis nationibus Orientalibus.

Circa creationem.

PRimò, anima rationalis ex divina substantia creatur. Secundò, animæ ab initio omnes simul creatæ fuerunt. Tertiò, quædam brutorum perfectæ species non fuerunt ab initio creatæ, maximè vero canis, & felis, quorum hanc extirpationem Leopardi, illum verò à diabolo productum affirmant.

De Christo Domino & sancto Spiritu.

PRimò in Christo una tantum est natura, una voluntas, una operatio. Secundò, Christus non comedit agnum cum discipulis, quando postremò cænavit cum illis, sed alios cibos tantum: & intinxit panem, quem erat Judæ porrecturus ad consecrationem tollendam. Tertiò, Christus flagris cæsus, spinis coronatus, ac purpura indutus fuit in domo Caiphæ Principis Sacerdotum. Quartò, Christus post resurrectionem non habuit cicatrices, quas nec Martyres sunt habituri, quasque Discipulis ostendit, illas sibi tunc creavit, ut eos ad resurrectionis veritatem credendam perduceret. Quinto, Spiritus sanctus à solo Patre procedit.

De Iudicio.

PRimò, non datur particulare judicium. Secundò, nemo ingreditur regnum cælorum, nisi perfecto universali judicio: Animæ Sanctorum in quodã amæno loco sub cælo asservantur, in quem locum Christus, & bonus latro iverunt, atque in hunc sensum intelligenda verba Christi, *Hodie mecum*, &c. Impiorum verò animæ extra præfatum locum custodiuntur ab Angelo sub cælo, sive prope locum Sanctorum, sive alibi, & *Infernus* dicitur: quo sensu accipienda sunt illa verba, *Mortuus est dives*, &c. Tertiò, Fideles etsi in locum pœnarum eant, si in mortali peccato decedant; nihilominus tamen merito fidei, quam in Christum habuerunt, liberabuntur.

De Sacramento Baptismi.

PRimò, nemini nisi Sacerdoti vel Diacono licet baptizare, etiam si urgeat extrema necessitas. Secundò, intentio ministri non requiritur necessario, sed talis est Fides Ecclesiæ. Tertiò, unctio chrismate facta in Baptismo essentiam præbet Baptismo, ac proinde baptismus nullus foret sine hujusmodi unctione. Quartò, parvulus recens natus si contrectetur à matre ante ejus purificationem, immundus fit; ac proinde non baptizandus masculus ante quadragesimum diem, femina verò ante octogesimum diem, hoc est antequam mater purificata extiterit, ne infans ab immunda matre contrectatus novam contrahat immunditiem. Quintò, infidelis mulier si ad Fidem convertatur non debet baptizari quam diu fuerit menstruata. Sextò, masculus & fœmina si baptizentur simul contrahunt affinitatem. Septimò, hæretici qui ad Ecclesiam revertuntur rebaptizandi sunt. Octavò, Baptismus Joannis remittebat peccata. *Petitio.* Nonò, quid de parvulis Catholicorum à Schismaticis illorum ritu baptizatis?

De Sacramento Confirmationis.

PRimò, non extat hoc Sacramentum apud Maronitas, quod sentiant tantum semel inungendum esse Christianum chrismate, scilicet dum baptizatur. Secundò, in oleo sancto chrismatis est persona Spiritus sancti, sicut persona Christi in Eucharistia. Tertiò, hoc Sacramentum etiam à Sacerdotibus confertur. *Petitio.* Quid de chrismatis præfato ritu, & à Sacerdotibus?

De Sacramento Eucharistiæ.

PRimò, panis fermentatus tantum consecrandus debet necessariò esse recens, & illo die coctus, quod si hujusmodi non adsit, omittatur Sacramentum. Secundò, non sunt consecrandæ plures duabus hostiis pro qualibet vice; quod si cogatur Sacerdos ob aliquam necessitatem dictum numerum excedere, consecrentur non pauciores septem, vel si plures, curet numerum semper esse imparem. Tertiò, plures Sacerdotes celebranti assistentes, dicunt omnia quæ celebrans, exceptis consecrationibus, quo pacto censent singulos celebrasse, & satisfecisse eleemosynis pro Missis collatis. Quartò, laici communicant

cant sub utraque specie. Quintò, Eucharistia præbenda est etiam pueris statim post baptismum. Sextò, Sacerdoti non licet filio, vel filiæ, vel affini vel consanguineo cuicunque Eucharistiam porrigere. Septimò, Eucharistiam ad ægrotum in extremis laborantem non licet deferre. Octavò, Eucharistiam in nos receptam ad stomachum non descendere existimatur, sed statim per omnia corporis membra diffundi. Nonò, licet Sacerdoti sacrum facere supra librum quempiam Evangeliorum, si desit altare quodcunque.

De extrema Vnctione.

PRimò, oleum infirmorum à Sacerdote singulari quodam modo conficitur.

De Sacramento Ordinis.

PRimò, nullam habent rationem ætatis in sacris Ordinibus tradendis, ideo ipsi pueros quadrimos, vel quinquimos promovent ad sacros Ordines. Secundò, promovendi ad sacros Ordines Diaconatus vel Sacerdotii, nubunt cum virgine, qua mortua non transeunt ad secundas nuptias. Tertiò, non negant sacerdotium illi, qui alias est idoneus, quamvis defectum corporis patiatur. Quartò, constituti in sacris Ordinibus ad certas horas Canonicas, nisi Monachi, non obligantur. Quintò, mos est illis, qui volunt creari Episcopi pacisci cum Patriarcha de pretio.

De Sacramento Pœnitentiæ.

PRimò, actus particulares non sunt de essentia Confessionis. *Petitio.* Quanta sit potestas Patriarchæ, quam possit aliis communicare circa forum conscientiæ?

De Sacramento Matrimonii.

PRimò, Matrimonium potest dissolvi à Patre sponsi, si eam duxerit quæ Patri non probetur: hoc idem potest Pater sponsæ. Secundò, Matrimonium sine Eucharistiæ sumptione nullum habetur. Tertiò, Pater sponsæ potest propria auctoritate eam alteri viro tradere, nisi ejus sponsus sive vir absens, intra certum temporis spatium appareat. Quartò, Patri & filio non licet in uxorem ducere matrem & filiam, & è contra, nec licet duobus fratribus contrahere cum duabus sororibus, seu fratri & sorori cum fratre & sorore. Quintò, Matrimonium viduarum, quæ attingunt sexagesimum annum, adulterium est censendum. Sextò, idem sentiunt de quadrigamis, ac proinde omnium horum liberos illegitimos censendos esse. Septimò, sponsalia nullius sunt roboris, si intra duos annos non contraxerint, & parentes utriusque sponsi possunt sponsalia irritare, ob quamlibet causam. Octavò, repudium conceditur ob multas causas, etiam privatis propria auctoritate, ut si non inveniatur virgo, vel si consummato matrimonio mulier insaniat: & vir potest repudiari, si curet ut uxor adulteret, &c. Nonò, repudiatis licet nubere cum aliis. Decimò, obstetrices ut immundæ habendæ viginti diebus si invenerint mulierem parientem masculum, si verò feminam quadraginta diebus, quo tempore arcendæ sunt à communione.

Petitiones. Undecimò, quid de illis, qui post repudium nupserunt, & an filii possint promoveri ad sacros Ordines? Duodecimo, an liceat nubere cum Schismaticis? Decimotertiò, quousque se extendat potestas Patriarchæ circa dispensationem in gradibus prohibitis?

Nonnulla loca sacræ Scripturæ pravè intellecta, & alia quædam ad eandem sacram Scripturam spectantia pravè etiam adjecta.

PRimò, asserunt legendum esse, *Hoc est Sacramentum Corporis*, &c. Secundò, Christus cum docuit viro non dimittendam uxorem, excepta fornicationis causa, idem est ac si docuisset, adulterium esse legitimam causam uxoris dimittendæ, & alterius ducendæ. Tertiò, qui dicuntur fratres Christi in Evangelio, filii sunt Joseph ab alia uxore, quam antea habuerat, procreati. Quartò, Maria Magdalena Simeonis leprosi filia fuit, Annæque Matris Mariæ soror. Quintò, Apostoli non intellexerunt Christum esse verum DEUM antequam Spiritum sanctum accepissent. Sextò, Caiphas in Christum credidit, & Episcopus creatus Josephus secundus est vocatus, qui edidit librum Proverbiorum, & historiam Machabæorum, &c.

Circa mores, & alia diversi generis.

PRimò, menstruatæ non admittuntur ad ingressum Ecclesiæ, nec ad Sacramentum Eucharistiæ, nec extremæ Unctionis. Secundò, quidam homines appellati *Albi*, quoad habitum & alia quædam exteriora Turcicos ritus observant. Tertiò, jejunium ob mortis periculum non est violandum. Quartò, non est jejunandum diebus Sabbathinis & Dominicis. Quintò, Apostolica sanctione cautum est, ne quis Christianus comedat quippiam occisum à leone, nedum sanguinem, & suffocatum. Sexto, ob mortis periculum licet negare Christum. Septimò, licet mentiri officiosè, & ad celanda oper. bona. Octavò, non est aliquis ad religionem admittendus, sine suorum superiorum consensu, ut parentum vel dominorum, etsi servus si libertate donatus. Nonò, status Matrimonialis non est inferior virginali. Decimò, Mulieres viro junctæ in numero Sanctarum Virginum adscribendæ, si cum suis maritis honeste vixerint, &c.

CAPVT VII.

De ritibus, qui tolerari possunt in his, qui ex Schismaticis, vel paganismo, aut alia secta ad fidem Catholicam veniunt.

QUamvis Ecclesia Catholica una sit, de qua optimè beatus Ignatius Epistola ad Philadelphos; *Una est*, inquit, *Ecclesia, quam suis sudoribus & laboribus fundaverunt Apostoli à finibus terræ usque ad fines in sanguine Christi.* Apostolorum verò institutа, decreta, & ritus non iidem fuêre apud omnes. Nam licet Apostolorum sanctiones aliquæ sic fuerint ediræ, ut ad omnibus Christi Fidelibus pariter servarentur, ut puta Symbolum Apostolicum, aliæ tamen pro ratione loci & temporis, sic ab illis sunt statutæ, ut non omnes iisdem

B. Ignatius.

iisdem legibus ac ritibus adstringi voluerint, quos alicujus privatæ causæ occasione, cæteris locis præscripserint ut de Idololatris, de quibus Apostoli, & cum ipsis Paulus diversa dederunt præcepta Syriæ, ac Ciliciæ populis, ut constat *Act.* 15. & 16. Diversa verò Paulus Corinthiis, ut patet 1. *Corinth.* 8.

Act. 15. & 16. 1. *Cor.* 8.

Neque vel in minimo lædi fidem variis Ecclesiarum consuetudinibus sancti Patres tradiderunt. Inprimis Augustinus *Epistola* ad Januar. 118. *Hæc est commendata regula, ut faciat unusquisque quod in ea Ecclesia, in qua reperitur, inveneris.* Unde hæc idem ad Januar. Epist. 119. *Mirer sanè, quod ita volueris, ut de his, quæ variè per diversa loca observantur, tibi aliqua conscriberem: cum & non sit necessarium, & una in his saluberrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque instituta videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit.* Hæc Augustinus. Gregorius *lib.* 1. *Epist.* 4. item hæc ad Leandrum Episcopum Hispalensem in eandem sententiam scribit: *In una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa.*

S. Augustin.

D. Greg.

Quæ licet apud Græcorum & Orien alium nationes plures sint ritus, atque diversi inter Cophtos, Syros, Maronitas, Æthiopes, Armenos, atque inter Christianos alios, quos prudenter ratione diversarum gentium Apostoli instituerunt; non ob id religio Christiana læditur, si diversi ritus in Oriente, atque in Occidente retineantur: circumdata est enim Ecclesia DEI mira varietate, quæ potius ejus pulchritudinem ornat & auget, quam orthodoxæ fidei contrarietur. Quare mos est Catholicæ Ecclesiæ, ab Apostolorum tempore inductus, ut unaquæque Provincia servet ea, quæ à suis Apostolis, & à legitimis Successoribus accepit. Quare admonebat D. Hieronymus in *Epist* 28. versus finem, *Traditiones Ecclesiasticas, præsertim, quæ fidei non officiunt, ita esse observandas, qualiter à majoribus tradita sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subvertii.* Addens: *Ita unaquæque Provincia abundet in suo sensu, ut præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.* Unde rectè consuevit Ecclesia, hæreticorum, Schismaticorum, aut etiam Gentilium ritus tolerare, qui cum ratione, aut fide divina non pugnant. Nec solum Ecclesias, quos à diversis Apostolis ritus, moresque imbiberant, retinuisse comperimus, sed etiam, quæ apud Gentes superstitioso cultu impiè agebantur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transtulisse, ut latiùs suprà, dum de prudentia ministrorum ageremus, & præter ea, quæ ibi ex Patribus notavimus.

S. Hieron.

Inter alios Gregorius Thaumaturgus, ut auctor est Gregorius Nyssenus, *Oratione* de vita S. Gregorii Thaumaturgi, Gentilium festas superstitionibus cumulatas, in festa ac celebritates sanctorum Martyrum commutavit, ut his verbis Gregorius Nyssenus significat dicens: *Discendit rursus ad urbem, & omni circa regione undique peragrata, atque perlustrata, additamentum, & quasi corollarium studij erga numen divinum instituebat, apud omnes ubique populos sanciens, ut nomine eorum, qui pro fide decertassent, dies festi, atque solemnes conventus celebrarentur. Cumque alij in alium locum corpora Martyrum deduxissent, per anniversarium circuli ambitum congregati, lætabantur in honorem Martyrum festas agentes.* Et paulo post: *Cum animadvertisset, quod propter corporis voluptates, simplex & imperitum vulgus, in errore simulachrorum permaneret, quo maximè id quod præcipuum est, interim in illo asequeretur; nempe ut vanis superstitionibus relictis ad DEUM converterentur, permisit eis, ut in memoriam sanctorum Martyrum sese exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur.*

In eodem sensu Theodoretus de Gentilium festis in honorem Martyrum piè sanctèque translatis, hæc addit: *Dirutorum templorum materia, arisque martyrum excitatis, expiata est: suos enim mortuos Dominus noster in templa pro Diis vestris induxit: ac illos quidem cassis gloria, vanosque reddidit, suis autem martyribus honorem illum dedit. Pro Panditis, & Diasiis, hoc est, Jovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio, aliisque sanctis Martyribus solemnitates populari epulo peraguntur. Ea quippe licentia, qua Deorum delubra in Ecclesias Christianorum sunt laudabiliter commutata, alij quoque ritus Gentilium à nobis benedictionibus expiati divino sunt cultui consecrati. An non id Apostolorum exemplo? Nonne Paulus Athenis cum esset, superstitionis aram* Ignoto DEO *dicatam, super quam impietatis victimæ cædebantur, in veri DEI cultum (quantum licuit eo tempore) mira quadam prudentia visus est transtulisse? Rursus si quæ idolo immolata essent, non vetuit idem Apostolus manducare, nisi cum ex care, frater infirmus scandalum pati retur: Omnia quidem, inquit, sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Extincto autē penitus jam diu superstitioso idolorum cultu, cum omnis simul cessasse videatur occasio offendiculi, cur aliquibus ex illis uti non liceret, cum præsertim non privato usu sed communi totius Ecclesiæ consuetudine aliquid commune cum Ethnicis usurpatur?* Qui verò sint ritus, qui à rectâ Fidei regula discrepant, vel à ratione dissentiunt, tam in Schismaticis, sive Hæreticis, quam in aliis infidelibus, etiam Ethnicis, non facilè erit unicuique discernere.

Et ut rei ita gravi & difficili lucem aliquam afferamus, oportebit specialim præcepta aliqua tradere, sive talia demonstrare principia, quibus apertè dignosci possit, qui ritus cum naturali ratione, aut fide divina non conveniant, aut qui ab his differentiant, ac proinde qui tolerandi, qui verò omnino rejiciendi & exstirpandi sint.

Ea est potissima pro ritibus discernendis regula, ut quando id commodè fieri potest, Apostolica Sedes consulatur, maximè si subsit justa & rationabilis dubitandi occasio. Si tamen Romanus Pontifex non ita facilè adiri possit, tunc ex sequentibus capitibus de rituum puritate tam in Ethnicos, quàm inter Schismaticos ad Ecclesiam venientes, erit judicandum.

1. Si ille ritus nationibus aliis, sive Ecclesiis, quæ communionem retinent cum Catholica Ecclesia sit ab eadem permissus.

2. Si ritus ille non pugnet cum naturali & recta ratione, præ se ferens inhumanitatem, (qualis erat olim Romanorum, quo damnatos feris objiciebant) inhonestatem, ut corporis nuditas, vel si alii actus inhonesti, & turpes etiam inter conjuges publicè fierent: ac demum ea omnia, quæ humanæ vitæ politiam offendunt, abolenda & exterminanda sunt, & cogendi Barbari, ut non belluino, sed humano more vivant.

3. Ritus omnes instituti ad protestandum aliquod dogma fidei contrarium, omnino sunt delendi. Ita Armeni, ut profiteantur Dioscori errorem, unam tantum naturam in Christo asserentis, cum celebrant, vino aquam non immiscent, & idem etiam censendum erit de quocunque alio

signo, sive nomine cujuslibet erroris protestativo. Ut Monophysitæ cognomen, de quo hæretici olim gloriabantur, ut etiam nomine ipso unius in Christo naturæ post unionem assertores viderentur, ut refert Prateolus verbo *Monophysitæ*: qui etiam de Monothelitis asserit, hanc eos sibi appellationem usurpasse, ab una tantum voluntate & actione divina, quam ipsi Christo temere tribuebant. Nec solum cognomina à re ipsa, sive à dogmate hæretico derivata supprimenda sunt, sed etiam ea omnia, quæ ab hæresiarchis, quorum se profitentur sectatores, descenderunt, sicut & Jacobitarum, & Severianorum, aliorumque similium, qui à Jacobo, & Severo hæretico denominationem acceperunt. Quare cum multi ex Nestorianis Catholicæ Ecclesiæ adjungantur, anathematizatis Nestorii nomine & erroribus, Chaldæi Orientales appellati sunt.

Prateolus

4. Ritus omnes & legalia veteris legis, si eo fine retineantur, ut lex vetus observetur, omnino damnanda sunt. Nam de fide est, omnia veteris Testamenti legalia, cæremonias, sive præcepta post Evangelii promulgationem omnino extincta esse, & non solum mortua, sed & observantibus fore mortifera, ut definitum est in Concilio Florentino. Dixi, *si eo fine legalia retineantur*, ut lex vetus observetur, quia licet hac ratione damnata sit legalium observatio; tamen si non eo fine & respectu observentur, sed tantum materialiter (ut dici solet) licita est & permissa aliquarum veteris Testamenti legalium (non ut legalia sunt) observatio, ut supra latius observavimus, dum de Abyssinorum circumcisione ageremus. Ex his fit, olim apud Orientis Ecclesias non immeritò fuisse in usu, ritum Sabbatum observandi, & hodie etiam apud Græcos & Ruthenos illicitum reputatur Sabbato ac Dominico die jejunare, quod apertè colligitur ex *Epistola* D. Ignatii *ad Philippenses*, & ex Concilio Gangrensi, atque Apostolorum Canonibus. Ille tamen ritus, vel observandi Sabbatum, vel non jejunandi in Orientali Ecclesia inductus est, ob hæreticos Simoniacos in Oriente ortos, qui mundum (à cujus creatione DEUS Sabbato requievit) opus ejus esse negabant, tum quia divinitùs afflati Apostoli prænoscebant futuros quoque hæreticos in Oriente Manichæos, Eustachianos, Marcionistas, Lampetianos, & Messalianos, qui in Paphlagonia apparuerant, qui quidem Sabbato simulatè jejunabant in contumeliam resurrectionis Christi, cui resurrectioni à vespera Sabbati (ut ait Magnus LEO Pontifex in *Epistola lxxxj. cap. 1.*) initium constat adscribi. Porro, quia in Occidente eadem causa non erat, nec illa hæresis vigebat, prohibitum non est, quin ipsa die Sabbati alium ad finem jejunare, laborare, sive à carnibus abstinere cum laude possent. Videndus est doctissimus Turrianus *lib. 7. in cano. Apostolorum*, & Baron. *Tomo primo Anno Christi 57. cap. 203.*

Ritus colendi Sabbatum.

S. Ignatius.

Leo Mag.

Turrianus.

Hodie vero ritus colendi Sabbatum, tanquam diem festivum manet apud Abyssinos, apud Græcos verò & alios Orientales, licet Sabbatum non observent, in eo tamen sicut nec in Dominica die nefas dicunt jejunare.

Deinde apud Orientales Ecclesias mos est, & ritus consuetudine receptissimus, quem veluti præceptum strictissimè observant, non ut à lege veteri dimanantem, sed ex Apostolorum decreto, quo si ignorantia ducti existimant ad hanc etiam teneri observantiam, non considerantes id adversus idolorum cultores latum fuisse, qui immolatum, & idolothytum edebant; aut calicem, quem Apostolus vocat Dæmoniorum, bibebant: servandum autem esse, sicut & à Catholicis servatur, decretum illud ubicunque inter gentes, quæ Idola adorant, immolatitia sint. Porro eo decreto immolatitia, non autem reliqua fuisse prohibita gravissimi testes sunt Patres quamplurimi Orientalis Ecclesiæ: quare hæc observantia nec Græcis, nec Ruthenis interdicitur.

5. Ritus & consuetudines circa Sacramentorum administrationem examinandi sunt. Primo, an peccent in substantia, id est, circa tria illa substantialia requisita ad conficiendum Sacramentum, scilicet materia, forma, & ministro. Deinde, an contraria sint præceptis divinis à sacra Scriptura, vel à traditionibus Ecclesiæ emanatis circa eorum administrationem, tunc enim similes ritus omnino erunt extirpandi; tolerandi verò, si tantum præceptis ac sanctionibus juris positivi & canonici prohibeantur. Qui verò speciatim abrogandi, & qui permittendi, facilius constabit, si breviter per Sacramenta singula discurramus.

De Baptismo.

ITaque quod ad Baptismum attinet, Græci utuntur hac forma *Baptizetur servus Christi*, quæ approbata est ab Ecclesia Catholica in Concilio Florentino in unione Græcorum: si tamen hac forma Græci schismatici utantur, existimantes formam apud nos usitatam non esse validam, in hoc à Catholica & orthodoxa fide dissentiunt. Deinde ritus, qui apud Græcos etiam, & Ruthenos, aliasque nationes servatur, ut Baptismus fiat integra corpus immersione, Baptismi substantiam non variat, sive enim immergendo semel, aut bis, aut tantum capitis perfusione, ut in Occidentali Ecclesia, aut tantum aspersione baptizetur quis, parum interest, quia utrobique re idem est.

Græcorũ circa Baptismum.

Apud Cophtos ritus est praxi usurpatus, ut etiam ratum non habeant hoc Sacramentum, ne quidem in extrema necessitate, si ab alio quàm à Sacerdote conferatur, idque præcisè in Ecclesia, etiamsi baptizandus periclitetur: sed mos hic expresè pugnat cum decreto Concilii Florentini, ac cum Ecclesiæ antiqua traditione, quibus statuitur hoc Sacramentum administrari posse à laico, sive viro, si fœmina tempore necessitatis, quamcunque sectam illi profiteantur, sive Gentiles, Judæi, aut hæretici sint, modo habeant propositum faciendi, quod Ecclesia Catholica, in administratione Baptismi facit, tenetque Baptismus, quocumque loco, sive in Ecclesia, sive extra illam conferatur.

Cophti.

Mos est etiam apud ipsos, ut parvulis etiam in vitæ periculo existentibus nulla ratione ante quadragesimum diem Baptismi Sacramentum conferatur. Imo & aliquando ad annum & ultra soleat differri, qui etiam intolerabilis est, quia præceptum divinum suscipiendi, aut conferendi Baptismum, maximè obligat necessitatis tempore: ac necessitate recluſa, irrationabilis est consuetudo Baptismi tempus ultra annum, tam in pueris, quam in adultis prorogare, secluſa tamen necessitate jure divino non est præfixum tempus parvulorum Baptismo.

Cophtorum mos est, & aliorum quoque Orientalium statim à Baptismo parvulos chrismare, oleoque sancto ungere in fronte, in pectore, in juncturis, & in renibus, qui ritus laudabilis est, & antiqua Ecclesiæ cæremonia, ita tamen, ut non credant Chrismatis usum esse de substantia Baptismi,

Baptismi, ut falso sentiunt Armeni, apud Alphonsum de Castro, verbo *Baptismus*: sine hujusmodi enim unctione consistit vera Baptismi ratio, ut
Joan. 3. constat *Joan. 3.* illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* Unde & usus Ecclesiæ obtinuit, ut in casu necessitatis Baptismus administretur sine unctione, & absque aliis cæremoniis.

Pueris statim ac sacro Baptismate abluuntur, Eucharistia ferè apud Orientales confertur: sed in hoc retinet antiquum Ecclesiæ usum, approbatum à sancta Synodo Tridentina *Sessione 21. cap. 4.* de qua optimè Paulinus Nolæ Episcopus in *Epistola ad Severum* fratrem hoc carmine scripsit:

Inde parens sacro ducet de fonte Sacerdos
Infantes niveo corpore, corde, habitu:
Circundansque rudes festis altaribus agnos,
Pura salutiferis imbuit ora cibis.

Quod si existiment Eucharistiæ Sacramentum necessario parvulis statim post Baptismum conferendum, turpiter errant, contra prædictam Synodum Trident. & ideo in hac parte corrigendi & instrundi erunt.

Jacobita. Jacobitæ, imo & alii ex Orientalibus ferro candenti figuram crucis in fronte baptizatis imprimunt. At si ipsi hoc ritu & cæremonia loco aquæ in baptismo utantur (ut refert Bernardus Luxemburgensis) existimantes verba illa Joannis
Matth. 3. Baptistæ apud Matth. c. 3. *Ego*, inquit, *baptizo vos in aqua, ille autem vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*, accipienda esse de igne materiali, pessimè errant, cum hæreticis Manichæis, & Selencianis, ut auctor est D. Augustinus *lib. de Hæres. c. 59.* Si vero post ablutionem aquæ, ac post alia ad substantiam Baptismi requisita, baptizati crucis imagine in fronte, ut omnibus constet de religione, quam profitentur, sive alio honesto fine signentur, consuetudo potius laude quam vituperio digna videtur.

Denique circa Baptismi ritus illud se offert memorandum apud Abyssinos, dum in festo Epi-
Abyssini. phaniæ, ut latius refert Francisc. Alvaresio, benedicto prius aquarum stagno, trina immersione tam mares quam fœminæ, præmissa forma Baptismi, quotannis rebaptizantur: qui ritus in usu est (ut Possevinus docet in *Commentario de rebus Moscovitis*) ad religionem spectandam apud Græcos Orientales. Error tamen hic, quantum conjicere possum, à Novatianorum hæresi ortum habuit, qui falso existimantes, non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi lapsos, ut illi sine spe non remanerent, alterum Baptismum Abyssini admisêre, ut ex eodem Alvaresio non obscurè colligitur.

At non desunt, qui Abyssinos excusandos credant, quia id non tam rebaptizandi gratia, quàm in honorem Christi Domini baptizantis faciunt. Ita Romæ interrogati aliqui ex Abyssinis ipsis responderunt.

Circumcidunt etiam pueros Baptismi tempore, tam Abyssini, quàm Cophti, quorum ritus in hac parte quantumvis ipsi non tam religionis, quam honoris causa facere contendant, minimè ob aliarum Ecclesiarum scandalum tolerari debet.

De ritibus circa Confirmationis Sacramentum.

ALiqui ex Ecclesia Orientali simul cum Baptismo Sacramentum Confirmationis conferunt, ut de Abyssinis affirmat Zagazabus illius gentis Episcopus, in *libello*, quem in Lusitania, *de fide & religione Abyssinorum* edidit. Divus quoque Augustinus in *Quæst. Novi testam. q. 42.* graviter quæritur de corrupta Ægyptiorum & Alexandrinorum consuetudine, quorum Sacerdotes audebant Confirmationis Sacramentum administrare: sed tunc examinandi sunt ritus, qui Baptismi tempore adhibentur, an sufficiant ad conficiendum hoc Sacramentum.

Primum constans est apud Catholicos de fide tenenda sententia, ad Confirmationis Sacramentum, de necessitate Sacramenti saltem requiri, ut Chrisma sit ex oleo olivarum (quod apud nos solemni Episcopi consecratione conficitur.) Quamvis non defuerint graves Auctores, qui etiam de necessitate Sacramenti, ut balsamo esset admixtum, requirerent: quod verò oleum sit consecratum ab Episcopo, ut probabilis tenet opinio, non requiritur necessitate Sacramenti.

Forma verò substantialis his verbis definitur: *Signo te signo Crucis & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ad formam etiam reducitur, quod confirmandus chrismate in fronte signetur, quamvis Romanus Catechismus hoc ad cæremonias extrinsecas, & quasi de præcepto tantum necessarias referre videatur. Minister hujus Sacramenti ordinarius est Episcopus, extraordinarius vero & tempore necessitatis, ex commissione tamen summi Pontificis, est quilibet simplex Sacerdos, ita colligitur ex Florentin. à quo etiam ex summi Pontificis delegatione chrisma potest consecrari.

Ritus circa Confirmationem.

Cætera vero, ut quod confirmandus manu in maxilla ab Episcopo cædatur, quod fiat hoc Sacramentum in die Pentecostes, cæremoniæ sunt, quæ non ad substantiam Sacramenti spectant.

His igitur stabilitis, facilè erit judicare, an ritus, qui post Baptismum celebratum interveniunt, sufficienter materiam, formam, & ministrum hujus Sacramenti, saltem necessitate quam vocamus Sacramenti, contineant; nam tunc non erit Sacramentum Confirmationis iterandum.

Ex quibus apertum fit, Sacramentum Confirmationis à Presbytero collatum irritum esse. Quare *Gregorius XIII.* Pontifex Max. in quadam Synodo suo tempore apud Maronitas celebrata, ei qui Synodo præsidebat injunxit, ut qui in illis regionibus à simplici Sacerdote erant confirmati, si vellent, possent iterum ab Episcopo chrismari; si tamen scandalum timeretur, non oportere Confirmationem reiterari; & si nullum esset Sacramentum, tamen cum non sit de necessitate salutis, ob scandalum securè prætermittendum. Eamque hujus rei summus Pontifex reddit rationem, quia etsi Florentinum in unione Armenorum doceat posse presbyterum ex Papæ dispensatione confirmare, quod Ecclesiæ Calaritanæ concessit D. Gregor. *lib. 3. Regist. Epist. 26.* hanc tamen Apostolicam dispensationem non legimus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, (cui Maronitæ substant) collatam esse: idcirco à Presbytero chrisma collatum irritum est.

De Sacramento Eucharistiæ.

Jacobitæ. Ritus circa SS. Eucharistiã apud Orientales.

JAcobitæ & aliæ nationes orientales sæpè Eucharistiam impuberibus, maximè altari ministrantibus, absque prævia confessione conferunt: qui ritus irrationabilis est, & non tolerandus in his, qui conscientiã alicujus culpæ lethalis habent: ita colligitur ex Trid. *Sess. 13. Can. 11.* Quare vera sententia Theologorum tenet, esse de jure divino

præceptum confitendi ante Eucharistiæ sumptionem, nisi aliàs sacerdoti celebranti desit copia confessoris. Sunt & alii ritus circa Sanctissimæ Eucharistiæ ministerium in usu apud Orientales, qui si attentè considerentur, omnes ferè ab Apostolorum doctrina, vel traditione in illas emanarunt nationes. In primis, Ecclesiæ primitivæ usus de quotidiana communione usque adhuc in multis Orientalium servatur nationibus, quæ utinam æquè & antiquam Christianorum consuetudinem, & eorum circa hoc Sacramentum reverentiam, & fervorem imitarentur.

Deinde omnibus etiam laicis, non solum apud Orientales, sed & apud Græcanas nationes Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie confertur: quam fuisse olim in Ecclesia receptam consuetudinem luculenter docet Conc. Constantiense *Sess.* 13. Et quamvis similis ritus illis pridiu permissus sit ab Ecclesia, in Ecclesia tamen Latina justissimis de causis laicis prohibitus est communicandi ritus sub utraque specie; quare nationes Orientales, quæ Ecclesiæ Catholicæ manus, obedientiamque dederunt, pedetentim arcendæ sunt à communione sub utraque specie, cum id tanti faciat Tridentina synodus *Sess* 21.

Tertio, verus mos erat illius primitivæ Ecclesiæ, quo Christianis permittebatur Eucharistiam propriis manibus acceptam vel in Ecclesia statim sumere, aut illam domum asportare, sumptionemque in aliud tempus oportunum differre: illud tamen erat discrimnis inter viros, ac fœminas; quod illis nudâ manu Eucharistiam tangere erat permissum; his verò prohibitum erat manu nudâ, sed linteamine nitido utebantur, quod *Dominicale* vocabatur; ut in Conc. Antiiodorensi expressè legitur *Can.* 36. & 39.

Baronius. Ritus verò iste Eucharistiam propria manu domum asportandi (teste Baronio *Tom. primo Annal.* Anno Christi 57. c. 149. ideo fuit potissimum introductus, quia cùm olim minus liceret ad sacras synaxes tempore persecutionis, Christianos in unum coire, ut qui quotidie de vita periclitarentur, quotidie Eucharistiam sumerent, (secundum quod ait Cyprianus Epist. 56. *Considerantes se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere*) ideo fuit concessum, ut cum in Ecclesia, vel aliis locis abditis Missæ peragerentur, Fideles non solum ibi communicarent, sed Eucharistiæ particulas à Sacerdote acceptas domum ferendas sumerent, quas reverenter asservatas singulis diebus summo mane jejuni participabant.

Cyprianus

Plura sunt de hujusmodi consuetudine Patrum testimonia. Eam docent Tertull. *lib. 2. ad uxorem cap. 3.* S. Cyprian *lib. de Spectacul.* & lib. *de bono patient.* Greg. Nazianz. *Oratione in funere Gorgoniæ* D. Basil. in *Epist. ad Cæsariam Patritiam*, Hieron. *Epist. 50.* August. *Ser. 252.* & alii Patres apud Baronium *Tom. primo* anno Christi 57. à cap. 248. & Bellarm. *tertio Tom. de Sacram. lib. 4. cap. 4.* & *quinto*: aliique graves Auctores scribentes de Eucharist. Sacramento. Hæc autem consuetudo, teste Baronio, cum communis fuerit & Orientali & Occidentali Ecclesiæ, in Occidentali usque ad Conc. Cæsaraugustanum perduravit, in quo *Can.* 3. in Hispania hæc consuetudo abrogata fuit. In eo enim *Canone* legitur, Eucharistiæ gratiam, si quis probatur, acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. In Orientali vero Ecclesia etiam post dicta tempora adhuc ejusmodi consuetudinem viguisse, plura exempla declarant, quæ in *Prato spirituali* habentur descripta.

Tertull. Cyprin. Greg. Nazianz. Basilius Magnus Hieron. Augustin.

Quarto, in itinere etiam secum Eucharistiam ferre aliquando concessum fuisse (tanta enim erat tunc Christi Fide ium pietas) S. Ambros. in *Oratione funerali* fratris sui scribit, ubi de Satyro fratre agens, id manifestè significat: Testatur idipsum Gregor. *Dialog. lib. 3. cap. 36.* de Maximiano Episcopo Siracusæ, & ejus sociis Eucharistiam secum portantibus, dum mare Adriaticum navigarent. Eam quidem consuetudinem apud Ecclesiam Orientalem alicubi etiam viguisse temporibus. *Alexandri* Papæ tertii. *Acta sancti Laurentij* Episc. *Dublinensis* in vita ejusdem sancti Laurentii Episcopi *cap. 8.* apud Surium *Tom. 6. die 14. Novembris*, testantur: in quibus hæc leguntur: *Quatuor Sacerdotes cum magna turba hominum, transire comperiunt, qui Eucharistiam (sicut tunc mos erat pluribus) secum pro tuto viatico, ac securo duce itineris publicè deferebant.* Hæc ibi.

S. Ambr. S. Gregor. Magnus.

Hic etiam mos perseverasse videtur inter Orientales usque ad nostra tempora. Hic autem ritus in Occidentali Ecclesia solum remansit apud summum Pontificem, qui in itinere Eucharistiam publicè, atque honorificentissimè ante se gestat. Ea vero fuit causa, ut olim tam Clerici quàm laici, in itinere Eucharistiam secum portarent, quia cum hoc Sacramentum viaticum sit, ac hominibus quibuscumque in mortis articulo necessarium, prudenter olim fiebat, ut tam Clerici quàm laici, ob mortis pericula, quæ in itinere se offerebant, maximè persecutionis tempore, secum in itinere conficiendo deferrent, ne, si illis mori contingeret, viatico privarentur: Et quamvis hæc consuetudo, ob majoris hujus Sacramenti reverentiam, hodie tantum apud summos Pontifices fuerit conservata: apud Orientales vero non videtur alicubi fuisse damnatam, nec auderem Evangelii ministros, in illis regionibus, aut aliis infidelium provinciis conversantes, si imminente mortis periculo secum viaticum, occultè tamen, deferrent, condemnare.

Quinto, Eucharistiam quoque absentibus deferri mos fuit apud antiquos, qui etiam hodiè manet apud Orientales aliquos, S. Irenæus *Epistola ad Victorem Papam* apud Euseb. *lib. 5. histor. Eccles. cap. 24.* testatur moris fuisse Papam mittere aliis Episcopis Eucharistiam in signum pacis & communionis, Dionysius etiam Alexandr. in *Epistola ad Fabium* apud eundem Euseb *lib 6. hist. cap. 36.* ait Serapionem in extremis agentem accepisse Eucharistiam missam per puerum à Sacerdote tunc domi ægrotante.

Sexto, ritus Græcorum consecrandi in fermentato approbatus etiam est ab Ecclesia, ita tamen, ut potior sit in azymo, ut fit in Ecclesia Latina.

Septimo, Armeni, & Orientales alii non miscent in sacrificio Missæ aquam vino. Quod si hoc faciant, ut proficeantur Eutychetis hæresim, unam tantum naturam in Christo agnoscentis, manifestus est & intolerabilis error; si verò hoc fiat, vel quia non existiment esse de necessitate Sacramenti, vel in significationem alicujus Christi mysterii, fortè tolerabilis esset consuetudo, quia hæc aquæ mixtio, ut optimè probat Franciscus Suarez *tertio Tom. in tertiam partem Disput. 45. sect. 2.* tantum est de necessitate præcepti, præcepti, inquam, humani tantum. Quare cum hæc cæremonia non pertineat ad Sacramenti substantiam, posset ab Ecclesia dispensari. Tamen urgendi sunt Armeni, ut præcipit Concilium Florentinum, ut sese cum universo orbe conforment.

Octavo,

Octavo, Mustum ex uvis maturis expressum in rigore est sufficiens materia consecrationis calicis. Ita tenet cum D. Thom. 3. *parte quæstione* 74. *art.* 8. communis Doctorum sententia: & colligitur ex cap. *cum omne crimen, de consecrat.* dist. 2. ubi dicitur, Si necesse fuerit, posse botrum in calice exprimi, & aqua misceri, & ita confici. Unde Aristot. *quarto Meteor. cap.* 10. Mustum vocat vinum recens, licet non sit purum & satis coctum, quia nondum separatus aqueus humor, flox, & fex, quæ per decoctionem vini secerni solent. Idem etiam censeo de musto expresso ex uvis passis, ut moris est apud Abyssinos: quare in hujusmodi musto conficientes non peccant. Quod si ab hoc ritu tanquam minus conveniente sive potius indecoro retardari ne queant, ferendi sunt, si aliter fieri non possit.

De Sacramento Ordinis.

PRimò, ritus apud Orientales nationes usitatus ordinandi pueros ante rationis usum, licet non sit contra Fidem, imprimatque characterem Ordinis sacri, etiam in hac ætate, irrationabilis valde, & ideo extirpandus, si ferat illarum nationum conditio.

2. Deinde Ordines collati absque eo, quod susçipientes materiam cujusque Ordinis propriam tangant, ut verior sententia tenet, irriti sunt, nulliusque valoris, aut effectus. Quare ordinati iterum sub conditione debent ordinari: ita Romæ fuit decretum, ac executioni mandatum, cum fratre Tecla Abyssino, & Monacho sancti Antonii, Anno Domini 1594.

3. Cum Stephanus Papa *dist.* 31. *Can.* Aliter, trada Orientalium veterum esse traditionem, ut eorum Sacerdotes matrimonio copulati sint, cumque id illis nunquam interdixerit Ecclesia, nulla ratione id interdicendum videtur, dummodo ante Sacerdotium matrimonium contrahatur: lex enim cœlibatus semper gravis visa est & Græcis, & Orientalibus aliis, propterea conjugium permissum est illis ab Ecclesia.

De Matrimonio.

PRimò, ritus sive consuetudo contrahendi in aliquibus gradibus, sine summi Pontificis, aut Episcopi dispensatione, jure divino non est prohibitus, quales sunt omnes alii ultra primum in linea transversali, ut verior sententia docet, & in linea recta omnes in infinitum.

2. Mos qui communissimus est inter Schismaticas nationes, quo permittitur ob fornicationem matrimonium dissolvi, est contra fidem, & ob id non tolerandus.

Hæc sunt quæ exempli gratia, quia fortè difficiliora, à nobis interim sunt allata. Videndæ omnino sunt interrogationes, & responsa Summi Pontificis *Gregorij XIII.* de quibus supra. Illud tamen inter alia observandum Apostolicis ministris, quantum fieri possit, magnoperè curandum, ut nationes omnes, quarum reductioni student, matricem Ecclesiarum Romanam Ecclesiam, non solum in fundamentis quantum fieri potest, fidei substantialibus, sed etiam in ritibus aliis, & cæremoniis imitentur. Si verò ægrè ferant à patriis ritibus (ut frequenter fieri solet) discedere, salvâ fide Catholica, omnia alia sustinenda sunt propter electos. Oportebit tamen Sedem Apostolicam passim consulere; si verò non ita facilis sit accessus, re mature & cum judicio expensa procedendum erit.

LIBER OCTAVUS,

DE REDUCTIONE HÆRETICORUM

ad Catholicam Fidem procuranda.

Exhortatio ad conversionem Hæreticorum.

Consulendus post. *Dominicus à SS. Trinitate* 2. parte *Tomi* 5. *Bibliothecæ Theologicæ* Romæ excusæ an. 1673. *Sect.* 11. ubi per 76. capita hæreses in Occidente & septentrione vigentes refelluntur.

Primo, Nulla pestis hæresi pejor, sive ad antiqua bona Ecclesiæ perdenda, sive ad viam bonis futuris præcludendam. Magnam quippe priscæ Sanctitatis partem extinxit, & incredibili solicitudine futuris bonis minas intentat; quod Europa universa, ingenti clade animorum & corporum, hac ætate persensit: multis per omnes fermè Romani Imperii Provincias Ecclesiis morbo pestiferæ prædicationis infectis; & velut ad piæ fidei malè usurpatam persuasionem, longo doctrinæ usu, & ementito nomine veræ Religionis imbutis. Nunquam enim hæresis fuit adeò maligna, si errorum gravitatem; nunquam tam varia, si dogmatum diversitatem; nunquam tam impudens, si calumnioſas conciones, & scripta seditiosa; nunquam tam facilis expugnatu, si intestinas Ministrorum contentiones, & rixas quispiam intueatur; nunquam denique tam dispersa, nam ut quædam Hydra Fabularum (ut D. Ambros. *de fide ad Gratian. cap.* 4. verbis utar) vulneribus suis crevit, & dum sæpè reciditur pullulavit, igne debito incendioque peritura. Quapropter, ut eleganter Cassian. *de incarnatione Christi cap.* 1. philosophatur: *Resurgente morbo, non debet cessare medicina: & quo major fuerit ægritudo, tanto instantior debet esse curatio: potens est enim Dominus DEVS noster, ut quod de morte hydræ illius gentilium falsitas finxit, hoc in Ecclesiarum bellis veritas peragat, & ignitus sancti Spiritus gladius, ita in extinguenda novella hæresi omnes penitus medullas perniciosæ generationis exurat, ut tandem prodigiosa fœcunditas emorientibus venis parere desistat.* Hæc Cassian.

Eo igitur magis Catholicorum Principum, & maximè Apostolicorum virorum zelus urgeri ad hæreticorum conversionem strenuè procurandam deberet; quo magis (ut ferè in eodem proposito rectè Hilarius 6. *de Trinit.* scribit) *plures periculo infidelis intelligentiæ detinentur, ubertus gaudium consectans ex salute multorum, si cognitis Sacramentis, perfectæ in DEVM fidei impia humanæ stultitiæ instituta deserent, & se DEO redderent hæreticis repudiatis; atque ab ejus morte, quo in laqueum aves solent illici, in volatum se liberæ securitatis erigerent, sequerenturque Christum Ducem, Prophetas nuntios, Apostolos prævios, fidem consummatam.* Hæc Hilarius. Quare quemadmodum in communi aliqua peste, seu incendio, de salute aut possessione tam sua quam vicinorum, quilibet solet esse solicitus, ita quemlibet saltem, ob membra, quæ in Ecclesia ægritudine non sunt infecta, ne inficiantur, ac denique hæreticos reducendi cura summè solicitare deberet.

Notissimum est hæreticos Satanico stimulo, odioque Ecclesiæ Romanæ incitatos, non solum errores suos acerrimè tueri, sed institutis missionibus, & vicinas Catholicorum Provincias, & remotissima quoque Indorum Regna polluere. Cur ergo Catholici viri similem conatum non adhibeant ad veram sinceramque fidem prædicandam, ipsosque sectarios in ovile Christi reducendos?

Secundo, certis indiciis deprehensum est, non modo in Regnis aliis longinquioribus, verum in ipso primogenito Ecclesiæ Regno, hoc est, Italia, hæresum semina spargi cæpisse diebus his: timendumque videtur, ne altas radices egerint, & dormientibus custodibus emergant. Ex quo efficitur, ut non levis obligatio subsit, aream purgandi, & hæreticorum consortia procul arcendi. Quod certè per Ministros idoneos Verbi DEI, divinis virtutibus armatos, sine ferro, deberet attentari & promoveri.

Tertiò, Puritas doctrinæ ac Scripturæ sacræ licentius quam dici possit, corrumpitur, & Sacramenta, vera scilicet culpæ remedia, irridentur. Quis ergo non enitatur

tatur è castris Catholicorum, quoad possit, hisce ludibriis obstare, ut tueatur arcem salutis, & decorem domûs DEI?

Quartò. Regna, quæ illustrium Sanctorum germina multa protulerunt, defecerunt ab Ecclesia. Si ergo politici Principes ignominia notari se putant, dum Provincias patrimonio acceptas, ab aliisque per vim occupatas, comparato exercitu non recuperent; cur non videatur dedecus grave, integra regna à Sectariis occupata, Ecclesiæ scilicet hæreditatem, proprio Principi, hoc est Christo, per victoriam Fidei, Apostolica prædicatione non restituere?

Quintò. Templa olim Catholico ritu consecrata, in stabula vel sæcularia tribunalia ab hæreticis versa sunt. Quapropter deberet exurgere Machabæus aliquis, qui doleret *Sanctificationem desertam, altare profanatum, & in atrio Domini, velut in saltu virgulta nata.* Etenim clementissimus DEVS faveret Ecclesiæ ministris, qui ad opus tam divinæ majestati acceptum mitterentur, ut templa polluta in suo candore primævo reponerent.

Sextò. Temporis oportunitas vehementer urget. Nam à rebellione Lutheri, usque in annum hunc incredibile videtur, quot hæresum monstra pullulaverint: quæ cum inter se discrepent, & alternis ictibus oppugnent, regnum divisum citoque desolandum videtur; quod viris Apostolicis grandes animos creare deberet, ut gentem cadentem sublevarent.

Septimò. In ipsis Hæreticorum regnis, quæ corruptiora videntur, latent plerique Catholici, indignè ferentes impuritatem illam, quam intueri coguntur. Et profecto æquum est, afflictos illos agnos à lupis circumseptos solari: præsertim cum ipsi rerum conscii parati sint, ad Catholicos ministros adjuvandos. Ex quo & multorum sectariorum conversio, & multiplex quoque fortium virorum martyrium sperari potest, ut Ecclesia insigniter augeatur, & decoretur.

Ac *denique* optimè Thomas Bozius *Tom. 1. de sig. Eccl. lib. 12. cap. 23.* hæreticorum miseriam & calamitatem deplorat, tum etiam ipsos eleganti oratione hortatur, ut ad Ecclesiam redeant, sequentibus verbis.

Sed quis dabit, inquit, *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut lugeam tot Ecclesiæ quondam filios, quos impetus Aquilonis prostravit, & allisit ad terram? quos caligo impietatis circumdedit, tortuosus serpens spiris involvit, afflatu pestilentis veneni interfecit? Eversa sunt templa, diruta sunt monasteria, dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum: qui nutriebantur in croceis maximarum cælestium-que virtutum odoribus amplexati sunt stercora libidinum, luxûs & ebrietatis: candidiores erant olim Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores; nunc expulsi omnes. Succesêre in multis locis temulentia, luxuries, intemperantia, stoliditas. Vsquequo dissolvêris delicijs filia septemtrionis vaga, & modo hujus hæresis turbine circumferêris, modo illius vortice vinolenta absorbeberis?*

Respice meliorem tui partem, ut adhuc stet, & avitæ religionis, virtutumque splendore non intermortuo coruscet. Recordare majorum tuorum, quis te evexêre, ad omnem quamcunque habes humanitatis, nobilitatis, magnificentiæ, & litteraturæ laudem. Nullæ olim inter tuos litteræ erant, nullæ urbes, & ædificia, nulla familiarum dignitas, nulla cum cæteris gentibus societatis humanæ tuta commercia. Horrebant omnia sylvis, squallebant inculta regiones, ferro & prædationibus omnia miscebantur; priscæ nobilitatis cognitio nulla. Bonifacius Anglus à Gregorio Secundo *missus, Cyrillus ac Methodius à* Nicolao Primo, *omnium quæcunque in te elucent, bonorum fundamenta jecêre, horum deinde alumni exornarunt omnia tua, finitimasque Regiones excoluerunt, ac nobilitarunt. Nunquid in antiquam barbariem feritatemque relabi voles? Fastidis tot bona ac tanta, tot ac tanta nostrorum laboribus tibi parta, quorum nihil antea potiebaris? Respice infælix ad petram, unde excisa es, & ad cavernam lacus, unde præcisa olim fuisti à successoribus Petri, ad quem dictum fuit,* Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, *procuratum est continenter, ut in hanc speciem conformareris: ab ejus alumnis aquam baptismi, quo sordes antiquos abluisti, acceperas, & nunc quid tibi cum fluviis Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Audistin, in quos scelerum gradus abominandos præceps sis devoluta? An eo etiam vis deturbari, quo miserrima Gracia?* Hactenus Bozius.

Ordo servandus.

ADversus omnes hujus temporis hæreticorum errores disputare arduum sanè opus, penèque immensum, & quod hujus tractatus brevitatem & scopum excedit. Quare ex diversissimis ac infinitis disputationibus, quas Catholici contra hæreticorum errores congesserunt, quasdam principales, quæ cæteratum omnium capita & fontes esse videntur, selegimus, in quæ tanquam in doctrinalia

quædam principia, omnia alia probationum media resolvantur: quibus semel probatis & ostensis, necessario omnes aliæ errorum radices evellentur. Quare tantùm de Ecclesia Catholica tractabimus, ubi & penes quos sit vera Christi Ecclesia; nam si ostendamus apud nos veram esse Ecclesiam, actum est de hæreticis.

Thomas Waldēsi *Hæresum suæ ætatis expugnator, & fons uberrimus, ex quo hauserūt, qui cōtra Lutherum alioſque nostri ævi hæreticos scripserūt*

De hoc argumento jam olim copiosissimè & accuratissimè scripsit noster *Thomas Waldensis*, de quo Antonius Possevinus *Tomo 2. Apparatus sacri*: Thomas, inquit, *Waldensis, Anglus, Carmelita, Confessarius Henrici V. Anglorum Regis, qui & fuit temporis hæresum expugnator, ac deinceps exortarum everſor fuit, à MARTINO V. Pontifice Maximo, cui opus ſuum dicaverat, commendatus, à noſtri autem ævi ſcriptoribus, præſertim Joanne Cochlæo, atque Stanislao Hoſio Cardinali magnoperè celebratus, qui mortuus eſt non ſine opinione ſanctitatis Rothomagi in Normania anno 1430. tertio Nonas Novemb. ſcripſit opus inſigne, quod inſcripſit*, Doctrinale antiquitatum fidei. & Ecclesiæ Catholicæ, *diſtinctum tribus Tomis, in quorum* Primo *agitur de DEO, Chriſto, Petro, Eccleſia, Religioſis*: *in* Secundo de Sacramentis, *in* Tertio de Sacramentalibus *adverſus Wicleffiſtas, Huſſitas, eorumque recentiores aſſeclas.* Hactenus Possevinus. Joannes quoque Pitsæus, Anglus, eximiis Thomam noſt. extollit encomiis in ſuo *de illuſtribus Angliæ Scriptoribus* opere. Lubet pauca ex ipso subjungere. *Andreas Vega Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, doctor Salmanticenſ. in Opuſc. ſuis de juſtificatione, vocat eum inſignem hæreſum Wicleffi* impugnatorem, *& uberrimum* fontem, *ex quo hauſerunt bonam argumentorum ſuorum partem*, penè omnes, *qui contra ſectam Lutheranam ſcripſerunt. Similia ſcribunt alij*; *Trithemius Abbas in ſuo* Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo, *Sixtus Senenſis, in ſua* Bibliotheca, *& Nicolaus Aurificus in ejus vita. Alphonſus de Caſtro teſtatur: ita eum omnes errores Wicleffianos impugnaſſe, ita fidem orthodoxam defendiſſe, ut ex multis, qui in utroque laboraverunt, nemo uberius, nervoſius, ſolidius utrumque præſtiterit.*

Raphael Volaterranus libro viceſimo primo ſuæ Anthropologiæ, *de Ordine Carmelitarum diſſerens, hunc præſantiſſimum Doctorem, quod ad eruditionem ſpectat, numerat inter doctiſſimos, quod ad vitæ ſanctitatem, ponit inter Beatos. Similia de illo teſtimonia perhibent alij viri Litterati non pauci.* Hæc loco citato Pitsæus, qui etiam tradit Thomā noſtrum tribus Angliæ Regibus acceptiſſimum fuiſſe, Henricis videlicet quarto, quinto & sexto. Ex quibus *Henricus IV.* Anno Domini 1410. ad Concilium Pisanum, quod ad tollendum Schisma, sub Alexandro Papa V, convocatum erat, eum misit, in quo ita pro concilianda unione Ecclesiastica laboravit, ut maximam apud omnes laudem promeruerit. *Henricus V.* qui ejus noverat in graviſſimis negotiis tractandis, & expediendis prudentiam ac dexteritatem, eum sibi adjunxerat intimum à Consiliis, & in iis, quæ moderamen suæ conscientiæ spectabant à confessionum secretis. Ab hoc Rege missus fuit Anno 1415. ad Concilium Constantiense, quod contra Hussitas habitum fuit: contra quorum errores jam plurimum laboraverat. In magna etiam gratia fuit apud *Henricum VI.* eique adhuc penè puero fuit à sacris Confessionibus; pro cujus postea coronatione solemni Parisiis peragenda missus fuit in Galliam.

Anno 1419. missus fuit Orator ad Vladislaum Poloniæ Regem, & Michaelem Generalem Magistrum Equitum Ordinis Teutonici, pro componenda inter eos pace.

Recenset in supra laudato opere idem Pitsæus, alios decem Carmeli Ordinis insignes Theologos, qui contra Wicleff alioſque ejusdem ætatis hæreticos, Catholicam Fidem variis conscriptis voluminibus acerrime propugnarunt: in quibus non infimus fuit *Gualterus Diſſæus*, qui ab *Urbano VI.* ejusque successore *Bonifacio IX.* ut Trithemius & alii tradunt, creatus de Latere Legatus, ad regna Hispaniarum, Portugalliæ, Angliæ, Navarræ, atque alias Provincias destinatus fuerit, ut Crucem Christi contra infideles, Hæreticos ac Schismaticos prædicaret. Fecit ille, & quidem ita strenuè munus injunctum, ut ad celebritatem sui nominis magnam fecerit accessionem.

Non minus validè horum temporum hæreses impugnavit, diversis, doctissimisque editis libris Thomas Stapletonius & ipse Anglus, ex quo, aliisque gravissimis Authoribus, præsertim ex Eminentissimo Cardinale Bellarmino, brevitati consulentes, nos, quæ potiora sunt seligemus; quæ proderunt tum ad hæreticos, tum ad schismaticos, qui iisdem ferè tenebris sunt implicati, confutandos.

PRIMA

PRIMA PARS.

CAPVT I.

De notis & signis Ecclesiæ; ostenditur Romanam Ecclesiam veram esse & unicam in terris Ecclesiam.

CHristus ex tota hominum multitudine, gratia sua & misericordia, quosdam sibi selegit, eosque certis legibus inter se constringens Societatem, seu Rempublicam quandam instituit, quam *Ecclesiæ* nomine appellari voluit, eaque illa est, quam nos unam, & non plures agnoscimus, quæ definitur, *Cœtus hominum ejusdem Christianæ Fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarij Romani Pontificis.* Et hæc sunt quæ absolutè requiruntur, ut aliquis sit de Ecclesia. Est enim, inquit Augustinus (in *Breviculo collationis col.* 3.) corpus vivum ex anima & corpore constans: anima sunt virtutes internæ, Fides, Spes, Charitas, &c. Corpus externa fidei professio, & Sacramentorum communicatio, &c. Unde quidam sunt & de anima & de corpore Ecclesiæ, ac proinde uniti Christo Capiti interius, & exterius; quæ membra viva dici possunt, quamvis aliqui magis, aliqui minus, aliqui etiam solum vitæ motum habentes, quasi sensum, sed non motum, ut qui solam fidem habent: alii de anima & non de corpore, quales sunt Catechumeni & excommunicati, si fidem habeant & charitatem. Alii demum de corpore, & non de anima, qui nullam habent scilicet virtutem internam, sed tantum exterius communicant nobiscum in iisdem Sacramentis.

Est autem hæc Ecclesia visibilis, quicquid oblatrent Hæretici, hi enim cum non possint suorum dogmatum aut Ecclesiæ successionem non interruptam ab Apostolis ostendere, eo confugiunt, ut dicant Christum invisibilem instituisse Ecclesiam, in qua soli sunt boni, quorum cum pietas lateat, ignorari, quinam ad Ecclesiam pertineant. Sed huic sententiæ scriptura sacra, & ratio ipsa adversatur.

Primò quia ubicunque in scripturis invenitur
Num. 20. nomen Ecclesiæ (ut Numer. 20. *Cur eduxisti Ec-*
3. Reg. 8. *clesiam meam in solitudinem?* 3. Regum 8. *Con-*
Matth. *vertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Eccle-*
16. & 18. *siæ Israel.* Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 18. *dic Ecclesiæ,*) semper significatur congregatio visibilis.

Secundò, ubi non nominatur quidem Ecclesia, sed tamen describitur, visibilis adhuc designatur, Psal. 18. *In sole posuit tabernaculum suum*, id
Psal. 18. est, juxta August. *In manifesto posuit Ecclesiam suam, ita ut sicut nequit sol omnino latere, ita nec Ecclesia.*
Isaiæ 2. Isa. 2. & Mich. 4. comparatur Ecclesia monti magno & conspicuo secundum Hieron. & August. *Matth.* 5. Civitati supra montem positæ, juxta August.

Tertio, ex ipso ortu, & progressu Ecclesiæ. In veteri testamento adeo visibilis erat, ut in ipsa carne Judæi portarent visibile circumcisionis signum: In novo fuit in principio tota in Christo, & Discipulis ejus, qui adeo visibiles erant, ut super eos visibiliter descenderit Spiritus sanctus. Deinde additi sunt illis una die ad tria millia per fidei confessionem, & baptismum, ac deinceps illi omnes & soli habiti sunt de Ecclesia Christi, qui ad illos primos se adjunxerunt per baptismum, & Fidei confessionem, & inde non exierunt per hæreses, aut schismata aut excommunicationem.

Quartò, Ecclesia est societas hominum; sociari autem homines nequeunt, nisi se agnoscant & copulentur, externis & visibilibus signis, ut ait August. 19. *contra Faustum* 11. *Cap.*

Quintò, tenemur sub periculo damnationis nos adjungere Ecclesiæ veræ, capiti obedire, & cæteris communicare membris, ut patet ex Cypriano, Hieronymo & Augustino. At hoc fieri nequit, si Ecclesia est invisibilis. Huic Ecclesiæ sive Reipub. Christianæ DEUS eximia quædam privilegia concessit, qualia extra hanc Congregationem inveniri non possunt.

Primum est, in Ecclesia sola, esse notitiam DEI, divinarumque rerum nullo errore permixtam intelligentiam, eamque ita esse certam ob Christi Spiritus informationem, ut error in fide apud illam esse nequeat. Est enim Ecclesia (ut Paulus docet 1. ad Timoth. 3.) *firmamentum &* 1. Tim. 3. *columna veritatis.* Præterea vera Ecclesia gubernatur à Christo ut à Sponso, & à Spiritu sancto ut ab anima. Ergo si errat Ecclesia in dogmatibus fidei, & morum, error Christo & Spiritui sancto tribui deberet. Etsi enim sponsus non teneatur à sponsa removere omnem ignorantiam, tenetur tamen, si potest, omnem errorem, ex quo malum oriatur magnum, & magnum esset malum Ecclesiam falla fide colere DEUM. Tertio Ecclesia est sancta, ista autem sanctitas in professione dogmatum consistit & proinde Ecclesia nihil poterit docere nisi verum.

Secundum privilegium est, hanc Ecclesiam visibilem (quæ columna est veritatis, & adversus quam portæ inferi non prævalebunt,) perpetuo duraturam: quod manifestè Christus promisit *Matth.* cap. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad con-* Matth. *summationem sæculi.* Cumque Apostoli, quibus ult. hoc dixit non essent permansuri, sine dubio ad eorum successores ista se extendunt. Deinde *Psal.* Psal. 47. 47. dicitur de Ecclesia visibili, *DEUS fundavit eam in æternum*, juxta August. Et Isaiæ 61. *Fœdus* Isaiæ 62. *perpetuum feriam eis, & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

Tertio *area, ager, convivium, ovile* significant in Evangelio Ecclesiam invisibilem. At eædem parabolæ docent eandem permansuram usque ad diem Judicii, Matth. 3. *Ipse mundabit aream suam,* Matt. 3. *& triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*, quod non fiet ante diem Judicii. Item: *Sinite utraque crescere usque ad messem*, messis autem consummatio sæculi est.

Quarto, regnum Christi est vera Ecclesia. Non dicitur autem regnum aliquot homines separati ab invicem, & occulti, qui se non noverunt: sed multitudo hominum congregatorum, qui se invicem agnoscant: At regni Christi non erit finis *Luc.* 1. *Daniel* 2. *Psal.* 88.

Tertium

Tertium privilegium ad prædicta consequitur, in sola Ecclesia esse verum DEI cultum, synceram Sacramentorum administrationem, sanctas Deoque acceptas cæremonias.

Quartum est, Christum sanctissimæ passionis, laborumque suorum merita in sola Ecclesia reposuisse, quorum illi tantum participes efficerentur, qui se ad Ecclesiæ conjunctionem reciperent. In hac ergo Ecclesia sola accipitur peccatorum remissio, gratia DEI, Justificatio, sanctificatio: soli Ecclesiæ filii bonis operibus merentur apud DEUM, vel augmentum Justitiæ, vel æternam vitam: soli sunt grati & accepti DEO, amici, & filii DEI, soli communionem habent cum Sanctis, Sacramentorumque meritis, soli ornati sunt veris seu Christianis virtutibus: soli promissionem habent certamque expectationem vitæ æternæ.

Magna utique privilegia & verissima Ecclesiæ: nam extra Ecclesiam nihil horum reperitur; nulla virtus Christiana, nulla operatio DEO accepta, nullum meritum, nulla spes Salutis: hæc quidem fortassis non ægrè admodum nobis assentientur Hæretici. Tota porro difficultas in eo est, penes quos inveniatur Ecclesia ista, dum singuli ad suas congregationes eam pertrahunt: cujus litis evidenter dirimendæ gratia, Christus Salvator pro sua in humanum genus charitate, aliqua certa indicia, & signa, notasque reliquit, quibus hæc sua Respublica ab aliis cœtibus dignosceretur: ne si quis ab infidelibus ad Ecclesiam se conferre velit, dubius hæreat, quam ex tanta congregationum diversitate potissimum amplecti debeat, quarum quælibet se nomine Ecclesiæ tot privilegiis instructæ jactat. Rerum autem, quæ inquiruntur notæ ejusmodi esse debent, quæ & clariores rebus ipsis sint, & à communi consuetudine non alienæ.

Quocirca qui eo penes se esse veram Christi Ecclesiam contendunt, quod se Verbum DEI syncerè interpretari, & Sacramenta purè administrare affirment; non satis id apertè demonstrant; cum istud non minus in dubium vocetur, & omnibus sit occultum, atque illud quod quærebatur. Cum enim, ut diximus, hæc sint Ecclesiæ privilegia & proprietates, quicunque ad suum cœtum Ecclesiæ nomen transfert, is utique proprietates ejus omnes se habere dicet: & qui de numero Gentilium veram Ecclesiam quæret, nihil certi inveniet, quando omnes audit de syncera verbi divini prædicatione, & Sacramentorum administratione gloriari, aliosque à se mendacii arguere. Nam Lutherani hæc penes se esse docent, non apud Calvinistas, Anabaptistas, &c. Contra Calvinistæ apud se solos, non apud alios ea reperiri volunt, atque ita de cæteris.

Quare tractationem de notis Ecclesiæ utilissimam esse, ex eo maximè constat, quod per eas dignoscatur vera Ecclesia, in qua sola est salus: in quibus assignandis placuit sequi doctiss. Cardinalem Bellarminum, adducendo Ecclesiæ notas ab ipso, (brevius tamen) recensitas, addendoque alias non parum utiles.

CAPVT II.

Prima, & vera NOTA Ecclesiæ, ipsum nomen CATHOLICVM.

ANtequam veras Ecclesiæ notas aggrediamur, breviter ab hæreticis excogitatas, oportebit refellere.

Lutherus septem notas proponit: Primo, veram & incorruptam Evangelii prædicationem Secundo, legitimam Baptismi administrationem. Tertio, legitimum Eucharistiæ usum. Quarto, legitimum usum clavium. Quinto, legitimam ministrorum electionem, qui doceant, & Sacramenta ministrent. Sexto, orationem publicam, & psalmodiam, ac Catechismum lingua vernacula. Septimo, mysterium Crucis, id est, tribulationis, intus nimirum mæstitiam, pusillanimitatem, terrores; & exterius, videlicet paupertatem, contemptum pro hæreticis haberi.

Confessio Augustana, & Calvinus duas tantum proponunt, scilicet prædicationem synceram verbi DEI, & syncerum usum Sacramentorum, quæ revocari possunt ad quinque primas Lutheri.

Centuriatores duas addunt, nimirum constantiam in fidei confessione, & obedientiam erga ministros verbi, quatenus verbum administrant; sed comprehenduntur hæ duæ in quinta & septima Lutheri.

Refellitur prima Lutheri; primo quia notæ, quibus aliquid dignoscatur, debent illi esse propriæ, & secundum rem, & secundum communem opinionem, ut patet; sed nulla est secta, quæ se non asserat habere puram Evangelii prædicationem. Quomodo ergo per hujusmodi prædicationem poterit cognosci, quæ sit inter omnes sectas vera Ecclesia? Secundo notæ debent esse notiores re cujus sunt notæ. At notior est Ecclesia prædicatione verbi: non enim aliunde scimus quæ sit vera prædicatio verbi, quam per Ecclesiam, ut docent Irenæus & Tertullianus. Deinde ita volunt adversarii prædicationem verbi esse notam Ecclesiæ, ut simul velint requiri ejus receptionem, id est, credatur. At nobis ignoti sunt, qui verè Evangelio credunt.

Deinde 2. 3. 4 & 5. iisdem refellitur argumentis, quibus prima: deinde Ecclesia Corinthiorum tempore Pauli, & Africana tempore Cypriani vera erat Ecclesia, & tamen illi circa usum Eucharistiæ, hi vero Baptismi, non mediocriter errabant.

Sexta, si loquatur de interna invocatione, cum hæc sit invisibilis, non erit nota; sed neque de externa, cum sit communissima: nam omnes sectarii hujus temporis dicunt orationem dominicam, & canunt psalmos lingua vernacula.

Septima refellitur, quia internæ tribulationes sunt invisibiles: adde pusillanimitatem esse vitium: & regnum Dei esse gaudium in Spiritu sancto. Externæ non sunt perpetuæ, nam in principio & fine Ecclesia passa est magnas angustias, at in medio florentissima extat.

Prima Centuriatorum impugnatur, primo, quia non nisi ex Ecclesia vera constat, quæ sit vera fidei confessio. Secundo, multæ sunt sectæ, quæ de suis martyribus gloriantur, ut Montanistarum, Massilianorum, Donatistarum, Anabaptistarum, & nostra Ecclesia Catholica etiam innumerabiles habet Martyres. Lutherana vero suæ confessionis paucissimos: Quomodo ergo per id dignoscetur Ecclesia vera? c

Quare his notis rejectis ad primam Ecclesiæ notam stabiliendam accedamus, quam diximus esse nomen *Catholicum*, pro qua stabilienda observandum est primò, aliud esse evidenter verum, aliud evidenter credibile: illud est, quod in se, vel in suis principiis, videtur; hoc quod nostro videtur modo, habet tamen tot & tam gravia testimonia, ut quilibet vir sapiens id meritò credere debeat.

Secundo, nos non velle Ecclesiæ notas quas asseri-

afferimus facere simpliciter ac omnibus evidentiam veritatis: alioqui nulli inveniretur illas negantes, facere tamen evidentiam credibilitatis, juxta illud Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Tertio, recipientibus Scripturas divinas, historias, & PP. facere evidentiam veritatis: hoc enim est evidenter verum, quod evidenter deducitur ex principiis certis.

Erat autem veræ notæ Ecclesiæ variæ à variis numerentur, XV. nos producemus, quæ facile ad illa quatuor Symboli, *unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam* revocari poterunt.

Prima est ipsum nomen Catholicæ Ecclesiæ, & Christianorum, (hoc enim est notissimum, ut patet) item & propriissimum veræ Ecclesiæ, sicut docent PP. August. *lib. contra Epistolam fundamenti c.* 4. Cyrillus Catech. 18. *Si veneris in aliquam urbem, non petas, ubi sit Ecclesia, vel domus DEI, nam etiam hæretici dicunt se habere domum DEI, & Ecclesiam; sed petas, ubi sit Ecclesia Catholica, id enim nomen proprium est hujus sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrum.*

Pacianus in Epist. ad Sympronianum, quæ est de nomine Catholico, *Certè non est ab homine mutatum, quod per sæcula tanta non cecidit: Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec Hæreticos sumit authores.*

Justinus docet sectas pravas denominari ab Hæresiarchis. At, ut inquit Athanasius *Serm.* 2. contra Arianos, *nunquam populus* (scilicet DEI) *ab Episcopis suis, sed à Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit. Certe à beatis Apostolis præceptoribus nostris appellationes adepti non sumus, sed à Christo Christiani sumus & nuncupamur. Illi vero, qui aliunde originem suæ fidei deducunt, merito authorum suorum cognomenta præ se ferunt, &c.*

Chrysostomus *hom.* 33. in acta Apostolorum. *Illi habent*, inquit, *quosdam à quibus appellantur; prout enim & hæresiarchæ nomen, ita & secta vocatur; nobis autem nullus vir nomen dedit, sed ipsa fides.* Hier. contra Luciferianos in fine: *sicubi audietis eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino JESU Christo, sed à quocunque alio nuncupari, Marcionitas, Valentinianos: scito Ecclesiam non Christi, sed Antichristi esse Synagogam.*

Objiciunt nos vocari Papistas & Romanenses, sed hæc quamvis sint honorabilia nomina, à quibusnam taliter nuncupamur, nisi à solis Lutheranis & Calvinistis? non enim ita in Asia, in Africa, Indiis, Græcia, Italia, Hispania, &c.

CAPVT III.

NOTA Secunda, ANTIQVITAS.

ANtiquitatem esse Ecclesiæ notam patet, quod sine dubio Ecclesia, antiquior manifestè sit vera: sicut enim dicitur *Catholica*, quia omni tempore fuit, ita & *Apostolica*, quia ab Apostolis fundata: & proinde *antiquissima*. Nostram autem esse antiquiorem omnibus hæreticorum sectis facilè probatur. Nam est illa ipsa quam instituit Christus: siquidem in omni mutatione insigni Religionis semper ista sex demonstrari possunt. Primo Author ejus. Secundo dogma aliquod novum. Tertio tempus, quo cæpit. Quarto locus, ubi cæpit. Quinto, quis eam oppugnarit. Sexto, exiguus aliquis cœtus, unde paulatim aliis accedentibus creverit. Jam vero, nos illa omnia, de singulis hæreticorum sectis facillimè demonstramus; nihil autem horum adversarii unquam de nostra Ecclesia post Apostolica tempora demonstrare potuerunt. Nusquam enim nobis objecerunt authorem nostræ sectæ, aut ab aliquo particulari homine nos appellaverunt; non solùm nusquam ostenderunt originem post Christum dogmatis nostri, sed Centutiatores in singulis Centuriis annotant, qui authores defenderint nostra dogmata, nec originem inveniunt nisi Apostolorum tempore. Nam Justinum & Irenæum inter eos nominant, quos constat vicinos Apostolorum temporibus; numquam potuerunt ostendere tempus certum nostræ defectionis ab Ecclesia, & quo loco cæperit. Nam post quinquagesimum annum, quo dubitanter dicunt incepisse, floruit *Gregorius Magnus*, cum quo totus orbis Christianus communicavit, non habent: proferunt quidam Concil. Constantinopol. sub Copronymo, sed illud illegitimum & impium fuisse constat. Nec enim aut per se, aut per Legatos affuit summus Pontifex, nec tres præcipui Patriarchæ Alexand. Antiochen. & Hierosol. & nusquam fuit numeratum inter legitima, ut probat Bellarm. *lib. 2. de Concil. ca.* 8.

Deinde non damnavit novum dogma, sed antiquum de imaginibus (cultu latriæ) honorandis. Multo autem plures adhæsisse Romano Pontifici semper, quam quibuscunque sectis, satis constat ex Epistolis Summorum Pontificum, ad diversas orbis partes, & ex Historiis.

Hoc argumento ab antiquitate usi sunt Tertull. de præscript. *Qui estis vos*, inquit, *unde, & quando venistis? ubi tam diu latuistis?* Optatus *libro* 2. contra Parmen. *Vestra Cathedræ originem ostendite: qui vultis vobis sanctam Ecclesiam vendicare.* Hilarius 6. *de Trinitate* ante medium, Hieron. Epistola ad Pammachium & Oceanum, *Quisquis es assertor novorum dogmatum, quæso te, ut pareas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nesivimus? Usque in hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus est.* August. *lib. contra Epist. fundamenti cap.* 4. ponit antiquitatem inter Ecclesiæ notas.

Quod autem dicant hæretici, suam Ecclesiam non esse novam, sed illam ipsam quam fundavit Christus, quæ per multa sæcula non apparuit, sed nunc repentè visa est, convellitur, primo, argumento D. Augustini contra Donatistas *lib. 3. de baptis. c.* 2. Nam aut ista Ecclesia, quæ nunc apparuit, ante perierat, & nunc resurrexit; aut solum latuerat, & nunc extulit caput. Non primum, quia quomodo potuisset renasci, si mater ejus perierat? deinde promissiones Christi pro Ecclesia sua contrarium docent. Non secundum, quia vel ipsa Ecclesia latens profitebatur suam fidem, vel non: si prius, ergo non latebat: si posterius, ergo non erat vera Ecclesia: quia juxta adversarios est nota Ecclesiæ fidei confessio. Secundo, fuisset Ecclesia Christi miserabilior omni secta impia, nam nulla fuit hæretica, quæ non sua habuit templa, & ritus apparentes. Judæi etiam post Christum semper aliquas habuerunt Synagogas, nec usquam coacti generaliter Deos alienos adorare. At Ecclesia per mille annos, ne quidem angulum terræ habuisset, quo suam exerceret Religionem, & coacta serviisset diis alienis.

NO-

NOTA tertia, Duratio diuturna nunquam interrupta.

Ecclesia dicitur Danielis 9. cap. *Regnum, quod in æternum non dissipabitur*: at *hæretici ultra non proficient*, inquit Paulus 2. *Timoth.* 3 & Schismatici semper initio fervent, teste Cypriano *lib.* 4. *Epist.* 2. sed incrementa habere non possunt. Ecclesia autem nostra duravit ab initio mundi; vel si de statu novi testamenti loquamur, à Christo usque huc oppugnantibus Judæis, Paganis, Hæreticis, ex quorum persecutionibus crevit, & elevata est: Regna vero temporalia fuêre destructa: sicut aquæ diluvii obruebant facile Regum palatia, Arcam vero Noe magis ac magis attollebant. Nam si nostra Ecclesia non est illa antiqua Christi, ergo periit omnino aliquando vera Ecclesia. Siquidem ante Lutherum, erant solum in mundo hæsectæ, Paganismus, Judaismus, Mahumetismus, Græcismus, Nestorianismus, Hussitarum hæresis, & Romana Ecclesia, fatentur adversarii nullam harum (præter Romanam) fuisse veram Ecclesiam; ergo Romana erat vera Ecclesia. At Lutherani vix nati arescere cæperunt.

Cæpit enim Regnum Lutheri Anno 1517. Surrexit autem Zwinglius 1525. Post duos alios annos Anabaptistæ, qui majorem Lutheranorum partem ad se traxerunt. Qui vero Lutherani manserunt, adeò mutarunt doctrinam Lutheri, ut vix jam inveniantur puri Lutherani. Zwinglius non diu regnavit, nam Anno 1538. surrexit Calvinus, qui ita brevi invaluit, ut vix pauca quædam oppida Helveticorum Zwinglianis reliquerit: ipsi quoque Calvinistæ per Libertinos in Gallia, Puritanos in Anglia, Trinitarios in Polonia, & Samosatenos in Transylvania quotidie magis minuuntur.

Ergone dubitabimus (inquit D. Augustin. *lib. de utilitate credendi c.* 17.) *nos in illius Ecclesiæ fædere gremio, quæ ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustra hæreticu circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit?*

Brevem apertamque animi mei sententiam proferam, in illa Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat, ait Hieron. in *extremo dialog.* adversi. Luciferianos.

NOTA quarta, Amplitudo seu multitudo, & varietas Credentium.

In qua hæc consideranda sunt. Primò, veram Catholicamque Ecclesiam debere amplecti non solum omnia tempora, verum etiam omnia loca & hominum genera. Secundò, Non requiri, ut sit Catholica Ecclesia in omnibus hominibus totius mundi, sed tantum, ut innotescat omnibus Provinciis, ac in omnibus fructificet. Tertiò, Non requiri ut hoc fiat simul, sed sufficere fieri successivè. Quartò, Nihilominus debere Ecclesiam nunc fuisse, vel esse in majori orbis parte: Ecclesia enim omnium consensu jam senuit: si ergo in adolescentia sua non crevit, quomodo in senectute crescet? Jam vero nostram Ecclesiam hanc habere amplitudinem probatur: Tempore Apostolorum fructificare cæpit, in toto mundo, teste Paulo, ad *Colossenses primo*.

Tempore Irenæi, erat per universas Provincias tunc cognitas sparsa. Idem testantur de suo tempore Tertullianus, Cyprianus, Athanas. Chrysost. August. Gregor. Bernard. Denique nostro tempore habet Ecclesia Romana Catholicos in Hispania, Gallia, Italia, Germania, Anglia, Polonia, Bohemia, Hungaria, Græcia, Syria, Æthiopia, Ægypto; & ad Orientem, sine adjunctione hæreticorum in Indiis, ad Occidentem in America, ad meridiem in Brasilia, ad Septemtrionem in Japonia. At secta Mahumeti, cum Hæresibus Nestorii, & Eutychetis, quæ adhuc in Oriente vigent, nunquam transierunt ad Occidentem, Lutheranorum vero nusquam Asiam, Africam, Ægyptum viderunt. Itaque pulchrè Augustin. ait Ecclesiam esse ubique, hæresim ubique; sed Ecclesiam ubique eandem, hæresim vero diversissimam, ita ut raro inveniatur Civitas, quæ ab una aliqua secta possideatur tota. Sunt enim hæreses veluti sarmenta præcisa, quæ manent, ubi cadunt, dum præciduntur. Ecclesia vero sicut vitis viva, quæ palmites suos ubique extendit. Nec speranda debent hæretici sectam suam aliquando totum orbem occupaturam, non enim nunc Ecclesia debet incipere crescere, cum jam senuerit. *Lib. de Pastor. cap.* 8.

NOTA quinta. Successio Episcoporum in Romana Ecclesia, ab Apostolis deducta usque ad nos.

Primò, quia Ecclesia hac ratione dicitur *Apostolica*. Secundò, quia hoc signo, ut evidentissimo, usi sunt omnes veteres, ad veram Ecclesiam ostendendam. Tertiò. *Quia Ecclesia non est* (inquit Hieronymus contra Lucifer.) *quæ non habet Sacerdotes: cum doceat Apostolus futuros Pastores in Ecclesia usque ad diem Judicij.*

Illi autem soli semper habiti sunt Episcopi veri, qui legitimè ab Apostolis descendisse demonstrantur, nimirum per successionem, & ordinationem. Dominus enim solum duodecim Apostolos elegit Episcopos & Sacerdotes, eisque commisit omnem authoritatem pascendi & regendi Ecclesiam: non ergo erunt veri Episcopi, nisi qui authoritatem ab Apostolis receperunt: ad successionem vero requiritur, ut is qui verus Episcopus haberi cupit, alicui succedat Apostolo, vel alicui Episcopo facto ab aliquo Apostolo. Nec enim novorum Episcoporum institutio pertinere potest ad ullum, qui definitam habet regionem, quales sunt Episcopi particulares, sed cui propriè incumbit Ecclesiam propagare. Ad ordinationem verò ut ordinetur Episcopus à tribus Episcopis, qui & ipsi sint ab aliis ordinati, & illi ab aliis, donec ad Apostolos veniatur.

Quia tamen veteres hæretici consueverant ut plurimum Ecclesiam imitari in Episcoporum ordinatione, ideo Patres non reprehenderunt in iis, nisi defectum successionis. Nos ergo ostendimus in Sede Apostolica, id est, Romana, continuam à B. Petro successionem, etsi defecerint aliæ sedes Patriarchales, & tot tamque graves in Ecclesiam Romanam ingruerint persecutiones. Nullum habemus Episcopum, in quo non legitima ordinatio inveniatur. At Lutherani, omnino Episcopis carent: Nam quicunque inter eos pro Episcopis se venditant, non fuerunt ordinati à tribus, aut ex dispensatione, ab uno assistentibus Abbatibus: neque successerunt Episcopis antiquis, tum quod in urbibus omnibus, ubi se fecerunt Episcopos, erant, & sunt nunc in plerisque Episcopi Catholici: non succeditur autem, nisi Episcopis defunctis, aut legitimè depositis: tum quia fatentur se primos earum urbium Episcopos.

NOTA

NOTA sexta, Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua.

VEra Ecclesia dicitur, ut ait Tertull. *lib. de præscription.* non solum propter successionem ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ consanguinitatem, quia videlicet Ecclesia retinet doctrinam quam Apostoli tradiderunt. Certum autem est, Ecclesiam primis 560. annis, hanc doctrinam retinuisse, & proinde fuisse veram Ecclesiam.

Hanc notam convenire nostræ probatur Ecclesiæ: Primo, ex omnibus controversijs, quibus ostenditur PP. eadem sentire nobiscum. Secundo, ex confessione adversariorum. Calvinus in sua institutione, cum nostram oppugnat, fatetur se totis antiquitati repugnare. Centuriatores annotant in singulis Centurijs ad fin. ca. 4. omnes ferè Doctores hujus sæculi docuisse dogmata, quæ nos nunc tuemur.

Eandem notam non convenire hæreticis probatur, ex eo quod dogmata adversariorum fuerint habita pro exploratis erroribus, ab Ecclesia antiqua, ut passim in controversijs habetur, & breviter ostenditur ex catalogo hæreseon, apud Bellarm. *lib. 4. cap. 9. de notis Ecclesiæ*, nec enim PP. hæreticos aliquos appellassent nondum pro talibus judicatos ab Ecclesia.

NOTA septima, Vnio membrorum inter se, & cum capite Romano Pontifice.

NAm Ecclesia dicitur unum corpus, ovile, una columba, præcipua autem unitas corporis consistit in conjunctione membrorum cum capite, & inter se, (quæ certè nota per se facile cognoscitur, estque soli veræ Ecclesiæ propria) nam unione membrorum cum capite PP. solent dignoscere, qui de vera Ecclesia sint, qui non: *Rogavit* (inquit Ambros. de obitu Satyri) *Si cum Episcopis Catholicis, id est, si cum Ecclesia Romana communicaret.* Hier. *Epistola ad* Damas. *Hic* (inquit) *in tres partes scissa Ecclesia, me ad se rapere festinat, ego interim clamito, Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Optatus *lib. 2. contr. Parmen.* inde probat Donatistas non pertinere ad Ecclesiam veram, quod non essent conjuncti cum Syricio Papa. His consonat August. *Epist. 162.* & Leo *Epist. 87. ut exortem*, inquit, *se mysterij intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* Unionem vero membrorum solius esse Ecclesiæ probatur; Primo, quia Ecclesia hæreticorum est Diaboli regnum discordiarum authoris, Ecclesia vera regnum Dei, quod promisit ipse daturum usque ad finem sæculi, & proinde non per varias dissipandum sectas. Omne enim regnum divisum in se ipsum desolabitur.

Nostram Ecclesiam esse solum veram Dei Ecclesiam demonstratur. Primo quia omnes in ea Scriptores, & Concilia, licet diversorum temporum & locorum, mirificè conveniunt inter se de rebus fidei. Cujus rei argumentum est, quod adversarij diligenter evolverint omnia, & nihil invenerunt ullius momenti quod reprehendere possent: & nunc omnes Catholici idem in fide omnino sentiunt. Secundo, quia nulla fuit secta, in qua talis consensio fuerit. Pagani suos Deos inter se faciunt belligerantes. Philosophos constat in varias sectas de rebus gravissimis, & ad salutem necessarijs dissipatos. Hæresis Simonis Hæresiarchæ primi mox divisa est in *Menandrianos, Basilidianos, & Saturnianos.* Valentiniani cum essent plurimi, vix duo, aut tres, inter se conveniebant, teste Irenæo. Donatistas, testatur D. Augustinus *lib. 1. de baptis. c. 6.* in multa minutissima frusta suo tempore fuisse concisos. Ex Marcionistis statim prodierunt *Lucianistæ, Apelliani & Severiani.* Montanistæ peperierunt *Pepuzianos, Artotyritas, Phrygastas*, &c.

De Manichæorum divisione vide August. *l. de hæres. 46.* Massiliani partiti sunt in *Martyrianos, Sathanianos, Enthusiastas.* Arriani singulis ferè annis fidem mutabant, teste Hilario in *utroque libro ad Constantium.* Eutychiani adeo divisi sunt, ut omnes fermè sectæ, quæ postea in Oriente extiterunt, ex illis traxerint originem.

Nostris temporibus Lutherani vixdum nati dividi cœperunt in *Anabaptistas, Confessionistas, Sacramentarios* & rursus quæque sectæ in alias usque ad 34. Et hoc quidem tempore Staphyli: nunc autem numerantur ferè 100. diversissimæ, ab uno prodeuntes Luthero, Sednec ipsi Authores hæretici inter se consentiunt, quæ est, (etiam testimonio Lutheri) nota certissima falsæ doctrinæ. Lutheri contradictiones innumeras collegit Cochlæus, observatque ejusdem hæretici 36. varias sententias de communione sub utraque specie. Confessio Augustana ita immutata est varijs editionibus, ut ipsi nesciant, quæ sit verè germana.

Respondet Calvinus non esse mirum, si ex religione sua mox oriantur divisiones: cum id acciderit Ecclesiæ Apost. ex qua Simoniani, Nicolaitæ, &c. Secundo etiam inter nos esse divisiones. Primo, quot monasteria, tot Schismaticorum conventicula: olim namque omnes monachi percipiebant Sacramenta in communi Ecclesia, cum reliqua plebe, nunc autem minimè. Secundo, tot Scotistæ, Thomistæ &c.

Ad primum, Ecclesiam veram non gignere per se nisi unitatem, cùm, quia doctrina ejus per se una, & firma est: tum, quia si quæ oriatur quæstio, adsit summus Judex, qui sententiam ferat, cui omnes parent: Quod si alibi abutantur doctrina Ecclesiæ & hæretici fiant, ex suo capite, atque diabolo occasionem trahunt, statimque ejiciuntur ex vera Ecclesia. At Ecclesia hæreticorum per se divisionem parit. Nec enim doctrina ejus satis constat sibi, nec ullus est absolutus Judex, qui controversias componat, sed unusquisque se præponit alijs. Cum ergo videamus inter Lutheranos & Calvinistas hoc contingere, nec finem esse divisionum eorum, ad veram Ecclesiam pertinere nequeunt.

Ad secundum negatur propositio, ad primam probationem antiquitùs etiam Monachos solitos in propriis monasteriis Sacramenta sumere, ut constat ex Cassian. *coll. 16. c. 15.* Nec hoc diversum altare formaliter facit, alioquin & facerent omnes Episcopi & Parochi: sed tantum materialiter, quod veram unitatem non tollit: cum omnes in eadem doctrina conveniant, & obediant Papæ. Nec moveant diversa nomina Religionum, puta Dominicanorum, Franciscanorum, &c. non enim sumpta sunt ab authore doctrinæ, sed institutore severioris vitæ.

Ad tertium, Thomistas, Scotistasque non dissentire in rebus fidei, & quicquid dicunt, Summi Pontificis judicio se submittunt. At hæretici dissentiunt de rebus fidei inter se, unus enim alium pro hæretico habet, & quamvis eundem Lutherum patrem agnoscant, tamen soli se proprio submittunt judicio.

NOTA octava, Sanctitas doctrinæ.

ID est nihil continere falsũ quoad fidei doctrinam, nihil injustum quoad doctrinam morum, ideo enim dicitur Ecclesia *Sancta*. Ex hac nota evidenter patet non esse Ecclesiam veram, nisi nostrã. Nam quam superstitiosè Pagani universaliter Deorum multitudinem, & simulachra colebant. Philosophi, quàm male de ultimo fine scripserunt. Legislatores, quàm impiè alij adulteria, alij incestas nuptias, alij alia scelera permittentes. Mahumetani docent omnes salvari in suis legibus, beatitudinem esse in cibo & potu. Judæi post Christum scripserunt, & dicunt Adamum congressum cum omnibus bestijs, nec potuisse libidinem explere, nisi in congressu Evæ. Offerendum esse holocaustum pro peccato Dei, cum diminuit lumen lunæ, &c. Hæretici alij scortationes, ut Gnostici; alij omnia scelera, ut Carpocratiani; alij sacrificia ex humano sanguine, ut Montanistæ &c. tuentur. At Ecclesia nostra nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docet: ut contra Paganos & Hæreticos probat D. Thom. *libr. contra gentes.*

Lutherani omnes maximè extollunt spiritum precum & invocationem, & tamen hæc fides tollit orationem Dominicam: nam si certo credo (ut ipsi dicunt) me nullum habere peccatum, mentior, si cum hac fide dico: *Dimitte nobis debita nostra.* Præterea manifestissimè errant, docentes, quod infanter dum baptizantur urantur ratione, audiant verbum Dei, credant, diligant, &c. Quod tamen apertè repugnat veritati: quomodo enim credibile est infantem, qui plorat, & reluctatur, quantum potest, dum abluitur, intelligere quid agatur.

Calvinistæ porro habent tanquam propriam sententiam illam pietati & rationi omnino contrariam, quod omnia absoluta necessitate eveniant, quodque DEUS sit causa peccatorum; ac demum Anabaptistæ præter alia multa dogmata, absurditate plena, habent nocturna conventicula, in quibus nuptias canimas exercent, & apertè etiam proprijs sororibus jungantur, imo licet fratri germanam sororem in uxorem accipere.

NOTA nona, Efficacia doctrinæ, id est, convertentis animas juxta *Psal. 18.*

Philosophi antiqui numquam, vel vicina oppida ad suas leges trahere potuerunt, ut docet Athanasius & Theodoretus. Mahumetani traxerunt quidem multos, sed vi armorum, non doctrinæ. Hæretici nusquam leguntur convertisse Judæos, aut Ethnicos aliquos, sed solum pervertisse Christianos, ut etiam Tertull. annotavit in *lib de præscriptionibus.*

At Ecclesia nostra primo per homines contemptibiles externa specie, sine armis, sine pompa verborum, ad res credendas supra rationem humanam, ad crucem & præmia tantum futura traxit magnos, parvos, doctos, indoctos, juvenes, senes, fœminas, viros, infideles in tot partibus mundi. Postea tempore GREG. Papæ conversi sunt Angli per S. *Augustinum* ab eo ad illos missum. Tempore Cononis Papæ Francones à *S. Kiliano*; magna pars Germaniæ per sanctum *Bonifacium* Papistam, tempore Gregorij 2. & 3. & Zachariæ Pontificum. Monachi Corbeienses subjecti Papæ converterunt *Wandalos*, ut fatentur Centuriatores. Eodem sæculo *Dani*, *Moravi*, *Sclavi*, *Bulgari*, *Poloni* conversi Papæ subjiciebantur: unde constat fuisse à Papistis conversos: Opera Henrici I. Imperatoris, & Adalberti Bohemorum, ac Methodij, Moravorum Archipræsulum, fuêre plures Reges, & populi ad fidem conversi. Item *Hungari* magna ex parte datis Episcopis à Papa confirmatis. Adrianus III. ante Pontificatum missus ab Eugenio IV. *Norvegiam* convertit. S. Vincentius ordinis Prædicatorum una die 25. millia partim Judæorum, partim Sarracenorum ad fidem attraxit. Denique hoc nostro sæculo multa millia Gentilium Papistæ converterunt in orbe novo. Ut latius sumus prosecuti *lib.* 1.

NOTA decima, Sanctitas vitæ authorum, sive primorum PP. nostræ Religionis.

ETHnici vel fuerunt Poëtæ leves, vel Philosophi superbi, utrique infames impudicis actibus; Mahumeto nihil incontinentius, qui sibi à Deo privilegium habuisse dicebat, sibi conjungendi, quas vellet etiam fœminas, etiam consanguineas. Hæresiarchis inter plurima vitia communis omnibus superbia fuit. Theobutem, narrat Egesippus apud Eusebium *lib. 4. hist. c. 22.* ob repulsam ab Episcopatu primum perturbasse Ecclesiam. Simon Magus postea pecunijs voluit Episcopatum emere. Valentinus quia Episcopatu frustratus hæresim excogitavit. Similiter Marcion & Montanus ambitione & *primum locum obtinendi cupiditate motus, se ipsum Paracletum* vocavit, inquit, Theod *lib. 3. de heretic. fabu.* Idem de Novatiano Eusebius *lib. 2. Hist. cap 33.* scribit. Sabellius, *ad majorem fastum ac dementiam elatus* (inquit Epiph. *Hæresi. 57.*) *se ipsum dixit esse Moysem, & fratrem suum Aaronem.*

Arius inhians Cathedræ Alexandrinæ, cum adversus Alexandrum Episcopum suum pugnæ committendæ materiam quæreret, occasionem invenit dogmatum impietatem. Semiariani ad contentionem devenerunt cum sodalibus suis, propter odia quædam, & æmulationem humanam, rixantes inter se, & de principatu litigantes. De Aério, idem Epiphanius *hæresi 75. Cum venisset Eustachius ad Episcopatum, Aerius magis concupiscebat, sed non pervenit ad ipsum, hinc oritur æmulatio.* Nestorium refert Theodoretus magnam ætatis partem egisse, aucupando favorem populi, fusca veste, simulato pallore, compositis verbis, donec tandem ad Episcopatum pervenit. Sabatium flagrasse desiderio Episcopatus, refert Socrates *lib. 5. histor. cap. 20.*

Wiclef Hæresiarcham factum, quia Episcopus esse non potuit, scribit Thomas nost. Waldensis *lib. 2. doctri. fidei cap. 60.* Lutherum vero, quia ægrè ferebat munus promulgandi indulgentias ab Augustinianis ad Dominicanos translatum, testatur Cochlæus, quamvis superbia Lutheri satis in alijs appareat: quare in disputatione Lipsiæ cum Eckio: *Hæc causa* (inquit) *nec propter Deum cœpta est, nec propter Deum finietur.*

At primi nostri authores Apostoli, sanctissimi fuerunt. Sancti etiam confessione Lutheri Bernardus, Franciscus, Dominicus, etsi enim in Ecclesia Catholica sint plurimi mali, sunt tamen quam eminentissimi Sancti. Inter hæreticos vero nullus est bonus. Quare Lutherus, *mundus*, inquit, *indies fit deterior: sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis*

magis avari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti, & indisciplinati, multò deteriores, quam fuerint in Papatu.

NOTA undecima, Gloria miraculorum.

MIracula namque sunt necessaria ad novam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam, & sufficientia, & efficacia ad eandem probandam: ita ut ubi miracula vera inveniuntur, ibi procul dubio sit vera fides.

Esse necessaria probatur primo. Quia cum diceret Moyses ad populum mittendus Exodi 4. *Non credent mihi, neque audient vocem meam*: non respondit DEUS, Debent credere, sed dedit illi potestatem faciendi miracula, & ait, *Ut credant, quod apparuerit tibi Dominus, &c.* Similem potestatem dedit Christus Discipulis suis, cum vellet mittere illos. Et Dominus Joan. 15. *Si opera*, inquit, *non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Secundo, qui mittitur debet testimonio mittentis ostendere suam authoritatem; alioquin nemo tenetur eum recipere: omnis autem, qui mittitur ad prædicandum, vel mittitur à DEO per ordinarios Prælatos, vel extraordinarie à solo DEO; si prius, debet ostendere literas sigillo mittentis munitas: si posterius, ostendere sigillum Dei, scilicet miraculum, juxta illud Marci ultimo *prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Ecce sufficientia, & probatur; quia vera miracula, non nisi à DEO fieri possunt: DEUS autem nequit esse testis mendacij. Quod si miracula fiant ad gloriam alicujus Sancti testandam, simul etiam veram fidem probant; ostendunt enim illum hominem, verè sanctum in terris fuisse, & proinde veram fidem habuisse.

At Pagani nulla hujusmodi miracula usquam fecerunt. Nam quæ leguntur apud profanos authores, facile fieri possunt Dæmonis arte, ut ostendunt Tertull. in *Apologet. c. 22. & 23.* & August. *lib. 10. de Civit. cap. 16.*

Judæos non habuisse post Christum vera miracula, notum est, nam & illud de piscina periit.

Mahumetus fatetur, Christo miracula, sibi gladium datum; nec ulla jactant Mahumetani, nisi ridicula.

Falsi Prophetæ, juxta conventionem cum ELIA, nunquam impetrare valuerunt ignem de cælo.

Simon Magus tentavit quidem suscitare mortuum, & per aëra volare. Manichæus sanare filium Regis Persarum. Polychronius Monothelita, Lutherus, Calvinus mortuum suscitare, sed ij omnes omnino decepti sunt, & incassum laborarunt.

Singulis verò ætatibus Ecclesia nostra miraculis claruit. Prima ætate habemus Christi & Apostolorum miracula. Secunda, militum Christi in exercitu M. Antonini Aurelij. Tertia, Gregorij Thaumaturgi. Quarta, Antonij, Hilarionis, Martini, Nicolai. Quinta, plurima descripta ab August. 22. *de Civitat. c. 8.* Sexta, Joannis & Agapeti R. Pontif. cæteraque narrata à Gregorio *lib. 3. cap. 2. & 3. dialog.* Septima Augustini & sociorum in Anglia. Octava Cuthberti & Joannis in Anglia. Nono, Tharasij scripta ab Ignatio Nicæno, & alia patrata in translatione reliquiarum Sancti Sebastiani. Decima sancti Romualdi scripta à Petro Damiani, & Wenceslai Regis Bohemorum apud Surium. Item Udalrici & Dunstani. Undecima Sancti Eduardi Regis Angliæ, Anselmi & Gregorij Papæ VII. Duodecima, S. Malachiæ, & Bernardi, qui una die illuminavit cæcos XI. curavit mancos 10. claudos 18. Decima tertia, beati Francisci, & Dominici, qui tres suscitavit mortuos, S. Angeli martyris carmelitæ, qui mortuum biduanum pallio suo contectum suscitavit, & sex alij defuncti eodem pallio contecti ad vitam revocati sunt. Petri Martyris, D. Thomæ Aquinatis, Bonaventuræ, Cælestini Papæ V. Decima quarta, S. Andreæ Corsini Episc. & S. Alberti Conf. ord. Carm. Bernardini, Catharinæ Senensis, Nicolai Tolentinati. Decima quinta, Sancti Vincentij qui 38. mortuos excitavit. Decima sexta, B. F. anciscí de Paula, Xaverij Societatis Jesu Presbyteri S. Teresiæ Virg. B. Mar. Magd. de Pazzis V. & aliorum.

Non est admittenda hæreticorum responsio, objicientium Antichristum miracula patraturum, falsa enim erunt: Vespasianum duos sanasse, sed arte medica curabiles, teste Cornel. Tacito. Neque objiciant testimonium Augustini, occultas quasdam Donatistarum revelationes respuentis: neque jactent Pauli Episcopi Novatiani miraculum, quod ad Catholicum Baptismum confirmandum, factum est, non ad ejus fidem comprobandam.

NOTA duodecima, Lumen propheticum.

SIcut enim Christus suæ promisit Ecclesiæ donum miraculorum, *Marci ultimo*, ita & prophetiæ. *Joel. 2.* exponente Petro *Actor. 2.* Certum est autem à solo DEO haberi posse notionem futurorum contingentium, nec illam dari, nisi in confirmationem veræ fidei & doctrinæ.

Quare Ethnici nulla vaticinia habuerunt, nisi falsa, exceptis Sibyllinis & Balaam, in confirmationem fidei nostræ: nam Diabolus vel per ambages respondebat, vel quod facturus esset, aut quod jam inceptum fuerat, vel à causis naturalibus necessarijs dependebat, prædicabat.

Hæretici quotiescunque aliquid prædicere voluerunt, decepti sunt: Montanus nescio, quæ bella, Lutherus Papæ, Cardinalium, Episcoporum, Monachorum &c. ruinam. Tho. Munter suis militibus victoriam, Lutherani diem judicij anno 1533. futurum prædixerant: sed experientia mendaces monstravit.

At præter Prophetas veteris testamenti, ac eos, qui primis 500. annis à nativitate Christi floruerunt, S. Benedictum futura prædixisse narrat Gregorius Magnus. Beatus Bernardus, cum quidam peteret ab eo, ut oraret pro conversione sui patris, *Ne timeas* (respondit) *ego illum probatum Monachum in hac Claravalle sepeliam*, quod ita factum est. S. Franciscus prædixit Christiano exercitui pugnaturo, certa quadam die contra Sarracenos, fore victoriam hostibus, quod cum duces contempsissent, cæsi fusique sunt Christiani strage inaudita.

Denique ferè nulli coluntur in Ecclesia Sancti, qui etiam Prophetiæ dono non claruerint.

NOTA decima tertia, Confessio Adversariorum.

Non enim est Deus noster sicut Deus eorum: & inimici nostri sunt judices. Deut. 32. At nusquam inventi sunt Catholici laudasse contrarias sectas, sed omnes eas constanter improbant.

Plinius Secundus, in *Epist ad Traja. l.* 10. Epist. scripsit Christianos omnia detestari vitia, sanctissimè vivere, & solum posse reprehendi, quod nimis facilè pro DEO suo vitam profundant, horisque antelucanis surgant ad orandum. Tertullianus in *Apolog. cap.* 1. & 2. testatur Paganos noluisse discuti causam Christianorum, sed damnari ilico, quod scirent in illos nihil reperturos mali, & *c.* 5. & 6. affirmat, Imperatores Gentiles probiores fuisse Christianis, pejores solum persecutos fuisse Fideles. Sanctum Antonium, Hilarionem, Martinum à Paganis reverenter habitos scribunt Athan. Hieronymus, Sulpitius, in eorum vitis. Josephus Judæus affirmat Christum plusquam hominem, & verè Messiam. Philon scribit, teste Hieron. Epiph. Sozom. Beda, librum de laudibus Christianorum, sub Marco Evangelista in Ægypto.

Mahumetus in Alcoran *cap.* 4. docet Christum esse Prophetarum maximum & ipsam DEI animam habere: Sultanum Ægypti veneratum fuisse S. Franciscum tradit S. Bonaventura in vita S. Francisci.

Totila Arrianus singulari affecit honore sanctum Benedictum, & Lutherus ipse in *lib.* contra Anabaptistas: *Nos*, inquit, *fatemur sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imo omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos devenisse. Quippe fatemur in Papatu veram esse scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum, ut sunt oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imo verum nucleum Christianitatis esse.* Ac si nos nucleum habemus, quid sibi reservant, nisi corticem & putamina? Philippus, Bernardum, Dominicum, Franciscum appellat Sanctos, & cum inter Catholicos & hæreticos Helveticos post multa prælia pax componeretur, in primo articulo concordiæ hæretici scribebant, se velle deinceps dimittere confœderatos quietos, circa veram, indubitatam & Catholicam fidem suam; Catholici vero, se velle dimittere confœderatos quietos circa fidem eorum, nihil de vera & indubitata fide addenter.

NOTA decima quarta, infælix oppugnantium Ecclesiam exitus.

Etsi Deus interdum suos flagellet, tamen tandem virgam in ignem projicit, juxta illud Deut. 32. *Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum.*

Pharao submersus interijt: Dathan, & Abiron descenderunt in infernum viventes. Antiochus vermibus & fœtore perijt: Pilatus se ipsum interfecit, omnes sciunt miseram Herodis olymorum cladem. Herodes Ascalonita scatens vermibus obijt, cum prius voluisset se ipsum occidere. Tetrarcha miserè in exilio moritur. Agrippa percussus ab Angelo consumptus vermibus perijt. Nero, & Domitianus ab alijs crudeliter cæsi. Trajanus horrenda paralysi, & hydropisi expiravit. Maximianus, & Maximinus tam horrendis doloribus correpti, ut etiam medici dicerent esse plagam divinam.

Simon Magus cum volare tentasset, cecidit, & sibi fregit tibias, pauloque post cum summa ignominia obijt. Manichæus excoriatur vivus à Rege Persarum, quod filium Regis curaturus, occidisset. Montanus cum suis Prophetissis laqueo finivit vitam. Donatistæ quidam cum Eucharistiam canibus objecissent, ab ipsis lacerati fuerunt. Arius cum excrementis omnia intestina & animam, in publicis latrinis effudit.

Julianus Apostata divinitùs percussus à terra sponte aperta absorptus est. Valens Arianus vivus à Gothis Arianis crematus est. Nestorius lingua à vermibus corrosa miserè interijt. Hunnericus Wandalorum Rex Arianus Ecclesiæ persecutor, ut Agrippa consumptus est. Anastasius Imperator Eutychianorum fautor fulmine interijt. Tempore Leonis Iconomachi pestilentia subsecuta combustionem imaginum in foro Constantinopolitano, 300. millia hominum Constantinopoli sustulit. Lutherus, & Oecolampadius morte repentina perierunt. Zvvinglius in bello contra Catholicos trucidatus est. Andreas Carolstadius à Dæmone interficitur. Calvinus vermibus consumptus expiravit, ut Antiochus, Herodes & Maximinus (teste Bolseco in ejus vita) qui etiam addit, eum obijsse Dæmonibus invocatis.

NOTA decima quinta, Fælicitas divinitùs collata propugnatoribus Ecclesiæ.

Numquam Catholici Principes ex animo DEO adhæserunt, quin facile de hostibus triumpharint. Notæ sunt in testamento veteri victoriæ Abrahæ, Moysis, Gedeonis, Samuelis, Davidis, Ezechiæ, Josiæ, Machabæorum.

Constantinus fæliciter Maxentium vicit, bello pacequegloriosus. Theodosius senior adeò fuit DEO gratus, ut hostium tela in illos retorquerentur. Honorius uno prælio prostravit plusquam 100. millia Gothorum, è Romanis, ne uno quidem vulnerato vel extincto. Theodosius Junior, dum vacaret precibus in Urbe, circiter 100. millia Sarracenorum ab Angelis acta in Euphratem petierunt. Justinianus senior, donec Catholicus fuit, Italiam, Africam, aliasque multas Provincias restituit Romano Imperio: hæreticus factus, cum edictum proponere vellet de sua hæresi, repentina morte sublatus est. Heraclius Catholicus præclarissimam victoriam de Persis reportavit, & crucem Domini recepit: factus Monothelita, omnia illi infæliciter successerunt, & inaudito morbi genere extinctus est.

Græci Imperatores à tempore sui Schismatis ab Ecclesia Romana, semper in deterius se habuerunt, Latini magis, vel minus floruerunt, ut magis vel minus Ecclesiæ Romanæ adhæserunt. Tempore *Urbani II.* cum Christianus exercitus versaretur Antiochiæ in summa desperatione, & rerum omnium penuria, revelabat DEUS ubi lancea sacra latebat, eaque prælata in bello occisa sunt 100. millia Turcarum. Tempore *Innocentij III.* cæsi sunt 100. millia Albigensium ab octo millibus Catholicorum. Anno 1531. quinque prælia commiserunt pro fide Catholici Helvetij cum Hæreticis Helvetiis, & semper Catholici numero & armis inferiores vicerunt. Carolus V. miraculosè profligavit

Huc quoque referenda celeberrima illa toto orbe victoria, quam interventu imaginis Deiparæ V. cui hæretici oculos eruerant, ad Pragam an. 1620. de hæreticis Catholici reportarunt. Hæc victoria officio divino quotannis recolitur dominica prima post oct. omnium SS. Romæ in Ecclesia Carm. Disc. S. Mariæ de Victoria, & Pragæ a-

pud eosd cum solemni processione.

fligavit in Germania Lutheranos. Denique vix unquam Hæretici superiores evaserunt, quando justo dimicatum est bello.

Epilogus præfatæ dissertationis.

THeatrum universitatis rerum ponamus ob oculos, (ut eleganter prosequitur Edmundus Campianus in causa fidei ratione 10. omne testium genus pro fidei confirmatione producens) Quicquid est uspiam peragremus: omnia nobis ad argumentum suppeditant. Eamus in cælum; rosas & lilia contemplemur, purpuratos nempe martyrio, candidatos innocentia, Romanos, inquam Pontifices tres & triginta continenter occisos. Pastores, qui suum pro Christi nomine sanguinem oppignorarunt: Greges Fidelium, qui Pastorum vestigijs institêre: Sanctos omnes Cælites, qui turbæ hominum puritate, & sanctimonia præluxêre; nostros hinc emigrasse reperias.

Noster fuit, ut paucula delibemus, ille Martyrij sitientissimus *Ignatius*, qui in rebus Ecclesiæ neminem, ne Regem quidem Episcopo æquavit; qui traditiones quasdam Apostolicas, quarum testis ipse fuerat, ne dilaberentur scripto mandavit. Noster Anachoreta *Telesphorus*, qui jejunium Quadragesimæ sanctum ab Apostolis observari severius jussit. Noster *Irenæus*, qui à successione, Cathedraque Romana fidem Apostolicam declaravit. Noster *Victor* Pontifex, qui Asiam edicto coercuit universam. Noster *Polycarpus*, qui super quæstione Paschatis Romam adiit, cujus ambustas reliquias Smyrna collegit, anniversario die, rituque legitimo, suum Episcopum venerata. Nostri *Cornelius* & *Cyprianus* aureum par martyrum, ambo magni Præsules, sed major ille, qui Romanus Africanum errorem resciderat, hic nobilitatis observantia; qua majorem est prosequutus amicissimum sui. Noster *Sixtus*, cui ad aram solemnibus sacris operanti, ministrarunt è clero septem viri. Noster *Laurentius* hujus Archidiaconus.

Nostræ virgines illæ per beatæ, *Cæcilia*, *Agatha*, *Anastasia*, *Barbara*, *Agnes*, *Lucia*, *Dorothea*, *Catharina*, quæ decretam pudicitiam, adversus & hominum & Dæmonum tyrannidem fitmaverunt. Nostra *Helena*, quam dominicæ Crucis inventio celebravit. Nostra *Monica*, quæ moriens orari, & sacrificari pro se mortua ad altare Christi religiosissimè flagitavit. Nostra *Paula*, quæ ex urbano palatio & opimis prædijs in speluncam Bethlemiticam tantis itineribus peregrina cucurrit, ut ad Christi vagientis cunabula delitesceret.

Nostri *Paulus*, *Hilarion*, *Antonius* seniculi solitarij. Noster *Satyrus Ambrosij* germanus frater, qui tremendam illam hostiam circum se gestans in oratio, naufragus insiluit in Oceanum, & fide plenissimus enatavit. Nostri *Nicolaus* & *Martinus* Episcopi, exercitij vigilijs, paludati ciliciis, jejunio pasti. Noster *Benedictus* tot Monachorum Pater. Chiliadas istas decennio non exequerer. Sed nec illos repeto, quos in Ecclesiæ Doctoribus antea posueram. Memor sum brevitatis meæ. Petat ista qui volet, non solum ex abundanti veterum historia, sed multo etiam magis ex gravissimis auctoribus, qui penè singuli, Sanctos singulos memoriæ reliquerunt. Renunciet mihi de Christianis illis antiquissimis, & beatissimis, quid autumet, utrius doctrinæ fuerint, Catholicæ, an Lutheranæ? Testor DEI solium, & illud tribunal ad quod stabo, rationem rationum harum, & dicti & facti redditurus; aut nullum cælum esse, aut nostrorum esse.

Nunc è contrario, si libet inspiciamus in tartara. Cremantur incendio sempiterno, qui? Judæi, quam Ecclesiam advetsati? nostram, qui? Ethnici, quam Ecclesiam crudelissimè persequuti? nostram, qui? Turcæ, quæ templa demoliti? nostra, qui? hæretici cujus Ecclesiæ perduelles? nostræ. Quæ enim Ecclesia præter nostram, omnibus inferorum portis se opposuit.

Cum pulsis Hebræis Christiani succrescerent Hierosolymis, DEUM immortalem, qui concursus hominum ad loca sacra fuit, quæ urbis religio, quæ sepulchri, quæ præsepij, quæ Crucis, quæ monumentorum omnium, quibus velut exuvijs mariti Ecclesia Sponsa delectatur! Hinc manavit in nos Judæorum odium ferum, & implacabile. Queruntur etiam nunc, majores nostros majoribus suis exitio fuisse. A Simone Mago, & Lutheranis nullum ictum acceperunt.

Quocunque me oculis & cogitatione convertero, sive Patriarchas intueor, & sedes Apostolicas: sive Antistites cæterarum gentium: sive laudatos Principes, Reges, Cæsares: sive Christianorum cujusque Nationis initia: sive ullum indicium vetustatis, aut lumen rationis, aut honestatis decus, nostræ fidei serviunt, & suffragantur omnia.

Testis successio, in qua semper Ecclesia, (ut cum Augustino loquar) Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus. Testes illæ reliquæ sedes Apostolicæ, in quas hoc nomen insignitet convenit, quod ab ipsis Apostolis horumve auditoribus exædificatæ fuerint.

Testes ubivis gentium Pastores, loco dissiti religione nostra concordes, *Ignatius* & *Chrysostomus* Antiochiæ: *Petrus*, *Alexander*, *Athanasius*, *Theophilus* Alexandriæ: *Macarius* & *Cyrillus* Hierosolymis: *Proclus* Constantinopoli: *Gregorius* & *Basilius* in Cappadocia: *Thaumaturgus* in Ponto: Smyrnæ *Polycarpus*: *Justinus* Athenis: *Dionysius* Corinthi: *Gregorius* Nyssæ: *Methodius* Tyri: *Ephræmus* in Syria: *Cyprianus*, *Optatus*, *Augustinus* in Africa: *Epiphanius* in Cypro: *Andreas* Cretæ: *Ambrosius*, *Paulinus*, *Gaudentius*, *Prosper*, *Faustinus*, *Vigilius* in Italiæ *Irenæus*, *Martinus*, *Hilarius*, *Eucherius*, *Gregorius*, *Salvianus* in Gallia: *Vincentius*, *Orosius*, *Hildefonsus*, *Leander*, *Isidorus*, in Hispania: in Britannia *Fugatius*, *Damianus*, *Justus*, *Mellitus*, *Beda*. Denique ne ambitiosus videar in nominibus, quæcunque vel opera vel fragmenta supersunt eorum, qui distinctissimis terris Evangelium severunt, omnia nobis unam fidem exhibent, quam hodie Catholici profitemur. Christe, quid causæ tibi afferam, quo minus me de tuis extermines, si tot luminibus Ecclesiæ tenebricosos homulos, paucos, indoctos, dissectos, improbos antetulero?

Testes item Principes, Reges, Cæsares, horumque Respublicæ, quorum & ipsorum pietas, & ditionum populi, & pacis bellique disciplina se penitus in hac nostra doctrina Catholica fundaverunt. Hic ego, quos ab Oriente *Theodosios*, quos ab Occidente *Carolos*, quos *Eduardos* ex Anglia, *Ludovicos* è Gallia, *Hermenigildos* ex Hispania, *Henricos* è Saxonia, *Wenceslaos* è Boemia, *Leopoldos* ex Austria, *Stephanos* ex Ungaria, *Josaphatos* ex India, quos orbe toto Dynastas, atque Toparchas possim arcessere: qui exemplo, qui legibus, qui armis, qui solicitudine, qui sumptu nostram Ecclesiam nutrierunt. Sic enim præcinuit Isaias: *Erunt Reges nutritij tui, & Regina nutrices tuæ.* Audi Elizabeta, Natro tibi: Calvinum & hos Principes unum cælum capere non potest. His ergo te Principibus adjunge, Solum hoc de te molior ego, & molior quic-

quicquid de me fiet, cui tanquam hosti capitis tui toties jam isti patibulum ominantur. *Salve bona crux.* Veniet Elizabera, dies ille, ille dies, qui tibi liquido commonstrabit utri te dilexerint, Societas JESU, an Lutheri progenies. Pergo.

Testes jam omnes oræ plagæque mundi, quibus Evangelica tuba post Christum natum insonuit. Parum ne hoc fuit idolis ora claudere, DEI regnum gentibus importare? Christum Lutherus, nos Catholici Christum loquimur. Num divisus est Christus? minimè. Aut nos, aut ille falsum Christum loquimur. Quid ergo? Dicam, Christus ille sit, & illorum sit, qui Dagon invictas cervices fregerint. Noster Christus operâ nostrorum uti voluit, cum Joves, Mercurios, Dianas, Phœbades, & illam noctem sæculorum atram, Erebumque tristem è tot populorum cordibus relegaret. Non est otium longinqua perquirere. Finitima tantum atque domestica speculemur. Hiberni ex *Patritio*, Scoti ex *Palladio*, Angli ex *Augustino*, Romæ sacratis, Roma missis, Romam venerantibus, fidem aut nullam, aut certè nostram, id est, Catholicam insuxerunt. Res aperta. Curro.

Testes Academiæ, testes legum tabulæ, testes vernaculi mores hominum, testes electio Cæsarum, & inauguratio, testes Regum ritus, & inunctio, testes Equitum ordines, ipsæque chlamydes, testes fenestræ, testes nummi, testes urbanæ portæ, domusque civicæ, testes avorum fructus & vita, testes res omnes, & reculæ, nullam in orbe Religionem, nisi nostram imis unquam radicibus insedisse.

Quæ mihi cum supperetent, & certè sic afficerent meditantem, ut his hominibus nuntium remittere Christianis, & consociari cum perditissimis quibusque videretur insolentis insaniæ, non dissiteor animatus sum, & incensus ad constictum. Quo mihi sit æquior Charcus, qui me tam immaniter concerpit, si hanc animulam peccatricem, quam tanto Christus emit, viæ tutæ, viæ certæ, viæ regiæ malui credere, quam Calvini scopulis dumetisve suspendere. Hactenus Edmundus Campianus.

SECUNDA PARS.

De ratione agendi cum hæreticis, & de modo juvandi ipsos, & primo de origine omnium hæresum.

Luculenter sane Jodocus Lorichius in *flagello hæresum*, statim in præfatione, hæresum omnium fere hujus temporis originem probat esse libertatem. Est namque (inquit) primum ac præcipuum propositum, ac studium hæreticorum hujus sæculi, ut in omnibus actionibus suis, sua uti possint libertate. Atque ad hanc obtinendam ruendamque finxerunt hæresim præcipuam, fidem solam justificare.

Pro hac hæresi defendenda, dolosè finxerunt alias multas. Vt Decalogum non pertinere ad Christianos. Evangelium non docere præcepta. Nulla esse Consilia Evangelica, nec opera supererogationis. Bona opera quæcunque non esse necessaria ad salutem. Orationes prolixas, jejunia, peregrinationes, vota, vitam monasticam, & quæcunque opera pœnitentiæ, indulgentias, esse inutilia ad salutem. Non esse homini opus alia gratia Dei sanctificante, quam sola fide. Et Sacramenta non conferre aliquam gratiam. Nulla peccata nocere homini Christiano habenti Fidem. Solos infideles damnari. Purgatorium nullum esse. Nec suffragia pro defunctis aliquid prodesse.

Præterea, ut has & alias suas hæreses liberè, ut vellent, prædicare possent, finxerunt Papam & Episcopos non habere potestatem de doctrina fidei ac religionis dijudicandi. Papam non esse caput Ecclesiæ, Episcopos non habere majorem potestatem quam Presbyteros, vel sacerdotes in Ecclesia. Excommunicationes & reliquas Ecclesiæ censuras, & pœnas, non obligare credentes.

Ad hæc, ut prædicantes ipsorum liberè possent habere, ac ducere uxores, finxerunt Ordinis sacramentum nullum esse. Non esse Ecclesiasticam Hierarchiam in Ordinibus sacris. Clericos non esse immunes à Jurisdictione Magistratuum civilium. Non habere eos spiritualem characterem indelebilem. Non esse eis dandas Decimas. Horarum Canonicarum preces esse vanas, ac superstitiosas, ut se ab earum recitandarum obligatione fraudulenter eximerent.

Cumque videant se puros Laicos esse, qui nec sacrificare, nec ullas res benedicere possunt, idcirco Missæ sacrificium nefariè blasphemant. Confirmationem negant esse sacramentum. Exercismos obsessorum à Dæmonibus, ut superstitiosos contemnunt. Benedictiones aquæ, cereorum, olei, fructuum, & quarumlibet aliarum rerum, sicut & Dedicationes, Consecrationes, benedictiones Templorum, Altariu m, Cæmeteriorum, sacrarum vestium, ac vasorum, & universos Ecclesiæ ritus, seu Cæremonias derident. Omnia vero fraudulenter, ne objici eis possit, cur ista non observent cum Ecclesia Catholica.

Denique, ut essent liberi à timore Judicii divini, & æternæ damnationis, propter peccata sua, finxerunt Adam, & Evam, & omnes homines ordinatione Dei pec-

peccaviſſe, & peccare, Deum indurare, & excæcare homines ut peccent. Hominem non habere liberum arbitrium. Omnes Chriſtianos certò credere debere, ſe eſſe prædeſtinatos ad vitam æternam, propter ſolam fidem in Chriſtum. Deum non imputare peccata credentibus. Infideles creatos eſſe ad damnationes. Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus hominibus, nec omnes redemiſſe, aut redimere voluiſſe à damnatione, &c.

Ad hæc capita omnes aliæ hæreſes haud difficulter referri poterunt. Nam perpaucæ ſunt, quas non ob aliquem prætextum tuendæ pravæ libertatis, ſed ſola invidia, & contradicendi libidine adverſus Eccleſiam Catholicam effinxerunt.

Curam vero ac modum, quem hæretici habent in diſſeminandis erroribus ſuis, ſummatim etiam perſcribam: ut & aptius hæreticorum machinis contraria adhibendo remedia, miniſtri Catholici occurrant.

Quibus medijs Miniſtri ſuam promoveant ſuperſtitionem, ubi primum de libris, concionibus & cantilenis.

§. I.

NOn una eſt ratio, qua miniſtri ſuam ſuperſtitionem inter ſuos conſervant: potiſſima vero eorum inſtrumenta ſunt, ſcripti libri, conciones, lectiones Catechiſticæ, cantiunculæ, imagines, ſpecies quædam probitatis, & excommunicationes.

Inter libros autem cæteris pernicioſiores ſunt, parvuli tractatus doctorum vel trium foliorum, ſecundum varias occaſiones editi: Verbi gratia: Cum Bremenſes cogitarent Chriſti & Sanctorum ſimulachra è templis extrudere, ſpargebant ij primum libellum adverſus Idola. Iidem cum eſſent abrogaturi Baptiſmum infantium, alium libellum extrudebant, cui titulus, de legitimo Baptiſmo.

Noxij ſunt hujuſmodi Commentarioli plures ob cauſas. Primo, quia facilè diſperguntur, feruntur enim à circumforaneis, & ijs qui minutas merces, pectines, ſpecula, perſpicilla, ligulas, & pro infantibus crepundia geſtant vicatim & oſtiatim. Deinde, facilè emuntur à quovis, cum ſint parvi pretij. Tandem citò leguntur, quia exigui; & facilius retinentur memoria, quia non ſunt longi argumenti.

Conciones in quavis Paræcia fiunt, ut minimum quotidianæ: ſolemne eſt omnibus aliquid intermiſcere adverſus Eccleſiam, & Romanum Pontificem: Lectiones Catechiſticæ bis peraguntur in hebdomada, Diebus dominicis & feriis quartis, tempore pomeridiano. In ijs non ſolum pensum lectionis memoriter recitandæ à pueris, & parvulis puellis: verum etiam ab adultioribus: Examinantur enim ancillæ & virgines nobiles à Miniſtro circumambulante, & candido baculo eas evocante.

Cantilenæ vernaculo idiomate, quarum plurimæ ex ipſiuſmet Lutheri officina ſunt profectæ, mirum eſt quam promoveant rem Lutheranam. Quædam ſunt Catechiſticæ, quædam dogmaticæ, aliæ morales, aliæ æmulantur pſalmos pios, recitant, exagitantque Chriſtianorum vitia, ſeu vera, ſeu ficta. Maximè autem ſolemnis oda illa eſt, quæ Pontifici, ac Turcæ ſimul inferni abyſſum imprecatur.

Nec templa ſolum & ſcholæ hujuſmodi cantus reſonant: verum etiam ædes privatæ, officinæ, fora, plateæ, campi. Nam ſunt in uſu apud omne genus hominum, ubique locorum, ſeu tædij ſolandi, ſeu laboris levandi, ſeu temporis failendi cauſa.

Imagines pernicioſæ.

QUid vero dicam de imaginibus, quæ in Romanum Papam, & in totam Eccleſiam Catholicam, apud Saxones & alios circumferuntur? Ex profecto tanto magis ſunt noxiæ, quanto ſe parentius in oculos omnium ingerunt: quanto facilius intelliguntur à vulgo, quanto magis imaginoſam vim afficiunt, ipſique memoriæ tenacius inſidere conſueverunt. Huc accedit, quod non ſolum religionis cauſa emantur; ſed & ornatus gratia, longa ſerie affigantur parietibus. Etſi autem Calviniſtæ extremi ſint imaginum oſores, nunquam tamen abſtinent ſe ab ijs, quæ habent ludibrium aliquod Catholicorum.

Cæterum inter alias peſtilentiſſimæ ſunt, quæ ſpeciem quandam apud ipſos præ ſe ferunt crudelitatis, diſſidiorum, aut impietatis: qualis eſt typus inquiſitionis Hiſpanicæ, in quo incarcerationes, accuſationes, tormenta, condemnationes, & neces hæreticorum calamitoſo ſchemate figurantur, adjuncta aliqua narratione de jugo Babyloniſco, & (ut ipſorum verbis loquar) de tyrannide Romanenſium.

Item, ut vulgo perſuadeatur nos Catholicos, eam nequaquam colere doctrinæ concordiam, quam prædicamus, editæ ſunt imagines Religioſorum Ordinum habitu cuivis proprio & domeſtico: ſed adjuncta hæreſeos nomenclatura: Nam ſuper Monacho Benedictino inſcriptio eſt: *hæreſis nigrorum Monachorum*: Super Franciſcano, *hæreſis nudipedum*, ſuper Dominicano, *hæreſis Prædicatorum*.

Mox ut oſtendant Miniſtri Summum Pontificem eſſe Antichriſtum exhibent longam antitheſim vitæ Chriſti, & Papæ: Chriſtum repræſentant inſidentem aſinæ; Pontificem vero à viris ſuccollantibus ſublimem geſtatum in ſede: Chriſtum lavantem pedes diſcipulorum, Papam porrigentem pedes ſuos cuidam Regi ad oſculum: Chriſtum coronatum ſpinis, Pontificem redimitum auro & gemmis: Chriſtum in Cruce ſe totum pro peccatoribus gratis largientem, Pontificem in throno pro Indulgentijs & beneficiis pecunias accipientem. Horret animus cætera perſequi, nefanda enim & nimis multa ſunt.

Ficta Miniſtrorum probitas.

UT vero Miniſtri fucum faciant ſuis abſurdis inventionibus, monent ij populum ſæpiſſimè ad frequentem Communionem. Edunt identidem libellos exhortatorios ad virtutem: conſolatorios pro omni genere afflictorum: Inſtructorios pro Conjugibus, pro prægnantibus, pro viduis, pro ſubditis, pro Principibus.

Catechiſmum docentur Infantes quamprimum incipiunt balbutire, mane numquam præbetur juventuti jentaculum, niſi prius recitaverint benedictionem matutinam, Orationem Dominicam,

minicam, Symbolum Apostolicum, Decem præcepta. Prandio cœnæque semper præmittitur benedictio, à filijs & filiabus familias, quorum absentiam supplet honoratior accumbentium.

Post refectionem aguntur gratiæ, decantata etiam aliqua cantiuncula, & addito Psal. Davidis.

Etsi plurimum initio Lutherus prædicavit conscientiæ libertatem, nihilominus ita vexant Lutherani Ministri eos, qui statо tempore Communionem ipsorum non accedunt; ut necessarium sit illos, vel hæretica Communione uti, vel convasatis suis rebus è loco discedere; nunquam enim cessant prædicantes in publicis locis eos nominatim objurgare, appellare impios Mammaluccos, indignos qui cum bonis viris conversentur. Ajunt præterea illos, qui cum ipsis cibum sumunt, aut aliquid aliud agunt, seu emendo, seu vendendo, eidem subjacere maledictioni.

Et hæc quidem de hæreticorum astutia, & solicitudine dicta sufficiant: Videamus nunc quibus medijs sint adjuvandi, ut resipiscant, & ad veritatem Catholicam perducantur.

Industriæ aliquæ pro Hæreticis adjuvandis.

§. 2.

BReviter ex documentis à doctiss. Patribus Francisco Costero, & Antonio Possevino, & alijs, quomodo agendum sit cum hæreticis, ut ad fidei veritatem convertantur edocebimus.

Magnum, inquit Costerus, est discrimen, teste D. Augustino ad Honoratum *de utilitate credendi c. primo*, in eo Hæreticum & eum, qui credit Hæreticos; ille compendij sui, & præcipuè gloriæ principatusque gratia novas & falsas opiniones, vel gignit, vel sequitur: hic vero ejusmodi hominibus specie quadam veritatis & pietatis assimulatæ deceptus, fidem habet. Hac significatione Hæreticum post unam & secundam correptionem vult vitandum D. Paulus, quia subversus est hujusmodi, & proprio judicio condemnatus. Veteres quoque Patres omnes communi consensu disputationem cum proprij nominis Hæretico dissuadent, de quo etiam nos latè *lib. 2.* scripsimus: quod ejusmodi concertatio (ut dicebat apud Sozomenum *Historia tripartit. lib. 9. c. 18.* Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus) *non solum schismata non uniret, sed amplius divideret.* Nam sicut vulpes nec mansuescit unquam, nec cibo utilis est (ait D. Ambros. *lib. 7 in Lucam*) ita neque Hæreticus vulpeculæ nomine in divinis litteris designatus: contentiosi enim nimium sunt hæretici (ait D. Cyrillus) *lib. 2. Thesau. cap. 2.* & quia perversi sunt, & decreverunt animo non mutare sententiam, quodcunque etiam contigerit, inquit B. Chrysost. Si tamen vitari nequeat congressus, ne sine fructu, eorum saltem qui audiunt, differatur, quatuor, quæ sequuntur, videntur utiliter observari posse.

Primum, ut respondentis potius, quam oppugnantis personam sustineas, & quod facilius sit argumenta in contrarium allata confutare, quam superbum & arrogantem adversarij animum rationibus convincere, qui omnes rimas evadendi quærit, Scripturas torquendo, mutilando, rejiciendo. *Quid promovebis* (ait Tertullianus *lib.* 1. de præscript.) *experientissime scripturarum, cum si quid defenderis, negetur: si diverso, si quid negaveris, defendatur: & tu quidem nihil perdes, nisi vocem, in contentione nihil consequeris, nisi vitem de blasphematione laudem.*

Deinde danda est opera, ut intra limites unius materiæ adversarius contineatur: Est enim Hæreticis præsertim rudioribus, qui sibi tamen non parum sapere videntur, familiare, ut cùm dissolutis argumentis, in una aliqua causa, se convictos animadvertunt, alio dilabantur, & rerum diversarum multitudine antagonistas suos obtundant, ne si nihil in medium afferant, manus dare vincique videantur: hoc autem nulla ratione patiatur Catholicus, nisi sibi in illo, de quo prius agebatur satisfactum esse fateatur.

Est præterea ad rectam argumentandi formam astringendus Hæreticus, utque omissis superfluis, nudam ratiocinationem proponat: qua in re non parum laboratur ab adversarijs, qui ut dialecticæ ignari, ab argumentando graviter hallucinantur, vel Sophistarum more, ratiocinationes suas oratorijs pigmentis, quasi fuco quodam colorando, falsa pro veris, dubia pro certis, indoctis auditoribus venditant.

Ad extremum convitia, maledicta, cognomina, quibus nomina nostrorum urgere solent, surda velut aure sunt prætervehenda. Nam sicut qui malam causam coram Judice tuetur, cùm rationibus & æquitate destituitur, clamoribus instat: ita Hæreticus cum veris ac solidis argumentis se vincere posse desperat, contumelijs certat, ut rem à legitima disputatione ad contentionem detorqueat. Tu vero, dissimulatis omnibus verborum portentis, quasi cum homine phrenetico ac furioso negotium habeas, in solam miseri hominis salutem, & conversionem animum intendas. Cogita non hominem, sed spiritum erroris, sed ipsum Dæmonem per os hominis ista maledicta evomere. Quare misereat te potius ejus, verbis utere adversus eum humanis & benevolis, tacitusque DEUM subinde pro anima Dæmonis laqueis, æternorumque suppliciorum periculis, irretita precare. Quod si apud ipsum nihil proficies, saltem auditoribus infectis scrupulum aliquem ac dubitationem injicies. Sumus enim ita comparati, ut moveamur modestia, indignemur petulantia.

Hactenus de ijs, quos vere & propriè hæreticos appellamus. Superest dicamus quemadmodum credentes Hæreticis, hoc est, qui vel ad hæreticos defecerunt, vel in fide nutant, tractandi sint. Inter quos majori studio videntur illi juvandi, in quibus major conversionis spes apparet. Ad quam rem inter alia tria ista communia puncta poterunt esse adjumento: Ut primò percunctetis ab eo, quo cum agis, quas ob causas ab Ecclesia recesserit, ac totius orbis Christiani societatem, & communionem deseruerit: majoresque suos atque adeò omnes omnium nationum, omnium sæculorum, omnis memoriæ homines, qui Catholicè decesserunt sceleris aç nefariæ infidelitatis, mortuos tam severe condemnaverit? Quia si rectè credit Hæreticus, omnes isti perierunt.

Tum deinde, qua ratione, qua authoritate commotus, hujus potius quam illius Hæretici sectam sequatur; cum omnes sua dogmata scripturarum testimonijs confirment: si dicat hujus vel illius vocem videri sibi magis rationi & veritati consentaneam, fateri cogitur illud suum *videri* esse regulam fidei. Unde concludes illum Hæreticum esse, hoc est electorem, qui sibi ex multis quod credat, suo ipse arbitrio & voluntate deligat.

Denì-

Denique urgebis illum, ut vel unum hominem ex omni antiquitatis memoria producat, qui cum uno (verbi gratia Luthero) in omnibus senserit. Neminem proferre poterit, ne ex hæreticorum quidem albo, a quorum quisque diversam, quam sibi ipse finxerit, religionem coluit. Age igitur amice, Estne æquum, ut repudiata totius orbis disciplina, doctrinam vel hactenus inauditam, vel olim totius antiquitatis consensu explosam amplectaris, hac sola ratione, quia tibi ita videatur. Ergo tot invictissimos martyres, tot viros doctissimos, tot Christi Confessores integerrimos, qui fidei suæ veritatem innumeris miraculis testatam reliquerunt, impios, infideles, idololatras fuisse confirmabis, sempiternisque supplicijs vivos, mortuosque condemnabis: & hoc solum, quia tu tibi videris melius sapere, & rectius intelligere Scripturas? Quasi vero Ecclesiam illam Christus, quam acerbissima morte sibi in Cruce despondit, in tam tenuis erroribus totos 1600. annos jacere passus fuerit, donec post tot sæcula tui ingenij lumine mundus collustraretur.

Hæc, & id genus alia, cum quadam pia commiserationis animi significatione, modestè proposita, magnum habent momentum, ad animum hominis seducti, non prorsus obstinati commovendum; præsertim si magnitudo periculi, æternitas inquam suppliciorum, etiam atque etiam inculcetur, juxta illud Isaiæ 60. *Gens & regnum, quod non servierit tibi, peribit.*

His namque cogitationibus jactatus Hæreticus, si non omninò errorem deponet, nutabit tamen fortasse, & rei gravitatem, imminensque periculum seriò cum animo suo considerabit, cogitans non minus ipsum cum pauculis suis Symmistis in errorem lapsum, quam orbem terrarum universum. Hactenus ex Costero in præfatione Enchiridij.

Epistola Pat. Petri Fabri Societat. Iesu, de modo agendi cum Hæreticis.

§. 3.

Charitatis viscera gerenda erga hæreticos.

Missis ad me subinde literis efflagitaveras, ut certos tibi statuerem Canones & documenta, quibus divini verbi ministri uti possent ad extirpandos ex animis Hæreticorum errores, & inveteratos illorum morbos curandos, sine propriæ salutis jactura. Huic ergo petitioni nihil hucusque respondi, nunc, temporis causatus angustias, nunc inquietudinem, quæ me domi habebat, incusans: nec minus honesto titulo mercari modo silentium possem, infirmam hujus manus valetudinem pro me adducens. Verum illud potissimum me purgat, quod rationes quales tu desideras audire, mihi nullæ succurrunt: dicam tamen nonnullas, quales cunque citato scribentis calamo obvenerint. Atque illud primo loco monendi sunt, qui salutem animarum sitientes, ad nostræ tempestatis Hæreticos commeant, ut charitatis intimæ viscera erga illos gerant, sincerè atque ardenter illos ament, nullos foventes animo cogitationes, quæ illos contemptu dignos suadeant.

In hæreticis perijt prius agendorum sensus, quam credendorum fides.

Accedit huc secundus Canon, ut illos nobis conemur benevolos atq; propitios reddere, ut recte de nobis sentiant, & judicent intra se. Hoc autem consequi non fuerit difficile, si comiter illos alloquamur, nihil initio discrepantes, aut controvertentes, sed de ijs rebus tantum constituatur sermo, quæ nobis cum illis conveniunt. Fugienda igitur imprimis controversia, ubi altera pars videatur alteram deprimere: prius enim communicandum est in his, quæ uniunt, quam in ijs, quæ diversitatem sensuum ostendere videantur. At vero quia hæc Lutheranorum secta est filiorum subtractionis in perditionem: ac prius in eis perijt benè agendorum sensus, quam credendorum fides, medicinæ ordo ægritudinis ordinem sequi debet. Procedendum igitur est cum illis, ab ijs quæ faciunt ad benè sentiendum, secundum affectus, ad ea quæ sunt & faciunt ad credendum. Erat enim sanè olim in Ecclesiæ nascentis primordijs contrarius ordo ad avertendum ab infidelitate homines. Hinc siquidem eruditus primum erat intellectus, ac præceptis nostræ fidei imbuendus. Hæc enim *fides ex auditu* est, deinde ad rectè sentiendum de moribus, qui sunt secundum fidem acceptam, paulatim perdocebantur. At Lutheranis si ad bonos mores redire suadeas facilè ad sanam fidem, mentemque revocaveris. Si igitur in hominem incidas, cujus non solum doctrina impia sit, & perniciosa, sed vita etiam moribus corruptis perdita; ut hic æger relevetur, necessarium est colloquijs hinc inde quæsitis, sensim à moribus pravis deterreri: neque est antea ullum verbum de erroribus in fide faciendum.

Expertus ego ipse sum aliquando: cum enim vir quidam me rogasset, ut hominem, qui pertinaciter acquieverat Lutheri erroribus eximerem, è laqueo, si possem, cum præsertim dogma illud de conjugio Sacerdotum mordicus teneret, ego illico hominis mores nosse tentavi, protraxi itaque sermonem, atque ex familiari colloquio, vitam ejus deprehendi, vitiorum sordibus labefactatam: assueverat enim meretricijs amoribus multis retro annis: illuc igitur appuli animum, ut amores impudicos radicitus à corde evellerem, nihil interim de fide sana apud illum memorans. Factus voti compos nihil ultra necesse habui laborare. Sed ipse, qui curabatur Domini gratia, aperuit animi oculos, & errorum tenebras diffugere cœpit: quippe qui ex amorum pravitate & ortum habuerit, & incrementum. Sed quia pleræque omnes Lutheri Scholæ, in humanorum operum meritis excludendis miserè errant, oportebit primum opera, quæ illi contemnunt stabilire, deinde ad fidem promovendam gradus facere, ea semper apud illos loquendo, quæ mirabilem virtutum amorem, & desiderium in ipsorum animis excitent: quod ut fiat illustrius, manifesto exemplo ostendam.

Virtutum opera, quomodo hæreticis suadenda?

Dicet tibi Hæreticorum aliquis, *Ecclesiam, neque ad persolvendum Horarias preces, nec ad audiendum Missæ sacrum, nec ad similia posse adigere, propositâ Capitali pœna transgressoribus*: hujus tumentem animum permoveas oportet, ut orationi & Missæ libenter vacet; talem siquidem devotionem orationis, & Missæ temporibus statutis habendæ, qui primum excludit, veræ fidei ultimum fecit naufragium. Erit autem magnum operæ pretium animadvertere, quibusnam erroribus innitantur, præcipuè Lutheranorum capita & Hæresiarchæ. Hi nimirum in præcepta, sanctionesque Ecclesiæ, ac Sanctorum Patrum acerbè insultant: At hoc, quidnam est, nisi exiguas & penè exhaustas in se vires cognoscere, ad benè obtemperandum, & ad laborem tolerandum, cum posse desperant, ut omnes Canones præceptaque Ecclesiæ ab ipsis purè observentur.

Missam, qui spernunt, naufragium denique fidei faciunt.

Sunt

Sunt igitur prædicatione hortatuque à pusillanimitate spiritus, qua submerguntur erigendi, reficiendi, animandi, & sancta spe implendi, ut sibi de se ipsis polliceantur (in Domini virtute seu digito) non solùm quæ jubentur se præstaturos, verum multo majoribus rebus suffecturos. Ac sanè intrepidè dicere possum, si doctrinæ efficacia, & ardore spiritus Lutheranus persuaderetur, ex obtemperandi voluntate omnia sua alieno arbitrio moderanda concedere; ac religionis cultum, quem semel exuit resumere; hoc inquam si persuaderetur, Lutheranus & faceret eadem opera, Hæreticus esse desineret, sine alia digladiatione aut controversia: nec negaverim tamen ingenti robore spiritus illustrationeque divina ac inflammatione cordis non tepida Lutherano opus fore ad tantam firmitatem in bono, & humilitatem, & tolerantiam ac id genus virtutes consequendas. Sunt enim haud dubiè omnes necessariæ hujusmodi, ex tanta miseria & subversione in statum fœliciss-imum migraturo.

Auxilio Dei magno opus esse, ad convertendos Hæreticos.

Unde colligimus non esse datum humanæ prudentiæ, sibi polliceri certam Hæreticorum reductionem: difficile enim, ne dicam impossibile est ad resipiscendum emollire homines subversos, nisi Dei digitus, in homine per hominem divinitùs operetur. Si quis etiam apud illos argumentorum ignarus, aut certè negligens loqueretur de vitæ honestate, de virtutum ornamentis, de orationis fructu, de mortis agone, de inferni cruciatibus, aut hujusmodi alijs, quæ vel Ethnicos permoverent ad vitam frugaliorem; hic nimirum multo plus prodesset Hæreticis, quam alius quivis authoritatibus, & locis argumentorum onustus ad evincendum. Et ut semel omnia dicam, hæc gens admonitionibus, exhortationibusque suadenda est, ad mores corrigendos, Deique timore ac amore fœnanda est. Sic enim fiet, ut pusillanimitatem exuant, tædium divinorum abjiciant, mentis divagationem sistant, & alia multa compescant, quæ revera non prius intellectum oppugnarunt, aut læserunt, quam manus pedesque tum corporis tum animi. Christus redemptor omnium Spiritus sui divini ope cadentes sustineat & lapsos erigat; novit enim optimè verbum suum libris scriptum non sufficere. Finem fecero, si reprius rogem, memineris me hæc scripsisse gratia obsequendi Sancto Spiritui soli, qui me ad hoc postulandum impulit. Si locum meditationi, mentique intimæ dedissem, plura fortasse occurrerent in rem præsentem: sed ut mihi persuadeo, omnia dirigi possunt ad Canones prædictos. Vale. Hactenus Faber.

Hujus viri documenta eatenus accipienda sunt, quatenus negotium est, cum Hæreticis illis, sive sint populares, sive nobiles, aut etiam Ministri, quibus altius in corde perversitas nondum misit radices; quare cum istis mitius agendum est, ac amica & placida conversatione, aut argumentatione utendum potius, quam bilibosis invectivis: sic Magnus docuit Augustinus contra Epist. fundamenti. c. 1. *Magis enim* (inquit) *de correctione eorum, qui imprudentius forsan, quam malitiosius hæresi adhæserunt, quam de subversione cogitandum est. Et quamquam Dominus per servos suos regna subvertit erroris, ipsos tamen homines, in quantum homines sunt, emendandos esse potius quam perdendos jubet, &c. Illi ergo in vos sæviant, qui nesciunt cum quo labore verum invenitur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum, &c. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quibus gemitibus & suspiriis fiat, ut ex quantulacunque parte possit intelligi DEUS. Postremo illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quales vos deceptos vident*: Hæc Augustinus.

Demum ipsa cum verbo Dei scripto, & traditio doctrina Patrum insinuanda, ita ut commodè ipsi per se legant, præcipuè vero monendi sunt, ut evolvant Tertulliani præscriptiones adversus hæreticos: Cypriani librum de unitate Ecclesiæ: item Augustini ejusdem argumenti contra Donatistas, nec non ejusdem Tractatum aureum de utilitate credendi ad Honoratum: quin & Vincentij Lirinensis commonitorium adversus prophanas hæreseon novitates. Tum his omnibus, quasi plenioris confirmationis causa adjungat Baronij Annales Ecclesiasticos, fidissimos antiquitatis testes, Bellarmini disputationes accuratissimas. Mox item privatim cum ijs agatur, nam ita multi ad cor redierunt, fidemque Catholicam deinceps egregiè propugnarunt.

Quod si cum perversissimis agendum sit, quales plerumque sunt Calviniani, & aliarum Hæresum sectatores; si post unam, vel alteram correptionem moniti non resipiscant nulla cum talibus, inquit Cyprianus *Epist. 3. lib. primo* commercia copulentur. Sed qualescunque hæretici sint, meminerint, qui cum eis ager, expedire quam maximè, ita in lectione Evangeliorum, & scriptorum Apostolicorum esse versatum, ut loci præcipui sint noti, quibus ex ipso Dei verbo scripto Hæretici convincantur. Et vero cum hoc unum ipsi urgeant, antevertenda illorum est fraus, ac dicendum, nolle nos nisi, ut ex verbo Dei agant nobiscum: inde enim fiet, ut quoties aliquem ex suis Hæresiarchis attulerint, vel ex proprio marte enunciaverint, id ipsum ruat per se, ac illorum astus in ipsorum recidat caput.

Præterea quæstionibus Hæreticorum, ut prudenter advertit Antonius Possevinus, aliquando respondere oportebit ex ratione, qua Christus Dominus in refellendis Pharisæorum erroribus, aut respondendo eorum interrogationibus utebatur. Nam ut optimè advertit Gregorius Nazianzenus: Christus (inquit) quasdam quæstiones solvere, atque explicare solet, quasdam comprimere atque obstruere. Cum ex eo quæritur, in qua potestate hæc facis? propter interrogantium vecordiam & ineptiam vicissim ipse interrogat, Baptismus Joannis è cælo erat, an ab hominibus? atque ultimque interrogantes suos premit atque constringit. Unde etiam nobis nonnunquam ad Domini imitationem, eos qui curiosa disputatione nos lacessunt, comprimere, quæstionumque absurditatem absurdioribus interrogationibus solvere licet: nam ipsi quoque in rebus vanis interdum sumus; ut in his quæ sunt sapientiæ glorier. At cum quæstionem ratiocinatione indigentem videt, tum vero eos, à quibus interrogatur prudenti responso nequaquam indignos censet.

Experientia compertum est, ut hæretici in circuitu agunt, sic eorum astum retundi, cum Divinum verbum ijs objicitur, ûnaque in quæstione coguntur consistere.

Porro utile erit perlegere Augustini Disceptationes, quam habuit cum sui temporis hæreticis; quasve nostri temporis insigniores Theologi habuêre, vel Parisijs, ut Claudius Sanctius, & Vigoreus cum Calvinianis: vel in Germania, uti Eckius, Cochlæus Joannes Pistorius cum Lutheranis: vel Petrocoviæ in Polonia cum Arianis, & cum ijsd. Arianis Lublini quoque in Polonia PP. Carmelitæ discalceati, Thorunij in Prussia cum Lutheranis

R. P.

R.P. Hieronymus à S. Hyacintho ejusdem ordinis definitor in Polonia, & Ecclesiastes ordinarius cathedralis Ecclesiæ Cracovienſis, aliasque alibi habitas cum cæteris erronibus.

Mores quoque Hæreticorum prænoscendi sunt, ex Augustini scriptis in methodum redactis ab Hieron. Torrensi, in Confessione Augustiniana, & è Vincentij Lirinensis libello, itemque è Tertulliano de præscriptionibus adversus Hæreticos.

Esset etiam convenientissimum peculiares controversias, per theses breves, & eruditas disputandas proponere, disputatas edere. Quod Pat. Societ. Jesu feliciter ante aliquot annos aggressi sunt Moguntiæ, Ingolstadij, Viennæ, Vilnæ, Transilvaniæ, Posnaniæ, Dilingæ, &c. Denique si precibus, rationibus, & propositis Hæretici non alliciantur, aliquando oportebit eos vi compellere, ut ad fidem revertantur, ut eleganter August. in Epistola ad Vincentium his verbis docuit: *Vides itaque (ut opinor) non esse considerandum, quod quisque cogitur, sed quale sit illud quo cogitur, utrum bonum, an malum: non quo quisque bonus possit esse invitus, sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem, ut timens vel respuat falsum, de quo contendebat, vel quærat verum quod nesciebat, & volens teneat jam quod nolebat. Superfluò hoc fortasse diceretur quibuslibet verbis, si non tam multis ostenderetur exemplis. Non illos aut illos homines, sed multas Civitates videmus fuisse Donatistas, nunc esse Catholicas, detestari vehementer diabolicam separationem, diligere ardenter unitatem. Quæ tamen timoris hujus, qui tibi displicet, occasionibus Catholica facta sunt per leges Imperatorum à Constantino, apud quem primum vestri ultro Cæcilianum accusaverunt usque ad præsentes Imperatores, qui judicium illius quem vestri elegerunt, quem judicibus Episcopis prætulerunt, justissime contra vos custodiendum esse decernunt. His ergo exemplis à Collegis meis mihi propositis cessi. Nam mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: nam primo mihi opponebatur Civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa rectè intelligi posse, quod scriptum est: Da sapienti occasionem, & sapientior erit.*

Quam multi enim, quod certo scimus, jam volebant esse Catholici, manifestissima veritate commoti, & offensionem suorum reverendo quotidie differebant? Quam multos veritas (in qua nunquam præsumpsistis) sed obdurata consuetudinis grave vinculum detinebat, ut in eis compleretur divina illa sententia, Verbis non emendabitur servus durus, si enim intellexerit non obediet? Quam multi propterea putabant veram Ecclesiam esse partem Donati, quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem securitas torpidos, fastidiosos, pigrosque faciebat? Quam multis aditum intrandi obserabant rumores maledicorum, qui nescio quid aliud nos in altare Dei ponere jactabant? Quam multi nihil interesse credentes, in qua quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atque ad Catholicam transire nemo cogebat?

His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis Reges serviunt Domino in timore, ita prosit nunc alij dicant: jam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit, jamque faciendi & ablatæ numulas amputavit: Alij dicant, Hoc esse verum jam sciebamus, sed nescio, qua consuetudine tenebamur. Gratias Domino, qui vincula nostra dirupit, & nos ad pacis vinculum transtulit. Alij dicant: Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, sed nos ad eam cognoscendam metus fecit intentos, quo timuimus ne forte sine ullis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur: Gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, ut saltem soliciti quæreremus, quod securi nunquam nosse curavimus. Alij dicant: Nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nescivimus, si non intraremus: nec intraremus, si non cogeremur. Gratias Domino, qui trepidationem nostram flagello abstulit, expertes docuit, quam vana & inania de Ecclesia sua mendax fama jactaverit. Hinc jam credimus & illa falsa esse, quæ authores hujus hæresis criminati sunt, quando posteri eorum tam falsa & pejora finxerunt. Alij dicant: Putabamus quidem nihil interesse, ubi fidem Christi teneremus: sed gratias Domino, qui nos à divisione collegit, & hoc uni DEO congruere, ut in unitate colatur, ostendit.

De communicatione cum Hæreticis fugienda, & de casibus, in quibus licet cum eis communicare.

§. 4.

SAnctus LEO Papa *Serm. 18. de Passione*, viperea Hæreticorum dicit esse vitanda colloquia, ut insinuet Hæreticos continuo venenum suum longè lateque diffundere: quare verissime scriptum est ab Apostolo, Hæreticorum verba ut cancrum serpere, quod vel nostra hac ætate clarissimè liquet, quippe cum pestis Lutherana & Calviniana per totum Aquilonem, & Orientem, ut Germaniam, Daniam, Saxoniam, Norvegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam, tum etiam Occidentem & Meridiem, ut Angliam, Galliam grassata, eam penitus deformet.

Non itaque incassum majores nostri Hæreticorum libros, congressus, colloquia, convivia odisse consueverunt, & non secus ac peste laborantes fugiendos suaserunt. Sic hæreticos detestabatur *S. Antonius* (inquit Athanasius in *ipsius vita*) ut omnibus diceret, nec juxta eos accedendum S. Joan. Apostolus (inquit Irenæus *lib. 3. contra Valent. c. 3.* cum balneum aliquando esset ingressurus, mox ut Cerinthum Hæreticum intus esse cognovit, de balneo exilivit non lotus: nimirum exemplo suo posteros omnes admonere voleus, hæresim morbum esse contagiosum, totisque viribus, & summa animi provisione cavendum. Simus ab eis, ait Cyprianus, tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi. Theodoret. *lib. 4. Histor. c. 14.* scriptum reliquit populum Samosatensem Episcopum suum Hæreticum, tanquam pestiferum fugisse, nec ullis ipsius concionibus interesse voluisse. Ibat Episcopus ad balnea, aliosque, ut secum lavarent invitabat; at nemo unquam ipso præsente locũ introivit, nemo etiã postea, nisi aqua prius omni ejecta, & nova tutus adducta lavit. Ludebant aliquando pueri in foro, contigit verò, ut lusoria pila pedem contingeret jumenti, quo Episcopus vehebatur, continuo exclamant omnes, & magno in ipso foro accenso igne eum pilam conjiciunt.

Hic

Hic erat ille veterum zelus, hic fidei Catholicæ ardor, & sani cultus conservandi studium. Atque utinam pari diligentia, vel illa talem, qua pestem, christiani hæresim suis civitatibus prohibuissent, & exclusissent, non foret hodie tanta animarum jactura! Quæ hic annotare volui, ut manifestius fiat, quantum à veritatis scopo errent, qui specie recti decepti quorundam politicorum sententiam & opinionem sectantes, Hæreticos cum Catholicis miscere, & cuique quam velit sententiam amplecti sine noxa licere arbitrantur.

Omissis tamen ijs, oportebit declarare in quibus casibus sit à Jure permissa cum Hæreticis communicatio, quia cum hi sint excommunicati, merito eorum communionem abhorrere Fideles tenentur.

Primum itaque dubium illud erit, An Hæretici sint excommunicati jure divino, an humano tantùm? Quod est quærere, an excommunicatio lata in Hæreticos sit à jure aliquo divino, an vero Pontificio tantum? ex quo etiam constabit, an jure divino, vel tantum humano sit evitanda cum hæreticis communicatio?

Resp. Hæretici non divino, sed Canonino tantum jure excommunicati sunt: & hæc sententia est plurium Theologorum consensi recepta: licet non defuerint, qui contrarium affirmaverint.

Notandum autem est, excommunicationem hæreticis irrogatam, esse omnium excommunicationum antiquissimam, ut patet, ex C. *Acatius*, & C. *Audivimus* 24. *quæst.* 1. Imo à tempore, quo in Ecclesia Concilia cogi & celebrari cœperunt, introductus est mos Hæreticos excommunicandi: qua pœna à Sacramentis arcebantur, & à communibus Ecclesiæ suffragijs, & officijs privabantur, repellebanturque ab omnium Fidelium & piorum hominum consortio: cujus excommunicationis absolutio hodie per Bullam in Cœna Domini est Summo Pontifici reservata.

Oportet tamen animadvertere, quod quamvis Hæreticus, ex Iure divino absolutè loquendo, non sit excommunicatus nec ex consequenti vitandus, sed tantum Iure Canonico: interim tamen in divinis & sacris Iure divino est vitandus in his, quæ sequuntur. Primo si ex huiusce modi cum Hæretico sermonis, & rerum communicatione, aliorum oriatur offensio, aut scandalum. Secundo, si periculum nobis immineat nostri spiritualis exitij & interitus, videlicet perfidiæ & Christianæ religionis contemptus. Tertio si ex hoc quod cum hæretico sermonem & conversationem habemus, suspicio nascitur, quod verbo, signo, vel facto Hæretico rum ritus, mores, aut dogmata profiteamur. Quartò, si cum Hæretico sit nobis commercium criminis & impietatis, ob quam ipse est excommunicationis sententia constrictus. Extra hos casus jure tantum Canonico, non divino, debet in rebus sacris Hæreticus evitari. Ex quo efficitur, ut Romani Pontificis authoritate concedi queat, ut ab Hæretico, extra casus supra memoratos, suscipere sacramenta possimus. Nam quamvis Ecclesiastica jurisdictione Hæreticus careat, eo quod sit segregatus ab Ecclesia, potest tamen eam habere, si id Romanus Pontifex, sive Ecclesia permittat, aut concedat.

Secundo dubitatur, an etiam Hæretici occulti, an solum manifesti, comprehendantur sub hac excommunicatione?

Resp. Eum, qui ob solam Hæresim internam mente conceptam, minimè tamen à se declaratam, Hæreticus est, non comprehendi sub prædicta excommunicatione: quia Ecclesia, ut communis tenet sententia, nullam habet jurisdictionem in actus purè interiores: si vero hæresis sit manifesta, aliquo exteriori signo, vel alio modo, tunc incurritur excommunicatio.

Sed tunc est tertium dubium: an omnes Hæreticos manifestos & notorios, eo ipso quod sint excommunicati, teneamur vitare?

Respondetur, Non omnes Hæreticos ea solum ratione, qua excommunicati sunt, à nobis esse vitandos: ratio est, quia etsi olim omnem excommunicatum evitare tenebamur: postea tamen edita est ab Ecclesia Constitutio, qua decretum est, non omnes excommunicatos vitari debere, sed tantum nominatim excommunicatos, vel notorios Clerici percussores. Constitutionis autem verba sunt hæc.

Ad evitanda multa scandala, & multa pericula, & subveniendum conscientijs timoratis, constituimus, ut nemo posthac teneatur abstinere & separare se, neque evitare communicationem alicujus, in administrando, aut recipiendo sacramenta, aut in alijs divinis officijs, aut extra illa, ratione alicujus sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, aut à jure generaliter promulgatæ. Neque servare interdictum Ecclesiasticum, si illa talis sententia, prohibitio, suspensio aut censura non fuerit promulgata, & denunciata specialiter & expressè à Iudice contra certam aliquam personam, collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum aut certam, neque manifesto constet incurrisse in sententiam excommunicationis, quod nullo modo potest occultari, aut per aliquod remedium juris excusari. Quia à communione hujus vult quod se separent, juxta canonicas constitutiones; per hoc tamen non intendimus relevare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos. Hactenus verba Constitutionis.

Hæc Constitutio edita est à *Martino V.* & in Concilio Constantiensi, & in Lateranensi recepta, ut fatentur Authores infra citati.

Ex hac igitur *Extravagante* colligitur apertè, non esse vitandos omnes excommunicatos, sed tantum illos, qui sunt nominatim excommunicati, vel manifesti Clerici percussores: ita tenent doctissimi viri Navar. in *Comilio variu in locis infra citandis*, maximè *Consil.* 15. de Hæreticis, ubi affirmat per dictam constitutionem *Martini V* limitari omnia jura antiqua tam Decreti, quam Decretalium Sexti, & Clementinarum, & omnium Extravagantium, & ita observari in praxi in Curia Romana apud prætorium Rotæ: (ubi etiam retractavit sententiam quam prius in *manuali c.* 27. *numero* 34: & 35. tenuit) Sot. *in* 4. *distinct.* 22. *q* 1. *art.* 1. Cajet. in *Summa*, verbo *Absolutionis impedimenta*, & verbo *Excommunicatio major*. Victoria in *Summa de Sacram.* Tractatu *de excommunicatione*. Tolet. in *Summa lib.* 1. *ca.* 65. Suarez in *tertiam p. q* 104. *disp.* 44 *sect.* 3. Greg. de Valentia in *tertiam part. disput.* 3. *q.* 5. *puncto* 3. Azor. 1. *Tomo instit. moral. lib.* 8. *c.* 11. qui pro hac sententia quam plurimos adducit authores alios, & dicunt in usu & praxi esse receptam.

Sed quæret aliquis? Quis dicatur nominatim excommunicatus? An sufficiat in Bulla Cœnæ Domini Lutheranos, Calvinistas, Schismaticos excommunicari, ut teneamur omnes Lutheranos, vel Schismaticos tanquam nominatim excommunicatos vitare?

Resp. Ex sententia istorum Doctorum non sufficere, sed requiri, ut proprio nomine individuali nominentur.

Ex hac igitur sententia deducunt isti Authores, posse tuta conscientia Catholicum sermones conferre,

ferre, & civilia commercia inire cum Hæreticis, qui sunt in Anglia, Gallia, Germania, Polonia, quoniam licet publici sint Hæretici, & notoriè excommunicati, non sunt tamen nominatim & expressim denunciati, neque notorij Clericorum percussores: exqua etiam opinione multa alia, de quibus solet passim quæri diluuntur, de quibus sigillatim dicemus.

Primo enim sequitur licere Catholicis simul precari & orare Deum cum hæreticis, & rem divinam cum ijs audire, & conciones sacras, funus item hæretici comitari, & ad sepulturam deferre, & alijs hujusmodi divinis & sacris rebus interesse, dummodo hæretici non sint nominatim denunciati, & id fiat citra ullum Catholicorum scandalum, & proprium periculum: ita colligitur ex sententia prædictorum Authorum, ut expresè docet Navar. *Consil.* 15. *de hæreticis num.* 2. & 4. & *Consil.* 16. *num.* 8. *eodem titulo*; secus vero si sunt denunciati.

Secundo sequitur, licere in templo, in quo sepulti sunt hæretici, rem divinam & sacram facere, nam licet Ecclesia violetur & polluatur cum in ea sepelitur paganus, Judæus, Infidelis, Excommunicatus. *Cap.* Ecclesiam 1. & *c.* Ecclesiam 2. *de consecrat. distinct.* 1. & *c.* Sacris, *de sepulturis*, cum alijs juribus: hoc tamen intelligendum est de excommunicato publicè denunciato: quoniam quem dum in vivis erat vitare debebamus, mortuum quoque devitemus oportet. Non tamen in eo qui nominatim non est excommunicatus, ita Navar. *Consil.* 15. *num.* 4. *de Hæreticis*, & alij.

Tertio sequitur, licere etiam Catholicis, hujusmodi hæreticorum, qui nominatim non sunt denunciati, templa adire, ingredi, & in eis preces fundere, rem divinam & conciones hæreticorum audire, ad eorum postea errores confutandos, & hæreticam impietatem subvertendam: ita Navar. *d. Consil.* 15. *numero* 4. Ita tamen, ut hæc tria serventur: Primum, ne in Catholicorum animis ulla offensio generetur. Secundum, ne ulla sit communicatio ritus, cæremoniæ ac impietatis cùm hæreticis. Tertium, ne ullum periculum immineat propriæ perfidiæ, subversionisque, & Catholicæ Religionis contemptus.

Quarto sequitur, in terris, ut in Germania, Gallia, Polonia, & similibus, ubi Catholici cum Hæreticis permixti vivere solent, licere Catholicis cum Hæreticis matrimonia contrahere: nam licet id jure Canonico sit prohibitum, tamen quia in his provincijs consuetudine scita & tolerata ab Ecclesia est receptum, ideo tuta conscientia fieri potest: nam consuetudo legi derogat, ita docet Azor. *ubi supra*, & colligit ex Navar. *Consil. primo de* Constitutionibus *numero* 59. & 60. dummodo conjunx Catholicus sive vir, sive fœmina, cum Hæretico matrimonium contrahens, sua sponte omnino & tuto, fidem & religionem Catholicam profiteri in omnibus permittatur; & similiter servetur quod Ecclesia constituit, ut ex alterutro parente Catholico suscepta proles Catholicæ religionis sacris initietur; ut habetur in *c.* Ex literis *de conversione infidelium*, & *c.* Judæi 22. *quæstione* 1. Quare pacta quæ in hujusmodi Matrimonijs fieri solent, nempe ut primogenitus hæreticæ patris impietati adhæreat, secundo genitus matris fidem & religionem Catholicam sequatur, & alia similia turpia esse, nefaria & impia, tum contra jus Ecclesiasticum, ut constat ex dictis capitul. tum contra jus divinum, quoniam parvulis usu rationis carentibus, cura parentum ministrare & præbere debet remedia ad salutem necessaria, ergo filij parvuli instituendi sunt in fide, & religione Catholica, ut in ea salventur.

Sed major est difficultas: An ubi Hæretici sunt cum Catholicis permixti, liceat Catholicis à suis Parochis & Episcopis Hæreticis, qui tamen tales denunciati non sunt, Sacramenta recipere? Prima sententia est affirmativa, ita Angelus *verb.* Irregularitas *numero* 30. Sylvest. *eodem verbo quæst.* 7. Sotus in 4. *d.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *conclus.* 3. Suarez de *Censuris disp.* 31. *numero* 64. & *disp.* 9. *sect.* 4. *numero* 9. & *seq.* Maiolus *lit.* 4. *c.* 22. Navar. *consil.* 15. de Hæreticis. Toletus in *Summa c.* 13. Suarez, & Greg. de Valentia 3. *parte ut supra*, &c. pro hac sententia faciunt etiam omnes Auctores adducti supra, qui omnes unum judicium ferunt de Sacerdote Hæretico nominatim non excommunicato, ac de alij iniquis ministris Catholicis. In casibus inquam illis, in quibus licet sine peccato mortali Sacramentum ab hujusmodi improbis ministris accipere: hi autem casus sunt, quos ex doctrina magis recepta recenset Cajetanus *in* 3. *partem q.* 104. *art.* 6. nempe, si Minister sit per se paratus, & habeat alioqui potestatem. Secundus, si est proprius Pastor. Tertius, si accipiens Sacramentum sit constitutus in necessitate: hanc autem necessitatem Sotus *distinct. prima quæstione* 5. *art.* 6. non existimat sufficientem ad implendum præceptum Ecclesiæ, sed requiri extremam, scilicet, ut sit quis in periculo mortis; licet Suarez existimet, *ubi supra*, sufficere necessitatem adimplendi præceptum audiendi Missam, aut communicandi, aut utilitatem non differendi usum Sacramenti Confessionis vel Communionis: imo etiam affirmat in his casibus licere accipere Sacramenta à quolibet Sacerdote etiam non parato: omnes tamen fatentur requiri sequentes conditiones. Prima, Ne ulla inde oriatur Catholicorum offensio. Secunda, ut in Sacramentis administrandis & recipiendis legitima Ecclesiæ forma servetur, ut ministri verè sint Sacerdotes, verè Episcopi: tertia, ne ulla sit communicatio ritus, cæremoniæ, & hæreticæ pravitatis. Quarta, ne ullum immineat Sacramenta percipienti periculum erroris in fide.

Sed certè hæc sententia aliquibus dubia, aliquibus vero minus probabilis videtur: ex quorum numero est Cardinalis Bellar. *lib.* 2. *de Rom. Pontifice cap.* 30. & Azor, & alij, quia, ut ipsi affirmant, hæresis ex natura sua ante ullam excommunicationem præscindit, & dividit Hæreticos ab Ecclesia, privans eos omni jurisdictione: unde non tam quia excommunicati, quam quod Hæretici omni jurisdictione carent, ut oprimè docuit D. Thom. 3. *part. q.* 82. *art.* 7. *ad secundum* & ita conferre nequeunt Sacramenta: & confirmari potest hæc sententia, quia si à Schismaticis, ut supra diximus non licet Sacramenta accipere, ex declaratione *Clementis VIII.* multo minus licebit ab Hæreticis. Illud tamen certum est in omni opinione, ordinatum ab Episcopo Hæretico, vel Schismatico, dummodo uratur forma & materia Ecclesiæ, verè esse ordinatum, quia actus iste est potius Ordinis, quàm jurisdictionis: ordinatus tamen juxta hanc ultimam sententiam incurrit irregularitatem, etiamsi Episcopus non sit nominatim excommunicatus, si tamen cum ignorantia fecerit, dispensat Episcopus, ita docet Navar. in *Summa c.* 27. *num.* 241.

Sed dubitatur ulterius, an ab Hæretico nominatim excommunicato, & in mortis articulo, liceat Sacramentum pœnitentiæ accipere? Et ratio

dubij est, quia cum careat omni jurisdictione, utpote præcisus ab Ecclesia, non poterit præbere absolutionem, ita docet S. Thom. *3. part. q. 82. art. 7. ad secundum*, & ex communi sententia Canonistarum, & ratio est, ne penitus decipiatur ab Hæretico, aut in desperationem inducatur: sed revera si non sit simile periculum, non est improbabilis contraria sententia, quam tenent Paludanus, Antoninus, Canus, Major, & alij viri docti, quia quamvis Hæreticus Sacerdos jurisdictione careat, eam tamen illi non denegat Ecclesia, in articulo mortis, in quo est peccator pœnitens constitutus: & similiter quamvis ab Hæreticis alia Sacramenta, quæ non sunt necessitatis, non possint percipi, at in mortis articulo pœnitentiæ Sacramentum est necessarium, præsertim si pœnitens solum sit attritus, non contritus. Et hæc sententia Azorio valde videtur probabilis.

Præterea dubitatur, an filij Hæreticorum, ubi sunt cum Catholicis commixti, possint admitti ad Scholas Catholicorum, quando sunt in adulta ætate & parentum errore decepti? Resp. Posse tuta conscientia admitti; quia licet sint Hæretici notorij, non tamen sunt nominatim denunciati, aut notorij Clericorum percussores, Navar. *Cons. 1. de const. numero 64.*

Item quæritur, An in prædictis locis liceat Catholico filium hæretici de Sacro baptismatis fonte suscipere, ita ut Catholicus sit susceptor ejus, & An contra liceat Hæreticum admittere, ut suscipiat filium Catholici de sacro fonte? Resp. Si Baptismus ritu & modo Catholico administratur, licere Catholico filium Hæretici suscipere, quia non tenetur Hæreticos vitare, prout supra dictum est; si autem ritus sit hæreticus, non licere suscipere: Hæreticum autem admittere, ut filium Catholici suscipiat, nullo modo licere; factum tamen tenet, sed in hærerico admittendo peccatum est; hoc enim ab Ecclesia interdicitur, quia qui è sacro fonte aliquem suscipit, juxta Ecclesiæ Canones, decreta, & mores debet susceptum prima fidei & religionis elementa & præcepta docere, ita docet Navar. *Consil. 1. de const. n. 66.*

De pœnis Hæreticorum, & de eorum absolutione & reconciliatione cum Ecclesia.

PRæter excommunicationis pœnam aliis etiam supplicijs mulctantur Hæretici: nam irregularitatem contrahunt, hoc est, inhabiles fiunt ad officia publica, vel beneficia Ecclesiastica, ut apertè docetur *c. 2. §. Hæretici de Hæreticis in 6.* Itaque Hæreticus ad meliorem mentem conversus, etiamsi sit ab excommunicatione, in quam ob Hæresim inciderat, absolutus, adhuc dispensatione indiget, ut ad Ordines promoveri possit, in quam pœnam incidere, etiam si sit occultus Hæreticus, dummodo hæresis sit extetius prodita, aliqui probabiliter affirmant: alijs vero magis cum jure congruere videtur, hanc pœnam tantummodo incurrere Hæreticum notorium, qui sit manifestus, vel per evidentiam facti, vel per Judicis sententiam, vel per propriam in Judicio confessionem: sed prior sententia probabilior, & communior est.

Tertia Hæreticorum pœna est, quod ipsorum bona ipso jure sint fisco addicta. *c. Cum secundum legis de Hæreticis in 6.* Et quamvis aliqui affirment Hæreticum debere ante sui criminis condemnationem bona sua fisco tradere, nihilominus contraria sententia probabilior est: sufficit enim ut post condemnationem factam à Judice bona sua teneatur fisco reddere, quamvis aliqui id etiam, & merito negaverint.

Quarta Hæreticorum pœna est, qua suis dignitatibus, honoribus, publicis officijs, & beneficijs privantur, ut habetur in *c. Ut commissi §. Privati de hæreticis in 6.* quare publicum officium habere non possunt, quia infames sunt, & quia excommunicati: sed an hæreticus dignitatem, vel officium amittat ante omnem judicis sententiam, qua eum id crimen incurrisse declaretur, quidam docti negant: alij vero affirmant; utraque sententia probabilis est, de quibus videndus est Azor *lib. 8. tom. 2. c. 3.* ubi utramque sententiam ad concordiam redigit.

Notandum tamen est, in Sacerdote Hæretico, etiamsi nominatim sit excommunicatus, manere potestatem faciendi & offerendi Missæ sacrificium pro vivis & mortuis. D. Tho. *3. parte quæstione 82. art. 7.* quia potestatem Ordinis non amittit. Quare si servet formam debitam, conficit Eucharistiæ Sacramentum, & idem est sentiendum de alijs Sacramentis, quæ non requirunt jurisdictionem; & sic penes Episcopum hæreticum, cum maneat potestas Ordinis, quæ est propria Episcoporum, nimirum consecrandi & conficiendi chrisma, si actu conferant Ordines, vel confirmationis Sacramentum, tenebit Sacramentum: & idem est sentiendum de aliis Sacramentalibus, possunt enim consecrare altaria, templa, sive aras, Ecclesias, calices, & vestes, aliaque hujusmodi, dummodo serverur in ijs forma, quam servat Ecclesiastica sentit *Gloss. in c. Ecclesijs, de consecrat. distinct. prima.*

Sed dubium est, an supposito quod hæreticus non amittat Ordinis potestatem, sed tantum jurisdictionem: an Sacerdos, vel Episcopus in hæresim prolapsi, eo ipso sint omni jurisdictione privati, ita ut acta per ipsos, verbi gratia, peccatorum absolutiones, sententiæ & censuræ, sive constitutiones ab Episcopo factæ, nullius sint ponderis aut momenti?

Quidam affirmant, quod etsi ante Concilium Constantiense invalida essent prædicta omnia, quando hæresis erat manifesta & notoria; post Concilium tamen Constantiense rata esse & valida, quæ faciunt Presbyteri, hæretici & Episcopi, nisi sit manifestus aliquis eorum Clerici percussor, vel nominatim denuntiatus: Et idem sentiunt de aliis, sive secularibus, sive Ecclesiasticis publicam administrationem vel functionem gerentibus, quia ante Judicis sententiam adhuc retinent possessionem, & sic gesta per eos valent. Alij vero probabiliter existimant ob hæresim exteriorem amittere hæreticos Ecclesiasticam jurisdictionem, vt expresè docet D. Tho. in *22. q. 39. art. 3.* vnde quamvis vitari à nobis non debeant, non possunt ligare nec solvere, nec alia munera exercere, quia jurisdictione carent, & suspensi sunt ab officio: sed quicquid sit de his opinionibus, quarum quælibet pro se habet viros graves, & doctos, illud tamen certum est, quæcunque fiunt ab hæreticis quamdiu in publico officio tolerantur, valere: *c. Nonne 8. q. 4.* ita Silvest. *verbo* Excommunicatio *3. n. 10. & 11.* quia Ecclesia voluit, ut valerent; toleratus autem dicitur minister ille, qui communi errore populi habetur pro legitimo.

Præte-

Prætereà pœnis alijs afficiuntur hæretici: nam etiam privantur Ecclesiastica sepultura ut in c. Quicunque, *de hæreticis*, quod intelligendum est de ijs, qui nominatim sunt excommunicati.

Alia etiam pœna hæreticorum est infamia: sed hæc non contrahitur secundum veriorem opinionem, nisi post sententiam Judicis.

Ac denique aliæ sunt pœnæ, ut capitis supplicium, de quibus videndi sunt Cast. de *justa Hæreticorum punitione*. Simancas de *Catholicis institutionibus*.

Postremo dubitari potest, An ab hæresis nota, pœnisque Hæreticis à Judice impositis liber sit, qui ignoranter hæresi adhæret.

Resp. aliquibus propositionibus. Prima, Constans est apud omnes DD. opinio, ignorantiam ab hæresi excusare, ac proinde à pœnis in Hæreticos latis liberare D. Tho. 2.2.q.2.art.6.ad 2. ubi Cajetan. & alij. Hæc tamen propositio non de qualibet ignorantia intelligi debet, sed tantum de ignorantia invincibili, ea scilicet, quam homo superare non potuit, postquam adhibuit sufficientem solicitudinem pro ratione sui status, & conditionis, pro veritatis investigatione: non dubium quin plurimi inveniantur in tertis hæreticorum, & Schismaticorum, qui in aliquibus rebus ad fidem spectantibus laborent hac invincibili ignorantia: vel quia materia fidei est de subtilioribus rebus, & non de illis, quas ipsi quo ratione sui status explicitè scire tenentur, quales sunt articuli fidei: & ipsi sed acti ab aliquo viro docto, quem ipsi pium & Catholicum credunt, vel à patentibus, Parochis, Episcopis, aut alijs similibus instructi decepti fuerunt; dummodo cum pertinacia suæ sententiæ non adhæreant, sine dubio in foro interiori, & exteriori excusantur, ut optimè resolvit Penna in Scholis Inquisitorum 1.p.quæst.7.

Si quis vero erret ignorantia crassa, vel affectata licet in foro exteriori præsumatur Hæreticus, maximè si erret in his, quæ scire & credere tenetur ratione sui status, ut optimè docet Doctor Penna, *ubi supra*; in foro tamen interiori non est hæreticus, quia non adhæret cum pertinacia suis erroribus. Maximè vero hoc credendum est, de viris simplicibus, aut non literatis, qui inter hæreticos, vel schismaticos commorantur, qui majorum & doctiorum erroribus adhærent: existimantes ipsos habere fidem Catholicam Unde D. Tho. 2.2.q.2.art.6.ad 3. *Si autem* inquit *aliqui majorum deficiant, non præjudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt*; quia minores, ut *ibidem* docet Angelicus Doctor, non habent fidem implicatam in fide majorum, nisi quatenus majores adhærent doctrinæ divinæ.

Vid. part 2. directorij confessariorum noss. Antonij à Spiritu sancto Tractatu 12. Disp. 3. sectione 1.

Prætereà sciendum est, *fautores, receptores, & defensores hæreticorum* incidere in excommunicationem, ac legentes eorum libros incurrere excommunicationem Bullæ cœnæ Domini summo Pontifici reservatam, ut latè tradunt Authores & Scriptores de censuris; Omissis, verò alijs, quæ ad nostrum propositum non conducunt, duo sunt consideranda; primum nomine *fautorum, defensorum*, vel *receptorum* intelligi, ut benè advertit Cajet. in *Summa* verbo *Excommunicatio*, de fautoribus, & receptoribus hæreticorum, ut hæretici sunt, id est, de tuentibus ipsos ipsa ratione quia sunt hæretici. Unde si quis aliquem reciperet hæreticum, & domi retineret, quia infirmus erat, non excommunicatur in cœna Domini, nisi alia feratur ab inquisitoribus excommunicatio generalior.

Secundo notandum est, nomine *librorum prohibitorum* non comprehendi Græcorum, Armenorum, aut aliorum Schismaticorum ritus & cæremonias continentes, & similiter ut aliquibus placet non feriuntur prædicta excommunicatione Catholici, qui in Anglia, Germania, Polonia, Gallia, ac similibus locis legunt libros Hæreticorum continentes hæreses, dum id fiat studio cognoscendi, & confutandi eorum hæreses, & errores, sed hæc opinio cum ea limitatione accipienda est, ut rectè notavit Azor. *ubi supra c. 16.* in illis partibus, in quibus prædicta Constitutio Bullæ Cœnæ Domini non est usu accepta, nec promulgata, aut jure communi confirmata. Sed quicquid sit de hac sententia, gaudent tamen Religiosi Mendicantes privilegio à multis Summis Pontificibus concesso, ut in terris infidelium, Schismaticorum, & Hæreticorum possint tuta conscientia eorum libros, & alios quacunque ex causa prohibitos, ad effectum illos confutandi & corrigendi legere; sic etiam concessit Ordini nostro *Clemens VIII.* in Bulla, quæ incipit: *Dominici gregis, &c.*

Ultimo scire oportet, Hæreticos ad Ecclesiam revertentes, oportere prius hæresim abjurare, hoc est, jurejurando damnare, aut simpliciter omnem hæresim, aut specialiter eam, in quam inciderunt: deinde scripto promittere se ipsos firmiter credituros quicquid Catholicæ fides Ecclesiæ profitetur, quæ omnia intelligenda sunt, cum Hæreticus absolvitur in foro exteriori, in quo poterunt servari formulæ infra designatæ: nam in foro conscientiæ sufficit, habere contritionem de hæresi, & firmum propositum, cautionemque sufficientem præbere, non revertendi ad vomitum, & tunc absolvi poterit ab eo, qui habet potestatem, vel ordinariam, ut inquisitores hæreticæ pravitatis, vel subdelegatam, ut Religiosi aliqui Mendicantes, commorantes inter Hæreticos, Schismaticos, & alios infideles, ubi inquisitiones non sunt, habere solent, ut *infra* latius dicemus.

Forma brevis omnem hæresim abjurandi per eum qui in hæresim incidit, & pœnitet, & alias non est relapsus.

EGo talis, de tali loco, talis diœcesis, coram N. & N. Sacrosanctis Evangelijs positis coram me, eisque propriis manibus per me tactis juro, me credere corde, & profiteri ore illam sanctam fidem Catholicam & Apostolicam, quam Sancta Romana Ecclesia credit, prædicat, profitetur, & observat: & consequenter abjuro, revoco, & detestor, & abnego omnem hæresim, cujuscunque sit conditionis, & sectæ, extollentis se adversus Sanctam Catholicam Ecclesiam.

Item Juro me credere, & profiteor ore, quod sic & sic, &c. ubi explicetur articulus Catholicus contrarius illi hæresi, in quam se confessus est incidisse. Et postea dicat, Juro & promitto, quod deinceps nullam hæresim prædictarum, seu aliam qualemcunque tenebo, nec dogmatizabo, nec libros hæreticales scienter habebo.

Quod si convenientius visum fuerit, ut professionem fidei cum solemni juramento exhibitam magis in specie faciat; trademus hic formam à PIO IV. editam in Bulla, quæ incipit, *Injunctam nobis.*

Forma juramenti professionis Fidei secundum Bullam PII PP. IV.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ; visibilium omnium & invisibilium; & in unum Dominum JESVM Christum, Filium DEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, DEVM de DEO, lumen de lumine, DEVM verum de DEO vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum Scripturas; & ascendit in cælum sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, qui ex patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & unam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis, à JESV Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium: illaque gratiam conferre. Et ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri DEO verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro vivis & defunctis, atque in Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter & substantialiter corpus & sanguinem, unà cum anima, & divinitate Domini nostri JESV Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes DEO pro nobis offerre: atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse; atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac JESV Christi vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro.

Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque, ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (DEO adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis subditis

ditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo, ac juro, sic me DEVS adjuvet, & hæc sancta DEI Evangelia.

Remedia pro Catholicis inter Hæreticos versantibus, ad orrhodoxam fidem conservandam, ex Patre Francisco Costero.

SI tamen aliquando contigerit Catholicos cum Hæretis conversari, pro Fide Catholica tuenda, atque conservanda, omnem curam & solicitudinem adhibere oportebit. Et ne in tanto periculo versantes pereant, sequentia ipsos servare maximè conducet: quæ quoniam brevissima, & popularium etiam captui accommodatissima sunt, convenientissimum hic duximus inserere.

Primò itaque humilitatem ex animo sequi necesse est. Sicut enim impossibile est Hæreticum non esse superbum, ut qui judicium suum totius Ecclesiæ judicio præponit: ita fieri non potest, humilis ut in hæresim labatur, nisi humilitatem abjiciat. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatorum non moveat me: ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem; IBI,* hoc est, in pede superbiæ ait D. Augustinus. *Psal. 35.*

Secundò, frequens Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ usus necessarius est. Quia enim per hæc Sacramenta, & maximè per Eucharistiam, non solum fides confirmatur; sed spiritualis etiam gustus confertur, ut gustemus, & videamus quam suavis sit Dominus, fit per crebram communionem, ut homo non modo credat: sed quodammodo sapiat & experiatur vera esse, quæ fides proponit. Atque hoc est, quod Christus dicit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*: hoc est, perseverabit in Ecclesia mea, & Spiritus meus manebit in eo. *Joan. 6.*

Tertio, opus est, frequenti meditatione exercere se, in consideratione charitatis DEI, in genus humanum: quam ex innumeris beneficijs nobis collatis tantam esse constat, ut intellectum excedat & Angelorum & hominum. Huic sanè charitati non est consentaneum, mundum universum sine fide, sine vero Sacramentorum usu, sine recta intelligentia scripturarum, mille quingentis annis, in summis relictum fuisse erroribus, donec unus Apostata Monachus, (qui ruptis castitatis & alijs religionis votis, sanctimonialem, Deo consecratam, atque velatam, sacrilegis sibi nuptijs junxit) tam diuturni erroris & falsitatis orbem universum redargueret, damnatis tot sanctis Patribus, qui & miraculis & vitæ sanctimonia claruerunt: cum iste & miraculum nullum ediderit; & fateri in publica ad populum concione non erubuerit, se Dæmonem probè novisse, & ab eo vicissim benè cognitum esse, cum eoque plusquam modium salis comedisse (quod longæ familiaritatis est argumentum) imo scriptis libris testatum posteris reliquerit, diaboli secum nocte disputantis argumentis se convictum, sacrificium Missæ de medio sustulisse.

Quarto, Perpendere diligenter & serio promissiones DEI Ecclesiæ factas: quæ tantæ sunt, ut ijs cognitis, nullus sit reliquus errori locus. Est enim Ecclesia primò, fundamentum & columna veritatis; hoc est, quæ non solum veritatem secum habet; sed quæ sola veritatem adinstar columnæ & firmamenti sustentat, & apertè omnibus demonstrat. Unde sicut nullus error fidei in doctrinam Ecclesiæ potest irrepere: itaque neque extra Ecclesiam est veritas sine errore. *Lib de Missa angulari Tom. 7. editionis Wittenbergensis. fol. 228.*

Secundo, Ecclesia in doctrina morum errare non potest, cum sit à fidelibus, in qualibet admonitione, instructione & reprehensione sic audienda, ut qui ejus monitis obtemperare nollet, gravissima pœna, quæ mortalibus infligi potest, sit afficiendus; nempe excommunicationis gladio à Christi corpore separandus. *Si* (ait Dominus Matth. 22.) *Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.*

Tertio Ecclesia est Christi sponsa. Sponsam autem nihil potest latere arcanorum sui sponsi.

Quarto, Est corpus Christi eodem spiritu sancto afflatum. Quare neque à Capite separari potest, (*ego*, ait, Matth. 22. *vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*) neque ignorat mentem sui capitis, si idem sit capitis & corporis spiritus. *Nemo* (ait Apost. 1. Cor. 2.) *novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Nos autem spiritum Christi habemus: & qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Unde & Dominus promisit *Joan. 16.* se Ecclesiæ daturum paracletum spiritum, *qui eam doceret omnem veritatem.*

Quinto Ecclesia est congregatio non occulta & latens; sed aperta. *Matt. 5.* Sicut civitas supra montem posita, & candela posita super candelabrum, ut omnes, qui in domo sunt lumen videant: id est, ut ab omnibus videri possit, tam ijs, qui ad fidem Christi convertuntur, ut sciant, quo sit eundum, & à quo sit fides petenda; quàm ijs qui sunt in Ecclesiam admissi, ut sciant in dubijs, quæ sit audienda, *Dic*, inquit, *Ecclesiæ*: Matth. 18. *Et si Ecclesiam non audierit*, &c.

Sexto Ecclesia hoc modo in monte fundata, & apertè constituta, non est unius anni, nec unius sæculi, sed omnium dierum atque annorum, usque ad consummationem sæculi. *Super hanc petram* (ait Matt. 18. *ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; hoc est, Firmissimè eam collocabo; adversus quam tametsi omnis industria, sapientia, atque potentia dæmonum sit insurrectura, nunquam tamen prævalebit, ut eam dejiciat. Si igitur hæc Ecclesia habeatur tam illustribus privilegijs instructa, quæ neque errare, neque errores in doctrina fidei, vel morum docere, neque superari possit ulla vi aut arte; quæ scripturas & verba optimè noverit, atque intelligat Sponsi sui, quæque spiritu eodem cum suo capite, & sponso sit imbuta; non est locus hæresibus; quia ad omnem dubitationem recurrendum erit ad Ecclesiam, juxta Christi præceptum, *Dic Ecclesiæ*, &c. Matth. 18. *Qui vos audit me audit*, *Luc.* 10.

Sed ubi sit ista Ecclesia, quæritur? Hoc sanè ex Scripturæ verbis apertè constat, talem aliquam esse, & à Christi temporibus extitisse, atque ad consummationem usque sæculorum semper mansuram, qualem jam descripsimus. Ubi autem illa hactenus fuerit, & quænam illa sit etiamnum, his duobus indicijs ostendi potest.

Priori quidem ex omnium Christianorum cujusvis status, & nationis unanimi consensu. Sicut enim Romanam urbem eam cognoscimus, quæ ad Tiberim, Parisiensem, quæ ad Sequanam, Colonienſem, quæ ad Rhenum est posita: quia hactenus mundus universus has urbes agnovit: ita si quæ Ecclesia pro vera & Catholica Christi Ecclesia, ab orbe universo mille quingentis annis est habita, ea certè pro tali nobis est agnoscenda. Et sicut si post tanti temporis totius orbis confirmationem, quispiam aliud oppidum, à paucis annis exædificatum, tibi veram illam & antiquam Coloniam esse diceret, antiquorum Imperatorum privilegijs & libertate celebrem, ideo nihil persuaderet, ut etiam tanquam insanum ridendum & explodendum se proponeret: itaque qui post mille quingentos annos aliam ubi Ecclesiam demonstrare conatur, à paucis annis coactam, eamque docere esse veram illam Ecclesiam, quam Christus innumeris privilegiis donavit, errasse autem omnes, qui M. D. annis hunc cœtum non agnovissent, non solum audiendus non est, sed pro insano habendus, quod recenti, & nuper nato conventui tantam antiquitatem tribuat. Ex his facilè videre est, quænam sit vera Ecclesia, quia ante annos sexaginta cum necdum ullus ex alijs cœtibus natus esset, ubicunque per orbem Christianum, potissimum vero ubi nunc novæ sectæ vigent, si quis de vera Ecclesia quæsivisset, nulla alia quam Ecclesia Romana ostensa fuisset.

Posteriori vero indicio idem ostenditur, ex dictis superius privilegijs, Ecclesiæ suæ à Christo relictis. Si enim quæras Ecclesiam hodie, quæ sit, aut fuerit aliquando per orbem universum diffusa, vel agnita, & cujus ortus constanti & non interrupta successione ad Christum & Apostolos deduci possit, nullam invenies aliam, quam Romanam. Sicut enim nos credimus, ita crediderunt majores nostri ab annis 100. ab annis 200. 300. 400. usque ad annum 1576. Neque demonstrari potest, quando primum, vel à quo sit fides nostra violata aut mutata. At vero sicut credunt novæ sectæ Lutheri, Bucceri, Calvini &c. ante 60. annos nusquam in orbe creditum est: cum omnibus constet, Martinum Lutherum anno 1517. errores istos primum excogitasse & invexisse. Atque etiam hodie, errores isti angustiis certorum locorum continentur. Lutheranismus Germania: Calvinismus Gallia & Anglia: Zvvinglianismus Helvetia. Extra Europam autem neque sunt, neque fuerunt unquam, vel denomine cogniti.

Quinto, Vitare lectionem librorum vetitorum, & Hæreticorum familiaritatem atque colloquia: *Hæreticum*, ait Apostolus Tit. 3 *post unam & secundam correptionem devita*. Quia, ut verba loquentis vim habent movendi: ita & scripta ad permovendum majore artificio sunt elaborata. Legendi potius sunt sacri Doctores, quos constat vitæ sanctitate & eruditione præcelluisse: & frequenter miscendi sermones cum doctis & pijs. Quia tamen in tanta multitudine Hæreticorum, fieri vix potest, ut non aliquando cum illis agamus, in promptu habendæ sunt rationes, quibus avitam fidem Ecclesiæ tueamur. *Parati* (inquit Apostolus 1. Pet. 3.) *semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea, quæ in vobis est spe*. Non quod necessum sit, de singulis articulis controversis, omnes esse instructos: sed quod expediat generales quasdam novisse solutiones eorum communibus argumentis. Veluti si objiciant, in sacris litteris non haberi invocandos esse sanctos, venerandas Imagines, abstinendum à carnibus, aut aliquid ejusmodi, non ergo ista esse facienda; nos contra objiciamus, & quidem efficacius, hæc sacris litteris non prohiberi atque sine peccato fieri posse, quia *ubi non est lex, ibi nec prævaricatio*, Rom. 4.

Item si dicant, nihil esse fide tenendum, nisi quod sacris litteris continetur, nos contra dicamus, si hoc admittatur, manifestè sequuturum Evangelium secundum Matthæum non esse à Spiritu sancto dictatum: quia nusquam in universa Scriptura habeatur: hoc Evangelium vel esse dictatum à Spiritu sancto, vel esse in Catalogo librorum sacræ Scripturæ. Hæc enim objectio illos eò ducet, ut fateri cogantur, aliqua esse recipienda atque credenda, quæ Scriptura sacra non contineantur: sed ea tantum rejicienda, quæ Scripturæ sacræ apertè repugnant.

Si vero ejusmodi aliqua loca Scripturæ ab ijs adferantur, quæ videantur adversari doctrinæ Ecclesiæ; si quando Catholicorum Patrum expositio non occurrit, hæc una solutio sufficiet, Scripturas illas dogmatibus Ecclesiæ non esse contrarias, quantumvis prima fronte videantur. Nam licet earum genuinam explicationem ad manus non habeamus (sunt enim Scripturæ difficiles & studio egent, quod non est omnium) ante multas tamen annorum centurias, priusquam hæresis in orbem venisset, Catholicos Doctores per universum orbem Scripturas istas sic ad mentem Christi intellexisse, ut nihil planè cum doctrina Orthodoxa Ecclesiæ, quam ijdem ipsi tuebantur, pugnaret.

Rursus si quærant, cur libeat tanto tempore in antiqua ista Ecclesia hærere, cum potius sint eligenda nova, quam vetera? Dicendum primo, non omnia vetera abjicienda esse, neque omnia nova veteribus præferenda. Aurum verus præfert tui nov: & si senex manum suam veterem amputare velit, non inveniet aliam commodiorem, etiamsi argenteam, aut auream substituat.

Dicendum secundo, quò velint nos relicta Ecclesia Romana abire? ad Lutherine, Protestantium, Calvinistarum, an ad Anabaptistarum sectam? hi enim ex æquo omnes Ecclesiam Romanam damnant, & veram scripturarum intelligentiam jactant.

Tertio quæ sit ratio, cur illi velint nos antiquam fidem deserere? quid apud ipsos præclarum sit, quod nos ad mutationem tanti momenti, unde animæ salus dependet, movere debeat? Nam si vitia spectes superiorum, scimus Christum præmonuisse Matth. 23 *Quæcunque dixerint, servate & facite, secundum opera autem eorum nolite facere*: neq; tantæ sunt Hæreticorum Ministrorum virtutes, ut ijs magnopere cedant mores Sacerdotum Catholicorum: quin potius, incorruptus arbiter, majorem vitæ integritatem atque doctrinam in Romana Ecclesia, quam in illis sectis deprehenderet.

Si Scripturarum intelligentiam consideres, ante exortas hæreses, Ecclesia, quæ Scripturas habuit, earum etiam intelligentiam habuit. Cur ergo ab Ecclesia Scripturarum libros recipiam, & eorundem intelligentiam non accipiam? Cur credam dicenti hoc esse verbum Dei, & non credam docenti, hunc esse intellectum verbi Dei? Cur credam in numero librorum, & non credam in sensu librorum? Sanè in die Judicij coram Christo severo Judice, securior erit Catholicus quovis sectario. Ponamus enim falsa esse, quæ Romana Catholica Ecclesia credit: in exacto illo Judicio, cum

Christus

Christus quæret, cur ita de me, sacramentisque meis credidisti? securè respondebit Catholicus: Primo, quia Ecclesia per universum orbem nos ita docuit, quam tu audiendam jussisti. Secundò, quia nosti a docuerunt majores nostri, qui eandem fidem à suis se majoribus accepisse, & illos rursus à majoribus suis, ad Apostolorum usque tempora, testati sunt: neque tempus scire potuimus unquam, quo fides hæc à te Apostolis tradita, & quæ ad nos usque per manus venisse dicitur, vel in minimo violata fuerit: maximè cum tu Beato Apostolo Petro diserte promiseris, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam*: Et ascensurus in cælum dixeris, Matt. 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Tertio, quia viri illi, qui fidem illam nos docuerunt, & ad finem usque vitæ retinuerunt, clarissimi fuerunt & eruditione & morum probitate, quorum sanctitatem tu ipse miraculis comprobasti. Sanè ergo, si error in nobis fuit, tu Domine nos decepisti. Eorum enim vestigia, quorum tu viam tibi placere declarasti, secuti sumus. Denique, quia nihil vidimus in doctrina fidei nostræ, Scripturis & verbis tuis repugnans. Ut enim adversarij nostri multas nobis Scripturas objecerint: ita tamen illæ omnes à Doctoribus nostris ante multas annorum centurias declaratæ fuerunt, ut planè nihil cum doctrina Catholica pugnare viderentur. Quis autem eram ego, qui fidem tam antiquam, per totum orbem diffusam, tot miraculis illustratam, tanta omnium Catholicorum consensione servatam, à tot Patribus explicatam, rejicere auderem, vel erroris arguere?

Contra ubi ex sectario interrogabit Dominus, Et quid te impulit, ut relicto ovili meo, ad luporum gregem te conferres? Quid poterit adferre, nisi, Martinus Lutherus nos decepit, Calvinus seduxit, Bucerus pervertit? At rursus Dominus, Quid (inquiet) in his Doctoribus vidisti, quod te ad fidem mutandam, & Ecclesiam tot sæculorum delerendam impellere et? fortè miracula ediderunt, vel fortè insigni sanctitate viguerunt? Arqui tibi per Apostolum meum ad Galat. 1. dictum fuit; *Si Angelus de cælo vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Si in religionis mutatione nec Angelis est fides adhibenda, quanto minus hominibus sine miraculorum testimonio, sine vitæ probitate? quales enim prædicti fuerint, novit orbis universus.

At dicet fortè Hæreticus, Vidimus in Romana Ecclesia multos errores Scripturis tuis non consentaneos. Sed Dominus iterum. Et à quo Scripturas sacras accepistis? nonne à Romana Ecclesia? illa autem totis mille quingentis annis tam socors fuisse in enarrandis Scripturis credenda est, ut tanto tempore non adverteret, se cum Scriptura pugnare? Et si illa Scripturas eo sensu exposuit, ut nihil cum avita fide pugnarent; cur tu novas, & inauditas expositiones secutus, universum orbem erroris damnasti, & non potius Ecclesiæ fidem, & explicationes secutus fuisti? Magis enim rationi consentaneum tibi esse debebat, illum esse verum Scripturarum intellectum, quem per universum orbem tot sæculis docuit illa Ecclesia, quæ tibi Scripturas tradidit; quam illum, quem post 1500. annos quivis novorum Doctorum commentus est.

Qui candido animo ista per cogitaret, quæ certo certius post mortem ventura sunt; non facilè ad errores declinaret: sed veram retineret Romanam Catholicam fidem, sine qua impossibile est placere Deo.

DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM PROCURANDA.

LIBER NONUS,

Qui est de Iudæorum ad fidem Christianam conversione procuranda.

PRÆFATIO.

Judæorum conversio difficilis.

PUs conversionis Judæorum ad fidem Christianam, valde arduum ac difficile est, quia in eorum cordibus hactenus velamen perfidiæ hæret, & ob firmatam perfidiam & obstinationem, & scelera multa ac flagitia, quibus repleti sunt, duriores cæteris infidelibus effecti sunt. Non tamen desperandum est de eorum salute: potens enim est DEVS, qui vult omnem hominem salvum fieri, & ad lucem veritatis, quæ est Christus, perducere. Idcirco assiduis precibus, jejuniis, alijsque pœnitentiæ operibus, & laboribus ad cælestе auxilium implorandum præmissis, hujusmodi opus cum omni charitate, & fervore peragendum est. Est enim DEO gratissimum, quod & his rationibus astruitur.

Judæorum conversio Deo grata.

Judæi Deo olim in delicijs.

Prima: quia apertissimis Scripturæ Sacræ constat oraculis, Judæos olim à clementissimo DEO in delicijs habitos, & universis orbis terrarum nationibus prælatos. Hoc quippe genus hominum è posteritate Abrahæ, in suum quasi peculium cooptavit, cum eo mirum quendam providentiæ modum exercuit: pro ejus amplificatione ac tutela prodigia multa patravit: legem singulari prærogativa extulit: oracula creberrima ad singulos penè dies reddidit: in terram feracissimam cæsis Regibus Chananæis induxit: in augustissimo templo, cum ea gente velut pacto fœdere, præsentissimè affuit: illustrissimis eam victorijs exornavit: missis Prophetis per tempora diversa erudivit: ac denique (quod supremum est) misso in terram unigenito, & coæterno Filio suo, qui ex ea stirpe carnem assumeret, privilegio planè mirabili, inter universos Adæ posteros insignivit. Quocirca nequit sanè dubitari, quin ea gens DEO cordi fuerit, quod plurimis argumentis Scripturæ sacræ pervincitur. Quod verò ob atrocissimum scelus in Christi nforte commissum, à Deo repudiata fuerit, communis peccantium conditio est, licet gravius illa peccarit. Neque decet profecto pios animos à Judæorum conversione alienari, quod humanæ salutis auctorem conjuratione facta interemerint. Quin potius Christianæ pietati mirificè congruit, gentis olim DEO charissimæ vicem adversam dolere, & de ejus resipiscentia sedulò agere.

Secunda: Qui DEI gloriam inprimis augere cupiunt (quales oportet nos esse) ea studiosiùs conantur, ex quibus DEI honor & laus major existit. Jam verò exploratum est, auctiorem DEi gloriam ex Judæorum, quam ex cæterorum infidelium conversione prodituram. Quis enim non videat longè glorioſius esse eos, qui Christo pertinaciter restiterunt, eique necem invidentissimè machinati sunt, mutata mente converti: quàm si alij quilibet, qui non adeo protervè peccârunt, sed vel ignorantia vel errore colorato seducti sunt, fidei Christianæ colla subdant? Profecto fortior hic divina veritas & major Christi laus, famaque se prodit.

Tertia:

Tertia *Salus ex Iudæis est*, Ethnicorumque felicitas per Judæos ortum, nec leve incrementum accepit. Constat scilicet Apostolos ex ea stirpe genitos in orbem terrarum salutem invexisse, ac propagasse. Erit ergò Christiana gratitudine dignum, Judæis vicem rependere, ut quemadmodum selecti aliquot viri ejus generis, Ethnicis in culpæ morte jacentibus salutem nuntiarunt, ita è populo Christiano è Gentilibus coagmentato selecti multi, ad Judæos gravi lethargo sopitos, & excæcatos destinentur, ut candidissimam divinæ fidei lucem aspiciant. *Joan. 4.*

Quarta: Plurima sunt vaticinia sacra, quibus Judæorum conversio promittitur: & omnino patet eam conversionem per Christi ministros senescente mundo optatum finem sortituram. Ita docet Augustinus *libro 2. de Civitate Dei, c. 29. Per ELIAM*, inquit, *magnum mirabilemque Prophetam, exposita sibi lege, ultimo tempore ante judicium, Judæos in Christum Dominum nostrum esse creditu ros, celeberrimum est in sermonibus, cordibusque Fidelium. Ipse quippe ante adventum judicis Salvatoris, non immerito venturus creditur. Cum venerit ergo, exponendo legem spiritualiter, quam nunc Iudæi carnaliter sapiunt, ad Christum verum eos convertet.* Nec modò quod diximus de ELIA, & propitum est à patribus, id sola ex traditione fidem capit: sed etiam ex ipsa Scriptura; Nam Malachias extremis verbis suæ prophetiæ hoc ipsum vaticinatus est de ELIA: facit enim Deum hæc loquentem: *Ecce ego mittam vobis ELIAM Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne fortè veniam & percutiam terram anathemate.* Loqui Malachiam propriè & secundum literalem sensum, de ELIA Propheta, & non de Joanne Baptista indicant verba illa Malachiæ: *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*: quo haud dubiè significatur secundus Domini adventus, qui futurus est magnus & horribilis, cujusque testis & præco futurus est *Elias*. Confirmat hoc auctor libri Ecclesiastici in *Cap. quadragesimo octavo*: ubi laudans *Eliam* Prophetam, & de ipso commemorans prædicta verba Malachiæ, sic ait: *Qui scriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Jacob.* Quis igitur convertet aversos, nisi qui Divinæ veritatis conscius est? Aut quo modo implebuntur Scripturæ, per quas nobis DEI voluntas innotuit; nisi qui eas callent (Christiani videlicet) & syncerè interpretantur, earum veritati famulentur? Etenim parum se fidum DEI ministrum exhiberet, qui attentè perpendens promissa DEI à Prophetis prædicta non eniteretur ea, quoad posset, explere. Nam si certissimum est, Judæos sub finem mundi ad Christum convertendos, eique cultum insignem allaturos, ut oracula sacra Patresque fatentur; quid ergo cogitant Ministri Christi, aut quomodo non cogitant senescente jam mundo adesse tempus Judæos evocandi, ac reducendi ad mitissimum Regem suum? Porro ante annos mille quingentos Apostolis ipsis videbatur hora novissima adventare, ut præteream posteriores Patres, qui novissimam tubam præsentire sibi videbantur. Quomodo ergo nunc mundo ad interitum evidentius festinante Ecclesiæ Prælati non properant divinis prædictionibus inservire? Judæorum conversio vaticinijs promissa *S. August.*

Quinta, ab opportunitate: sanè, tametsi neque antiquissimæ Prophetiæ, neque mundi exitus instaret, ipsa per se Judæorum conditio, præsensque afflictæ gentis calamitas, veros Christi servos perurgere deberet ad opus maturandum. Eo quippe infamiæ & vexationis Hebræi severo DEI judicio devoluti sunt, ut (si accederet mediocris Principum Christianorum diligentia) facile Christo nomen daturi credantur. Neque omnes ji adeo vecordes sunt, ut non animadvertant, gentem per tot sæcula post Christi mortem, à Deo derelictam, & ab universis hominibus ludibrio habitam, multum in Christi morte peccasse, jureque aliquid suspectum in ea fide quam colunt reperiri posse. Qua certè in causa à Christianis Doctoribus convinci possent, calamitateque propria eruditi, & rationibus permoti resipiscerent.

Sed ab exemplo: princeps Apostolorum ijs, qui erant ex circumcisione, uti genti DEO charissimæ, prædicator, & rector designatus fuit: ut pateat rem pretiosissimam fidelissimo Apostolo creditam, & magni à DEO factam. Ex quo efficitur, eos, qui Petri legatione funguntur, & pro eo præsunt, in hoc ipsum debere opus incumbere. Imo si rem ipsam attentè perpendamus, JESVS Christus Redemptor noster, non modo è stirpe Judæ ortus est, (quod abundè sufficeret, ut animiverè pij gentem hanc Christo reconciliare niterentur) verum & ipse per se ipsum in opus conversionis Judæorum incubuit, ut minister circumcisionis, quod planè mirum est: satisque convincit opus hoc, quod persuadere conamur, voluntati Christi congruere, & opus verè Christianum appellari debere. Etenim omninò planum videtur sacrificium hoc æterno Patri acceptissimum fore. Si enim naturalem unigenitumque Filium in hoc opus legavit, ecquis non fateatur, adoptivos filios rem illi pergratam facturos, si exemplaris sui vestigijs insistant?

His

His rationibus Apostolici viri erecti, atque studio divini nominis incensi, torporem excutiant: & intima commiseratione gentis excæcatæ ac derelictæ commoveantur, ut reliquiæ Israël salvæ fiant. Quare merito plures sancti Patres, ac summi Romani Pontifices ad hoc opus diligenter obeundum, Præsules Ecclesiarum sæpè admonuerunt & excitarunt: multisque alijs modis conati sunt eos ad viam veritatis reducere, ut constat ex Bulla *Nicolai* PP. III. incipiente *Vineam seret*: quæ habetur in Bullario *Tom. I.* & *Clementis V.* in Concilio Viennensi, eo fine instituit scholas & lectiones trium linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ, ut plenius habetur in *Clement. prima* de Magistris. Quæ constitutio postea fuit renovata in Concilio Basileensi *Sess.* 19. cupientes illius Concilij Patres, ut Judæi omnes Evangelicam veritatem agnoscerent, & in ea postquam cognovissent fideliter perseverarent. Ac denique *Gregorius* XIII. ut Judæorum saluti oportunius provideretur, specialem & salutarem edidit Constitutionem (quæ incipit *Sacra Mater Ecclesia*,) de prædicatione verbi Dei facienda Judæis semel in hebdomada. Quare Episcopi & Prælati nihil prætermittere debent, quò eos ad fidem perducant, ut aliqui saltem ex eis salvi fiant; ostendendo eis ex veteris legis, & Prophetarum libris Salvatorem nostrum JESUM Christum: ut in Actis Apostolicis B. Paulum & alios Apostolos sæpe fecisse legimus.

Ordo servandus.

PRo Judæorum conversione tria curabimus. Primò recensitis Judæorum erroribus, ostendemus Christum Dominum Messiam fuisse in lege promissum, neque alium expectandum esse. Secundò, de modo juvandi Judæos, & ratione agendi cum illis, ut ad fidem Catholicam perducantur. Tertiò, de communicatione cum judæis, in quibus casibus sit prohibita, & quæ illis agentibus inter Christianos prohibeantur, dicemus.

LIBER IX.

PARS PRIMA.

De erroribus præcipuis Iudæorum, & eorum confutatione.

Judæorum errores.

IVdæorum hæreses sive errores præcipui omnibus manifesti sunt: ad hos vero potissimum reducuntur: Primo, Christum dicunt purum fuisse hominem, falsum Prophetam, seductorem: quare alium Messiam in lege promissum expectant. Præterea novum testamentum prorsus respuunt. Ac denique articulos fidei nisi creationis non credunt. Habent etiam errores alios quam plurimos apud Thalmud. de quibus infra dicemus.

Scriptores adversus eosdem veteres ac recentes. *S. Justinus Mart. S. Cyprianus Euseb. Cæsa. S. Ambr. S. August. S. Hieron. S. Greg. Nyss. Joan. Chrysost. S. Cyril. S. Leo P. Isid. Hisp.*

Adversus Judæorum errores ex antiquis Patribus scripserunt, Sanctus Justinus Martyr in *dialogo cum Triphone Iudæo*, de veritate Christianæ Religionis: S. Cyprianus Episcopus & Martyr. *lib. 1. & 2. contra Iudæos ad Quirinum*, & in Tractatu sibi ascripto de *montibus Sina & Sion adversus Iudæos*: Eusebius Cæsarienſis *lib. 1. & reliquis sequentibus de Demonstratione Evangelica*, cujus etiam libri de Præparatione Evangelica conferunt in permultis capitibus: S. Ambrosius in *libris de vocatione gentium*: S. Augustinus, cùm *Oratione de 5. hæresibus adversus Paganos, Iudæos, Manicheos, Arianos, & Sabellianos*, tum *Orat.* seu *concione ad catechumenos contra Iudæos, Paganos, & Arianos*, Item alia *Orat. adversus Iudæos*: S. Hieronymus in *varijs Commentarijs veteris ac novi Testamenti*, & compluribus opusculis atque Epistolis: S. Gregorius Nyssenus *libro de Trinitate adversus Iudæos*; & libro ei ascripto *de cognitione Dei*: Chrysost. in *Homilia 44. in Matth. c. 12. Cum spiritus immundus*, in *Homilia* seu *sermone de Evangelio Nuptiæ factæ sunt*, contra Judæos, Gentiles, & Hæreticos, & in V. *Orationibus contra Iudæos*: S. Cyrillus Alexandrinus *libro adversus Iudæos*, & in *libris contra Iulianum Apostatam*: S. Leo Papa *Sermone 11. de Nativitate Domini*, ubi contra Judæos expectantes Messiam hominem: Sanctus Isidorus Hispalensis *lib. 1. contra Iudæos*, & *lib. 2. de vocatione gentium* ad sanctam sororem suam Florentiam, & alij ex veteribus, quos prolixum esset enumerare.

Ex

Ex recentioribus verò Petrus Damianus *contra Iudæos*: Petrus Alphonsus ex Iudæo Christianus, baptizatus anno 1106. *libello* seu *dialogo contra Iudæos & Saracenos*. Sabba Samuel, oriundus ex civitate Marochi, in vulgatissima & tritissima Epistola ad Rabbi Isaac, quæ hodie circumfertur, tam Latinâ, quàm vulgari Italicâ & Hispanicâ linguâ, legiturque *Tom. 4. Biblioth. Patrum*, & post Scrutinium scripturale Burgensis: Nicolaus de Lira, præcipuè *libello contra Iudaicam perfidiam*, qui habetur in *fin. Glossæ ordin.* Paulus Burgensis in *Scrutinio Scripturarum*: Raymundus in *suo Pugione*: Petrus Cavalleria libro dicto, *Zelus Christi contra Iudæos*: Nicolaus Porchetus: Guilielmus Tutanus in *Fortalitio Fidei*: P. Suarez *principio primi Tom. in tertiam partem D. Thomæ*, & alii quamplures authores apud Possevinum *lib. 9. Bibliothecæ*: plenius tamen apud Cardinalem de S. Severina in *suo Rituali*, Tractatu *de Infidelium conversione procuranda*.

Pet. Damianus. Pet Alphonsus Rabbi Samuel. Nic. de Lira. Paulus Burgensis. Raymundus. Pet. Cavalleria. Nic. Porchetus Guil Tutanus. Suarez &c.

De Messia adversus Iudæos Disputatio.

TRia nobis in hac Disputatione solita brevitate demonstranda sunt. Primum omnium est, Messiam Iudæis toties promissum jam pridem venisse: Secundum, Messiam in lege promissum fuisse Christum IESVM à Iudæis crucifixum, eum qui hodie à Christianis summâ veneratione colitur. Tertium demum est, Messiam verum, non esse purum hominem, sed hominem Deum, quod Hebræi pertinacissimè negant. Disputationem vero in octo capita dividemus, ut tota res planiùs liquidiusque constare possit.

CAPVT I.

Messiam jam venisse, celebri Geneseos Cap. 49. testimonio comprobatur.

MEssiæ nomine nos cum Hebræis hominem quendam intelligimus, ex gente Judæorum trahentem originem, à Deo & Prophetis prædictum, & promissum in regem & Salvatorem hominum. Hunc igitur Messiam jam venisse probamus primò, illustrissimo illo Geneseos *cap. 49.* testimonio, *Non auferetur sceptrum de Juda, nec dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Ex quibus sacræ Scripturæ verbis hæc conficitur ratio: Non deficiet Principatus in Juda, donec veniat Messias; ergo cùm jam defecerit, necesse est jam venisse Messiam. Cujus rationis vim, ut effugerent Hebræi, varias ejus prophetiæ, unde illa evidentissimè deducitur, interpretationes confinxerunt, quibus apertam, rectamque ejus sententiam perverterent atque adulterarent.

Gen. 49.

Vid. *cap. 2. Tomi 5. Bibliothecæ Theolog sect. 7.*

Quidam ergo ex Hebræis ajunt vocem Hebræam שבט *Scheueth*, quam noster interpres vertit *sceptrum* sive *virgam*, non denotare hoc loco virgam regni, sed tribulationis; ut sit sensus, Judæos à tyrannide non esse liberandos, donec veniat Messias. Sed hæc expositio primo reddit falsum Jacobi vaticinium: apertissimum enim mendacium est, nunquam ex illo tempore, quo edita est Prophetia, recessisse à tribu Juda tribulationem usque ad Messiæ adventum: siquidem ex *lib. Regum* quisque non omnino stultus colligere potest, quàm florens, quamque illustris, atque regalis Principatus in Juda fuerit à Davide usque ad Sedeciam. Secundò non congruit sequentibus vaticinij verbis, illis videlicet, *Nec dux de femore ejus, &c.* quæ de tribulatione, aut tyrannica oppressione nullatenus intelligi possunt.

Exponunt alij prophetiæ hujus sensum in hunc modum: *Non deficiet sceptrum donec veniat*, hoc est, (inquit) Non deficiet postquàm venerit. Sed quis non videt apertam corruptionem sensus? Quis enim unquam sanæ mentis *donec veniat*, mutet in *postquam venerit*?

Secunda Expositio.

Rabbi igitur Salomon, quem citat Pererius *Disp. contra Judæos super cap. 49. Gen.* prædictis Judæis doctior, ut vim nostræ rationis enervet, negat defecisse in tribu Juda sceptrum & imperium. Interroganti autem, ubi terrarum sceptrum habeat tribus Juda? Respondet, seu (aptiùs dixerim) fingit in eis regionibus, quæ sunt circa Mediam, Assyriam, Babylonem, & Caucasum montem: sed hoc impudentissimum mendacium est, & præterea non facit ad rem. Nam Patriarcha sanctus de Principatu loquebatur, quem Tribus Juda habitura erat in terra promissionis. Quod persuadent, quæ subjungit de fertilitate tertæ, quæ sorte obvenit tribui Juda, in divisione terræ promissionis.

3. Expositio.

Quarta interpretatio eorum est, qui ajunt verbum illud שילה *Shilob*, pro quo Latinus interpres posuit, *Qui mittendus est*, signare urbem Silo, & sensum prophetiæ esse hunc, *Non auferetur etiam, donec veniat Shiloh*, id est, *donec in Silo ungatur in Regem Saul*; vel certè *donec ibidem assumatur in regnum Hieroboam.* Sed isti ad libitum, & sine ratione loquuntur, & falsam reddunt Prophetiam, dum interpretantur: falsum enim est, Saulem, qui creatus est in Masphat, 1. *Reg.* 7. & Hieroboam, qui in Sichem 3. *Reg.* 6. 10. assumptos esse in regnum in Silo. Denique nemini eorum consonant sequentia Prophetiæ verba: ut omittam non fuisse initio regni Saulis translatum imperium à domo Juda, qui ante Saulem illud non obtinebat, neque post Saulem à domo Juda defecisse, cum potius tunc Imperium in ea tribu fundatum sit per Davidem, qui erat ex ea tribu.

4. Expositio.

Sed

5. Expositio. Sed audiamus Julianum Apostatam, qui vaticinium hoc non de Messia, sed cum alijs Hebræis de Nabuchodonosor Chaldæorum Rege interpretatur. Verum quàm inepta sit expositio, verba illa demonstrant, *Et ipse erit expectatio Gentium*: quæ profecto Nabuchodonosor non conveniunt, quem summo acerbissimoque odio Gentes prosequebantur, non diligebant; timebant, non expectabant.

6. Expositio. Alij demum vaticinium hoc sub conditione quadam intelligendum esse existimant, sub hac videlicet, si Juda legem Dei servaverit. Sensus proinde erit: Non deficiet principatus, donec veniat Messias, si tamen populus meus legem servaverit veri Dei. Sed isti & temerè loquuntur, & sibi fingunt, quæ sibi placent. Vaticinium enim Jacob nullam conditionem habet, neque quod ea subintelligi debeat, uspiam in sacris litteris significatur: & si semel hæc interpretandi licentia concedatur, nihil in Scriptura firmum aut syncerum reperiri poterit. Accedit, quod dum vaticinium isti conantur exponere, Vaticinantis, & Dei præsertim finem tollunt, qui ea Prophetia volebat adventus Messiæ tempus certò posse cognosci. At si sub arbitraria illa conditione intelligitur, tempus ex ea nunquam dignosci poterit.

Maneat ergò vaticinium hoc de Messia absolutè intelligendum esse, & nomine *Shiloh* Messiam denotari, ut Rabbini Christo antiquiores docebant, ut Galatinus refert *lib. 4. c. 4.* & Chaldaica paraphrasis, quæ apud eos magnæ existit auctoritatis expresè posuit: *Donec veniat Messias*: cui omnia, & quæ antecedunt, quæque subsequuntur optimè conveniunt. Imò neque alteri accommodari ullo modo possunt, ut benè exponit Irenæus *lib. 4. c. 33.* & Cyprianus *Epistola 63.* aliàs *lib. 2. Epistola 3.* Justinus Martyr. *Dialog. cont. Tryphon*, & auctor Quæstionum ad Antiochum, quæ feruntur nomine Athanasij *quæst. 105.*

Galatinus

Irenæus. *Cyprian.* *JustMart*

Sed cur dices, Messias nomine *Shiloh* significatus est? Vulgatus interpres nomen שילה *Shiloh* à verbo שלח *Salah*, quod *mitto* significat, deduxit, quo quidem *missum* seu *mittendum* significat: quod nomen in Scriptura accommodatur *Messiæ*, quasi per antonomasiam, ut quemadmodum ille singulariter promissus est, ita nomine *Venturi* singulariter significetur. Sed obstat, quod alijs litteris scribitur verbum *Shiloh*, quando missum significat, quam in hoc loco *Gen.* habeatur, ut de nomine *Shiloh* videre est *Esaiæ cap. 8.* Sed id fortassis effecit, quia eisdem litteris scriptum invenit, sed si scribatur eo modo, quo nunc habetur in Hebræo, abundantiam pacis significat, & ita *Shiloh* idem erit quod pacificus, quod de Messia prædictum est, *Zachariæ 9.* Restat nunc ad nostræ fidei majorem confirmationem, ut exponamus, quomodo signum illud tempore Christi Domini fuerit exhibitum, quod *Cap. seq.* præstabimus.

Ex Suarex.

CAPVT II.

Exponitur quemadmodum veritas hujus prophetiæ, cum ipso eventu, ejusque successu consentiat.

EX pluribus prædicti vaticinij expositionibus, quibus DD. Catholici docere studeant, quonam pacto Prophetiæ hujus veritatis eventus, & res ipsa planè respondeat: nos tres tantum, quæ probabiliores nobis visæ sunt, in medium adducemus, ut prudens lector eligat, quam maluerit. Alias expositiones placuit supprimere, tum quia brevitati studemus, tum ne quando cum Judæis suscepimus disputationem, cum Catholicis certare videamur. Conducet autem illud, in quo totius difficultatis cardo vertitur, capitis hujus initio demonstrare, ut solutio deinde facilius percipiatur. Summa igitur difficultatis hujus in eo versatur, quòd videatur multò ante adventum Christi defecisse sceptrum à domo Juda, tempore videlicet Sedeciæ, & ultimæ Babylonicæ captivitatis: quam devolvere oportet, non quidem propter Judæos, contra quos ea Prophetia de Messia expolita tantundem facit, ac si ante adventum Christi sceptrum à tribu Juda defecerit, (tunc enim quoque benè argueretur, ergo Messias advenit, quod negant,) sed ad nostræ fidei, ut *Cap. superiori* diximus, confirmationem.

Hanc ergo difficultatem ut solvant quidam, supponunt primo nomine *Juda* intelligendam esse specialem tribum à reliquis distinctam; sed ex ea præcipuæ & paucis ex tribu Beniamin totam Judæorum gentem constitisse, à tempore Salmanasar Regis Assyriorum, à quo regnum Israel, quod decem tribubus constabat, ita vastatum fuit, ut ejus nulla deinceps mentio habeatur, constat 4. *Reg.* 7. Unde fit, solum regnum Judæ permansisse usque ad Christum, quod quidem solam ferè gentem, ex tribu Juda complectebatur: dicitur enim 3. *Reg.* 12. solam tribum Judam secutam esse domum David, quia quamvis tribus Beniamin secuta fuerit Roboam, tamen vel non fuit integra sicut tribus Juda, vel non habetur ratio ejus, propter dignitatem & excellentiam tribus Judæ: unde 4. *Reg.* dicitur: *Iratusque est Dominus Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Juda tantummodo.* 4. Reg. 7. 3. Reg. 12.

Supponunt secundò, nomine *Sceptri* vel *Ducis*, aut non esse intelligendam dignitatem, & potestatem Regalem propriè; vel certè non solum illam, sed quamcunque primariam & principalem potestatem regendi, & judicandi populum: ita tamen, ut si utraque significari dicatur, altera nomine sceptri, altera nomine Ducis, non sit necesse intelligere Tribum Judam fuisse habituram utramque usque ad adventum Missiæ, nec utraque simul fuisse carituram, atque adeo alteram saltem habituram fuisse donec veniat, &c.

Quibus suppositis, non est difficile intelligere, quomodo verum sit dignitatem hanc fuisse aliquando in tribu Juda, & in ea perseverasse usque ad Herodem; cum, quia licet hæc potestas ad sacerdotes, & proinde ad tribum Levi derivata sit; hoc tamen factum est, quatenus tribus Levitica per matrimoniorum conjunctionem una cum tribu Judæ effecta est, & ab illa particeps regalis splendoris facta est; tum etiam quia Concilium illud ab Hebræis *Sanhedrin* nuncupatum, & ab Herode dissolutum, penes quod erat judicandi potestas, ex tribu Judæ majori ferè ex parte constabat, quod evidens est de posteriori tempore, quando, ut diximus sola ferè Judæ posteritate totus Hebræorum populus constabat. Si vero inquiras, quonam fundamento *Sanhedrin* hoc supponatur. Resp. Præter graves Auctores, qui de illo loquuntur, non leves extare in Scriptura conjecturas: siquidem Moyses 70 senes elegisse dicitur. De quibus non ineptè intelligi potest illud Deut. 17. *Si difficile, aut ambiguum apud te judicium esse perspexeris*

Deut. 17.

1. Par. 26 ris, ascende ad locum, quem elegit Dominus, &c. & 1. Paralip. 26. *In qua parte domus erat seniorum consilium.* Hoc verò *Sanhedrin* non fuit ablatum tempore captivitatis, ut sumi potest ex *Daniel* 13. ubi

Dan. 13. senes populi judicarunt Susannam, ubi Glos. & Liranus advertunt eos fuisse de tribu Juda.

Secunda Prophetiæ expositio

Secunda expositio est aliorum, qui malunt vaticinium hoc interpretari in universum de ipsa gente Judaica, de tribu autem Juda secundum quandam applicationem, sive (ut Theologi loquuntur) per appropriationem, ut hic sit prophetiæ hujus sensus: futurum semper in gente Judaica principatum donec, &c. Cui expositioni non obstat aliqua brevis interruptio, quæ tempore captivitatum in Babylone, sive Persidè contigit. Qui principatus defecit tempore Herodis, qui fuit alienigena, & proinde tempore Christi Domini, hoc est, Messiæ. Tuetur hanc sententiam Benedict. Perer. *Comm in Genesim* c 4. q. pro qua adducit Justinum in *Dialogo cum Tryphone Judæo.* Eusebium *lib. 7. hist. Ecclesiastica c. 6.* Athanasium *lib. de Incarnatione Verbi*, Ambrosium in *lib. de benedictionibus Patriarcharum c. 4.* Chrys. *Hom. 67 in Gen.* exponentem hanc prophetiam, Augustinum *lib. 18. de Civit. Dei c 45.* Theodoret. *quæst. ultima in Genesim*, Rupertum *lib. 9. Commentar. in Gen. c. 9. & lib. 3. de victoria verbi c. 9.* quos omnes partes prædictus Auctor in suam sententiam trahit, neque extorquere videtur.

Hanc expositionem tuetur Perer. secutus *Justinum Euseb, Athanas. Ambros. Chrysost. Augustinum Rupertum. &c.*

Objicienti autem Jacobum Patriarcham, cùm vaticinium illud proferebat, allocutum fuisse Judam, & ejus tribum, non totam Hebræorum gentem Resp. Jacobum voluisse tunc pronunciare rem ad totum populum spectantem, cùm de tribu Juda loquebatur, tribus de causis. Primò, quia prænoverat principatum Judaicum futurum penes tribum Juda, & longissimo tempore & florentissimum: nobilissimæ igitur partis nomine non incongruè totum populum nuncupavit. Secundò, quia item præviderat futurum, ut universus populus ad tribum Juda redigeretur, & ab ea nomen acciperet, quod contigit teste Josepho *lib. 11. Antiq.* post reditum ex captivitate Babylonica, qui sceptrum & principatum tenuerunt, fuerunt ex tribu Levi. Ipse tamen principatus fuit ex tribu, & in tribu Juda, namque ipsa regio, & ditio ejus regni, & subditi, & sedes regni, & civitas regia erant tribus Juda; quapropter appellabantur Reges, & regnum Juda, non autem Levi. Hoc autem regnum licet Herodes quoque habuerit, quia tamen & fuit alienigena, & quia illud non habuit legitimè, ideò rectè dicitur regnante Herode defecisse sceptrum à domo Juda, quo tempore advenit Messias.

Josephus.

In hac tertia causa nuper explicata traditur fundamentum tertiæ expositionis prædictæ Prophetiæ, quæ certè æquè probabilis est ac superiores, & fortasse non deerunt, quibus magis placeat hæc tertia expositio (de qua mox sumus dicturi) quam reliquæ.

Tertia prophetiæ expositio.

Dicunt ergò alij, estque in ordine tertia sententia, totam hanc Prophetiam intelligendam esse propriè de tribu Juda, à qua sceptrum & principatum non defecisse docent usque ad adventum Messiæ (omisso captivitatum tempore, ut suprà dictum est) quia licet senescente jam Judæorum regno, & ad occasum festinante, qui regnum tenerent essent Sacerdotes ex tribu Levi, non proinde tamen sceptrum à domo Juda defecit: sicut quamvis corona Polonica in Henricum Valesium aliquando translata fuerit, non proinde cecidit Polonorum regnum: & quamvis corona Hispanica nunc decorentur Austriaci, non idcirco defecisse rectè diceretur corona, vel sceptrum Hispanicum. Ad eundem igitur modum de sceptro ac principatu Hebræi populi, ac de tribu Juda cogitare, & sentire convenit. Hæc verò dixisse sufficiat ad exponendum quanam ratione veritas hujus Prophetiæ cum ipso eventu, rerumque successu congruat atque consentiat. Nunc ad rationes, quibus Messiam jam venisse demonstretur contra Judæos, revertamur.

CAPVT III.

Idem Danielis illustri testimonio comprobatur, & vaticinium exponitur.

SEcundum Scripturæ sacræ testimonium, quo magis est vulgare & tritum eo est magis efficax ad Judæorum sententiam, vel (melius dixerim) errorem convincendum. Illud verò exc. 9. *Danielis* desumitur, ex quo deduci non poterit firmum argumentum, nisi prius explicetur. Ne autem necesse sit bis sacræ Scripturæ litteram longiusculam repetere, primis statim verbis, & sequentibus successivè sub exemus expositionem. Vid. Cap. 3. sect. 7. Tomi 5. Biblior. Theolog nost. Dominici à SS. Trinitate.

Ductus à Dario Assueri Astyagis filio captivus in Babylonem Daniel, anno 1. Darij, post eversam Babylonem, & occisum Balthasarem, dum attente Jeremiæ vaticinium de captivitate illa perlegeret, DEUM obnixè cœpit exorare pro liberatione populi Hebræi, & reditu in patriam, simulque fortassis, ut qui vir desideriorum esset, spiritualem liberationem per Messiam futuram cupiens; DEUS, qui dives est in misericordia, cujus liberalitatem maximè decet plus homini concedere, quàm ipse postulet, misit ad eum Angelum Gabrielem, qui post pauca ita illum allocutus est:

Septuaginta hebdomades abbreviata sunt. Quasi expressius diceret: Diuturna vestra, ô Daniel, atque longissima Messiæ expectatio, ad breve septuaginta hebdomadarum spatium, DEO miserante, reducenda est. Perbreve siquidem fuit tempus hoc 490. annorum, cum superiori comparatum. Et profectò propriissimè verbo illo (*abbreviata sunt*) usus est Angelus, siquidem in familiari sermone, quando tempus ad aliquam actionem præscriptum finitur, jam jam dicere solemus dies abbreviari. Dixi tempus septuaginta hebdomadarum 490. annis constare, quia certum est eas hebdomadas non posse esse dierum, sed annorum septem singulas, non plurium, septem quidem simplicium annorum numerus *Levi.* 25. & *Gen.* 29. hebdomada nuncupatur; plurium autem, licet quidam Hebræi fingant, id tamen & temerè faciunt, sine ullo videlicet Scripturæ sacræ fundamento, prorsus ineptè. Si quis enim pro suo arbitrio hebdomadas septuaginta annorum fingat, cui non licebit easdem 700. annorum, vel 7000. vel etiam 70000. componere, ne convinci possit hebdomadas adhuc esse completas? Et certè ex verbis Angeli, infrà exponendis, omnino constat tempus illarum hebdomadarum jam esse transactum, ut annotabimus suo loco. Certum sit igitur has hebdomadas septem simplicibus constare annis æqualibus, & ejusdem rationis, & continua quadam successione fluentibus; sine fundamento enim distingerentur, & non posset certum ex illis adventus Messiæ tempus deduci, quod tamen voluit hoc vaticinio Angelus indicare, qui subjungit,

Levit. 25. *Gen.* 29.

super populum tuum, hoc est Hebræorum: *& super urbem sanctam tuam*, id est, Hierosolymam. *Ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum.* Id est, ut deleatur peccatum, meritis passionis Christi. Non ut Rabbi Salomon interpretatur, ut desistant à prævaricationibus suis Hebræi, tempore excidij Hierosolymitani, quia ita exposita prophetia esset falsa, quia non destiterunt tunc à peccatis Hebræi, imo, ut verè Liranus ait, sunt augores & prævaricatores, & multis alijs peccatis irretiti.

Ex Lirano

Et adducatur Justitia sempiterna: Et adducatur Christus, quia ipse nostra est justitia, ac sanctificatio, quæ in via inchoatur, & in patria perficitur. *Et impleatur visio & prophetia*, Hoc est, omnia quæ de Christo à Prophetis sunt prædicta, quæ luce clarius in Christo completa sunt, ut in secunda Disputationis parte latiùs prosequemur.

Et ungatur Sanctus Sanctorum. Hebræi legunt *Sanctum Sanctorum*, hoc est, templum, arca testamenti, & vasa sanctuarij per Messiam recuperanda, contra Jerem. 3. *in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque fiet ultra, &c.* Sensus ergo est, Et, *Christus verè Sanctus Sanctorum, propter excellentem sanctitatem ungatur*, De Christo enim dicitur, *Unctus oleo lætitiæ præ participibus suis.* Notandum vero hoc est elogium, quo Angelus eum, de quo loquitur, *Sanctum sanctorum* appellat, quod certè Christo optimè convenit, alteri cuilibet nullatenus. Is enim Sanctus Sanctorum tantum dici potest, qui Sanctos omnes longè superet, fonsque sit totius sanctitatis. Notandum id, inquam, maximè, ut videas, quàm perspicuè Angelus de Messia loquatur.

Jerem. 3.

Scito ergo, & anima adverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Hierusalem. Hebræi legunt, *de exitu sermonis*, ne cogantur verba hæc, de hebdomadarum initio interpretari: sed pervertunt manifestè litteram, in qua *ab*, non *de* habetur; significat autem à tempore, quo proferetur edictum, seu facultas concederur reædificandi Hierusalem, quod promulgatum est ab Artaxerxe 20. anno regni sui, vel certè juxta expositionem Liran: Burg. & Galatini, à tempore, quo à Deo exivit sermo ad Jerem. de reædificanda Hierosolyma ab anno videlicet 4. Sedeciæ.

Usque ad Christum ducem. Exponunt Hebræi usque Cyrum, qui dictus est Christus, *Isai c.* 45. Sed errant; nam de eodem Christo dicitur paulò infrà, occidendum esse in Hierusalem, quod Cyro convenire non potest. Recta ergo expositio, *Usque ad Christum ducem*, id est, usque ad tempus, quo Messias incipiet hominibus manifestari, prædicare, docere, seu usque ad illud tempus, quo incipiet Christus publica miracula edere.

Rabbi Salomon. Isa. 45.

Hebdomades septem & sexaginta duæ erunt: hoc est sexaginta novem.

Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Quasi expressius diceret, in primis septem hebdomadibus reædificabuntur muri Hierosolymæ.

Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus. Post videlicet hebdomadas sexaginta duas, septem prioribus, in quibus Hierusalem renovanda est, suppositis, occidetur Christus ille, de quo suprà locutus est, Messias. Hucusque visum est explicare hujus vaticinij litteram subobscuram propter Hebræorum expositiones, quas rejecimus: quasque fusiùs rejicit Liranus sup. illud *c.* 9. *Danielis*, & novissimè Pererius. Ex ea nunc nobis liceat rationem conficere: Daniel prædixit post 490. annos adventurum Messiam, sed hoc tempus jam elapsum est; undecumque Auctores illud exordiantur, aut quocunque modo illud concludant; ergo stultum est Messiam adhuc expectare. Major constat ex supradictis inter exponendum Prophetiam, ubi diximus in ea sermonem esse de Messia, & septuagintas hebdomadas 490. annis constare. Minor quoque est evidens, ergò, &c. Diximus verò undecumque authores hebdomadas exordiantur, aut quocunque modo easdem concludant, quia extant de hac variæ multiplicesque sententiæ, variæ quoque temporum Chronologiæ, ut in tanta sententiarum varietate, & humanarum historiarum incertitudine, difficile admodum sit, annorum seriem aliquam adducere, quæ lectoris diligentis animum omnino sedare possit, quàm ideirco prætermittimus, & studiosum ad Liranum, & ex recentioribus ad Pererium in *c.* 9. *Danielis*, & ad Suarez. 1. *Tom. sup.* 3. *p. d.* 1. *sect.* 2. Legantur etiam Joan. Driedo *lib. de Scripturis & dogmatibus Ecclesiasticis*: & ex veteribus Eusebius *lib.* 8. *de Demonstrat. Evang. c.* 3. Tertull. etiam, qui *lib. contra Judæos* enumerat hebdomadas, quem Hieronymus in Danielem sequitur. Prosper verò *de præditionibus divinis p.* 2. *c.* 35. refert Hieronymum ac valde laudat. Nobis, ut diximus, satis esse debet hebdomadas septuaginta undecumque numerentur, jam effluxisse, atque adeò Messiam jam venisse.

CAPVT IV.

Alio ejusdem Danielis loco, eadem veritas demonstratur, & de Iudæorum calamitatibus disseritur.

TErtium igitur testimonium est apud eundem Danielem post verba *capite præcedenti* allata: ex quo apertius colligitur eum loqui de Christo: nam postquam dixerat, *post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*, addit: *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & usque ad consummationem & finem durabit desolatio.* Ex hoc loco propterea licet argumentari ad nostrum institutum: quia omnino vastatio Hierusalem per Vespasianum, & calamitas ista Judæorum, quam cernimus, est illa ipsa, quæ secundum hanc prophetiam est duratura usque ad mundi finem; atque adeo consequens est, ut fateamur jam Messiam advenisse, fuisseque ante istam Judæorum cladem occisum. Quod manifestissimè apparebit demonstrando differentiam hujus calamitatis, quæ à Vespasiano illata, usque in hanc diem perpetuo premit Judæos, atque aliarum calamitatum priorum, quas Judæi ante Salvatoris nostri adventum perpessi sunt. Hinc enim apparebit, non, sicut priores calamitates, certum quendam exitum, & terminum habuerunt, ita quoque hanc esse aliquando finiendam.

De Judæorum calamitatibus.

Pererius fol. 621. *usque ad fol.* 628.

Si quis igitur hujusmodi calamitatum differentias conquirat, nimirum quinque reperiet. Principio antiquiorum calamitatum, quæ acciderunt Judæis ante Domini nostri ortum, tres fuerunt hanc ulomnium gravissimæ, & super alias memorabiles. timam Prima fuit Ægyptiaca: secunda Babylonica: tertia, Judæoquam sub Rege Antiocho Epiphane, tempore rum ca- Machabæorum Judæi tulerunt. Inter quas & præ- lamitasentem Judæorum calamitatem, quinque, ut dixi, tem, quæ

Quinque differentiæ inter

notari post Do-

minùs notari possunt discrimina. Nam primas illas DEUS & venturas prædixit, & quanto tempore duraturæ erant præsignificavit: siquidem, ut est in *lib. Gen. in cap. 15.* prædixit DEUS Abrahæ, posteros ejus peregrinaturos in Ægypto, servituroſque annis quadringentis: his autem exactis, excussoque servitutis jugo, terram Chanaan possessuros. Babylonicam captivitatem prænuntiavit DEUS per Hieremiam, ut ab eo scriptum est *cap. 25.* & 29. tempus quoque ejus captivitatis, annorum dumtaxat septuaginta futurum prædixit. Miserabilem calamitatem, qua afflicti sunt, contritique ab Antiocho, & futuram, & tribus annis ac dimidio mansuram prædictum est à Daniele *cap. 8. hujus libri.* Hanc verò calamitatem, qua jam diu toto orbe conflictantur Judæi, prænunciavit quidem hoc loco Gabriel eventuram: sed finem ejus non indicavit: quo silentio, & durationis ejus reticentia, satis ostendit nullo eam tempore terminandam. Quinimo non obscurè id demonstravit, quando dixit desolationem urbis, templi, & Judaicæ gentis captivitatem usque ad consummationem & finem permansuram. Postea, longissima priorum captivitatum fuit Ægyptiaca, quæ tamen centum quinquaginta annos non excessit: quo quot enim de servitute & afflictione, quam in Ægypto Judæi post mortem Joseph pertulerunt: namque habitatio seu peregrinatio Judæorum in Ægypto, quadringentis triginta annis definitur à Mose in *cap.* 12. *Exod.* Captivitas autem Babylonica longè brevior fuit: videlicet septuaginta annos minimè supergressa. At hæc Judæorum calamitas, transactis jàm mille quingentis annis, nihilominus tamen sicut fuit ab initio, eodem nunc statu, aut etiam pejori & miserabiliori permanet.

Minis notarit necem ipsis accidit, & alias priores eo quòd aliarum finis prædictos sit, hujus verò non *Gen. 15. Ierem. 25 & 29. Dan. 8.*

Secunda quod hæc longè sit diuturnior alijs. *Exod. 12.*

Deinde in captivitate Babylonica habuêre Judæi Prophetas, ut Ezechielem, Baruch, & Danielem, qui eos consolabantur, & certa spe recuperandæ libertatis sustentabant. In præsenti verò calamitate, nullum habuerunt verum Prophetam.

Tertia, quod in hac careant Prophetis.

Præterea alijs in calamitatibus sæpè facta sunt divinitus miracula, quibus declaratur populum Hebræum in DEI esse gratia, & tutela. Tale fuit nobilissimum illud miraculum trium juvenum in fornace Babylonica, & Danielis in lacum leonum bis conjecti. In hac verò captivitate nullis à DEO miraculis honorati sunt: quin imo magnis contra ipsos à DEO editis prodigijs evidenter ostensum est, eum populum à DEO esse reprobatum ac penitus abjectum.

Quarta, quod in hac nulla eis fiant miracula

Postremò in alijs captivitatibus claruerunt insignes aliqui gentis Judaicæ viri, qui cùm summa gratia, honore & auctoritate florerent apud eos Reges, quorum imperio & servitute Judæi tenebantur, magnas illis utilitates attulerunt. Tales fuerunt apud Pharaonem Josephus, Moyses, & Aaron: apud Reges Chaldæorum Daniel & tres ejus Socij: apud duos Artaxeres Persarum Reges Esdras & Nehemias, itemque Mardochæus & Hester. Horum similes nullos in hac captivitate habuerunt. Patet igitur non ut illarum, sic & hujus, aliquem sperandum esse terminum.

Quinta, quod nullos insignes viros habuerint.

Cæterum quod à viris doctis observatum & proditum est, etiam hoc loco videtur prodendum; Judæos reversos Babylone, tametsi libertatem, urbem, templum regnumque recuperaverint, & in DEI benevolentiam atque gratiam redierint, attamen septem eximijs, ac singularibus DEI muneribus & beneficijs, quibus ante captivitatem Babylonicam decorati nobilitatique fuerant, in posterum caruisse. Unum fuit arca fœderis à Moyse fabricata, quam postea non habuerunt, prædicente id Hieremia *cap.* tertio: *In diebus illis* (inquit) *non dicent ultrà: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet ultra.* Alterum erat oracula & responsa Dei ex ipso propitiatorio frequenter Judæis data. Tertium fulgor ex lapidibus pretiosis, qui erant in rationali Pontificis, mirabiliter emicans, atque exsplendescens, & futuros eventus Judæis demonstrans, ut tradit Josephus *libro tertio Antiquitatum Iudaicarum.* Quartum ignis cælitùs descendens, & consumens sacrificia. Quintum Spiritus sancti gratia spectabili aliquo signo immiscens se sacræ unctioni, quo Reges, & Pontifices ungebantur. Sextum donum Prophetiæ. Nam Prophetarum omnium novissimi fuerunt Aggæus, & Zacharias, hisque posterior Malachias, quem plerique Esdram fuisse arbitrantur. Septimum triplicatus terræ fructus quolibet sexto anno, in tres annos alimentis hominum, propter septimi anni quietem sufficeturus: hoc enim DEUS promiserat Levitici *cap. vigesimo quinto.* Hæc Lector uberius, atque enucleatius tractata reperiet apud Divum Chrysostomum *Oratione tertia adversus Iudæos*, apud Nicolaum de Lira *super 6. cap. prioris libri Machabæorum*, & apud Petrum Galatinum *libro 4. cap. 17.* His igitur præclarissimis Dei beneficijs atque ornamentis caruere Judæi, postquam discussa Babylonicorum servitute, in patriam regressi sunt. Sed nihilominus tamen libertate, urbe, templo, regnoque, & quod caput est, DEI gratia, & protectione fruebantur. His autem rebus omnibus cernimus eos post illam Vespasiani & Titi cladem, videlicet ob Messiæ necem nefariè patratam, usque ad hanc diem fuisse privatos.

Septem singularibus Dei beneficijs Judæos post captivitatem Babylonicam caruisse. *Ierem. 3.* *Iosephus lib. 3. c. 9.* *Levit. 25.*

At enim respondent quidam Judæi, se hanc calamitatem non pati propter cædem Messiæ, quem ipsi etiamnum venisse negant: sed virtutis explorandæ probandæque causa, scilicet, ut eorum virtus rebus adversis, sicut igne aurum purior atque illustrior existeret, quemadmodum scriptura ait: *Tanquam aurum in fornace, probavit electos Dominus, & quasi holocaustum accepit eos.* Sed hoc responsum mendacij atque impietatis convincitur. Primò, quia hæc calamitas non modo est corporalis, sed etiam spiritualis, magnam spiritualium bonorum jacturam continens: carent enim Prophetis, miraculis, cultu divino, & Mosaicæ legis observatione. Pœnam autem spiritualem non ad probandam virtutem, sed ad punienda præterita scelera DEUS infligit. Denique Judæi sic respondentes mendacem faciunt Deum: quippe amplissimis verbis, Deus sæpe numero promittit, ut videre est in *Deuteronomio cap. undecimo*, & 28. se populum Hebræum, si quidem is benè ac piè viveret, atque in legis quam per Mosem illis dederat observantia, obedientiaque permaneret, conservaturum omni tempore in terra Chanaan, quam possidebat, à cunctis hostibus defensurum, cunctisque malis liberaturum, atque omni bonorum genere cumulaturum.

Mala quæ post Titum & Vespasianum Judæis contigêre, propter necem Messiæ ipsis accidisse probat. *Sap. 3.*

Alij respondent, se non propter necem Messiæ, sed propter alia quamplurima, & gravissima flagitia, quæ admiserunt, iram Dei adversum se irritasse: tantamque ejus animadversionem, & vindictam, quanta nunc plectuntur, promeruisse. Verum tamen & hoc responsum falsitatis arguitur: etenim quærendum ex illis est, quænam fuerint scelera ab ipsis commissa, propter quæ tam graviter puniantur. Nimirum duo reperiuntur in Sacris litteris, omnium scelerum maxima, & gravissimis

Nulla scelera Judæorum fuerunt, quæ

eis hanc tam gravem calamitatem injecerunt præter Christi necem.

similis verbis à DEO reprehensa, & acerbissimis supplicijs vindicata, scelus idololatriæ, & cædes Prophetarum: hæc duo super alia omnia DEUS exprobrat Judæis, & propterea testatur, gravissimas quasque eorum captivitates, & calamitates, præsertim verò Babylonicam, ipsis contigisse. Atqui nec post dissolutam captivitatem Babylonicam, nec post Salvatoris nostri adventum legimus Judæos aut publicè idola coluisse, aut Prophetas occidisse. Itaque post id temporis, quod ad ista duo scelera spectat, quodam modo melior fuit populus Hebræus, quam antea fuerat. Non igitur magnitudo & diuturnitas præsentis Judæorum calamitatis, vel ad prædicta duo scelera, vel ad alia quæcunque, præter cædem Messiæ referri potest. Sed esto fuerint idolorum cultores, Prophetas occiderint, non ideo tamen conveniens prædictis sceleribus erat præsens Judæorum calamitas. Hæc namque scelera fuerunt antea apud illos creberrima, quorum tamen non nisi septuaginta annorum captivitate, pœnas luerunt. Nullum igitur exitum habent, nullam latebram Judæi: quocunque se verterint, tenentur constricti.

Eximia D. Hieronymi in Judæos sententia.

Juvat hoc loco referre, quæ D. Hieronymus ad hanc Judæorum voluntariam cæcitatem, perfidiamque redarguendam posuit in *Epistola* 129. quam scripsit ad Dardanum: *Multa* (inquit) *Judæa scelera commisisti, cunctis circa te servisti nationibus: ob quod factum? utique propter idololatriam, cumque servisses, crebrò tui misertus est DEUS, & misit judices & salvatores, qui te de servitute Moabitarum, Ammonitarum, Philistinorum, ac diversarum gentium liberarent. Novissimè sub Regibus offendisti DEUM, & omnis tua provincia gente Babylonica vastante deleta est, per septuaginta annos, templi solitudo permansit. A Cyro Rege Persarum est laxata captivitas: extructum quoque est sub Dario templum. Quæ passis sitis à Medis, Ægyptijs, & Macedonibus, non enumero: nec tibi adducam in memoriam Antiochum Epiphanem, crudelissimum omnium tyrannorum: nec Pompeium, Gabinium, Scaurum, Varium, Cassium, Sossiumque replicabo, qui tuis urbibus, & præsertim Hierosolymæ, insultarunt. Ad extremum sub Vespasiano, & Tito urbs capta templumque subversum est. Deinde civitatis usque ad Adrianum Principem per quinquaginta annos mansêre reliquiæ: post illam eversionem usque ad hanc diem paulò minus, quàm per quadringentos annos, & Urbis & templi ruinæ permanent. Ob quod tantum facinus? Certè non colui idola; sed etiam serviens Persis & Romanis, & captivitatis pressus jugo Deos ignoras alienos. Quomodo clementissimus quondam DEUS, qui numquam tui antea oblitus fuerat, nunc per tanta spatia temporum non adducitur, ut solvat captivitatem, & ut verius dicam, expectatum tibi mittat Antichristum? Ob quod, inquam, tantus & tam execrabile scelus, avertit à te oculos suos? ignoras: Memento vocis parentum tuorum, Sanguis ejus super nos & filios nostros.* Matth. 27. *Et, Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas; Et, Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Habes quod elegisti, ad finem mundi usque servituris es Cæsari, donec gentium intret plenitudo, & omnis Israël salvus fiat, & qui quondam erat in capite, vertatur in caudam.* Hactenus verba D. Hieronymi.

Matt. 21. Joan. 19.

Neque cuiquam mirandum accidat, hanc tam manifestam, testaramque oraculis Prophetarum, atque suorum multorum experientia comprobatam de Messiæ adventu, & morte doctrinam, non videre atque intelligere. Siquidem hæc ipsa cæcitas, una est de multis alijs, & quidem maximis Judæorum pœnis, quibus illi, propter necem Messiæ, à Deo puniti sunt. Duplici enim pœnarum genere mulctati sunt. Unum fuit corporale: & hoc triplex, amissio regni, ac dignitatis, perpetua urbis ac templi desolatio, & sempiternum exilium, innumeris malis miserijsque refertum.

Alterum pœnæ genus fuit spirituale, tantò sanè gravius, & exitiosius priore, quantò & postonibus bonis eos spoliavit, & acerbioribus malis affecit. Et hoc duplex; excæcatio mentis, & obduratio cordis, videlicet ad intelligenda, credendaque, atque amplectenda, quæ ad Messiam pertinebant. Hoc duplici pœnarum genere plectendos esse Judæos *Isaias c. 6.* illis verbis indicavit: *Excæca cor populi hujus & aures aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum, & dixi, Usquequo Domine? & dixit, Donec desolentur civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquatur deserta.* Hoc Isaiæ vaticinium Salvator noster in Evangelio *Joan. cap.* 12. ad se & Judæos, qui sibi credere recusabant, pertinuisse declaravit. Illud quoque quod in *Deuter cap.* 28. dixit Moyses de Judæis, *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate ac furore mentis: & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas, omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas, qui liberet te.* Hoc, inquam, quod Moyses dixit, nunquam verius, quam jam in Judæos dici posse intelligimus. David præterea *Psalmo* 68. cum sub persona sua exposuisset, quàm indignis & acerbis modis tractandus esset Messias à Judæis, scilicet propter certitudinem Prophetiæ, in prædicendo futura, usus verbi præteriti temporis, proximè varias pœnas, partim corporales, partim spirituales, tam immani eorum sceleri comparatas, subjunxit: *Fiat* (inquit) *mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & scandalum: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva. Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam. Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.*

Isa. 6. Joan. 12. Deut. 28. Psal. 68.

Judæi habent faciem velatam ad Scripturæ mysteria intelligenda.

Davidem autem hæc vaticinantem, prophetico spiritu, spectasse Judæos, qui Dominum nostrum occiderunt, & doctrinam ejus oppugnarunt, non tantum accipere noluerunt, testem habemus, quo non gravior alter, D. Paulum *capite undecimo Epistolæ ad Romanos.* Qui quidem Paulus *capite tertio posterioris Epistolæ ad Corinthios*, eleganter argumentatur, obtusos esse Judæorum sensus ad divina mysteria, præsertim ea, quæ Messiam attingunt, intelligenda: Olim, inquit, non poterant Judæi aspicere faciem Mosis, nisi velatam, nempe in hodiernam usque diem, velamen manet Judæis in lectione veteris testamenti: quod tamen per Christum evacuatur. Itaque Judæus sine fide Christi legens Scripturam, reperit eam velatam, nec menti perviam ad intelligendum. At cum primum fide Christi imbutus est, velamen ex ipsa Scriptura, & ex corde ejus auferetur. Idem Paulus *2. cap. posteriorum Epistola ad Thessalonicenses*, testatur Judæos expositos esse omni seductioni, & errori, eò quod claritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent: *ideoque* (inquit) *mittet illis DEUS operationem errorum, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consensêrunt iniquitati.*

CA-

CAPVT V.

Secunda disputationis pars, in qua ostenditur Christum IESVM MARIÆ Filium, verum fuisse Messiam.

VAlidissimis & quam plurimis argumentis, Christus Dominus ostendit se esse verum Messiam, utsic etiam adimpleatur prædicta in superioribus Danielis prophetia, illis verbis, *Confirmavit autem pactum multis* : ubi clarè prædixit Christum Dominum Evangelium, seu novum testamentum, (id enim sonat *pactum*) multis testimonijs, & argumentationum generibus comprobaturum. Quinque verò præcipuè modis sive argumentorum classibus demonstratur Christum Dominum, verum fuisse Messiam, ejusque doctrinam à DEO esse profectam.

Quinque enim modis Dominus noster probavit se Messiam esse, suamque doctrinam à Deo esse profectam, eamque cunctis hominibus ad percipiendam viam æternam omnino esse necessariam. Primum genus probationis constat multis, varijs, & adeò gravibus testimonijs, ut ea nulla tergiversatione eludi possint. Primum testimonium fuit Angelorum, in ortu Christi annunciantium pastoribus eo die natum esse Salvatorem mundi. Secundum testimonium fuit Magorum, qui ex Oriente venientes, natum jam esse Regem Judæorum novæ stellæ miraculo confirmarunt. Tertium fuit eorum, qui illo ipso tempore, quo Christus natus est, justitia, pietateque, ac sanctitate insignes, & apud Judæos perquam nobiles habebantur, ut Elisabeth, Zachatias, Simeon & Anna. Quartum fuit multiplex testimonium, & præconium Joannis Baptistæ, cui Judæi non poterant contradicere. Quintum fuit testimonium DEI Patris magnificè & gloriosè datum in baptismo, & transfiguratione Christi. Sextum fuit Moysis & Eliæ, qui apparuerunt in transfiguratione Christi, & testificati sunt ipsum esse Messiam. Septimum fuit testimonium ipsorum Pharisæorum, de quibus unus Nicodemus dixit : *Scimus, quia à Deo venisti Magister.* Octavum etiam ipsorum Dæmonum, qui ejecti ab ipso ex humanis corporibus affirmabant ipsum esse Christum, & Filium DEI.

Primò probatur testimonijs. *Luc.2.* *Matt.2.* *Luc.1. & 2.* *Matt. 2.* *Luc.3.* *Joan.1.* *Matt. 3. & 17.* *Matt. 17* *Matt.7.*

Secundò miraculis *Joan.7.*

Secunda probatio versatur in miraculis Christi, quæ fuerunt plurima, maximaque. Quapropter Judæi, ut refert *Joannes cap.7.* dicebant: *Nunquid Christus, cum venit, plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Dupliciter autem ex hoc loco urgentur Judæi, siquidem Dominus noster, & omnia miracula fecit, quæ facturum Messiam prædixerant Prophetæ, & fecit ea miracula, quibus declararet, ac probaret se DEI Filium esse, verumque Messiam.

Tertiò ex vita & moribus. *Isa.53.* *Psal.21.* *Matt.27.*

Tertia probatio ducitur ex vita, & moribus, ex passione item, & morte Domini nostri. Eam enim vitam egit Dominus noster, ijs moribus fuit, eam doctrinâ prædicavit: denique tali vita, moribus, & doctrina fuit, quali futurum Messiam vates præscripserant. Ea præterea passus est à Judæis, eoque mortis genere necatus est, ut de ipso *Isaiam capite 53.* & Davidem *Psalmo 21.* vaticinatos esse, dubitari nullo modo possit. His adde prodigia, quæ Domino nostro morienre contigerunt, Sol usquequaque defecit, & sanè præter naturalem rerum cursum, & ordinem horribili motu terra contremuit: velum templi discissum est: sepulchra patuerunt, multique de mortuis ad viram revocati, visi sunt multis, & testificati JESUM esse Messiam. Quibus prodigijs permotus Centurio exclamavit: *Verè hic homo Filius Dei erat.*

Quartum & ultimum genus probationis, consistit in prædictionibus Christi Domini nostri, quarum omnium veritatem eventus comprobavit. Fuerunt autem prædictiones Christi se. è hujusmodi. *a Prima* fuit de suprema ruina, & exitio Judæorum. *b Secunda*, de miraculis, quæ facturi erant ipsius Discipuli, & sectatores. *c Tertia*, de maximis & acerbissimis persecutionibus, quas erant passuri. *d Quarta*, de Evangelio suo per omnem terram prædicando. *e Quinta*, de Ecclesia sua usquequaque, & in universo orbe propaganda. *f Sexta*, quod eadem Ecclesia, licet foret ubique terrarum, & gentium oppugnanda, divexanda & conflictanda, nihilominus tamen usque ad consummationem sæculi esset permansura. *g* Denique *septima* & ultima, de genere mortis suæ, de resurrectione post triduum, de missione Spiritus sancti, de nomine suo apud omnes gentes nobilitando & clarificando.

Quarrò ex prædictionibus. Septem Domini nostri prædictiones. *a Luc.10.* *b Act.13.* *c Joan.16.* *d Mat.26.* *Act.1.* *e Joan.10.* *f Matt.16* *g Matt.28*

Quintum verò genus probationis constabit ex sequentibus notis & signis Messiæ.

CAPVT VI.

De notis ac signis Messiæ à Prophetis prædictis, ubi etiam simul ostenditur in Christo Domino fuisse reperta.

QUintum genus probationis constat vaticinijs ac Prophetijs de venturo Messia editis, quæ ad unguem in Christo Domino completa sunt, ut prædixerat Daniel illis verbis : *Ut adimpleatur visio & prophetia.* Christo enim Domino veniente in mundum, impletæ sunt omnes Prophetiæ: quia quæcunque prædixerunt Prophetæ Messiam dicturum & passurum, ea omnia Dominus dixit, fecit, ac passus est; ideo etiam dixit ipse Dominus Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Et ipsi Evangelistæ, cum narrant dicta, facta, & passiones Christi, sæpè notare solent, *Ut adimpleretur quod dictum fuerat per prophetam.* Matth. 5.

Notandum verò est cum Pereyra in locum illum Danielis, in Græcâ lectione pro *impleatur*, haberi *signetur*, quasi dicat, Ut signetur visio & Prophetia, quam lectionem secutus est Tertullian, in *lib. adversus Judæos*, idem tamen est *signari* sive *adimpleri Prophetias*, ut ipse Tertullian. sequentibus verbis docet: *Quid est*, inquit, *quod dicit Angelus*, Signari visum & Prophetiam? *Quoniam omnes Prophetæ nunciabant de illo quod esset venturus, & pati haberet. Igitur quoniam adimpleta est Prophetia per adventum ejus, propterea signari visionem, & Prophetiam dicebat: ipse enim signaculum fuit omnium Prophetarum, adimplens omnia, quæ retro de eo Prophetæ nuntiaverant. Post adventum enim Christi & passionem ipsius, jam non visio, neque Prophetæ est, qui Christum nuntiet venturum. Denique hoc si non ita est, exhibeant Judæi post Christum Prophetarum aliqua volumina,*

Pereyra. Tertull.

na, vel Angelorum aliquorum visibilia miracula, quæ retro Patriarchæ viderunt, usque ad adventum Christi, qui jam venit, ex quo signata est visio, & prophetia, id est, staruta. Et merito dixit Evangelista, lex & Prophetæ usque ad Ioannem baptizatorem: Baptizato enim Christo, id est, sanctificante aquas in suo baptismate, omnis plenitudo spiritualium retro Charismatum in Christo cessarunt, signante visionem. & prophetias omnes, quas adventu suo adimplevit. Unde firmissimè dicit, adventum ejus firmare visum & Prophetias. Hæc Tertullianus.

Hæc Messiæ signa & indicia diffusius & enucleatius exponit noster. *Dominicus à SS. Trinit. Tom. 5. suæ Bibliothecæ Theolog. lib. 4. sect. 7. cap. 4. à pag. 397 usque ad p. 426.*

Quare nostro instituto valde consentaneum erit, in hoc loco doceamus, omnia Prophetarum oracula in Christo, & per Christum esse impleta: nam cùm varum oracula certa quasi quædam signa, & indicia Messiæ eò præmissa fuerint à DEO, ut bis Messias mortali & passibili carne indutus, in mundum aliquando venturus, sine ullo errore, ac sine magna difficultate cognosci, ac deprehendi posset; fatendum erit eum, in quo omnia prædicta signa convenerint, fuisse verum Messiam: alias illa signa incerta & fallacia essent, cum per illa etiam homines indocti, citra ipsorum culpam in gravissimum errorem colendi pro Messia non verum Messiam, inducerentur. Hæc autem omnia Prophetarum oracula sive signa in Domino JESU reperta fuerunt, eaque tam propriè, tamque apertè & explicatè Christo conveniunt, ut de illis minimè possit dubitari; ita ut non tam futuratum rerum prædictiones, quàm præteritarum narrationes esse videantur, nec illi prævidisse res alio tempore gerendas, sed rebus ipsis factis interfuisse; ita ut verè possit dici, quosdam illorum, quædam de Christo non minus distinctè quàm Evangelistas descripsisse.

Sed dices: Quare Judæi tam apertis Prophetarum testimonijs non credunt? Resp. docente Pereyra in *Daniel lib. 10.* quod licet Prophetarum vaticinia ante Christi adventum, propter futurarum rerum obscuritatem difficillima essent intellectu: eadem tamen post adventum Domini nostri, per quem abundè impleta sunt, & promissa DEI & Prophetarum vaticinia, facilem habent intelligentiam & explicationem. Judæos autem, qui non credunt adhuc venisse Messiam, necesse est, cùm Prophetarum libros legunt, dubios, perplexos, & planè cæcos esse, & tanquam in labyrintho quodam abertantes nullum reperire exitum, ac similes esse eorum, qui nullo duce nulloque lumine, per tenebrosa & prærupta loca iter facientes, passim offendunt, nec raro in profundum præcipites agantur.

Pereyra fol. 579.

Sic profectò est, ut præclarè dixit Irenæus *quadragesimo tertio capite libri IV.* adversus hæreses: *Omnis* (inquit) *Prophetia priusquam habeat effectum, ambiguitas & anigma est hominibus, cum autem venerit tempus ejus, & evenerit, quod prophetatum est, tunc Prophetiæ habent liquidam & certam expositionem. Propter hoc Iudæis cum nunc legitur lex & Prophetæ, fabulæ similis est, non enim habent expositionem omnium rerum pertinentem ad adventum Filij DEI, qui est secundum hominem. At Christianis cum legitur prophetia, thesaurus est absconditus in agro, cruce Christi revelatus & explanatus, ditans sensum hominis, & ostendens DEI sapientiam.* Sic Irenæus. Nulla igitur difficultas est credenti Prophetis Evangelium persuadere: non sanè major, quam (si parva licet componere magnis) tenenti scientiam aliquam subalternam. Quapropter Irenæus, *quadragesimo primo capite libri IV. adversus hæreses*, propterea existimat dixisse Paulum, se plus omnibus laborasse, quia cùm ipse prædicator Apostolus, & Doctor gentium esset constitutus, magis laboriosum & arduum sibi fuerit genibus, quàm Judæis Evangelium tradere. Gentes namque nec legem à DEO scriptam, ut Judæi acceperant, nec Prophetas noverant, nec expectabant Messiam, & unius veri DEI notitiam pauci, cultum verò & Religionem ferè nulli tenebant: sed circa DEI omnipotentiam caligantes, circa providentiam vacillantes, de animorum nostrorum immortalitate perplexi, de mundi origine atque interitu dubij, de ultimo fine hominis incerti, in densissimis errorum tenebris versabantur, & in altissimis nefandorum scelerum sordibus volutabantur, quanto pluribus erroribus, & flagitijs implicati, tanto longius à veritatis perceptione remoti. At Judæis, quibus, ut Paulus inquit, credita erant eloquia Dei, quorum adoptio erat filiorum, & gloria, & testamentum & legislatio, & obsequium, & promissa, Judæis inquam, nisi voluntaria eos ignoratio & malitia obcæcasset, & nisi contumax adversus veritatem atque obfirmatus animus, omnem ad eorum mentes illuminandi aditum luci divinæ præclusisset, proclivissimum fuisset Evangelicam doctrinam probari ac persuaderi. Sed jam quæ fuerint de Messia Propheratum oracula, & quemadmodum ea in Domino JESU Christo perfectissimè completa sint, breviter ostendamus, afferentes primum signa sive notas, quibus DEUS per Prophetas nobis voluit Messiam venturum revelare.

Cur Paulus dixerit se plus omnibus laborasse

1. Cor. 15

Rom. 3. & 9.

Prima NOTA: de adventu Messiæ.

Principio DEUM in terris aspectabili & humana forma conversaturum cum hominibus, gravissimis verbis vaticinatus est *Baruch*, Cap. tertio, *Hic est*, inquit, *DEUS noster, & non æstimabitur alius adversus eum, hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Similiter Isaias cap. 35. *DEUS ipse veniet, & salvabit nos.* Atque alio loco: *Utinam disrumperes cælos, & descenderes!*

Baruch 3

Isa. 35.

Idem 64.

Secunda NOTA, fuit Davidica & regia propagatio ex semine David.

Hieremiæ 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex*, quem locum de Christo intelligunt omnes Hebræi, & hanc notam esse impletam in Christo docet Matthæus, in ipso statim Evangelij exordio, *Liber* (inquit) *generationis IESU Christi filij David*, &c.

Ierem. 23

Matt. 1.

Tertia

Tertia NOTA: IESVS conceptus ex Virgine, & natus.

Isa.7. Isaiæ 7. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel.* Hoc testimonium, quod etiam Matthæus Evangelista in MARIA completum posuit, adversus judæos, & hæreticos vix est ullus ex Patribus, qui non pertractet. Justinus *Justin. Martyr.* Martyr egregiè in Tryphonem, & in *secunda pro* Christianis *Apologia*, Irenæus *li.3.cap.9. & 21.* & *Irenæus.* 24. Athanasius *de incarnatione verbi* latè. Cypria- *Athanas.* nus adversi Judæos *lib.2. cap.9.* Basilius *Homil. de* *Cyprian.* *Epiphan. Domini*, Richardus de Sancto Victore *Basil. Mag* *duos libros edidit de ea prophetia.* Iudæos refellit latè *Rich. de* Eusebius *lib.7.cap 1.* *S. Victore* *Eusеb.*

Item Prov.30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum* *Prov. 30.* *penitus ignoro; viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in Virgine.* Sic habet interpretatio septuaginta seniorum. Quare de virgineo partu prophetasse Salomonem, cùm dixit: *Sibi penitus esse ignotam viam viri in virgine*, sentiunt non ignobiles Auctores, *Iansenius* Cornelius Jansenius in *Proverb. cap.* 30. Nicolaus *Nic. Liran* Lira *ibidem*, Ludovicus Leo Augustinianus *de no-* *Lud. Leo.* *minibus Christi lib* 3.

Hæc nativitas ex Virgine demonstrata est *Matt. 1.* Matth.1. *Cum esset desponsata Mater JESU MARIA JOSEPH, antequam convenirent, inventa est habens in utero de Spiritu Sancto*, &c.

Luc. 1. Secundo *Luc.* primo *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Quarta NOTA: IESVS in Bethlehem natus pauper & Rex.

Mich.5. Primo Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Iudæ: ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatu.* Celebre vaticinium est, quod Matthæo teste scribæ agnoverunt; Joanne auctore, *Iustinus.* etiam turbæ. Tractat hoc Justinus in 2. *Apolog.* *Chrysost.* Chrysostom. in *demonstrat.* quod Christus Deus. *Iunilius.* Junilius *lib.2.de parte divina legis c.22.* Eusebius *lib.* *Euseb.* *7.cap.4. & lib 6.c.1.*

Isa. 9. Secundò, Isai.9. *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis: Et factus est principatus ejus super humerum ejus. Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & in justitia amodo & usque in sempiternum.* Non indiget expositionibus illustrissima prophetia, quam ver- *Hieron.* sant ubique Sancti: Hieronymus illic, Eusеb. *lib.7.* *Euseb.* *c.4. & lib. 9. cap.6.* Basil. *lib 2. contra Eunomium.* *Basil.* Ambrosius *c.8. ad Regum.* Chrysost. *in homil. con-* *Ambros* *tra Anomæos.* Cyrill. *serm. de occursu Domini*, Augu- *Chrysost.* st. *Serm.10. de tempore & lib Quæst. super Iudic. c.52.* *Cyrill.* 53.54. & alij alias, sive nostram, sive septuaginta *Augustin.* lectionem consulas, tametsi videatur discrepare *Abacuc.3.* Hieronymus.

Tertio Habac.3. *Consideravi opera tua & expavi: in medio duorum animalium cognoscêris.* Id quidem juxta septuaginta, quod de puero in præsepe inter animalia collocato refert Prosper *lib. de Divi-* *Prosper.* *nis prædictionibus p.3.cap.5.* Neque ab eo Ecclesiæ sensus valde abhorret, quæ in quadam Antipho- na Nativitatis, canit, *Ut animalia viderent Dominum natum*, &c.

Primo Matth.2. *Cum natus esset JESUS in Beth-* *Matth. 2.* *leem Iudæ.* Secundo Luc. 2. *Ascendit autem & Ioseph* *Luc. 2.* *à Galilæa de civitate Nazareth, in Iudeam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum MARIA desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem, dum esset ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Tertio *Ioan 7.* Joan.7. *Nonne Scriptura dixit, quia ex semine David, & de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus?*

Quinta NOTA; IESVS vocatus octavo die.

Primo, Numer 13. *Vocavitque Osee filium Nun* *Num. 13* *Josue, Jesum.* Josue mittitur cum Moysi, postea ducem populi Hebræi, à quo introducti sunt filij Israël in terram promissionis, divina scriptura sæpe vocat *Iustinus.* *Jesum*, nomine divinitùs immutato, ut significaret *Tertull.* Jesum Salvatorem, cujus typus fuit. Hoc mys- *Hieron.* terium magnificè celebrant Sancti Patres. Justinus *Ambros.* quidem in *colloquio*: Tertullianus verò *adversus Iu-* *August.* *dæos*: Hieronymus *lib.1. contra Iovinianum*: Ambro- sius in *Psalmum 39.* Omnium optimè Augustinus *lib.10. contra Faustum l.b. 19.* quare bene de illo Propheta Ecclesiasticus.

Secundò Isai. 19. *Mittet eis Salvatorem & pro-* *Isa. 19.* *pugnatorem qui liberet eos.* Euseb. *lib. 2. demonstrat.* *Euseb.* *35. & lib. 7. cap.6.* Cyrillus de *incarnat. unigeniti,* *Cyrill.* *cap. 3.*

In Evangelistis primò Luc.2. *Vocatum est nomen* *Luca 2.* *ejus IESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in* *Matth. 1.* *utero conciperetur.* Secundò Matth.1. *Vocabis nomen ejus IESUM: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Sexta NOTA; Adoratus à Magis.

Primò Numer.24. *Videbo eum sed non modò: intue-* *Num. 24* *bor illum, sed non prope. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel: & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, & erit Idumæa possessio ejus.* *Hieron.* Hieronymus in 2. Matthæi, Leo *Serm. 4. de Epi-* *Leo Mag.* *phania*, Prosper de *prædict. p.3 cap.6.* Athanas. de Incar- *Prosper.* *natione verbi*, Irenæus *lib 3 c.9.* Basil. *Homil. de Epi-* *Athanas.* *phan.* Justinus in *Tryphonem*, Eusebius *lib.9 Demonst.* *Irenæus.* primo latè. *Basil.*

Secundò Psalm. 71 *Reges Tharsis & insulæ mune-* *Mag.* *ra offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent. Et* *Iustin.* *adorabunt eum omnes gentes: omnes Reges servient ei.* *Euseb.* Ecclesia in officio Epiphaniæ, Hilarius *lib.4 de Tri-* *Psal.71.* *nitate*, Prosper *de prædict. p. 3. cap. 6.* Tertullianus *Hilarius.* *lib.3. adversus Marcionem.* *Prosper.*

Tertio Isaiæ 60. *Inundatio camelorum operiet te:* *Tertul.* *Dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient,* *Isa. 60.* *aurum & thus deferentes, & laudem Domino annun-* *Chrysost.* *tiantes.* Chrysost. *Homil. 2. in 2. Matth*, Prosper *de* *Prosper.* *prædict. p 3. c.6.* Auctor operis imperfecti in Matth. *cap.2.*

In Evangelistis, primò Matth.2. *Cum natus esset IESUS in Bethlehem Iudææ diebus Herodis Regis, ecce Magi venerunt ab Oriente Hierosolymam, dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.*

Septima NOTA: IESVS in Ægyptum fugiens, & inde revocatus.

Isa. 19. Euseb. Cæsar. Chrysost. Hieron. Ambros. Athanas. Prosper. &c.

Primò Isaiæ 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus.* Eusebius Cæsariensis *lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ cap. 20.* & *lib. primo de demonst. Evang. cap. 4.* & *lib. 8. cap. 5.* Chrysost. in *2. cap. Matth.* Hieronym. in *19. Esai.* Ambros. *de Institut. virgin.* Athanas. *de incarnat. Verbi*, Prosper. *de predict. par. 3. c. 2. Nubem levem* vult Euseb. Christi corpus. Hebraicè dicit *legi, crassitudinem levem*, quod corpus fuerit de Spiritu Sancto conceptum.

Oseæ 11.

Secundo Oseæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Matthæi nobis auctoritas sufficere debet, ut veram de Christo prophetiam accipiamus: cujus sensum tenet Irenæus *lib. 3. c. 9.* Chrysost. in *demonstrat.* quod Christus sit Deus, Prosper de *predict. p. 3. c. 8.* Athanasius de *Incarnat. Verbi.* Junilius *lib. 2. de parte divinæ legis, cap. 22.* Euseb. Cæsar. *libr. 9. Demonst. 4.*

Irenæus Chrysost. Prosper, &c.

Matth. 2.

In Evangelistis, Primò Matt. 2. *Angelus Domini in somnis apparuit Joseph dicens; Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi.*

Octava NOTA: Propter Christum parvuli occisi.

Ierem. 31.

Hierem. 31. *Vox in excelso audita est, lamentationis, luctus, & fletus, Rachel plorantis filios suos, & noluit consolari super eis, quia non sunt.* Prosper. *de predict. p. 3. c. 9.* Chrysost. in *demonstrat.* quod Christus sit Deus. Justinus in *Colloquio.*

Prosper. Chrysost.

Matth. 2.

In Evangelistis, Matth. 2. *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros in Bethleem, & in omnibus finibus ejus. Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam,* &c.

Nona NOTA: IESVM Ioannes Baptista præcursor annuntiat.

Isai. 40. Ioan. 1. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Justinus. Prosper. Euseb. &c

Primo, Isai. 40. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur: & omnis collis & mons humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est.* De se ipso hæc pronunciavit Joannes ipse *Joannis 1.* cui *Matthæus 3. Marcus. Lucas 3. cap.* suffragantur, satis idonei interpretes divinæ prophetiæ: ut plures requirere otiosum sit. Si quis tamen requirat, legat Justinum in suo *Colloquio*, Prosperum Aquitanicum in *Prædictionibus suis par. 3. c. 1.* Eusebium copiosè *lib. 9. dem. 5.*

Malach. 3

Secundo, Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Honorans Baptistam Christus, hanc de illo prophetiam exponere dignatus est *Matthæi 11. Luc. 7.* Sed interim in Hebraica nostraque lectione, sub prima persona legimus, *Præparabit viam meam, & faciem meam.* In Evangelistis verò sub secunda persona: *Præparabit viam tuam & faciem tuam.* Ut planè discamus, sive pater intelligatur loqui, sive Filius, eandem esse sententiam, quia utriusque una natura est, eademque voluntas.

Matth. 11 Luc. 7.

In Evangelistis, Primò Joan. 1. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.* Secundò. Luc. 3. *Factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ, & remissionem peccatorum.*

Joan. 1.

Luc. 3.

Decima NOTA: IESVS discipulos pauperes, & idiotas vocans ad Apostolatum.

Primo, Isai. 8. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum Israel à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.* Paulus ad Hebræos 2. affert de vocatione Apostolorum, & signis ab ijs perpetratis, Euseb. *lib 9. de Demonst Evang. cap 14.* Cyrillus in *8. Isai.* Origenes *homil. 7. in cap. 8. Isai.*

Isa. 8. Heb. 2. Euseb. Cyrillus. Origen.

Secundò, Hier. 16. *Mittam ad eos piscatores, & piscabuntur eos; & venatores & venabuntur eos.* Prosper de *Prædict. p. 3. cap. 12.*

Ierem. 16 Prosper.

Tertiò Isaiæ 29. *Civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem. Conculcabit eam pes, pedes pauperum gressus egenorum.* Cyrill. *lib. 3. in Isai.* de ijs dicit hæc scribi, quibus Christus dedit potestatem calcandi super serpentes. Hieronymus *pes pauperis* de Christo, de Apostolis *gressus egenorum.*

Isai. 29. Cyrillus. Hieron.

In Evangelistis, primò, Matt. 4. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Secundo, Act. 4. *Comperto quod homines essent sine literis & idiotæ, admirabantur, cognoscebant eos, quia cum IESV fuerant.*

Matth. 4. Act. 4.

Vndecima NOTA: IESVM audiunt & sequuntur turbæ innumeræ.

Mich. 4. *Et erit in novissimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent, Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Hierusalem. Et judicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes usque in longinquum.* Hieronymus in *2. Esai.* ad JESUM docentem in monte refert eodem modo in *4. Michææ*, referens verba *Matthæi 4.* Basilius & Augustinus ad concursum hominum post Spiritus Sancti descensum ad Evangelicam legem. Eodem modo Justinus in *2. Apolog.* & in *colloquio.* Itemque Euseb. *lib. 6. cap. 13.*

Mich. 4. Hieron. Basilius. Augustin. Justinus. Euseb.

In

Matth.4. In Evangelistis. Primò, Matt. 4. *Et sequuta sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hierosolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem.* Secundo Luc. 5. *Cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei.* Tertiò Marc. 6. *Erant, qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant.* Quarto Marc. 1. *Et cum invenissent eum, dixerunt ei, quia omnes te quærunt.*

Luc. 5. Marc. 6. Idem. 1.

Duodecima NOTA: IESVS cum hominibus benignè suaviterque conversans.

Isa. 42. Isai. 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum. Judicium gentibus proferet. Non clamabit neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret. Et linum fumigans non extinguet. In veritate educet judicium. Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus insulæ expectabunt.* Chrysost. in *Demonst.* quod Christus sit Deus. Justin. in 2. *Apol.* & in *Tryph.* Euseb. *lib.* 9. *c.* 15. Basil. in *Reg. c.* 291. Tertull. 4. *adv. Marcion.* Hilar. in *Psal.* 131. *Pro, non erit tristis neque turbulentus* Septuaginta habent *splendebit, & non conteretur.* Sic legit Augustinus 20. *lib. de Civit. c. ultim.*

Chrysost. Justin. Euseb. &c.

Matth. 11. Luc. 9. Idem. 4. 2. Cor. 10 Rom. 15. In Evangelistis. Primo, Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis: & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Secundo: Luc. 9. *Nescitis cujus Spiritus estis. Filius hominis non venit homines perdere, sed salvare.* Tertio, Luc. 4. *Mirabantur de verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* Quarto, 2. Cor. 10. *Obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi.* Quinto, Rom. 15. *Unusquisque proximo suo placeat in bonum. Etenim Christus non sibi placuit.*

Decima tertia NOTA: IESVS peccatores benignè excipiens.

Mich. 4. Primò, Mich. 4. *in die illa dicit Dominus, Congregabo claudicantem: & eam quam ejeceram colligam: & quam afflixeram consolabor: Et ponam claudicantem in reliquias, & eam quæ laboraverat in gentem robustam: & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum.* Hieronym. *lib.* 1. *in Mich.* de priore Domini adventu, in quo peccatores salvati sunt. Eodem fere modo Arias Montanus.

Hieron. Ben. Arias Mont.

Isaiæ 35. Hieron. Greg. Magn. Secundò, Isaiæ 35. *Ibi in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & junci. Et erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur.* Hieronym. Gregorius 29. *Moral. cap.* 14. *lib.* 2. *in Ezech. hom.* 3. Apud septuaginta tamen aliter habetur.

1. Reg. 22 Tertiò, 1. Reg. 22. *Et convenerunt ad David omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi are alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.*

Matth. 9. Idem 11. Luc. 5. 1. Tim. 1. In Evangelistis, primò, Matt. 9. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Secundo, Matth. 11. *Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Tertiò, Luc. 15. *Erant appropinquantes peccatores, & publicani, ut audirent illum.* Quarto, 1. Timoth. 1. *fidelis sermo, & omni acceptione dignus, qui Dominus JESUS venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.*

Decima quarta NOTA: In parabolis loquens.

Psal. 77. Chrysost. Psal. 77. *Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita à constitutione mundi.* Tractatus Chrysostomi in *Oratione contra gentiles*, quod Christus sit Deus, in 5. *Tomo.*

Matt. 13. Psal. 77. *In Evangelistis*, Matth. 13. *Hæc omnia locutus est JESUS in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem, Aperiam in parabolis os meum.*

Decima quinta NOTA: IESVM vera docentem, & vitia corripientem infesti persequuntur Scribæ & Pharisæi.

Psal. 108. Euthym. Augustin. Prosper. Primo, Psal. 108. *Os peccatoris & os dolosi, super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam, & posuerunt adversus me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Euthymius, & Augustinus manifestam esse Prophetiam de Judæis Christum oppugnantibus. Prosp. *de prædict. p.* 2. *c.* 25. Euseb. *lib.* 10. *c.* 3.

Sap. 2. Augustin. Cyprian. Secundo, Sap. 2. *Circumveniamus justum, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur Patrem se habere Deum.* Aug. *lib.* 17. *de Civi. cap.* 20. dicit apertissimam esse Prophetiam de Christi passione, & impiis interfectoribus ejus. Cyprianus recitat hunc totum locum de Christo *lib.* 2. *adversus Judæos cap.* 14. & in *libro de montibus Sion & Sina.*

Isa. 8. Tertio, Isai. 8. *Congregamini populi & vincimini, inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet.* Et mox: *Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem offensionis & in petram scandali, duabus domibus Israel, in laqueum, & ruinam habitantibus Hierusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* Extrema hujus testimonij ponunt Paulus ad Romanes 9. & Petrus in priore sua Epistola cap. 2. Illa verò superiora, *Congregamini & vincimini*, Cyrillus optimè interpretatur de Judæis à Christo victis, quoties eum tentarunt. Basilius, & Eusebius de persecutione Ecclesiæ à gentilibus mota magis accipiunt.

Rom. 9. 1. Pet. 2. Cyrill. Basil. Euseb.

Joan. 8. Idem 7. Luc. 16. Mar. 22. In Evangelistis, Primò, Joan. 8. *Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo.* Secundo, Joan. 7. *Nemo ex vobis facit legem, quid me quæritis interficere?* Tertio, Luc. 16. *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi qui erant avari, & deridebant illum.* Quarto, Mar. 22. *Consilium inierunt Pharisæi, ut caperent eum in sermone.* Et cætera, quæ passim occurrunt.

Decima

Decima sexta NOTA : IESVS Hierosolymam asello vectus ingrediens, & magnificè exceptus.

Zachar. 9 Primo, Zachar. 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus venit tibi justus & salvator: ipse pauper & ascendens super asinum & super filium asinæ.* Cyprian. 2. *adverſ. Judæos ca.* 29. Justin. in 2. *Apolog.* & in *Colloquio.* Chryſ. quod Deus ſit Chriſtus in 5. *Tomo.* Proſper de *Prædict. p.* 3. *ca.* 16. Euſeb. *lib.* 9. *cap.* 17. fusè.

Cyprian. Juſtinus. Chryſ. ſt. Proſper. Euſeb.

Pſal. 8. Matth. 21 Chryſoſt. Euthym. Secundo, Pſal. 8. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem.* Ipſe Dominus *Matth.* 21. Chryſ. in Demonſtrat. quod Chriſtus ſit Deus, Euthymius optimè.

In Evangeliſtis, Matth. 21. *Adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Secundo, *Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant dicentes: Hosanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hoc autem factum est, ut impleretur quod dictum est.*

Decima septima NOTA : IESV obedientia usque ad mortem.

Isa. 50. Primo Iſai. 50. *Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Nazian. in *Apolog.* Tertullianus. 4. *contra Marcionem.* Origenes *Homil.* 3. *in* 22. *cap. Geneſ.*

Nazianz Tertull. Origen.

Pſal. 35. Secundo Pſal. 35. *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfeciſti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordium mei.* Hoc teſtimonium commemorat Apoſtol. ad *Hebræos* 10. ut oſtendat obedientiam Chriſti in oblatione corporis ſui nobis DEUM reddidiſſe pacatum atque propitium, quemadmodum docet etiam ad Romanos ſcribens. Legi poteſt Euthymius ac cæteri Auctores hoc loco.

Hebr. 10.

Joan. 15. In Evangeliſtis, Joan. 15. *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio: surgite eamus hinc.* Secundo, Philip. 2. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo JESU, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Patri: sed seipsum exinanivit formam servi accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*

2. Phil. 2.

CAPVT VI.

NOTÆ aliæ de morte, passione, resurrectione ac ascensione ad cælos Messiæ.

ETsi omnes Christi actus à Prophetis fuerint prænunciati, præcipuè tamen, ut auctor est S. Irenæus *l.* 4. *adversus hær. c.* 66. passiones Christi in libris Prophetarum sunt descriptæ: ut enim ex sequentibus apparebit, nusquam Spiritus Prophetiæ, neque uberior, neque illustrior apparet, quam in Christi passionibus, opprobrijs, & doloribus declarandis. Quod non sine divino Consilio factum existimamus, nempe ut scandalum crucis ab humanis cordibus removeretur, atque ea DEI sapientia & virtus, quæ in passione elucebat copiosissimè, vocatis in regnum Dei commendaretur; quare & ipse Christus crebro atque apertè discipulos de morte sua, ac passione commonefaciendos antè putavit: ut quod in viris turpe erat supplicium crucis, id à Christo charitate hominum ardenti susceptum salutis nostræ trophæum, ac gloriæ DEI decus esset sempiternum. Irenæus.

Luc. 18. *Ecce*, inquit discipulos alloquens, Luc. 18. *ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis*, Quæ statim explicat: *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur; & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget.* Atque alio loco Luc. 22. & Esai 53. *Quod scriptum est oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me finem habent.* Et rursus: *Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo.* Mox etiam ad Petrum Matth. 26. *Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Et postquam à mortuis resurrexit duobus inter facientibus ac de ipso sermocinantibus sese comitem adjungens: *O, inquit, stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam?* Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Atque eodem die Apostolis apparens repetit, quæ prius de scripturis in ipso complendis commonefecerat. *Hæc*, ait, *sunt verba quæ locutus sum ad vos cum essem adhuc vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia; quæ scripta sunt in lege, Moysi, & Prophetis, & psalmis de me.* Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, & dixit eis: *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

Luc. 18. Luc. 22. Esa. 53. Psal. 40. Matt. 26. Luc. 24. Luc. 24.

1. Pet. 1. Hac Scripturarum luce perfusus Petrus ait: *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones & posteriores glorias: quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt vobis, per eos qui evangelizaverunt vobis.* Passiones Christi, quas dicat, perspicuum est, irrisiones nempe, &

& conviria, flagella, alapas, cæteraque gravia, quæ Evangelistæ narrant, atque inprimis abjectissimum mortis genus, opprobrium Crucis. In his enim prænunciandis tanta est Prophetici Spiritus magnitudo, ut longè copiosius in Prophetis, quàm Evangelistis legantur. Posteriores vero glorias, resurrectionem, mirabilem ad Patrem ascensum, & consessum ad dexteram: tum potestatem in omnia humana, & cælestia datam, & regnum immortale Sanctorum, atque ipsam Judicis extremi majestatem significat. Quæ futura quidem partim fide majorum, partim è Spiritu familiari occulta & incerta sapientiæ Deo docente, didicerant. Sed quia innumeræ sunt Christi passionis, & posteritatis gloriæ circumstantiæ, de præcipuis tantum sermo instituetur: qui plura desiderat, legat Josephum de Acosta *lib. 8. de Christo revelato* per totum.

DE PASSIONE, AC CHRISTI MORTE.

§. I.

Prima NOTA: Dominus IESVS à Iuda venditus.

Genes. 37. Zach. 11. Genes. 37. *Vendiderunt Joseph Ismaelitis triginta argenteis.* Zachar. 11. *Et dixi ad eos, si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam, triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.*

Matt. 26. In Evang. Matth. 26. *Quid vultis mihi dare, & eum vobis tradam? at illi constituerunt ei triginta argenteos.*

Secunda: IESVS comprehensus & ligatus.

Isa. 53. Isai. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur.*

Ierem. 37. Hierem. 37. *Comprehendit Irias Hieremiam, & adduxit eum ad Principes. Quamobrem irati Principes contra Hieremiam, cæsum eum miserunt in carcerem.*

Ioan. 18. In Evang. Joan. 18. *cohors ergo & tribunus & ministri Judæorum comprehenderunt JESUM, & ligaverunt eum.*

Tertia: IESVS à suis in passione desertus.

Zachar. 13. Zachar. 13. *Framea suscitare super Pastorem meum, & virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute pastorem, & dispergentur oves.*

Isa. 63. Isai. 63. *Torcular calcavi solus, & ex gentibus non est vir mecum.*

Ibidem: *Circumspexi & non erat auxiliator, quæsivi & non fuit, qui adjuvaret.*

Iob. 19. Job. 19. *Fratres meos longè fecit à me: & noti mei, quasi alieni recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me noverant obliti sunt mei.*

Matt. 26. In Evang. Matth. 26. *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.*

Quarta: IESVS alapâ percussus à servo.

Thren. 3. Thren. 3. *Dabit percutienti se maxillam.*

Iob. 16. Iob. 16. *Exprobrantes percusserunt maxillam meam.*

Mich. 5. Michæ, 5. *In virga percutient maxillam Judicis Israel.*

Ioan. 18. In Evang. Joan. 18. *Unus assistens Ministrorum dedit alapam JESU, dicens, Sic respondes Pontifici?*

Quinta: IESVS à falsis testibus accusatus.

Psal. 26. Psal. 26. *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quia insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.*

Iob. 16. Job. 16. *Suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi.*

Marc. 14. In Evang. Marc. 14. *Multi testimonium falsum dicebant adversus eum, & convenientia testimonia non erant.*

Sexta: IESVS reus mortis judicatus, & blasphemus, quod filium DEI se fecerat.

Sap. 2. Sap. 2. *Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Morte turpissima condemnemus eum.*

Ierem. 11. Hierem. 11. *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.*

Mar. 14. In Evang. Marc. 14. *Rursum summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tues Christus filius Dei Benedicti? JESUS autem dixit: Ego sum; summus autem sacerdos scidit vestimenta sua, & ait: Audistis blasphemiam? quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.*

Septima: IESVS colaphis, palmisque percussus, conspitus, & illusus.

Iob. 16. Job. 16. *Aperuerunt super me ora sua: & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt panno meis.*

Idem 30. Job. 30. *Factus sum eis in proverbium. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conspuere non verentur.*

Thren. 3. Thren. 3. *Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis.*

Isa. 50. Isai. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus. Ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio, quoniam non confundar.*

Matt. 26. In Evang. Matth. 26. *Exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?*

Octa-

Octava IESVS multis modis accusatus apud Præsidem à Iudæis.

Jerem.38 Hierem.38. *Dixerunt Principes Regi: Rogamus, ut occidatur homo iste: de industria enim dissolvit manus virorum bellantium, & manus universi populi, loquens ad nos juxta verba hæc. Si quidem homo hic non quærit pacem populo huic sed malum.*

Luc.23. In Evang. Luc. 23. *Cæperunt illum accusare dicentes Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.*

Nona: IESVS ad omnia sibi objecta tacens.

Esai. 53. Isai. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & nō aperiet os suum.*

Matth.26 In Evang. Matth. 26. *Cum accusaretur à Principibus Sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? & non respondit ei ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.*

Decima: IESVS flagellis cæsus.

Esa.50. Isai. 50. *Dorsum meum dedi ad flagella.*

Ioan.19. In Evang. Joan. 19. *Apprehendit Pilatus JESUM & flagellavit.*

Undecima: IESVS spinis coronatus, percussus, & illusus.

Thren.3. Thren. 3. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ; factus sum in derisum omni populo meo. Cantio eorum tota die. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. Et fregit ad numerum dentes*

Psal.31. *meos: Cibavit me cinere.* Psal. 31. *Die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

Matt.27 In Evangelistis, Matt. 27. *Tunc milites suscipientes JESUM in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum illudebant dicentes, Ave Rex Judæorum. Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.*

Duodecima: IESVS ad mortem Crucis instantissimè postulatus.

Gen.49. Genes. 49 *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura: In furore suo occiderunt virum, & voluntate sua suffoderunt murum.*

Thren.3. Thren. 3. *Vidisti omnem furorem eorum, universas cogitationes eorum adversum me: Audisti opprobrium eorum Domine: omnes cogitationes eorum adversum*

Sap.2. *me. Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me tota die.* Sap. 2. *Contumelia, & tormento interrogemus eum: & morte turpissima condemnemus eum.*

Joan.19 In Evang. Joan. 19. *Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes, Crucifige, Cru-*

Luc.23. *cifige eum.* Luc. 23. *Instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur, & invalescebant voces eorum.*

Decima tertia: IESVS à Iudæis negatus Rex eorum.

Dan.9. Daniel 9. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Esa. 1. *Filios exaltavi, & enutrivi: ipsi autem spreverũt: cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.* Osee 10. *Et dicent, non est Rex nobis. Non enim timemus Dominum. Rex quid faciet nobis? Loquimini verba visionis inutilia, fœdus cum mendacio, & germinabit quasi amaritudo judicium.*

Joan.19. In Evang. Joan. 19. *Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

Decima quarta: IESVS bajulans sibi Crucem.

Gen.22. Gen. 22. *Tulit quoque Abraham ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.* Esai. 9. *factus est* Esa.9. *principatus ejus super humerum ejus.* Sap. 14. *Benedictum est lignum per quod fit justitia.* Judic. 12. *Præ-* Sap. 14. Judic.12 *dixit Abimelec arboribus ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios, Quod me vidistis facere, cito facite.*

Joan.19. In Evang. Joan. 19. *Susceperunt autem JESUM, & eduxerunt, & bajulans sibi crucem, exivit in eum, quid dicitur Calvariæ locum.*

Decima quinta: IESVS cum latronibus ductus, & cruc. fixus.

Isa.53. Isai. 53. *Et cum sceleratis reputatus est.* Genes. 39. *Tradidit Joseph in carcerem, ubi vincti Regis custodiebantur.*

Luc.23. In Evangelistis Luc. 23. *Ducebantur & alij duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et crucifixerunt latrones, unum à dextris & alterum à sinistris.*

Decima sexta: IESVS in Cruce suspensus.

Psal.21. Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Zachar. 12. *Et aspicient ad me, quem confixerunt.* Zachar. 13. *Et dicetur* Zachar. 12. & 13. *ei, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet. Hu plagatus sum in domo eorum, qui diligebant*

Deut.28. *me.* Deut. 28. *Erit vita tua pendens ante te, & non credes ei.* Isai. 53. *Propter scelus populi mei percussi eum?*

Luc.23. In Evang. Luc 23. *Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvaria, ibi crucifixerunt eum.*

Decima septima: IESVS in Cruce irrisus à Sacerdotibus, à militibus, à latronibus, à prætereuntibus, à populo.

Psal.21. Psal. 21. *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labijs, & moverunt caput. Speravit in Domino, & ipsum liberet eum, salvum faciat eum,*

Psal.68. *quoniam vult eum,* Psal. 68. *Salvum me fac Deus,*

quo-

quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboravi clamans, rauca facta sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui tunc exolvebam. Thren. 2. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes viam: sibilaverunt, & moverunt caput super filiam Hierusalem. Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? aperuerunt super te ora omnes inimici tui: sibilaverunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt, Devorabimus. En ista est dies quam expectabamus, invenimus, vidimus.*

Thren. 2.

Matt. 27. In Evangelistis, Matth. 27. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: salva temetipsum, si filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum scribis, & senioribus dicebant, Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult. Dixit enim, Quia filius Dei sum. Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.*

Decima octava: Vestes IESV divisæ militibus.

Psal. 21. Psalm. 21. *Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

Joan. 19. In Evangelistis. Joan. 19. *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit, ut impleretur scriptura dicens, &c.*

Decima nona: Tenebræ IESV patiente.

Amos 8. Amos 8. *Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Hierem. 15. *Occidit ei sol cum adhuc esset meridies.*

Jerem. 15

Matt. 27. In Evang. Matth. 27. *A sexta autem hora, usque ad horam nonam, tenebræ factæ sunt super universam terram.*

Vigesima: IESVS sitiens aceto potatus.

Psal. 68. Psam. 68. *Et dederunt in escam meam fel, & in sitim meam potaverunt me aceto.*

Joan. 19. In Evangelistis, Joan. 19. *Postea sciens JESUS, quia omnia jam consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit, Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* Matth. 27. *Et dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum.*

Matt. 27.

Vigesima prima: IESVS consummans omnia,

Dan. 9. Dan. 9. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & Prophetia, & ungatur sanctus sanctorum.* Jonæ 1. *Et tulerunt Jonam, & miserunt in mare: & stetit mare à furore suo.*

Jonæ 1.

Joan. 19. In Evangelistis, Joan. 19. *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit consummatum est.*

Vigesima secunda: IESVS pro nobis mortem gustans.

Isa. 53. Isai. 53. *Abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum,* & infra: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum: & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur, in scientia sua justificabit ipse justus servos meos multos: & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia: pro eo quod tradidit in mortem animam suam.*

Joan. 19. In Evangelistis. Joan. 19. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Heb. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset filius DEI, didicit ex ijs, quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

Heb. 5.

Vigesima tertia: IESVS mortuus glorificatus à gentilibus.

Isai. 65. Isai. 65. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant: invenerunt me, qui non quæsierunt me: dixi, Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocabat nomen meum. Expandi tota die manus meas ad populum incredulum & contradicentem mihi.*

Matt. 27. In Evangelistis, Matth. 27. *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes JESUM, viso terræ motu, & ijs, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Vere filius Dei erat iste.*

Vigesima quarta: IESVS integer relictus.

Exod. 12. Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo.*

Joan. 19. In Evangelistis, Joan. 19. *Ad JESUM autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur.*

Vigesima quinta: IESVS perquam honorificè sepultus.

Isa. 11. Isai. 11. *Et erit sepulchrum ejus glorioſum.*

Joan. 19. In Evangelistis, Joan. 19. *Venit ergo Joseph ab Arimathæa, & tulit corpus JESU; venit autem & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ, & aloës quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus IESU, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus.*

DE RESVRRECTIONE CHRISTI Domini, & ascensione.

§. 2.

IESVS ascendens in cælum.

Psal. 67. Psal. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina in Sancto. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Psal. 46. *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ: psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi psallite: psallite sapienter. Regnabit Dominus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam.* Isai 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra iste formosus in stola sua, & gradiens in multitudine virtutis suæ.*

Psal. 46.

Isa. 63.

Marc. 16 In Evangelistis Marc. 16. *Et Dominus quidem JESUS postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet ad dexteris Dei.*

DE MISSIONE SPIRITVS sancti promissi ad Discipulos.

§. 3.

IESVS promissum Spiritum Sanctum à Patre mittens, & Discipulos dono cæleſti implens.

Joel. 2. Joel. 2. *Et erit in novissimis diebus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ: & juvenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, & ancillas meas effundam de spiritu meo,*

Exod. 19 *& prophetabunt.* Exod. 19. *Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei in loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem Mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in ma-*

Isa. 44. *jus.* Isai. 44. *Effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, sicut salices juxta prætereuntes aquas. Iste dicet, Domini ego sum. Et ille vocabit in nomine Jacob, & hic scribet manu sua Domino, & in*

Sap. 1. *nomine Israel assimilabitur.* Sap. 1. *Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet*

Ezech. 36 *omnia scientiam habet vocis.* Ezech. 36. *Adducam vos in terram vestram, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini. Et habitabitis in terra, quam dedi Patribus vestris. Et eritis mihi in populum, & ero vobis in Deum.*

Act. 2. In Evang. Act. 2. *Factus est repentè sonus de cælo, tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.*

CAPVT VII.

NOTÆ aliæ à Prophetis præviſæ de alijs Messiæ proprietatibus, & excellentijs.

NOTA prima: IESVS verus Propheta, & Magister hominibus datus à DEO.

Deut. 18. Moyses Deut. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies. Et ait Dominus. Ponam verba mea in ore ejus, loquenturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Hoc testimonium in JESU impletum indicat ipse ita dicens, Joan. 5. *Si crederetis Moysi, crederetis forsan & mihi: de me enim ille scripsit.* Philippus quoque Joann. 1. dicens Nathanaeli: *Quem scripsit Moyses in lege: & Prophetæ, invenimus JESUM Filium Joseph à Nazareth.* Apertius verò princeps Apostolorum Petrus Act. 3. *Moyses quidem dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester, &c.* Eodem modo Stephanus Act. 7. *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel, Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris.* Isai. 55. *Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Isai. 30. *Et dabit Dominus vobis panem arctum, & aquam brevem: & non faciet avolare à te Doctorem tuum: & erunt oculis tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & ne declinetis ad dexteram, neque ad sinistram.*

Joan. 5. Joan. 1. Act. 3. Act. 7. Isai. 55. Isai. 30.

In Evangelistis, Joan. 13. *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite.*

Joan. 13. Matth. 17

Secunda: IESVS Rex Israel, totiusque orbis Dominus.

Dan. 7. *Aspiciebam in visione noctis: & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit. Et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ servient ei, potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Dan. 2. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit DEUS cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur: & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum.* Hierem. 23. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet judicium & justitiam in terra.*

Dan. 7 Dan. 2 Jerem. 23

Luc.1. In Evangeliſtis. Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus: & regnabit in domo Iacob in aeternum: & regni ejus non erit finis.* Quæ ſit domus Iacob, in qua Chriſtus perpetuo regnat, Apoſtolus indicat ad Rom. 9. *Non omnes*, inquit, *qui ex Iſrael,* Rom. 9. *ij ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſionis, aſti-* Galat. 3. *mantur in ſemine.* Et planius ad Gal. 3. *Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ.* Itaque regnum Iſrael eſt ipſa Eccleſia fidelium: quæ & perpetua erit, & in omnes orbis partes ſe proferet, & hoc regnum tradetur Deo à Chriſto in fine, ut 1. Cor. 15 ſcribit Apoſt. 1. ad Corinth. 15. Joann. 18. *Regnum* Ioan. 18. *meum non eſt de hoc mundo.* Apoc. 1. Et *IESU Chri-* Apoc. 1. *ſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ: qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris, & fecit nos regnum, & Sacerdotes DEO & Patri ſuo, ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum.*

Tertia: IESVS Salvator populi ſui.

Deuter. 4 Deuter. 4. *Poſtquam te invenerint omnia, quæ prædicta ſunt, noviſſimo tempore reverteris ad Dominum DEUM tuum, & audies vocem ejus. Quia DEUS miſericors Dominus DEUS tuus eſt: non dimittet, neque omnino delebit, neque obliviſcetur pacti, in quo juravit* Iſa. 19. *patribus tuis.* Iſai. 19. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem & propugnato-* Ibid. 62. *rem, qui liberet eos.* Iſai 62. *Dicite filiæ Sion, ecce Sal-* Ibid. 63. *vator tuus venit.* Iſai 63. *Et factus eſt eis Salvator, in omni tribulatione eorum non eſt tribulatus: & Angelus faciei ejus ſalvavit eos. In dilectione ſua & indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cun-* Zachar. 9 *ctis diebus ſæculi.* Zachar. 9. *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Hieruſalem. Ecce Rex tuus venit, tibi juſtus & Salvator.*

Matt. 1. In Evangeliſtis, Matth. 1. *Vocabis nomen ejus IESUM, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Act. 4. *Notum ſit omnibus vobis, & omni* Act. 4. *plebi Iſrael, quia in nomine IESU Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem DEUS ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in aliquo alio ſalus. Neque enim aliud nomen datum eſt ſub cælo hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

Quarta: IESVS per ſanguinem ſuum Redemptor omnium peccatorum.

Exod. 12 Exod. 12. *Et ſument de ſanguine Agni, & ponent ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Erit autem vobis ſanguis in ſignum in ædibus, in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos. Neque erit in vobis plaga diſ-* Iſa. 53. *perdens, quando percuſſero terram Ægypti.* Iſai. 53. *Ipſe autem vulneratus eſt, propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.*

Ibid. Ibidem: *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas ejus in manu Domini dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus*

Zachar. 9 *meus multos: & iniquitates eorum ipſe portavit.* Zachar. 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.*

Matth. 20. In Evangeliſtis, Matth. 20. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem ſuam pro multis.* Matth. 26. *Hic eſt* Idem. 26. *ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Rom. 3. *Omnes peccave-* Rom. 3. *runt, & egent gloria DEI, juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU, quem propoſuit DEUS propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ.*

Quinta: IESVS ſpes unica gentium.

Gen. 18. *Num celare potero Abram, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ?* Gen. 18.

Gen. 22. *Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Gen. 22.

Oſe. 1. *Et erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, filij Dei viventis. Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum, & aſcendent de terra, quia magnus dies Iezrahel.* Oſee 1.

Pſal. 71. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes ſervient ei. Sit nomen ejus benedictum in ſæcula: ante ſolem permanet nomen ejus. Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus DEUS Iſrael, qui facit mirabilia ſolus: & benedictum nomen majeſtatis ejus in æternum, & replebitur majeſtate ejus omnis terra, fiat, fiat.* Pſal. 71.

Iſai. 49. *Et dixit, Parum eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & Iſrael convertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Iſa. 49.

Ibid. 66. Iſai. 66. *Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui ſalvati fuerint ad gentes in mare, in Africam, Lidyam tenentes ſagittam, in Italiam, & Græciam, ad inſulas longe, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino.*

Luc. 2. In Evangeliſtis Luc. 2. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.*

Ioan. 10. Joan. 10. *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unum ovile, & unus Paſtor.*

Epheſ. 3. Epheſ. 3. *Quod aliis generationibus non eſt agnitum filijs hominum ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis in ſpiritu: gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto JESU per Evangelium.*

Rom. 9. Rom. 9. *Vocavit nos non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex gentibus, ſicut in Oſee dicit, Vocabo non plebem meam plebem meam, & non dilectam dilectam. Et erit in loco, ubi dictum eſt: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei vivi.*

Sexta: IESVS radix totius gratiæ & justitiæ : caput & corona Sanctorum omnium.

Psal. 117. Psal. 117. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Sic ipse Christus
Matth. 21. posuit Matt. 21. sic Per. Act. 4. & Epist. *sua prima*
Act. 4. *cap.* 2. Paulus quoque ad Rom. 9. Esai. 28. *Hæc dicit*
1. Pet. 2. *Dominus Deus, Ecce ego mittam in fundamentis Sion,*
Rom. 9. *lapidem probatum, pretiosum in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet. Vel qui crediderit in*
Esaiæ 28. *eum, non confundetur.*

Isa. 53. Isai. 53. *Et erit justus ipse justificans servos meos multos.*

Idem 61. Isai. 61. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis, sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat : sic Dominus DEUS germinabit justitiam, & laudem coram omnibus gentibus.*

Joan. 1. In Evangelistis, Joan. 1. *Lex per Moysem data est: gratia & veritas per* JESUM *Christum facta est. Unde de plenitudine ejus nos omnes accipiemus.*

Idem. 13. Joan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite ; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere.*

Ephes. 1. Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per* JESUM *Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus.*

Septima: IESVS in novissimo die, multis prodigijs finem mundi antecedentibus, cum majestate vivos & mortuos est judicaturus.

Job. 19. Job. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo* DEUM *salvatorem meum : quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius ; reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Eccles. 12. *Finem loquendi pariter omnes audiamus. DEUM time, & mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, adducet* DEUS *in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.*

Isai. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga ejus, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis : quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino.*

Dan. 12. *In tempore autem illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui : & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, ut videant semper.*

Joel. 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat; & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel, quos dispersérunt in nationibus, & terram meam divisérunt.*

Marc. 13. In Evangelistis, Marc. 13 *Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit* DEUS, *usque nunc, neque fient. Et nisi breviasset Dominus dies, non fieret salva omnis caro; sed propter Electos, quos elegit, breviavit dies.*

Joan. 5. *Amen amen dico vobis, quia venit hora, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: & potestatem dedit etiam judicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc: quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicij.*

TERTIA DISPUTATIONIS PARS.

CAPVT VIII.

Christum fuisse verum Messiam.

MEssiam non esse purum hominem, sed hominem Deum, demonstratur quam plurimis argumentis, sed cùm agamus contra Judæos, ex solo veteri testamento duci possunt firma contra ipsos argumenta ; quæ nihilominus tot sunt, ut pleraque omittenda nobis sint brevitati ex more studentibus.

Primus ergo locus veteris testamenti, ex quo Messiæ Divinitas evidenter deducitur, in Baruch Propheræ vaticinio legitur: *cap.* siquidem 3. dicit: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum,* & quæ sequuntur usque ad illud, *Et post hæc cum hominibus conversatus est.* Ubi apertè vides Propheram de adventu Dei in carne loqui, Messiam ab illa DEUM appellari. Quo testimonio convicti Hebræi, sine fundamento negant, hunc librum Baruch in Canone scripturarum numerandum esse. Baruc. 3.

Secundum testimonium est Isaiæ, qui non semel, sed sæpè vaticinatus est, Christum & Messiam DEUM verum futurum: *cap.* enim 7. de Messia loquens dicit : *His vocabitur Emanuel* id est no- Isaiæ. 7.

b. scum

biscum DEUS, & *cap.* 35. de Messia loquens ait: *Idem 35.* *Deus ipse veniet, & salvabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*, &c. Ex quo liquidò constat Deum illum venturum ad salvandum nos, esse Messiam, cujus etiam sunt propria signa illa & miracula, quæ ibi prædicuntur. Nec ullus præter Christum illa perficit, neque illa Judæis ab alio, quàm à Messia expectanda sunt, cum ante Isaiam, nec post illum ex Prophetis aliquis talia signa operatus sit: atque idcirco Patres hunc DEUM, de quo Propheta loquitur, esse Christum *Athanasius.* rectissimè interpretantur. Athanas. *lib. de humanitate Verbi* post medium. Idem verò *Isa. c.* 45. ait: *Isa. 45.* *Te est Deus, & non est Deus absque te: verè tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.* Verba sunt Dei Patris Filium alloquentis, ut constat ex antecedentibus verbis, *Hæc dicit Dominus.* Et clarius ex versione Septuag. qui ita legunt: *Transibunt ad te, & adorabunt te, & in te orabunt, quia in te est DEUS*, &c. Et profecto locutio illa *in te est DEUS*, Christo propriissimè accommodatur, quia in Christi humanitate est divina persona, ut exposuerunt Epiphan. *Epiphan.* *contra Hæreses cap.* 57. & Cyrill. *lib. primo in Joan. cap.* *Cyrillus.* 15. Rectè quoque dicitur de Filio: *Non est DEUS absque te*, propter unitatem naturæ. Et D. Hieronym. meritò, super hunc locum scribens annotavit Christum convenientissimè vocari *DEUM absconditum*; propter assumptæ Humanitatis profundissimum mysterium. Hunc vero Isaiæ locum imitatus est Paulus cùm dixit, *Erat DEUS in Christo* *2. Cor. 2.* *mundum reconcilians sibi*: ut S. Hilar. *lib. 4. de Trin.* anno. xvii.

Idem Propheta *cap.* 52. ita DEUM loquentem *Esa. 52.* induci: *Hæc dicit Dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus*, in principio etiam & infra subdit: *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Idem ergo DEUS, qui antea per Prophetas loquebatur, quem populus Israël colebat, postea per incarnationem apparuit. Ut enim intelligeretur sermonem esse de præsentia DEI per incarnationem & adventum Messiæ, subdit Propheta: *Quam pulchri super montes pedes evangelizantis pacem, annunciantis bona.* Et infra: *Consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem, expandit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare DEI nostri.* Expen- *Soter.* dunt hunc locum Soter. *Epist. prima Decretal.* *Chrysost.* Chrysost. *homil. 5. in Marc.* *Cyrillus.* Cyrill. *lib. de Incar. unig.* *Euseb.* *c.* 2. Euseb. *lib. 6. de demonstrat. c.* 24. *Tertull.* Tertull. *lib.* 4. *contra Marcion. c.* 13.

Quatuor hæc loca ex Isaia, è multis sufficiat adduxisse, ad alios jam Prophetas accedamus, ac primò ad *Hierem. c.* 23. qui ita scribit: *Hoc est nomen,* *Jerem. 23* *quod vocabunt eum, Dominus justus noster*, ubi habetur nomen Tetragramma on, quod est proprium Dei: quo loco de Messia esse sermonem Hebræi ipsi confitentur, ut mirandum sit valdè, eorum ingenia hoc uno testimonio non convinci; sed convincerentur quidem, nisi aggravatum esset cor eorum, & nisi excæcasset illud jam pridem DEUS, *Isa. 6.* ut verbis utar *Isaiæ 6. c.*

Non minus aperte idem vaticinatus est Zachar. *Zachar. 2* qui *cap.* 2. scribit: *Hæc dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos.* Et infra: *Lauda & lætare filia Sion* (usque ad illud) *Dominus exercituum misit me ad te.* Ubi DEUS & Dominus exercituum missus à Deo exercituum dicitur ad salvandas gentes, & congregandam ex Judæis & Gentibus Ecclesiam. Ubi nemo non videt apertum esse de Messia sermonem, ut affirmant Hieronym. *super hunc locum*, Euseb. *lib. 2. de* *Hieron.*

Dem. c. 2. dem. 18. *lib. 5. c.* 25. & 26. *lib. 6. c.* 17. Ambros. 2. *de fide c.* 3. August. 20. *de civitate Dei cap. ultimo.* An vero Prophetia de congregatione Ecclesiæ, & vocatione gentium ad eam sit impleta, ex ipso rerum eventu, atque ex *Matt. c.* 28. colligi potest, ubi Christum loquentem inducit in hunc modum: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes*, &c. Ex eodem Zachar. idem probatur cap. 12. *Effundam super do-* *12.* *mum David, & super habitatorem Hierusalem spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem confixerunt.* Ubi verus DEUS est, qui loquitur, & promittit se daturum spiritum suum, & tamen dicit se esse crucifigendum, ut rectè exponit Cyprian. *Cyprian.* *lib. 2. contra Judæos cap.* 20. Et Euseb. *lib. 8. de Dem.* *Euseb.* *dem. 4.* Augustin. *lib. 20. de civitate Dei cap.* 30. *Augustin.*

Quod clarius idem Propheta vaticinatus est, cum *cap.* 13. scripsit: *Et erit in die illa, dicit Dominus* *Zachar.* *exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra.* Et *13.* postea circa finem subdit: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicit, Hu plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Si de re jam exhibita, & omnibus nota loqueretur, clarius, promisset in medium adducere.

Tertium testimonium est Malach. 3. *Statim ve-* *Malach. 3* *niet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Quin hic dominator atque Angelus testamenti sit Christus, qui postea in templo est præsentatus, nemo ambigere potest. Dominator autem proprium nomen est veri DEI in Scripturis. Sed nimis prolixa erit disputatio, si omnia veteris testamenti testimonia velim adducere; hæc sufficiant, quæ si singula expendantur, evidenter nostram assertionem concludunt, & omnia simul expensa, ingenia quoque omnia, non omnino depravata convincere possunt.

Quartum, & fortè efficacius testimonium desumitur ex Psalmo secundo, qui Psalmus de Christo intelligitur, tum quia Rabbini, teste Galatino, de Messia exponunt, tum etiam, quia de Christo intelligitur *Act.* 4. & 13. In hoc igitur Psalmo dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ac ne putemus Messiam esse filium Dei per adoptionem, quomodo etiam Israel dictus est primogenitus Dei; subjungit: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram; & apprehendite disciplinam*, &c. Ubi nota in Hebræo fonte, quem adversarij semper requirunt esse, נשקו־בר *Osculamini filium*, id est, in signum subjectionis osculamini manum filij aut pedem. Neque obstat quod LXX. verterint, *Apprehendite disciplinam.* Illi enim ad sensum, non ad verba respexerunt; tunc enim adoramus verè Christum, cum ejus doctrinam recipimus.

Nota præterea in sequentibus verbis (*Ne quando irascatur Dominus*) in Hebræo non esse *Dominum*, sed referri ad Filium illa verba, *Ne quando irascatur*, nimirum Filius. Ex quo intelligimus vocem *Domini* à LXX. additam ad Filium esse referendam, de quo etiam intelligitur necessariò id quod sequitur: *Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo.* Hinc est jam argumentum: Messias est Filius Dei adorandus ab omnibus Regibus, & quibus ille irascitur ij omnino peribunt, & qui in illo confidunt, illi beati erunt: ergò Messias est verus DEUS. Nam solus verus DEUS habet imperium vitæ & mortis, 1. *Reg.* 2. *1. Reg. 2.* Item in scripturis passim in solo vero Deo confidendum esse dicitur, ut Hier. 17. *Maledictus homo,* *Jerem. 17* *qui confidit in homine.* Et infra: *Benedictus vir, qui confidit in Domino.*

Testimonia hactenus divina in Scriptura existentia protulimus, quibus Messiæ Christi divinitas comprobatur: nunc alia quoque testimonia divina, à Deo mirabiliter extra Scripturam exhibita adduci possent, ut nostræ fidei assertio constaret magis, & pateret illustrius, quæ partim continentur prædictionibus Sibyllarum de Christi divinitate, partim eventibus aliquot mirabilibus, quibus historiæ produnt divinitus sæpè fuisse approbatam Christianorum de divinitate Christi sententiam, quæ legi possunt apud Bellar. *Tom. 1. lib. 1. de Christo à cap. 4.* & Gregorium de Valen. *Tom. 1. d. 2. q. 1. p. 1. paragr. 19* Nunc solvere oportet argumenta, quæ Judæi contra doctrinam hucusque à nobis traditam objiciunt.

Bellarmi. Greg. à Valentia.

CAPVT IX.

Solvuntur objectiones Iudæorum, quibus probare conantur Christum non fuisse verum Messiam.

OBjiciunt primò Judæi. Esto, aliqua de Messia à Prophetis prædicta, in Christo adimpleta sint, alia tamen existunt, quæ illi non conveniunt: Ergo non ille fuit verus Messias. Ant. prob. Nam ex Prophetis constat futuram Messiæ tempore maximam in populo Hebræo felicitatem, ut constat ex Isa. 6. Joël. 3. & Amos 9. ubi dicitur. *Ecce dies veniet dicit Dominus, & comprehendet arator messorem & calcator uvæ mittentem semen, & stillabunt montes dulcedinem.* Prædixerat autem paulò ante: *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit*: sed hæc temporibus Christi non contigere: ergò, &c.

Isa 6. Joël. 3. Amos 9.

Resp. Hebræos sensu carnis esse deceptos. Regnum siquidem Messiæ, & felicitas per illum promissa, non caduca & materialis intelligenda est, sed spiritualis, & æterna: promissa sunt nobis per Christum ea bona, quibus non possunt esse aliqua meliora, quæque salutem veram hominibus afferunt: & conctis mortalibus æquè possunt esse communia, hujusmodi autem proprietates non possunt convenire temporalibus bonis, sed spiritualibus & æternis. Deinde idem Messias alijs Prophetarum oraculis describitur pauper, humilis, & vir dolorum, & sciens infirmitatem. Signum est igitur abundantiam bonorum per ipsum futuram, non carnaliter sed spiritualiter intelligendam esse, ut rectè Hieron. sæpè docet super Propher. & August. *lib. de spiritu & litera.*

Hieron. Augustin.

Objiciunt secundo, Tempore Messiæ prædictum ab *Isa.* est *c.* 11. Lupos cum agnis, pardos cum hædis, leonem cum ove habitaturos: *Habitabit lupus cum agno* (inquit Propheta) *& pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos*: sed hæc non evenerunt diebus Christi: ergo, &c.

Isaiæ 11.

Resp. Hæc & similia non sic ad litteram, & in sensu proprio esse intelligenda, sed in sensu metaphorico: sæpe enim sub metaphora materialium rerum spirituales promittuntur, ut non debeant Judæi ipsi litteræ, quæ spiritum occidit, adeo firmiter adhærere.

Tertiò objiciunt: In scriptura prophetica significatum est fore, ut adventus Messiæ sit in summa gloria & majestate: sic autem non venit Christus: ergo, &c.

Resp. Duplicem esse Messiæ adventum in Scripturis propheticis prædictum, unum in humilitate ad redimendum genus humanum à peccatorum jugo, & servitute Diaboli, de quo Zachar. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi, justus, & salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Iste adventus jam est impletus.

Zachar. 9

Alterum in gloria & majestate ad judicandos homines in fine sæculi, de quo psalm. 49. *Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet*, &c. Isa. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus reddere in indignatione furorem suum.* Hic adventus adhuc expectatur, ad eumque pertinent ea vaticinia, quæ malitiosè Judæi opponunt de gloria Messiæ: Ideo igitur Judæi errant, qui primum à secundo adventu non secernunt, ut egregiè ostendit Cyprianus libro de Idolorum vanitate.

Psal. 49. Isa. 66. Cyprian.

Quarto objiciunt: In scriptura etiam prædictum esse, ut adventu Messiæ vehementer lætaretur Israel; quod secus accidisse in adventu Christi compertum est.

Resp. cum D. Paulo ad Rom. 9. *Non omnes qui ex Israel sunt veros esse Israelitas, neque qui semen sunt Abrahæ, filios veros esse Abrahæ; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine*, hoc est, veri Israel filij. Hic Israel spiritualis omnino lætatus est Christi adventu, quamvis non ille carnalis Judaicus. Quæ vero de lætitia Israelis in adventu Messiæ prædicta sunt, de spirituali Israele intelligi debent.

Rom. 9.

Quinto opponunt etiam alia vaticinia, quibus significatur fore, ut Messias populum suum vi atque armis liberet, quod non fecit Christus.

Resp. ea etiam spiritualiter intelligenda esse; de vi scilicet & potentia spirituali, quæ merito & passione Messiæ contineretur, valeretque adeo ad superandos hostes spirituales, vincendosque homines in spiritualem libertatem à peccatis; id quod optimè ostendit Jo. Driedo *num. 2. de captivitate & redemptione generis humani c 1. memb. 3. dist. 3.*

Jo Driedo

Ultimo tandem objiciunt quædam loca, quibus significatum est, fore, ut ad adventum Messiæ reædificaretur templum, quod neque per Christum factum est. Id verò præsertim colligunt ex Isa. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Sic prædixit Isa. unde colligunt in diebus Messiæ Hierosolymitanum templum, & montem illum, in quo fundatum erat, supra omnes montes esse altius elevandum, ut Galatin. refert *lib. 4. cap. 17.* Resp. hunc locum, & si quæ sint similia huic, de templo spirituali, quod est Christi Ecclesia, intelligendum esse, ut inter alios egregiè ostendit Augustinus *libro 18. de Civitate Dei cap. 45.*

Isa. 2. Galatinus Augustin.

Quædam alia objiciunt, quæ ex prædictis facilè solvi possunt: omnia vero inde oriuntur, quod Judæi litteræ corticem non sensum, corpus non animam sæpè attendunt, neque duos Christi adventus agnoscunt, quæ duæ radices sunt Judaicæ cæcitatis, ut benè notarunt Tertul. *in Apologet. adversus Gen. c. 21.* Cyprian. *li. de Idolorum vanitate versus finem*, Irenæ. *lib. 4 c. 56.* Origen. *lib. 1. contra Celsum* non longe à fine, Rabbi Samuel in *Epistola de*

Tertull. Cyprian. Irenæus. Origenes. R. Samuel

de adventu Messiæ c. ix. & x. habetur *Tom. 5.* Bibliothecæ. PP.

CAPVT X.

Solvuntur objectiones, quæ à Iudæis fieri solent, contra Messiæ Christi divinitatem.

Deut. 18. OBjiciunt primo Hebræi, verba illa Deut. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus DEUS tuus.* Quæ de Messia esse prolata testes sunt fidelissimi, Petrus & Stephanus *Actorum* 4. & 7. Atqui verbis illis Moyses indicat Prophetam illum non esse futurum DEUM, tum quia dicit sibi futurum similem, atque adeo purum hominem, sicut ipse erat; tum maxime, quia subdit: *Ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in monte Horeb, quando dixisti, ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ait Dominus, Bene omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo eis similem tui.* ergò ille Propheta non erat futurus Dominus Deus; nam populus petebat, ne sibi Dominus loqueretur: at Deus admisit petitionem, dicens se daturum Prophetam, & per illum locuturum.

Act. 4. & 7.

Vid. cap. 5. & 6. Bibliothe. Theolog. Tom. 5. lib. 4. Et 2 part. instructionis Missionariorum Tomo 4. operum ven. P. Joan. à Jesu Maria.

Resp. hoc loco solum dici, illum Prophetam fuisse futurum hominem verum, Prophetam, legislatorem, mediatorem inter homines & Deum, & ita similem Moysi, & in natura, & officio: non oportet autem ut in alijs omnibus conditionibus futurus esset omnino similis, alias nec fuisset redemptor, nec natus ex virgine, nec in similibus perfectionibus Moysem superasset.

Quod verò postea significat DEUM per se populo non esse locuturum, ita intelligi debet, ut non sit locuturus eo modo, quo antea, quasi per divinitatem ipsam, & signis & prodigijs illam indicantibus, sed humana voce, per humanam naturam ex eorum genere assumptam, quo non excluditur, quin ille Propheta DEUS simul futurus esset, & verus homo.

Objiciunt secundo. Turpe valdè videri, ut DEUS æternus homo factus sit in tempore, in præsepio reclinatus, traditus, flagellatus, crucifixus, mortuus; quæ non solum inconvenienter & scandalosè affirmari videntur de DEO, sed videntur quoque Divinitati repugnare: non ergo Messias, qui homo erat futurus, neque Christus, qui fuit occisus, verè est DEUS.

Ad perfectam hujus objectionis solutionem, plura essent hoc loco dicenda ex ijs, quæ latè à Theologis disputari solent 3. *p. q.* 2. sed incongruè, dum contra Judæos scribimus adducerentur, quibus (si semel Scripturis credunt) illud est nobiscum commune, ut spretis humanæ sapientiæ rationibus, ea quæ in Scripturis continentur, tanquam effata cælestia, atque à DEO dictata, & proinde verissima venerentur.

Quare si semel, ut demonstravimus, Scripturæ palam affirmant Messiam fore DEUM & hominem, Judæorum est, sicut Christianorum, Deo dicenti credere, quicquid ex humana philosophia objiciatur. At verò loco solutionis prolixioris prædictarum difficultatum, quæ in objectione insinuantur, placet partem eorum, quæ elegantissimè Nazianzenus scribit *Oratione* 3. *de Theologia*, sub finem referre, ut quæ maximè videantur, ad hunc locum pertinere. Progenitus, inquit, est Christus, &c. quæ sequuntur usque ad Infernum descendit, sed animas revehit, atque in cælos ascendit, venturusque est ad judicandos vivos & mortuos. Quibus eloquens atque doctissimus Pater, ornatè admodum ostendit, quonam pacto Christus Servator noster, cum humanitate divinitatem, cum humilitate gloriam, cum passione triumphum, cum morte victoriam gloriosè conjunxerit. Atque hæc dixisse sufficiat, circa objectionem secundæ hujus difficultatis; nam DEO dante, in secundo Tomo pro Judæorum Catechismo, plura de convenientia incarnationis, mortis, ac passionis Christi dicemus.

Tertiò tandem possent quædam novi testamenti loca adducere, quibus aliquando Christus minor Patre, factus, filius, aut creatus asseritur, quæ solent ab Arianis adduci, contra Christi divinitatem: sed quia Judæi tanto persequuntur odio novum testamentum, ut illo neque contra nos uti velint, ea prætermittemus, attenti solum ad objectionem Respondere, ea & similia de Christo secundum humanitatem intelligenda esse: secundum quam est filius MARIÆ Virginis, minor Patre, factus atque creatus in tempore, etsi concedendum absolutè non sit, Christum esse creaturam, ut rectè admonuit D. Thom. 3. *p.* quia Christus in prædicta propositione sumi solet materialiter, pro supposito: secundum quod esset falsum dicere Christus est creatura, ea autem acceptio materialis hujus nominis Christus in prædicta propositione est valde conformis rationi, ut Theologi ferè omnes docent, & præsertim D. Tho. *loco citato.* D. Thom.

Ad calcem hujus cap. similitudines duas aliarum quarundam unionum rerum diversissimarum lubet annotare, quibus fiat credibile potuisse Deum naturam humanam unire divinæ personæ: siquidem unliones aliæ creduntur, quamquam intellectui nostro difficillimæ sint, vel propter evidentem rationem, vel propter probabilem. Inter omnes ejusmodi uniones, illa ex D. Thom. sententia *lib.* 4. *contra Gent. c.* 41. & Athanasij in Symbolo, & aliorum Patrum, maxime videtur rationem hujus negotij credibilem facere, qua videmus animam & corpus, licet res diversissimæ sint, sic tamen copulari atque conjungi, ut ex illis conjunctis resultet unica substantia, unica nempe natura humana. Quare ergo sibi Judæi persuadere non poterunt fieri posse, ut ex subsistentia, seu personalitate Divini verbi, & humana natura seu humanitate constet una quædam substantia, quæ sit non una natura, sed una persona, in utraque natura, Divina, & humana subsistens?

Adducit etiam Durandus *in* 3. *d.* 1. *q.* 1. similitudinem ex arborum insitione, ea enim fit, ut ex duabus diversis naturis, quarum quælibet sit completa secundum speciem, rationemque retineat suam, constituatur unum quoddam, unitate quantitatis: sicut per hoc mysterium ex duabus etiam perfectis naturis, quarum utraque rationem suam conservat, existit una persona unitate substantiæ & perfectionis, quæ in his quæ sunt corporis expertia nominari solet quantitas virtutis seu perfectionis. Ex his duabus similitudinibus,

bus, prior certe est aptior, sed altera quoque est conveniens, præcipuè secundum vulgarem hominum opinionem. Neutra vero est per omnia unioni hypostaticæ similis, in plerisque est dispar ratio, neque vero possumus aliquid huic mysterio simile proferre, quod per omnia conveniat.

CAPVT XI.

De alijs erroribus & fabulis in Thalmud Iudæorum contentis.

Vid. cap. 7. loco cit. Biblioth. Theolog.

POst hæc tam illustria Scripturarum testimonia, quibus tam luculenter adventus Salvatoris probatur, & Judæorum pertinacia convincitur, aliud afferemus ad eorum confundendam cæcitatem efficacissimum argumentum, fabulæ scilicet & nugæ Thalmud ineptissimæ, in quibus veluti in speculo deprehenditur, in quam profundos errores & densissimam cæcitatem, qui divina gratia exciderunt, de more prolabantur; cum enim adeò clara sint fabulosa ista deliramenta, ut ne obtusissimis hominum ingenijs persuadere posse videantur, Judæi tamen sub pœna mortis ijs firmiter credere compelluntur.

Fabulæ igitur Thalmud collectæ olim fuerunt accuratissime à N. de Sancta Maria Medico in lege Moysis versatissimo, postea verò ad fidem Christi converso, ex quibus etiam aliquas refert Sixtus Senensis in *Bibliotheca sua sancta lib. 2. fol. 199* qui auctores Thalmud, blasphemias, ridiculasque fabulas fideliter transcripserunt, addentes singulis fabulis librum, capitulum, & priora verba capituli idiomate suo hebraico expressa. Nec de his licet dubitare, cum plenæ sint Italiæ & aliarum provinciarum Synagogæ prædictis Thalmud voluminibus.

Incipiã igitur horum portentosas fabulas ex Sixto Senense referre, ut clarius Judæi se à Deo derelictos cognoscant, qui eos apertissimis contra lumen naturale implicari erroribus ita permisit: ex innumeris stultitijs & blasphemijs collegit aliquas non solum adversus Christum Dominum, sed etiam adversus Moysaicam ac naturæ legem & contra ipsam Divinæ Celsitudinis majestatem.

Blasphemiæ ex Thalmud adversus Christum Deum nostrum.

BLasphemiæ, quas impij Judæi in Christum DEUM nostrum emittunt, adeò sunt execrabiles, ut animus horreat, manusque refugiat eas scribere: proinde tantum sufficerit hic loca quædam indicasse, ubi hæc habeantur.

Inprimis, Quo partu Christus natus sit, & quam habuerit Matrem ac patrem: *Ordine primo, tractatu nono, versu quadragesimo nono*, incipiendo à verbo *Mebila*.

Quæ fuerit Christi professio, studium, & ars: *Ordine quarto, tractatu quarto distinctione quinta, charta decima septima.*

Quem Deum Christus coluerit: *Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione secunda, charta 107.*

Qua de causa, & quo supplicio Judæi Christum interfecerint: *Ordine 4. tractatu quarto, distinctione sexta, charta 43.*

Quo nunc loco detineatur anima Christi: *Ordine tertio, tractatu sexto, charta 57.*

Adversus divinæ Majestatis celsitudinem.

DEus ante mundi creationem ne otio torpesceret, exercebat se in extruendis varijs mundis, quos ubi condiderat, paulò pòst destruebat, atque iterum instaurabat, quoad hunc, quem nunc habemus mundum facere didicisset: *Ordine 1. tractatu 4. distinctione 3.*

Deus tres primas horas diei totas insumit in lectione legis Judaicæ: *Ordine secundo, tractatu primo, distinctione decima quarta.*

Moyses cùm aliquando ascendisset in cælum, invenit Deum scribentem accentus in Scriptura sancta: *Ordine 5. tractatu 6. distinctione 5.*

Deus die prima Novilunij mensis Septembris judicat universum orbem, reliquis deinde sequentibus decem ejusdem Lunæ diebus, applicat se ad scribendos justos in libro vitæ, malos verò in libro mortis: *Ordine 2. tractatu 8. distinctione 5.*

Deum quotidie precationes, ac orationes devoto animo facere. *Ordine 1. tractatu 1. distinctione prima.*

Deum habere locum quemdam separatum, in quo statutis temporibus, multis cum lachrymis deflet, ac seipsum affligit, quod Judæis iratus, templum everterit Hierosolymitanum, & populum suum in captivitatem disperserit: *Ordine 2. distinctione 5. & ordine 1. & distinctione 2.*

Deus quotidie imponit sibi circa caput, & brachia vittas, sive corrigiolas quasdam coriaceas, *Thephilin* appellatas; induitque se ipsum tunica quadam linea, quæ *Zizit* nuncupatur, atque hoc modo ornatus procumbit in genua, & orat. *Ordine 2. tractatu 8. distinctione 5.*

Deum præcepisse populo Judæorum, ut singulo quoque novilunio sacrificium expiationis peragant, ad expiandum scelus perpetratum à Deo, quando lumen quod injustè à Luna ademerat Soli attribuit: *Ordine 4. tractatu 6. distinctione prima.*

Deus quoties reminiscitur calamitates, quas Judæi à cæteris gentibus patiuntur, lachrymas duas effundit in mare Oceanum, & præ dolore pectus utraque manu contundit: *Ordine 1. tractatu 1. distinctione 9.*

Deus tribus postremis diei horis laxandi animi gratia ludebat olim cum pisce quodam magnæ magnitudinis, qui leviathan appellatur: *Ordine secundo, tractatu Primo, distinctione quartadecima, & ordine quarto, tractatu octavo.*

Deus ignota de causa indignatus pisci magno Leviathan, ipsum occidit, carnesque ejus sale condidit, ut ex his cibum ministraret animabus sanctorum in futuro sæculo: *Ordine quarto, tractatu tertio, distinctione quinta.*

Deum quotidie semel nasci, & tunc cristæ gallorum gallinaceorum rubotem amittunt, ipsique interim uno pede stant, tunc si quis eodem momento alicui maledixerit, is statim concidet mortuus: *ordine primo, tractatu primo.*

Deum

Deum creasse elementum ignis in die Sabbati: *Ordine 2. tractatu 3. distinctione 4.*

Cum olim Rabbini quidam adversus Rabbi Eliezer, disputationem inissent, Deus voce cælitùs demissa, sententiam contra illos pro Rabbi Eliezer protulit; quamobrem indignati Rabbini Deum anathematis pœna damnarunt, tum Deus ipse subridens, Filij, inquit, mei me vicerunt. *Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione septima.*

Cum Deus die quadam in cæli curia dissereret de specie quadam lepræ, quam ipse mundam esse ajebat, cæteris dissentientibus Rabbinis, qui immundam esse affirmabant, his tandem communi omnium assensu, devoluta est ad sapientissimum quendam Rabbinum, qui cum sententiam proferre pararet, statim ejus anima relicto corpore, vociferari cœpit Mundam, mundam: *Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione septima.*

Tanta fuit olim in Rabbino quodam prudentia, ut diabolum simul & Deum, hoc astu eluserit. Cum Rabbinus in extremo vitæ articulo laboraret, diabolum precibus exorat, ut se jam jam moribundum ad portas usq; cælestis regni deducat: ut inspecto inde loco divinæ habitationis, lætus ex hac vita decedat, hanc gratiam cum diabolus veteri amico præstitisset, Rabbinus illico intra portas cæli se conjiciens, juravit per Deum viventem se nunquam inde recessurum, qua de causa coactus est Deus hominem apud se remittere, ne illum perjurum faceret, sicque hac una arte prudentissimus vir Deum, ac diabolum simul fefellit.

Adversus Sanctos veteris testamenti.

Cum Angelus Gabriel grave flagitium commisisset, Deus jussit illum igneo flagello flagellari: *Ordine 2. tractatu 5. distinctione 8.*

Adam cum omnibus animantibus, tam masculis, quam fœminis coivit, neque unquam appetitui suo satisfecit, nisi posteaquam cum Eva concubuit: *Ordine tertio, tractatu primo, distinctione sexta.*

Corvus emissus à Noe tempore diluvij, nolebat ex arca discedere, timebat enim, ne post discessum suum Noe, cum cornice uxore sua coiret: *Ordine quarto, tractatu quarto.*

Job nunquam fuisse in humanis, & historiam ejus esse confictam: *Ordine quarto, tractatu tertio.*

David in adulterio, & homicidio non peccavit; & quicunque eum in his peccasse crediderit, hæreticus est: *Ordine 2. tractatu 1, distinctione 5.*

Adversus legem Moysis.

Quod licitum sit cum propria uxore masculino concubitu uti: quare cum duæ mulieres essent de hac re apud Synagogam conquestæ; respondérunt Rabbini virum esse uxoris dominum, proinde posse eum uti corpore uxoris suæ, utcunque voluerit, non aliter, quam ille qui piscem emit: is enim tam anterioribus, quam posterioribus piscis ejus partibus ad arbitrium vesci potest. *Ordine tertio, tractatu tertio, distinctione secunda, & charta vigesima facie secunda.*

Si quis aut filiam suam, aut sororem suam sibi matrimonio junxerit, is rem Deo facit gratissimam: *Ordine secundo, tractatu primo.*

Rabbinum, qui non oderit hostem suum usque ad mortem, & qui vindictam adversus eum non quæsierit, indignum esse nomine Rabbini: *Ordine quinto, tractatu primo, distinctione secunda.*

Gravius plectendos esse eos, qui contradicunt verbis Scribarum, quàm verbis Mosaicæ legis, quibus qui contradixerit, absolvi potest; qui vero verbis Rabbinorum contradixerit, morte moriatur: *Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione decima.*

Si testes de falsitate convicti fuerint, puniri debent pœna talionis; quod si contigerit injustè accusatum fuisse damnatum, & ita pœna affectum, tunc falsi testes absolvi debent, & nulla pœna puniri: *Ordine 4. tractatu 4.*

Si quem major pars judicum ad mortem damnaverit, is mori debet: si vero omnes nullo excepto, in ejus damnationem consenserint, absolvatur: *Ordine quarto, charta 17.*

Si quis marsupium loco publico invenerit, sciveritque ejus dominum jam de inventione marsupij desperasse, non tenetur ad restitutionem marsupij: *Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione quinta.*

Aliæ hæreses, & superstitiones.

Animas hominum migrare de corpore in corpus hac lege, ut si anima in primo corpore peccet, mittatur in secundum, in quo si iterum peccat, mittitur in tertium corpus, in quo si peccare non desistat, denique in gehennam detruditur: *Ordine 4. tractatu secundo, & pluribus aliis locis.*

Animam Abelis migrasse in Seth, animam vero Seth in Moysem. *ibid.*

Animæ indoctorum hominum in resurrectione non recipient corpora sua: *Ordine tertio, tractatu secundo, charta tertia.*

Rabbini duo singula quaque hebdomada pridie Sabbati duos vitulos creabant, quos deinde totos comedebant: *Ordine 4. tractatu 4. distinctione secunda, charta 65.*

Quicunque ter in Sabbato comederit, vitam æternam consequetur in alio sæculo: *Ordine secundo, tractatu primo, distinctione sexta.*

Nihil comedi debet numero pari, sed impari: hoc enim numero maxime delectatur Deus: *Ordine 4. tractatu 2. distinctione 7.*

Si quis oraverit facie ad meridiem conversa, sapientiam consequetur: ad septemtrionem vero divitias: *Ordine 4. tractatu 3. distinctione 2. charta 25.*

Si quis sub ventre Cameli, aut inter duos Camelos, aut inter duas mulieres pertranserit, nihil unquam ex Thalmud poterit edisce re: *Ordine 4. tractatu 10. distinctione 2.*

Si quis negaverit libros Thalmudicos, in quibus scripta continentur prædicta sanctissima præcepta, Deum ipsum negat. *Præfatione totius Thalmud.*

DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM PROCURANDA.

LIBRI IX.

PARS SECUNDA.

CAPVT I.

De ratione agendi cum Iudæis, & juvandi illos.

Judæi blanditijs ad fidem orthodoxam reducendi.

QUi muneri conversionis infidelium incumbunt, maximè studere debent, ut alienà Christiana Religione ad eam blandimentis, non asperitatibus adducantur: quod præcipuè est observandum cum Judæis, teste *D. Gregorio*; qui potius auctoritatibus, rationibus & blandimentis, quàm rigore, ad fidem Christianam recipiendam provocari debent. Quare in Evangelio eis annuntiando, divinarum Scripturarum, præsertim veteris testamenti, testimonijs utendum est: confundendi enim expugnandique Judæos nulla est alia ratio, nulla via, nisi ex Scripturis ipsorum JESUS Christus demonstretur: in quo omnia à lege, & Prophetis prædicta penitus expleta sunt, ut amentiæ sit, alium, in quo illa fiant, præstolari.

Utendum contra Judæos veteris testamenti testimonijs.

Incubuit in id studij vehementer Paulus, egregius Christi prædicator, cujus indefessam in hoc Judæis probandi operam, cùm alias sæpè, tum

Act. 17. apud Thessalonicenses maximè Actus Apostolici commendant. *Cum perambulassent*, inquit, *Amphipolim & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis de scripturis; adaperiens, & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis: & quia hic est IESUS Christus, quem ego annuntio vobis.* Cui præceptoris optimi industriæ par nobilium auditorum cura respondit. Nam nobiliores, inquit, eorum qui sunt Thessalonicæ susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. Quo tempore eloquentissimi, ac scripturarum potentissimi fratris Apollinis in Evangelico negotio promovendo, & Judaica pervesitate confutanda extitit mirabilis vis.

Act. 18. *Iudæus*, inquit, *quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum potens in scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt* JESU. Ac mox: *Qui cùm veniſſet* (in Achaiam) *contulit multum his, qui crediderant, vehementer enim Judæos revincebat, publicè ostendens per Scripturas esse Christum* JESUM. Hoc Apostolorum studium imitati in conciliandis fidei Christianæ Judæis, vel si sponte insanire mallent, obstruendis ac pudefaciendis, posteriores nonnulli, non verbo solùm, sed literis etiam egerunt: ut Christus in utroque testamento pariter ostenderetur. Extat præclara, ac prolixa *disputatio* Justini Martyris *cum Tryphone* principe Synagogæ. Extant libri sancti etiam Martyris Cypriani ad Quirinum adversus Judæos, in quibus breviter certis capitibus, Scripturas utriusque testamenti congruentes adhibet.

Sed quid immoramur Apostolorum, sive aliorum Patrum exemplis, cum Christus ipse sæpe fidem suam ex veteris scripturæ documentis asseruerit, confirmarit, astruxerit: idque jam cum impijs & infidelibus agens, jam cum suis, mitioribus quidem, & ad discendum benè paratis, sed tamen crassis adhuc, & parum ingenio promptis? At Judæis quidem tum Moysem suum objicit, quem aut oscitanter legerent, aut infideliter acciperent: propterea scrutari jubet Scripturas, quoniam ipsæ de illo testimonium perhiberent, & Davidem opponit de Christo canentem: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Et cum accepisset Isaiæ volumen, ac locum fortè aperuisset, ex capite sexagesimo primo, in auribus illorum tunc esse prophetiam impleram docuit, quod ipse ille esset, quem Spiritus Domini unxisset, atque ad evangelizandum pauperibus misisset, ut sanaret contritos corde, ut prædicaret redemptionem captivis, & cæcis visum largiretur, & confractos dimitteret liberos, & tempus salutare, Deoque gratum annuntiaret hominibus: quæ omnia sanè ille egregiè præstabat, ut ipsa rei veritate evicti testimonium redderent, vel ij homines, qui mox præcipitem ipsum acturi fuerant. Jam verò Discipulos quàm frequenter, quàm dilucidè Scripturarum admoneat, atque in ijs præsertim, quæ ab illorum & sensu & studio maximè aliena intelligebat, hoc est, de passione sua, & morte, & opprobrio crucis.

Psal. 109 *Isa.* 61.

Ac denique videre est, in omni ferè concione, aut collatione Apostolorum, Christi Evangelium testamenti veteris prædictionibus comprobatum: *Huic*, inquit Petrus *omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum recipere per nomen ejus.* *Act.* 10.

Idem aliàs quoque: *Deus autem, qui prænunciavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.* Et infra: *& omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.* Similiter Stephanus: *Et occiderunt eos, qui prænunciabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis.* Eodem modo Paulus ad Antiochenos: *Qui enim habitabant*, inquit, *Hierusalem, & principes ejus, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur, judicantes impleverunt, &c. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento.* Et Romæ in vinculis positus: *Exponebat*, inquit, *testificans regnum Dei, suadensque eis de* JESU *ex lege Moysi & Prophetis, à mane usque ad vesperam.* Atque ad Romanos scribens, *segregatus in Evangelium Dei, quod antea promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis.* Immensum erit hujus argumenti percurrere singula.

Ibid. *Act.* 7. *Act.* 13. v. 27. *Act.* 28. & 23. *Rom.* 1.

Quæ

Quæ cum ita se habeant, facilè est judaicæ cæcitatis causas pernoscere, quibus cum nihil magis in manibus sit, nihil frequentius in ore, quam Scriptura divina, nihil est tamen obscurius atque infructuosius. Quin potius noxium, & exitiale malitia illorum redditum est, quod est unicè ad salutem ipsorum divinitus institutum, ita vaticinante

Psal. 68. Spiritu Sancto: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Verè enim ex mensa cælestis Scripturæ, qua pasci & ali debuerant, scandalum potius & laqueum, & dignam iræ retributionem accipiunt; quod oculi illorum clausi sint, & dorsum in terram incurvum, ut æterna & cælestia videre non possint, terrenis his infimisque affixi, dum in spirituali lege nil nisi carnale cogitant, nil nisi animale vel desiderant vel expectant. Propterea Isaias audivit, *Claude oculos populi hujus, & aures ejus obtura,*

Isa. 6. *ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Vident divinos codices, & legunt, atque audiunt, sed in ijs ipsis cæci sunt, & surdi ac truncí. Ipsi enim oculos suos compresserunt. Nam quod illa dixerit Isaias, propterea quod Christum repellentes, quæ de Christi excellentia Prophetæ docent, Judæi intelligere non possint, aperte Joannes indicat, cum recitato illo testimonio adjungit: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Itaque accidit ijs, quod ab eodem Propheta

Isa. 29. alibi scriptum est: *Quoniam misit vobis Dominus Spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Quo pacto verò oculos perfidorum claudat, & operiat majores natu ac magistros, docet consequenter: *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti literas, dicent; Lege istum, & respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, dicturque ei, lege, & respondebit, nescio literas.* Ita declarat sacram Scripturam non esse quidem ab illis auferendam (quos Ecclesiæ

August. Scrimiarios esse oportere præclarè Augustinus dixit) sed tamen ita clausam, & illibatam futuram, ut æque & literas scienti & ignoranti jex usu sit.

In divinæ verò Scripturæ sensu hauriendo 70. Interpretum versio amplectenda est, ac deinde versio Chaldaica à Jonatha edita, in his potissimum locis, in quibus non fuit corrupta, observanda. Deinde veterum Rabbinorum argumenta illa, quæ ad Judæos confutandos facere possunt, in medium producenda sunt quæ ex Galatino, Porcetto, & alijs facili negotio poterunt erui. Ac denique divinæ Scripturæ interpretatio, juxta literalem sensum, ex variis piscorum Sanctorum Patrum, & posteriorum Doctorum opusculis, adversus Judæorum errores, & impietatem conscriptis, quorum mentionem fecimus in principio, petenda est.

Possevin. Sed quoniam aliquando, (ut optimè advertit Possevin. *Tomo* 1. *Bibliothe. lib.* 9. *cap.* 4.) citantur Rabbini, quorum scripta antiqua, Christianæque Religioni faventia, Judæi recentiores penitus de medio tollere conati sunt: ne scilicet ad eorum fontes accedere possimus, sicut de libris Rabbini Haccados, qui temporibus Antonini vixit, aut iste Iudæorum dolus præmonendus est, aut certiores Rabbini, quorum scripta, vel saltem certa vestigia adhuc extant, afferendi sunt, ne Judæi, si petant ostendi libros, ex quibus hæc argumenta desumuntur, & non habeantur, dicant à Christianis esse confictos: id etiam observandum est ne quid Hebraicè exprimatur, quod rectè aut apposite non pronuncietur, cujusque significatio non desumatur ex Authoribus, & linguæ Sanctæ peritissimis: tractanda enim est Evangelica veritas Evangelicè, hoc est, cum summa veritate & dignitate.

Executi endiè Judæorum mancipus impii Rabbinorum libri.

Verum non sufficiunt prædicta, nisi causæ ac impedimenta omnia, quæ eos in cæcitate detinent, tollantur: inter impedimenta autem ea potissima sunt, lectio, & retentio librorum impiorum, nefariorum, & damnatorum, in quibus passim, aut delitescunt, aut cernuntur (præcipuè in Thalmud & alijs Rabbinorum scriptis) blasphemiæ in Deum & Sanctos, calumniæ & contumeliæ in Deum, & Sanctos, obscuratio Evangeliorum, errores contra legem naturæ, corruptelæ, & depravationes divinarum Scripturarum: qui ob graves hæreses, errores, superstitiones, deliramenta, atque horrendas blasphemias contra legem divinam, & fidem Catholicam sæpe ac diversis temporibus damnati, prohibiti, ac publicè concremati sunt, tum à magno Justiniano Imperatore, ut habetur in *Novell.* 146. *de Hebræis* §. Quæ verò: tum à *Greg. Papa IX.* quem referens in Bulla ad Regem Franciæ, quæ incipit (*Impia Judæorum perfidia*) secutus est *Innocentius Papa IV.* alijque summi Pontif. *Clemens Papa Quartus* in suis literis incipientibus (*Damnabili perfidia Judæorum*) *Honorius IV. Joannes XXII. Julius III. Paulus IV. Pius V. Greg. XIII.* quorum Bullæ sive rescripta de hac re habentur apud Directorium inquisitorum, & similiter Edictum S. R. E. Cardinalium, Generalium inquisitorum, qui non modo in Urbe, & dominio Ecclesiastico, sed etiam in tota Italia eosdem libros perquiri, & flammis tradi fecerunt, & qui deprehensi fuissent tales libros habere, pœnas pecuniales, & publicationem bonorum, & contumaces etiam ultimum supplicium incurrere decreverunt, illorumque expurgationes severè prohibuerunt.

Bulla. Greg. IX. Innoc. V. Clementis VI. Honorij IV. & aliorum contra Iudæos.

Ac denique novissimè *Clemens Papa VIII.* valde appositè & opportunè providit edita Bulla contra impia & scripta, & errores Hebræorum, quæ incipit, *Cum Hebræorum malitia*: anno 1592. ubi inhærens prædictorum Summorum Pontificum vestigijs, renovansque eorum decreta, & insuper sequentibus verbis circa prædictos libros suam mentem declarat.

Clementis VIII. Bulla contra Iudæorum Thalmud, & Cabalistas.

Omnibus (ait) *& quibuscunque universitatibus Hebræorum, eorumque singulis tam in temporalis S. R. E. ditione, quàm etiam extra eam ubivis locorum, & in quibusvis orbis Christiani partibus constitutis, perpetuò prohibemus, ne quosvis libros, & codices impios Thalmudicos, sæpe damnatos, vanissimos, Cabalisticos, atque alios nefarios, à prædecessoribus nostris prohibitos & condemnatos; nec non opera, commentaria, tractatus, volumina, & scripta quæcunque, tam lingua Hebraica, quàm quavis alia hactenus conscripta, aut versa, edita, & impressa, ac in posterum conscribenda, aut vertenda, edenda, vel imprimenda, continentia seu continentes tacitè, vel expressè, hæreses vel errores, contra sacras veteris testamenti scripturas, nec non contumelias impietates, blasphemias, contra Deum, sanctissimam Trinitatem, & Salvatorem nostrum Dominum IESUM Christum, ejusque Sanctam, Christianam fidem, ac Beatiss. semper Virginem ejus genitricem MARIAM, & Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, aliosque Sanctos Dei, Sacratiss. Crucem, Sacramenta novæ legis, sacras Imagines, & Sanctam Catholicam Ecclesiam, & sedem Apostolicam, ac contra Christi fideles, præsertim Episcopos, Sacerdotes, & alias Ecclesiasticas personas, atque etiam contra*

contra nuper ad eandem Christi fidem conversos, ac Neophytos, & alios contra Religionem Catholicam; vel in quibus etiam impudicæ, & obscenæ narrationes memorantur, etiam sub prætextu quod expurgata fuerint: vel donec expurgentur, sive quod de novo typis excusa fuerint, mutatis nominibus, vel etiam sub obtentu, seu tolerantia aut permissione (ut prætendunt) Secretary, aut cujusvis personæ sacri Concilij Tridentini, aut Indicis librorum prohibitorum per recolendæ Memoriæ Pium Papam IV. prædecessorem nostrum editi, vel cujusvis indulti Apostolici, aut licentia per S. R. E. Cardinales etiam legatos, aut Camerarium, seu Cameram Apostolicam, vel nuntios etiam cum potestate Legati de latere, aut locorum ordinarios seu inquisitores hæreticæ pravitatis forsan quomodolibet concessa, aut quovis alio quæsito colore, legere, habere, vel retinere, emere, vel vendere, aut evulgare ullo modo audeant, vel præsumant. Hactenus Clemens VIII.

Quare cum experimento, & collatione similium librorum compertum sit, omnes ferè Rabbinorum Commentarios, ac libros, ut plurimum pravam ac perniciosam doctrinam contra legem divinam, ex voluminibus Thalmudicis originaliter traditam, & depromptam continere, ideo gravissimi ac sapientissimi viri, ac sanctæ fidei Christianæ zelatores, censebant Judæis tollendos esse non solum libros Thalmudicos, verum etiam quoscunque alios Rabbinorum Commentarios, vel ut ab illorum errorum fontibus fœdissimis derivatos, sed tantum eis sacræ Scripturæ libros veteris testamenti esse permittendos, quia ab illis Hebræorum impijs tractatibus sensus divinæ Scripturæ, oraculaque Prophetarum pervertuntur, summa cum divinæ majestatis injuria. Deinde nomen Christi Domini B. Virginis MARIÆ, ejus Matris, atque totius Ecclesiæ, pro qua sanguinem fudit, passim blasphemantur, magno Christianorum dedecore, ac hæreticis arma suppeditantur à Judæis, unde hæreses defendantur. Ac denique similibus libris docentur Judæi Christum Dominum, & Christianos omnes oppugnare, fraudesque suas, & dolos transmittunt ad posteros. Quare per Dominos Cardinales, inquisitores tempore *Julij III* & deinde etiam in congregatione revisionis librorum Hebraicorum sub *Gregor. XIII.* anno 1576. sancitum fuit, ac denique *Clemens VIII.* decrevit in congregatione sanctæ Inquisitionis, ut Judæis sola scriptura relinqueretur, super quo deinde visum est supersederi, edita Bulla supra citata, contra impia scripta, & libros Hebræorum, ex quibus liquet quam falsa sit Petri Galatini *lib. 1. de arcanis Catholicæ veritatis c. 7.* sententia, qui conatur ostendere Thalmud Judæorum à Christianis recipi debere, & in Latinum sermonem converti, & publicè in Christianorum scholis explicari. Hactenus quoad impedimenta conversionis.

Auxilium & consilium pro conversione Judæorum

Ea verò quæ juvare eorum conversionem possunt, sunt hæc præcipuè: primo, ut placidè ac benignè hortentur, & peccata eorum conversionem impedientia, cum communicatione ipsis aperiantur, ostendendo quàm gravia sint, ut eorum pœniteat ipsos, non ut ira accendatur, aut à Christianis odio habeantur, quin potius monendi sunt, ut charitate & virtutum exemplis eos ad conversionem provocent, ipsis autem correptio placida & facilis sufficiat.

Principes Christiani tam Ecclesiastici quam sæculares, ad insinuandam tum cum ijs, tum etiam cum alijs infidelibus Christianam benignitatem, eos gravibus inquisitionibus, aut vectigalibus non premant, sed potius aliquid ipsis remittant; nam ad fidem invitari possunt immunitione tributi, aut onerum civilium, aut publicorum immunitate, & pensionum promissione, exemplo sancti *Gregorij* Papæ, qui Judæis, qui in suis possessionibus patrimonij Siciliæ erant, promisit se ijs, qui ad verum Dominum nostrum JESUM Christum se convertere voluissent, onus pensionum eorum, aliqua ex parte imminuturum. Quod ita, inquit, fieri volo, ut si quis ex ijs conversus fuerit, si solidi pensionem habet, &c. & taxat portionem imminutionis oneris.

Generaliter vero tam Judæi quam Saraceni, sive alij infideles, ad fidem conversi, eo quod infideles fuerint injurijs afficiendi non sunt: ne cæteri infideles videntes eos affici contumelijs, aut non honorari, sicut cæteri Christiani, deterreantur à conversione ad fidem, ut optimè commendatur in Rituali Romano novissimè à Cardinali de Sancta Severina edito, in tractatu de Neophytis instruendis, his verbis: *Parochi commendent eos, scilicet Neophytos, alijs Christianis, ut benignè humaniter, & cum omni charitate cum eis agant, habeantque eos ut fratres in Christo, non autem evitent, vilipendant, aut contemnant, quod ex infidelibus nati sint, imo majori amore eos diligant, quod relicta infidelitate Christianam religionem amplexati sint, nec propter novam fidei susceptionem inter hujusmodi noviter conversos ad fidem, & alios Christianos antiquos discrimen faciant, nec verbo, aut facto contumelijs afficiant, nec affici permittant, sed pro viribus contradicant, & & pro eu se opponant, ac prohibeant, & eos omni charitate prosequantur, & demonstrent sine personarum acceptione, omnes Christianos Catholicos unum esse corpus in Christo, in quo, sicut dicit Apostolus, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.*

Et iterum: *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus.* Gal. 3.

Ac rursus: *Unum corpus est, unus spiritus, sicut & vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia & in omnibus nobis.*

Cum autem Christus se ijs communicaverit, & nos ipsis nostra communicare debemus, & quos Dominus noster per lavacrum regenerationis suo sanguine mundare, & sanctificare dignatus est, iniquum profecto est, ut si in aliquo culpabiles non inveniantur, nec nisi ratione originis suspecti sint, antiqui Christiani eos, ut immundos & indignos, ab officijs hominibus, dignitatibus, & privilegijs, quibus alij Christiani utuntur, & gaudent, arceant, & matrimonia cum ijs contrahere nolint, & hujusmodi alia in illos faciunt, quæ alios Infideles à conversione plerumque avertunt, & ipsos Neophytos contristant. Adeo ut imbecilles & debiles in fide, quandoque cum se despectos vident, intrinsecus pœniteat, quod fidem Christianam susceperint, non sine magno animarum detrimento, & Christianæ Religionis contumelia.

Quare publicè, & privatim non modo Parochi, sed etiam Episcopi, & Prælati severè arguant eos, qui novos Christianos sic despiciunt, contemnunt, contumelijs afficiunt, & pristinam ijs conditionem exprobrant, vocando eos Judæos, Turcas, Maranos, Regeneratos. Quos etiam pro gravitate facti coerceant, ac puniant, aut puniendos curent: præcipuè autem in Judæos, aut alios Infideles animadvertendum est, qui in sua cæcitate per-

permanentes, Neophytos, qui relictis cæcitatis erroribus in fidei Christianæ lucem venerunt, audent contumelijs afficere, quacunque lingua Apostatas & perditos homines eos vocantes.

Deinde, ut advertit Antonius Possevinus, urgendi sunt Hebræi, exemplo plurimorum Patrum, qui ex Judæis conversi magnos progressus in Ecclesia fecerunt, ut eorum ingenia, doctrinam, sanctitatem imitentur, ac Deo vocanti manus dent. Facile vero docenti fuerit petere ex Ecclesiasticis historijs, quæ ad hanc rem faciant: cum præter multos Apostolicos viros, qui à Judaismo conversi divinum fidei negotium usque ad sanguinem propagarunt; quindecim fuerint Hierosolymitani Archiepiscopi, qui continuè eam administrarunt Ecclesiam, plures Episcoporum decades passim, ut Christiana crescebat res: Sanctus Julianus Archiepiscopus Toletanus, perplures doctissimi Rabbini, Linus, Evaristus, Theodorus, Pontifices Maximi, quique sanctissimè vitam egerunt (ac ferè nostris sæculis) præter alios Paulus Burgensis, primo Carthaginensis, mox Burgensis Episcopus, idemque Castellæ, & Leonis Regis summus Cancellarius: Theologi vero ac Religiosi, & Religiosorum Generales Præpositi, quorum maxima laus hoc tempore fuit in Ecclesia. Hactenus Possevinus.

Præterea ne Judæi, & alij infideles propter amissionem bonorum suorum à fide suscipienda retrahantur, sed facilius convertantur ad eam, notum fiat eis, quod venientes ad fidem omnia bona sua mobilia, etiam malè & usuris acquisita retinebunt, non tamen quæ certis personis restitui debent: quodque si filij familias fuerint, à parentibus vel alijs consanguineis successione legitima, vel aliqua eis debita portione, paternorum vel maternorum bonorum, privari, aut fraudari non poterunt, nec ullum testamentum aliave ultima voluntas, neque ulla inter vivos, vel causa mortis donatio, vel alia alienatio facta in fraudem, obstare valeant; prout alias observatum & constitutum est. Acnovissimè *Paulus III.* etiam ampliando quoad legitimam, & bona inter vivos, atque ad retentionem ex usuris acquisitorum, perpetua sua Constitutione sancivit. Eadem etiam Bulla *Pauli III.* quæ prodiit anno 1542. jubetur, ut civitate, privilegijs, immunitatibus, libertatibus, sicut & alij gaudeant Judæi, quandoquidem per gratiam baptismi concives Sanctorum, & domestici Dei efficiantur.

Illud etiam valde expedire certum est, ad Judæorum, & aliorum infidelium conversionem faciè procurandam, ut libelli de eorum erroribus, vel etiam aliquis ex prædictis, maximè Epistola illa Rabbi Samuelis, ipsorum lingua conscriberentur, & ederentur; & editos Episcopi & Prælati, sive alij ad quos spectat, de eorum salute tractate, Judæis traderent & erogarent.

Denique quid agendum sit, & quomodo instruendi Judæi ad fidem conversi, ne ad vomitum revertantur, dicemus latè 2. *Tomo*, cum de *Catechismo conversorum ad fidem*, deque instruendis Neophytis dixerimus.

CAPVT II.

In quibus casibus sit interdicta Christianis communicatio cum Judæis, & contra?

JUdæorum conversatio illicita est Christianis in generali quidem, quantum ad assiduam seu familiarem conversationem, & in speciali, in decem casibus prohibentur Christiani communicare cum Judæis, qui colliguntur ex *ex C. nullus*, & C. *omnes* 28. q. 1.

Primò interdicitur Christianis habitare simul cum Judæis: *secundò* ad eorum convivia accedere, vel eos ad nostra invitare aut una cum eis cibum capere: tunc autem erit letale peccatum comedere cum eis, quando Judæi inter edendum cibos discernunt, nisi sit in extrema necessitate, ita Armilla verbo *Judæus*, & colligitur ex *dicto c.* omnes. Et Clericus contrafaciens debet deponi, & excommunicari. *d. c. nullus*, nisi id faciat in extrema necessitate, & tunc comedet non, ut Azyma sed materialiter ut panis est. Nec solum Christianis prohibitum est ad eorum epulas accedere, sed etiam ad eorum nuptias, dies festos, Synagogas frequentare, & cum eis ludere, & quod detestabilius est choreas agere. *Tertio* prohibetur Christianis simul cum Judæis in balneum intrare, & in eo se lavare: *quarto*, vocare eos ad curandas suas infirmitates: *quinto* medicinas ab eis recipere, quod intelligendum est, ex mente Silvestri, & aliorum de medicinis donatis, & ultro acceptis, quæ plurimum valent ad conciliandam familiaritatem, non tamen de his, quæ pretio emuntur: *sexto*, interdicitur Christianis filios in domibus Judæorum nutrire: *septimo*, Judæis famulatum præstare, hoc est, servire eis, ut famuli, quod non solum intelligitur intra domum Judæorum, sed etiam extra illorum domos assiduè non poterunt eis servire, cum textus nō faciat mentionem de domo, quia serviendo eis extra domum assiduè, possunt facilè cum eis contrahere familiaritatem. Poterunt tamen in illis casibus, in quibus non contrahunt prædictam familiaritatem, ut colere agros eorum, & hujusmodi alia, ut colligitur ex *c. nullus* de Judæis, quod munus præstare debet ut colonus, non ut servus: *octavo* servituris vinculo ijs subjici: *nono*, eos publicis officijs fungi inter Christianos: *decimo*, vesci eorum Azymis.

Prædicta prohibentur in *d. c. nullus* & subditur: *Si vero quispiam id fecerit, si fuerit Clericus deponatur, si laicus excommunicetur*: quæ pœnæ non nisi graves ob causas, & gravem culpam in jure solent apponi. Quare transgressores graviter peccant, nisi excusentur ob levitatem materiæ. Præterea hæc Christianis interdicuntur, ob periculum perfidiæ, quod imminet ex assidua familiaritate cum Judæis: & similiter prohibentur ad dignitatem fidelium servandam, contra quæ fierer, si Judæis permitterentur officia publica, vel azyma eorum Christiani comederent, vel ad illorum convivia accederent: ipsis enim tanquam divina profitentibus, nostra abominantibus, Christiani quasi profani & inferiores se exhiberent, illis tantum deferendo. Versantibus igitur tam in periculo perfidiæ quàm despectu Religionis nostræ sine rationabili causa, (inquit Cas. in *Summa*, verbo, *Judæus*) erit mortale: si vero non sit periculum subversionis,

nis, & sit rationabilis causa, nullum esse peccatum existimat Armilla verbo *Judæus numero* 3.

Ex dictis colligitur non esse interdictum aliquo jure Christianis emere, vel vendere aliquid Judæis, sicut nec cum eis colloqui: ita colligit Abbas, & Summistæ ex C. Cum miserabilem, *de Judæis*. Sed, an Christianus tuta conscientia vendat agnum Judæo, cum scit emere ad eum finem, ut eum ritu Judaico in Paschate sacrificet, diximus *supra* cum de communicatione in genere cum infidelibus ageremus.

Ultimò scire oportet, Prædicatoribus Sancti Evangelij ex Ordine nostro agentibus in terris infidelium ex privilegio S. D. N. *Clementis* Papæ VIII. fuisse concessum, posse cum Judæis cæterisque infidelibus conversari verbo, officio, & cibo: imò id fuisse jure concessum omnibus Sacerdotibus, qui causa prædicationis versantur inter eos, ex jure canonico stabilitum invenimus.

Alia etiam in jure prohibita sunt Christianis in favorem Judæorum: qualia sunt, ne Judæi cogantur ad fidem, nec eorum pueri invitis parentibus baptizentur, ne offendant eos in personis, nec in rebus, sine interventu judicis, ne impediant eos in suis observantijs, dummodo nihil faciant in opprobrium nostræ fidei, non exigant ab eis coacta servitia, ne invadant eorum Cæmiteria, nec exhument corpora eorum, ne die Sabbatho trahantur ad judicium, de quibus latè *Summistæ* verbo *Judæus*.

CAPVT III.

Quænam Judæis, Christianis Principibus subjectis, prohibita sint?

UT omnis occasio tollatur Judæis Christianis se adjungendi, atque cum eis (quibus tam strictè in jure communio est prohibita) consuetudinem & familiaritatem contrahendi *inprimis* in C. nullus *de Judæis* præcipitur, ut hi in omni Provincia Christianorum, in omni tempore (videlicet interdiu & nocte) publicè signum portent in habitu, quo ab alijs Christianis populis distinguantur. *Secundo*, Ne officio publico fungantur inter Christianos. *Tertio*, Novas Synagogas ne instituant & extruant; permittitur tamen eis antiquas retinere, easque reficere, dummodo solum in pristinum statum restituant, non tamen majores ac magnificentiores reddant. *Quarto*, Prohibentur ostia, & fenestras tribus diebus ante Pascha apertas habere, imò tota die clausas tenere coguntur, ne eo die in contumeliam Christi Domini & Redemptoris nostri, Christianos irrideant. *Quinto*, Non licet Judæo Christianum servum habere, quare servus Judæi etiam vernaculus, ex ejus ancilla natus Christianus effectus, statim fit liber nullo pretio soluto. Imo cum primum innotuerit servum Judæi fieri velle Christianum, statim ac cognitum fuerit ejus propositum, fit liber nullo pretio dato. *Sexto*, Ne testimonium dicant contra Christianum, nec possint convenire Christianum ante Judicem Judæum *Septimo*, Judæi, aut pagani, si furore percti in volentem fieri Christianum irruerint, flammis traduntur concremandi, secundum legem Constantini. Alia verò, quæ prohibentur Judæis circa usurarum exactionem, videnda sunt apud *Summistas* verbo *Usura*. Illud hic obiter notandum est. Judæo ad Christum sese transferenti, licet Ecclesia non possit remittere obligationem restituendi usuras, si certæ & notæ sint personæ, quibus facienda est restitutio: quando verò sunt incertæ, jure potest Ecclesia remittere, ut ex hujusmodi remissione facilior ad Christum Judæorum conversio reddatur.

CAPVT IV.

Casus, in quibus Judæos, aliosque infideles delinquentes, Judices Ecclesiastici punire possunt.

QUando verò Ecclesiastici Judices, & Apostolici Inquisitores, contra Judæos graviter delinquentes possint providere, constabit aperiè ex Constitutione Pontificia *Greg. XIII.* quæ incipit: *Antiquæ Judæorum, &c.* Quare placuit hic casus in specie referre, ut clarius constet agentibus inter Judæos, quibus in rebus gravissimè delinquant.

Statuimus, inquit Pontifex, inquisitores hæreticæ pravitatis liberè posse procedere in omnibus causis & casibus, qui sequuntur:

Si quis Judæus, aut infidelis in ijs, quæ circa fidem cum illis sunt communia; velati unum Deum, æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium & invisibilium, & similia non esse asseruerit, prædicaverit, vel privatim alicui insinuaverit.

Si dæmones invocaverit, consuluerit, aut eorum responsa acceperit, ad illosve sacrificia, aut preces, ob divinationem, aut aliam causam, direxerit, aut quid eis immolaverit, vel thuris, alteriusve rei fumigationes obtulerit, aut alia quævis impietatis obsequia præstiterit.

Si Christianos verbo, vel facto, vel exemplo, aut alio quovis modo nefariè hujusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda adduxerit, aut adducere attentaverit.

Si Salvatorem Dominum nostrum JESUM Christum purum hominem, vel peccatorem fuisse, matremve Dei non esse Virginem, & alias hujusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum aut corruptionem impiè protulerit.

Si cujusvis eorum opera, auxilio, consilio, vel favore aliquis Christianus à fide desciverit, quamque semel susceperat abnegaverit, vel ad Judæorum vel infidelium ritus, cæremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in hæresim aliquam inciderit, aut qui ut Christi fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel favorem quomodocunque præstiterit.

Si quis Catechumenum, vel quemcunque ex Judæis, aut infidelibus Deo inspirante, ad fidem Christianam venire volentem, à fide, vel fidei instructione, aut à sacri Baptismi susceptione retraxerit, averterit, vel dehortatus sit, aut ne ad fidem veniat, neve regenerationis lavacro abluatur, quovis modo impediverit.

Si quis Apostatas, Hæreticosve scienter domi suæ receptaverit, aluerit, commeatu juverit, seu quovis modo eis cibaria ubicunque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum eos deduxerit, vel associaverit, vel deducendos aut associandos juverit, aut sumptus ministraverit, duces comitesve illis adjunxerit, vel

ne

neab eis perpetrata deprehendi, aut investigari queant fecerit, quique dictos Apostatas aut Hæreticos scienter occultaverit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel favorem quomodolibet præstiterit.

Si libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Judaicos quomodolibet damnatos, aut aliàs prohibitos tenuerit, custodierit, vel divulgaverit, vel in quæcunque loca tulerit, aut ad eam rem operam suam accommodaverit.

Si Christianos deseruerit, redemptionisque hostiam salutarem in ara crucis immolatam Christum Dominum ludibrio & despectui habens: quandocunque, maximè vero in sacro Parasceves die agnum sive ovem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamque conspuerit, sive quid aliud contra ipsam fecerit.

Si nutrices Christianas, contra sacrorum Canonum statuta, diversorumque Rom. Pontificum Prædecessorum nostrorum sanctiones, adhuc retinuerit, aut eas retinens die qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit, lac uno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coegerit.

Et subjungitur: In quibus casibus universis & singulis omnes inquisitores, omnium regnorum, civitatum, provinciarum, dominiorum, & locorum universi orbis Christiani contra Judæos & infideles quoscunque diligenter inquirant, & procedant: & quos culpabiles deprehenderint, in eos pro culpæ modo, & pro criminum numero, multiplicatione, aut consuetudine delinquendi, flagella, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia & alia atrociora decernant.

Hactenus Constitutio.

LIBER DECIMUS,

DE CONVERSIONE SARACENORUM PROCURANDA.

PRÆFATIO.

AGARENI, quos vulgo *Saracenos* appellamus, adeo, & numero, & vitæ turpitudine creverunt, ut & divinis & politicis rationibus Christianorum Principum, & Virorum Apostolicorum animos, ad eorum conversionem strenuè procurandam, permovere debeant.

Primò, quia instare videntur tempora, imò & præ foribus esse, quæ per varia multorum Patrum vaticinia, & astrologorum Prognostica de Saracenorum secta, ac præcipuè Turcarum imperio citò finiendo prædicta sunt; ac inprimis Sanctus Methodius Martyr à D. Hieronymo laudatus, loquens de fine sæculi, ait; *Surget autem Christianorum gens, & præliabitur cum eis,* (scilicet Saracenis) *& occidet eos gladio, & captivas ducet mulieres eorum, & interficiet infantes eorum, & descendent filij Ismaelis in gladium, & tribulationem, & afflictionem, & reddet illis Dominus mala, quæ ipsi fecerant, & irruet super eos militia, septies tantum, quantum in aliis gesserunt, & occidet illos Dominus in manu Christianorum, & erit Regnum Christianorum exaltatum super omnia Regna*, celeberrimæ sunt etiam aliæ de ruina hujus sectæ, hæc ætate futura prædictiones; id enim jam multis retrò sæculis prænunciaverunt noster sanctus *Cyrillus* Doctor Græcus, ac Prophetiæ dono illustris, Joachimus Abbas, ac plures alij, de quibus Melchior Sotherus *lib. 1. de bello Pannonico* ita scripsit: *Taceo interim ac lubens prætereo, Methodij, Cyrilli, Brigittæ, Ioachimi, Alsanfredi & Torquati, atque aliorum multa, non è Druidum quercubus, aut cortina Cynthij elicita responsa, sed pijs mentibus, Spiritus instinctu, cælitus enunciata oracula, quæ omnia tanquam ore uno prolata, Principibus Christianis deberi orbis Imperium profitentur.* Imo prophetiæ hujus apud Æthiopes meminerunt Franciscus Alvaresius, Lusitanus, & Thevetus, ambo ævi nostri Historici: apud quos constans est, ab antiquis Patribus traditio, Turciam totam, & loca sancta sub jugo Principis alicujus Septemtrionalis ventura. Vnde noster Joan. Baptista Mantuanus, illustris Poeta, ita scripsit:

Methodius.

Melchior Sotherus.

præsagia vatum
Attestantur, opes Asiæ, Babylonica regna
Ad Christi reditura jugum.

Pleni sunt equidem sacri libri nostræ gentis, plena Turcarum ac Saracenorum volumina, plena vulgi ora, prædictionibus, minis, signis, fama ruinæ vasti illius Imperij, ac turpissimæ sectæ. Scimus Turcas sæpè de his cogitare, legere, loqui, timere, ac conari contra divinum consilium ad suæ amplificationem sectæ, nostræ verò ruinam: nos vero quod dolendum maximè est, nihil de his cogitamus, neque Principes Christiani sequuntur ducentem ad bella Deum, & velut vocantem ad arma tam justa, tam sancta, neque Ecclesiastici Ministrique Evangelij viam præparant, ut faciliùs res ipsa peragatur.

Secundo. Est deinde Saracenorum ad fidem conversio non valde difficilis, colunt enim unum Deum turpi vitæ genere: qua in re duo planè contraria conciliare nituntur. Cultus quippe unius Dei, si ex genere spectetur honestissimus est, & rationes planè efficaces producit ad vitæ turpitudinem redarguendam. Ex quo efficitur, Evangelij Ministros eo, quod honestum est, allectos, & armatos facile posse multos à Mahometica secta deducere; multos, inquam, ex ijs, qui inter gentem illam incultam ingenio pollent: quod certè lucrum pretiosissimum foret.

Tertio, Qui valent ingenio apud Mahometanos philosophicis saltem rationibus adducti, per se ipsos, vitæ turpitudinem deprehendunt, facileque perspiciunt suam sectam impuram esse, neque cum purissimæ naturæ divinæ cultu posse subsistere: aut certè, si non usque adeo perspicuè id cognoscunt, suspectam tamen Religionem suam habent: quod viam facit viris Apostolicis, ad illorum conversionem fidentius tentandam, & urgendam.

Quarto, Mahometani non usque adeò protervè Christi veritatem audiunt ac Sectarij alij, cum à Mahometo ipso de Christi excellentia testimonium illustre perhibitum sit: præterquam quod cum ipsi existiment, unumquemque in Religione quam profitetur, salvum fieri posse, per hoc ipsum (quamvis enormiter errent) aptiores fiunt ad prædicationem Christi leniter sine repugnantia audiendam. Ex quo Christianorum animi inflammari deberent, ad veritatem divinam eis nuntiandam, quæ semel excepta per aurem (sperandum est) animos impios expiaret.

Quinto, Accedit Alcorani deformitas, quæ profectò tanta est, ut ad examen revocata, & cum lege Christi comparata, Mahometanos vehementer commovere possit. Neque obstat eorum feritas, qui non disputationibus, ac rationum pondere, sed ferro sectam suam tueri docent: Nam certò constat, eorum plurimos externas leges patienter audire, quin etiam curiosè scrutari: per quod janua panditur Evangelio.

Sexto, Multis constat argumentis, plures Mahometanos Principes, ipsumque inprimis Persarum Regem signa benevolentiæ minimè obscura Christianis Principibus ostendisse. Ex quo certè liquet, patere viam, qua viri Apostolici se in animos illorum insinuare, & velut ex obliquo spargere fidei semina valeant.

Septimo, Ipsi Mahometani Christianorum segnitiem redarguunt, qui erroris sui zelo ad gentiles convertendos, hoc est, in suam sectam perducendos, missiones instituunt; ut ex Orientalis Indiæ liquet historiis. Quomodo ergo ferunt Ecclesiæ Principes, ut diligentiores sint ij ad mendacia promulganda, quam JESV Christi Ministri ad veritatem divinam persuadendam? Profecto Mahometi ministri à Christi Ministris converti deberent, & anteverti.

Octavo, Mahometani, ut nimis vulgatum est, adeo excrescunt numero, & vires acquirunt; ut ruinam Christianorum Principum regnis minentur. Nam, ut numerosissimam sobolem in Asia, Africaque vagantem præteream, compertum est Catholicum Hispaniæ Regnum, in summo discrimine vitæ, fideique versari, ob reliquias Arabum, qui olim Provinciam illam occuparunt. Et mirum est sanè, quo modo ætate hac conjuratione facta, non rebellaverint, & fidem Catholicam, una cum Christianis hominibus non extinxerint. Serpit verò grande malum hoc, augeturque numerus, & robur: timendumque est Europæ toti, si illi Mahometi cultores Principatum obtineant. Quocirca enervanda esset eorum vis, non tantum gladio, sed & Dei verbo, ut periculo propulsato, fides Catholica fortius invaleſceret;

ret: præsertim cum hodie Mahometi cultores summa injuria obtinent ac fædant terram sanctam, quæ ad Ecclesiæ regnum summo jure pertinent. Qua de causa notissimis patet historijs, pijssimos Principes de regione illa recuperanda, serio cogitasse, maximisque laboribus & sumptibus in eum scopum justis exercitibus mare trajecisse. Neque sanè à tam glorioso conatu desistendum esset, quoad terra Christi, sanguine perfusa, ad Christi regnum, ac tot Christianorum millia, tam diu Turcico dominatu vexata, in pristinam libertatem redirent. Jam vero si arma ferrea ægrè moventur, æquum omnino est, arma spiritualia idoneorum Ministrorum impigrè moveri.

Octo hæ rationes à Principibus Ecclesiæ expendi deberent: ut ex Ministris, qui fortassis in urbibus Christianis ignavia torpent, aliquos desiderio divinæ gloriæ excitatos, ad conversionem Agarenorum destinarent.

De præcipuis erroribus Mahometicæ doctrinæ.

CVM Mahometus edoctus fuerit ab Arianis, Nestorianis, Judæis, & Paganis, ex istis fontibus varios fœdos, pernicioso sque hausit errores. I. Cum Sabellio negat Trinitatem. II. Cum Ario, & Eunomio Christum creaturam esse contendit, eumque Deum dicere ridiculum putat. III. Cum Carpocrate asseverat Christum Non Deum quidem esse, sed Sanctum Prophetam. IV. Cum Cerdone asserit fore impossibile, ut Deus filium habeat, quod nimirum uxore careat, citra quam filium gignere non poterat. V. Cum Manichæis, Christum negat mortuum, vel crucifixum fuisse, sed alium sibi similem. VI. Cum Donatistis negat cuncta Ecclesiæ mysteria, quæ à Christi passione suam vim & efficaciam obtinent. VII. cum Origenistis dicit Dæmones esse sub mundi finem salvandos. VIII. Cum Anthropomorphitis, qui Deum corporalem asserunt, communicat. IX. Cum Cerintho extremam felicitatem, vel summum bonum statuit in corporeis voluptatibus. X. Cum Ebionitis circumcisionem admittit. XI. negat Christum judicaturum in die Judicij. XII. asserit quod Judæi corruperint legem & Prophetas, & Christiani etiam, ita quod nihil remanserit de veritate legis, & Prophetarum, & Evangelij, nisi quantum in Alcorano continetur. XIII. Quod Deus sit causa omnium peccatorum. XIV. Quod omnia ista mundana fortuita sint. XV. Improperat Christianis adorationem Imaginum. XVI. Imponit Christianis quod suos Sacerdotes adorent. XVII. Quod quilibet rectè vivens in sua secta salvari possit. XVIII. Sui oblitus, quod nullus salvabitur, nisi in secta Saracenorum. XIX. Quod Angeli sint corporales, de flamma ignis facti, seu geniti. XX. Quòd Angeli sint occidendi: & tandem in die Judicij resurgere habent cum alijs. XXI. Quod Angeli beati peccent. XXII. Quod Deus præceperit Angelis, ut adorarent primum hominem. XXIII. Quod Angeli ignorabant naturas, sive vocabula rerum, quæ Adam rebus imposuit. XXIV. Quod anima Adæ sit de portione animæ Dei. XXV. Quod omnes homines ex una anima sint producti. XXVI. dicit cælum productum ex fumo, qui surgit ex vapore maris. XXVII. Quod sol, & Luna fuerint facti æqualis luminis & virtutis, sed ala Gabrielis Lunam tangens obscuravit illam. XXVIII. Quod licitum sit habere plures uxores. XXIX. Quod licitum sit repudiare uxorem. XXX. Concedit tanquam licitum adulterium, & fornicationem. XXXI. Concedit tanquam licitum, peccatum contra naturam. XXXII. Ait, quod post resurrectionem erit usus ciborum, & venereorum. XXXIII. Cum Titianis prohibet vini usum. XXXIV. Quod omnia creata invocant, & adorant Deum. XXXV. Quod B. Virgo susceptâ salutatione Angelica, & concepto filio fugit in longinquum locum, ubi erant palmæ, & ibi peperit. XXXVI. Quod B. Virgo cum portaret in brachijs filium, increpabatur à vicinis de peccato adulterij. XXXVII. Quod Prophetæ & Apostoli fuerunt Saraceni. XXXVIII. Imponit Deo multa falsa & mendacia. Sunt alia permulta ejus instituta, non solum non honesta, nec rationi consona, sed maximè obscœna, absurda, & ridicula, & pecudum potius quam hominum, ut quicunque dixerit, legem Mahometanorum esse legem porcorum, mihi quidem scitè admodum, non solum verè dixisse videatur.

Authores, qui scripserunt contra Alcoranum.

Istius porro sectæ Mahometis falsitatem, & absurditatem multi Christiani authores scriptis demonstrarunt atque confutarunt: Dionysius Carthusianus tres contra Saracenos libros scripsit. Richardus ordinis Prædicatorum edidit librum, qui inscribitur, *Confutatio legis Mahometicæ*: Pius Papa hujus nominis Secundus *Epistolam* ea de re scripsit, ad Mahometem Turcarum imperatorem: Bartholomæus etiam Vngarus, & Joannes de Turrecremata, & Guilielmus Postellus in libris, quos edidit de origine Tartarorum, Persarum, Arabum, & Turcarum. Præterea Gabriel Bariletanus, ordinis Prædicatorum scripsit, Mahometum in sua lege permittere, quod asinis & porcis magis convenit, quam humana ratione utentibus: quod etiam vir inter Mahometanos medicinæ scientia clarissimus Avicenna nono suæ Metaphysicæ libro confiteri non erubuit; Paulus Burgensis in quadam sua *Additione ad Postillas Lirani super cap.* 13. Apocalyp. benè longam, satisque curiosam, & eruditam de secta Mahometis disputationem fecit, ubi citat, & laudat eximium quemdam Tractatum, de lege & doctrina Mahometis, qui incipit, *Quot sunt dies servi tui, Psalm.* 118. à F. Nicolao Prædicatoris ordinis compositum. Is perdiu fuerat in regionibus Orientis, multumque versatus est cum Doctoribus istius sectæ, quin etiam, ut eam subtilius & altius scrutari & nosse posset, & linguam & litteras didicit Arabicas. Et ut omnia illius doctrinæ arcana & secreta penetraret, frequenter cum nobilioribus ejus Magistris, ea de quibus ipse vel dubitabat, vel penitus cognoscere negabat, communicavit. Vnde non modo perspectam habuit doctrinam Alcorani, verum etiam quemadmodum principes ejus interpretes & doctores intelligerent atque interpretarentur. Fuit autem liber hic, simul cum alio Joannis Cardinalis Turrecrem. Romæ typis mandatus, anno 1606. hic apud Typographiam Guilielmi Faciotti, ille vero apud Aloisium Znaettum. Scripsit etiam B. Joannes Damascenus in libello, qui inscribitur, *Disceptatio Christiani & Saraceni*, S. Thom. *opusc. 3. contra Græcos, Armenos & Saracenos*. Cardinalis Nicolaus de Cusa, in tribus libris inscriptis, *Cribratio Alcorani*. Hieron. Savanarola in opusculo *de Triumpho Crucis lib 4. c. 7.* Simancas in *Institutionibus Catholicis cap.* 39. S. Antoninus in 2. *parte Chronicorum tit.* 13. *cap.* 5. de Mahomete Agarenorum legislatore fœdissimo, ubi plurima de secta Mahometana, & de ejus authore scribit. Michael Thomasius in libello inscripto, *Brevis Christianæ & Catholicæ fidei defensio, & Iudæorum, Mahometanorum atque Hæreticorum oppugnatio*. Guilielmus Totanus in *Fortalitio fidei*, & alij quamplures, quorum meminit Cardinalis de S. Severina, in suo Rituali, in *Tractatu de Infidelium conversione procuranda*.

Ordo servandus in Alcorani confutatione.

Quia immensum esset contra singulos hujus sectæ errores disserere, & forte minus utile, ostendenda erit in primis à nobis solita brevitate, legis Alcorani iniquitas, & falsitas, sumptis argumentis ab ijs, quæ illa traduntur, permittuntur, docentur, ac scribuntur: quæ ferè omnia detestabilia, turpia & vana sunt, omni æquitati ac rectæ rationi adversantia: & ut nunc alia prætermittam (quæ millies sibi invicem repugnant, & in quibus summa est insultitia, variæque nugæ) pauca ex illis à nobis erunt attingenda, tribus partibus hanc totam disputationem comprehendendo. In prima reducemus Alcorani iniquitatem, & malitiam ad causam efficientem, ipsum scilicet authorem; ostendendo non à DEO, sed ab homine turpissimo, & facinoroso legem Alcorani fuisse latam. Secundo ad finalem, ubi de fine tam ipsius legis, quam Authoris dicemus; ut clarius constet, illud celebre ac vulgare Philosophi dictum: Qualis unus quisque est, talem sibi finem præscribere. Tertio ad materialem, hoc est, ad ipsas res quas continet, docet, ac præcipit Alcoranus. Ac denique ad formalem, hoc est ad modum & formam, qua Alcoranus scriptus ac compositus est. In secunda vero parte ex opposito legis Evangelicæ præstantiam supra Alcoranum demonstrabimus, ex ijsdem quatuor causarum capitibus, simulque aliquibus objectionibus satisfaciemus. In tertia tandem de modo adjuvãdi Saracenos, & ratione agendi cum illis, ac de his, quæ prohibita sunt agentibus inter illos, Deo dante, disseremus.

PRI-

PRIMA PARS,

DE CONFUTATIONE ALCORANI.

CAPVT I.

De Alcorani institutione, & quis fuerit hujus legis author & inventor.

ALcorani legem latam fuisse à viro iniquo, rapaci, mœcho, homicida, falso Propheta, revelationibus, impostutis, crudelitate, & alijs flagitijs, fallacijs & erroribus referto, clarissimè apparet legenti ejusdem Mahometi vitam, à gravissimis authoribus conscriptam. Ex quibus omnibus doctissimè Cardinalis Turrecremat *c. 1. contra errores Mahometi* pulchrè ejus mores, vitamque describit his verbis:

Beatus, inquit, *Evangelista in Apocal. describens tribulationes Ecclesiæ, Mahometi, & suorum futuram persecutionem prædicens, eam sequentibus verbis* Apoc. 13. cap. *proponit*: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut Draco, & potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus, & fecit terram, & habitatores in ea, adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis, & fecit signa magna ut etiam ignem de cælo faceret descendere in terram, in conspectu omnium hominum, & seduxit habitantes in terra, propter signa, quæ sunt data illi facere in conspectu bestiæ; dicens habitatoribus in terra, ut faciant imaginem bestiæ quæ habet plagas gladij, & datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ & faciat, ut quicunque non adoraverit imaginem bestiæ occidatur.* In quibus verbis Mahometus inter omnes hæreticos à fidelibus maximè venit execrandus, octo nominibus.

Primò, quia fuit scelestissimæ vitæ, unde dicitur, *Vidi aliam bestiam.*

Secundo, quia fuit prædo cupidissimus, unde dicitur, *ascendentem de terra.*

Tertio, quia simulator sanctitatis pessimus, unde dicitur, *& habebat cornua duo similia agni.*

Quarto, quia fuit in doctrina virulentissimus, hinc ipsi convenit, *Et loquebatur sicut Draco.*

Quinto, quia fuit in malis operandis studiosissimus; hinc rectè dicitur, *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat.*

Sexto, quia fuit temerarius & arrogantissimus; unde convenienter, *fecit terram, & habitatores in ea adorare bestiam.*

Septimo, quia fuit seductor periculosissimus, benè ipsi appropriatur, *Et fecit signa magna.*

Octavo, quia fuit Tyrannus crudelissimus unde dicitur, *quicunque non adoraverit imaginem bestiæ, occidatur.*

Describitur ergo Mahometus *primo* vitâ scelestissimus, cum subjungitur: *Vidi aliam bestiam*, videlicet, Mahometum vitam voluptuosam (quæ bestialis dicitur à Philosopho *primo Ethicorum*) ducentem. Nam fuit tanto libidinis ardore succensus, ut se jactaret super XL. homines virtutem generativam, & potestatem coëundi divinitùs concessam habere, & præterea concumbendi cum omnibus mulieribus, quæ se ei prostituere vellent gratis, habuit ipse 15. uxores, & 2. ancillas. *Aristot.*

Secundo describitur prædo avarissimus, his verbis, *Ascendentem de terra*: quia per mercationes & rapinas ascendit de paupertate ad divitias. Mahometus enim utroque parente orbatus, sub Manophi Avunculi sui tutela pueritiæ annos agebat; Idolorum tunc temporis cultui cum universa gente Arabum inserviens. Post aliquot autem annos mercenarius factus viduæ cujusdam Cadigæ camelis agendis præfectus est, cum quibus in Syriam, aliasque regiones proficiscens, innumera commisit latrocinia: tandem suæ Dominæ conjugio potitus, rebus & nomine auctus est: atque ita de ignobili & egeno in divitem & famosum evectus. Et quia avaritia, ut dicit Ambrosius, quo plus ascenderit, eo ad altiora festinat, in tantam prorupit superbiam, ut regnum Arabum sibi polliceretur, nisi suos timeret contribules, quod eum pro Rege non tenerent, cum ipsi essent illo majores.

Tertio, describitur, ut simulator sanctitatis, *Habens* nimirum *duo cornua similia agni*, id est, Christi; cujus duo cornua dicuntur Prophetia & novæ legis latio, unde Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Mahometus autem videns sibi ad regnum usurpandum vires deesse, dolo usus est; ut qui Rex esse non poterat, Propheram se simularet, legemque sibi à Deo revelatam mentiretur, ut *infra* favente Deo ostendemus.

Quartò, dum dicitur *Loqui sicut Draco.* Notatur ejus doctrina dolosa & venenosa, qua Agarenos, seu Saracenos infecit: hæ sunt enim draconis proprietates, ut occultè & fraudulenter decipiat,

& venenum infundat. Narratur in quadam Chronica, quod Clericus quidam cum in Curia Romana, honorem quem ambiebat, assequi nequisset, indignatus, in partes ultramarinas confugit, innumerabilemque populum sua simulatione ad se traxit : cui cum Mahometum præficere vellet, columbam nutrijt granis in auribus Mahometi positis, ita ut columba super ejus humeros stare, & de auribus ejus cibum sumere assuefacta, quotiescunque eum videret, super humeros ejus prosiliens rostrum in aurem immitteret. Hic ergo Clericus populum convocans dixit, se illum velle præficere, quem Spiritus sanctus in specie columbæ monstraret, statimque columbam secretè emisit : illa super humerum Mahometi evolans, rostrum in ejus aurem immisit: quo viso, populus credidit Spiritum sanctum esse, qui super illum descenderet, ac verba Dei in ejus aurem inflaret. Et sic Mahometus Saracenos ad legem suam seduxit, ad eamque quasi divinam recipiendam pertinaciter animavit, qui ipsi adhærentes Regnum Persidis, & Orientalis Imperij fines usque ad Alexandriam invaserunt.

Alibi tamen legitur, Monachum quendam Sergium nomine, Nestoriana labe infectum, ab Ecclesia & Monasterio exturbatum in Arabiam confugisse, Mahometoque adhæsisse, qui ipsum de novo & veteri testamento plura edocuit secundum Nestorij Magistri sui intellectum, Salvatorem nostrum Deum esse negantis, & partim prout sibi visum est, simulque Apocryphorum fabulis eum plenissimè imbuens, Christianum Nestorianum effecit, ut tota iniquitatis plenitudo in Mahometum confluerer, & nihil ei ad perditionem sui, vel aliorum deesset. Adjuncti sunt Judæi Hæretico, qui ne verus Christianus fieret dolosè præcaventes, hujusmodi novis rebus inhianti, non scripturarum virtutem, sed fabulas suas, quibus nunc adhuc abundant, ipsi Mahometo insibilarunt. Sic ab optimis Doctoribus Judæis & Hæreticis, Mahometus instructus Alcoranum suum condidit, & tam ex fabulis Judaicis quam ex hæreticorum venenis confectam, nefariam scripturam barbaro suo modo contexuit; quem paulatim per Tomos à Gabriele, cujus nomen è sacra scriptura cognoverat, sibi allatum mentitus, gentem Deum ignorantem lethali haustu infecit: & in ore talium omnium calices melle liniens, subsequente mortifero veneno, animas, & corpora gentis miseræ (proh dolor) interemit. Benè ergo dicit Joan. Evang. quod *ut draco* loquutus est.

Quintò reprobus Mahometus describitur, à B. Joanne, in malis operandis studiosissimus insectator; cum dicitur: *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus.* juxta Magistrum Nicolaum de Lira: Modus primi Regis in aliquo Regno, est regnum suum firmare, & dilatare quantum potest, quod fecit ipse Mahometus, & ideo dicitur, *Potestatem prioris bestiæ omnem faciebat* quia quicquid solet facere primus Rex, ad firmandam & dilatandam suam potestatem, ipse diligentissimè peragebat, *In conspectu ejus*, id est, prout sibi ad suum intentum expediens videbatur. Ubi notandum, quod Mahometus ad firmandam & dilatandam legem suam, sive potestatem quatuor astutijs, vel cautelis usus sit.

Prima est, ut de lege sua non ratione disputaretur, sed gladio: timuit enim, quod si inter sapientes ventilaretur, facillimè vana & perniciosa ostenderetur.

Secunda est; Ne Saraceni studiis Philosophiæ vacarent, per quæ legis suæ falsitas, vel solo naturali judicio satis manifesta detegeretur.

Tertia est; Quod in principio legem suam, non nisi rusticis, & simplicioribus hominibus persuaserit, apud quos Prophetam se mentitus quidvis eo facilius persuasit, & obtinuit fraudulenta sua machinatione, quanto ipsi rudiores, & honestæ civilitatis ac humanæ prudentiæ magis erant expertes: quibus per agros, & villulas incompositè & agrestè viventibus facillimè se Dei nuncium, & Prophetam esse persuadebat: utpote qui, inter veritatem & mendacium, inter fatuitatem & sapientiam, quid distaret, discernere nesciebant: nec parum ipsi profuit Astrologi cujusdam favor & consilium, quo latrones, sicarios, & quidquid potuit pestiferæ gentis sibi univit, quorum auxilio terrorem suum super multos non leviter auxit.

Quarta est: quod in lege libidinis & voluptatis frena laxaverit, quam carnales homines mente corrupti libenter amplectuntur: & ita pater, qualiter in dilatatione suæ sectæ in malis operandis fuerit studiosissimus.

Sexto, impudens Mahometus describitur à B. Joan. Evangelista, temerarius arrogantissimus: cum dicitur, *fecit terram suam, & habitantes in ea adorare bestiam primam*, id est, seipsum, qui dicitur *bestia* ratione prius assignata : adorare non dico tanquam Deum, sed sicut Prophetam Dei summum, talem enim se prædicavit, & creditus est à gente sua illa stulta: tantæ autem temeritatis fuisse legitur, ut ausus fuerit dicere, *Credite in Deum, & in nuncium ejus Mahometum : Obedite Deo & nuncio ejus: Sequimini Deum, & Nuncium ejus.* Quod profecto verbum arrogantissimum fuit, sicut infra ostendemus; ubi ipsum non Dei Nuncium, sed pseudo prophetam manifesta ratione demonstrabimus.

Septimo, impius Mahometus describitur à B. Joanne seductor periculosissimus his verbis: *Fecit signa magna*, falsa tamen, ut eam faceret ignem de cælo in terram descendere: hic ut manifestè patet, & dicit Magister Nicolaus de Lira, ignis metaphoricè accipitur, sicut & alia, quæ dicuntur hic. Mahometus enim jam magnus effectus, epileptica passione cadere cæpit: quamobrem ne vel apud uxorem, vel populum suum vilipenderetur; se hoc pati, ex apparatione Gabrielis Archangeli, commentus est; utpote non valens ejus refulgentiam sustinere: sicut *Daniel c.* 10. dicit Angelo sibi apparenti: *Domine mi in visione tua dissoluta sunt compagines mea, & nihil in me remansit virium* : Angeli vero ignis vocantur, secundum illud Psalmi: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros ignem urentem.* Verum quia id falso à Mahometo erat commentum; ideo subjungitur, *in conspectu hominum*, id est, in opinione falsa sibi credentium. Commenti etiam sunt ipsius Discipuli, quod Lunam ad se vocatam fecerit descendere, qua ratione luminis convenit cum igne, & hic secundum vanam opinionem hominum ignem descendere curavit: & ita, ut sequitur, *seduxit in terra habitantes*, per se & discipulos suos, propter signa, quæ falso dicta sunt de eo, & ab hominibus bestialibus credita.

Octavo nefarius Mahometus à Joanne Evangelista crudelissimus Tyrannus dicitur, per hæc verba: *Habitantibus in terra* sibi subjecta, scilicet, *ut faciant imaginem bestiæ.* Dicitur autem ejus Imago lex ab eo data, in qua repræsentatur ejus conditio & vita, & præcipit firmiter sub pœna mortis illam custo-

castodiri. & hoc est quod dicitur, *ut faciant imaginem*, id est, opere impleant ejus legem. *Et datum est ei*, id est, permissum à Deo, *ut daret spiritum imagini*, id est, vigorem suæ legi. Lex enim dicitur viva, quamdiu viget; & mortua, quando alteratur. *Ut loquatur imago bestiæ*, id est, sententiam suam ostendat, sicut dicitur, Lex talis loquitur in tali casu, nam omnia ferè accipiuntur metaphoricè. Sequitur, *Et quicunque non adoraverit imaginem bestiæ*, id est, legem bestialem Mahometi non receperit, & non coluerit, *occidatur*: *Et faciet* per violentiam, *omnes*, pusillos, & magnos, divites, & pauperes, liberos, & servos *habere characterem in manu dextra*, id est, in opere, *& in frontibus suis*, per oris confessionem. Hactenus ex Turrecremata.

CAPVT II.

Mahometum non fuisse Apostolum, sive Nuncium à Deo missum.

Consulend. sect. 8. Tom. 5. supra cit. Bibliothe. Theolog. perquā facua Mahometanæ sectæ superstitio acriter impugnatur & confutatur.

NIcolaus Clenardus vir egregius, qui è patria sua Belgio longissimam & valde periculosam suscepit peregrinationem in Africam, & in civitate Fessæ diu moratus est, eum in finem, ut Mahometanam fidem perfectè edisceret, quo deinceps Mahometistis ab infidelitate sua, ad fidem Christi convertendis, magis utilem ac fructuosam operam impenderet: recte fundamentum disputationis inter nos & Mahometistas notavit; hoc fuisse, de Ecclesiæ Catholicæ statu sempiterno, vel eversione ante annos nongentos. Illi enim ajunt, ut Evangelio prodito abrogata est lex cæremoniarum, sic Mahometum successisse Christo, cùm ejus lex & Ecclesia interiisset. Quare hic negotij cardo est, & hinc ordienda disputatio: Mahometum nec fuisse Apostolum, nec à DEO missum, nec Evangelicam legem fuisse abrogatam, aut extinctam.

Ut autem Mahometus se Dei Apostolum comprobet; tum ex litteris sacris suam authoritatem, & vocationem commendat, tum Saraceni aliquibus miraculis ab ipso Mahometo factis confirmant. Primo igitur Mahometus *cap. 74. Alcorani*, inquit, Christum in novo testamento de Mahomete venturo his verbis prædixisse, *Nuntia* (inquit ille) *vobis affero, de nuncio post me venturo, cujus nomen Mahometus*: quem locum Saraceni omnes credunt in Evangelio adhuc stare, sin minùs, malitia & impietate Christianorum fuisse erasum. Secundo, in *cap. 71. Alcorani*, dicitur Deum in veteri testamento ejusdem Prophetæ futuram nativitatem, tot annorum millibus ante prænunciasse, illis verbis Deut. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus.*

Præterea Saraceni multa à Mahometo miracula gloriosa edita in confirmationem sui Apostolatus fuisse confingunt: ex quibus illa (inquiunt) sunt principaliora, quod in specie columbæ Spiritus Dei in eum descendit, & inspiravit, quemadmodum lex Alcorani erat conscribenda: quod dum coram universa multitudine concionaretur, indomitus taurus, terribilior illo immani Atticæ regionis, qui ab Hercule victus, inter admirabiles ejus labores numeratur, ad Mahometum accurrens, in genua se prosternens & declinans humiliter caput, manum Prophetæ supplex deosculatus est: quasi exemplo suo demonstrans eum ab hominibus colendum, quem feræ & truculentæ bestiæ venerarentur. Quid illud, quòd Adamo novem post ejus creationem diebus, stupenda quædam visio accidit, quâ dum attonitus miratur, divinitus ei annunciatum est, eam fuisse præsignificationem quandam plurimorum Prophetarum, ex quibus oriundus esset Mahometus; quem quatuor tantum annis natum invisit Archangelus Gabriel, qui etiam antea de cælo descenderat, cum septuaginta Angelorum millibus, ut mundo ejus nativitatem testaretur, & qui postea cælitùs eam legem detulit, quæ deinceps à Mahometo toti mundo erat imponenda? Mitto divisam in duas partes lunam, & hujus generis quædam alia. Neque enim, inquiunt Saraceni, Mahometus adeò erat stolidus, ut Prophetam & Apostolum Dei se venditaret, sine illo argumento, quo Deus semper omnes sine exceptione ejusmodi Prophetas voluit esse ornatos: neque Arabes, Persæ, Asiatici, & Ægyptij, qui ejus Alcoranum susceperunt, adeo erant agrestes & barbari, ut unico verbo victi, fidem veterem voluerint projicere, & novam undecunque oblatam arripere.

Tertiò, quia Mahometus (inquiunt Saraceni) non solum ad reformandum orbem, sed etiam ad castigandum, ob neglectam Christi sanctissimam doctrinam, & Religionem, ultimo loco fuit missus, idcirco post ea miracula, suæ divinæ vocationis indicia, cum prædicatione Alcorani gladium copulavit: Deum enim, ajunt, illi per Gabrielem, Alcoranum misisse, præcepisseque, ut eum per orbem terrarum publicaret, simulque gladium tradidisse, quo repugnantes castigaret: hancque contendunt Saraceni legem esse, ipsissimam Dei voluntatem, veritatem certam, in qua promulganda, si operam suam poneret, DEUM ei affuturum, & fælicibus auspicijs conatum ejus ad optatos exitus provecturum. Et his promissis eventa (inquiunt) pulcherrimè respondenterunt. Rem siquidem aggressus mirabili fælicitate Regiones maximas subjugavit, Arabiam, Asiam, Persiam, & alias plurimas: neque potentissimus Romanorum Imperator, ejus cursum potuit retardare, aut hominum extinguere ardorem, aut amissas provincias recuperare, aut unquam extirpare, quam ille fidem severat; quæ & ijs in locis ad hunc usque diem firma constantsque permansit, & extremas Orientis plagas pervasit. Unde sibi ipsis facilè persuaserunt, (imo hoc est potissimum hujus sectæ fundamentum) Deum primò misisse humano generi Moysem, deinde abrogata lege Christum JESUM, instructos facultate & virtute prodigiorum: hominibus vero non obsequentibus eorum dictis, misisse postremo Mahometum sine miraculis, armatum, ut quos non moverant miracula, arma compellerent: ac proinde Mahometum fuisse postremum nuncium, nec futurum alium post ipsum.

Contra hujusmodi igitur deliria statuendum primum, Mahometum nulla fecisse miracula: secundum, Non fuisse Dei nuncium, neque Apostolum; ac tertium proinde, Non fuisse ultimo loco à Deo missum, quartum, Ipsum non esse Dei Prophetam.

Maho-

Mahometum nullum operatum fuisse miraculum.

§. 1.

DE prima hujus assertionis parte sufficiat nunc attigisse breviter, Mahometum nullum operatum fuisse miraculum: quis enim non advertat, ea omnia, quæ à Saracenis finguntur, ut ejus commendent miracula, esse falsas eorum imitationes, quæ in Salvatore nostro gesta sunt. Descendit super eum (quod ipsi non negant) in Jordane Spiritus sanctus, descendit quando nascebatur multitudo Angelorum cælestium: salutavit MARIAM virginem Archangelus Gabriel, eique lætissimum illud nuntium de Christo carnem suscepturo detulit. Ista quia visa sunt Mahometo plausibilia, & ad populum inescandum idonea, partim præstigijs, partim apertis mendacijs ad se traduxit. Deinde hæc omnia à nemine, nisi ab ipso authore visa sunt, imò hæc & alia confictæ fabulæ sunt, & contraria ipsi Alcorano. Prohibet enim Mahometus de se aliquid tale credere, præterquam quæ scripta sunt in Alcorano.

De omnibus Prophetis dicit: *Multi multa mentiti sunt; quod ne de me existiment quidam, id solum de me verum credatur, quod Alcorani authoritate fulcitur.* Ille enim cum miracula non fecisset, & hoc ostendere volens, introducit Deum loquentem & dicentem: *Dixit Dominus ad me propter hoc miracula te facere non permitto, ne tibi propter miracula eveniat, quod & alijs Prophetis accidit.* Suo igitur testimonio convincitur nullum fecisse. Ait enim, quòd cùm homines ei dicerent: *Ostende nobis aliquod signum, sicut fecit Moyses, Christus, & alij Prophetæ*; respondit; quòd mundus non credidit ijs, sed dixit, incantatores esse, propter hoc Deus non permisit mihi miracula facere, non enim credidissent: sed veni in potentia armorum. Quod manifestè falsum esse ex eo patet, quòd parvo negotio credidissent facienti miracula; cui crediderunt sine miraculis, latrocinia, rapinas, adulteria, & id genus flagitia mandanti; quibus perpetrandis genus humanum promptissimum est: quod ait de potentia armorum, quod pro miraculo adducit, falsum est: non enim semper fuit victor, ut Moyses, & Jesus Nave, & Helias, quos Angelus Domini semper protexit, & victores effecit; Mahometo verò dentes contriti sunt, & facies collisa: hinc ergo non est, quod repente ei magna mundi pars adhæserit; sed quod talia mandata dederit, in quæ homines sine lege, proclives sunt.

Præterea eundem Mahometum nullum patrasse miraculum, ex alio ipsius testimonio manifestè constat: nam & ipse in *Cap. Prophetarum* narrat de quærentibus ab eo miracula fieri, & dicentibus ipsi Mahometo: *Audivisti in somnia, blasphemias congregasti, vel fortè poëticè loqueris. Veni ad nos ad minus in uno miraculo, quomodo & missi sunt priores.* Respondit: *Subvertimus*, inquit Deus, *urbes coram non credentibus, nunquid hi credent, & quomodo exspectent ab eo miracula*: & respondit eis; *Quoniam qui præcesserunt vos, non crediderunt miraculo, & neque vos etiam miraculis credetis, nisi per ensem.* Quibus testimonijs clarè convincitur, Alcoranum nullis miraculis fulciri.

Christiana autem fides, quæ ardua docet, & præcipit, in miraculis manifestis & utilibus, tum à Christo, tum ab Apostolis editis tota fundata est: & usque ad præsentia tempora dæmones expelluntur, debiles curantur, mortui suscitantur: hæc autem miracula Christiani patrarunt, hodieque patrant dicentes, Christum crucifixum, verumque Deum esse: & in hujus veritatis confirmationem, innumera sunt à Christi cultoribus patrata miracula. Quodsi Saraceni dicant esse à nobis conficta, ex eo magis convincuntur: nam aut Christiana Religio divinis miraculis à toto fere orbe recepta est, aut nullis miraculis confirmata: si primum, divina est ergo, & digna, quæ recipiatur: sin autem nullis, hoc est magis miraculum, quod absque miraculis, per homines simplices & idiotas, hominibus ardua, naturæque vitijs corruptæ contraria imponentes id fieri potuisset: quod fecerunt Christiani, non vi & armis alios interimentes, aut minantes, sed potiùs ab alijs illatam mortem patienter sustinentes.

Mahometum non fuisse Dei Apostolum.

§. 2.

SEd jam secundò Mahometum scilicet Apostolum, vi & armis nitentem, evertamus. Primò, quia Deimos est legē statuentis per suos ministros, & nuncios, non violentia armorū cogere corpora, sed miraculis & suasionibus adducere animos. Hoc fecerunt Moyses & Christus: nam quod Mahometus dicit, homines illis non obediviſse, manifestissimum est mendacium: quippe & Moysi dicto audientes fuerunt Judæi, & totus penè orbis Christo, & nunc plurimæ adhuc gentes, & cum Mahometus viverer, pleræque nationes. Manifestius poterat monstrare à DEO esse missum se, si ea egisset, quæ sola potest DEUS, quæque illis solis tribuit, quos mittit ipse ad salutem hominum. Nam quòd ait incredulis nulla miracula prodesse, se ipse non intelligit, ut in alijs suis dictis. Quos enim vocat incredulos? si illos, qui nullo modo sunt credituri, apud istos non solum miracula, sed nec arma quicquam profecerint: si increduli sunt, qui non credunt, aut quibus difficile persuadetur; istis certa efficaciora fuerint miracula, quam arma, & mundus ad mirabilia Christi atque Apostolorum opera respuit, non ad victorias Persarum, aut Romanorum. Sed Mahometus conscius sibi, se non habere donum illud cæleste efficiendi, quæ naturæ vires superarent, quod erat in promptu, missum esse se dixit ferro munitum. Atqui armatus hic victus est aliquando, & luculentum vulnus in ore accepit, unde molares aliquot & dentes amisit, & in fossam est dejectus, & victus turpiter, & quidem cum pridie victoriam sibi & suis ex cælesti oraculo promisisset: quin etiam cum adhuc esset latro, cæsus sæpe est, ut à *Drianidis*, quorum camelos invadebat *Mecha* redeuntes, & Civitas illa, quæ nunc eum adorat, capitis aliquando eum damnavit, ut latronem perniciosissimum; & premium proposuit, si quis in potestatem, vel vivum, vel mortuum redigeret.

Præterea, quia in armis sæpe numero videmus accidere, ut pejor causa vincat meliorem, ut intelligamus non esse divinæ æquitatis bella, sed humanæ malitiæ. Verum non ignoravit Mahometus mansuetudinem, clementiam, humanitatem esse potius divina arma, quam ista ferrea & chalybea fabrorum manibus conflata, idcirco ait: *Missus sum à Deo, ad homines cum pietate & misericordia.* Item persuasionem esse potius divinitatis, quam violentiam

lentiam & coactionem, idcirco alio in loco inquit: *Nulla violentia est in fide.* Et rursus: *Vim nequaquam propter legem inferatis, cum rectæ, pravæque viæ patefactæ sint.* Sed nimirum si hoc ipse observasset, invalidum fuisset regnum Propheræ, & defectus Principatus. Persuasione enim nemo esset unquam ad assentiendum sectæ inductus, tam absurdæ ac puerili. At ferri quis fu sset usus, si nemo cogeretur, & res non esset gladijs gerenda, sed rationibus? Idcirco tanquam sui oblitus alibi, dicit: *Nisi meam scripturam receperis, & credideris, cælitus esse ad me missam, meque confisus fueris Prophetam esse Dei legatum; diripiam substantiam tuam omnem, uxorem & liberos tuos captivos abducam, teque ipsum interficiam.* Et item: *Viri boni, quid vobis est cum illis incredulo commercij? cum nemine illorum contrahatis, vel negotium vel societatem, vel amicitiam, nisi prius recta via Dei pugnatum aut prædatum vobiscum exeant: quod si facere recusarint; eos si fieri possit, ubicunque inveneritis, occidite.* Hæc ille. Quid potest dici, vel Deo, vel Propheræ congruentius? Ideoque lingua vestra, eo nomine appellatis eos, qui vobis se adjungunt, quo denotatur, illos se ac rem suam, & familiam conservasse Mahometicæ legis professione.

Deinde, quia non convenit mitti à DEO, nisi qui Dei sit simillimus sanctitate, innocentia vitæ, sapientia, & alijs virtutibus, quæ in DEO sunt eximiæ & infinitæ: qualis fuit Moyses, & Moyse melior Christus, vel vestri legislatoris testimonio; Mahometus ipse, antequam ad legationem Dei nomine obeundam veniret, pessimus, in legatione ipso pejor fuit. Ipse homo apertus, & simplex profitetur, quæ negare non poterat, cum haberet conscios & testes suorum flagitiorum, peccatorem se à principio fuisse, & hominem facinorosum, sed condonata sibi esse à DEO peccata. Quæ autem inquies fuerint priora illa scelera? prædo erat, raptor violentus, homicida & nefarius adulter; eadem illa postquam de cælis descendit, obtinuit, nec quicquam mutavit de solita impuritate, ac crudelitate. Denique talis fuit, qualem quis filium suum esse nolle. Quis igitur credat à Deo esse electum aliquem ad munus tantum, nec ab eo esse meliorem redditum? Potest cuiquam tanta bonitas contingere, quin bonum faciat? Potest tanta puritas, quin purget? At vero ne quis scelera & flagitia, quæ palam Propheta designabat, auderet carpere aut vituperare, auctoritatem divinam omnibus interposuit, & se à Deo jussum id facere confirmavit; bella, cædes, rapinas, adulteria.

Nec satis illi fuit, malum & sceleros um esse, nisi etiam nequitiæ, ac scelerum suorum auctorem DEUM faceret, & causam, patrem bonitatis & justitiæ, otiorem vitiorum. Movet bella, rapit, occidit, ait, se cum potentia publica à Deo missum: incestat, adulteratur, polluit virgines, & maritatas, facit Deum lenonem suum; & ait, sibi datam à Deo vim generandi, quantum hominibus quadraginta. Quid potest dici obscœnius? quorsum hæc generandi tam immanis potestas? nisi ut non solum impunè, & licenter, sed cum aliqua pia Religionis cognitione, à muliebri simplicitate, & superstitione admitteretur ad concubitum, finente marito, aut patre, atque etiam auctoritatem numinis reverente, à quo esset illi tale munus concessum.

Addamus præterea, si à Deo munus hoc concessum est Mahometo tanto nuntio, & Propheræ, cur nulli unquam Prophetarum aliorum, non dico tantum, sed nihil permissum est tale omnino? Quod si donum est hoc & Deo dante, & Prophe a accipiente dignum, nemo non deberet expere re, & se in cænum illud fœdissimum immergere. Qui divinæ naturæ, atque ingenij, vel minimam ac tenuissimam particulam mente ac cogitatione comprehendunt, continuò agnoscunt, qualis est iste divinus Nuntius, qui vim illam ac facultatem tantæ turpitudinis; & licentiam adeo particularem & effrenem à Deo se accepisse gloriaretur? Si tam propinquus, tam acceptus, tam charus erat Deo, impartitus illi fuisset Deus non turpitudinem opum, non voluptatum, non rapinarum, sed de suarum excellentia virtutum, quemadmodum Moysi, Christo, Joanni, & alijs, quos ipse charos fuisse Deo perhibuit.

Nec solutio Saracenorum potest satisfacere dicentium; Etiamsi Mahometus fuerit homo nequam, & perditus; tamen Deus eligit quos vult: quia etiamsi Deus ex peccatoribus justos faciat, semel tamen electi à Deo, & in ejus amicitiam admissi peccatores esse desinunt, maximè si vera essent, quæ ipse Mahometus de se finxit. Tanta enim cum Deo familiaritas, tam crebra colloquia, lex ipsa cælitus ipsi missa, fecissent eum sanctiorem. Quale autem est, formulam rectè vivendi, pietatis, sanctitatis dare Deum hominibus, per hominem ab illis virtutibus alienissimum; ut nihil magis à norma illa discreparet, quam vita Legati? Quid vero potest esse æquius quam ut homines se ad exemplum illius componant, quem videant admitti ad consortia Angelorum, ad colloquia Dei, præfici mundo à DEO ipso, ad leges vitæ & sanctitatis condendas.

Sed proprius accedamus ad id quod dicunt, à Deo fuisse promissum Mahomerum, id vero erasum à nostris. Nam illo loco, quo dicitur: *Et mittam vobis Spiritum consolationis*, Mahometum erat adscriptum, deletum autem à nobis odio Saracenorum. Quæro ante omnia, quinam eraserint? priores Mahometo, an posteriores? prioribus nulla erat causa; nesciebant enim quis, aut qualis Mahometus esset futurus, imo crediturі erant optimum, & divinum Prophetam futurum, qui esset à Christo non solum commendatus, sed jussus expectari. Posteriores non fecerunt; Nam Mahometus jam de eo conquereitur. Quid quod extant Evangelia scripta ante Mahometi ætatem, nec ulla est in eis mentio Mahometi, nec ulla eo loco erasio. Tot scriptores Christiani præcesserunt Mahometum, tam diversi opinionibus, sectis, affectibus, quis unquam illorum meminit Mahometi? Quod si Mahometum jussisset JESUS Christus expectari, tantum nobis fuisset nefas, illum priusquam veniret non expectare, & postquam venisset non recipere, quam Christum ipsum abnegare.

Magnum odium versatur inter Christianos & Saracenos, idem inter Christianos & Judæos, ac inter Judæos, & ipsos Saracenos. Mahometus inquit, Moysem fuisse missum à DEO, JESUM vero verbum DEI, natum ex MARIA Virgine; & nullus Saracenorum auderet aliter sentire, aut loqui, nec scripturam eradere, non amore Christi, aut nostri, sed propter testimonium Mahometi, quare ergo idem non est credendum de nobis Christianis? Nos libros veteris testamenti legimus, veneramur, oracula esse Dei omnipotentis pro certo habemus: Moysem virum Dei, Prophetas sanctos fuisse credimus homines, ex testimonio JESU Christi, qui si Mahometū nobis commēdasset, sanctior etiam nobis esset ille omnibus: quēadmodū Joannes Baptista de quo elogium fuit Christi, *Inter*

natos

natos de mulieribus non surrexisse majorem. Nec aliter expectatus & desideratus fuisset à nostris Mahometus, quam Spiritus ille consolationis ab Apostolis; qui decimo post Christi ascensionem die, divinis muneribus Apostolos replevit.

Mahometus non fuit postremus Dei Nuntius.

§. 3.

DEnique asserunt Saraceni postremum Dei nuntium fuisse Mahometum, quod æquè falsum & ridiculum est, ac alia, quæ ipsi mentuntur: Nam ratio ipsa postulat, ut præstantissima legatio præstantissimo legato commendetur. Cum res est absolvenda ingens, & maximi momenti & ad summam Regni pertinens, quis mittitur nisi Regi proximus & intimus, vel interdum Rex ipse venit in colloquium, cum iis quibuscum agitur. Primum enim res per inferiores tractatur, ad ultimum vero, ut plena sit in consummatione authoritas, per eum, qui summæ sit authoritatis. Conferamus jam Christum cum Mahometo non ex nostra prædicatione, sed ex Alcorano, & Saracenorum secta, Christus verbum Dei, Mahometus homo merus. Christus Messias promissus patribus, nunciatus ab Angelo Virgini excellentissimæ: Mahometus obscurus & ignobilis. Christus semper sanctus, Mahometus aliquando profanus, errabundus & latro, ac Idolorum cultor. Christus doctor sapientissimus: Mahometus omnis eruditionis prorsus expers, nec suum ipsius Alcoranum intelligens. Christus de se, & de suis certus: Mahometus incertus, ut ipse in Alcorano confitetur. Christus vivens, vel, ut ipsi dicunt, raptus in cælum à Deo; vel, ut nos, reductus in vitam; Mahometus mortuus & computrefactus. Denique nec Mahometus negat multo se esse inferiorem JESU Christo. Utri ergo par erat legationem postremam mandari, in qua sigillum esset addendum normæ pietatis & vitæ totius? Conveniebat profecto vel Mahometum, si nuncius esset Dei cum reliquis Prophetis venisse ante JESUM, vel post JESUM nemmem mitti.

Accedit his, quod Christus ad divinæ suæ legis confirmationem ea adferebat, quæ videntes dubitare non possent divinitùs fieri, & facultatem omnem naturæ superare. Saraceni enim de illo testificantur, quod reddiderit lumen cæcis, sanitatem leprosis, surdis auditum, mortuis lucem & vitam, & alia innumera. Propheta ipsorum nulla se ait miracula fecisse; cum tamen id præcipuum sit divinitatis signum: nempe ostendere vel se, vel eum, à quo sit missus, majorem esse, & potentiorem naturæ legibus, quod & ipsi quantumcunque ignari, etiam inconsiderantes, satis tamen assequuntur; quia Propheta eorum negat se miracula edidisse, aut sibi eam vim à Deo concessam. Miracula nihilominus aliqua ei attribuunt, sed absurda aut inepta; quæ satis appareat esse conficta.

Ex his igitur pater, quam ridicula sint, quæ pro Mahometis apostolatu Saraceni fabulantur.

Mahometum neque fuisse Dei Prophetam.

§. 4.

MAhometus cum ad Regni fastigium vi & armis ascendere non posset; arte & ingenio magno usus est; ut qui Rex esse non poterat, Prophetam se, & Apostolum Dei simularet; legemque sibi à Deo revelatam tanquam summo Dei Prophetæ mentitus est: imo non solum Prophetam se effinxit, sed etiam Prophetam generalem, quin & finem & sigillum se omnium Prophetarum temerè & mendaciter asseruit: quæ omnia falsissima sunt, ut ex sequentibus argumentis apertissimè demonstratur.

Primo, quia cum Prophetia sit inspiratio, vel revelatio divina, rerum eventus immobili veritate denuncians, non potest prophetiæ, quæ à DEO est, subesse falsum aliquod, sive mendacium: alioquin DEUS ipse esset author mendacij. Sed quam plurima de se ipso Mahometus prædixit, quæ non evenerunt; prædixit enim se tertia die resurrecturum; quare à Saracenis usque ad illud tempus fœtorem corpus ita fœtore aëreum infecit, ut eum, quam citissimè sepelire compellerentur. Dixit etiam sibi particulari revelatione à DEO fuisse concessum, ut sine discrimine ullo, posset cuicunque mulieri adhærere, ut generaret virum sanctum & Prophetam: at non legitur ipsum genuisse filium aliquem, ex quo tam ejus turpitudo, quàm prophetiæ falsitas convincitur.

Ipse rursum Mahometus composuit librum, in quo scripsit duodecim millia verborum mirabilium; mirantibus autem & quærentibus Saracenis quibusdam ab ipso Mahometo, respondit, solum tria millia veritatem habere, cætera autem esse falsa. O egregium Dei Prophetam! O summum Dei & veritatis Apostolum! in duodecim mille verbis, sive sententijs novem millia confitetur mendacia? Quare cum in prædicto libro, ut author est Richardus in confutatione legis Mahometi cap. 9. falsum aliquod deprehendatur; respondent Saraceni, & hoc Mahometum dixisse, cum affirmavit non omnia esse vera. Sed & ipso Alcorano, quem Mahometus se à Deo tanquam Propheta accepisse jactat multa continentur falsa, erronea quam plurima; mendacia quasi innumera, ut patet ex erroribus Alcorani initio hujus disputationis relatis, & ex alijs infra referendis. Quare, ut etiam ipse Richardus se experientia comperisse testatur, multi Saracenorum, præcipuè viri periti & sapientes, quasi nullam fidem adhibent Alcorano; & ideo de ipso cum alijs sapientibus disputare recusant, vehementissimeque contristantur, cum ab alijs ipsum legi conspexerint: & ideo vetant, ne in alias linguas transferatur: purum autem aurum, nec aquam timet, neque ignem: talis est Evangelij doctrina, de qua libenter Christiani cum alijs nationibus disputant, legendumque omnibus offerunt, cupiuntque omnibus prædicari, & in alias linguas transferri.

Secundo, Principaliter propheria cum sit donum Dei, datur ad utilitatem Ecclesiæ, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ, secundum illud Apostoli 1. Cor. 12. *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* sed ea, quæ à Mahometo gesta sunt, potius ad destructionem fidei & morum, quam ad ædificationem spectant.

Tertio,

Tertio, Quia licet Prophetiæ donum necessario morum honestatem, mentisque sanctimoniam non requirat; secundum illud Apostoli 1. Cor. 3. *Si habuerim prophetiam, & novero mysteria omnia, charitatem autē non habuero, nihil sum*: & ob id, aliquando mentem peccatoris spiritus tangat Prophetiæ, quædam tamen sunt peccata, ut prudenter annotavit D. Thom. 2.2. q. 171. *art.* 4. quæ usum prophetiæ impediunt, qualia sunt carnalia: quia illa, passionis vehementia mentem à spiritualitate omnino retrahunt; ex quo quis ineptior fit ad prophetiam. Quare Rabbi Moyses apud D. Tho. dixit: Hoc est signum, quod aliquis sit falsus Propheta, quando voluptatibus sæculi detinetur. Cum ergo Mahometus carnalibus voluptatibus maximè fuerit involutus, utpote stupris, libidinibus, adulterijs, homicidijs, spolijs & rapinis, aliisque innumeris flagitijs; manifestè colligitur ipsum non Prophetam Dei fuisse, sed potius de illis, de quibus Ezechiel. 3. *Hæc dicit Dominus Deus, de Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.*

Quarto, Impossibile est esse Prophetam Domini illum, qui in doctrinis & denunciationibus propheticis sibi adversatur: hoc passim invenitur in lege Alcorani, spiritu Prophetico à Mahometo composita. Et confirmatur, quia DEUS sibi ipsi contrarius esse nequit: at Mahometus in plurimis divinæ legi, antiquis Prophetarum prædictionibus, & Christi Evangelio contraria docuit, ut constat legentibus Alcoranum: manifestum est igitur, ipsum non esse Prophetam DEI.

Quinto, Propheta dicitur, quasi procul fans, hoc est, ignota sive præterita, sive futura prænuncians; at Mahometus ignota nulla præterita dixit: quòd si aliqua de Adamo, de Noe, de Abraham, de Moyse enarrasse legitur; non ea illa puritate, qua in fontibus Scripturæ sactæ inveniebantur, accepit: sed multa permiscens mendacia, totam penè scripturam infecit. Et ut alia prætermittam, quod clarius mendacium seu potius delirium, quam asserere Virginem MARIAM fuisse filiam Abrahami, & Abrahamum fuisse Patrem Moysi & Aaron; ita palam affirmat in *Cap. Abraham*: & in *Cap. Mariem*, hoc est, Mariam, docet Mariam Matrem Christi, sororem fuisse Aaron: & quod Moyses, & Aaron habuerint quandam Sororem, quæ Maria appellabatur, & quod hi tres erant filij Abraham, quid ineptius, aut fabulosius? cum inter hanc Mariam, & B. Virginem MARIAM matrem JESU Christi Salvatoris nostri, mille quingenti anni interfuerint: quare captus est Mahometus in mendacio tam manifesto, DEO sic permittente, ut quilibet facilè deceptionem animadverteret.

Deinde de Patriarchis, ut de Abrahamo, Isaac, & Jacob (itemque de Patriarcha Noë) affirmat, quod fuerint Saraceni, & quod propterea diluvium venerit super terram; quia Noë prædicante hominibus, ut fierent Saraceni, ipsi renuebant: quæ omnia ridicula & fabulosa sunt: tum quia ipse Mahometus, sicut ipsemet docet in Alcorano, in C. *Elcaminar*, ait sibi ex persona Dei fuisse mandatum, ut sit primus Saracenus in mundo: tum quia Patriarchæ isti fuerunt Christianorum, Judæorum, ac Saracenorum progenitores, ac proinde non plus Saraceni quam Christiani sunt appellandi. De Apostolis etiam ut ad Evangelij tempora descendamus, dicit in *Cap. Abraham*, quod illi testati sunt, & dixerunt Christo, quod essent Saraceni imitatoresque Apostoli Mahometi; quod itidem mendacium est apertissimum. Christus enim & Apostoli Mahometum (qui se ipso testante fuit primus Saracenorum) præcesserunt plusquam sexcentis annis. De Christo vero nec esse Deum, nec Filium Dei mentitus est: & quod mirabile est, ut credatur, affirmavit Christum neque crucifixum neque mortuum fuisse. Res adeo toti orbi, & per tot sæcula Judæis, gentibus, omnibusque nationibus notissima, ut amentia sit eam negare. De se ipso denique affirmat, Christum prophetasse, dixisseque in Evangelio, *Annuntio vobis de nuncio Dei, qui post me veniet, & nomen ejus Mahometus*: hîc enim mendacium est crassissimum, sicut & alia, cum nihil tale sit apud Evangelium: nisi velimus Christum de eo prophetasse, quando dixit *Matth.* 7. Pseudoprophetas venturos post se, qui intus forent lupi rapaces.

Ex quibus non obscurè colligitur Mahometum, circa præterita mendacem fuisse Prophetam, cum tot mendacijs veritatem corruperit. Quantum vero ad futurorum prædictionem attinet: nihil ferè prophetavit, excepto illo de Resurrectione sui corporis. Quare excludendus est à numero Prophetarum.

Denique sapientiæ primo dicitur: *Spiritus disciplinæ effugiet fictum*: sed Mahometus maximè fuit fictus, & sanctitatis simulator, seductor hominum, omniumque sceleratissimus. Ergo impossibile est ipsum fuisse Dei Prophetam. Nec valet Saracenorum solutio, dicentium, Moysem & David homicidas peccatoresque fuisse; & dono Prophetiæ præditos: quia etsi illi aliquando peccaverint, egerunt tamen pœnitentiam de peccatis suis, nec in illis continuo perseveraverunt: Mahometus verò nec cessavit à scelere; nec pœnituit de peccatis; tum quia aliud est esse Prophetam moribus improbum; aliud vero esse falsum, hæreticum, aut infidelem; mendosa ac turpia ac legi Dei contraria prophetantem seu docentem: quod nullatenus in Dei Propheta inveniri potest; cum DEUS testis falsitatis non sit.

CAPVT III.

Legem Alcorani nulla ratione esse à Deo.

CUM reprobus Mahometus non fuerit verus Dei Apostolus, neque Propheta, sed potius Pseudoprophetа, facile erit deducere ejus sectam, sive doctrinam execrabilem, non esse à Deo; quod clarius apparebit, si per singulas legis divinæ conditiones discurramus, quas Psalmista breviter, compendiosè tamen, Psal. 118. illis verbis præscripsit. *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Ex quibus quinque conditiones legis, quæ à DEO est, ostenduntur, quarum nulla legi, sive sectæ Mahometi convenit, ut patet ad singulas descendendo.

Prima conditio legis divinæ est, quod sit rationi consona; quæ ostenditur cum dicitur (*lex*) Nam juxta Philosop. 2. Ethic. *Lex est ideo, quod ratione consistat*: Et Tullius: *Lex nihil aliud est, quam recta à numine Deorum tracta ratio*: ex qua legis conditione luce clarius colligitur, illam non esse à Deo datam legem, in qua traduntur, quæ omnino à ratione discordant. In secta autem Mahometi multa

continentur rectæ dissona rationi, imò quæ bestialia sunt, ut fornicationes, adulteria, peccata contra naturam, furta, & rapinæ: de quibus infra latius dicemus: Quare manifestum est illam legem à DEO non esse.

Secunda legis divinæ conditio est, ut sit honesta, justa & sancta præcipiens; id enim notatur à Psalmista illa particula (*immaculata*) quam etiam conditionem Tullius confirmat dicens: *Lex est recta ratio à Deo summo tracta, imponens honesta, & prohibens contraria*: hic enim est proprius legis effectus, juxta Aristotelem *secundo Ethicor.* homines inducere ad virtutem. Virtus autem est, quæ bonum facit habentem, ac opus ejus reddit honestum. Cum igitur secta & doctrina Mahumeti inhonesta & turpia multa contineat, ut ex dictis, & infra dicendis constabit evidentissimè, non erit à DEO, qui cum sit sanctissimus, non nisi sancta præcipere potest.

Et quamvis in Alcorano jejunium, oratio & eleemosyna commendentur; illa tamen opera, quæ secundum se optima & honesta sunt, non quidem primò inventa sunt ab ipso Mahometo: sed ea emendicavit tum à Patribus veteris testamenti, Moyse, & Elia, & alijs; tum potissimùm à Christo Domino, eaque didicit ex doctrina legis veteris & novæ. Quare ipse eorum operum primus Magister non fuit: fatemur tamen ipsum primum auctorem monstrosi jejunij extitisse, ita ut non aliud videatur instituisse jejunium, quam ut postea eo finito voluptuosius, & appetentius excitetur omnis libido & turpitudo.

Tertia legis divinæ conditio est; quod non solum exteriores actus hominis, sed etiam interiores dirigat, & ad DEUM convertat. Manifestum est enim, quod unusquisque legislator ad suum finem principaliter per leges homines dirigere intendit, sicut Dux exercitus ad victoriam, & rector Civitatis ad pacem: finis autem quem DEUS intendit per legem quam ipse dat, est ipse DEUS, ergo lex quæ à Deo est, hominem ad Deum ordinare intendit, & ita convertere animas ad DEUM, ut illi fide & amore inhæreant. Ex hoc capite luce clarius apparet, à DEO opt. Max. qui vult omnes homines sanctos esse, legem Mahometi non emanasse, quæ animas non convertit ad DEUM, ut illi adhæreant; sed avertit: nec dirigit actus interiores, imo nec exteriores ad virtutum & sanctitatis opera; sed potius ad spurcitiem & maximas obscœnitates.

Quarta divinæ legis proprietas est: quod habeat *testimonium fidele* certitudinis suæ, & rectitudinis: sicut enim veritas, quæ subjacet facultati naturali intellectus, declaratur & firmatur per reductionem ad prima principia per se nota; sic veritas, quæ transcendit naturale lumen, qualis est doctrina fidei Catholicæ, declaratur & firmatur per opera miraculosa, soli DEO possibilia. Quare ad persuadendam novam fidem, legem, aut alicujus personæ extraordinariam missionem, miracula efficacia, & sufficientia sunt necessaria. Sic declarata & confirmata est veritas veteris legis, quia, ut habetur *Exod.* 19. in datione legis, auditi cœperunt tonitrua, micare fulgura, & nubes densissimæ terram operiere: hoc etiam modo confirmata est lex Evangelij miraculis factis coram Principibus hujus mundi, tam per Christum, quam per suos discipulos: *Joan.* 15. de se ipso inquit Christus, *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent.* Et ipse Mahometus Christum in miraculis & signis maximis fatetur in 5. *cap. quarta definitionis Alcorani*, his verbis: Filius tuus (alloquitur enim B. Virginem Mariam) cæcos, ac mutos curabit, leprosos mundabit, mortuos suscitabit: quæ cuncta credentibus in Deum miracula censentur, & idem reperit in *cap.* 3. Et de discipulis *Marci ult.* dicitur: *Illi autem prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Hinc Propheta opera Christi prævidens, esse sufficientissima testimonia veritatis doctrinæ ejus ait: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Præterea, Qui mittitur, debet ostendere testimonio ejus à quo mittitur, sibi traditam authoritatem; alioquin nemo tenetur eum recipere: nam sicut, qui mittitur à Prælato ad prædicandum, vel à Principe legationis alicujus explendæ causa; Principis ostendere debet testimonium, vel Prælati, nimirum literas ejus sigillo munitas: ita qui à solo DEO mittitur, sigillum Dei ostendere debet, quod nil aliud est, quam miraculum. Sic enim dicitur *Marci ultimo*, ubi supra; *Et sermonem confirmante sequentibus signis.* Et ad Hebræos 2. *Contestante DEO signis & virtutibus.* Unde miraculum est testimonium sufficiens, ad confirmandam alicujus legis veritatem: nam verum miraculum fieri non potest, nisi Dei virtute. Quare quod miraculo confirmatur, Dei testimonio confirmatur: DEUS autem non potest esse testis mendacij. Igitur quod miraculo confirmatur verum sit necesse est, & ex consequenti, ubi nulla sunt vera miracula, vera fides non est. Quare cùm Mahometus, ut testatur Damascenus *lib. de 100. hæresibus* circa finem, nullo testimonio probare potuerit suam legem, clarè constat, ipsum non esse Prophetam, neque Apostolum DEI.

Quinta conditio, Proprium est legis divinæ, quòd sit *sapientiam præstans parvulis*, id est, populis. Dicitur autem sapientia, quasi sapida scientia: quia cælestium & divinorum contemplatione, dilectione, & dulcedine mentem perfundit; quia suo splendore intellectum illuminat, & affectum mellifluo inebriat amore. Hæc autem legi Mahometis non conveniunt, quæ carnalitatis & luxuriæ sordibus plena est, &c.

Aliæ conditiones, quæ propriæ sunt legis divinæ, in Alcorano minimè inveniuntur: ut sint quòd vera in omnibus contineat, & doceat; hæc autem secta erroribus & mendacijs scatet; ut infra clarissimè constabit. Præterea quòd gravia & solida tradat, non fabulas: hæc autem lex plena est fabulis, nugis, vanitatibus, ac innumeris rebus inter sese pugnantibus, sibique contradicentibus: quare sibi constans in omnibus non est, ut ex dicendis latius apparebit. Quibus omnibus probè consideratis, mirari quispiam satis nequeat: quomodo vel somnianti, nedum sapienti persuaderi potuerit, Mahometum Prophetam esse: cum vita, & doctrina non solùm divinæ religioni, sed etiam humanæ honestati ita repugnet; ut eam vel bruta animantia abominari debeant.

Porrò quis unquam Sanctorum, aut divinorum nunciorum se in terrore gladij missum gloriatus est? quis ita facinorosè vixit? quis denique tot spurcitias docuit? aut quis ita gulæ & libidini genus humanum prostituit?

CA-

CAPVT IV.

Legem Mahometi esse irrationabilem, ex parte eorum, quæ docet, præcipit, permittit, & continet.

RESTAT, ut ex parte materiæ, Alcorani legem esse irrationabilem demonstremus: & omissis alijs capitibus, esse irrationabilem deducamus, primò ex eò, quòd manifesta continet mendacia & contradictiones. Secundò, quia docet ea, quæ cum recta ratione stare non possunt. Tertiò, quia est lex turpitudine plena, permittens etiam illa, quæ sunt naturæ legi contraria. Quartò, quia est iniqua & violenta.

Legem Alcorani esse irrationabilem, quia aperta continet mendacia, & quamplurimas contrarietates.

§. 1.

INnumera sunt mendacia, & nugæ manifestæ, quas Mahometus tam voce, quam scriptis docuit: protulit enim mendacia de se ipso, de Christianis, de Judæis, de Apostolis, de Patriarchis, de dæmonibus, de Angelis, de Virgine Sanctissima, de Christo, de Deo, ac denique de Scriptura sacra, tam veteris quàm novi Testamenti. Et quoniam immensum esset omnes ejus fallacias, impostura sque confutare, (centum enim & tredecim fabulas de isto impostore ex Evodio Monacho Euthymius in sua *Panoplia* recenset) ideo de selectioribus quibusdam tantum dicemus.

Mendacium est, Scripturam sacram tàm Veteris, quàm novi Testamenti esse corruptam.

§. 2.

Scriptura sacra corrupta non est.

MAhometus sequutus Manichæos, alioſque antiquos hæreticos, asseruit in Scripturis tam Veteris quàm novi Testamenti, multa tam à Judæis, quàm à Christianis falsata, multa quoque superaddita, ac multa subtracta fuisse; ita ut nihil veritatis in lege & Evangelijs permanserit, nisi quantum est in Alcorano: qui ideò eam sententiam & errorem amplexus est, ut Alcorani secta Scripturæ testimonijs non superaretur, ipseque liberius pro sua libidine aberraret: quemadmodum Augustinus de Manichæis *lib. 32. cap. 19.* contra Faustum scripsit: *Videte ergo*, inquit, *id vos agere, ut omnis de medio scripturarum auferatur authoritas, ut suus cuique animus author sit.*

Vid. cap. 2. sect. 8. Tomi 5. Bibliothec Theolog.

Hoc autem impijssimum mendacium, multis clarissimisque argumentis convincitur.

Primo, eodem argumento, quo Augustinus supra *cap. 16.* utitur contra Manichæos. Nam cùm Mahometus errores suos ex Scripturis confirmat, & tamen easdem esse corruptas ostendit, ita sanè agere videtur, ac si quis testem suum prius dicat esse falsitate corruptum; & tunc demum producat eum ad testimonium: si enim falsati sunt, ac fidè carent Scripturæ Codices, qui ante Christi adventum usque ad hæc tempora, toto orbe terrarum custoditi, commendati ac clarificati pervenerunt; unde miser hic & infelix Mahometus veteris, ac novi testamenti Scripturas accepit? Præcipit ipse in Alcorano observari legem & Evangelium. Quæro ab eo, an illa, quæ apud nos sunt, an alia? Non primum, quia illa dicit esse corrupta; non secundum, quia talia in toto orbe non inveniuntur.

Secundo, quia si quid, quantumvis minimum, in Scripturis falsatum esse dicatur, omnis scripturæ fides, authoritasque adimitur; sicut enim de corruptione partis unius, suspicari licebit, ita de cæteris partibus, cùm nulla potior causa sit, cur hæc magis pars, quam illa incontaminata servari debuerit. Unde D. Augustinus ad Hieronymum Epistola 8. *Mihi*, inquit, *videtur exitiosissimè credi aliquod in sanctis literis haberi mendacium, id est, eos homines per quos illæ scriptæ sunt, aliquid fuisse mentitos: quia admisso semel in tantæ authoritatis fastigium aliquo officioso mendacio; nulla illorum librorum particula remanebit: quæ non, ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem pernicioſissima regula ad mentientis consilium officiumque referatur.* Quæ ergo fides adhiberi poterit illi Scripturæ parti; quæ in Alcorano continetur?

Tertio, quia nulla erit Scriptura, quæ non simili ratione, dubia, incerta, ac falsitatis & mendacij suspecta, argui possit. *Unde enim*, inquit Augustinus contra Faustum l. 33. c. 6. *constat eos, qui nunc habentur Hippocratis esse libros, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore, usque ad hoc tempus successionis series ita commendavit, ut de his dubitare dementis sit?* Mahometi, item Alcorani librum unde noverunt Saraceni, quod ipsius sit, quod incorruptus, ac integer, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua.

Quarta ratio, ipse Mahometus in Alcorano dicit in *cap. de Jona.* Si fuerimus in dubio, ait, de hoc quod revelamus vobis, petatis ab illis, qui legerunt librum ante nos. Qui autem prius legerunt, sunt Judæi, & Christiani, ergo Judæo & Christianos consulendos de suis dubijs, Saracenis præcipit. Nõ ergo vitiati sunt libri Judæorum & Christianorum, tempore Mahometi. Nec possunt dicere, quod postea fuerint vitiati, dicitur enim in Alcorano in *Cap. Elchagar.* Nos, inquam, in persona Dei fecimus descendere recordationem Dei, & nos eandem custodimus. Lex autem Moysi, & sanctum Evangelium apud Saracenos dicuntur recordatio; ergo DEUS semper apud suos fideles testimonium suæ Scripturæ conservavit ante Mahometum, & conservabit postea.

Quinta, Quia hæc Scripturarum corruptela, vel esset generalis & manifesta, vel particularis & occulta: Non primum, quia sic aliæ nationes hanc corruptionem cognovissent, at nulla eam cognovit. Non secundum, quia saltem aliqui Codices incorrupti remansissent: at in omni lingua, & ubique invenitur lex & Evangelium uniformiter scripta.

Sexta, Lex vetus eadem lingua & litera, qua in Sinai data est Patribus, per Moysem, apud Judæos ubique dispersos, integra sine ulla variatione haberur. Quod si loquamur de Evangelio, Dominus noster nihil ipse scripsit, quæ inter homines gessit: mandarunt literis non unus aliquis; sed quatuor, diversis & temporibus & locis. Quæro, an ab istis corruptum est Evangelium? Isti non potuerunt corrumpere, quoniam ab ipsis manavit, & ipsi authores fuerunt; alioquin, ubi est istud Evangelium, quod Mahometos vocat librum vitæ, salutis ac directionis? Neque enim ante hunc librum Evangelij alius fuit, ut possit dici hunc esse depravatum, illum vero alterum fuisse librum salutis.

Adde, quod scripta sunt hæc Evangelia viventibus adhuc permultis eorum, qui Dominum nostrum noverant, erantque cum eo versati, nec in depravationem potuerunt consentire; tot, tam variis locis & temporibus Scribentes. Quid, quod Evangelia hæc scripta sunt, & approbata ab illis viris, quos Mahometus commendat? dicens, Judæos fuisse erga Christum incredulos, viros tamen quosdam in albis vestibus securos fuisse in nomine Domini: de Apostolis sentiens, & Petri, & Jacobi, & Judæ Epistolis, qui ex viris illis fuerunt candidatis, & cum quatuor Evangelijs consentiunt. Quod si ante Mahometum corruptum est utrumque testamentum, cur ad testimonium suorum doctorum, remittit Saracenos ipse ad legem & Evangelium? Cur non certiores reddebat suos, corruptos haberi eos libros? Et admonebat, caverent, ne illorum fraude caperentur?

Post Mahometum autem non potuerunt corrumpi, nam omnia, quæ ante Mahometum à nostris sunt Scriptoribus prodita, conformia sunt huic Evangelio, quod nunc habemus. Nec tanta librorum multitudo tot locis dispersa potuit uno consensu vitiari. Quid quod Evangelia extant etiamnum scripta ante Mahometum linguis plurimis, Græcè, Latinè, Chaldaicè Syriacè, Persicè, etiam Arabicè, ne elemento quidem uno ab ijs discrepantia, quibus nunc utimur, quod quidem ad rei summam pertineat, & ad sententias fidei necessarias, vel in ijs regionibus, quæ jam inde à Mahometo sub imperio, & ditione gentis vestræ fuerunt, reperiuntur vetustissima Evangelia, qualia sunt hæc nostra, quæ versantur in manibus.

Deinde, quia antiquus hostis multas inter Christianos sectas, dissensiones & discordias suscitavit, & absurdissimas de fide opiniones: qui per has odio, & rabie plusquam capitali ferebantur in eos, qui rectius sentirent, & argumenta omnia conquirebant, ad suam fulciendam sectam, & si una secta aliquid vitiasset, parati erant adversarij, qui illos falsarios esse criminarentur.

Jam verò depravandi Evangelij quæ potuit esse causa, quis fructus? An scientes & prudentes depravassent illi eam Scripturam, pro cujus uno & quolibet dicto, ac qualibet sententiola, sanguinem & vitam erant parati profundere? quod si erant aliquid mutaturi, ea mutassent potissimum, quibus ipsi vel commodius agerent, vel facilius alios in sui sententiam pellexissent: nempe, laxiorem vivendi rationem, magisque ad oblectamenta & voluptates appositam statuendo. Vel ea dicendo de Christo, quæ minus hominum aures offenderent, & magis pronis auribus reciperentur. Saraceni verò è contrario in ijs maximè arguunt nos Evangelium depravasse, quæ & nobis magis odium hominum conciliarent, & plurium animos à religione nostra averterent: nempè, de divinitate, & morte Christi, mutassent ea, in quibus videntur inter se Evangelistæ dissentire, vel à sententia veteris testamenti, quæ fuit inimicis nostris materia insectandi nos. Sed ea ipsa quasi dissonantia, validius argumentum est, integra, sincera, intacta esse Evangelia, per ætates omnes, jam inde à primis originibus ad nos perducta, magnaque religionis observatione omnia esse integra, & immutabilia conservata.

Septima, Manifestè hoc ostenditur falsissimum, quoniam adhuc libri aliqui Prophetarum, & Evangeliorum originales reperiuntur apud Christianos, qui scripti fuerunt, antequam natus esset Mahometus, & omnes concordant cum alijs posterioribus.

Octava, Quomodo potuerunt Christiani cum Judæis in tali corruptione convenire, à quibus tam antiquo odio dividuntur? Quomodo etiam conveniunt Christiani, & Judæi in corruptione ejus, in quo maximè discordant, scilicet, in Christo, quem Judæi dicunt non esse Deum, nec hominem bonum; Christiani autem dicunt esse verum Deum. Ac denique si Saraceni omnino volunt dicere, quod lex Moysis, & Evangelium sunt corrupta, aut vitiata; ostendant nobis legem Moysis & Evangelium incorrupta, & recipiemus ea, maximè, si ostenderint uniformiter in omnibus linguis, sicut nos ostendimus, concordare.

CAPVT V.

Alia mendacia Mahometi deteguntur, ac quædam alia quæ in Alcorano vana & ridicula continentur, referuntur.

NUlla re clariùs Alcorani vanitas, anilesque nugæ deprehendentur, quam aliquibus in medium prolatis exemplis & testimonijs. Inprimis ut nunc omittam quamplurima alia, mirum est, quot fabulosa, & ridicula in historijs Alcorani passim conspiciantur; de Adam, de Cain, de Abel, de prædicatione Noe, de Pharaone, qui jussit sibi ædificium usque ad cælum construi, ut videret DEUM. His igitur omissis, de Moyse & Angelo mortis, refert narratiunculam aptissimam, ad terrendum puerulum aliquem protervum. Moyses, (inquit) cùm solus per desertum vagaretur; forte sepulchrum invenit apertum & vacuum, rectè ad quantitatem suam effossum; quod admirans, cæpit ad propriam mensuram metiri, interea Angelus mortis venit ad interficiendum Moysem: quem cum novisset Moyses, quæsivit, Ad quid venisti? respondit, Missus sum pro anima tua, cui Moyses, Quomodo ergo puras eam eripere? per os enim non poteris, quo locutus sum cum Deo: neque per aures, quibus vocem Dei audivi: neque per oculos, quibus faciem Dei vidi: neque per manus, quibus donum Dei recepi: neque per pedes, quibus montem Sinai ascendi. Habes justas causas, ob quas non posset mors per membra illa irrumpere. Sed si misset Moyses odorem aliquem præstantem, & ex illis divinis esset odoratus: non habuisset mors, qua in illum penetrasset.

His

His ergo auditis abijt Angelus Domini, formaque mutata, attulit pomum de Paradiso: quod cum olfaciendum porrigeret, recepit Moyses; cumque naribus apponeret, arripuit eum Angelus tanquam Bubalum per nares, per quas tanquam emungens animam ejus extorsit, sic mansit corpus ejus in sepulchro nunquam reperto. Sed mirandum est, odorem sacri suffitus in sacrificijs non illi esse opitulatum, nec odorem fumi resilientis ab igne, in quo Dominus descenderat in Sina. Quod si ille, quibus partibus cum Deo esset versatus, mortem non poterat recipere; quomodò mortuus est Mahometus, qui vidit, audivit, allocutus est Dominum, & quidem tetigit eum Dominus? qui tactus non morbum debuit illi importare, ut vos dicitis, & cerebri debilitatem, quod est Deo indignum: sed quod vita & salute omnium fas est credi, salutem atque immortalitatem.

Præterea de Salomone (ut author est Richardus *cap.* 4.) dicitur in *Cap. Emule*, quod interpretatur *muscæ*. Quòd Salomon magnum Angelorum congregavit exercitum, & hominum, & irrationabilium animalium: recedentes autem invenerunt quasi fluvium quendam muscarum, & tunc jam dixit muscæ. O muscæ introite in habitationes vestras, ne corrumpat vos Salomon, & exercitus ejus, & musca subrisit. Et paulo pòst, omnes aves in exercitu inventæ sunt, musca autem absens. Et dixit Salomon, Quid est, quod non video muscam? puniam eam, & amputabo caput ejus, vel reddet mihi rationem propter quam abest, & longè est. Et dixit, Didici quod vos ignoratis, & veni ad vos ex Sabæa, cum veris nuncijs: inveni enim mulierem imperantem illis, & coegi eam, & populum ejus colere solem absque Deo, & reliqua.

Et in *Cap. Sevi*, inquit, vermem significasse mortem Salomonis dæmonibus, ubi dicit expositio, Quod Salomon innixus suo baculo, tanto dolore repentè correptus est, ut statim expiraverit, divino autem miraculo non cecidit; dæmones autem, qui ei serviebant, videntes eum stare, credebant ipsum dormire. Et natus est quidam vermis è terrâ, & corrosit baculum, cui innixus erat: quo contrito cecidit Salomon; & tunc currentes dæmones cognoverunt eum esse mortuum, & ex eo cæperunt hominibus juxta posse nocere.

Refertur etiam Mahometum dixisse, dæmones olim solitos fuisse cælum conscendere, exploratum quid ageretur in consilio Dei. Deum verò cùm aliquoties sentiret hostibus patefacta sua arcana, iratum deprehendisse fraudem; tunc apposuisse custodes, & janitores diligentes, qui excubarent; ne quis dæmon posset eum in posterum fallere, & creasse stellam lucidissimam, quæ exploratores dæmones patefacit, & persequitur. Quid fingi potuit crassius, & minus Deo conveniens? quasi falli possit Deus ratione ulla, aut ignoret, quid Angeli & homines cogitent, non solum agant: aut janitoribus ille indigeat, aut dæmones in cælum conscendant post casum: aut Deus ita de rebus agendis consulat, ut qua de re deliberet, aut quid statuerit, cognosci possit. Sed illud ad risum movendum perfestivum, reputare quemadmodum insidiatores dæmones cælum clanculum ascendant, suspensoque vestigio ingrediantur; quomodo fallant custodes. Alia ex parte Deum iratum, & dubitantem, & quærentem intra se, num quos habeat in consilio parum fidos?

Aliam quoque narrat fabulam more suo. Ait quippe, Judæus ubi est, quem Deus evocabit post diem Judicij? Respondit in medio Inferni est vallis, in valle est gurges, in gurgite pureus, in pureo arca, in arca vinctus catenis astrictus compede suo, qui stans per mille annos incessanter Dei misericordiam appellabit, ait, Quid ergo faciet illi Deus? Respondit, Post mille annos faciet eum adduci sibi, dicetque, Quid tibi vis miser, qui autes meas inquietare non desinis; quæ te fiducia ducit? quo merito speras? Respondit gemens: Domine Deus meus, ego non habeo præter te, qui mei misereatur: tu satis habes præter me ubi vindices iram tuam. Miserere mei Domine, miserere mei: sed Deus jubebit eum reddi Inferno, abdicetur ergo; nec adhuc misericordiam Dei invocare cessabit. Misertus tandem Deus eripi eum præcipiet, cumque pice nigrior infernalis eum tingat color, interrogabunt Angeli, qualiter Paradisi incolis misceri poterit? tunc lavari eum præcipiet Deus in fonte aerio, fietque albus totus, præter maculam in fronte. Mundatus ergo incedet per Paradisum, in publico conspectu omnibus notabilis. Hic ergo assignabunt eum invicem omnes videntes, ereptumque inferno, quasi improperandò hinc inde murmurabunt. Ille verecundus, in tantum pudore vincetur, quousque dicat, Malim reddi inferno, quàm hujusmodi probra longiùs ferre. Dicet itaque Deus Angelis, ut iterum illum quinies lavent in fonte eodem, quo facto tolletur macula, reddeturque paradiso, & cessabit opprobrium. Vides hic sanctos illos spiritus factos à Mahomero tristores, invidos, & superbos, quales nec boni visi sunt internos; & quod magis ostium est damnantes consilium, voluntatem, ac misericordiam Dei, & Domini sui. Jam quid opus erat fonte ad eum abluendum; aut ubi est is fons in cælo? quàm verò aptè rogat?

De vetatione vini, & suillarum carnium, ac de historijs aliarum rerum naturalium, potius hominem ad focum à largiore cæna sedentem, fabellas etiam ridiculas narrantem, quàm se Propheram à Deo missum, ut ipse commentabatur, nemo non judicabit. Introducit Judæum se alloquentem in Alcorano dicens; Vetas nos vesci suilla, credo causam, quoniam, inquit, cum animantes omnes essent in Arca Noe, Elephantus excrevit, inde natus est porcus, qui rostro repando vertebat stercus; unde natus est mus, qui stuppas, quibus tabulæ navis erant compactæ, arrodebat, hinc terror ingens Noe, à quo Dominus consultus, attulit remedium jam prope deploratis rebus. Jussit, ut Noe ferret Leonem in fronte, ex Leone concitato felis prosiluit per nares, is murem venata est; & liberavit genus humanum tanto discrimine. Non sunt ergò felis, & porcus animantium formæ de principio à Deo conditæ, sed casu extiterunt, & quidem porcus est stercore Elephanti: mirum est eos, qui alunt Elephantos, non percipere ex eorum stercore illam utilitatem, nec ullum postea porcum esse sic natum. Unde autem tam subitæ inimicitiæ in ecfelem & murem? quid porro fele erat opus, an non aliæ animantes potuissent murem interficere? ut leo ipse, aut mustela?

Quare vero vinum prohibuerit, ipse more solito aliam fabulam lepidam excogitavit. Interrogat ergo eum Abdias Judæus dicens, Cum in Paradiso vinum esse describas, quid operis ibi habet, si vinum illicitum est? si autem licitum, cur in hoc sæculo prohibes vinum? Respondit, Tam arguè quæris, ut una interrogatione geminam necessitio responsionem extorqueas? Utrumque ergo exponam, & illic esse licitum, & hic illicitum.

Erant enim Angeli Dei duo Norrot, & Marot missi olim de cælis in terram, gubernando, & instruendo generi humano tributi, his interdictis, ne occiderent, aut injustè judicarent, ne vinum biberent. Multo itaque tempore hic habiti cùm noti essent Judices universo orbe, venit ad eos quadam die mulier, præ cunctis fœminis omni modo pulcherrima, causam habens adversus maritum, quæ ut causæ suæ accommodaret Judices, quadam die invitavit eos ad prandium: quibus epulantibus ipsa epulas, & pocula vini apponit, astat ministrans, offert crebro, justat ut sumant; quid plura? Viceruntblanditiæ mulieris: Inebriati poculis in hospitam formosam incaluerunt, victi accubitum petierunt, sponderi conditione, dummodo alter verbum doceat, quo in cælum ascendebant, alter verbum per quod descendebant. Placet conditio. Cum ergo didicisset, allevata est subito, & ascendit in cælos. Quod cum vidisset Deus, explorata causa, posuit eam luciferum ita pulcherrimam inter stellas, ut fuerat inter mulieres. Illis in Judicium evocatis proposuit Deus, ut eligerent inter pœnas sæculi hujus, & alterius: elegerunt hanc, suspensi sunt ergo per catenas ferreas demissis capitibus in puteo Behii, usque in diem Judicij. Quid ergo Abdia, nonne sufficiens videtur causa, cur Paradiso licitum sit vinum, & hic illicitum? Ait, vera satis, & merito. Sic ille.

Instituit præterea capitulum proprium in Alcorano de formica, aliud de aranea, de fumo aliud. Hæc & his similia nugator fatuus & ridiculus circulator, Mahometus effutijt. Ex quibus quivis recti judicij aperte è videbit, quam longè latéque à lege Dei hæc Mahometi lex distet.

CAPVT VI.

De fictione cujusdam falsissimæ Visionis Mahometi.

INter alia, quæ improbus Mahometus ad comprobationem suæ legis, suæque sanctitatis commendationem finxit, est illa celebris apud Alcoranum visio, qua raptus est in cælum, usque in conspectum Dei altissimi, quam ipse his verbis in *Cap. Filiorum Israël* narrat in Alcorano, teste Richardo, in confutatione Alcorani, his verbis: Laus ei (inquit) qui fecit transire servum ejus in una nocte ex oratorio *Elaram*, quod est domus *Mechæ*: usque ad longissimum oratorium, quod est domus sanctæ Hierusalem, quam benedicimus, & reliqua. Expositio autem hujus sententiæ est, quod Mahometus una dierum psallebat matutinam ejus horam, quam cum perfecisset, dixit hominibus: O vos homines considerate: heri postquam ego discessi à vobis, venit ad me Gabriel, post ultimam vespertinam psalmodiam, & dixit mihi: O, Mahomete mandat tibi Deus, ut visites eum; cui dixi; Et ubi visitabo eum? & dixit Gabriel, in loco ubi est: & adduxit mihi jumentum, majus quidem asino, minus autem mulo, & nomen ejus *Elmparac*. Et dixit mihi, Ascende hoc & equita ad domum sanctam. Cumque conarer ascendere, aufugit jumentum: dixitque ei sta firmiter, Mahometus enim est, qui vult ascendere, & respondit jumento; nunquid pro eo missus sum? Respondit Gabriel, utique. Et dixit jumentum, non permittam eum ascendere, nisi prius rogaverit Deum pro me. Ego autem intercessi pro jumento apud Deum meum, ascendique ipsum: & ambulabat me insidente tenui gressu: collocabatque ungulam pedis in horizonte visus sui, & sic veni in domum sanctam, in minori spatio, quantum oculi ictus perfici posset.

Erat autem Gabriel mecum, & duxit me ad rupem in domo sancta Hierusalem: & dixit mihi Gabriel: descende, quoniam ab hac petra ascendes in cælum, & descendi, & Gabriel ad rupem Elmparac jumentum cum cingulo ligavit, & portavit me in humeris suis usque in cælum. Cumque venissemus ad cælum, pulsavit januam Gabriel; dictumque fuit ei: quis es? Respondit, ego sum Gabriel. Dictumque fuit rursus ei: & quis est tecum? Respondit, Mahometus: dixit autem Janitor: nunquid pro eo missus fuisti? & dixit Gabriel, etiam, Et aperuit nobis januam, & vidi gentes Angelorum: & bis flectens pro eis genua effudi orationem. Et post hæc cæpit me Gabriel, & duxit me ad secundum cælum: Erat autem spatium horum duorum cælorum, iter quingentorum annorum. Et quam primum pulsavit januam, responsio facta est ei, per omnia similis, usque ad septimum cælum: in quo septimo cælo, descripsi me vidisse populum Angelorum; quorum uniuscujusque magnitudo millies mundi magnitudinem longe excedebat: singuli septuaginta millia capitum habebant, & in quolibet capite septingenta millia ora, & in quolibet ore mille septingentas linguas, laudantes Deum septingentis millibus idiomatibus.

Cumque vidisset unum Angelum flentem, causam percunctatus est: cui respondit Angelus, se peccasse, ipse autem pro eo oravit. Sicque, inquit, Gabriel commendavit me alteri Angelo, & ille alteri, & sic deinceps, quousque steti coram Deo, & tribunali ejus. Et retigit me Deus manu ejus inter humeros, ita ut ad medullam spinæ dorsi mei frigiditas ejus pertransierit: & dixit mihi, Imposui tibi & plebi tuæ orationes: cumque discessissem ad quartum cælum, consuluit mihi Moyses, ut reverterer ad levandum populum, quia tot orationes ferre non poterat: & primo reditu obtinuit remissionem à decem usque ad quatuor, & à quarto reditu, usque ad septimum, & in fine tantum decrevit numerum orationum, ut paucæ remanerent. Cumque diceret Moyses, nec has poterunt ferre homines, ego pudore suffusus nolui amplius ascendere, sed rediens ad *Elmparac* equitavi descendens in domum Mechæ: horum autem omnium tempus minus fuit quam decima pars noctis.

Visionem hanc hoc verborum tenore refert Richardus *cap.* 14. vir alias versatissimus in Alcorano, Saracenorum acerrimus oppugnator, plusque se prætermisisse, quam narrasse affirmat: hæcque est illa famosa visio, qua, (ut supra retulimus) audita à Saracenis mille homines à lege recesserunt, clamantes; *Ascende de die in cælum, ut nos aspiciamus, & videamus obviantes tibi Angelos* (ita fuerunt hujusmodi mendacio sive visione exasperati) sic enim Spiritus sanctus eum permisit mentiri, ut facile quis eum posit capere in sermone, figmentaque cognoscere. Quare inquam indiguit Asino, vel jumento à *Mecha* usque ad Hierusalem, qui ex Hierusalem usque ad ultimum cælum ascendit absque asino? Quorsum Asinus orationes postulat Mahometi, cum bellua orationibus non indigeret? Quorsum in cælo tot Angelorum monstra, septuaginta millia capita, & in quolibet capite

septua-

septuaginta millia ora habentia finguntur? aut quæ conventio Angeli cum fletibus, aut fletuum cum gloria & lætitia Paradisi? Aut quomodo potuit splendorem Angelorum in cælo sustinere, qui, ut ipse testatur, apparente sibi Angelo, semper in terram concidebat, & spumans agitabatur, & incurvabatur, & contrahebantur manus, & pedes ejus? neque in prædicta visione docet se spiritu raptum, sed potius corpore simul, & anima, quod longe absurdissimum est. Cujus signum est, quia dicit Deum manu sua tetigisse eum inter humeros, & sensisse frigiditatem usque ad medullam spinæ dorsi. Unde Deum, & Angelos supponit positionem habere spatio corporali, ipsumque Deum vidisse oculis corporeis: quare non mirum si Deum corporeum faciat. At quomodo animam Moysis oculis corporeis videre potuit? Ex quo, & ex aliis, quæ brevitatis causa prætermittuntur, vana & mendacia esse omnia, quæ in Alcorano continentur, colligitur; & eorum authorem non Dei, sed Dæmonis fuisse Prophetam.

CAPVT VII.

De contrarietatibus, quæ inveniuntur in Alcorano, ex quibus mendacia Mahometi clarius deprehenduntur.

OPortebat mendacem Mahometum memorem esse, ut non sibi passim legem contradicentem fereretsunt enim in Alcorano contradictiones quamplurimæ. Etenim ipse multoties dicit Deum erantes non deducere; & tamen in multis locis docet orare, ut deducantur à tenebris in lucem, & ex rectitudine in rectitudinem. Item dicit de ipso, quod factus est orphanus in errore: idololatra enim erat. Sed tamen quod talem se Deus Prophetam fecerit dicit; quoniam quando Deus eum accersivit ad ipsum ascendit, ad septimum usque cælum, & impetravit ab Angelo veniam, qui peccata sua deplorabat. Item dicit in *cap. Impacara*, quod interpretatur *Iuvenca*, quod Iudæi & Christiani salvabuntur. Et in *cap. Abraham* dicit post hæc, quod nulli salvabuntur, præter eos, qui sunt in lege Saracenorum; & ipse mandat his, non tam asperis quàm suavioribus verbis cum alterius sectæ hominibus disputent. Non enim, inquit, hominis, sed Dei est errantes ad rectam viam deducere, & quisque pro se solo, non alio rationem redder. Postea autem plurimis in locis, mandat interimi omnes & spoliari, qui sectæ suæ non credunt, quousque credant, vel tributa solvant. Item dicit in *Cap. Comenti*, quod eorum, qui suscipiunt alterum Deum, præter Deum, horum tu non sis custos, vel curator, sed sibi soli hoc servavit Deus. Hæc autem est prætio digna contradictio, hinc quidem toties mandare interimi infideles; illinc autem rursus mandare neminem esse tanti sceleris punitorem; sed soli Deo pro his punitionem servari.

Item in *Cap. Eltemenim* in fine se ipsum jactat, quòd non ex his sit, qui credere compellunt: sed quomodo hoc verum est, cum imperet interimi & spoliari eos, qui non credunt? Quæ enim major compulsio quam cædes? Item in *Cap. Bovis*, concedit, quod est præter naturam, misceri nimirum masculos cum mulieribus. Dicit enim Saracenis, ne maculent se ipsos cum infidelibus, antequam credant. Et de mulieribus dicit; Mulieres vestræ terra vestra sunt, arate eas sicut vultis: sed tamen in *eodem cap.* dicit, quod Sodomitæ tempore Loth abominabile peccatum commiserunt, & prioribus nationibus inusitatum. Item prohibet auguria, & tamen in *cap. Elaphar* dicit: Auguremini, si aliter non poteritis, in scissura digiti, & qui hoc non facit anathema sit. Item dicit se missum esse Arabis, quod non habeant Apostolum à Deo. Dicit autem & Alcoranum in sola lingua Arabica datum esse, dicitque se nescire aliam linguam præter Arabicam, & tamen posteà dicit, se missum esse ad universitatem gentium. Dicit enim in *cap. Prophetarum*, Deum ei dixisse: Misimus te ad universitatem gentium: sed quomodo venire potuit ad omnes gentes, quæ divisæ erant in septuaginta linguas, qui non alia nisi Arabica lingua mentem exprimere potuit? manifesta igitur contradictio est, eundem solis Arabibus missum esse, qui omnibus gentibus missus sit. Non igitur lex Dei est in qua tot contradictiones inveniuntur.

Item in Alcorano dicit Mahometus, se esse generalem Prophetam, missum ad universas gentes: unde in *cap. Prophetarum* fingit Deum dicentem sibi: Nos misimus te ad universitatem gentium; & tamen ipse alibi affirmat, quod Alcoranus est sibi datus Arabicè, & quod aliam præter linguam Arabicam non sciat: quomodo igitur missus erat ad omnes gentes, earum linguæ imperitus? Item *alibi* affirmat, ut supra diximus, Patriarchas legis antiquæ, ipsosque Apostolos esse Saracenos, alibi se esse primum Saracenorum: Item de se ipso testatur in Alcorano, nescire se, quid erit sibi vel Saracenis, ignorareque utrum ipse, & ipsi in via salutis sint nec ne. Alibi vero docet per Alcoranum etiam ipsos dæmones esse salvatos. Denique de Alcorano docet, non esse in mundo, qui possit eum intelligere: & ex alio cap. præcipit Alcoranum ab omnibus servari: quomodo ergo adimplent, quæ non intelligunt?

CAPVT VIII.

Legem Alcorani esse rationi dissonam, quia turpis, & primò, quia peccatum contra naturam Saracenis concedit.

VEniamus nunc ad turpitudinem hujus nefandæ legis, quæ tantis obscœnitatibus animas ad Deum genitas, velut in cœni gurgite demersit, ut pudeat etiam referre. Nam, ut omittam nunc turpem felicitatem, quam in alia vita in voluptatibus corporeis constituit; in hac etiam vita, & mares maribus admiscet, & nefandos coitus contra naturam, contraque DEI justitiam permittit: ac ut libidini fræna laxaret, contra divinas, naturalesque matrimonij leges, adulteria concessit, maritoque usum ancillarum liberè permisit: quæ omnia non solum divinæ legi, sed & naturali invisa sunt. *Vid. cap. 4. sect. 8. & præcit. Bibliothec Theolog.*

Inprimis bestialis Mahometus peccatum contra naturam manifestè Saracenis concedit; quamvis aliqui ex ipsis glossas nescio quas excogitaverint, ad excusandum Mahometum, ipse tamen clarè in Alcorano inquit, quod non polluant se cum Infidelibus, nisi credant. Et de mulieribus inquit:

quit: Mulieres vestra aratura vestra sunt, utimini eis ut vultis. Quam vero execrabile sit illorum scelus; quibus non sufficit sexus à Deo datus, sed suum etiam sexum profanè & petulanter corrumpant, clarissimè Scripturæ sanctæ exemplo Sodomorum, eorumque supplicio confirmant. Sed quia Saraceni Scripturas non admittunt, rationibus naturalibus convincamus, peccatum hoc, sive proprij sexus abusum, sive cum muliere propria, sive cum alijs commissum, crimen esse gravissimum, admodum execrandum, & contra rectam rationem, & omnem debitum naturæ ordinem. Quare universæ ferè nationes, & gentes appellant hoc detestabile scelus peccatum contra naturam: & quia est turpissimum, & omni execratione dignissimum; solet etiam vocari peccatum nefarium; quod perinde est, ac si dicatur, peccatum infandum; quod quia est impudicissimum, & immundissimum, nec nominari debet.

Quod autem omnem debitum naturæ ordinem, hoc crimen evertat, & tollat, manifestè constat. Primò, quia natura rerum ortum, procreationem, & multitudinem procurat; at hominum ortus & procreatio, fit & conservatur legitimo feminarum usu, nempè intra vas ab ipsa natura ad hoc deputatum, hunc que feminarum usum natura docuit ac constituit; & non istum turpissimum inverso ordine concubitum; neque enim ex ipso oriuntur procreative possunt homines, imo isto tam immundo & impuro coitu omnis hominum procreatio impeditur. Est igitur iste usus, & quicunque alius extra vas à natura designatum, turpissimus, & qui debitum naturæ ordinem dissipat.

Secundò, belluæ rationis expertes, quarum actiones à natura diriguntur, nullum alium coitum cognoscunt, nisi maris cum femina. Viri ergo qui spreto feminarum usu, cum masculis, aut cum feminis, ac si mares essent, coëunt, omnem debitum & à natura institutum ordinem evertunt, fiuntque ipsis belluis pejores. Est itaque hoc crimen maximè detestabile & obscænissimum.

Tertio, Deus & natura attribuunt singulis rebus vires, facultates, & instrumenta apta, & convenientia ad suas naturales functiones, ut ad incessum pedes, oculos ad aspectum, aures ad voces & sonos audiendos: sed una cum viro Deus feminam procreavit, ut vir consortem haberet, cujus naturali usu & opera, hominum ortum procuraret: & feminæ destinatus est vir, ut socius, cujus opera semen hominum procurationi aptum in naturali vase reciperet, & ita conciperet fœtum: inversus igitur usus contra omnem debitum naturæ ordinem est.

Quarto, quis non videat rem esse spurcissimam, & omni detestatione dignissimam, virum provectæ ætatis esse tam effeminatum, ut mollem & muliebrem usum, & officium præstet abjectissimè? Nefas ergo est, ut mares, feminarum, sive muliebrem usum exerceant.

Quintò, si quis frumentum seminaret in tabulis, vel saxis; jure diceres esse eum hominem stultum & insanum; Nam sementem facimus, ut metamus, & fruges colligamus: at nisi semina mandentur terræ aptæ, & ad semina suscipienda præparatæ, nullæ messes, vel segetes provenire possunt. Semen humanum est institutum ad homines procreandos, ut experientia constat: committi ergo debet vasi, & loco legitimo, & ad id à natura destinato, alioquin enim (sicut frumentum seminatum in tabulis vel saxis) amittitur; itaque contra debitum naturæ ordinem, extra legitimum & solitum feminæ vas seminatur.

Sexto, id dicitur contra naturam, quo utimur contra finem & ministerium naturale & debitum: at est à natura institutum, sive in pueris, sive in viris, sive in fœminis, ut redundantes sive superfluentes potus, & cibi fæces, & excrementa egerantur, & emittantur è corpore, ergo ij qui eo utuntur ad semen hominis recipiendum, naturæ ordinem pervertūt, & ob eam rem iste abusus interdictus est, sive in pueris, sive in viris, sive in fœminis; & quia crimen est omnino execrandum, & spurcissimum, fuit divina lege sancitum, ut sive masculus, sive fœmina, quæ le hoc flagitio polluëret, occideretur; & è medio penitus tolleretur. Et hinc etiam fit, ut in Christianorum Provincijs, & regnis hujus fœdissimi criminis rei interfecti comburantur. Ut tam usus, quam memoria illorum funditus deleatur; & peccatum tam spurcum, & fœdum penitus extinguatur. Quare hinc intelligitur quales sint Mahometi leges, quæ inpurissimum hoc scelus, ut mundum & honestum admittunt. Denique turpitudines aliæ prædictis fœdiores, si quæ excogitari possunt, apud Saracenos hodie in usu sunt: nam ut refert Bozius *lib.* 12. de signis c. 20. *Est inter Turcas quorundam, qui religiosissimi habentur, secta. Vocantur hi Turlachi, Mos est istis palam per obscænitatem spurcissimam coire cum quibusvis, ipsis etiam belluis, præcipue verò cum asinabus, quibus ipsi vehuntur: & quo fidentius hæc perpetrarint, eo sanctiores existimantur. Id ego, si in uno, aut altero scriptore legissem, nullo modo inducere in animum possem, ut crederem: sed omnes, qui Turcarum mores latius describunt, id constantissimè affirmant: in his Joannes Antonius Menavinus, Genuensis, Theodorus Spandugintus Cantacuzenus, Bellonius Gallus, Joannes Leo Africanus, qui quidem è Mahometanorum sanguine ortus. Mahometoque diu addictus, cum fuisset à nostris captus, Romamque Leone X. sedente adductus, Christo se dedidit, & Africæ descriptionem, moresque suæ gentis proprio libro diligentissimè notatos nobis reliquit. Accīt hic aliud longe obscænissimum, solitos hujusmodi homines, ubi impetus eos libidinis arripuerit, violare mulieres obvias, quas posuerint in medijs viis, nisi obstiterint illæ præ naturali, qui reliquus est humanæ menti, pudore. Quod vero est insanissimæ mentis, & ad præsens argumentum spectat, tanta superstitione defixi populi tenentur, ut credant hos homines divinissimos, mulieres vero, quæ compressæ fuerint ab istis, ex hoc facto, quasi consecratas & sanctiores factas.*

Et post pauca. *Jam vero si libidinem spectes, nihil obscænius Mahometanis unquam fuit. De nullis enim Regibus legas, qui non modo ducentas, aut trecentas mulieres, ad exsatiandam suam cupidinem conclusas habuerint, sed etiam totidem formæ elegantioris adolescentes; ut in more positum videmus apud Othomanos, ac Satrapas omnes Turcarum. Sic in cunctis celebrioribus Mahometanorum locis obsoletorum prostibula publicè habentur. Quin lex est sancita ab Eubocare Mahometis successore, ac recepta ab Aomar & Odmen, posterisque omnibus, cuilibet fas esse ad quosvis usus adhibere, quæcunque is habeat in suo dominio. Hinc haud verentur coire cum belluis, & omni se turpitudine coinquinare, quod post alios refert Theodorus Spandugintus in vita Ismaelis & Tamma, ut vocant, Sophorum. Ut igitur alia gentes obscænæ fuerint, sane hac in re Mahometani spurcissimi sunt habendi; quia non modo foeditate hujusmodi, sed crudelitate in omnes, ac rapacitate cunctis populis illi præcellunt.* Hactenus Bozius.

CA-

CAPVT IX.

Irrationabilem, & turpem esse legem Mahometi, quia tanquam licita permittit adulterium, fornicationem, & polygamiam.

PRæterea Alcorani turpitudo clarissimè convincitur approbantis concubitum viri (etiam matrimonio ligati) cum mulieribus emptis & captivis. Unde in *cap.* 32. *Alcorani*, inquit, Castitatem servate, nisi cum proprijs uxoribus, aut sibi subjectis, & ancillis, inde namque nulla sit querimonia. Sibi tamen tanquam omnium turpissimo, non tantum ad ancillas, sed ad omnes aliorum uxores, (sicut equus & mulus) accedere à Deo fuisse sibi concessum, ut posset viros sanctos & Prophetas generare, impiè blasphemat.

Hic autem Alcorani error adulterium, sive fornicationem tanquam licita approbans, quod contra Divinum præceptum sit, apertissimè constat: dicitur enim Exod. 20. *Non mœchaberis*, & Tobiæ 4. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Sed & rationibus agamus, ostendentes esse etiam contra legem naturæ. Primo, Quia natura duce admonentur Viri, non solum extra privatos parietes, sed neque etiam extra proprium lectum, fidem matrimonij violare: ita ut cum quis habet uxorem, neque liberam, neque ancillam habere insuper velit. Ita enim contractus hic matrimonij ex præscripto naturæ initus est, ita fidem quilibet conjugum servare tenetur; ut adulter habeatur, quisquis ab hac fide, vel lege defecerit: quæ enim juris natura talis ratio exposcit, ut mulier si servo conjungatur, adultera sit; vir tamen si ancillæ, adulterio non polluatur? cum tamen in hoc summa, naturalissimaque justitia sit: Ut alteri non feceris, quod ab altero pati nolis.

Secundò, quia illa quidem actio dicitur esse contra legem naturæ, quæ non est conveniens fini debito; sive quia non ordinatur ad ipsum per actionem agentis, sive quia de se est improportionata fini illi. Finis autem quem natura ex concubitu postulat, est proles procreanda, & educanda: & ut hoc bonum quæreretur, posuit delectationem in coitu, ut Constantinus dicit. Quicunque ergo concubitu utitur propter delectationem, quæ in ipso est, non referendo ad illum finem à natura intentum, contra naturam facit. Cum autem nomen concubinæ exprimat conjunctionem, qua solus concubitus propter seipsum quæritur: patet quod contra legem naturæ sit, accedere ad concubinam, non conjunctam sibi matrimonio, quæ concubina vocatur.

Nec obstat, si dicatur quod aliquis ex tali concubitu prolem quærat, quoniam adhuc non est conveniens, ad prolis bonum, in quo non solum intelligitur ipsius procreatio, per quam proles esse accipit, sed etiam educatio, & instructio, per quam accipit nutrimentum, & disciplinam à parentibus, in quibus tribus parentes proli obligantur, secundum Philosoph. 8. *Ethic.* Cum autem educatio & instructio proli à parentibus debeantur, etiam ad longius tempus, merito etiam naturæ lex ordinavit, Patrem & matrem perpetuo sibi mutuo convivere, ut communi industria & diligentia proli subveniant, hæc autem obligatio ad commanendum, matrimonium facit.

Patet ergo, quod merito reprobetur coitus concubinarum, & error Mahometi. Nec debuit movere Mahometum ad hunc errorem, quod antiqui Patres, ut Abraham, Jacob, & David legantur concubinas habuisse, quoniam illæ uxores erant; non tamen dicebantur uxores, sed concubinæ, quia non erant principales: quamvis secundum veritatem erant uxores. Unde *Genes.* 16. dicitur quod Sara dedit Abrahæ Agar uxorem, & *Genes.* 30. dicitur, quod Rachael dedit, Balam antè ancillam suam, viro suo in conjugem, ut de ea susciperet prolem, & sic concubinarius ille coitus fuit in veritate conjugalis. Præterea, ut dicit S. Thom. antiqui Patres ea dispensatione, qua plures uxores habebant, ad ancillas accedebant uxorio affectu. Unde in illis non fuit bruta libertas, quam lubricus Mahometus concessit suis.

Ex dictis igitur non solum adulterium, sed & fornicationem quamcunque, etiam simplici legi naturæ repugnare, non obscurè constat: restat nunc ut de Polygamia, (hoc est de pluralitate uxorum) quam Alcoranus, ut licitam commendat, idem breviter comprobemus: quia Polygamia, tum ex parte viri, tum ex parte uxoris, juri naturæ, & rationi matrimonij repugnat; ex parte uxoris omnes concedunt, quia repugnat, quatuor matrimonij finibus: scilicet primo susceptioni, & educationi prolis, nam mulieres pluribus viris addictæ, ut meretrices, pariunt raro; & quamvis parerent, nullus virorum sciret, quisnam suus filius esset, quod non parum educationi officit. Secundo, Societati domesticæ, & communicationi operum ad vitam necessariorum: nam tunc essent unius corporis capita multa, quæ non facile conveniunt inter se; nec sciret mulier, cui magis parendum foret, sicut nec servus, qui multis dominis æqualibus inservit. Tertio, Remedio contra concupiscentiam; nam & rixa inter corrivales foveretur, nec tot viris unius fœminæ gratus amor esset. Quarto, Significationi unius Christi cum Ecclesia & anima: Unus est enim Deus Ecclesiæ & animæ sponsus.

Ex parte etiam viri probatur. Primo, quia repugnat secundo fini, nam quot mulieres in domo, tot sunt dissensionum principatus: nec enim mulier est ancilla, sed post virum domina; repugnat tertio fini; quia nequit unus vir tot fœminis facile satisfacere, & una semper alijs præferetur, repugnat etiam quarto fini, quia una est tantum Ecclesia. Secundo, non videtur æquum, ut mulier se totam viro tradat, non autem vir mulieri. Tertio, quia si Polygamia ex parte virorum licita esset, Deus procul dubio initio eam introduxisset: cum tunc maximè propagatio necessaria foret, quod tamen non fecit, sed uni viro unam tantum fœminam dedit.

CA-

CAPVT X.

Legem Mahometi esse irrationabilem, quia non præbet peccatoribus remedia ad salutem.

De peccatorum remissione quam impie Mahometus sensit.

MAhometus nulla habita ratione pœnitentiæ, nihil de satisfactione pro peccatis admissis reddenda curans, nihilque de bonis operibus pro peccatorum condonatione præscribens, in Alcorano, non aliud medium ad salutem consequendam, Saracenis etiam peccatoribus, quam Turcis sceleratis prodesse affirmavit, quàm quod omnes confiterentur: hanc veritatem, *Non est Deus prater Deum, & Mahometus est Apostolus Dei*: hoc Alcoranus præcipit, ut dicatur ubique, hoc etiam ut maximè necessarium ad salutem commendat, ita ut quicunque hoc confiteatur, de necessitate salvetur: hac enim confessione facta, rapinæ, & omnia alia scelera, & flagitia, alioquin ingentia & plurima, condonantur. Quam verò sit rationi contraria hæc Mahometi doctrina, primo ex eo convincitur; quia hæc propositio, *Non est Deus prater Deum*, per se ipsam verissima est; nec ab ullo ei contradicitur: quis enim unquam dubitavit de hac propositione; non est Angelus nisi Angelus, aut non est Petrus præter Petrum, si solus sit Petrus in mundo? hæc enim propositio per se nota est: quæ autem sequitur, Mahometus est Apostolus Dei, est valde ambigua. Qualis igitur erit connexio duarum propositionum, unius quidem per se ipsam notæ, alterius vero per se ipsam ignotæ? aut quæ utilitas vel virtus in ea esse potest, ut homines quantumvis innumeris sint polluti flagitijs, continuo horum verborum prolatione à peccatorum macula purgentur?

Secundo, quia si crimina quantumvis magna, his verbis prolatis Saracenis condonantur, nullaque ratio habenda est satisfactionis, aut pœnitentiæ, occasio maxima præberetur hominibus passim delinquendi, intrepidè mala perpetrandi, nullaque ratio haberetur honestatis, vana spe veniæ deceptis: quare hæc Dæmonis ars est, ad perdendos homines inventa.

Tertio, hac una ratione monstratur prædictam doctrinam esse penitus absurdam, quia quamvis prædictis verbis DEUM verum, verumque Prophetam confiteremur; adhuc similium verborum pronunciatio non sufficeret, ut universa nobis condonarentur peccata, quia peccata nulla ratione delentur, nisi nos eorum pœniteat ex animo, simul cum proposito firmissimo nunquam deinceps peccandi; quod sequentibus confirmatur argumentis.

Primum. Quia omne peccatum à nobis commissum propria nostra voluntate perpetratur; ergo, qui voluntatiè divina lege contempta, violataque rectæ rationis, & naturæ methodo, Deum offendunt, necesse est, si velint veniam obtinere, ut à malè agendo resipiscant, & vitam emendent per veram cordis pœnitentiam, quæ malè anteactæ vitæ detestationem, ac benè & juxta divinas leges vivendi propositum complectitur: nam experientia & ratio etiam inter homines docet, ut si quis alium contumelia affecerit, velitque illi reconciliari: priusquam ad amicitiam & benevolentiam restituatur; illatæ injuriæ pœniteat, animumque deponat amplius offendendi. Nemo enim alteri condonabit etiam suppliciter signa pœnitentiæ præbenti, & veniam petenti, si adhuc in obstinato animo lædendi perseveret. Quare cum DEUS hominum corda exactissimè noscat, parum proderit, ut peccata condonentur hominibus, ista vel alia verba proferre, si ipsos peccatorum non pœniteat, nec peccandi voluntatem animumque deponant.

Deinde, quia multa sunt peccatorum genera, quibus non solum divina majestas offenditur, sed etiam proximis injuria & damnum infertur, qualia sunt furta, rapinæ, latrocinia, adulteria: quare si is, qui hujusmodi peccatis proximum lædit, absque ulla restitutione damni, injuriæve satisfactione divinitus absolveretur, per solam horum verborum prolationem, Deus fuisset injustus; sicut iniquus Rex esset, qui furibus & prædonibus, nulla facta furti restitutione condonaret. Quare absurdum est, & cum recta ratione pugnans, quod docet Mahometus; nempe homines suorum peccatorum veniam obtinere per solam horum verborum prolationem.

Ac denique, cum facillimum sit, hæc verba proferre, quibus homines veniam sine alio labore, & salutem assequuntur; absque ullo rationis fræno, legisve metu, homines furta, latrocinia patrabunt, plurimas cædes committent, in omnium scelerum & flagitiorum genera pro libidine sua labentur, ut qui facilem omnium suorum peccatorum remissionem habent, dicentes: *Non est Deus prater Deum*, &c. ut experimento inter Saracenos conspicitur, ubi peccata committi solent tam facilè, quàm bibi aqua consuevit: adeo cæcos, ut scelera omnium impurissima, & atrocissima, honesta esse existiment; vel propter impunitatem, spemque veniæ non deterreantur committere.

Fit igitur ex dictis, in lege Saracenorum neminem posse salvari; quia in ea non sunt adhibita remedia conventia, ad delendum peccatum: & certè nihil verius prædixit Mahometus, dicens in Alcorano in *Cap. Martij*, quod interpretatur *Maria*: omnes in Infernum Saracenos ituros; & ipse etiam Mahometus Saracenis dixit, Vos post me in Septuaginta tres partes dividemini, quarum salvabitur una, reliquæ vero omnes igne destruentur: & hæc sententia, ut affirmat Ricardus c. 5. sic valet apud Saracenos, ut nullus, neque sapiens, neque insipiens eam vilipendat.

CAPVT XI.

Legem Alcorani esse irrationabilem, dum docet unumquemque in lege sua salvari.

DOcet insuper Mahometus in Alcorano, Mahometum quemlibet rectè viventem secundum præscripta, ac leges suæ sectæ salvari, nisi sit Apostata à salvanlege Mahometi, sic affirmat in *Cap. de Balchara*, dos doquæ interpretatur *vacca*: quod Judæi & Christiani cer sinsalvabuntur: & in *cap. 4. Alcorani* inquit: Scien- gulos in dum autem generaliter, quoniam omnis rectè vi- lege sua. vens Judæus, sive Christianus, seu lege sua relicta in aliam tendens, omnis scilicet Deum adorans, bonique gestor; indubitanter divinum amorem consequetur. Adversus hunc perniciosissimum Mahometi errorem, quem olim etiam

Ethnici

Ethnici receperunt, ut testatur D. Augustinus *libr. 10 de Civitate Dei cap. 31.* duobus potissimum medijs insurgemus. Primo, demonstrabimus, religionem qua Deus verè colitur, necessario esse debere unam ubique, nec extra illam posse contingere alicui salutem. Secundo, principaliter etiam probabimus, impossibile esse, quemlibet in qualibet secta salvari.

Non est autem dubium, quin unam & communem oporteat esse Religionem, qua DEUS colatur, eique gratum præsterur obsequium: quod sequentibus argumentis ita convincitur. Quia omnes tenentur DEO debitum cultum exhibere, debitamque vitæ honestatem observare; ergo quicunque sit hic cultus Deo debitus, necesse est illum Deo ab omnibus exhiberi: nam alias non erit debitus ei, si sine injuria, aut peccato subtrahi, aut denegari potest: ergo necesse est unam atque communem Religionem esse in omnibus; ergo una fides, & honestas morum.

Secundo, Una est veritas rerum divinarum in se, quam non diversificat, nec variat diversitas hominum, vel varietas Religionis eorum: non enim pendet ullo modo hujusmodi veritas ex hominibus, vel dispositionibus eorum: unius autem & ejusdem veritatis una est apprehentio, sive per credulitatem, sive alio modo fiat: ergo una debet esse fides, & credulitas apud omnes, & quicquid contra hanc veram credulitatem fuerit, error est impietatis. Et confirmatur, quia aliqua sunt obsequia, quæ communiter exhibenda sunt DEO ab omnibus hominibus, & quibus sine Dei blasphemia contradici non potest: quia sine Dei injuria non posset dici DEUM non esse adorandum, venerandum, orandum, & multa alia similia, quæ quia debita sunt, necesse habent omnes homines his DEUM recognoscere & confiteri. Igitur cum hæc obsequia infinita esse non possint, certa erunt, & determinata. Hæc autem sunt quantum ad credulitatem, quæ Religio Christiana appellat articulos fidei: igitur extra hanc credulitatem & fidem, cultumque DEO debitum, non potest esse alius cultus DEO gratus.

Denique principaliter hac argumentatione convincitur, non omnes in sua secta salvari; quia, ex hoc sequeretur, quod omnes sectæ DEO placerent, atque probarentur per se ipsas Deo; & hoc dici nequit. Nam cum pleraſque opiniones differentium sectarum, atque etiam nata ex opinionibus actionum studia, oporteat inter se pugnare: fieri nequit, ut quælibet sectæ per se, sint divinæ voluntati consentaneæ. Inde enim (quod absurdum est) sequeretur, eundem ipsum Deum aversari, quod approbat; & id vetare, quod sibi tamen placet. Etenim ex omnibus contrarijs ac repugnantibus actionibus, necesse est quasdam esse rectæ rationi congruentes, ac proinde probari, vel etiam imperari à Deo: eas autem, quæ sunt his contrariæ, necesse est hoc ipso esse à recta ratione aversas; ideoque peccata DEO invisa, & ab ipso prohibita. Itaque si opiniones omnes & actiones quarumlibet sectarum, divinæ voluntati consentaneæ essent; & quædam ex illis, ut ostensum est, Deo sint exosæ, & ab eo prohibitæ, sequeretur, ut dicebamus, aliquid aversari DEUM, quod ipse tamen approbat, & id ipsum vetare, quod sibi tamen placet. Accedit, quod si propius etiam disciplinas inspiciamus earum sectarum, quarum notitiam renemus, ut Gentilium, Judæorum, Turcarum, Hæreticorum; in singulis pravos errores, atque adeo actionum instituta perversissima facilè animadvertimus: quæ esse quidem media ad salutem consequendam, ipsi grata Deo, neque cogitari sine summo scelere, neque dici sine atroci blasphemia potest. Nam ex dictis, infraque dicendis constat, multa absurdissima de erroribus, tam Gentilium, Judæorum, Saracenorum, quam aliarum sectarum.

Præterea nec invincibilis ignorantia tantorum errorum sectatores excusare ullo modo poterit, aut salvare; quia etsi aliqui, ad quos Evangelij notitia nondum pervenerit, à peccato infidelitatis excusentur: tamen inde non statim sequitur, ut quisque possit secundum sectam quamlibet adipisci salutem: nam ut salutem consequaris, satis tibi non est, ut à peccato in pravis alioquin actionibus excuseris, sed præterea etiam necesse est, ut aliquibus medijs utaris ad consequendam salutem, per se rectis, & à divina providentia, ad eam rem institutis: cujusmodi sunt Fides, pœnitentia, &c. Ut enim DEUS ipse hominibus proposuit finem ultimum, id est, summam beatitudinem; sic ad ipsum etiam pertinuit, media aliqua, & bona & necessaria constituere ad perveniendum in eum finem. Quod si terminum tantum, & non etiam viam hominibus ostendisset, non esset perfecta illius providentia. Non est autem consequens, si per ignorantiam, aut opinionem in pravis actionibus à peccato excusaris, ut etiam uteris ejusmodi medijs, quæ per se sunt bona & necessaria ad salutem.

CAPVT XII.

Legem Saracenorum esse irrationabilem, quia violenta, & iniqua.

EST etiam Alcorani lex, ut breviter dicam, ita violenta, ut meritò possit appellari *lex cædis & mortis*; eo quod homines non blanditijs, non rationibus, sed cæde cogi præcipit ad credendum. Quare ipse Mahometus cum legem suam non posset miraculis confirmare, eamque omni ratione carere, manifesta itidem mendacia continere conspiceret, ac multos propter hæc fore, qui ei contradicerent; sibi ipsi datum esse ajebat à Deo instrumentum proprium, (id est ensem) ad interimendum; ipseque tulit mandatum in lege, ut interimentur quicunque Alcorano adversarentur, & non crederent: quare non semel, aut iterum, sed passim, quasi mandatum quoddam universale, illa verba repetuntur, *Interimite, interimite*: in cujus confirmationem affert Richardus exemplum Avunculi ipsius Mahometi, qui cum ab illo invitaretur, ut Alcoranum reciperet; respondit dicens; Quid mihi, si hoc non fecero, fili fratris mei? cui tum Mahometus respondit, Interimam te, ô Avuncule. Hic autem dixit, Impossibile est esse quoddam aliud? nihil aliud, dixit. Avunculus autem, inquit, Sequar te ad quodcunque volueris, lingua tantum, sed non corde, timore ensis. Omar autem filius Catempadi dixit coactus: *Domine tu scis quod solo timore mortis sio Saracenus.* Filius autem Empiascaa timore ensis factus est Saracenus. Unde misit literas ad Messe, quas mulier quædam occultavit sub capillis, nuncians his, qui sunt in ut be adventum Mahometi, ut caverent ipsi vim doctrinæ illius. Hæc Richardus.

cap. 10. confutat. legis Mahom.

Secundo etiam hujus legis violentia confirmatur; quia ipse Mahometus affirmavit, in tantum ejus legem permansuram, in quantum armis temporali que

poralique potentia fulciatur. Aliud est etiam hujus violentiæ argumentum, ut etiam ipse Ricardus refert: Quod quando Saraceni conveniunt, ut eos legem Magister doceat; ipse primum nudans ensem, eumque nudatum manu detinens, vel in quodam eminenti loco ponens quoad finierit, eos docet: ut & sic clarius suadeat Mahometi doctrinam, potius gladio, quàm ratione niti.

Hæc est propagandæ Mahometicæ legis ratio, aliena & contraria ei, quam Sancti Apostoli, & primi Ecclesiæ fundatores præmonstrarunt: qui non ferro, ut inquit Augustinus, sed ligno; non mortem minitando, tormenta inferendo, sed obediendo potius, & supplicia, martyria, morteque perferendo Ecclesiam plantaverunt, ut latiùs diximus *lib.* 2. & dicemus *infra*; Maximè quia cum fides requirat affectum, sive assensum voluntatis, secundum illud Apostoli: *Corde creditur ad justitiam*: & voluntas cogi non possit; quomodo igitur credent, qui vi & armis coguntur fidem recipere? cum ipse Dominus maximè ab homine cor quærat: juxta illud. *fili præbe mihi cor tuum.* Ex quibus non obscurè deducitur Alcorani legem esse injustam, & iniquam: cum sit causa cædis, rapinæ, & perjurij, aliorumque scelerum.

cap. 12. *lib. citat.* Quod si aliquando prohibeat rapinas, perjurium, & alia, ut inquit Ricardus; tamen hæc prohibitio potius permissio quædam est. Dicit enim, Ne faciatis mala, non enim placent DEO: si autem feceritis, ipse est misericors & miserator, & facile vobis parcet. De rapina autem nihil unquam mandavit, ut restituatur, neque talem ipsi consuetudinem habent: sed sufficit dicere Saracenum: *Non est Deus prater Deum, & Mahometus Apostolus Dei.* De perjurio autem palam dicit in *cap. Elmin.* id est, *Mensa*: Non imputabit vobis Deus fraudationem juramenti, sed invocationem ejus; quasi dicat, Perjurium non obligat ad culpam, sed ad pœnam. Et postea subdit: Pro transgressione ejus sufficit decem pauperum educatio, vel totidem indumentum, vel unius captivi redemptio: qui autem hæc non potest facere, ter jejunabit. Ex his autem sequuntur omnia mala: non enim timent rapere, decipere, perjerare, fidem violare; cum Christiano præcipiatur fidem servare etiam inimicis & Infidelibus.

Mahometus autem palam dicit in *Cap. Elmetuare*, id est, *mercatio*, quod Deus dispensaverit ei, ut non servaret, quod licite juraverat, non amplius, videlicet, ad Jacobitissam quandam accedere: quæ Maria appellabatur; & sic pejeravit, cujus remissionis testes sunt, ut dicit ipse, Michael, & Gabriel. Iniqua est igitur lex illa, quam sequuntur omnia mala. Est autem iniqua, quia tot, & tanta mala, & mendacia Deo injungit, & præter prædicta, etiam alia multa turpia & fatua.

CAPVT XIII.

Legem Alcorani irrationabilem esse, ex parte formæ, hoc est ordinis & styli.

Legis Mahometicæ confusio

ALcoranum Pseudopropheta Mahometus, tanquam legem à Deo datam, ex Judæis, gentibus & Christianis, variè, mixtè, confusèque collectam composuit: eam deinde versibus quibusdam rythmicis condidit, quo facilius in animos imperitæ multitudinis per suavitatem cantus & rythmi influerent, & firmius eis inhærerent. Nam sicut tradidit quidam nobilis Christianus Arabs, apud Dionysium Carthusianum *lib.* 2. qui floruit circa tempora Mahometi, & qui super omnes sui temporis Arabicæ linguæ vim, proprietatem, & elegantiam callebat. Vulgare tunc erat apud Arabes carminibus, & poeticis cantilenis studere: quin etiam versus facere, tam nobiles quàm ignobiles, tanquam quid vulgo usitatum, pro nihilo ducebant. Legem suam *Alphulian* nominavit id est *sectiones*, sive *capita*; simulans legem ad se missam à Deo, non simul datam sibi universam, sed per partes, & intervalla temporum; & ut Sybillæ folia diversis in locis, & temporibus, discretisque sententijs: callidè videlicet, ne quis in ea scriptura rerum consequentiam, & ordinem, ac rationem doctrinæ requireret.

Primus omnium Odmen, annis post Mahometum circiter centum, & decem, aliorum Mahometi successorum adjutorio, istam legem in unum quasi corpus, & ad integritatem, quoad ejus fieri potuit, redegit. Arabes appellarunt Alcoram, id est, scripturam; per excellentiam videlicet, præcisè scripturam appellari volentes: cum tamen ea sit ex variis Judæorum, Hæreticorum, & Epicureorum doctrinis, erroribus, fabulis, & blasphemijs, ceu indigestum quoddam chaos: quam tamen legem, ipse ait, descendisse de summo cælo, usque ad infimum cælum, deinde paulatim in terras lapsam esse, & ad se delatam; de quo etiam Deum sermocinantem secum inducit. Inter præcipuos Mahometi amicos, & socios duo fuêre apud posteros celebriores: quorum alter vocatus est *Haly*, cujus interpretationem Alcorani sequuntur Persæ: alter nominatus est *Haumar*; quem, ut fidissimum legis Mahometicæ interpretem cæteri (Turcas dico & Mauros) complectuntur, Persis hostili odio habitis.

Hanc vero legem non esse à Deo, inter alia ex eo præcipuè deducitur, quod ea, quæ à Deo procedunt, ordinem & seriem inter se habeant, dicente Apostolo: *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: quod & experientia testatur, tam in operibus naturæ, quam in sacris Scripturis: Moyses enim valdè ordinatè incipit à mundi creatione, & deinde totum Pentateuchum percurrit secundum ordinem temporis & historiæ. Alij autem Prophetæ benè ordinatèque processerunt secundum ordinem historiæ, vel ad minus, secundum ordinem materiæ. Idem dicendum de Evangelio, quod incipit quidem ab Incarnatione, & Nativitate Christi, deinceps autem de vita & doctrina, & ejus miraculis, & post hæc de morte, resurrectione & ascensione dicit. Alcorano autem omnino nullus est ordo temporis. Neque enim dicit, quibus Regibus, vel secundum quod tempus; neque historiæ ordo est.

Ac denique adeo inordinatè procedit, ut nemo sit, qui possit reddere rationem ordinis, historiæ, & capitulorum. Et neque materiæ ordo est; nunquam enim unam materiam benè ordinateque pertractat, quinimo ab ut.a materia, ad alteram per suppositionem omnino impertinentem transfertur tanquam abstractus. Sed & neque ordinem habet argumentationum, vel alicujus demonstrationis: sed omnis doctrina ex suppositione procedit, & supponens quandam propositionem per se ipsam veram, & illa aliam concludit, quæ nihil commune habet cum prima, quale est illud, quod passim ab eo dicitur; Deus excelsus est & bonus, & quod Alcoranus lex est salutis, & Deus est Deus, & quod nullus est alius Deus præter Deum, & Mahometus est Propheta verus. Quæ autem hæc conclusio, Mahometum esse verum Dei servum, & quod Deus est Deus?

Unde

Unde Richardus in Alcorano versatissimus cap. 11. Confutationis legis Mahometicæ. ita inquit, *Neque reminiscor in toto libro me invenisse unam solam argumentationem, qua secundum rectam suppositionem, & convententem ordinem procedat. Nominum autem ordo illic Grammaticè & rythmicè optimus est: ferè enim totus liber metricus & rythmicus est. Unde & valdè gloriantur Saraceni in sic pulchro & ordinato Arabica locutionis modo: & ex his argumentantur, verum Prophetam fuisse Mahometum. Non enim sic ornatè scivisset loqui homo omnino Idiota. Cujus contrarium apparet verius: Videmus enim in divina Scriptura DEUM loquentem cum Moyse, & cum aliis Prophetis, & nunquam his rythmis vel versibus hu loquentem. Moysis autem legem, & Evangelium fatetur Mahometus à Deo esse, Deumque libros Moysi, & Christo dedisse: sed hi non sunt metrici vel rythmici: & nullus aliorum Prophetarum, qui divinam vocem audiverunt, dixit DEUM metricè locutum esse, quod & sapientes, & Philosophi homines dedignantur.* Hactenus Richardus.

Et quamvis David versibus Propheticè fuerit locutus, tamen non legimus unquam Deum Davidi, vel aliis Prophetis, versibus rythmicis prophetias dictasse.

Ac denique, ut paucis concludam, ex prædicta Richardi sententia, nihil pretio dignum in multis Alcorani capitibus; multa turpia, turpissimisque verbis conscripta, fabulosa, ridicula quam plurima; ut potius aniles nugæ, quàm lex Dei esse clarè conspiciatur; ideo obscuro & intricato stylo, ut ipse Mahometus asserat se non totum Alcoranum intelligere: nec alium præter DEUM intellecturum: quis ergo fructus futurus ex ejus usu erit hominibus quod non intelligunt?

CAPVT XIV.

Legem Mahometi esse irrationabilem ex parte finis, quia ultimam hominum felicitatem posuit in carnalibus delectationibus.

Mahometus summã hominis felicitatẽ in carnalibus posuit voluptatibus.

CUm Mahometus esset voluptatum illecebris deditissimus, ipsamque voluptatum vim ad homines alliciendos agnovisset; ut pravo suo instituto, homines averteret ab itinere cælesti, & in viam perditionis induceret; hanc viam ita in figura & aspectu composuit, ut omnibus plana, & patens, omni genere florum, atque voluptatum delectabilis esse videretur; proponens omnia, quæ pro bonis habentur in terra: opulentiam nempe, honorem, quietem, voluptatem, ac illecebras omnes, quod non solum in hac vita, ut optimum constituit, sed & in alia finxit, promisitque expectandum: carnalis enim Mahometus præsentium bonorum fruitione captus, atque in his consequendis, iisque gaudendo occupatus, non potuit, aut potius noluit intelligere, alia esse bona hisce temporalibus & corporis bonis longè præstantiora; & ideo in corporis, sensualibusque deliciis ac voluptatibus alterius vitæ felicitatem ultimam collocavit. Hic est Mahometi Paradisus, quem ipse suis promisit, in quo non nisi carnales & obscænissimas promisit voluptates: promisit enim in eis, ut ferè ex toto Alcorano constat, primo delicias epularum corporalium, dapiferos & Pincernas Angelos: secundo pretiositatem vestium & lectorum, umbraculorumque amœnitates: tertio delicias concupiscentiarum, & blandimentorum muliebrium: *quæ*, ut ait Tullius, *voces potius pecudum, quam hominum sunt.*

Fundamenta autem & motiva Mahometi duo sunt præcipuè: primum, quia non esset beatitudo, ut ipse ait, si ullum oblectamentum in Paradiso deesset: Secundum, quia frustra essent omnia in Paradiso, si non esset voluptas secundum luxuriam: unde concludit porcus ille, quod quicquid volunt, præsto est, & quascunque delicias, & quo modocunque volunt, habent omnia ad libitum, sine mora & difficultate. Ita quidem, quod quas hic Uxores habuerunt fideles, habebunt & illic: cæteræ concubinæ erunt, ancillarum vero non erit numerus.

In refutatione igitur hujus spurcissimi erroris, duo erunt à nobis præstanda. Primum demonstrabimus in alia vita non esse usum ciborum & venereorum: Secundum, non posse in his consistere veram hominis felicitatem.

Quantum ad primam partem, hic error apertissimis rationibus confutatur. Primo resurrectio futura erit ad vitam immortalem, ut patet: unde *Isai. 25.* dicit: *Præcipitabit Deus mortem in sempiternum*, & Osee 13. Secundum translationem 70. *Absorpta est mors in victoria.* Et *Apoc. 20.* dicitur: *Mors ultra non erit.* Ipse etiam Mahometus in libro de sua doctrina, dicit: Quod postquam omnia mortua fuerint, Deus occidet mortem, & postea resurgent immortales & integri. Cum ergo omnino sublata erit mors, necesse erit à resurgentibus subtrahi, quæ corruptibili vitæ deservient, sive quæ ad mortalis vitæ statum ordinantur. Manifestum est autem quod ciborum usus corruptibili vitæ deservit; ad hoc enim cibos assumimus, ut corruptio, quæ possit accidere ex corruptione naturalis humidi, evitetur. Est etiam in præsenti necessarius usus ciborum ad augmentum, quod post resurrectionem in hominibus non erit; quia omnes in debita quantitate resurgent. Similiter conjunctio maris & fœminæ corruptibili vitæ deservit, ordinatur enim ad generationem, per quam, quod perpetuo conservari non potest in individuo, in specie conservetur. Cum autem, ut dictum est, vita resurgentium incorruptibilis sit; homines enim iidem numero conservabuntur; ergo fatuum est, & irrationabile dicere, quod in resurgentibus sit ciborum, aut venereorum usus.

Secundo probatur, quia vita resurgentium non minus ordinata erit, quam præsens, sed potius magis. In hac vita usus ciborum ordinatur ad aliquem finem; ad hoc enim cibus assumitur, ut per digestionem convertatur in corpus: si ergo post resurrectionem erit ciborum usus, oportebit ut ad hoc sit, ut convertatur in corpus: cum ergo à corpore resurgentis nihil resolvatur, eo quod corpus erit incorruptibile: oportet dicere quod totum quod convertitur ex alimento, transeat in augmentum: & ita corpora resurgentium in infinitum augebuntur: aut oportebit dicere quod erunt ibi tot egestiones, & aliæ fœditates, ut tantum resolvatur, quantum convertitur, quorum utrumque est inconveniens. Nec valet quod ipse Mahometus dicit in *libro de doctrina sua*, non fore ibi egestionem sordium, sed purgationem per sudorem: sicut puer in utero matris, nutritur quidem, non tamen egerit. Corpora enim resurgentium ita erunt incorruptibilia, ut nihil de eis possit resolvi: unde non valet similitudo.

Tertio, hic venereorum usus ad generationem ordinatur, si ergo post resurrectionem erit venereorum usus, nisi sit frustrà, sequitur quod tunc etiam erit generatio hominum, sicut & nunc; sterilitas enim & læsio, & plaga est naturæ, quæ non potest esse in optimo statu humanæ naturæ, cujusmodi est status post resurrectionem: sequitur ergo quod multo fœcundior & fœlicior erit prolis procreatio, quam hic. Cum ergo mors in vita illa non erit, crescet ibi populus in infinitum. Finita autem est regio Paradisi illius, & omnis regio corporalis: quare brevi tempore necessario magna pars populi illius de Paradiso exibit. Et erit necesse creari aliam regionem iis, eamque non unam solum, aut finitam, impossibile enim est, quascunque regiones finitas infinitos capere homines.

Si vero quis dicat usum illum ciborum, & venereorum non respicere augmentationem, & conservationem corporis, aut speciei, aut multiplicationem hominum, sed solam delectationem, ne aliquid in ultima remuneratione desit. At contra (ut benè D. Thom. 4. *contra gentes*) quia vita resurgentium ordinatior est, quam vita nostra: in hac autem vita inordinatum & vitiosum est. cibis & venereis uti propter solam delecta ionem, non propter necessitatem sustentandi corporis, vel prolis procreandæ, & hoc rationabiliter, nam delectationes quæ sunt in præmissis actionibus, non sunt fines actionum, sed è converso: natura enim ad hoc ordinavit delectationes in istis actibus, ne alienati propter laborem, ab iis licet necessariis naturæ, desisterent; quod contingeret nisi delectatione provocarentur. Est ergo ordo præposterus, & indecens, si istæ operationes propter solas delectationes exerceantur; non ergo erit in resurgentibus, quarum vita ordinatissima ponitur.

Neque obstat supradictis, Christum post resurrectionem comedisse, & bibisse: quoniam id non tam propter voluptatem, aut alterius rei causam; quam ad demonstrandam suæ resurrectionis veritatem. Quare cibus ille non fuit conversus in carnem, sed resolutus in præjacentem materiam: hæc autem causa comedendi non erit in resurrectione communi.

Ad secundam vero partem accedentes, facilè erit rationibus naturalibus convincere, hominis felicitatem non esse sitam in corporis voluptatibus. Prima, ut homo sit ab omni parte beatus, & acquisita bonorum sortè contentus, opus est, ut ejus desiderium sit undique expletum, & eæ, quæ sunt in homine præcipuæ facultates, & nobilissimæ, adeptæ sint bonum, quod earum cupiditatem satiet. At planè experimur, in nulla re, quæ corporis sensibus percipitur, voluntatem hominum conquiescere, vel intellectum expleri: nam quantacunque sensuum voluptate perfundatur homo, ac abunder; nunquam tamen omnino saturatur: semper enim plura & majora bona appetit: non ergo ponenda est fœlicitas in iis, quæ corporis solum sensum oblectant, animum vero non satiant.

Secunda, Nulla animantium facultas expleri satiarique potest, nisi sui proprii objecti adeptione, verbi gratia gustus, non conquiescit vel oblectatur odore, sed rerum saporibus, qui in cibis quibus vescimur reperiuntur. Auditus non satiatur corporum coloribus, sed sonis, qui aures demulcent: sic intellectus noster verum habet, ut proprium objectum, sed universè verum, unde satiari nequit alicujus privati veri consecutione, quia nullum est particulare verum conditum, quod totam ejus capacitatem æquet: quare in nullo vero conquiescit, donec omne verum obtineat. Similiter nostra voluntas sua natura fertur in proprium objectum, in id, quod est universè bonum, & ita nullo creato peculiari bono satiatur, quousque omne bonum possideat: at in his rebus, quæ corporis sensibus objiciuntur, neque est universè verum, neque universè bonum; siquidem præter eas aliæ multo sunt meliores & veriores. Vitæ ergo futuræ fœlicitas in his rebus minimè consistit. Item bona sensuum, non sunt propria objecta intellectus, aut voluntatis; quippe, quæ sunt objecta sensus & appetitus, qui sensuum est comes: at præstantissimæ hominis facultates sunt intellectus, & voluntas, quibus mens est prædita: fieri ergo nequit, ut in alio sæculo conquiescat homo, nisi hæ mentis facultates suorum propriorum objectorum consecutione expleantur.

Tertia, quia homine intereunte, omnes sensus & corporis facultates & vices intereunt, ut quæ corporis instrumentis sunt alligatæ, & corporis vinculis astrictæ, & carni concretæ: & ideo extinctus homo, nec audit quicquam, nec cernit, nec gustat, nec odoratur, nec manibus contrectat, sed solum post hominis obitum, supersunt tres animi facultates, quæ rationis compotes vocantur, quæque ad suas functiones corporis adjumentis & instrumentis non egent, quia nulli corporis parti alligatæ sunt, nimirum memoria, intelligentia, voluntas, quæ mortis & interitus expertes sunt. Est igitur ridiculum, & penitus absurdum, dicere alterius sæculi fœlicitatem esse positam in rebus, quæ sensus nostros oblectant: quandoquidem animus corpore solutus, & in aliam vitam translatus, sensibus caret, quos una cum corpore amisit; & idcirco nihil percipere potest eorum bonorum, quæ ad corporis sensus spectant, sed ejus fœlicitas consistit, in actionibus spiritualium functionum actionibus, nimirum in unctione memoriæ, quæ semper est memor eorum bonorum, quæ possidet: in actione intellectus, qui est omni sapientia plenissimus, utpote qui omne verum, cujus mens hominis capax est, cognoscit perfectè absque ullo errore, deceptione, & lapsu: neque enim ulla falsitate aut mendacio decipitur, neque ullis ignorantiæ tenebris obscuratur: nec alicujus rei discendæ studio, & desiderio tenetur, & in operatione voluntatis, qua semper jucundissimo quodam amore diligit DEUM, qui est summum & infinitum bonum: & his actionibus expletur, & satiatur animus dulcissima omnium bonorum possessione contentus.

Præterea quarto, ex conditionibus sive circumstantiis beatitudinis probatur, quarum prima est, ut beatitudo sit ultimum simpliciter, ad quod omnia referri debent, & ea ad nihil aliud: ita docet Philos. *libro* 10. *Ethic. cap.* 2. & 7. Secunda, ut sit aliquid secundum se perfectum, & maximè excellens, inter alia bona, quæ conditio per se constat. Tertia, ut expellat omnem miseriam, seu defectum boni, alias non esset beatitudo. Quarta, ut satiet appetitum hominis, ita ut nil præterea desideretur, cum anxietate, & inquietudine: hæ autem conditiones non reperiuntur in ullo bono creato, & multo minus in illis bonis, quæ ad corpus pertinent; ut sunt divitiæ, cibi, venerea: quia secundum rectam rationem ista ordinantur ad ipsum hominem, tanquam in finem: ac ex consequenti sunt inferiora homine. Ex quo etiam sequitur, quod non sunt perfectiora & excellentiora bona: maximè,

maximè, quia cum voluptas sit quædam appetitus humani quies in aliquo bono, aliunde obtento, atque adeo quiddam consequens aliud, quod sit excellentius bonum. Deinde nec voluptates corporis expellunt omnem miseriam, neque satiant appetitum, quia cum iis possunt esse quamplurima conjuncta mala, ac desideria, ut experientia constat.

Quinto, beatitudo ultima hominibus in præmium bonorum operum promissa, consistit in his, quæ omnem humanæ facultatis virtutem excedunt, dicente Propheta Isai. 64. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit diligentibus se.* Et Apost. ad Roman. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus sæculi, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*: sed fælicitas quam seductor ille Mahometus promisit, non est in aliis bonis majoribus, quàm habet vita præsens. Promisit enim flumina lactis, & vini, & mellis; unde non promisit eis alios liquores secundum speciem, quam habet vita ista, etsi forte gustu suaviores: & eodem modo se habet de saporibus, cum determinati sint numero specierum suarum, nec ampliores, nec alii esse possunt: idem quoque dicendum de omnibus generibus ciborum. Quare manifestum est, quod non aliam fœlicitatem promisit eis, quàm carnalem, quam habet vita ista, eamque, nec majorem, nec meliorem. Unde patet, quam turpiter erraverit assignando fælicitatem futuram, illi vitæ præsentis tam propinquam, in bonis nimirum corporalibus.

Sexto, summa perfectio hominis non potest esse in hoc, quod conjungitur rebus inferioribus se: sed in hoc quod conjungitur alicui rei altiori; finis enim melior est iis, quæ sunt ad finem; sed delectationes carnales consistunt in hoc quod homo secundum sensum conjungitur aliquibus rebus se inferioribus, scilicet sensualibus: ergo error magnus est, in talibus hominis fælicitatem ponere.

Septimo, In illo maximè ponenda est fælicitas, per quod homo maxime accedit ad DEUM, qui beatificator est Angelorum & hominum; sed per delectationes prædictas maximè impeditur homo, à maxima appropinquatione ad DEUM, quæ fit per contemplationem, quam maxime impediunt delectationes sensuales, sunt enim quædam vincula mentium humanarum, & excæcamenta oculorum intellectualium: si enim quis cibi & potus abundantia frui, & sapientiæ vacare se posse puter, decipitur, maximus ergo error est, in talibus fœlicitatem ponere.

Octavo, Ubi talis veneris ac gulæ usus erit, necesse est fore magnam & assiduam corporum exinanitionem, resolutionem, transmutationem, digestionem, somnum, & alia huic vitæ necessaria: ita ut ille Mahometi Paradisus, quantuscunque fuerit, sudoribus, egestionibus, & urinationibus replendus sit. Quid ergo aliud erit, nisi taberna indefessæ ingurgitationis & perpetuæ fæditatis, & turpitudinis prostibulum, atque volutabrum porcorum. Omitto abominationes & fœditates illas, quæ ex commixtionibus maris & fœminæ sequuntur. Quod autem dicit Mahometus Angelos pincernas, & dapiferos futuros sibi credentium, quis non rideat? Quasi vero Angeli sancti fœlicitatem illam, quam nec oculus vidit, nec cor hominis concepit, desecturi sint; ut lectos fœdis glutionibus ad turpitudines exercendas parent, ac ornent; Angelicæ beatitudinis excellentiam, in coquinariâ seu dapiferam servitutem commutaturi.

Nono, Quia cum hæc beatitudo sit maximum bonum, Deo etiam debet convenire, maximè cum Mahometus Deum faciat corporeum; habentem membra corporea, ut manus & pedes. Nam si, ut ipse inquit, non est beatitudo ubi voluptas absit, aut Deus non erit beatus, aut his etiam bonis fruetur. Erit igitur Deus similis illis Diis, quos Poetæ & fabulæ finxerunt, eruntque Deæ: suppositâ vero hac sexuum diversitate, consequens est, ut concipiant: aliaque obscœna & absurda sequantur, quod si Deum non esse corporeum Saraceni respondeant, atque ita sine corpore frui perfectè æterna fœlicitate; cur ergo hominibus etiam absque corporis voluptate, hæc fœlicitas contingere non poterit? Et confirmatur, quia Angeli, quos ipse Mahometus corporeos esse docet, fruuntur hac voluptate, ex delectatione ciborum, & venereorum orta, aut illa carent: si primum, erunt Angelorum duo sexus, manducabuntque Angeli & bibent in cælo, quæ omnia ridicula sunt: si secundum, igitur Angeli aliam præter corpoream consecuti sunt fœlicitatem, quare ergo non & homines?

Decimo, quia animæ à corporibus separatæ, ex sententia ipsius Mahometi sunt nunc in Paradiso; ipse enim affirmat in cælo se vidisse Abrahamum, Moysem, & alios: & cum hi beatitudine perfruantur sine corporis consortio, cum illo careant; ut alios omittam, Christus Dominus & D. Virgo, Propheræ, & Sancti alii, qui sobrii, moderati, casti, vel virgines fuerunt in hac vita imperfectionibus plena, in illa cælesti perfectissima, erunt ebrii, libidinosi, intemperati? alioquin non futuri beati.

Præterea undecimo, Si verum est, quod nullum oblectamentum sensuale defutorum sit futuræ beatitudini, seu Paradiso Mahometi, cum variis & diversis oblectamentis afficiantur homines, utpote quidam in cibis, quidam in potu, quidam in luxu, quidam in ludo, quidam in venationibus, quidam in piscationibus, quidam in hastiludiis, alii in diversis aliis rebus: nos dicere oportebit, in Paradiso esse omnia genera ciborum, volatilia, oves, & boves, & universa pecora campi, universaque genera condimentorum; juxta oblectamentum singulorum hominum; amplissima insuper flumina vinorum, juxta varietatem gustuum singulorum hominum; apothecas specierum, & confectionum; prostibula tandem luxuriantium, sylvas feris plenas ad venandum, stabula multa equorum ad hastiludia exercenda, & ex cõsequenti, multa stercora animalium, & plura similia, quæ inferri possunt, adversus stultum Mahometum. Quæ & stultissima sunt, & omni divisione digna; illumque profectò Paradisum Mahometus suis descripsit, quem ipse bestialis sibi concupivit.

Ac denique duodecimo Lactantii Firmiani *lib. 3. divinarum institutionum cap. 8.* ratione hac compendiosissima disputationem nostram concludamus. *Cum de officio*, inquit, *hominis agatur, oportet summum summi animalis bonum, in eo constitui, quod commune cum cæteris animalibus esse non possit. Sed ut feris dentes, armentis cornua, volucribus penna propriæ sunt; sic homini aliquid suum debet ascribi, sine quo rationem suæ conditionis amittat; nam quod vivendi, aut generandi causa datum est omnibus, est quidem bonum naturale, summum tamen non est, nisi quod est unicuique generi proprium. Sapiens ergo non fuit, qui summum bonum credidit voluptatem; quoniam sive illa securitas, sive gaudium est, communis est omnibus. Aristippo ne respondendum quidem duco, quem in corporis semper voluptates ruentem, nihilque aliud quam ventri & veneri servientem, nemini dubium est, hominem non fuisse: sic enim vixit, ut nihil inter eum, pecudemque*

demque distaret, nisi unum, quod loquebatur. Quod si asino, aut cani, aut sui facultas loquendi tribuatur, quaraque ab his, quid sibi velint cum fœminas tam rabide consectantur, ut vix divelli queant, cibos etiam potumque negligant, cur aut alios mares violenter abigant, aut ne victi quidem absistant, sed à fortioribus sæpe contriti, eo magis insectentur, cur nec imbres, nec frigora pertimescant, laborem suscipiant, pericula non recusent: quid aliud respondebunt, nisi summum bonum esse corporis voluptatem? eam se appetere, ut fruantur suavissimis sensibus, eosque esse tanti, ut assequendorum causa, nec laborem sibi ullum, nec vulnera, nec mortem ipsam recusandam putent. Ab his ne igitur præcepta vivendi petemus, qui hoc idem sentiunt, quod animæ rationis expertes? Hactenus Lactantius.

Neque quemquam movere debet, in Scriptura reperiri loca aliqua, quæ usum ciborum post resurrectionem, videntur hominibus promittere, Isai. 27. *Faciat*, inquit, *Dominus exercituum omnibus populu ex monte hoc convivium vindemiæ defæcatæ*: quoniam ista, & similia loca spiritualiter intelligenda sunt; quia mos est Scripturæ sacræ divina intelligibilia, sub similitudine sensibilium proponere; ut animus noster ex aliis, quæ novit, *discat*, ut docet D. Gregorius, *incognita amare*. Quare secundùm hunc modum delectatio, quæ est in contemplatione sapientiæ, & assumptio veritatis intelligibilis per intellectum nostrum, per usum ciborum, in sacra Scriptura consuevit designari; secundum illud *Prov. 9.* quod de sapientia dicitur, *Miscuit vinum, & posuit mensam, misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis; si quis est parvulus veniat ad me, & insipientibus locuta est, Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*, & alia similia loca; quæ nulla ratione de cibo corporali intelligi debent, sed de illo cibo, qui in mensa sapientiæ sumitur, ut dictum est. Mahomerus verò non figuratè, sed propriè de delectationibus corporeis loquitur. Quid quod Saraceni aliqui dicant, cum passim per Alcoranum sparsit Saracenorum beatitudinem esse, hortos irriguos possidere, mulieres, & pellices, juvenes, verecundas, & pulchras, purpureis vestibus indutas, & his similia habere. Hæc sunt, quæ de suprema hominis felicitate sensit obscænus canis, aut sus ille lutulentus, &, ut Poëta loquitur, *Epicuri de grege porcus.*

Ex quibus facile erit motivis sive argumentis Mahometi respondere: Et quidem ad primum resp. Vanum esse argumentum, nempe quòd si ullum oblectamentum in Paradiso deesset, beatitudo minimè plena esset: quia, ut diximus, oblectamenta carnalia, qualia ipse Mahometus finxit, non pertinent ad veram beatitudinem; imo in contrarium formari deberet argumentum, hac ratione: In Paradiso erunt voluptates carnales, quales Mahometus describit: ergo sequitur, quod ibi non erit vera, neque plena beatitudo; cum delectationes sensuales similes cum spiritualibus simul esse non possint, ut jam supra demonstravimus. Neque etiam secundum motivum urget, nempe, quod frustra essent animalia in paradisum, si non adesset voluptas secundum carnem: hoc enim motivum ex ignorantia, & hebetudine mentis Mahometi, ad percipiendam spiritualem animarum, immensamque voluptatem, quam ex visione Dei percipiunt, emanavit. Quare non mirum, si carnalis homo non potuerit beatitudinem absque carnalibus voluptatibus excogitare.

Erit tamen in corpore sua voluptas, & gloria & redundantia beatitudinis animæ in ipsum derivata; corpus enim glorificabitur, ejusque glorificatio quatuor continebit dotes, tanquam quatuor partes corporum Sanctorum, quæ sunt *claritas, impassibilitas, subtilitas, agilitas*, & ita totus homo exultabit in Domino, juxta illud Psal. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.* Cæterum differentia sexuum, & membrorum varietas post resurrectionem non erit frustra, cùm sit ad naturæ humanæ perfectionem redintegrandam, in specie, & individuo, quamvis animales operationes desint. Licet ergo viri & fœminæ cum membrorum suorum integritate resurgant, non sunt tamen dicendæ frustra fœminæ adesse, quia non erit commixtio cum eis.

SECUNDA PARS HUJUS TRACTATUS.

De præstantia legis Christianæ, comparatæ sectæ Mahometanæ.

IN superiori parte hujus Tractatus, in eo argumento versati sumus, ex quo satis constare potest, legem Mahometi ex quatuor illis capitibus, nempe authorem ejus ostendendo fuisse turpissimum & iniquum; Secundò ex ipsis rebus, quas præcipit ac docet; Tertiò ex fine, sive præmio suis sectatoribus promisso; Quarto denique ex forma seu stylo ipsius legis, irrationabilem esse. Restat, ut in hac *secunda Parte* de excellentia & præstantia ejus legis dicamus, quam sanctissimè tulit JESUS Christus Salvator noster, sumptis argumentis à contrariis omnino capitibus; nempe à mira authoris sanctitate, ab his, quæ divinitùs constituit, & docuit in ea, à fine Christianis ab eo præfixo; ac denique à forma, sive stylo & ordine S. Evangelii. Postea in fine hujus secundæ partis responsuri aliquibus objectionibus, factis in favorem sectæ Mahometicæ.

CAPUT

CAPVT I.

De admirabili Christi Domini sanctitate, ex testimonio ipsius Mahometi.

EX multis eximiisque laudibus, quibus Mahometus in suo Alcorano, (ut omittam testimonia alia gravissima, clarissimaque) Christi Domini nostri excellentiam prædicavit & magnificavit, evidenter concluditur, authorem Religionis Christianæ, in omnibus excellere ac superare Mahometum. Et ut ad rem accedamus, Mahometus in *5. cap. Alcorani* sic scriptum reliquit; Angeli MARIAM alloquentes dixerunt, O MARIA omnibus viris, & mulieribus splendidior, mundior, & jucundior, ferimus tibi summi Nuncii gaudium, cum Verbo DEI, qui est JESUS, qui est facies omnium gentium in hoc sæculo & futuro, vir sapiens & optimus, ab universitatis creatore mittitur: ipse filium tuum cum divina virtute venientem, librum legiferum, omnisque magisterii peritiam, & Testamentum, atque Evangelium edocebit: filius tuus cæcos & mutos curabit, leprosos mundabit, mortuos resuscitabit; quæ cuncta credentibus in Deum miracula censentur: Verus Testamentum confirmabit, seque cum divina virtute ac potentia patefaciens, dicet: Piè credentes in DEUM me sequamini: DEUS enim mei, vestrique Dominus est, quem adorantes recto procedent tramite. Sciens autem Judæos in sua credulitate obstinatos manere, ait, quis in DEI nomine me sequetur? & viri quidam vestibus albis induti dixerunt: Nos in DEI nomine te sequentes in DEUM credimus, te teste, dixeruntque, O Creator nos libro Evangelii fidem adhibentes, legatumque tuum JESUM imitantes ascribe fidelibus tuis. Et Deus JESUM affatus: Ego, inquit, tuam ad me reducens animam, & exaltans, teque ab incredulis liberans, eos qui te secuti sunt iis, qui verbo tuo non crediderunt, usque ad diem publicæ resurrectionis, superponens, incredulos quoque summis cruciatibus, & hic, & in futuro sæculo afficiam: fidelibus verò & benefacientibus merita sua cum gaudio conferam. De virtutibus igitur, & justitiis JESU ita tibi revelare decrevimus.

Ex his clarè colligitur Alcoranum Christo prærogativas quasdam, supra Mahometum tribuisse; ac de ejus persona in omnibus divinius, quàm de suo Mahomero judicasse: quæ amplius erunt conspicua, si ad singulares circumstantias Christum Mahometo comparantes descendamus. Primo in Conceptione: nam Christus suæ Matri, ut Alcoranus etiam tradit, fuit annunciatus per Angelum Gabrielem, & sanctificatus per Spiritum sanctum, & non ex semine viri, nec operatione naturæ, sed virtute DEI, ex Virgine Matre sine Patre conceptus.

Secundo, natus ex Matre sanctissima, ut patet ex supradicto Alcorani testimonio, Et insuper in *Cap. Abraham* habentur hæc verba: Dixerunt Angeli beatæ Mariæ, O MARIA, DEUS præposuit te omnibus mulieribus, & in *loco supra citato*: O Maria, inquit, omnibus viris & mulieribus splendidior, mundior, & fœcundior: Mahometus verò in peccatis conceptus & natus est totus, & ex parentibus Idololatris.

Tertio, Christus JESUS ab Abraham, & Isaac descendit, quibus facta est repromissio de benedictione, & consequenda hæreditate, Mahometus autem descendit per Ismaël, ad quem non fuit extensa promissio, sed de eo scriptum legimus, *Erit homo ferus, & manus ejus contra omnes.*

Quarto, in Christi nativitate Angeli cum grandi è cælo splendore, Pastores ad gratulationem invitant nati numinis, Stella verò Magos eodem adduxit, circumciditur puer octavo die, ut doceat nos legibus obedire, imponitur ei nomen personæ congruens JESUS, quod idem est ac Salvator; ideoque in ejus ortu tot sunt edita prodigia, ut jam tunc sciretur hunc esse, illum, qui à DEO ad mundi reparationem electus, destinatus erat, ac missus, duodecimo ætatis anno remansit in templo inscius Matre & JOSEPHO, & contulit cum Magistris Hebræorum de lege & Messia: quod ille maximis de causis fecit; primum, ut patefaceret se jam tum ad quid venisset scire, & quæ à Patre mandata accepisset: & suppetere sibi, si docere voluisset, sapientiam; nec temerè aut subitò ad ingentia opera delectum ac ascitum, ut Moysem, & alios permultos, nec fortuito in id munus docendi incidisse. Hæc & alia de JESU, Christi infantia mirabilia comperta sunt, de Mahometo vero pubere nihil aliud, ut ipse fatetur, quàm Idolorum cultus.

Nisi quis nobis objiciat fabulam illam stultam & impiam de luce, quæ si in Alcorano contineretur, pluribus à nobis esset confutanda rationibus, sed quia inventum est ipsorum Saracenorum, eam breviter rejiciemus. Narrant lucem incredibilem conditam esse in Adam semen atque originem Mahometi: hanc cum esset genitus Seth, transisse in Evam, ab hac in Seth, ab illo in uxorem, concepto illo, qui propagaturus esset genus: ita deinceps ordine per genitores ad Mahometum: & hanc lucem tantam fuisse, ut omnes animantes eam sint admiratæ: oportet igitur majorem fuisse quàm lucem Solis. Nam hunc Solarem splendorem non admirantur brutæ animantes, quis unquam rei tam inusitatæ, tamque stupendæ meminit? videlicet prætermisisset tam grande miraculum Moyses, qui de Patribus etiam minutissima persequitur? prætermisissent alii Scriptores infiniti, qui à condito orbe fuerunt ad ortum Mahometi? Quid vero luce opus fuit ad Mahometum declarandum? quasi Moyses & Christus nuntii Dei non fuerint, & sine luce, cum autem ventum est ad Abraham, non ad Isaac migravit splendor ille per Saram, sed ad Ismaelem per Agar, & ex Sara per Isaac traxerunt originem Moyses & Christus, quos Mahometus ipse majores se & sanctiores fuisse confitetur. Tandem lux hæc pervenit ad matrem Mahometi, à qua in Mahometum protsum demigravit, ibique conquievit: si hæc lux à parentibus fuit Mahometi, quomodo puer fuit idololatra, & grassator? quin potiùs à conceptu ipso sanctus & venerabilis? quis non illum adoraret, ut cælitus missum, in quo tam admirabile conspiciebatur signum favoris divini? quid opus illi fuit aliis miraculis, aut aliis argumentis divinæ legationis?

Quintò de persona Christi, hoc est, de excellentia sanctitatis ac vitæ & morum probitate, sapientiæ, virtutis, miraculorum, officiique præeminentia supra Mahometum, ex ipsius Mahometi & Alcorani doctrina facile comprobatur. Nam cùm Mahometus finxit se legem à Deo acceptutum, à Gabriele in cælum duci, & inprimis in sex cælis singulos Patriarchas vidisse cum Angelorum multitudine, Adamum, Noë, Abrahamum, Josephum, Moysem, Joannem Baptistam, qui omnes Mahometo tanquam Prophetæ ipsis excellentioti, & in majori apud Deum gratia humiliter sup-

plicabant, in septimo quod erat supremum cælum, Deique thronus, proximum conspicatus Christum Mahometus, se ipsum eidem magna cum humilitate commendabat; perinde ac si Christus tantum superaret Mahometum, quantum Mahometus reliquis illis præcellebat. Præterea in *loco supra citato* JESUM appellat Mahometus virum sapientem, & optimum; fuit enim Christi vita admirabilis & divina, nec possedit ullas opes, nec ambiit, contentus tegumentis corporis, & victu in diem quæsito, qualiscunque contigisset, oblatum est ei regnum, sprevit & rejecit, nullam voluptatem unquam captavit, nullum in vita ejus crimen, nulla criminis suspicio, vel levissima, inter tantam invidiam & odium. Nulli est unquam assentatus, nec loquutus ad gratiam, semper rectum & verum, etiam cum præsentissimo periculo, & capitis discrimine: vel Matthæ (quæ ipsi & Discipulis ejus ministrabat, & parabat cibum atque hospitium) officium Magdalenæ prætulit, nullam aliam in rem intentæ, quam ut illum audiret.

De modestia & mansuetudine illius, infinitum esset dicere, quanta æquanimitate, & accepit jactas in se contumelias, & pertulit quæcunque evenissent. Nemini maledicenti sibi remaledixit, nec mordentem remomordit. Asperius interdum increpavit vitia, non sua causa, sed publica; imo eorum ipsorum, quos ita objurgaret, ut nihil vel utilius, vel lenius esset tali asperitate: nulli in ejus sermone admisti joci, nulli vel in dictis, vel in factis lusus, omnia semper (quod DEUM decebat) seria & severa. Magnitudinem suam, & paternum in nos affectum patefecit, quod in loquendo captui illorum se accomodavit, cum quibus ageret. Nec dixit quicquam ad ostentationem suæ sapientiæ: quod fecisset quisquis in tam novis & mirabilibus præceptis vitæ captasset authoritatem, & fidem: quod fecerunt Mahometus in Alcorano, Rabbini Judæorum in Thalmnd, & Philosophi gentium.

Servavit perpetuam castitatem, neque uxorem duxit. Non erat fas eum habere sponsam mulierem, cui desponsata erat Ecclesia, & singulæ nostræ animæ: nec gignere corporaliter liberos, qui tot gigneret quotidie spiritualiter. Decebat quoque hominem spiritualem castitas & mundities corporis. Adde quod venerat, ut homines non terrestres faceret, sed cælestes, & à contagio liberaret carnis, ad cælestem puritatem, & munditiem traductos.

Postremo noluit discrimen aliquod inter sobolem naturalem & adoptatam relinquere, omnes voluit spiritualiter creare: ut omnes sciant ad gratiam se, atque adoptionem hæreditatis filii DEI pertinere, non ad naturam. Quid ergo, dicat aliquis, exemplumne præbet omnibus, ut cælibes vivant & casti? Præbet certè quantum quisque potest consequi: sed quemadmodum ipse idem de castitate dixit: *Non omnes capiunt verbum hoc, nisi quibus est datum à Patre concessum.*

Mahometus vero, qualis fuerit, jam *superiori cap.* descripsimus. Vir prima ætate Idololatra, & pauper, latrocinia exercens, tum nactus opulentas nuptias, militavit sub Heraclio Imperatore inter populares suos Arabes. In ea militia occasionem Principatus ac potentiæ invenit: nam cum Arabes infensi Heraclio, discessionem ab eo fecissent, hic se ordinibus rebellium militum admiscuit, eorumque animos adversus imperatorem exacuit, & in defectione confirmavit. Tum creatus est à parte quadam militum dux Mahometus quemadmodum ii solent in omni seditione extolli, qui prava multitudinis consilia comprobant, potentesque & Principes infectantur.

Humilitatem generis & vitæ prioris sordes multi in eo novo duce aspernabantur. Ipse ut ab illo se contemptu vindicaret, quod est apud stolidam plebem facillimum atque efficacissimum, divinitatem suis actibus prætendit: non jam se ducē & Principem ferens militari favore electum, sed Propheram, & nuncium Dei omnipotentis, ut obtentu divinitatis omnes haberet dicto audientes. Hic est ille Dei Propheta, latro primum, mox seditionis miles & transfuga, dein modicam authoritatem & effrenatissimam ejus libidinem patefecimus supra: At vero ne quis scelera & flagitia, quæ palam Propheta designabat, auderet carpere, aut vituperare, authoritatem divinam omnibus interposuit, & se à DEO jussum id facere confirmavit; bella, cædes, rapinas, adulteria. Nec satis illi fuit malum & sceleratum esse, nisi etiam nequitiæ ac scelerum suorum authorem, causamque DEUM faceret, fontem omnis bonitatis & Justitiæ, osoremque vitiorum. Movet bella, agit, rapit, occidit; ait se cum potentia bellica à DEO missum: incestat, adulteratur, polluit virgines, & mari as; facit Deum lenonem suum, & ait sibi datam à Deo vim generandi quantum hominibus quadraginta. Quid potest dici obscœnius? quorsum hæc generandi tam immanis potestas, nisi ut non solum impunè ac licenter, sed cum aliquapiam religionis cognitione à muliebri simplicitate, & superstitione admitteretur ad concubitum, sinente marito, aut patre, atque etiam authoritatem numinis reverente, à quo esset illi tale munus concessum?

Sexto admirabilis Christi sapientia nota est in Alcorano maximè in locis in *princ. hujus cap.* adductis, ubi Christum appellat sapientem, & omnis magisterii peritiam edocentem. Sed clarius ex doctrina Christi id constabit, initium disciplinæ suæ sumpsit Christus Dominus à refutatione receptorum errorum, de opibus, de voluptatibus, honore, dignitatibus, gratia, potentia: quæ omnia spernere suos, ac pro nihilo existimare jussit, tanquam fluxa, vana, commentitia, brevi peritura. Caput doctrinæ suæ, pietatis, amorem esse dixit erga DEUM, & homines, in quo ostendit homini, quis esset finis & exitus bonorum omnium, & quemadmodum petendus. Amor enim DEI, quia nos DEO jungit beatissimo, beatos efficit. Amori erga DEUM amores rerum istarum officiunt, inter quæ versamur, minus enim amat singula, qui amat plura: & sensus usu, aut voluptate rerum mundi hujus citerioris delinitus, à rerum altiorum amoribus mentem quasi manu injecta retrahit. Contemnenda igitur hæc sunt, quæ videmus & contrectamus, si universum amorem nostrum in eo, quod oportet collocare cupimus. Non est charitas nostra in res plures partienda, quæ tota ipsa adeo est exigua.

Christi ergo disciplina fuit, hæc omnia ita à nobis esse possidenda & sumenda, ne in animum penetrent: non debere voluntatem ad se pellicere, quæ præsenti tantum necessitati serviunt, & subinde nos à cura æternitatis abstrahunt: cui curæ quicquid noceret, rescindi, abjicique imperavit, opes, honores, amicos, parentes, & liberos, si esset necesse, & proprium corpus: quicquid eam adjuvaret, adsciscī & amplecti, sobrietatem, patientiam, tolerantiam, animi æquitatem. Ex DEI amore

re amor proximi nascitur, tanquam filium necessario amet, qui patrem: & eædem res utrique charitati simul sunt noxiæ, atque utiles. Ex opum, & potentiæ, & claritatis cupidinibus nascuntur lites, rixæ, jurgia, pugnæ, cædes, odia; ex illarum neglectione quies, & pax, & amicitia. Vicissim quoque magnum est argumentum charitatis DEI, charitas hominum. Et quoniam quidem ad cælestem illum amorem ficti ac instructi sumus, vetat nos hic Christus odiis, & simultatibus assuescere; vult amore jungi, ut immortalem illam vitam jam nunc incipiamus meditari. Nec solum redamandum esse amicum, sed non habendum inimicum odio: quod præceptum arduum nimis, & factu asperum inveteratæ nostræ consuetudini, unumque ex difficillimis Christianæ pietatis, fractæ quidem & corruptæ naturæ sententiis atque opinionibus videtur. Nam sensui naturæ integræ, quam Dominus restituit, nihil est probabilius, nec æquius, nec facilius factu. Hæc & alia Christus divina prædictus sapientia docuit, & fecit, sicut Mahometus tam in doctrina, quam vitæ probitate dissimili ac omnino contraria via processit, ut latissimè ex his, quæ diximus *supra* patet.

Septimo de potentia Christi, hoc est, virtute operandi miracula, clarissima sunt Alcorani testimonia; ut jam vidimus *supra*, imo & Christi miracula tanta, & tam manifesta fuerunt orbi, ut nulla unquam gens fuerit vel tam impudens, vel tam Christo inimica & infensa, ut ea sit negare ausa. Itaque Gentiles, Judæi, Agareni omnes grandia & mirabilia esse à Christo edita opera confitentur, sed alii alias in causas referunt. Agareni DEUM authorem illum fatentur, Judæi, & Gentiles Dæmonem. Sed res ipsa clamat apertissimè DEO authore, atque approbatore illa omnia esse facta. In cæcitate & surditate natis, videndi & audiendi usum non quem amiserant reddidit, sed largitus est omnino novum. Deambulavit super tumentes undas, ut nos super solidam terram: imperavit ventis, mari, tempestati, & paruerunt dicto. Expulit Dæmones ex humanis corporibus, abstulit lepram, roboravit membra, & compages humani corporis dissolutas, sanavit omne genus morborum. Reddidit lucem & vitam mortuis. Multis modis miraculum superat potentiam naturæ: in ipsa actione, ut solem sisti, vel retro agi ab occidente in orientem. Lapidem, vel hominis corpus tolli in cælum, gravia in aqua non demergi: tum in subjecto actionis, ut cæco reddi lumen, mortuo vitam. Lumen enim & vitam natura potest tribuere, sed non his. In ordine quoque ac ratione, qua fit, ut repentè sanari ægrum, sereno cælo dari pluviam, subito sterni ventum & mare turbatum: hinc in agente, ut hominem inspicere hominum cogitatus: vel in instrumento, ut luto sanari cæcitatem.

Omnis generis acta sunt à Christo prodigia, & si cui unum illorum, ut sunt hominum mentes diversissimæ, vel suspectum esset, vel non plenè satisfaceret, addita sunt tam multa, & varia, ut jam omnis dubitandi occasio sit sublata. Et egit variis modis: Alias solo jussu, ut se ostenderet Regem naturæ: alias invocatione Patris, ut indicaret à quo haberet omnia, tum calumniæ occurreret eorum, qui in Beelzebub Principe Dæmoniorum Dæmonia illum ajebant expellere. Interdum re aliqua adhibita, ut luto, vel sputo: ut ostenderet quemadmodum DEUS quandoque operetur solo verbo & nutu; alias tactu vestis ejus: quandoque instrumentis, quibus vult, etiam parum aptis, ut luto ad curandam cæcitatem. Sed illi naturæ Domino nullum est ineptum instrumentum, qui nec instrumentis indiget. Nonnunquam manu imposita: interdum absens solo jussu. Nec unquam occasionem ipse edendi miraculi captavit: semper usus est oblata: non ad usum artis suæ cepit tempus, aut locum quod præstigiatores, sed subito semper & pro re nata. Nec utilitatem aut commoda sua umquam spectavit, sed aliorum: ut appareat non illum gloriæ suæ servire in miraculo, sed adduci ad hoc approbatione fiduciæ eorum, qui peterent, ut homines fidem habere sibi & DEO assuefaceret. Nec ullum unquam egit miraculum corporale, quod non magnas significationes haberet spirituales: quod sigillatim referre hic esset longum & supervacaneum, præsertim cum hisce rebus nostrorum libri sint referti.

Mahometum vero nullum fecisse miraculum, ipse de se ipso clarè testatur, ut *supra* demonstravimus: discipuli tamen ejus, quatuor eum præcipuè fecisse miracula nugantur. Unum de Angelo descendente de cælo, & cum ipso familiariter loquente. Secundum, de luna, quæ de cælo descendit ad ipsum, & locuta est cum eo. Tertium, de arbore fici, quæ ab eo vocata humiliter se inclinavit erga ipsum. Quartum de bove & agno, qui humana voce loquuti sunt ei: verum ista nugæ & fabulæ, meraque sunt figmenta & mendacia.

Octavo, Mahometus Christum sæpe appellat Prophetam, & Apostolum Dei, magistrum & Doctorem excellentem; Mahometus vero neque Apostolus est, neque Propheta, ut latissimè *supra* demonstravimus, neque Magister, cum ipse sæpe se ignarum fateatur: affirmans solum Deum scire Alcorani expositionem. Denique Christus secundum Evangelicam veritatem mortuus est, resurrexit, ascendit in cælum, & venturus est iterum, ut faciat judicium mundi in fine sæculorum. Certa res est, nihilque ambiguitatis apud omnes nationes habens. Alcoranus autem contendit Christum non esse mortuum, sed quod assumpsit eum DEUS: quare tam secundum Evangelium, quam secundum Alcoranum, in omnem eventum Christus vivit, Mahometus autem mortuus est: excellit igitur in hoc, sicut & in aliis, Christus Mahometum; ut nunc omittam alias innumeras Christi excellentias, contentus his, quarum est testis, & judex Mahometus.

Conferamus igitur jam Christum cum Mahometo, non ex nostra prædicatione, sed ex Alcorano & secta vestra. Christus Verbum DEI, Mahometus homo merus. Christus Messias promissus Patribus, nuntiatus ab Angelo virgini excellentissimæ; Mahometus obscurus & ignobilis: Christus semper Sanctus, Mahometus profanus, & erro, & latro, Idolorumque cultor. Christus Doctor sapientissimus, Mahometus omnis eruditionis prorsus expers, nec suum ipsius Alcoranum intelligens. Christus de se, & de suis certus; Mahometus incertus, ut ipse in Alcorano confitetur. Christus vivens, vel, ut vos dicitis, raptus in cælum à Deo: vel, ut nos, reductus in vitam: Mahometus mortuus & computrefactus. Denique nec Mahometus negat, se esse multo inferiorem JESU Christo. Cum igitur Alcoranus de Christo multa & magnifica, ut vidimus, fateatur, de Mahometo vero è contrario pauca, & ea quidem vilia; mirum est, quare Saraceni non sequuntur potius Christum, quàm Mahometum, Evangelium, quam Alcoranum; cum valde credibile sit à nobiliori, & excellentiori legislatore, legem emanasse meliorem.

CAPVT II.

De excellentia legis Chriſti, nempe Evangelii, tam in ſe, quam Alcorano comparata.

SI quis Evangelii virtutes, doctrinam, ſtylum, propius attentiuſque contempletur, clarè intelliget, non hominis eſſe opus, ſed Dei, nec potuiſſe ab humanis ingeniis, ſine proprio & particulari Spiritus divini afflatu componi: quæ, ut legenti fiant apertiora, oſtendenda erunt, ex illis quatuor capitibus, ex quibus ſupra clarè deduximus legem Mahometi vanam, mendacem, iniquam, turpem, inordinatam, neque à DEO emanaſſe, neque ad DEUM homines dirigere, nempe ab authore ſive conditore legis, à materia, quam continet, à forma, qua ſcripta, à fine quem hominibus præſcribit. Ex his igitur cauſarum generibus breviter Evangelii excellentia ſupra Alcoranum luce clarius apparebit.

Evangelii excellentia ſupra Alcoranum, ex eo quod lex ſit à Deo lata & tradita, & homines ad æternam felicitatem perducat.

§. 1.

Mahometus Chriſtũ deprædicat.

INprimis Mahometus ipſe in Alcorano Chriſtum Dominum ſupra omnes Prophetas, qui unquam fuêre, aut futuri expectantur, commendavit, Evangeliique doctrinam, ſupra omnes divinas Scripturas, magnificavit, ut inter alia loca manifeſtè teſtatur in Alcorano in *c. Elmeidæ*, Terminavimus (inquit) viam hominum per JESUM Chriſtum Filium MARIÆ veraciſſimum Prophetam, & dedimus ei Evangelium, in quo eſt deductio, & lux, & veritas manifeſta, & in *eodem cap.* inquit quaſi ex perſona DEI, O Chriſte conſidera, quem dedi tibi Spiritum ſanctum, ut loquaris: item in incunabilis bis docui te librum, & ſapientiam, & legem Moyſi & Evangelium. Ecce quam apertè fatetur ipſe Mahometus Evangelii authorem eſſe DEUM, illudque Chriſto inſpiraſſe: ipſius vero Alcorani authorem ſolum novimus Mahometum hominem ignarum, impium, turpem, mendacem, innumeriſque aliis ſceleribus famoſum.

Præterea ſicut Mahometus in hoc ſæculo carneus fuit, & turpiſſimus, ita & in futuro carni ſtudendum putavit: nam & eam beatitudinem poſuit, quæ magis porco quam homini convenit. Paradiſi (inquit) ſolum aureum, ſmaragdis & hyacinthis creberrimis interpoſitis eſt diſtinctum, omni fructifera conſitum arbore, decurrentibus per amœna fluentis: quorum alia quidem lac, alia mel album, alia vinum puriſſimum fundunt. Dies (inquit) unus erit mille annorum, Annus quadraginta millium annorum, quæ proportio inter diem & annum tam docta? & ex aſtronomorum regulis deſumpta, ut non amplius quam quadragies major ſit annus die? Sed quæ poteſt in cælis eſſe nox, ubi ſemper ſplendeat Sol, nec ſe unquam illinc aufert vel recondit? Dies autem, ſi Solis eſt præſentia, ſemper eſt in cælo dies: ſin converſio cæli naturalis, horis quatuor & viginti conficitur. Addit: veſtientur illic omni colore, præterquam nigro. Primum ferculum in menſa erit jecur piſcis Albisbuſi, credo quod palato Mahometi erat gratiſſimus; ſed non eſt omnibus idem palatum, nec idem ſapor: & quaſi homo, qui totus erat corpus ſine mente, nihil reliquit menti, quæ eſt hominis pars præcipua.

Evangelium vero Chriſti non in corporis bonis & commodis ſitam ait eſſe beatitudinem, ſed in eo, quod in homine eſt potiſſimum ac excellentiſſimum, nempe in animo, nec in vitæ hujus curriculo laborioſo atque ærumnoſo, ſed in bonis ſempiternis. Beatitudo igitur noſtra quam expectamus in altera vita, eſt ipſa DEI viſio, qua nihil optabilius inveniri poteſt. Videbit enim beatus animus, & quæ ſunt in cælo, & quæ ſub cælo. Quid erit quod ejus aſpectum fugiat? nullum deerit oblectamentum, nihil requiret ultra plenus animus. Nam quid pleno opus eſt? nihil illi deeſt, qui nihil cupit. Deſideria noſtra implebit optimus, ac maximus DEUS, in quo omnia ſunt bona, nec ullum cupiditatibus noſtris relinquet locum, erit DEUS omnia in omnibus, qui ſine fine videbitur, ſine fine amabitur, ſine defatigatione laudabitur. Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficit illius Civitatis ſupernæ, quanta ſint gaudia, Angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ Conditoris aſſiſtere, præſentem DEI vultum cernere, incircumſcriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari: neque illic beatitudo humani corporis in epulis erit, aut in vino, aut in coitu. Exredundantia beatitudinis animæ glorificabitur corpus ipſum, & ſimilitudinem ejus induet. Fulgebit tanquam Sol in conſpectu Dei, tenuitati ejus nulla reſiſtet materia; leve & agile infinita ſpatia in ictu oculi permeabit, nihil erit quo amplius lædi poſſit: inviolabile erit & impaſſibile, more animæ, & ita totus homo exultabit, & dicet cum Propheta: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Dominum DEUM vivum.*

Ex parte rerum, quas Evangelium continet in multis præexcellit Alcoranum. §. 2.

In Evangelio cõtinetur veritas.

IN Evangelio veritatem manifeſtam contineri docuit ſæpiſſimè Alcoranus. Eſt enim lex à Deo ipſo lata, ut etiam Alcoranus fatetur, ac ex conſequenti ex omni parte pura, recta, ſancta, ab omni immunditia penitus abhorrens, ab omni errore prorſus aliena, rectæ conſona rationi, tota undique perfecta, & quæ docet homines omnem vitæ perfectionem, & ſanctitatem, ſicut DEUS ipſe, à quo promanat, totus eſt ſecundum ſe perfectus, purus, & ſanctus. Quare nihil poteſt habere ſtultum, mendoſum, fallum, aut imperitum, ac multo minus turpe aliquid, aut præcipere, aut approbare, qualia omnia in Alcorano probavimus reperiri.

Præterea Evangelium omnia habet, quæcunque par eſt habere divinum librum, hoc eſt humanæ ſalutis. Primum omnium non de humanis artibus, atque opificiis, non de ſpeculatione cauſarum, non de circumſpectione & prudentia, vel publica vel privata præcepta continet, ſed de immortalitate, ac bonis æternis. Idcirco *Evangelium* nuncupatur, hoc eſt, bona & læta annuntiatio. Diſciplinæ aliæ, ſapientiæ, artes quæcunque, ac prudentiæ hujus mundi nuntiant venire ad Imperiũ, ad regnum, ad opes, at potentiam ævi hujus fragilis, ac breviſſimi, ad opiparas epulas, ad ludos, ad voluptates, ad decus, ad laudem, ad rigidam atque inanem virtutis umbram, ad terram fluentem lacte & melle, ad puellas formoſiſſimas, & quotidianas compotationes. Evangelium autem Chriſti venire celeres atque expeditos ad amandum

dum DEUM, ut cum illo in æternitate jungamur, unde existet beatitudo Inæstimabilis. Hinc ut Deus homines omnes, absque ulla exceptione, aptos idoneosque condidit suæ fœlicitati, ita & legem, quam ipse tradidit, hoc est, fœlicitatis hujus viam certissimam, communem esse omnibus voluit. Nulla ab ea ætas excluditur, aut repellitur, nullus sexus, natio, conditio, eaque de causa *Catholica* est fides nuncupata.

Deinde admiratione non caret, in toto Evangelio, & quidem ab imperitis humanæ sapientiæ conscripto, non inveniri ea, quæ in monimentis maximorum ingeniorum, magnaque eruditione, & cognitione rerum atque usu excellentissimorum celebra sunt, ut aliquid sit varium & pugnans, ut aliquid ineptum, puerile, frigidum, absurdum, ridiculum, & ubi scriptori danda sit venia, quod dormitarit. Nihil in eis tale: Ut appareat rectorem moderatoremque illarum mentium, & manuum fuisse DEUM, illisque id beneficium esse collatum, quod nulli humanorum ingeniorum, naturæ quidem relicto inditu reperies. Nullum est verbum, quod ad summam instituti non pertineat, hoc est, ad rationem pietatis, & cum in his, quæ mediocria possent existimari, sic eluceat divini consilii effectus, minus erit profecto mirandum, nihil in eis esse obscœnum, & turpe, ut in Alcorano Mahometi, & apud gentium vates: nihil anile, delirum, blasphemum, & in Thalmud Judæorum, & apud plerosque Philosophos.

In expositione autem eorum, quæ Christus, vel egerit, vel dixerit, eadem admirabilitas majestatis, quæ in cæteris, seu potius amplior & sublimior. Nihil deinceps Evangelistæ scripserunt, quod nostra non referret cognosci, nihil omiserunt, quod referret. Nam quicquid è re nostra est nos scire Evangelis est explicatum: curiosa, hoc est, quæ ad salutem nostram non faciunt, prætermissa sunt. Et hæc omnia non tractant, tanquam encomium, sed narrationis modo, purè, simpliciter, nudè: ex quo promptissimum sit judicare, illum & virum fuisse optimum, DEUM ipsum summum ac præpotentem. Quibus de causis & rationibus, hoc possum affirmare, non minus audacter quàm verè: si cuncta humana sapientia conspiraret, ut hominem aliquem DEUM esse vellet ostendere, & ejus opera, & dicta divina fingeret, de illo homine quicquid animo esset collibitum, & in id quod finxisset adhiberet rationis cultum, disserendi vim & acumen rationum, non posset tamen Evangelium unum, quale est nostrum componere, hoc est, conscribere, quo id possit evinci ac persuaderi, quemadmodum Evangelistæ nostri fecerunt, solo historiæ contextu, detractis quibuscunque humanæ sapientiæ viribus atque ornamentis. Hoc verò, ut profanis atque imperitis forsasse videatur incredibile, aut non satis probabile, quisquis tamen altius in Evangelii sensum penetrarit, facile mihi assentietur.

De Evangelii forma & stylo.

§. 3.

Evangeliorum stylus.

CUm Evangelium sine discrimine omnibus esset tradendum, par erat, ut ab omnibus capi, tenerique posset, ad rectam observantiam & cultum. Quare non est traditum Evangelium obscurum, & difficile ad intelligendum, tanquam pauciissimis profuturum, sed facile, dilucidum, apertum, expositum omnibus. Ut nemo esset, quin petere illinc posset, & tanquam de fonte haurire, quæ saluti suæ expedirent, Philosophi atque Oratores locuti sunt excultiùs, ornatiùs, accuratiùs, subtiliùs in omni genere artium: videlicet non scribebant omnibus, at ex ingenio, vel facundia decus, & gloriam captabant. Ergo illa ipsa tam elaborata pauci adeunt, pauciores intelligunt. Nihil est scilicet periculi, si illa tenebris obtuta sub ignorantia delitescant. At quod scire omnibus expedit, & est necesse, quod extremæ calamitatis est nescire, utique congruum est, quod ab omnibus quantum sat est intelligatur.

Quare proposita est DEI disciplina, ea facilitate, quæ apta esset omnium ingeniis, quam omnes facilè caperent, simplici videlicet narratione, exemplisque, & similitudinibus sumptibus de rebus notissimis. At in hac ipsa facilitate & simplicitate, tam utili, tam congruenti quibuslibet, quanta occultatur altitudo mysteriorum, quæ diutissimè exercere possint magna atque sublimia ingenia, nec non bona ac religioni dedita pascere! Nullum est in Evangelio verbum, quo non tegatur grande aliquod, & admirabile arcanum. Magna est in Evangelistis, narrationis constantia, tenorque perpetuus, facilitas autem inaffectata, & ubique similis sui. Gravitas vero & severitas divinis rebus congruens, nihil in illis prorsum jocosum, aut ridiculum, non delapsi sunt ad ullam sui ostentationem, non ad citandos eruditos nationum, non ad aliquid inferendum ex sapientia mundi, quæ tum maximè erat in pretio, non ad descriptiones regionum, aut locorum, non ad inanes ullas atque otiosas digressiones, aut quæ amœnitate sua detinere possent lectorem, nihil in illis vacans, aut alioquin pertinens; in Alcorano verò, ut vidimus, ostendimusque *supra*, mira est inconstantia, inscitia, & obscuritas. Vides autem quantum inter Evangelium & Alcoranum interfit? Hic obscurus, difficilis, intricatus, nemo intelliget, nisi Arabs: nostrum vero planum, facilè; nihil fieri potest in quacunque lingua dilucidius, ut ea Philosophia aperta esset omnibus, quæ saluti omnium evulgabatur. Quid quod & ipse Mahometus, ait se non totum Alcoranum intelligere, nec alium præterquam DEUM intellecturum? quis ergo est futurus usus ejus, quod homines non intelligunt? Rogo, cum vir sapiens loquitur hominibus rudioribus, & præcipit, ut aliquid agant, accommodatne ad suam excellentem intelligentiam ea, quæ dicit, an potius ad captum eorum, quibus loquitur?

CAPVT III.

Conclusio supradictæ excellentiæ legis Christi, ubi breviter duodecim prærogativæ Evangelii, supra Alcoranum recensentur.

Excellentia legis Evãgelicæ.

EX prædictis cum Cardinali Turrecrem, colligere possumus duodecim excellentias, sive prærogativas dignitatis, quibus lex Christianorum à secta Mahometi distinguitur, propter quæ Saraceni, & quicunque alii Infideles, si veræ beatitudinis cupiunt participes fieri, omnia alia secta relicta ad fidem Christi, ad Religionem Christianam, extra quam non est salus, deberent quàm velocissimè concurrere. Habet in primis fides, lexque Christianorũ originem summæ nobilitatis, quoniam non ab hominibus, nec casu, aut fortuna allata est, sed ab ore Dei processit. Lex verò, sive secta Mahometi, non habet originem cæleſtem, sed terrenam,

renam, non divinam sed diabolicam: ut *supra* manifestè ostendimus.

Secundò, Lex Evangelica, sive Christianorum habet Magistrum & Doctorem summæ sanctitatis, & gratiæ præ filiis hominum: non autem talis fuit Magister, & Doctor Saracenorum sectæ, videlicet Mahometus, qui non modo non sanctus, sed sceleratissimus idololatra, homicida, raptor, lubricus maximè, ut *supra* ostendimus.

Tertiò, excellit lex Christianorum in hoc, quod habet signa confirmantia divinæ potestatis, quæ scilicet sola divinitatis potestate fieri poterant, sicut est resuscitatio mortuorum, sanatio leprosorum, cæcorum illuminatio, & hujusmodi, quæ innumerabilia per Christum, & Discipulos suos in nomine ejus facta sunt, & fiunt per orbem
Luc. 6. universum; unde de Christo dicitur Luc. 6. *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Quoniam omne ge-
Matt. 11. nus miraculorum fiebat per eum Matth 11. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, & pauperes evangelizantur.* De signis vero, quæ in nomine, & fide ejus
Marc. ult. per alios fiunt, dicitur Marc. ult. *Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur; In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Cæterum non solum Sancti mortui hujus Christianæ fidei veritatem miraculorum operatione confirmarunt, verum etiam vivi eadem signorum virtute, veritatem illius per orbem quotidie testantur. Secta verò Mahometi nullis talibus signis, nullis hujusmodi miraculis, per Mahometum, nec per suos confirmata est, nec ostensa à DEO esse; unde ipse profitetur, signa sibi non esse data, sed in armorum potentia venisse, sicut *supra* ostendimus.

Quarto, lex Christianorum in hoc præcellit, quod habet testes gravissimæ authoritatis. Habet enim Prophetas Sanctos veteris testamenti, unde
Joan. 5. Christus ait Joan. 5. *Scrutamini scripturas, ipsæ testimonium perhibent de me.* Cæterum testes maximæ authoritatis, nulla exceptione majores habet fides Christiana ex novo Testamento. Habet imprimis Joannem Baptistam, quo teste Christo, *inter natos mulierum, major non surrexit.* Cujus etiam sanctitatem commendat Mahometus plurimum in *Alcorano supra*: Joannes iste testimo-
Joan. 1. nium perhibet de Christo, & ait Joannis primo: *Hic est, quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, qui prior me,* scilicet dignitate, *est, & de plenitudine ejus nos omnes accepimus* gratiam pro gratia: & infra: *Cujus non sum dignus corrigam calceamenti solvere*: & infra: *Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi.*

Præterea Christiana fides habet testimonium suæ veritatis, omnes Apostolos, qui Spiritu sancto suggerente, ipsius symbolum fidei ediderunt, quibus Dominus ait, *Et eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.*

Quintò, Christiana lex in hoc excellit, quod habet documenta irrefragibilis veritatis. Psalm.
Ps. 118. 118. inquit Propheta, *Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.* Singulare testimonium, & indubitatæ veritatis præbet Mahometus de lege Christi in *Cap. de Jona*, ita dicens suis Saracenis: si in aliquo dubio de Alcorano essent, quod petant ab illis, qui ante eos acceperunt libros, scilicet à Christianis, & Judæis. Secta vero Mahometi non est sinceræ firmæque veritatis, sed est multis erroribus, multis sceleribus, aut blasphemiis plena, ut *supra* ostendimus.

Sextò, lex Christianorum excellit, quoniam habet mandata & præcepta totius honestatis, splendoribus virtutum plena; sobrietatem enim, & justitiam docet, prudentiamque, & justitiam, *quibus nihil est utilius in vita hominibus*, Sap. 7. maxi-
Sap. 7. mè cùm inducat homines ad dilectionem DEI, & proximi, in quibus duobus lex pendet, & Prophetæ. Secta vero Mahometi turpia præcipit, turpissima concedit, plena est fœtoribus, & immunditiis, ut *supra* satis plenè ostensum reliquimus.

Septimò, lex Christianorum præcellit, quia habet consilia perfectissimæ sublimitatis; imperat enim inimicis charitatem, benignitatem in odiis; persequentibus patientiam, esurientibus victus administrationem præcipit, & gratiam remunerationis promittit. Matth. 5. *Diligite inimicos ve-*
Matth. 5. *stros, benefacite iis, qui vos oderunt, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.*

Habet etiam Consilia Evangelicæ perfectionis, de quibus dicitur Matth. 19. *Si vis perfectus*
Matt. 19. *esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Secta verò Mahometi non habet talia perfectionis consilia, sed iniqua, & impia, quæ latrones, & Tyranni habent; puta, homicidiorum, violentiæ, rapinæ, vindictæ. Unde Mahometus neminem pœnitere dicit, nisi de injuria illata vindictam ceperit. Jubet carceribus tradi, & occidi omnem non recipientem legem suam, & hujusmodi.

Octavò, excellit lex Christianorum, quia omnem enormitatem longè arcet, nullum enim malum permittit, tanquam perfectissima, sed omnia excludit, & punienda prædicit, propter quod legislator Christus *Matth.* 12. inquit, *Duo au-*
Matt. 12. *tem vobis, quod de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines super terram, reddent rationem in die judicij.* Secta verò Mahometi non est hujusmodi, ut *supra* ostendimus: multa iniqua, & impia permittit, & concedit: licet autem Mahometus quandoque prohibeat aliqua peccata, ut rapinam, vel perjurium, vel fornicationem, vel quædam alia mala, tamen ipsa prohibitio est quædam permissio; dicit enim, Ne faciatis talia, quia DEO non placent, sed si feceritis, ipse est misericors & miserator, & indulgebit vobis de facili. Talis enim facilis indulgentiæ largitio æquipollet permissioni delictorum, *quia*, teste Gregorio, *facilitas veniæ incentivum præbet deliquendi.*

Nonò, Lex Christianorum præcellit, quoniam habet Sacramenta miræ virtutis & efficaciæ, in remedium & medicinam defectus, & vulnerum peccatorum. Habet inter alia Baptismi Sacramentum, in quo lavatur, & purgatur anima à sordibus originalis peccati, & actualis, si in-esse simul contingat. Habet etiam Sacramentum confirmationis, in quo datur Spiritus sanctus, ad gratiæ augmentum, & ad robur Spirituale animæ, contra insultus, & bella hostium spiritualium. Habet insuper Sacramentum Eucharistiæ omnium Sacramentorum excellentissimum, in quo sub utraque specie Christus veraciter contentus, vitam gratiæ præstat se dignè sumentibus. Item habet Sacramentum pœnitentiæ, quæ est secunda tabula post naufragium, & est medicamentum vulnerum, & spes salutis, per pœnitentiam enim peccatores salvantur, per eam DEUS ad misericordiam provocatur, & sic de aliis Sacramentis. Secta vero Mahometi (in hoc omni alia secta perniciosior) nulla habet Sacramenta, licet, ad designandum

callidi-

calliditate Diabolica, quod ipse Mahometus utriusque testamenti conservator esset, & sic tanquam Propheta, vel Apostolus, sive DEI nuncius haberetur, servari primum præcipit Sacramentum veteris legis, scilicet circumcisionem; & primum novi, scilicet Baptismum: Omnes enim sub prædicta maledicta secta aberrantes, masculi circumciduntur, & tam viri, quam feminæ aqua lavantur.

In utroque tamen manifestè errant, nec Sacramenta aliqua tenent, sed tantum umbratilem quandam similitudinem. Nam circumcisio, quæ in octava die fieri præcipitur, *Lev.* 12. in ætate adulta, juvenili & ultra per ipsos fit, & sic prædicta Circumcisio, non est veteris testamenti, sive Mosaica, sed magis Ismaelitica. In Baptismo similiter errant, tum, quia non utuntur eo in forma, qua Matt. ult. Christus instituit dicens Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Tum, quia non videntur Saraceni tali ablutione uti, nisi pro abstergendis corporalibus immunditiis; nam de spiritualibus sordibus nihil curare videntur. Unde, dicente, Conservate utramque legem, potius utriusque se manifestant corruptores. Ea etiam animi excitare sunt perfusi, ut credant hujusmodi lotiones tibiarum, & pedum, &c. sibi proficere ad salutem. Interiora autem sunt lavanda, scilicet malitia cordis, incredulitas animi, & sordes peccatorum.

Decimo, Fides sive Religio Christiana excellit, quoniam non armorum violentia, aut potentia tyrannica, non quæstus aut commodi gratia, non terrenæ gloriæ, aut carnalis voluptatis promissionibus introducta est; sed patientia, sed miraculis; pauperibus etiam prædicantibus, & ad contemptum mundi, & deliciarum fugam inducentibus. Unde 1. Corinth. 1. Apostolus: *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit DEUS, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEUS, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Secta verò Mahometi, ut *supra* dictum est, per violentiam, per potentiam armorum, oppressionibus, depopulationibus, rapinis atque homicidiis, introducta, & plantata & extenta est. Si quis verò ex parte Mahometi velit opponere, quod Moyses cultores Idolorum expugnaverit, reducat ad memoriam prodigia & miracula, quæ ille fecit in lege, & videbit, quod ex præcepto Domini hoc fecerit: similiter de Josue filio Num, ad cujus verbum Sol & Luna steterunt. Quæ miracula cum non possint fieri, nisi à DEO, manifestum est, quod quicquid illi fecerunt, jussu DEI factum sit. Mahometus verò nullum miraculum ostendit, quod sit in testimonium ut ei credatur, cum officii sui non fuerit, nisi occidere homines, & latrocinari, & diripere aliena, & captivare, in perpetuamque servitutem redigere patentes cum liberis. Præterea illi sancti viri tunc expugnabant cultores Idolorum. Mahometus persecutus est, & sui persequuntur populum Dei, qui unum verum DEUM creatorem cæli & terræ adorat, colit, & laudat.

Undecimò excellit fides Christiana, quoniam habet existentiam incorruptibilis firmitatis, unde Psal. 118. *Psalm.* 118. dicitur: *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Secta verò Mahometi non habet durationis firmitatem, nisi quantum duratura est apud eos armorum potentia, & facultas temporalis, ut ipsemet attestatur Mahometus.

Duodecimò, longè Religio Christiana antecellit, quoniam habet promissa ineffabilis felicitatis, quæ est visio facie tenus omnipotentis Dei, divinitatis perfectæ fruitionis suavitas: promittit siquidem servitoribus suis felicitatem ipsam, quam Angeli habent in cælo, quæ profecto ineffabilis est. Quæ enim lingua dicere, aut intellectus capere sufficit supernæ felicitatis quanta sint gaudia? Interesse Choris Angelorum, cum beatis Spiritibus semper persistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari, Secta verò Mahometi non promittit observantibus legem suam beatitudinem, nisi carnalem, & voluptuosam in potibus vini, mellis & lactis, & in luxibus, & in mollibus lectisterniis, sicut *supra* notavimus, quæ etiam communia sunt brutis animalibus.

Quas quidem Christianæ fidei excellentias, super omnem aliam sectam utinam Saraceni, aliique infideles sanis oculis attentè considerarent. Nam si id facerent, credimus, quòd, si eis salvationis verus appetitus inesset, illustrante illo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ad Christianam Religionem magna cum devotione festinarent.

CAPVT IV.

Causæ aliquæ tantæ durationis legis Mahometi.

NUlla unquam secta, nullaque gens infesta & inimica populo Dei, tam diu infestavit, & afflixit eum, quam gens Mahometana Christianum populum. Hebræa gens dura cervice gravata & oppressa est ab Ægyptiis, sed annis minus ducentis. Tempore Judicum Hebræus populus vexatus est à Mesopotamis, annis octo: à Moabitis annis decem & octo: à Chananæis viginti annis: à Madianitis septem annis: ab Ammonitis, per annos decem & octo: à Philistæis, annis quadraginta: tempore Regum aliquot annis post discissionem Hebraici Regni, in Regnum Israel & regnum Juda, Assyrii & Chaldæi sive Babylonii cæperunt infestare & vexare Hebræos: eaque vexatio ab initio usque ad finem, id est, usque ad reditum Judæorum à captivitate Babylonica, duravit annis minùs trecentis. Denique Rex Antiochus Epiphanes, & successores ejus, Judæorum gravissimi hostes, gentem Judaicam per annos quadraginta affixerunt. Hebræorum persecutiones.

Et ut de populo Christiano loquar, Christiani per illas celebres decem persecutiones Romanorum Imperatorum, à Nerone usque ad Constantinum Magnum vehementer afflicti sunt, per annos circiter ducentos sexaginta. Persecutio item Barbarorum, à Gothis usque ad Longobardos, per annos fermè trecentos exercita est, adversus Christianos. At verò secta gensque Mahometana ab origine sua, quæ fuit circa annum Domini sexcentesimum trigesimum, usque ad præsentem Domini annum millesimum sexcentesimum quintum, quo tempore etiam plurimum valet, & viget, nongentis septuaginta quinque annis perduravit. Dignissimum igitur videtur curiosa scrutatione, attentaque consideratione, quas ob causas tantam ea secta habere potuerit diuturnitatem. Christianorum persecutiones.

Equidem plures ejus rei causas, satisque probabiles invenio, quarum tres primas à DEI providentia petitas, tractat Paulus Burgensis, ea, quam

quam de secta Mahometica fecit, disputatione, super Cap. 13. *Apocalypsis*. Prima causa est hujusmodi. Habet hæc secta quædam & probabilia, & laudabilia, Deoque grata, ob quæ videtur non sine causa tolerari à DEO. Hæc enim secta maximè odit, & detestatur Idololattriam; prorsus adeo, ut nullas vel Dei, vel Angelorum, vel Sanctorum hominum imagines, non solum colat, sed nullo etiam in loco depingi patiatur; sicut etiam in veteri testamento, DEUS omnium Imaginum Judæis venerationem & cultum interdixit. Scelus porro Idololatriæ super alia scelera, odit & execratur, & punire solet DEUS. De quo scelere in scriptura loquens DEUS, ait, *Ego DEUS fortis & zelotes*, istis verbis significans, sicut zelus viri de adulterio suæ uxoris est implacabilis, ita DEUS non parcet populo suo Idola colenti, sed gravissimis eum suppliciis punier. Scelus Idololattriæ per metaphoram vocatur fornicatio hominis à Deo, *Qui elongant se à te, peribunt* (ait David) *perdidisti omnes, qui fornicantur abs te*. Quantus vero quamque implicabilis sit zelus mariti ob adulterium uxoris, ostendit Salomon, his verbis, *Zelus & furor viri, non parcet in die vindictæ, neque acquiescet cujusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima*. Prov. 6.

Secunda causa: Ista secta Mahometana Christianos suæ dominationi subjectos ferè non cogit abnegare fidem Christi, sed eos patitur, & fidem & Religionem, & disciplinam Christianæ legis colere, & cernere licet in Christianis, qui sunt in Græcia, & in Asia, & in Syria, & in Ægypto, permittit in terris suis quattor Patriarchatus; plurimas item Ecclesias & monasteria: permittit Christianos undecunque venire ad terram sanctam, visitare sepulchrum Domini, aliaque sancta loca, quin etiam Christianorum custodiæ ea permittit, sinit habere inibi monasteria & hospitia, nec legem & Religionem Christianam damnat, secundum Mahometis videlicet sententiam, qui Christianos secundum legem suam salvari posse confessus est. Quod si alicubi, & aliquando aliqui Christianorum ad renunciandum Christo, vel minis, vel promissis quodammodo cogantur, id nec generale est, nec per se fit, sed, ut ita dicam, per accidens; quo scilicet eorum ministerio in rebus bellicis, fidelius, & tutius possint uti.

Tertia causa est eadem ipsa, propter quam passus est DEUS Philistæos, Ammonitas, Moabitas, Ismaëlitas, Madianitas, gentes nimirum Hebræis inimicas, atque infestas, vel illis vicinas, vel ipsis etiam immixtas habitare. Primò quidem ob bellicam Hebræorum eruditionem, ut ex assidua cum hostibus decertatione prudentiores & fortiores ad pugnandum in eos fierent. Deinde ut si DEI legem violarent, & ab ipsius cultu ad idololatriam defluerent, per istas gentes vicinas promptam acciperent à DEO punitionem; præterea id ipsum valebat ad Hebræorum virtutis ac pietatis explorationem, atque probationem: hac de re in *libro Judicum capite secundo & tertio* ita loquitur Deus, *Ego non delebo gentes, quas dimisit Josue, ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea. Has gentes dereliquit Dominus, ut erudiret in iis Israelem, & omnes, qui non noverant bella Chananæorum; & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Ob easdem has ipsas causas passus est DEUS & patitur Mahometanos hostes acerrimos Christianorum tam diu regnare & vigere.

Quarta causa: Hoc ipsum permisit DEUS ad puniendos flagello Turcicarum, & Mahometanorum Christianos, Græcos, & Orientales, ob multiplices ipsorum errores circa fidem; & obstingentem eorum superbiam, atque contumaciam adversus Romanos Pontifices, & Ecclesiam Romanam: & ob multiformem perfidiam, variasque proditiones, quibus usi sunt adversus Christianos exercitus Occidentales, in recuperatione terræ sanctæ.

Quinta causa: Nostris discordiis atque dissidiis, secta ista & aucta & roborata, & firmata tamdiu prævaluit. Arma enim in Turcas & Mahometanos conferenda, in nostros convertimus: gladium bellicum in hostes Christianos populi distringendum, ac vibrandum in nostra ipsa viscera imprimimus. Heu furor, heu dolor! sed meliorem quæso in posterum DEUS Christianis Principibus det mentem. Quantum valerent & possent adversus Turcas, concordes Principes Christiani satis ostendit sacrum illud belli adversus Turcas fœdus ante annos triginta quatuor inter summum Pontificem *Pium V.* & Catholicum Regem *Philippum II.* & clarissimam Venetorum Rempublicam factum.

Sexta causa: Habet hæc secta & alia complura, & tria præcipue, vulgò admodum probabilia. Primo nihil præcipit & tradidit credendum: hominibus, quod sit supra sensum, aut certè supra captum humanæ rationis: ut propterea diditi sensibus homines, vel sola rationis regula metientes quæ credenda sunt, ab ea lege recipienda propter difficultatem intelligendi eam, minimè retardentur. Deinde est ista lex, & secta valde carnalis, plurimum indulgens voluptatibus, & rerum terrenarum cupiditatibus, super omnia verò libidini, dominandi, & imperandi, quocunque modo id consequi possit; ad hæc autem proclivissimi sunt mortales, eaque flagrantissimè concupiscunt atque consectantur. Postremò ista lex & secta non per efficaciam prædicationis, nec per mirabilitatem signorum & prodigiorum persuasa est hominibus: sed invecta & intrusa est per vim bellicã & terrores bellicos, & tyrannicam violentiam; quibus rebus plurimas gentes, & provincias, vel imbelles, vel tunc inermes, ac præsidiis bellicis destitutas, invadens, facilè dominatum earum obtinuit, atque in his diu prævalere potuit.

Septima causa: Hæc secta ex aliis pluribus sectis mixtè confuseque collecta est: quia ex omni secta habet nonnulla: habet etiam unde, & cur aliarum sectarum cultoribus placere queat.

Octava causa: Hæc secta tam diu conservatur & perpetuatur ob imperii Turcici potentiam, valde stabilem & firmam ac durabilem. Est quidem Turcicum imperium planè tyrannicum; quia in eo Princeps proprium omnino bonum spectat, nullo autem modo bona curat subditorum: deinde quia subditos tractat, ut servos & mancipia, quantum ad honores & possessiones bonorum temporalium: tum quia gravissimis de causis quoslibet, etiam optimè meritos & bonis & vita spoliat. Hoc tamen tyrannicum imperium tam diu conservatur has ob causas.

Primò quidem terrore potentiæ bellicæ; habet enim amplissimum & validissimum equitatum, peditatum verò ex Asianis, & Europæis tantum, ut vel ipsa multitudine etiam mortuorum hostes obruat: sed maximum ejus robur est in pluribus fortissimorum & fidissimorum Genizzarorum legionibus. Deinde ne vel Turcæ ipsi, vel Christiani eis subjecti, nec, ut vocant, *Renegati*, qui tenent arma, & res bellicas tractant, rebellare adversus Imperatorem queant; quatuor diligenter

servat,

servat, quæ secundùm Aristotelem in politicis ad tuendam diuque conservandam tyrannidem plurimum conducunt. Tenet enim subditos prorsus subjectos, & viles, & item pauperes, & inermes, & invicem diffidentes: habet plurimos exploratores & insidiatores, quibus magna proposita sunt præmia; & sufficit quælibet suspicio, aut etiam umbra dubitationis de quocunque, quin etiam vel minima calumnia valet ad perdendum hominem. Super omnia curat, ne imperio suo subditi, præcipuè verò quorum in bellicis functionibus utitur opera, & ministerio, ab ullius externæ gentis, vel Principis patrocinio vel gratia ullo modo pendeant.

CAPVT V.

Causæ, cur tanta hominum multitudo sectam Mahometicam amplectantur.

CUm autem fides Christiana, ut jam *supra* ostendimus, tot excellentiis & nobilitatis prærogativis super omnes leges & sectas alias ordinata sit, atque virtutum floribus tota plena, universis mirum in modum emineat; sectaque Mahometi, sive Saracenorum erroribus, & spurcitiis perfusa sit, mirum fortasse aliquibus videbitur, & quæstione dignum, Cur ad prædictam Mahometi sectam, tanta hominum multitudo, & populorum diversitas confluxerit, maximè cùm ratio naturalis hominis, ut ait Philosophus *primo Ethic.* semper ad optima inclinetur. Huic dubitationi primo respondet Richardus, in *Confutatione legis Mahometicæ cap.* 10. his verbis:

Notandum autem, quatuor esse partes eorum, qui tenent errorem Mahometi. Prima eorum, qui ingressi sunt Saracenismum per ensem: qui etiam nunc suum errorem cognescentes resipiscerent utique, nisi eum propter ensem timerent. Alia pars eorum est, qui decepti sunt à Diabolo credentes vera esse mandata. Tertia pars est eorum, qui nolunt discedere ab errore majorum suarum: sed dicunt detinere ea, quæ eorum Patres detinebant, Mahometi sectam, tanquam minus malam, sine dubio elegerunt. Quarta pars eorum, qui propter remissionem vitæ, & mulierum multitudinem, & alia remissibilia potius in hu immunditiam, quàm æternitatem futuri seculi amaverunt, & cum his concordes sunt, qui apud eos Sapientiores appellantur.

Et qui literarum peritiam habent, non credunt legem illorum esse veram, vel bonam simpliciter: sed vehementia voluptatum excæcat judicium rationis prout dicit Sapiens. Sicut & multi literarum expertes non servant Evangelij legem, etsi credant bonam & veram esse, potius imitantur viam Alcorani, quamvis credant in veritate illum errasse.

Et hujus rei signum in utrisque est, transmutantur enim quidam Saraceni in Christianos, & Christiani quidam fiunt Saraceni. Christianus quidem nunquam in morte fieret Saracenus, sed in vita: Saracenus autem potius in morte fit Christianus, quam in vita: Utrque igitur horum potius eligit Christianus mori, quam Saracenus, nisi aliquo modo prædicta vi abstrahatur. Hæc Richardus.

Quare cum in hac secta, alii teneantur errore quodam tradito per manus à majoribus, & ignorantia meliorum, alii metu, alii cupiditate opum, alii illecta mentis voluptatum. (Sunt enim omnia, quæ ille præcepit ejusmodi, ut homines nec pœnis legum possint ab eis averti, ac coërceri,) ut mirandum non sit crassos illos ac rudes ad id quod suadet libido se adjunxisse. Et quemadmodum Imperium armis atque vi retinetur, ita etiam secta. Quod prævidens Mahometus legislator, dixisse fertur, tam diu legem suam duraturam, quam diu victoria suorum. Scilicet conscius erat sibi, non in recti persuasione illam esse sitam, sed in violentia. Idcirco qualem ferret legem perpendens, quatuor illam vallis sepivit, ne aditus pateret ad illam subvertendam. Primò, quod jubet eos interfici, qui Alcorano contradicerent. Deinde, quòd vetat cum hominibus diversæ sectæ disputatione congredi. Tertiò, ne credant cuiquam nisi Agareno. Quartò, ut segregent se prorsum ab aliis, & dicant: Mihi lex mea tibi tua: vos ab eo quod ipse operor estis liberi, ego autem ab eo quod vos operamini. Quibus muniments tuta erit cujuslibet scurræ, aut lenonis, aut Tyranni institutio.

Cardinalis vero Turrecremata latius propositæ satisfacit difficultati. Ad hanc, inquit, quæstionem faciliter respondetur, si considerentur astutiæ, & viæ, quibus usus est Mahometus, ad introducendam sectam suam, & quibus posset errorem suum tegere, & Christianæ fidei veritatem in opinione stultorum, & insipientium hominum depravare: de quibus, quia plura superius percurrimus, pauca subjungemus. Fuerunt autem quinque viæ, sive astutiæ Mahometi, quæ sunt contrariæ viis, quibus fides Catholica stabilitatem suscepit; de quibus S. Thom. 1. *contra Gent. cap.* 6. loquitur.

Prima est, quod carnalium voluptatum promissionibus, ad quarum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos allexit; promisit enim hominibus legem suam suscipientibus, legem carnalem, & voluptatibus plenam, qualem sibi præparari optabat; ibi carnium, & omnium fructuum usum, ibi lactis, vini, & mellis rivulos, & aquarum splendentium cursum, ibi pulcherrimarum mulierum & virginum amplexus, & luxus, quibus summa voluptas ejus describitur; quæ omnia obedientibus sibi promittit. Unde non mirum, si carnalis & bestialis populus, secutus est illum. Fides vero Christiana è converso intravit; non enim carnalia promittit, non voluptatem carnis, sed fælicitatem, qualem ipsi Angelici Spiritus habent, quæ ineffabilis est, & incomprehensibilis, quemadmodum supra prosequuti sumus.

Secunda via, qua Mahometus usus est, ad alliciendum populos ad sectam suam, quod præcepta dederit promissis conformia, carnali voluptati habenas relaxans, quibus facilè carnales homines obediunt. Ut enim Tullius narrat, benè dixisse Platonem, *Voluptatem escam esse malorum, qua capiuntur homines, ut pisces hamo:* & Virgil. in Buccol. *Trahit sua quemque voluptas.* Hac ratione, ut dicit Lactantius, Epicureorum disciplina multo celebrior semper fuit, quam cæterorum; non quia veri aliquid affert, sed quia multos ad populare nomen voluptatis invitat, dicens voluptatem esse maximum bonum. Non sic autem lex Christiana processit, in qua voluptates carnis maximè prohibentur, & omnia, quæ in mundo sunt contemni docentur; quæ ferè à tota multitudine hominum appetuntur, ut sunt libidines, delectationes gulæ, & honores mundani, quibus animi mortalium maximè afficiuntur, ut dictum est. Unde 1. Joan. 2. *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ;* quibus exhortationibus animos mortalium assentire maximum miraculum est, & manifestum divinæ inspirationis opus; ut contemptis visibilibus sola invisibilia capiant.

Tertia via, qua Mahometus processit, fuit, quod documenta veritatis non attulit, nisi quæ de facili à quovis mediocriter sapiente, naturali ingenio agnosci possint; quin potius vera, quæ docuit fabulis, & falsissimis doctrinis miscuit, ut quod DEUS sit unus, sitque Creator omnium rerum, & quod ei timor & honor exhibendus sit. At quod pietatis opera exercenda sint, quilibet etiam parum doctus intelligit esse facienda, & quæ etiam antequam Mahometus illa scriberet, in Evangelio plenius continentur. Lex vero Religionis Christianæ plurima documenta tradit veritatis, divinitùs hominibus revelatæ, quæ excedunt totius humani intellectus virtutem, & facultatem; ut est Trinitas personarum, in unitate essentiæ Divinæ, generationis arcanum, Divinæ incarnationis mysterium, & Eucharistiæ ineffabile Sacramentum, & similia, quæ omnia superant omnem creatum intellectum; de quibus *Ecclesiast.* 3. dicitur: *Multa supra sensum hominis ostensa sunt tibi,* & Propheta in Psal. 118. *Considerabo mirabilia de lege tua.* Item, *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Id est, ex me, attingere. & Apost. 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei; nobis autem revelavit per Spiritum sanctum.*

Eccles. 3 — *Psal.* 118. — *1. Cor.* 2.

Quarta via, qua Mahometus in popagatione suæ legis usus est, sicut in *c. præcedenti* diximus, fuit tyrannica violentia & potentia armorum. Non enim signa adhibuit supernaturaliter data, quibus solis divinæ inspirationis conveniens testimonium adhibetur, dum operatio visibilis, quæ non potest esse nisi Divina, ostendit Doctorem veritate invisibiliter inspiratum. Ubi notandum, quod non aliqui Sapientes in rebus Divinis excitati & humanis, à principio crediderunt ei; sed homines bestiales in desertis errantes, omnis doctrinæ Divinæ prorsus ignari, per quorum multitudinem, alios armorum violentia in suam legem coëgit.

Illustris vero Christiana Religio, non sic armorum potentia introducta est, ut in *præcedenti cap.* dictum: quia DEO non placent violenta obsequia; sed mitis prodigiis, & operibus visibilibus, quæ totius naturæ superant virtutem & facultatem, videlicet mirabili curatione languorum, mortuorum resuscitatione, cælestium corporum mirabili mutatione; & quod mirabilius est, humanarum mentium inspiratione; ut Idiotæ & simplices, dono Spiritus sancti repleti, summam sapientiam, & facundiam in instanti consequerentur. Unde soli Christiani prædicationibus, martyrio, & miraculis, non vi aliqua temporali, omnium nationum gentibus Christi fidem suaserunt, quod Propheta ita Spiritu prævidens ait: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Unde Lactantius dicit: *Denique nulla gens tam inhumana est, nulla Religio tam remota, cui aut possessio Christi, aut sublimitas Majestatis ignota sit.*

Psal. 18.

Quinta via, qua Mahometus in dilatatione legis suæ usus est; fuit, quia nulla Divina oracula præcedentium Prophetarum, ei testimonium perhibent, quin potius, quasi omnia veteris & novi testamenti documenta, fabulosa narratione depravavit, ut patet ejus Alcoranum inspicientibus, & astuto consilio libros veteris, & novi testamenti suis sequacibus non reliquit legendos, ne per eos falsitatis arguerentur: E converso vero, quia fides Christiana ex lege veteri, & Prophetarum oraculis veritatis suæ habet clarissima testimonia, Christus mandat scrutari scripturas, dicens Joan. 5. *Scrutamini scripturas: illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.*

Ex quibus satisfactum esse creditur quæstioni, qua quærebatur, Quare tanta populorum multitudo sectæ Mahometi erroribus & færoribus plenæ adhæserit? Nec de hoc debent multum homines admirari, qui in nobilissima Christiana Religione militant; quoniam, ut Scriptura sancta testatur, *stultorum infinitus est numerus,* Eccl. 1. & *Matth.* 20. dicitur, *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Unde etiam major est vilium rerum, quam pretiosarum multitudo, ut ferri, plumbi, quam argenti, & auri, & pauciores pretiosi lapides, quam non pretiosi. Hæc Turrecremata.

Eccles. 1. — *Matth.* 26.

CAPVT VI.

Felicitate & victoriis Mahometanorum non probari, eorum legem esse à Deo.

CUr in fide Christi (objiciunt Mahometici) toto orbe propagata, passus est DEUS innumeros populos Mahometi opere ab imperio Christi seduci, & ad suam legem compelli, Mahometique dominationem indies feliciter augeri: si igitur Christus est DEUS, illique Mahometus adversus, cur se à Mahometo superari passus est? Vera igitur, inquiunt Saraceni, fides nostra est, vestra autem falsa: hoc igitur potissimum argumento adversus Christianos se defendunt, quo etiam multi ex Christianis ignari ita obvolvuntur, ut quid respondeant prorsus ignorent.

Michael de Medina *lib.* 1. *de recta in Deum fide* affert aliquas rationes, quibus præmuniri possint, qui fortè videntes Mahometanorum prosperitatem, nutarent in fide; nimirum, inquiens, familiare esse infidelibus, ut in præsenti vita fælicitate aliqua fruantur, vel quod bona quædam moralia faciant, quæ divinam Magnificentiam quodammodo remunerare non dedecet, ut de Romanorum fælicitate docuit Augustinus. Aut quod magis credendum est, ad probandos fideles. De quo etiam argumento optimè ante Medinam egit Savanarola *lib.* 4. *cap.* 7. *de triumpho Crucis.*

Elegantissimè vero inter alias PIUS II. in *Epistola* Morbisano Turcarum Principi missa, propè finem propositæ satisfacit dubitationi, simulque errorem, sive astutiam Mahometi rejicit, ac detegit, præcipientis Saracenis, ne de Alcorano disputationem admittant: præmissa igitur aliquorum legis Mahometicæ errorum confutatione, sic ait: Cognoscis jam, nisi fallimur, veritatem, & majestatem nostræ legis, nec utilitatem ignoras: incipisque de tua diffidere, & ardes desiderio disputandi, vellesque latius cuncta discutere: sed obstat legifer tuus, & inquirere verum prohibet, & interminatur, & clamat: Non est mea lex, quæ disputationi subjicienda sit, cave ne quid loquaris: arma sunt in manu mea: dum nihil credis, multum imperii adeptus es. Qui non audiunt meam vocem, gladio conterendi sunt, ensis meæ legis dignitatem tuetur. In Arabia ortus ejus fuit ex parvo principio, quantum creverit, vides. Ægyptum adjeci meæ legi, & Syriam, & Mesopotamiam, & Libyam, & Indiam, & Mauritaniam, & partem Hispaniæ, & divitem Asiam, & doctam Græciam, & fortem Thraciam, & nobilem Macedoniam; sunt, & aliæ quamplurimæ Regiones sub Imperio meæ legis, quæ armis, non verbis quæsitæ sunt. Muliebre est verba verbis refellere,

fellere, viri ferro decertant. Si non fuisset vera mea lex, non dedissent superi Imperio nostro, nec non Dominationi nostræ tantos successus, atque prosperitates. Amat nos Deus, & legis odorem sentiens, gratulatur, & sternit iter victoriis nostris. Sed audi quam inanis est timor: *Omnis qui malum facit* (inquit in Evangelio veritas) *odit lucem.* fures nocte domos perfodiunt, & in obscuro adulteri latitant, non adhibent testes, qui peccant; nolunt deprehendi mendaces. Cum his sentit tuus legifer.

Veretur ne disputando suæ legis vanitates innotescant, veretur ne pudenda sua detegantur. Prohibet disceptari verbis: armis defendi suam legem jubet, nec alium Judicem quam ferrum deposcit: multumque gloriatur de suæ legis incremento. Diximus cur creverit, plebes voluptas allexit: neque inficiamur multas tuæ gentis victorias partas, & ingentia confecta bella. Tuæ victoriæ nihil habent miraculi, ad quas nunquam, nisi grandi prærogativa tuorum ventum est. Sed quid agimus? non his argumentationibus stat recta fides, Vici, fudi hostes, Imperium teneo. Si sic licet arguere, vera fuit sub Alexandro Magno, tot victoriis illustrato, & sub ejus successoribus religio, qui & in Græcia, & in Asia, & in Syria, & in Ægypto, & Libya, & in Perside, & in Scythia, & in Indis regnavere, imperio per arma quæsito. Vera etiam Romanorum fides usque ad priorem Constantinum, qui orbem sibi ferro subjecerunt, & omnes domitæ quas adiêre gentes. Scimus tamen & Alexandrum, & ejus hæredes, & Romanos, & qui sub eis erant, Judæis exceptis, Idola coluisse, alii Jovem, alii Martem, alii Mercurium, alii Solem, & Lunam, & alii sidera. Multi etiam, ut Ægyptii, animalia bruta colebant. *Quis nescit?* (inquit unus ex Poëtis) *Voluси Bubynicæ, qualia demens Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat.* Et quod stultius fuit, & allium, & porros, & cepe inter numina posuerunt. Præclaræ tamen Ægyptiorum victoriæ memorantur, sicut de Oritide prodium est, qui victum petagravit orbem. Ergo & Deos Ægyptiorum recipiemus, & veram eorum Religionem fatebimur, quia vicerunt? Non sic ratio suadet, neque sic Judæi sensêre, qui victi ab Assyriis, & ab Antiocho, & à Romanis, & in servitutem ducti, non tamen victorum leges, de diis acceperunt, sed victi, & angariati, & mille modis oppressi in sua lege manserunt.

Nec nos Christiani cum prælio superamur, aut aliis calamitatibus affligimur, legem nostram, aut relinquimus, aut accusamus: sed arbitramur pium DEUM nos tanquam filios, propter peccata, quæ committimus, verberare, quia non paremus Evangelio, non servamus legem nostram, neque manemus in traditione sanctorum Patrum, sed victi fragilitate aberramus, & labimur, ut homines. Ipse vero lapsos corrigit, & plagis multis nostras iniquitates emendat. Cognoscimus errata nostra, & considerantes quæ fecimus, minorem esse pœnam, quam delictum non ignoramus. Si cadimus in bello, si amittimus Regnum, si jugo servitutis opprimimur, dicimus cum Daniele Propheta, *Danielis 2. Deum esse in cælo, qui revelat mysteria, mutat tempora, & transfert regna, ut universi cognoscant, quod dominatur in excelsis in Regno hominum: & cui voluerit dabit illud.*

Novimus DEUM & Judæos, & Christianos posse cum velit, & voluisse aliquando, alterius sectæ hominibus subjicere, propter offensas populi, qui eum ad iracundiam provocavit: sed conversi ad DEUM non desperamus misericordiam consequi. Quamvis enim *irascitur Deus* (ut inquit Propheta) *non tamen obliviscitur misereri.* Pius est, & benignus, nec deserit clamantes ad se. Absit autem, ut propter victoriam, meliorem esse credamus Religionem vincentium. Sic enim fatendum esset, omnes, qui viceruni Hebræos melius de Deo sensisse, quam ipsi victi, quod neque tu diceres, neque tuus legifer, qui defensionem suæ traditionis in armis collocat, & omne genus ratiocinationis effugit, maximum iniquitatis indicium.

Non sic Beatus PETRUS, qui donatis à Christo Domino, cælestis Regni clavibus, & Pastor constitutus gregis Christiani, paratum se, ait, rationem omnibus reddere, de ea, quæ erat in eo, fide, nec alirer suos auditores edocuit. Et beatus *Laurentius* Martyr, *mea nox* (inquit) *obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* & in Evangelio *Luc.* 11. Non probat Dominus eam, qui lucernam accendit, & sub modio ponit; sed super candelabrum eam esse vult, ut luceat omnibus, qui sunt in domo: & prædicari verba sua super tecta jubet, & de se ipso dixit: Matth. 10. *Ego palam locutus sum mundo.* Deceptores, & Pseudoprophetæ in angulis prædicant, & volunt occulta esse, quæ dicunt, aut juramenta tacitumitatis exigont, sicut Romæ accidit in his, qui bacchanalia celebrant. In occulto enim Deo suo sacrificantes, nullum flagitium libidinis omittebant. *Luc.* 11. *Matt.* 10.

Quod si alia non essent contra tuam legem indicia, hoc unum sufficere potuit, quia prohibuit ejus lator in disputationem venire. Sciebat non æqua esse, neque vera, quæ tradiderat: videbat vererem, & novam legem contra se stare, intuebatur Philosophorum acutissimas rationes sibi adversas esse; nec speravit in cœtu hominum, aut in scholis virorum excellentium sua deliramenta posse defendi. Animadvertit homo sagax, & ingeniosus in malo; gentiles, qui Deos colebant, damnatos esse, & jam propemodum exterminatos, nec Judæis locum esse, quorum lex translata esset, cum Sacerdotio ad Christianos. Cumque staruisset novam legem, idemque sibi nomen daret, speravit, quod modo evenit, iratum DEUM Christianis, qui suæ legis mandata transgrediebantur, adversus transgressores, victoriam concessurum: atque idcirco suæ legis defensionem in armis collocavit, quam alioquin hominibus gratam, propter licentiam voluptatum, non ambigebat.

Diaboli hoc fuit inventum. Antiquus hanc viam suæ nequitiæ serpens excogitavit, qui cum vidisset sese procul ejici, & Christiana Religione augescente, idola deseri, nec amplius Deorum multitudini locum esse, sed unum tantum DEUM adorari cum Patre & Spiritu sancto JESUM Christum, Heraclio imperante, Mahometis spiritum excitavit, eumque sibi ministrum elegit, hominem prius Idololatram, fortuna pauperem, mente superbum, natione Arabem, qui consilio quorundam usus Judæorum, & Christianorum perversorum, inter quos fuit Sergius spiritu ambitionis inflatus, legem tertiam edidit, ex veteri, & nova conflatam, multis ineptiis extrinsecus adjectis: legem diximus, quia legem vocat; nos blasphemiam rectius appellamus.

Hactenus PIUS Pontifex.

TERTIA PARS.

CAPVT I.

De ratione agendi & juvandi Sarracenos.

MAhometus cupiens legem suam hominibus persuadere, eamque per universum orbem propagare, hac usus est astutia, ut sæpè jam dixi-mus, ut ea in sua lege præciperet & commendaret, quæ grata essent auditoribus, & maximè plebibus, quæ jumentis similes existerent, nec deceptus est in hac parte: Placuit enim nova lex, & brevi tempore ita coaluit, ut in multis populis, gentibus, ac linguis reciperetur, cujus fundamenta in voluptate jacta fuerunt. Verum sicut agricola non imprudens, postquam vineam plantavit, fossam circumducit, & sepem, ne destruatur à feris; ita & Mahometus suam legem conservare, ac munire statuit. Animadvertit, homo sagax duobus modis suum dogma convelli posse atque confundi, auctoritate scilicet & ratione. Atque adversus hæc duo, quæ poterant inveniri remedia non neglexit. Authoritati opposuit, quod paulo ante retulimus, antiquam scilicet & novam legem depravatam esse, nec quicquam veri restare, nisi quod Alcoranus haberet. Rationi arma objecit, jubens ne quispiam de sua lege disputaret, neve rationem quæreret: & eum, qui contra niteretur ferro vindicandum esse; atque simili vallo suam legem callidus veterator communivit.

Quare cum neque authoritate, neque ratione contra Turcas, sive Sarracenos agere possimus, difficilius omnibus nationibus juvantur, cum omnino videatur aditus reclusus, ut rationes audiant, erroresque suos agnoscant; adhibita enim rebus luce, facile est quid quæque res, & cujusmodi sit manifestare: parit enim rationem cognita veritas, & veritatem confirmat adhibita ratio. Quare non mirum si religio falsa & umbratilis, in qua nihil est solidum, ratione non sinatur attingi, ne sicut vitrum tenuissimum, falsum & inane, levissimo contactu disrumpatur: quamvis inter hos Persæ (ut ferunt) disputationem de sua secta non refugiant. quare omni adhibita cura, magna cum discretione, expugnandi sunt muri Mahometis, qui nec ferrei sunt, nec adamantini, nec ex vivo lapide erecti, sed potius ex fragili materia, ac in arena fundati. Aggrediendi sunt leniter, quasi aliò tendendo, & veluti non disputando, inquirendum ac disputandum, quare Mahometus suæ legis discussionem prohibuit, ac ex dictis in superioribus convincendi sunt, id timore veritatis, ne hujus luce mendacia detegantur refugisse. Religio enim, quæ firma, quæ solida, quæ vera est, rationes non reformidat: rationis quidem umbra & imago in veram Religionem pugnare quandoque potest ratio vero ipsa, non potest, & illas umbras levi momento lux veræ Religionis dispellet.

Aurea est pietas veræ Religionis, aurea, non deaurata, quo magis clarificatur & detegitur, hoc pulchrior & præstantior existit; puriorem ac nitidiorem illam reddit, bellum quàm pax adversus gentes, adversum hæreticos, qui scoria & rubigine conabantur veritatem sinceræ Religionis obducere, puritatem enim excellentiæ suæ magis ostendit, quo est acrius agitata & concussa. Non est ergo metuendum, ne vera Religio detractis velamentis, fœditatem ullam oculis contentium ostendat. Metuunt hoc aliæ Religiones falsæ, atque umbratiles, in quibus nihil est solidi, ideoque attingi sese non sinunt.

Præterea incorruptionem sacrarum literarum oportebit inprimis ostendere, ex his quæ supra latius comprobavimus, Mahometique in hac parte calumniam apertam detegere, eosque teneri Scripturas admittere: sed quia in hoc forsan frustraneus labor adhiberetur, confugiendum erit contra Sarracenos ad naturales rationes, ut D. Thom. monuit *libro 1. cap. 2. contra Gentiles*, Etsi quamplurimi inveniantur, qui rationibus ac disputationibus consentiant.

Quod si nec rationibus præberent auditum; adjuvandi erunt assiduis precibus, ac integerrimæ vitæ exemplo. Multi enim ex Turcis, maximè, qui metu tantum, ac ob carnis illecebras Christo renunciarunt, docliores sunt aliis. Cum enim reclamantem sentiunt conscientiam, ratione aliqua cuperent avitam Religionem iterum amplecti. Reliqui autem Turcæ ipso naturali lumine ducti, ac Christum blasphemari non permittentes, divitias & pulchritudinem Christianæ legis eo magis admirantur, quo magis aliquis vitæ probitate, plusquam argumentis, auctoritatem sibi apud eos conciliaverit. Probitas enim ac temperantia, quarum virtutum rectissima norma est nostra Religio, præcipua ratio est, atque perefficax (quod alibi quoque diximus) ad persuadendum. Quamobrem id altissimè *ils*, qui adierint Turcas, & Gentes infixum cordi esse debet, quod Apostolus Petrus dispersis in Oriente fratribus scribebat dicens: *Charissimi obsecro vos tanquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent DEUM in die visitationis.* Ac postea penultimo ejusdem Epistolæ Capite. *In quo* (ait) *admirantur non concurrentibus vobis, in eandem Luxuriæ confusionem, blasphemantes, qui reddent rationem ei; qui paratus est judicare vivos, & mortuos.* Hoc igitur virtutis fundamento nixi, si aliud non consequeremur, quam ut peccati fœditatem agnoscerent, atque ab ea sensim secedere aliquatenus attentarent; ac propterea minus peccatorum committerent, certè divinæ pietati gratissimum esset.

Deinde pro juvandis Turcis observandum est, quod Richardus docuit, nempe quod Sarraceni valde curiosi sunt audire aliquid de nostra fide, & maxime de divina Trinitate, & incarnatione, non tamen volunt his credere, neque possunt hæc intelligere. Et quia superant rationem, & humanum excedunt intellectum, illa nec credere volunt, nec intelligere possent. Dicitur enim in Isaia c. 6. *Si non credideritis, non intelligetis.* Unde non oportet his statim à principio divina proponere, neque ante porcos margaritas spargere: sed conandum inprimis vanam legem illis ostendere. Non enim oportet virtutes inferere, nisi prius passiones radicitùs evellantur. Oporteque & in omnibus brevem viam eligere. Facilius autem est il-

lorum

lorum fidem aliam ostendere, quam nostram veram demonstrare, Fides enim cum eorum sit, quæ non aspicimus, donum est DEI.

Linguæ Arabicæ necessitas ad Saracenos juvandos.

§. I.

EXtant (ut Anton. Possevinus *lib. 9. suæ bibliothecæ c. 9.* docet) Epistolæ Nicolai Clenardi, inter quas unam Jacobo Latomo sat uberem scripsit, anno 1541. cum Fessæ esset in Africa, quò ad Arabicam linguam addiscendam trajecerat, & ubi novennium ideo impenderat, eo nimirum consilio, ut, quemadmodum adversus Hæreticos à pluribus Latinè scribebatur, sic ipse contra Mahometanos stylum Arabicum stringeret. Id quod fieri non posse judicavit, nisi illorum dogmata penitùs cognita habuisset, nec tantum hauriret, quod à Latinis de gente illa traditum fuerat. Nam præter *Alcoranum* habent *libros Sunna* adeò ridiculos, ut ipsi sese possint confutare, nisi miseris esset persuasum, Mahometum fuisse Prophetam veracem. Hos autem *Sunnæ libros*, cum se conquisiturum Clenardus pollicitus esset, & adversus eos Arabicè scripturum; (etenim contra Mahometum, inquit, Latinè scribere, quid pertinet ad tot nationes Orbis, quæ solum linguam norunt Arabicam?) nescitur tamen, an unquam id præstiterit. Nusquam vero sic fervebat Alcoranus ut Fessæ: Tuneti quidem vigebant omnes cæteræ disciplinæ Turcicæ; at Fessæ post Grammaticen, toti erant in Alcorano & suis Doctoribus Scholasticis. Scholastici dicuntur, qui de eorum cæremoniis agunt, de Lustratione, Oratione, Matrimonio, & aliis ejusmodi, quarum periti nominantur *Alfachij*, hoc est, sapientes. Porro Dialecticam, Rhetoricen, & alias artes aliquas vix pauci attingunt.

Est autem apud eos hic mos; statim à primis annis ad verbum ediscunt Alcoranum, & memoriæ mandant, quem non intelligunt, nec tamen ullis in Scholis hic Codex apparet: sed ludimagister è memoria depromit pensum, & in tabula lignea describit; id puer reponit in animo, & postridie alterum scribitur pensum, donec anni, aut biennii spatio totum ediscat Alcoranum. Multo plures reperias, qui teneant sic Alcoranum, quam qui ipsum habent domi Codicem. Quare difficillimum est itrepere mendas in Alcoranum. Post hunc ad verbum ediscunt libellum qui dicitur, *Cæremoniarum Turcicarum*, nec tamen eis aliquid exponitur, nisi quod assequuntur commercio sermonis vernaculi, qui licet multum distet ab ea oratione, quæ conspicitur in libris, aperit tamen aditum ad intelligenda, percipiendaque pleraque vocabula. Hinc jam perveniunt ad Grammaticam, estque apud eos receptus author, *Ibun Melic.* qui chiliade versuum, id est, mille distichis eam est complexus universam. Hanc vero Chiliadem difficile admodum è tabulis suis memoriæ mandant, ut quotidie pensum reddant præceptori, domi interim lectitantes Glossemata; nam in Scholis nullus comparet liber. In hac autem Grammatica fermè versantur biennio, sive etiam quidam quadriennio. Porro auctoritates citantur à Grammaticis penè omnes ex Alcorano, unde fructum memoriæ capiunt. Citantur item crebro Poëtæ, quibus Arabes abundant. Verum ita hæc Poëtica discipulus intelligit, ut carmen Ennianum Thomista, qui post Alexandrum, & Petrum Hispanum statim lectitat Scholasticos. Quare paucos reperias, qui eleganter, ac purè loquantur. Nam etsi Alcoranistæ sint, isque liber stylo sit elegantissimo scriptus, contenti sunt tamen memoria, & magis suæ falsæ Religionis gratia discunt Alcoranum, quàm ut eum curent intelligere. Siquidem dogmata sua jam ex aliis libellis norunt, ut Ethica novit Thomista, qui tamen non legerit Aristotelem; adeo universus orbis consentit, ut rerum magis, quam verborum cognitio appetatur.

Extant ergo apud Arabes Poëtæ quamplurimi, quos tamen pauci lectitant: dum enim in artium scriptoribus utuntur vocibus iis, quæ passim non sunt obviæ, eæ velut ad aliud sæculum, & priscum ab istis pertinentes putantur. Scholæ sunt in ipsis templis, ad quas non licet adire Christiano, neque Judæo; Tabernæ librariæ non habentur Fessæ, quamvis tam multi sint litterarum studiosi. Cæterum die veneris singulis hebdomadis, peracta oratione, apud summum (quod nominant) templum, est librorum auctio: illuc conveniunt quotquot emptuturiunt, seu venditurunt. Prodeunt autem fermè Codices vetusti, pauci admodum, quod ab hinc annis ducentis reflixit amanuensium industria, & in desidiam sint lapsi Fessenses, est que hæc merx cara, quæ tamen ab omnibus magno pretio rapitur. Quod si quis sit liber justæ magnitudinis, non eum reperies venalem, nisi per fragmenta; ac fortè totius vitæ cursu non consequeris; aut Zemachium aut alios Commentatores Alcorani, sed nunc caput, nunc dimidiatum, nunc manus mutilas ipsius libri in foro videbis, ut sæpius idem cogaris emere, si totum postules, idque vix post multos annos. Præla ignorant. In hunc auctionis locum, Christianis aut Judæis licet intrare, una tantum lege, nempe ut obruti saxis pereant, tam religiosè suos Codices invident à Religione Mahometi alienis.

Multa & alia conspiciuntur inter Mahometistas, quæ præferunt aliquod virtutis specimen, quo Satanas nefariam sectam tegat: nimirum, ut non multum soliciti sint de crastino, nec duris casibus frangi videantur, ita ut in blasphemias erumpant, sed potius illud pronuntient, *Laudetur Deus.* Quo magis dolenda est earum Nationum jactura, quod homines hujusmodi, tam turpibus opinionibus à Christo sint abstracti, non aliam ob causam, quâ quod credant Mahometum fuisse verum Prophetam, qui ut in Alcorano Trinitatem negat, sic penitus tollit nostræ Religionis fundamentum.

CAPVT II.

Sequitur praxis Sarracenos juvandi.

PIUS II. Pontifex summus, & alias vir doctissimus, zeloque Religionis flagrantissimus, in *Epistola ad Morbissanum* Turcarum Principem, præmissis aliis, eum in fide instruere, præcipuè errores Mahometi confutando nititur: & quamvis non minus breviter quam eleganter Alcorani rejiciat commenticias nugas, & errores, nos tamen tantum de uno, aut altero, in quibus est ferè totus disputationis Cardo, ex mente ejusdem PII II. dicemus, ut sic nihil non refutatum ex Mahometi lege permaneat. Audiant igitur non solum Turcarum Princeps, sed & omnes Sarraceni PIUM II. Pontificem Maximum, in hæc verba veritatem fidei nostræ comprobantem, Alcoranique fabulas & errores propulsantem.

Nemo hominum sapientiam contemnit, nemo

odit, nemo est, qui nolit esse sapiens. Verum primus Sapientiæ gradus est nolle errare, & verum quàm libentissimè audire: maximè in his rebus: unde homini est salus, sicut est Religio, quæ ordinatur ad æternam vitam. Audi ergo verum circa Religionem. Si non scribimus verum, argue scribentes, & despice tanquam stultos. Sed noli falsum dicere, nisi cognoveris falsum esse. Et narrabimus brevissimè ab initio mundi usque ad obitum Salvatoris Christi nostri, legis arcana. Deinde aliqua de tua lege dicemus, eaque conferemus ad invicem, & quantum interest ostendemus, conabimurque quantum ex alto dabitur, lucem tibi ostendere, per quam possis ad eam lucem pervenire, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Cum creasset DEUS in principio cælum & terram, & maria, & lucem, & solem, & lunam, & alia sydera, & plantas, & herbas, & volucres, & pisces, & quadrupedum genus inexterminabile (ut scribitur *Sapientiæ* 2.) ac reptilia, & alia animantia; postremo Adam creavit, & insufflavit in eum spiraculum vitæ, & posuit eum in paradiso deliciarum, & fecit adjutorium simile sibi Evam, ex costa ejus eductam. *Gen.* 2. Et data licentia, qua possent cæterarum plantarum degustare fructus, ut abstinerent à plantario Prudentiæ imperavit. Et ambos cum prævaricati essent, ex paradiso ejecit, atque in eis humanum genus morte damnavit: justitque laboriosam vitam, & ærumnis plenam ducere.

Ab his propagata Creatura rationalis, cum rursus animo rebelli Divinam Majestatem contemneret, & in vitia quoque prolaberetur, aquarum diluvio delera est. Noë cum Conjuge & sex aliis animabus, in area salvatus est, & ab his omnes homines, qui modo sunt, & post diluvium fuerint, originem ducunt. Tres Filii Noë, Cam, Sem, & Japhet, redeuntibus aquis in locum suum humanam gentem reparaverunt, adeo ut traditum sit, priùs quàm Noë moreretur, quatuor millia hominum ex suis, & filiorum lumbis exivisse, ex quibus etiam iniqui emerserunt, Nemrot Filius Cam, & qui cum eo in contumeliam Domini turrim Babel ædificare cœperunt. In ea divisum est labium universæ terræ, & confusione impeditum opus. Secuta est peccatum pessimum Pentapolitana submersio, & Abraam & tot inventi Religiosi: in semine Abraam benedictæ sunt gentes, & circumcisionis pactum cum eo percussum est.

Fuit enim justus & placuit DEO in operibus suis, cum filium Isaac, divino imperio, immolare non detrectasset. Neque Isaac Patris viam deseruit: cui natus est Jacob, qui alio nomine dictus est Israel, & huic duodecim filii fuerunt, à quibus duodecim tribus emanarunt. Is cognito quod Joseph, quem putabat extinctum, magnus & potens esset in Ægypto, cum reliquis filiis ad eum migravit. Multiplicatum est illic Judæorum semen, & in gentem magnã cum crevissent Israelitæ; surrexit Rex alius, qui Joseph & opera ejus ignoraret, gravissimis laboribus oppressi sunt, & contumeliis innumerabilibus affecti: & miserante Deo, per manus Moysis, & Aaron servitutem effugerunt, & sicco vestigio rubro mari trajecto, per annos quadraginta cibo cælesti vitam in deserto egerunt. Et circa montem Sinai divinam legem, in tabulis lapideis acceperunt: acquisita est terra promissionis, sed non tota in manu Moysi. Post obitum ejus mirabilia fuerunt opera Josue, & aliorum Judicum: inter quos etiam Prophetæ claruerunt viri excellentissimi.

Successerunt inde Reges, & alii Prophetæ, in populo Dei, & non sine cælesti munimine conservata est gens Hebræa: & Prophetæ quidem interpretati legem, salubria tradidêre præcepta, virtutem extollentes, & vitia affulminantes, & multa per illos scripta sunt divinitùs revelata, quæ de futuris notitiam præbuêre. Non tamen pauca perpessi sunt adversa Judæi, cum legem Domini contemnerent, & in traditionibus Patrum non permanerent. Ceperunt eos Chaldæi, & in servitutem redegerunt. Et nunc Syri, nunc Arabes, nunc Ægyptii in eos arma verterunt. Multæ fuerunt eorum tribulationes, multæ calamitates, ac miseriæ, sed de omnibus liberavit eos Dominus, cum ad eum clamaverunt, & tota mente redierunt: quia cor contritum, & humiliatum non despiciet Divina majestas.

Hæc, ut arbitramur, communia tibi nobisque sunt, & in Alcorano Mahometæo magna ex parte continentur. Verax igitur & tuo, & nostro judicio lex Judæorum, verax Moyses & David, & Salomon & Isaias, & Jeremias & Ezechiel, & Daniel, & veraces omnes Prophetæ Domini: vera Judæorum fides, qui ante Christum in fide permanserunt: mendaces omnes gentes, quæ coluerunt Idola. Notus ante Christum, solus in Judæa DEUS. Nihil huc usque contendimus. Concedis hæc, nisi fallimur, omnia. In his, quæ sequuntur discordia erit. Sed nos in luce ambulamus, neque offendimus ad lapidem pedes nostros: & ne de cæteto tu quoque offendas, magnopere cupimus, & ultro ne decipiaris lumen offerimus. Tu creatura Dei es, & ovis ejus, sed errabunda extra caulas, in alienis pascuis, procul ab ovili Dominico lætiferum capis cibum, & pestifera aleris herba. Nos boni Pastoris exemplo, qui relictis nonaginta novem ovibus in deserto, unam, quæ aberraverat, secuti sumus, teque quærimus, & in viam salutis optamus reducere.

Dolemus te virum excellentem nobilitate, moribus illustrem, gestarum rerum gloria clarum, Imperio magno præditum, & pluribus naturæ dotibus eminentem, non incedere in viis Domini, non nosse mandata ejus, non esse in lege sua. Compatimur tibi, & tuorum subditorum infælicitatem deploramus, qui tecum pereunt. Nec te credimus libenter errare, cujus naturam bonam esse confidimus. Ignorantia veritatem retinet: tui te parentes, & seipsos deceperunt, cum progenitoribus laberis. Sed timenda est scriptura quæ ait, 1. Corinth. 14. *Ignorans ignorabitur.* Quod si cæteris in rebus præcipuam curam, exactam diligentiam, summum studium adhibeas, ne quis fallat te, circa Religionem possimum curandum est, ne fallaris; in qua tanto cautiorem te esse oportet, quanto in ea, cum majori periculo delinquitur. Cæterarum rerum ignorantia hæc quæ sunt temporalia in hoc sæculo adimere potest. Religionis, alterius vitæ bona, id est, animæ fælicitatem deperdit. Quod ne tibi accidat, si nobis aures & fidem præstiteris, facilè adjumento erimus.

Audisti ea, quæ de veteri testamento diximus, nunc de novo agendum est, in quo plurimum discordamus. Audi, quæ subjungimus, sic & tuæ legis tenebras odio habebis, ut speramus, & nostram legis lucem amabis. Duo in veteri testamento vaticinia reperiuntur, quorum alterum est; *Non auferetur sceptrum de Juda, neque dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est*; sive, ut Chaldæi dicu- *Gen.* 49

cu-,

eunt, *Messiæ*. Alterum est, quod ait, *Cum venerit sanctus Sanctorum, cessabit unctio vestra*. His vaticiniis prædictum est in adventu Christi, Judæos, & regnum amissuros esse, & Sacerdotium, sicut & factum est. Regnum quod Judæorum fuerat, Idumæi acceperunt. Regnante namque Primo Herode Antipatri Filio, genere Idumæo, & alienigena, Christus ex MARIA Virgine natus est, DEI filius, verus DEUS, & verus homo, qui Sacerdotium Judæorum ad Christianos transtulit; *Petro* sibi successore delecto, in quem Pontificis maximi potestatem transfudit, neque ulterius apud Judæos pastoralis ovium cura permansit, dicente Domino ad PETRUM, *Pasce oves meas*. Pastor ipse bonus, & Pontifex magnus Christus, Pastores deinceps & Pontifices Christianos, non Judæos esse constituit, quamvis *Petrus*, & alii plures ex Judæis, non amplius Judæi, suum summum Pontificium acceperunt. Atque in hunc modum Judaica cessavit unctio, & translatum est Sacerdotium. Quo facto & lex ipsa translata est, dicente Apo-
Hebr. 7. stolo: *Quia translato Sacerdotio, necesse est etiam, ut legis translatio fiat*. Hebr. 7. DEUS igitur, qui multifariè multisque modis olim Patribus in Prophetis locutus fuerat, novissimè per Filium suum, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula, allocutus est homines, novam legem edidit, & nova dedit præcepta, quibus servatis vitam mererentur æternam.

In tempore igitur, quod in altissimo individuæ Trinitatis consilio, ab æterno fuerat diffinitum, regnante apud Hebræos Herode, imperante apud Romanos Augusto, quiescente mundo, & adventum Domini mirabili & inaudita prioribus sæculis pace honorante, missus est Angelus Gabriel de cælo, qui MARIÆ fælicem conceptionem & sacratissimum partum annunciaret. Sed ante præ-
Luc. 1. cursor natus est Joannes, qui pœnitentiam prædicaret. *Luc.* 1. Concepit virgo de Spiritu sancto, ut prædixerat Angelus, & servata dignitate virginitatis filium simul & Dominum peperit. Natus est Christus Salvator octavo Calendas Januarias, & in ipsis Calendis circumcisus est, & juxta vocem Angelicam, JESUS appellatus, qui salutem attulit humano generi. Plurima de infantia Salvatoris scripta sunt, nec dubium est, quin omnis ejus ætas signis, & miraculis plena fuerit. Sed Ecclesiæ nostræ gravitas, & acre judicium ea tantum recipit, quæ certa sunt, Apocrypha prætermittit.

Duodecimus Salvatoris annus memoriam habet quia templum ingressus est, & cum legis Doctoribus disputavit, & aliqua ex parte splendorem suæ Divinitatis ostendit. Sed circa trigesimum annum, fulgor ille pleniùs emicuit. Tunc enim baptizatus est à Joanne, & Joannem ipse baptizavit, & paterna vox audita est, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Convertit aquam in vinum, & innumerabilibus coruscavit miraculis. Elegit sibi Discipulos, quos vocamus *Apostolos*, & circumiens Regiones, & mentes hominum, & corpora sanavit ægrotantium: & faciens ipse, quæ docebat, toto triennio prædicavit Evangelium. Per Judæam, & vicinas provincias beatissima vox intonuit: quæ vita hominum esse deberet, ostendit excellentissimè, & præcepta tum vetera innovavit, tum nova prioribus multo utiliora instituit: abdita & obscura, quæ erant in veteri lege multa revelavit, & obscuros Prophetarum sensus aperuit, & quæ de se prædicta fuerant, palàm exposuit: mysterium sanctæ Trinitatis ostendit, & unitatem in Trinitate monstravit, docens tum Patrem, tum Filium, tum Spiritum sanctum divinis honoribus prosequendum, & hos tres unum esse DEUM.

Prædixit non modo mortem suam, verum etiam genus mortis, & quod tertia die resurgeret, & quod ascensurus in cælum, rediturus esset in fine sæculi judicare vivos & mortuos. Comprehensus est, sicut ipse voluit, & traditus Pilato Præsidi, qui eum neci daret. Testes in eum citati sunt, nec est inventa in eo mortis causa; quia peccatum non fecit, nec repertus est dolus in ore ejus. Maximum crimen objecerunt, quia Filium DEI se fecit, & Regem dixit; & propter veritatem occisus est, crucifixus atque sepultus: & juxta verbum suum resurrexit à mortuis: & quadraginta diebus cum Discipulis commoratus, cum eos confirmasset atque corroborasset, atque in orbem ire jussisset, Evangelium disseminaturos: tandem videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, ascendit ad cælum, & sedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis; & inde venturus est judicare vivos & mortuos, & reddituros unicuique secundum opera sua. Interea Spiritus sanctus ab eo missus, omnia suggerit Ecclesiæ, quæ necessaria sunt ad vitam æternam.

Hæc nos Christiani firmiter credimus, hæc est fides nostra, quam cunctis gentibus prædicamus, & impartiri omnibus cupimus. Hæc ab Apostolis, & eorum successoribus per fideles manus immutilata, & incorrupta ad nos usque delata sunt. Hæc vos Turcæ & Sarraceni magna ex parte negatis: etsi enim Christum ex virgine natum, & sanctum virum, & Dei flatum, & Prophetam magnum, & mirabilium operum effectorem, & adhuc viventem confiteamini: DEUM tamen & DEI Filium esse inficiamini, nec tibi, nec sancto Spiritui divinitatem conceditis, & Trinitatem personarum in Divinis respuitis, & Christi mortem deridetis, quem translatum, & alium sibi similem loco suo interfectum arbitramini, nec ejus adventum in extremo Judicio expectatis, & alia non pauca Christianæ legis rejicitis, & plurima creditis, quæ apud nostros risu digna videntur, quæ non dimittemus intacta. Atque nos credimus non solum ex nova lege, sed & veteri invitamur.

Vos Mahometo, & Alcorano ejus fidem tantummodo adhibetis, & hominem mortuum, sine contestè, sine ratione, sine miraculis sequimini: Nos vivo credimus, vivit enim vestro testimonio Christus: nos DEO præstamus aures, & signis & rationibus, & sacris ducimur testimoniis. Quod si nos audies, monstrabimus breviter nostræ legis splendidam lucem, & tuæ obscuram caliginem detegemus. Sed opus est piis & attentis auribus, quando fidei sublimitas attingitur, & magna DEI panduntur arcana. Sæpe jocis & inanibus fabulis te præsentem adhibuisti, & leviores audisti narrationes, non est cur hæc gravia contemnas, aut ea necesse recuses, ex quibus tua pendet salus. Non est anima nobilis, cui non insit veritatis amor; non est homo, qui nolit salvus fieri.

Audi ergo, qui generosus es, audi quæ te salvare possunt: Quid est inter Christianos, Turcasque controversiæ in quo simul contendimus? quæ dissidii causa? Sanè non alius discordiæ fomes est, nisi quia circa divinitatem non eadem sapimus, de Patre, de Filio, de Spiritu sancto contendimus: hoc est præcipuum dissidium, quo sublato facilè omnia componentur. Attingemus hæc, & quæ sit inter nos de Divinitate dissensio, latius exponemus. Nos in Deo tres personas esse dicimus, Patrem,

& Filium, & Spiritum sanctum, & in tribus personis unum DEUM confitemur, vos dicitis unicum esse Deum creatorem cæli & terræ, & omnium, quæ in eis sunt. Nulla est de unitate contentio. Non latent nos verba Moysi, dicentis in exordio legis : *Audi Israël, Dominus DEUS tuus unus est.* Et rursus in lege scriptum est Exod. 29. *Ego sum Dominus DEUS tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, non erunt tibi Dij alieni præter me.* Et rursus. *Ego sum, qui sum.* Et, *Si quæsierint nomen meum; vade & dic illis, Qui est, misit me ad vos.* Et in *Cantico Exod.* dicitur: *Dominus omnipotens nomen ejus.* Quæ testimonia unum esse DEUM, unum Dominum manifestè declarant, & unam potestatem, & unam naturam. Nam Deus, naturæ; Dominus, potestatis est nomen. Exod. 29.

Fatemur item quod vos de unitate divinitatis. Hic amicitia est atque concordia, vobis unus DEUS est, & nobis unus. Dicitis principium omnium rerum esse DEUM, nos idem affirmamus. In quo igitur dissentimus? Multæ sunt quæ de DEO aliter Christiani dicunt, aliter Sarraceni, seu Turcæ. Vos Deum corporeum dicitis, nos incorporeum. Vos fortuita, quæ hic in terra geruntur, esse arbitramini, nec curare de his Deum, nos gubernare eum, qui creavit omnia, non dubitamus. Vos DEUM Patrem in Divinitate negatis: nos Patrem & Filium cognoscimus. Vos Spiritum sanctum ex Divina Majestate rejicitis: nos ponimus & veneramur. Mittamus alia, hæc aggrediamur in quibus plus ponderis est. Nos Christum DEI Filium dicimus, vos negatis. Cur negatis? sanè quia nec uxorem habet DEUS, ex qua filium procreare posset. Quod si uxor ei fuerit, filiosque genuerit, mundus qui unius imperio regitur, in plures divisus Dominos diu stare non posset. In unitate concordia est, quæ servat imperia; in pluritate discordia, quæ maxima regna subvertit. Sed qui tam rudis, tam vecors, tam demens Christianus est, qui generare Deum, ex connubio & permixtione arbitretur. Non sumus adeò hebetes Christiani, ut tantum nefas admittamus. Saracenis suadeti hoc possit, qui Deo & corpus, & caput, & manus, & cætera membra concedunt. Nos DEUM spiritum esse asserimus, incorporeum, immortalem, æternum, & incomprehensibilem: qui dum se ipsum intelligit in mente sua, Verbum concipit, quod nos DEI Filium esse dicimus: nec aliud est in DEO, se ipsum nosse atque intelligere, quàm DEUM esse. Nihil est enim in DEO nisi DEUS. DEUM autem, cujus est Verbum, nominamus Patrem, & processum ipsius VERBI, generationem Filii esse dicimus.

Nec veritas hæc de Verbo Dei apud Christianos tantum illuxit: Gentiles Philosophi ante Christi adventum, eadem quæ nos asserimus, nonnulli affirmarunt. Siquidem Platonici Philosophi in suis libris apertissimè dixerunt, quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: *hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Et reliqua ferme omnia comprobant de VERBO DEI, quæ Joannes in Evangelio suo tradit, usque ad incarnationem VERBI, quam ignorarunt, quia nondum natus erat Christus, & alta legis mysteria absconderat DEUS à sapientibus hujus seculi, quæ revelavit parvulis. Quod igitur Platonici VERBUM DEI nominant, & DEUM esse dicunt, nos Filium vocamus ex Deo genitum, & Deum esse fatemur: nec ruinam mundi ex filii generatione timemus, quando unus duntaxat filius est. Et Pater & Filius unum sunt, una potestas, una voluntas, una majestas, nec verbū conceptum ab intellectu cōcipiente discordat.

Obscura hæc verba videbuntur: at si voles præsto erunt, qui lumen afferant, & apertissima omnia reddant. Et tu solem hunc corporeum cernis, qui noctem abiens, & diem efficit rediens; hic à se ipso lucis producit radios. Hæc productio generatio quædam est in sole: & radii Solis, filii Solis ejus non inconvenienter vocantur. Quæ similitudo quamvis multifariè est inepta: nam solis plures sæpe vidimus radios, DEO unicus tantum est Filius: in eo tamen convenit, quia una est Patris & Filii divinitas atque essentia: quamvis comparatio corporalium rerum nulla satis cum Divinis quadrare potest. Sed accipe testimonia, & qui ratione non capis, cede auctoritati. Vetus testamentum & Judæis, & Christianis, & Saracenis commune est. *Eructavit* (inquit David ex persona Dei) *cor meum verbum bonum.* Hoc est quod DEI filium dicimus, & unigenitum Patris æterni, non ex carnali conjugio, aut humano complexu, sed ex corde DEI, id est, intellectu productum asserimus. Et rursus, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hodie dicit, quia DEO nec heri præterit, nec cras imminet. Sed hodie semper adest, cui præsentia sunt omnia. Iterum *ante Luciferum* (inquit) *genui te*, ut intelligas, quia non loquitur de Salomone David, sed DEUS Pater de Filio Deo, quia ante Luciferum nemo fuit. Et in *lib. Proverb.* legimus: Sapientiam Dei, quæ Dei Filius est, dicentem: *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram, ante montes & colles ego parturiebar.* Nunquam enim Pater sine filio fuit, nec sine Patre Filius. Et hoc est, quod in Evangel. inquit Joan. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum.* Quæ mysteria profunda & alta, cum non intelligeret Arrius, nec Mahometus, negare maluerunt veritatem Dei, quam suam ignorantiam confiteri, & suas ineptias impudenter ingerere, quàm aliorum sapientiam humiliter discere. Stulta hæc & damnosa pertinacia est; Deo enim & Prophetis ejus oportet credere; & si quid est cujus rationem non capimus, debemus cum Paulo dicere: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Fatentur Jurisconsulti non omnium, quæ à majoribus suis instituta sunt, rationem reddi posse, & tamen legi parendum esse, quia non sine causa condita fuerit: quanto minus arcana Dei licet cognoscere? plurimæ sunt occultæ causæ, ad quas nulla potuit curiositas hominum pervenire; quia sicut oculi Noctuæ ad solem, ita noster intuitus ad ea, quæ sunt Divinitatis. Psal. 44. Psal. 2. Psal. 109. Prov. 8. Joan. 1.

Non est ergo mirandum, si neque generationem Filii, nec Spiritus sancti processionem, neque Trinitatem in Divinitate intellexit carnaliter homo, vel Arrius vel Mahometus. Sed illud in eis damnabile ac detestabile fuit, quod sacræ Scripturæ, divinisque testimoniis non acquieverunt. Nam quid opus est argumentis, ubi DEUS ipse loquitur? De Pythagoricis traditum est, quod in disputando soliti erant dicere, *Ipse ait.* Ipse autem erat Pythagoras, tanquam ejus auctoritati non liceret adversari: quanto minus DEO, qui verax est, & omnis homo mendax?

Sed negabis hæc esse DEI, quæ afferimus testimonia. De his posterius dicemus, Nunc de Spiritu sancto agendum est, cui tua lex divinos honores abrogat. Non est hujusmodi erroris Mahometus inventor; Arrii, & Nestorii, & Macedonii hæc olim dementia fuit, quos sacra Patrum Concilia damnaverunt, sed eorum virus apud Ægyptios, & Ara-

& Arabes aliquandiu latuit, & postremo auctore Mahometo, & Magistro ejus Sergio latè diffusum est. Ne movearis, dum vera loquimur, cave ne sequaris cæcos, disce, Spiritum sanctum esse DEUM, & tertiam in Trinitate fore personam. Diximus paulò antè DEUM Patrem, dum se cognoscit, Verbum concipere & filium gignere. Nunc quod sequitur adjicimus, cognitioni esse annexam appetitivam quandam operationem, cujus principium voluntas est. Inter operationes vero, quas voluntas producit, præcipua est amare.

Adhibe hic aures, & mentem erige. In DEO perfectam & absolutam fateri cognitionem oportet, & amorem pari modo, cujus processus per appetitivam operationem exprimitur, sicut & verbi generatio per intellectivam: & alia est operatio, qua intelligit, alia qua appetit. Intellectiva ex his completur, quæ sunt quodammodo in ipso intelligente: nam sicut sensibilia in sensu, sic intellectibilia in intellecta esse dicimus. Appetitiva autem complementum accipit, secundum quendam ordinem, motumve ad eas res, quæ objiciuntur appetitui, & occultum quoddam principium sui motus habet. Ea vero, quæ principio feruntur arcano. Spiritus nomen acceperunt, nam & ventos spiritus esse dicimus; & in Scripturis *procellarum spiritus* appellantur, quia non apparet afflationis spiritus initium. Respirationem etiam & arteriarum motum ab intrinseco & occulto principio manantem, vocamus spiritum: atque hoc modo congruenti quadam similitudine, quantum divina humanis verbis indicari possunt, Divinus ipse amor à Patre Filioque procedens, Spiritus dictus est.

In nobis duplici ex causa procedit amor: aliquando ex corporea & materiali natura, & is plerumque immundus est, & menti noxius. Aliquando ex ipsa proprietate spiritualis naturæ, cum bona intelligibilia, & rationi convenientia adamamus: & hic purus est amor, & laudabilis, & animæ salutaris. In Deo corporalis amor seu materialis locum non habet, sed ille tantum reperitur, qui simplex est & nitidissimus, & purissimus, quem Spiritum sanctum appellamus. Nec nos intellectuali & sancto amore quicquam prosequimur, nisi quod intellectu concipimus. Cóceptio autem (ut diximus) quæ fit ab intellectu, Verbum est, atque ita necesse est amorem ex Verbo oriri. Amat enim Deus quod de se ipso intelligit, id est, Verbū, quod concipit intelligendo. Verbum autem DEI dicimus Filium Dei, qui & ipse Patrem novit, & amat: atque ita fit, ut amor ipse, cui sanctus Spiritus est nomen, ex Patre Filioque procedat, sitque cum Patre & Filio pariter DEUS. Nam sicut divinum intelligere essentiæ divinitatis est, ita & amare. Et sicut DEUS se semper intelligit, ita & se semper amat, & omnia amat, suam bonitatem dum amat. Rursusque sicut DEI Filius, qui est Verbum DEI in divina natura subsistens, Patri coæternus, perfectus, & unus Deus est; ita & Spiritus sanctus DEUS est, Patri & Filio coæqualis & coæternus. Et quia omne quod subsistit in natura intelligibili apud nos, persona dicitur, apud Græcos ὑπόστασις; consequens est, ut tres personas in divinitate ponamus, quia tres sunt subsistentes, Pater, & Verbum, & Spiritus sanctus, neque has personas dicimus esse per essentiam diversas, sed per solas relationes distinctas, quæ ex processione Verbi, & amoris proveniunt.

Atque in hunc modum Christiana Religio, divinitus illustrata, distinctas tres personas confitetur in divinis, non tres Deos, sicut Mahometus falso opinatus est: sed Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum esse ab æterno DEUM asserimus: nec tamen ipsum Patrem qui Filius est, nec filium qui Pater est, nec Spiritum sanctum qui Pater est, aut Filius. Una est enim Patris, & Filii, & Spiritus sancti essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus: quamvis in personis alium Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum, divina docente auctoritate, dicamus.

Nec similitudo in his, quæ creata sunt, summæ deest Trinitati. *Invisibilia DEI* (sicut Apostolus ait) *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sempiterna quoque virtus ejus, ac Divinitas relucet in anima nostra, quæ divinæ Trinitatis est imago. Est enim anima nostra substantia quædam incorporea, & ratione prædita, & actus quidam sive forma organici corporis, quæ dum corpus movet, & regit, sui meminit, se intelligit, & se diligit: quibus in rebus quædam apparet Trinitas memoriæ, & intelligentiæ, & amoris. Tria hæc ad se ipsa referuntur, quia non est amor sine memoria, nec memoria sine notitia. Nam quis meminit, aut amat quod nescit? inseparabilia sunt hæc à semetipsis, & tamen quodlibet eorum, & simul omnia una essentia sunt, & una vita in anima una. Differunt tamen, quia memoria non est intelligentia vel voluntas sive amor. Quod si hæc diligenter inspicias, invenies summæ illius Trinitatis, atque unitatis vestigium, & imaginem quandam, quamvis imparem.

Quicunque enim sempiternam & incommutabilem naturam, per memoriam reminiscitur, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, profecto reperit in semetipso summæ Trinitatis imaginem, non tamen omnino similem, sed qualemcunque, ita ut in similitudine magna inveniatur dissimilitudo. Etsi enim homo meminit, intelligit, & diligit, non tamen memoria est, nec intelligentia, nec dilectio, sed sunt hæc in eo, & in una substantia, non sicut accidentia in subjectis, quæ possunt abesse; sed substantialiter existunt in anima, & unus homo est, qui habet hæc tria, non ipse est hæc tria. In simplici vero natura, quæ DEUS est, quamvis unus sit DEUS, tres tamen sunt personæ, ut dictum est, & ipse Deus est hæ tres personæ. Sed illud satis ad rem nostram est, quia tria hæc aliquo modo unum sunt.

Reperitur & sub aliis nominibus, & alio modo in nostra natura illius summæ & ineffabilis Trinitatis imago. Nam mens & notitia ejus, & amor, tria quædam sunt: mens enim novit se, & amat se, nec amare se potest, nisi etiam noverit se. Duo quædam sunt mens & notitia. Et hæc tria quamvis distincta invicem sint, unum tantum esse dicuntur, quia in anima substantialiter existunt: & est ipsa mens quasi parens, & notitia ejus, quasi proles ejus. Mens enim cùm se cognoscit, notitiam sui gignit, & est sola parens suæ notitiæ. Tertius est amor, qui de ipsa mente, & notitia procedit, dum mens cognoscit se, diligit se: non enim posset se diligere, nisi cognosceret se: amat enim placitam prolem notitiam suam. Et ita amor quidam complexus est parentis & prolis: nec minor est proles parente, cum tantum se noverit mens quanta est: nec minor est amor parente, & prole, id est, mente, & notitia. Considerat hæc rationalis homo, & videns tria in una essentia concurrere, extendit se ad contemplationem

Creato-

Creatoris, & intelligit unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate, & unum DEUM colit, unam essentiam, & unum principium, sicut Patriarchæ, & Prophetæ, atque Apostoli tradiderunt.

Sed audiamus jam tandem ipsos, & divinæ legis auctoritatem, & testimonia afferamus, sine quibus vana est omnis argumentatio: DEUM Patrem omnes sacræ litteræ confitentur, & DEI nomen Paternitatem & omnia refert. Et, si Filium dicimus, non possumus Patrem negare. De Filio adducta sunt testimonia legis, ergo & Pater
Joan. 14. ostensus est, sicut & Salvator ait: Joan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Nunc de Spiritu sancto quod cœpimus prosequendum est.
Gen. 1. In *Gen.* 1. legimus, quia *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quis tunc Dominus nisi DEUS fuit, & cujus Spiritus nisi Domini? & quomodo Dei Spiritus, nisi Deus? DEUS est quicquid Dei est, nec aliquid illi immixtum est. Incompositus est, simplex est, & purus DEUS. In
Job 33. *Job* 33. scriptum est: *Spiritus Domini fecit me, & spiraculum omnipotentis Dei vivificavit me.* Dei sunt hæc opera, non hominis. Quis fecit hominem, nisi DEUS? est igitur Spiritus Domini, propter quod dictum est, in Psal. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Quis hic spiritus, nisi DEUS, quis impleat orbem, nisi Deus, cui cælum sedes est, & terra scabellum pedibus ejus? Et apud Poëtas, *Deum ire per omnes terras, tractusque maris, cælumque profundum*, traditum est. Et rursus: estne sedes Dei, nisi terra, pontus, & aër, & cælum & virtus? Propter quod
Ps. 138. rectè ait David Psal. 138. *Quo ibo à spiritu tuo?* Ostendens non esse locum in quo posset fugere Spiritum Domini, qui est ubique. Esse autem ubique, implere & continere mundum soli Deo tributum est. Deus igitur sanctus Spiritus est, qui hæc peragit, & futura prænoscit, & prædicit, sicut scriptum
Luca 2. est, *Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto, quia non moreretur nisi videret Christum Domini.* Non est cur Deum negemus, qui Dei efficit opera. Non igitur solus Pater DEUS est, neque solus Filius, sed Spiritus sanctus cum Patre simul, & Filio DEUS est. Quia non adversatur rationi Trinitas personarum in unitate Divinitatis, quemadmodum superiùs ostensum est.

Sed jam Trinitatem ipsam ex sacris Codicibus demonstremus, & Moysem ante omnes audiamus, cujus hæc sunt verba, in capite libri, quem
Gen. 1. Geneseos nostri vocant: *In principio creavit Deus cælum, & terram. Terra autem erat inanis & vacua; Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Tria commemorat, DEUM, principium, & Spiritum. Ideo in DEO, Patrem intelligimus; in principio Filium; in Spiritu Domini Spiritum sanctum. Et accipiatur principium hoc in loco pro Filio, sicut in Psalmis, Psal. 109. de suo Filio dicit Deus: *Tecum principium*
Ps. 109. *in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Tentans diabolus primos Parentes, interposito serpente, & suadens, ut ederent
Gen. 2. de ligno prohibito: *Eritis*, inquit, *sicut Dij scientes bonum & malum.* Quod perinde accipiendum est: eritis sicut divinæ personæ, quibus ignotum est nihil. Et cum ejiceretur Adam de Paradiso, inquit Dominus: *Ecce Adam factus est, sicut unus ex nobis*, quibus nobis? Patre scilicet, & Filio, & Spiritu sancto. Sed manifestius eadem Trinitas ostenditur cùm dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem*
Gen. 1. *& similitudinem nostram*: Cùm ait, *faciamus*, & *nostram*, plures personas indicat: cùm dicit *imaginem*, unitatem divinitatis ostendit. Nec solitarius est, cùm dicit *faciamus*, neque alia à se loquitur, qui *nostram* ait. Duo sunt pluralia verba *faciamus*, & *nostram*, ut videatur Pater cum Filio, & Spiritu sancto miscere sermonem, quod non sono vocis, sed intellectus expressius est. Dixerat, *Creavit Deus cælum & terram, Deus*, & *creavit* singularia sunt, quia unus est Deus, & una Divinitatis essentia, subjungitur, *faciamus* & *nostram*, ut pluralitas in pe sonis intelligatur. Idem & Psalmista canit Regius, dum canit: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Quid manifestius dici potuit? in conditione cælorum tres personæ concurrunt, Dominus, Verbum, & Spiritus. Dominus Patrem exprimit, in Verbo Filium accipimus, Spiritus is est, quem sanctum vocamus.

Et rursus Prophetа, ut Trinitatem personarum in Divinitate cognoscas, ter Deum provocat in benedictione, Psalm. 66. *Benedicat nos* (inquit) Psal. 66.
Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum universi fines terræ. Trina Dei confessio Trinitatem exprimit personarum, & cum subditur; *metuant eum omnes fines terræ*, unitas aperitur Divinitatis. In *Psal.* quoque 44. multum expresse Psal. 44.
Trinitatem innuit cum dicit Filio, *Sedes tua Deus in sæculum sæculi.* Et postea subdit, *Propterea unxit te DEUS, DEUS tuus*: id est Pater, & Spiritus sanctus, & cum sequitur, *præ participibus tuis*: mysterium quoque incarnationis aperit, de quo suo loco prosequemur. Et Isaias 6. in visione sua clamantia introducit Seraphim, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Ter *sanctus* ad tres personas refertur, & semel *Dominus*, & semel *Deus* dicitur: quia unus est Dominus, & unus est Deus. Et rursum idem vates ex persona Christi loquitur, & dicit: *Dominus meus misit me, & spiritus ejus: Dominus meus*, inquit, id est, Pater meus, *misit me*, scilicet Filium: *& spiritus ejus*, qui est sanctus Spiritus. Quis hic non intelligat Trinitatem? non latuit Prophetas hoc mysterium. Isai. 6.

Possent & alia plura hujusmodi testimonia ex veteri Testamento adferri, quæ Trinitatem planè ostendunt; planius tamen locutus est in Evangelio Dominus, qui cum in orbem mitteret discipulos: *Euntes* (inquit) *docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Tres nominavit personas, *in nomine* dixit, non *in nominibus*, ut essentiæ unitatem, in personarum Trinitate demonstraret. Et Joannes Evangelista, qui de pectore Domini veritatem hausit, in Epistola sua, *Tres* (inquit) *sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.* Et Apostolus Paulus ad Galat. 4. *Misit* (inquit) *spiritum Filij sui, in corda nostra.* Et alibi; *Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum habitat in nobis.* Et iterum, *Ex ipso* (inquit) *& per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria. Ex ipso* dicit propter Spiritum sanctum. Non dicit *ex ipsis*, aut *per ipsos*, sive *in ipsis*; nec *ipsis*, sed *ipsi gloria*, inquit, ut Trinitatem simul & unitatem agnosceremus. Atque his testimoniis, & auctoritatibus illuminata est desuper Christiana Religio. Summa enim fiducia confitetur, & prædicavit unum DEUM esse, qui est causa causarum, principium & finis omnium rerum, & omnis auctor creaturæ, & summum bonum, & nihilominus tres personas in Deo recognoscit, & Trinitatem in unitate venetatur: cui qui adversatur, salutis expertem se reddet, & ambulat in tenebris, & veritas non est in eo. Tu vero, si sapias; de tenebris emerges: & candida luce perfusus, sacratissimam Trinitatem, & cognoscendo coles, & colendo cognosces.

Nec

Nec adversaberis sacrosancto Evangelio, in quo legitur: *Verbum caro factum est.* Negat tuus legifer incarnationem Verbi. Nam cur (inquit) factus est DEUS homo, & in ligno Crucis DEUS passus, qui alio modo genus humanum redimere poterat? Negat tua lex Christi necem, & alium suo loco interfectum existimat: nec DEUM incarnatum cognoscit, neque crucifixum, aut mortuum. Nos utrumque prædicamus, quia factus est DEUS homo, & passus est, & propter salutem hominis hæc facta esse testamur. Ait enim de seipso Dominus: *Venit filius hominis salvare, quod perierat.* Constabat primi parentis errato, omnes homines culpa teneri: clausa erat paradisi porta, nec mortalibus patebat in cælum aditus. Decebat summam Dei bonitatem, hominem, qui ceciderat, reparare, nec miserum esse perpetuo sinere, qui ad beatitudinem perfruendam creatus fuerat. Sed obstabat justitia Dei, quæ pro peccato satisfactionem exigebat. Dignus erat infinita pœna, qui majestatem offenderat infinitam. Nec homo tanti erat, ut infinitam posset redimere culpam. Stabat hinc divina Justitia ultionem petens, illinc divina bonitas misetandum esse contendens. Audienda fuit utraque vox, quia *universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Quare etsi poterat aliter humanæ imbecillitati consulere (est enim omnipotens) hic tamen convenientissimus fuit modus, quem elegit, ut assumpta humana natura, ipse pœnas solveret. Factus est DEUS homo, ut homo fieret DEUS: *Veritas de terra orta est, & Justitia de cælo prospexit.* Conjuncta est humanitas Divinitati, ut acciperet de plenitudine bonitatis, quod suæ defectum suppleret infirmitatis. Fuit hic modus salvandi humani generis divinæ bonitati conveniens. Satisfactum est justitiæ simul, & misericordiæ, satisfactum est amori & odio. Placuit hoc divinæ potentiæ, quæ nihil frustra, nihil non decenter ac convenientissimè facit. Joan. 1.

Et licet necessitate absoluta, qua necessarium dicimus, sine quo aliud esse non potest, Incarnatio Verbi necessaria non fuit: eo tamen modo, quo necessarium accipitur id, quo convenientius & congruentius perveniatur ad finem, dicere non pudet ad reparationem hominis, Incarnationem Filii DEI necessariam fuisse. *Ego sum DEUS, ego sum Dominus, & non est alius absque me Salvator,* ex persona Christi (inquit) Isaias, quia non poterat homo salvare seipsum, quare necessarium fuit, ut homo fieret DEUS, & DEUS salvaret hominem. Propter quod pulcherrimè & ad propositum aptissimè inquit, ex nostris Professoribus unus in hunc modum, de mysterio divinæ Incarnationis: *Suscipitur à majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad deponendum conditionis naturæ debitum, natura inviolabilis est unita passibili. Deusque verus, & homo verus in unitate reperitur, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem hominum, Deique mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex altero. Nisi enim esset verus DEUS, non afferret remedium, nisi esset verus homo, non præberet exemplum.*

Intelligis quam convenienter Filius DEI carnem assumpserit, ut DEUS, & mortem obierit, ut homo. Sed quæris testimonia antiquæ legis: non negabimus, præsto sunt: *Ecce* (inquit Isaias) *Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel,* quod interpretatur, *nobiscum DEUS.* Quomodo nobiscum DEUS est? nisi quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis? Et iterum ejusdem Prophetæ verba sunt: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, DEUS fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* An non hic mysterium incarnationis planè ostenditur? & quæ tunc futura erant, quasi præterita manifestantur? *Puer* (inquit) *natus est nobis,* qui natus est in humana parvitate; & *datus est filius,* quemadmodum Joannes ait: *Quia sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum daret unigenitum.* Datus est Christus ex Divinitate, natus ex humanitate, natus ex virgine. *Cujus imperium super humerum ejus:* quod est imperium super humerum ejus? quod est imperium Christi, nisi lignum Crucis, in quo pependit, mundum vicit, aëreas potestates debellavit, & subacto triumphatoque diabolo, regnum suum potenter intravit? *Oportuit enim Christum pati, & sic intrare in gloriam suam,* ut inquit ipse in Evangelio Lucæ. Imperium igitur super humerum ejus fuit, quia Crucem gestavit humeris, quamvis eo fatigato Simon Cyrenæus angariatus sit eam tollere: Dicitur *admirabilis,* propter signa & prodigia, quæ fecit, lumen cæcis, auditum surdis, claudis ambulationem, debilibus fortitudinem, & mortuis vitam restituens. *Consiliarius* appellatur, propter Evangelica consilia, quæ adjecit antiquæ legi. DEUS asseritur, ne putares purum hominem natum; nam DEUS humanæ naturæ conjunctus est. *Fortis* quia spoliavit infernum, & portas æreas confregit, & vectes ferreos dissipavit. *Pater futuri sæculi,* quia cælum aperuit electis, & regnum homini præparavit æternum, post hanc vitam in cælesti Hierusalem. *Princeps pacis,* quia nato Christo, clausum est apud Romanos templum Jani, & mira pax exorta est: & *gloria in excelsis DEO* cantaverunt Angeli, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. c.

Ostendit & alio loco idem *Isaias cap. 45.* Incarnationem Verbi dicens: *Dominus enim Judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster ipse veniet & salvabit nos,* quod perinde accipiendum est, ac si dicat, Carnem accipiet, & mortem pro nobis subibit. Et rursus, *vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator. Absconditus* (inquit) quia in carne latuit Salvator Israel, quia sua morte nostram mortem redemit. Et ne putes temporalem esse salutem, salvationis genus addidit: *Israel salvatus est,* inquit, *in Domino*: id est, in virtute Domini, subdit *salute æterna*: quam consecuti sunt omnes, qui ex Israel Christo crediderunt. Apertissimum testimonium est Isaiæ. Isai. 45.

Sed audi Jeremiam, *cap. 23.* ejus sunt hæc verba: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo germen justum ex semine David, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium, & in diebus illis salvabitur Juda, & habitabit Israel confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Deus justus.* Considera verba, & attende mysteria, *suscitabo* (inquit) *germen justum,* id est, Christum sanctum, & justum, *ex semine David* secundum carnem: quia ex prosapia regia, & sanguine David MARIA Mater Domini nata est. *Et regnabit Rex,* quomodo regnabit? sanè quemadmodum ipse apud Matthæum in Evangelio dicit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra:* quod est Regem esse. *Et sapiens erit,* sapientia creata scilicet, quæ hominis est, & increata, quæ DEI est, & quæ est ante sæcula. *Et faciet judicium,* discretionis scilicet & discussionis; nunc discretionis, dum eligit ex mortalibus quos vult, & alios suo arbitrio dimittit: & in fine sæculi discussionis, quando reddet unicuique secundum opera sua. *In diebus illis salvabitur Juda*: id est, quicunque crediderint, & baptizati fuerint, salvi erunt. Jer. 23.

Et

Et habitabit Israel confidenter in statu Ecclesiæ triumphantis. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, DEUS justus*, ut scias, quia Christus ex semine David natus, non solum homo, sed etiam DEUS est: nec alteri, quam Christo hæc verba convenire possunt. Accedat & alius Propheta Baruch nomine, quid ille ait? *Hic est*, inquit, *DEUS noster, & non æstimabitur alius adversus eum: hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus, & cum hominibus conversatus est.* Docent hæc omnia incarnationem Verbi, & hominem factum DEI Filium ostendunt, & manifestant.

Nunc de morte audi, & eos contemnito, qui Christum volunt esse translatum, & nondum mortuum, sed incredibili dementia, circa diem supremum Judicii cum omnibus Angelis interficiendum putant. O nefandam audaciam, & stultitiam alias inauditam! dimittimus Angelos, quorum incorporea substantia est, & mortalis. Christum interfectum negant, & ajunt interficiendum. At David *Psal. 68.* ex persona Christi: *quæ non rapui tunc exolvebam* (inquit) quia non peccavit, & pœnas dedit, pro alieno delicto mortem subiit. Quod manifestius *Isaias 53.* ostendit dicens: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes enim nos quasi oves erravimus, & unusquisque in viam suam declinavit: & Deus posuit super eum iniquitatem*, expiandam *omnium nostrum*. Et subditur: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum.* Et paulò post, *tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis deputatus est, ipse multorum peccata tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Si vidisset Propheta passionem Christi, vix potuisset apertius loqui. Nec Jeremias tacuit tormenta Domini, qui eum ex ligno Crucis ita loquentem inducit: *O vos omnes, qui per viam transitis, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Et ipse Salvator de se ait: *Ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.* Et iterum alibi: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Et ne de morte dubites, scribit Evangelista Joan. 19. *Cum accepisset JESUS acetum, dixit, Consummatum est, & inclinato capite, emisit Spiritum.* *Joan. 19.*

Prophetæ Christum moriturum, & à mortuis resurrecturum prædixerunt, Evangelistæ & obiisse in cruce, & sepultum resurrexisse tertia die affirmant. Certa res est, nihil ambiguitatis habet, veritati omnia consonant. Resurrexit Dominus, ascendit in cælum, & venturus est iterum, ut faciat judicium in fine sæculi. Tua lex non recipit, quia non sapit de Christo, quæ sapere oportet. Cujus alterum adventum non solum Evangelium, sed antiqui etiam vates ostendunt, sicut paulo ante de Jeremia diximus. Contestis ejus est Daniel, dicens, *Ecce in nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit.* Et sequitur: *Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & lingua servient ei*: quibus in verbis viri doctiores judicium Christi facilè inveniunt, in fine mundi: Et ipse Christus de se ipso loquitur: *Dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos judicantes duodecim tribus Israel.* Et in actibus Apostolorum legimus, *constitutum esse Christum à Deo Patre vivorum & mortuorum judicem.* Hæc nos de DEO sentimus, hæc & firmiter credimus, hæc salubriter prædicamus, æternam vitam promittentes omnibus, qui Christo credunt, & in Trinitatis nomine baptizati, opera faciunt Evangelio digna.

Quæris, quæ sit ist vita æterna, quid agat illic homo, qua voluptate lætetur, & quam beatitudinem assequatur? Respondemus cum Evangelio Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum.* *Joan. 17.* Summa ibi felicitas erit videre Deum, in sua natura, & ejus perfrui bonitate. Gaudio nostræ mentis hinc satiabimur, hinc implebimur, hinc summa felicitas erit hærere DEO, & DEUM cognoscere. *Videmus enim nunc per speculum* (ut ait Apostolus) *tunc facie ad faciem, & in nubilo*, teste Job: *In facie Domini videbimus lumen, & satiabimur cum apparuerit gloria ejus: & erimus sibi similes*, ut ait Joann. *Nec oculus vidit* (inquit Isaias) *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ promisit Dominus diligentibus se.* Et Apostolus, *non esse condignas passiones hujus sæculi* dicit, *ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Tua lex in alia vita flumina lactis & mellis, & vini promittit, & cibaria delicata, & uxores multas, & concubinas, & virginum coitus, & Angelorum in turpibus obsequii ministeria, & quicquid caro deposcit. Bovis hic paradisus, & asini potius, quam hominis est. Hactenus PIUS Pontifex II.

CAPUT III.

In quibus rebus sit prohibita Christianis communicatio cum Saracenis.

SUpponenda sunt, quæ *libro 5. part. 4.* diximus in genere de communicatione prohibita Christianis cum infidelibus; in specie vero oportebit examinare, quæ sint interdicta Christianis cum Saracenis.

Primum igitur statuendum est, in Jure & in Bulla Cœnæ Domini esse excommunicatos fideles omnes, qui Saracenis aut inimicis Christiani nominis auxilium ferunt, in damnum Christianorum & Catholicorum. Et ut clarius constet de mente legis, in ea numerantur omnia, quæ ferri aut mitti prohibentur. Nimirum, equi, arma, ferrum, filium ferri, stannum, chalybs, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, caunabes, funes tam ex ipso cannabe, quam ex alia quacunque materia, aliaque hujusmodi.

Deinde in particulari explicantur, qui sint hi infideles, ad quos hæc omnia deferri prohibentur, scilicet Saraceni? & Turcæ, & hæretici per Rom. Sedem expressim nominati, & generatim omnes Christiani nominis hostes & inimici.

Præterea excommunicantur omnes, qui per se, vel per alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, nec non hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id consilium, auxilium, vel laborem præstant.

In hac igitur excommunicatione comprehenduntur tria genera personarum.

Primò

Primò deferentes ad Turcas, & Saracenos, vel quoscunque Christiani nominis inimicos, vel aliquid ex octo; equos, arma, armorum materiam, ut ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, & alia metallorum genera, instrumenta bellica, lignamina, funes, materiam funium, aliaque prohibita, quibus infideles prædicti Christianos impugnant. *Franc. Toletus fol. 508.*

Secundò, facientes certiores hujusmodi inimicos de rebus ad statum Reipublicæ Christianæ pertinentibus, in perniciem & damnum Christianorum.

Tertio consilium præstantes eisdem, in eandem perniciem. In secunda parte revocantur omnes concessiones, & privilegia Principibus, vel privatis super hoc à Sede Apostolica concessa.

Pro explicatione hujus excommunicationis, maximè circa primum genus personarum, Primo quæritur, quinam appellatione Saracenorum in his Juris communis capitibus accipiantur? Respondeo eos omnes accipi, qui impiæ & nefandæ Mahometi sectæ, atque perfidiæ inhærent, sive sint Turcæ, sive Tartari, sive Persæ, sive Arabes, sive Ægyptii, Africani, & Mauri. Præterea, non solum comprehenduntur Saraceni, qui actu Christianos oppugnant, sed etiam, qui habitu, id est, qui oblata occasione eos oppugnare solent, aut possunt. *Azor. fol. 1019.*

Quæres, an nomine Saracenorum comprehendantur etiam Judæi? Respondeo, ex Jure Communi, Christianos ad Judæos arma deferentes, non esse excommunicatione affectos, quoniam Judæi nomine Saracenorum minimè significantur. At vero in constitutione Pontificia, quæ dicitur Bulla Cœnæ Domini, excommunicatio comprehendit etiam Christianos, qui ad Judæos arma deferunt: quoniam excommunicatio fertur in eos omnes Christianos, qui ad Turcas, Saracenos, & alios Christiani nominis inimicos arma detulerunt. Judæi autem sunt Christiani nominis inimici.

Quæres deinde, an excommunicatio protendatur etiam ad Christianos deferentes arma ad Paganos, sive Ethnicos? Respondeo ex jure communi antiquo ad eos non extendi: ex novo vero Bullæ in Cœna Domini, ad eos quoque protendi, dummodo tamen sint Christiani nominis inimici, qui actu, vel habitu bella cum Christianis gerant.

Quæres insuper, an etiam excommunicatio comprehendat Christianos arma deportantes ad Hæreticos, præsertim ad eos, qui Catholicos oppugnant? Respondeo, non comprehendi, nec ex Jure communi, nec speciali Bullæ in Cœna Domini, quæ promulgari publicè in Curia Romana solebat ante tempora *Gregorij XIII.* Nam Hæretici appellatione Saracenorum non continentur, nec significantur vocibus Christiani nominis inimicorum. Sunt enim Hæretici Catholici tantum nominis inimici, non Christiani. Nam, ut ait August. *lib. 18. de Civ. c. 51.* Hæretici sub vocabulo Christiano doctrinæ resistunt Christianæ. At vero post tempora *Gregorij* ejusdem XIII. Bulla Cœnæ Domini sic habet: *Excommunicamus, qui equos, vel arma deferunt ad Saracenos, vel Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, vel hæreticos, per nostras vel hujus sanctæ sedis sententias expressè & nominatim declaratos*: quibus verbis excommunicatio fertur in eos etiam Christianos, qui arma bellica deferunt ad hæreticos, non quoslibet, sed à Romano Pontifice lata sententia expressè, & nominatim denunciatos.

Secundum dubium circa illa verba *Deferentes arma*, An vendentes tantum, sine eo quod deferant ad terras infidelium, comprehendantur in isto Canone, sicut qui in terris Christianorum venderent ferrum, equos, & reliqua prohibita? Respondeo cum Cajet. *verb.* excommunicatio *cap. 20.* & Navar. *super cap.* Ita quorundam, *de Jud. not. 1. num. 41.* quod non, quia cum hæc materia sit pœnalis, verba sunt intelligenda in sua propria significatione, & præcisè: non enim debet fieri ampliatio. Deferre autem dicit motum ad locum, neque est idem, quod vendere. *Tolet. fol. 508.*

Alterum dubium, utrum qui in una terra infidelium existens, defert hæc ad aliam terram eorundem, censeatur deferens? Tabien. *verf.* Excommunicatio *6. num. 7.* & Sylvest. *verb.* Excommunicatio 7. §. 67. respondent negativè, quia iste proprie non dicitur deferre ad infideles, dum maneat inter illos, & allegant prædicti auctores declarationem *Greg. IX.* in Extravag. *quod postulatis*, qui ita declaravit, quam Tabien. dicit esse renovatam, quantum ad excommunicationem, non quantum ad declarationem.

Tertium dubium est, an qui mandant deferri hujusmodi prohibita dicantur deferentes, ita ut incurrant hanc excommunicationem? Sylv. *verb.* Excommunicatio 7. §. 24. & Panorm. in *cap.* mulieres, *de senten. excommunicationis*, & *cap.* significavit *de Judæis*, dicunt generaliter, quod cum aliquis actus prohibetur sub excommunicatione, comprehenditur & mandans fieri talem actum; & potest probari, quia in illo *cap.* mulieres respondet Papa in Canon. Si quis suadente Diabolo, comprehendi etiam mandantes percuti, quia qui mandat fieri, facere dicitur. His tamen non obstantibus, contrarium est tenendum cum Cajet. *verbo* excommunicatio, *in principio*, & Navar. *cap. 24. num. 33.* & Tabien. *verf.* Excommunicat. 5. §. 49. *num. 5.* qui mandans, licet sit faciens interpretativè, non tamen formaliter, & licet primum sufficiat ad rationem peccati, non tamen ad rationem pœnæ, quia in lege pœnali verba in formali significatione sunt intelligenda. Nec obstat *cap.* dictum, quia ibi Papa declaravit, qui habet auctoritatem interpretandi. Ibi autem est amplectenda tantum interpretatio, ubi facta est, non in aliis casibus, nam si mandans semper includeretur in faciente, non esset necessarium exprimere in Bulla, & tamen mandans aliquando exprimitur, aliquando non.

Quartum dubium, an deferentes hujusmodi prohibita ad Hæreticos, comprehendantur in hac censura? Respondeo, quod nullo modo; Ita Navar. *cap. 27. num. 62.* quia non dicuntur Christiani nominis inimici, cum Christum profiteantur, & nomine Christiano censeantur, licet opera & fidem Catholicam non habeant, peccant ergo mortaliter prædicti, sed non incidunt in hanc excommunicationem.

Quintum dubium, quid per arma intelligitur? Respondeo cum Sylvest. *verb.* Excommunicatio 7. *paragr. 59.* Tabien. *verb.* excomm. *6. paragr. 1.* & communi opinione intelliguntur tam offensiva, quàm defensiva, quod probatur ex *lege* armorum *ff. de verb. signific.* & ex *l. 3. ff. de vi & vi armata*, ubi habetur arma esse scuta, galeas, gladios, fustes, & lapides: dicunt que hi Doctores ea dici arma, quæ principaliter & verè instituta sunt ad præliandum offendendo, vel defendendo. Unde cultri ad scindendum panem, vel ad scindendos calamos, non sunt arma: Ut etiam dicit Panorm. *cap.* Clerici *de*

vita & honestate Clericorum. nec alia instrumenta, in usum agriculturæ, possunt tamen secundum prædictos auctores, hæc censeri arma, ex intentione utentis. Nam si aliqui vellent his uti ad præliandum, tunc dicerentur arma etiam cultelli, & alia hujusmodi, & qui ea deferrent ad infideles, includerentur sub hac censura. E contra vero in aliis armis, etiamsi desit intentio utendi illis ad præliandum, qui ea deferret ad infideles, incurrit hanc excommunicationem, ut notat Joan. And. Panorm. & *Gloss. supra cap.* Ita quorundam, *de Judæis.*

Sextum dubium, quæ dicantur lignamina? Respondeo cum Sylvest. *verb.* excommunicatio 7. *paragr.* 19. & Tabien. *verb.* excomm. 6. *num.* 3. intelliguntur ligna, ex quibus possent triremis, naves, vel aliæ machinæ ad impugnandum fieri, & non alia ligna ad combutendum, vel in alios usus extra bellum, ut patet ex verbo Bullæ, ubi dicitur, *Quibus Christianos impugnant.* Navar. *super cap.* ita quorundam *not.* 7. *num.* 14. dicit comprehendi etiam sub hoc nomine ipsas triremes, & naves jam factas, quod mihi placet, licet Cajet. *verb.* Excommunicatio *cap.* 20. solam materiam intelligat, quia latius hic sumitur, quam in *dicto cap.* ubi dicitur, *lignamina galearum*: hic vero sine addito, dicitur, *lignamina*, ut comprehendat materiam, & quæ ex ea fiunt.

Septimum dubium, quid significent, *Alia prohibita*? Pro solutione notatur; tria esse genera prohibitorum in Jure. Quædam prohibentur absolutè, omni tempore, & omni loco, V. g. deferre prohibita, ut arma & instrumenta bellica; alia tantum tempore belli, ut mercimonia, victualia, & alia hujusmodi, *cap.* quod olim *de Judæis.* Alia prohibentur omni tempore, sed non omni loco, quia deferre hæc in Alexandriam, Ægyptum, & terram Soldani, nullo tempore licet, ut habetur in *Extravag.* multa *de Judæis.*

Secundo, nota tempus Treguæ reputari pro tempore belli, ut habetur *cap.* significavit *de Judæis.* Tempus tamen extra actuale bellum & induciarum non reputatur tempus belli, ut benè notat Tabien. *verb.* Excommunicatio *num.* 5. qui ad quæstionem respondet *verb.* Excomm. 6. §. 4. Omnia hæc tria genera comprehendi sub illo verbo, *Alia prohibita.* Sylvest. *verb.* Excommunicatio 7. §. 60. & Cajetan. *verb.* Excommunicatio c. 20. dicunt tantum ea, quæ pertinent ad bellum ibi intelligi, & ego ita credo, quia illud relativum *Alia*, refertur ad antecedentia, in quibus continentur tantum prohibita, ad præliandum pertinentia. Item verba sequentia (*quibus Christianos impugnant*) ad idem determinatur, nam mercimonia, aut victualibus non dicuntur impugnare, licet tempore belli ministrentur.

Octavum dubium, An qui deferunt ista ad infideles, non ut impugnent Christianos, sed alios infideles, incurrant hanc Excommunicationem? Respondeo, si ista, quæ deferunt, permaneant, ut possint postea impugnare Christianos, absque dubio incidunt in hunc Canonem; si vero ea, quæ deferunt verisimiliter consumuntur, talia deferre non est prohibitum. Hæc de primo genere.

Secundum genus personarum, comprehensum in hac Excommunicatione, non continet omnes, qui faciunt certiores infideles, de quibuscunque rebus Christianorum, sed quomodo hujusmodi res concernunt ad statum communem alicujus Reipublicæ Christianæ, & cedunt in damnum & perniciem ipsius; utrumque enim est necessarium ad incurrendam hanc censuram. Eodem modo intelligendum est de tertio genere personarum, quod non quicunque dant consilium, statim sint excommunicati, sed solum quando hoc consilium cedit in damnum & perniciem Christianorum.

In posteriori parte hujus Excommunicationis, quia aliqui potuissent allegare privilegium aliquod à Sede Apostolica obtentum, ut possint ad infideles deferre prohibita hujusmodi; ideo Papa derogat in totum hujusmodi privilegio. Ut autem conferamus prædicta cum jure antiquo, nota, quatuor esse maximè inter alia Pontificum decreta similia in jure huic Excommunicationi Bullæ Cœnæ.

Primum est ALEXANDRI III. *Cap.* ita quorundam, *de judiciis*, ubi excommunicat tria genera personarum.

Primò deferentes Saracenis arma, ferrum, lignamina galearum.

Secundò gerentes gubernationem & regimen in galeris, & in piraticis navibus.

Tertiò subministrantes necessaria ad impugnandos Christianos eisdem Saracenis. Per Saracenos autem intelligere oportet, omnes, qui sequuntur sectam Mahometanam. Iste Canon, vel istud Jus in multis excedit Bullam, & est illa latior, in quantum sub illo verbo (*subministrant necessaria*) comprehenduntur, tempore belli victualia deferentes, quæ in Bulla Cœnæ non continentur, *ut supra* diximus. Et simile est de dantibus, vel mutuantibus pecunias eis ad impugnandum Christianos. Primum vero genus personarum continetur in Bulla Cœnæ, & etiam secundum sub illo verbo (*consilium præstantes.*) Est tamen strictius ex alia parte.

Primo, quia Bulla Cœnæ, præter Saracenos, ad quosvis Christiani nominis inimicos extenditur.

Secundo, quia complectitur curam gubernationis gerentes, non tantum in galeis, & navibus piraticis, sed omnium infidelium contra Christianos, licet piratæ non sint.

Tertio complectitur deferentes non tantum arma, & ferrum, sed etiam stannum, plumbum, & alia metalla, armorum materiam, & equos etiam tempore pacis, quæ illic non includuntur, nisi prout necessaria sunt illis Saracenis ad bellum contra Christianos.

Quarto complectitur certiores facientes infideles de rebus pertinentibus ad Christianos, quæ non comprehenduntur in Jure.

Præterea sciendum est ad alterum decretum fuisse *Clementis III.* Cap. Quod olim *de Judæis*, ubi excommunicat habentes commercia cum Saracenis tempore belli, & eos, qui per se, vel per alios, navibus, vel quovis alio ingenio, aliqua rerum subsidia, vel consilia duxerint impendenda, etiam tempore belli durante, intelligendo etiam tempus Treguæ, ut *supra* diximus. Hæc excommunicatio non est reservata, neque pertinet ad Bullam Cœnæ, nisi merces sint, alia omni tempore, & loco prohibita, ut supra diximus. Item impedientes subsidia, nisi sit aliquid eorum, quæ in hac Bulla prohibentur, non incurrit excommunicationem Bullæ, ut si victualia, pecuniæ, & similia impendantur, quia non sunt in ea prohibita.

Tertium decretum est *Innocentij III.* C. ad liberandum, *de Judæis*, ubi excommunicantur omnes,

quos

quos *Alex.* excommunicavit, ubi supra, & insuper addit vendentes galeras, vel naves, & qui machinas, auxilium, vel consilium præstant Saracenis in dispendium Terræ sanctæ, & non est reservata. Apponitur etiam inter alias pœnas, ut hi non absolvantur, nisi totum quod habuerunt ex commercio damnum, & tantumdem de suo sat reddant in favorem terræ sanctæ. In Bulla vero Cœnæ, non continentur hi, nisi simul deferant ad ipsos, ut suprà diximus. Non continentur, inquam, vendentes galeras, & naves, reliqui vero continentur, & licet hic Can. Procedat tantum, cum fit in dispendium terræ sanctæ, tamen absolutè sunt excommunicati per C. Ita quotundam, *de Judæis.* quia ministrant Saracenis necessaria. Et dicuntur necessaria, non quia Saraceni illis indigeant, sed quia ex se sunt necessaria.

Quartum Decrerum est *Clementis V.* in *Extravag.* multa, *de Judæis.* ubi excommunicat deferentes equos, arma, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcunque mercimonia, in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum, terræ Ægypti, & mittentes hæc vel portantes, vel de portubus eorum, ut eis deferantur, extrahentes, vel extrahi permittentes, vel talia agentibus quomodolibet favorem velauxilium præstantes. Estque hæc excommunicatio Papæ reservata. Ubi patet multos excommunicari, qui in Bulla Cœnæ Domini non continentur, & è contra in Bulla non tantum ad Saracenos, sed ad infideles alios ista prohibentur deferri. Ibidem continentur certiores facientes tempore pacis, & pro redemptione captivorum arma deferentes, quod olim licebat in *Cap.* Significavit, *de Judæis.* Secundum aliquos, ut refert Sylvest. *verb.* Excommunicat. 7. *paragr.* 61. sed ego contrarium censeo, cum *Gloss. illius cap.* quod intelligendum est de aliis mercibus, extra arma, ferrum, &c.

Restat denique aliud dubium, An Christiani à Saracenis (quod sæpissimè contingit Christianis inter Saracenos degentibus) capti, & servi effecti, & remigio mancipati, & addicti lethalem culpam, & proinde excommunicationem contrahant, cum jussi remigant in bello contra Christianos, metu mortis, vel rerum, aliorumve cruciatuum, quæ mala alioquin sustinerent, si à remigando desisterent? Navar. in *Manual. cap.* 27. *nu.* 63. *v.* 7. *quod Christiani.* existimat eos quidem excommunicationem non incurrere, sed tamen lethalem culpam contrahere, & proinde absolvi non posse à peccatis, nisi remigandi mentem & voluntatem exuerint. Priorem partem probat: quia verisimile, inquit, non est, Ecclesiam excommunicatione eos ferire in tanto periculo constituros, eos vero à lethali culpa non liberat, quia putat contra Christianos remigare esse per se malum, & proinde nec jussu Dominorum, nec metu mortis, à culpa excusari: non secus ac si Saracenus servo Christiano imperaret, ut furaretur alteri, vel aliquem hominem occideret.

Mihi tamen aliud videtur, puto enim remigare, in eo qui tanquam servus est remigio addictus, & traditus, esse per se rem indifferentem. Est enim proprium servi ad id destinati munus. Unde sicut Naaman non peccabat, tamen si suo Principi inserviebat in templo Idolo colenti, dum Regis imbecillitatem suis manibus sustentans, ima cum eo se inclinabat, suo enim munere fungebatur: nec ancilla peccat, si Dominam Ethnicam & gentilem comitetur gestando eandem, & simul cum ea in templo Idolorum genu flectat, non quidem, ut Idolũ veneretur, sed ut suum officium præstet. Ita etiam Christiani in servitutem redacti, & destinati remigiis nequaquam peccant in remigando.

At dices, Remigant contra Christianos! Fateor, sed hoc illi faciunt, ut suo officio, & muneri satisfaciant: nec enim illi sua voluntate, & arbitrio sunt remiges effecti, neque eis præcipitur solum, ut remigent contra Christianos, sed ut absolutè & simpliciter remigent, quod non est per se malum opus. Quare cum remigare duro Dominorum imperio & jussu coguntur, minimè adiguntur ad id præcisè contra Christianos præstandum, sed simpliciter & promiscuè, contra omnes, ut ita suum officium exequantur, & obeant. Aliud vero esset, quando juberentur arma capere & pugnare contra Christianos, aut furari, aut innocentem hominem occidere, hæc enim sunt per se mala, & proinde nullo metu etiam mortis facienda.

Ad id vero quod objiciebatur, nimirum Christianos in remigando Saracenis opitulari: respondemus eos per se solum, quod debent officium, & ministerium præstare, ex accidenti vero sequi, ut in eo Saraceni juventur, qui non est eorum propositus finis: nec tamen inde efficitur, ut jure possint contra Christianos remigare, etiam quando ad id nullo metu adigerentur, tunc enim cum omnis metus & periculum abesset, lege charitatis desistere à remigando deberent, cum possent citra ullum incommodum Christianorum libertati, saluti, & vitæ prodesse. At vero tanto cum suo detrimento, & malo, nulla lege compelluntur, ad consulendum aliorum vitæ & bono. At commune bonum, inquies, jure naturæ debet privato præferri. Non diffitemur id lege Charitatis Christianos præstare oportere, ubi Saracenis, vel Turcis, pugna esset, contra certam Christianorum Rempublicam, aut contra Regem, vel Principem: sed in præsentia sermo tantum est de servis Christianis, qui remigant in triremibus, vel navigiis Saracenorum, contra privatos Christianos pugnantiũ.

Ultimo denique dubitari poterit, An Saraceni Christianorum Principum jurisdictioni subjecti puniri queant ob delicta contra legem naturæ commissa, aut contra Deum in iis, quæ sunt illis nobiscum communia? Respondeo posse, ut si furta, adulteria, parricidia, vel homicidia perpetrant, quoniam sunt crimina contra communem Reipublicæ salutem, cujus ipsi quoque sunt participes. Si item idola venerentur, si DEUM negent unum esse, si in Christum Religionemve Christianam maledicta conjiciant: si Christianos in Christi, aut Christianæ Religionis odium, ignominiam aut contemptum malè habeant: si Sanctorum imagines conculcent, reliquias proterant, si cruces prosternãt, resve alias sacras impiè & nefariè polluant, violent, aut tractent. Unde merito à Christianis Imperatoribus præsãcitæ sunt leges, ut Idolorum templa clauderentur, & impia sacrificia cessarent, quod jussit Constantinus Magnus *l.* placuit *C. de Paganis*: & ut reverterentur, quod est postea à Theodosio imperatum. Nam, ait Nicephor. *l.* 9. *hist. Eccl. c.* 25. Primus Constantinus sacrificare dæmonibus prorsus prohibuit, aras autem eorum non sustulit, mandato illo promulgato, ut Deorum fana clausa essent, ne ab aliquo adiri possent, idem filii ejus fecêre. Sed Theodosius legem tulit, ut Deorum fana diruerentur. Teste igitur Nicephoro simulacra & statuæ Deorum dejiciebantur, frangebantur, & comminuebantur. Editæ quoque sunt Imperatoriæ leges, quibus Pagani in Christum & Christianam Religionem contumeliosi, & injurii pecuniariis pœnis, atque etiam bonorum publicatione mulctarentur.

Quæretur insuper, an liceat Christianis Principibus impune permittere Saracenorum ritus? Respondeo ex parte licere, ex parte vero, non licere. Si ritus ita sint superstitiosi, ut nec eorum sectæ quam superstitiosè profitentur, congruentes sint, nequaquam eos tolerare Christianum Principem decet: quia & à Christiana Religione, & ab eorummet secta, quamvis impia, sunt alieni. Si tamen sint ipsorum proprii, nec à veteri, & antiqua professione discrepent, permitti, & tolerari possent ad plura, & deteriora mala evitanda, nimirum ad communem Reipublicæ pacem tuendam, & dissidia & odia profligandæ, ad expeditiorem eorum conversionem. Nam cum eorum vana & superstitiosa secta, tota undique erroribus scateat, ac fæteat, facilius, citius, & commodius possunt hac ratione confutari.

LIBER UNDECIMUS,

DE ETHNICORUM CONVERSIONE PROCURANDA.

PRÆFATIO.

Gentium cõversio prædicatur.

IN Oraculis antiquis habemus certè clarissimas de conversione omnium Ethnicorum prophetias, futurumque, ut Ecclesia DEI ad agnitionem divinæ veritatis perducat omnes nationes: & ut nunc cæteros omittam Prophetas, Isaias 2. *cap.* clarissimè vaticinatur, non unis, sed in universum novissimis diebus fore, ut gentes confluant ad montem Domini, & invitent alios populos; neque ullum tempus excepit, quo id non contingeret. Sic alibi: *Multiplicabitur*, inquit, *eius imperium, & pacis non erit finis.* Et de Ecclesia rursus, quæ prius erat, quasi tellus deserta & invia, ad quam nemini patebat accessus ante adventum Christi, nullus ejus erat cultus: *Lætabitur*, ait, *deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans.* Explicat alibi eadem elegantissimè Isaias. *Deserta*, scribit, *tua, & solitudines tuæ, & terra vicini tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur, qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ; Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. Et dices in corde tuo, quis genuit mihi istos? ego sterilis & non pariens, transmigrata, & captiva; & istos, quis enutrivit? Ego destituta & sola: & isti ubi hic erant? Hæc dicit Dominus DEVS: Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum: & afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.*

Isaiæ 2.

Isaiæ 7.

Isaiæ 35.

Isaiæ 49.

Non discedamus ab eodem Isaia: qui sic alibi refert DEVM loquentem ad Ecclesiam: *In indignatione mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui, & aperientur portæ tuæ jugiter die, ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur.* Quasi nullum sit momentum diei vel noctis, quo Ecclesiæ portæ claudantur, sed sint semper è gentibus, qui ingrediantur ad ipsam, ita ut non possit etiam eo tempore, quo necesse videtur, qualis est nox, claudi. Prædictæ igitur prophetiæ, quæ necessario impleri debent, animos virorum Apostolicorum vehementer movere ac inflammare deberent. Quid enim acrius animum pium urgebit, quam divinæ promissionis veritas, quæ pollicetur Gentilium resipiscentiam. Porrò acerrimum calcar habent Evangelici ministri, ad Ethnicos profecturi, ut libenter onus impositum ferant: divinam scilicet pollicitationem divinorum oraculorum futuri proventus. Etenim nihil æquè firmum negotiatores habent, qui ad extremos Indos auri amore navigant, quam promissionem: & tamen firmius & perseverantius Oceanum vincunt, quàm JESV Christi famuli, quos amor salutis proximorum lentè admodum afficit.

Isaiæ 60.

Rationes quibus Evãgelium dissemi-nandum Gẽtibus suadetur

Secunda ratio; quia cum hoc Sæculo ab anno circiter quingentesimo supra millesimum plus terrarum atque hominum fuerit detectum, quibus Evangelii lux nondum plenè illuxit; quam totis ferè mille superioribus annis, innumeræ etiam sint Regiones, ac Gentes, quæ quotidie à Lusitanis & Hispanis in utraque India deteguntur, quibus Evangelica tuba nondum insonuit, manifestò monstratur præ foribus esse tempora, in quibus plenitudo gentium intret Ecclesiæ ovile; verè enim divinum fuisse consilium clarè perspicitur, ut tot nationes antea ignotæ,

hoc-

hoc sæculo reperirentur, ut ad Evangelium vocarentur, & concorporales fierent & comparticipes mysteriorum Christi. Horum igitur omnium oportet procurare salutem, ac ministros Christi excitare, ne tota die otiosi animarum salutem negligant, imò DEI consilia conatusque adjuvantes divino operi strenuè se accingant: maximè cùm tanta atque adeò vasta orbis portio patuerit, ac tot nationes nostra ætate repertæ sint, quibus nec syllaba sancti Evangelii innotuerit; nec credi potest frustra tot fuisse adinventas, sed divina potius providentia, ut primum innotuerint, deinde adeantur, ac tandem Evangelicam pacem accipiant.

Tertia ratio; dolendum est profectò, innumeras nationes barbaras divinum cultum Dæmonibus divinitatem simulantibus afferre, & magnificentissima templa impuris creaturis dedicari: ut apud Japonios, Sinas, & Indos passim cernitur. Qualis ergo zelus Christianorum erit, nihil curare quod cultus JESV Christo debitus tot Diis commentitiis reddatur? quare rectè monet D. Chrysost. *hom. 4. in cap. 1. Epist. 1. ad Corinth. Nos Ethnicos muliebri, vel etiam majori ululatu deploremus, quoniam communem salutem non intelligunt, neque enim adeo uxorem virum suum amare oportet, ut nos universum genus humanum, idque ad salutem allicere, sive Ethnicus sit, sive quivis alius.*

Quarta: Hic (si uspiam) misericordia vim suam prodere deberet; Tartarus quippe sinus suos pandit & laxat, ut innumerabilem multitudinem Idololatrarum quotidie cadentem absorbeat. Nunquid animæ illæ Christi sanguine redemptæ non fuerunt? Quomodo ergo tam ingens humani generis pars cedit in prædam Dæmonis?

Quinta; Eò major misericordia Gentilibus impendenda est, quo simplicius peccant. Certum est quippe, in alta eos JESV Christi ignoratione versari: quid vero agent, quomodo Christum agnoscent? Profectò nisi per auditum non agnoscent. At quomodo audient sine prædicante? Etenim duros corde oportet esse Christianos, quos tantæ cladis sensus non tangit, & pro virili parte sua, ministros ad gentem derelictam mittere minimè curant.

Sexta ratio efficacissima subest, ab Apostolorum imitatione petita: ii enim à Christo ad remotissima Gentilium Regna missi, opus certè gloriosum à fundamentis cæperunt, ut ab eorum imitatoribus perficeretur. Qualis ergo imitatio erit, opus imperfectum relinquere, cum vires & industria suppetant, ad ea quæ desunt feliciter implenda? Vtinam qui Christo placere cupiunt, animadverterent quanti sit momenti ratio hæc, (quæ si observetur) JESV Christi famulos Apostolis simillimos efficeret. Profectò Christus singulari providentia duos nobilissimos Apostolos PETRVM & PAVLVM ad arcem Romani destinavit Imperii, ut omnes Gentilium superstitiones, quæ ibi vigebant, aboleret. Vt per hoc ipsum Ecclesiæ Principes discerent, qua solicitudine, ac dilectione Ethnicos homines amplecti, & ad æternæ salutis viam perducere deberent. Et quidem ratio hæc summos Antistites non segniter urget.

Septima; Sanè si JESV Christi famuli de conversione Gentilium, ut par esset, agerent, omissis capitibus multis, ex hoc uno potissimum incitarentur, quod missiones istæ divinis consolationibus affluunt. Quis enim vir pius, non intima voluptate capiatur, cernens nascentem Ecclesiam, novellos Christi partus sacro baptismi fonte lustratos, syncerum Evangelici textus intellectum, syncero exercito confirmatum? Quid, quot nova in Ecclesia nova miracula coruscant, quæ nostros Europæos in extremis orbis regionibus Christi causam agentes vehementer inflammant & exhilarant, & novos populos efficaciter trahunt, & admiratione suspendunt?

Ratio octava; Habet quoque missio, quæ ad istos infideles fit, facilitatem miram, utilitati conjunctam: facilitatem, inquam, in disputationibus, ac fidei persuasione. Cum enim rudes sint, & crassissimis erroribus excæcati, mirum est, quam facilè convincantur, ut ad disceptationem ventum est. Quod certè asseritum ex recentibus constat historiis. Japonii quippe (pro Gentilium conditione non prorsus rudes) in primis Europæorum congressibus mirabili stupiditate convicti sunt. Et ex hoc certè capite conversio Gentium, cum facilior sit, avidius à viris Christianis arripienda est.

Nec retardare debet plurimas harum Gentium nationes barbarissimas esse, ac belluinis moribus imbutas, vix quicquam humani sensus habentes, sine lege, sine Rege, sine ullo tenore viventes, ac proinde ineptas esse verbi DEI prædicationi: quia nullum hominum genus, ut doctè ac eleganter probat Josephus Acosta, excluſum est, in Evangelii, fideique communicatione, ubi à Christo Do-

Marc.19. Act. 1. Matt.28 mino Apoſtoli audiunt, *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et rurſus: *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Et alibi: *Docete omnes gentes.* Quis igitur tam illuſtris præcepti toties commendati auctoritatem contemnat? Aut quam hominum nationem adeò feram, & ab omni humano ſenſu remotam, beneficio prædicationis, fidei, pœnitentiæ, ac divinæ doctrinæ deſtitutam putet, cum audiat Dominum de univerſo mundo obeundo, de omnibus docendis Diſcipulos conteſtantem? Quin potius ſi attentius divinas Scripturas legamus, apparebit fortaſſis non ſine magna ratione, ac divino quodam myſterio, extremum & abjectiſſi-

Pſal.67. mum genus hominum, vel præcipuè ad ſortem Evangelii vocari. *Æthiopia*, inquit, *præveniet manus ejus Deo.* Quæ vero gens deſpicatior his, qui vel ipſo terrore

Soph.2. & putore horrori penè habentur? De his Sophonias quoque Propheta: *Attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum viri de loco ſuo, omnes Inſulæ gentium. Sed & vos Æthiopes, interfecti gladio meo eritis*, illo nimirum gladio, quem Dominus venit mittere in terram, quod eſt Verbum DEI; pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus.

Cur enim contemptos, ac ſempiternæ oblivioni datos homines arbitramur apud pium Conditorem, & benigniſſimum Redemptorem? Nunquid non unus Pater eſt omnium? An alio ſanguine Græci & Romani, alio Barbari & Indi redempti ſunt? Ipſos certe JESV Chriſti Apoſtolos ſcimus ad remotiſſimas ac ferociſſimas nationes penetraſſe, neque earum belluinis moribus deterritos, neque ſenſus ſtuporem pertæſos, & prædicaſſe Evangelium, & baptizaſſe, & munus inde Domino juxta propheticum vaticinium obtuliſſe. Agnoſcebant ſe debitores crediti talenti Græcis pariter ac Barbaris, ſapientibus atque inſipientibus. Intelligebant in Chriſto JESV non eſſe Judæum & Græcum, Barbarum & Scytham, ſed novam creaturam, quæ ſecundum agnitionem DEI renovatur in imaginem ejus, qui creavit illam.

Etenim quos paterfamilias licet debiles, licet claudos, licet pannoſos, & horridos ad præclaras cæleſtis convivii epulas pro ſua magnificentia invitari jubet; cujus obſecro temeritatis, cujus impudentiæ erit, hos ut ſervi convivas dedignentur, averſentur, taſtidiant? Niſi putamus melius eſſe perſpectam miniſtris, vel convivarum rationem, vel convivii dignitatem, quam ipſi omnium Conditori & largitori? In illo certè linteo, quod Petro eſurienti cœlitus oblatum eſt, omne genus non ſolum volucrum, & animantium; verum etiam ſerpentum ac reptilium expoſitum ac præparatum divina nos docuit hiſtoria, ut etiam ſordidos, & abjectos, atque ut ita dicam humi repentes à Domino ſanctificatos intelligamus. Quod autem DEVS ſanctificavit, nobis ut immundum taſtidire ac repellere minimè licet. Quamobrem deſinamus vel tarditatem, vel duritiam Barbarorum, tantis divinæ charitatis promiſſis opponere, & eum, qui promiſit fidelem exiſtimantes, à communi omnium ſalute, nullum genus mortalium putemus exceptum.

Ordo ſervandus.

NOs igitur, ut horum omnium ſaluti conſulamus, maximè his, qui ingenio & politia pollent, tria præſtabimus. Primum, Gentilium errores ad univerſaliſſima capita reducemus, eoſque naturali ratione fulti, per ſingula capita confutabimus. Nec pro errorum confutatione ulla inducemus argumenta, vel intricata, aut nimiæ ſubtilitatis, vel cavilloſa & fucata: omnia erunt, ut ſperamus, facilia & dilucida, quæ intelligi à quovis animadvertente queant. Secundo, De juvandis Gentibus, rationeque agendi cum eis: ac tandem Tertio de communicatione cum Gentibus, atque quibus ea caſibus licita ſit, dicemus.

PRIMA

PRIMA PARS.

DE GENTILIUM ERRORUM CONFVTATIONE.

CAPVT I.

De erroribus Gentium in communi.

Gentiũ errores.

ILla solum desumam ad Gentilium errores confutandos, quæ præcipua sunt, & à multis recepta, & circa quæ celebres sunt hominum delectandi DEO sectæ & adinventa, neque prosequar ex iis, nisi ea tantum, unde videro jacturam Religioni importari, vel ut frigeat, vel nutet, vel omnino cadat. Nam abolita jam vel satis à majoribus explosa, & profligata, ne attingam quidem: ut de Jove, de Junone, de Hercule, de Venere, de Marte, aliisque hujusce notæ. Quis enim adeo nunc insanit, ut illos esse Deos suos credat, quales nemo velit habere liberos, aut servos? ad errorem illum convincendum, satis sunt olim à sanctis viris dicta & scripta, cum is adhuc hominum animos occuparet.

Præcipui autem Gentium errores, circa divinam naturam cognoscendam ad hæc capita commode reduci possunt. Nam vel ita barbari aut ignari sunt, ut DEUM esse non intelligant, illumque primum, & summum principium, à quo omnia hæc, quæ videntur prodicta sint, non agnoscant: vel eo cognito in hoc primo principio definiendo plurimum errent. Hi autem errores omnes, ut fecit D. Tho. *lib. 1. contra Gentes cap. 9.* ad quatuor capita reduci possunt: nam in hac prima causa, quam nos DEUM appellamus inquirenda, in tribus maximè cernimus homines errasse. Primo in hujus principii natura, substantia, & perfectione, prout in se est cognoscenda. Secundo, in ratione explicanda, qua à primo hoc principio omnia fuerunt condita, & quomodo ab eo regantur, & conserventur, eisque se variis modis communicaverit. Tertio, in exponendo ultimo creaturarum fine maximè hominum.

Circa primum articulum, nempè circa DEI naturam & perfectionem, in varios gravesque errores Gentiles prolapsi sunt, quos ad certa capita redigere, penè esset impossibile. Circa secundum vero de processione creaturarum facilius errorum species ad certas classes à D. Thom. *lib. 2. contra Gentes c. 3.* referuntur: *Primus*, inquit, *est eorum error, qui creaturarum naturam ignorantes, nihil supra corporalem creaturam existimantes, dixerunt creaturam, primam causam & DEUM constituere; de quibus dicitur Sapientiæ 13. Qui autem ignem, aut spiritum, aut aërem, aut girum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam Deos putaverunt. Secundus error est eorum, qui ea quæ solius DEI sunt, ut creare, futura cognoscere, miracula operari, creaturis aliquibus ascribunt; de quibus dicitur Sapient. 14. Incommunicabile nomen ligni & lapidibus imposuerunt. Tertius, Est eorum, qui divinæ virtuti in creaturas operanti aliquid detrahunt, quales fuêre illi, qui duo rerum principia constituunt, vel qui res non ex divina voluntate, sed ex necessitate naturæ à DEO procedere asserunt: similiter & illi, qui res vel omnes, vel quasdam ad divinam providentiam non referunt. Ac denique quarto multi ex Gentibus errarunt, existimantes, creaturas rationales, quarum finis ultimus est ipse DEUS, aliis creaturis esse subjectas, ut sunt illi, qui hominum voluntates astris supponunt, vel qui Angelos animarum creatores faciunt, aut ipsas animas mortales ponunt. Quibus erroribus naturæ humanæ derogant dignitati.*

Circa ultimum vero hominis finem exponendum, tam varii sunt, ac à veritate alieni errores; ut Marcus Varro, teste D. Augustino *libr. 19. de Civitate Dei cap. 1.* ducentas & octuaginta opiniones, seu, ut melius dicam, deliramenta enumeret. Præsumebant enim temerè, ultimum hominis finem, & beatitudinem in hac vita inveniri posse, ut qui alterius vitæ cognitione carerent. Quare præsenti vitæ aliam succedere, in qua mortales actionum suarum præmio, vel supplicio à DEO afficiantur, non agnoverant. Ac tandem circa honorem & reverentiam exhibendam huic ultimo fini, ac principio omnium rerum, toto errant cælo, cùm verum cultum DEO altissimo debitum, in hominum mortuorum, vel Dæmonum, vel aliarum rerum, & simulacrorum vanissimum, superstitiosissimumque honorem transtulerunt.

Contra hos igitur Gentium vanissimos errores breviter agemus, licet non eodem ordine in omnibus servato.

Præterea cum in adducendis gentibus ad fidem, non solum opus sit eorum errores destruere, sed & veritates nostræ fidei eis aperire, ut optimè advertit D. Thom. lib. primo contra Gentes cap. 9. *Sapientis intentionem*, ait, *circa duplicem veritatem rerum divinarum versari. Primo circa errores contrarios destruendos, & ad hujus veritatis manifestationem, per rationes demonstrativas, quibus adversarius convincatur, procedendum est. Secundo, Circa veritatum fidei, quæ nostrum intellectum excedunt, manifestationem: in quibus solvendæ sunt rationes adversariorum, cum veritati fidei ratio naturalis contraria esse non possit. & rationibus probabilibus, quibus fidei nostræ mysteria esse evidenter credibilia Infidelibus ostendatur.*

Quæ in Gentiũ conversione observanda

Ex quibus in conversione Gentium procuranda, tria potissimum intendere debemus. Primum, eorum errores destruere. Secundum, Fidei nostræ mysteriorum credibilitatem comprobare. Tertium, modum cum eis agendi præscribere, quæ tria à nobis breviter erunt in hoc Opere præstãda.

CAPVT II.

De Scriptoribus adversus Ethnicos.

ADversus Gentium errores, & Idololatras præsertim veteres, ac falsarum Religionum cultores, ex antiquis Patribus scripserunt Justinus Philosophus & Martyr; Tertullianus in Apologetico, & libro de Idololatria; S. Cyprianus de Idolorum vanitate, & aliis in locis; Clemens Alexandrinus; Eusebius Cæsariensis; Lactantius Firmia-

nus, Arnobius, Augustinus præcipuè in *libro de Civitate DEI*, nunquam satis laudato; S. Thomas in *libro contra Gentes*: Guilielmus Parisiensis *lib. 1. de fide ac legibus*. Ex his igitur Ecclesiæ Patribus innumera & efficacissima desumi possunt argumenta, quibus Infideles trahantur, ut oculis quasi apertis suarum sectarum nugas, & fidei nostræ solidam veritatem conspiciant.

Pro juvandis vero, edocendisque gentibus, maximè vero novi orbis, sive Indiarum Occidentalium, & Orientalium, Sinarum, & Insularum, Japoniis, aliisque quamplurimis, videndi sunt inter alios nonnulli doctissimi viri ex Jesuitarum familia, qui rara doctrina experientiaque præditi, de hac re scripserunt: quales sunt Anton. Possevinus 1. *Tomo suæ Biblio. lib* 9. & Josephus Acosta in *lib. de procuranda Indorum salute*, Alexander Valignanus in *Catechismo Japoniorum*: hi enim post diuturnam rerum experientiam, alter pro Indorum Occidentalium, alter pro Japoniorum conversione accuratissimè scripserunt. Sed præcipuè nostri temporis clarissimum lumen Ludovicus Granatensis perlegendus erit, in aureo illo volumine, cui titulus est, *Introductio ad Symbolum*, maximè 5. *lib.* qui est velut aliorum compendium.

CAPVT III.

De ultimo fine hominis.

Ad quē sit finem homo cōditus?

AB hominis fine, ad quem à DEO conditus est, Christo propitio exordiemur disputationem, quam fusè, doctissimè tamen prosequitur Ludovicus Vives *lib. 1. de veritate fidei Christ.* à quo brevitati soliæ consulentes ea, quæ præcipua ac selecta sunt decerpsimus. Ad hominis, inquit, verum germanumque finem inveniendum, operæ pretium fuerit, ut hominem ipsum, humanaque omnia, singulatim evoluta atque explicata proponamus nobis ante oculos. Primum omnium nasci hominem videmus, tum ali, & crescere, quod vivere vocatur: hoc ei est cum stirpibus commune, distinctum à non viventibus. Vis ergo & facultas est in eo aliqua, per quam vivit, quæ iis negata est, quæ non vivunt: ad hæc utitur sensibus externis & internis, in quo à belluis nihil differt, differt à stirpibus. Aliquis ergo in eo est vigor, cujus ope, actionibus illis fungitur, qui non inest plantis nec herbis.

Veniamus jam ad ipsius proprium. Uritur consilio, judicio, ratione, sermone, quæ belluis non sunt attributa, uti est à Philosophis declaratum, & res ipsa ostendit. Aliquid ergo habet quo carent cæteræ animantes: per quod animal est rationale, cætera sunt bruta, muta, & rationis expertia. Ea vis & facultas mens dicitur, seu ratio, qua una homo censetur, aliis omnibus non dissimilibus rebus, tanto ab homine intervallo separatis, saxis, arboribus, belluis. Habet in mente functiones duas: alteram qua in bonum tendit, voluntatem: alteram, quam hujus velut consultricem nuper diximus, judicium sive ingenium, quæ quid verè bonum & malum sit inquirit.

Voluntas ex se qualitatem habet nullam, talis sit omnino, quale id quod amplectitur: si bonum, bona: si malum, mala. Illic est virtus, & hic vitium. In ingenio succrescit, cum non exercetur, ignorantia, quæ est velut tenebræ; cum autem probè exercetur, peritia, quæ est tanquam pura lux; quum autem pravè, perversitas, & corruptela, quæ est ceu lux, quæ in lucerna ex oleo ardens medicato varias rerum imagines objicit oculis, ut capita asinina, vitulina, vineam per parietem expansam, fallitque intuentes ea ipsa quæ vera debeat ostendere. In animo, quem communem fecimus cum bestiis, sunt sensus interni, imaginatio, phantasia, existimatio, memoria; hinc affectus varii de opinione boni, vel mali, præsentis, ac venturi, lætitia, mæror, cupiditas, metus, & alia, quæ subtilius exequi non est loci hujus. Jam incorpore sunt sensus interni, in illis integritas & vigor, tum integritas membrorū, sanitas, vires, vigor, robur, species, habitudo, & per sensus voluptas infusa. Foris ad nos veniunt quibus conservetur corpus, ea ex quibus est concretum & coagmentatum. Sumimus enim ex terra, aqua, aëre, & igne, quæ huic tuendæ, ac fulciendæ compositioni conducant, tum quibus recuperetur sanitas amissa, vel dubia, & nutans confirmetur, quibus singuli sensuum voluptatibus, & deliciis sibi congruentibus titillentur motu quodam suavi & jucundo.

Hæc præbuit natura. Nos adjecimus nostra primum pro teneritudine, atque imbecillitate corporum necessaria, indumentum, habitacula, instrumenta exercendæ terræ, & quodammodo cogendæ: ut fructus fundat, ac veluti debitor reddat creditum; tum quod vires nacti essemus perexiguas, addimus nobis adjutores, socios, amicos, administros, tum ex bellorum rabie servos, & alioqui nati, & compositi eramus à natura ad societatem, quod benevolentia, & sermo judicant.

Jam ad procreationem sobolis stimulat nos natura, ut conservetur genus: itaque uxores ascivimus, unde nati liberi, ab uxoribus affinitates ortæ, à liberis consanguinitates & propinquitates, & charitatis mutuæ nexus, & sociabilitate cœtus & congregatione hominum concelebrati: unde pagi primum, inde oppida, urbesque extiterant, non solum amore conjungente homines, sed interdum malis & necessitatibus, dum cogunt se in unum ii, quorum alii aliis usui possint esse.

Ex malitia & iniquitate hominum leges sunt ortæ; & ad legum æquitatisque conservationem Magistratus, cum potestate constituti, ad comprimendam audaciam malorum, ad propulsandam vero vim hostilem, & injuriam externam arma inventa sunt, & multitudo armata effecit bellum. Qui cœrui & multitudini illi profuisset, afficiebatur honore, tum ad referendam ipsi gratiam, tum ad exemplum aliorum. Communicationi autem rerum primo serviebat commutatio, in cujus locum, cum res esset visa impedita, & inexplicabilis, successit nummus, qui omnia exæquaret.

Tum, ut homo inter homines agebat ex naturali quadam DEI similitudine, quam nos depravavimus, orta est cupiditas excellendi: sed excellentia degenerante ad res inanes, ac falsas, dum corruptè de bono decernimus. Alii enim bonum posuerunt, ac proinde præstantiam in forma, alii in robore, alii in animositate; fuerunt, qui in rapinis & cæde hominum, qui in lusionibus, qui in honestate generis, qui in nihil sapiendo & vita belluarum proxima. Alii etiam honorem captarunt, non in sua solum Civitate, sed procul apud exteros: non suo tantum ævo, sed ad posteros, quæ gloria nuncupatur. Signa honorum & excellentiæ excogitata permulta, in verbis, in nutu, in gestu, in toto corpore, in loco, dum sedemus, dum assurgimus, dum ambulamus, transimus. In his omnibus immersit se & judicandi pravitas, & cupiditas insatiabilis permiscuit omnia, cōfudit, torsit, ad fines tū à natura ipsa, tum à recta inventione hominum alienissimos. Non possum persequi singula, quod esset operis immensi, & in præsens minimè necessarii. Quis hic non cogatur exclamare:

O ho-

O hominem miserum jumentum, quis te adeo oneravit! sed non est ei onus ab alio impositum, ipse sibi ascivit, & suis manibus imposuit.

Hic est homo, hæc humana. Dispiciamus jam ubi est ejus finis. Finem voco ad quem referuntur cætera omnia, ipse ad aliud nihil. Quod, ut exemplo fiat manifestum, præparationi navis finis est navigatio, sed non postremus: neque enim ibi sistit destinatio animi. Navigationi proposita est pecunia, neque hæc postrema, quam videlicet alterius rei gratia quærimus: nempe ut vestem paremus & alimenta: aliis vero, ut servos, domos, rem familiarem amplam: aliis ut gerant bellum, vel decus sibi concilient, vel authoritatem, ut est cujusque animus & cupiditas. Et cibũ expetimus, quo rectè valeat corpus, aut animus; & rectè volumus habere, ut probè fungamur actionibus quas cupimus, & hæ aliorsum tendunt, vel unde venerant reflectuntur. Non sunt itaque hi fines, quos hic quærimus, sed ultimum illum in hominum actionibus investigamus, ad quem tanquam summum & præstantissimum tendunt omnia: ipse sui tantum gratia quæritur, non aliorum, qui finis bonorum nuncupatur.

Varii fines hominis à Philosophis dati

Olim, qui Philosophiam profitebantur, partim contradicendi studio, partim sui ostentandi, partim quod non omnes eodem modo considerarent hominem, varios depinxerunt fines. Fuerunt, qui voluptatem ponerent, quod ad eam bestiæ omnes, ut & nostra animalis pars, seu uterus suo ferrentur pronæ. Adjecerunt alii indolentiam; eamque præcipuam esse voluptatem dixerunt: alii sanitatem. Quidam sensu magis populari, nihil esse potius, aut præstabilius arbitrati sunt opibus, honore, potentia. Alii penitiùs inspexerunt hominis naturam, finemque in animo esse oportere statuerunt, nempe virtutem, qua componitur & formatur animus, ne in motus illos inconditos ac turbulentos intumescat, ac tumultuetur: hi fuerunt Stoici.

Aristoteles altius ascendit ad mentem, & quod in ea existimat esse optimum, videlicet contemplationem rerum maximarum, id postremum esse censet in bonis. Addit velut appendices corporis & animi, & vitæ seu bona, ut ipse vocat, seu commoda, ut Stoici. Hæ duæ nationes ex disputationibus Socratis sunt natæ, quas literis mandavit discipulus ejus Plato, qui in constituenda beatitudine hominis varius est & incertus, tametsi quibusdam locis plus vidit, quam reliqui omnes Philosophi. Ait enim alicubi, virtutem doctrinamque præcipuum esse bonum: alibi vero contemplationem, optimi nempe DEI: alibi sublimius elatus, amorem ejus atque imitationem esse affirmavit: quod dictum quia veritati est proximum, ad postremum disputationis reservabimus.

Reliquæ omnes opiniones, ac sectæ jam olim aliæ aliarum telis confixæ, & argumentationibus refutatæ sunt. Facilius enim cuique fuit contra falsum dicere quam verum invenire. Eorum rationes huc adferre operosum esset nimis, & supervacaneum. Attingam tantum aliquas, non ex illis subtilibus atque intricatis, sed cujusvis captui aptas & congruentes.

Constat homo, ut nullus ignorat, ex animo & corpore. Finis ergo illius in externis rebus non potest situs esse, quæ nec sunt in homine, nec quicquam sunt hominis. Et ea cùm hominis gratiâ sint quæsita & parata omnia, non possunt profecto finis esse hominis, contra potius homo est illorum causa & finis. Neque enim vel pecuniam, vel possessiones, & opes alias quærimus propter seipsas, nisi quod adferunt vel delectationem, vel decus, vel usum aliquem ad necessaria. Hæc igitur ulterius posita sunt, quam divitiæ. Quod si hæc absque nummis liceat consequi, pauci nummos attingerent: ut Reges & proceres magnanimi, quibus cum pecuniarum usus omnis abundè suppetat, ipsi nec pecuniam contrectant unquam, ac ne vident quidem.

Nec præterea in vita hac finis hominis ultimus inveniri potest. finem appello, id quod perfectum hominem reddit ac beatum: at fœlicitas hæc & consummatio bonorum in vita hac nulli potest evenire. Nam si quis hominem intus & foris inspexerit, facilè intelliget finem nullum habere hominem in hac vita, se dignum, & in quo possit conquiescere: alibi ergo quærendus est hominis finis, non hic. Nam prima conditio ultimi finis est, ut sit homini proprius, ac ea de causa in optima illius, & præstantissima parte situs, ut qui unus satis sit ad felicitatem: quod autem fœlicitatem beatitudinemque allaturum est, maximas ut delectationes importet, sine ulla molestia, vel perturbatione necesse est.

Adde his, ut sit perpetuus, nec auferri possit. Nam si quis metus interveniat ne amittatur, is metus felicitatem diluet & corrumpet. Ideo in sua cujusque manu positum esse oportet, aut certè illius, de quo exploratum habeamus, daturum eum quoties nobis lubuerit. Si quis hominem contempletur hac in vita, inveniet nihil minus assequi finem suum, quam illum. Corpus est imbecillum fortitus, fragile, & morbis ac mortis generibus innumeris obnoxium: ævi brevis ac incerti, cui exitus singulis momentis, plurimis & variis de causis impendet. Brutis vero firmiora sunt corpora, minus concussa morbis, & ætas diuturnior: quæ fuit Theophrasti, & quorundam aliorum querela, dum in sapientiæ curriculo multas paterentur moras, & interciperentur, antequam metam contingerent.

Deinde quænam fælicitas est, quæ minimum prodest possidenti, plus delectat spectantem, quam habentem? Quid quod est res momentanea, corrumpitur mille casibus, morbo, ætate, plaga, ulcere, papula, à sole, à vento, ab æstu, à rigore. Voluptates corporis breves, & plane momentaneæ, nec unquam meræ, semper molestia commistæ, & contemperatæ. Relinquunt vero post se mærorem & morbos. Bruta illis & majoribus, & pluribus, & diuturnioribus perfruuntur: quippè quæ undique voluptates conquirunt, & abjectiores sunt ad eos sensus, quibus potissimum voluptates capiuntur, nempè gustum & tactum.

Adde quod eas sumunt securè, sine reverentia, sine respectu DEI, & hominum, sine repugnantia mentis, quæ pravis cupidinibus reclamat. Quod si in illis esset fælicitas, fælicior fieret homo, quo eis & diutius, & crebrius uteretur. Atqui tum fit miserior, frangitur enim & debiliratur corpus, animus autem in belluinam naturam degenerat: ut fælicitas ea, nihil aliud sit quam verti in pecudem. Nec ipsos suos sensus delectatione afficit voluptas, nisi moderatus sit ejus usus & rarus: quemadmodum est apud quemdam Poëtarum, voluptates commendat rarior usus. Cujusmodi porro sit voluptas existimanda, declaravit consensus generis humani, qui tegi illas, qui dissimulari atque occultari voluit, nec est ullus, qui de gulæ aut libidinis perceptis voluptatibus glorietur, nisi fortè insanit, & pudorem omnem excussit, hoc est, (ut Cicero dicit) nomine sit homo, non re. Nam quisquis humanom habet sensum, quærit tenebras,

bras, & ubi delitescat, etiam in iis, quæ sunt lege, ac jure permissæ, ut cum Conjuges dant operam liberis.

Jam comedere ipsum, & bibere, quàm res est molesta, toties, tamdiu repetendum: & ubi finitum est abit delectatio, relinquuntur ructus, excreatio, mejere, excernere, gravitas somni, in quo nihil homo differt ab arbore. Si nimium ederis, aut biberis, aut naturæ parum congruentia, labor, molestia, dolor, mors. Ædificatio res tidicula, lapidem lapidi superponere, tignum tigno addere, bacillum bacillo, stipulam stipulæ. Vestes pudori consulunt. Quod bonum esse potest in eo, quo fælicius careremus si liceret? Hæc enim nostra infirmitas invenit, non præstantia. Quanto sunt meliore conditione, quibus hæc non sunt opus.

Denique quid potest esse circa corpus, vel in corpore bonum, aut expetendum, cum ipso nostro corpore nihil sit turpius, nihil tetrius & fœtidius? Tollat quis cuticulam, videbit subito quanta existet fœditas, quæ undique per omnes corporis meatus, tanquam per cloacas continenter scaturit. Quæ externa sunt præternaturalia, quæ naturalia perpauca sunt & exigua, nempe quibus corpus alitur & tegitur: cætera humana vanitas invenit, & nos deinceps deliciis, & pravo usu auximus in immensum, & effecimus, ut illis indigeremus. Multæ gentes his dementiæ nostræ inventis non utuntur, nec indigent, faciliusque ac felicius ætatem degunt tanti ponderis expertes. Nam opes, honores, dignitates, qui quærunt, aut qui quæsitas tueri student, ac conservare, quam multis & variis se molestiis involvunt? Quid, quod non sunt in manu possidentis, aut potestate; fortuita sunt: qui desiderat & affectat plerumque non consequitur. Confluunt vero ad negligentem, atque etiam interdum ad aspernantem. Adde his, quam multarum inimicitiarum sint causæ ac fomenta, invidia comperitorum. Unde non singulorum modo hominum turbatur quies, sed universæ Civitatis, ac Regni & Provinciæ totius, minoribus vero quanto sint odio, qui se ab illis premi censent.

Sæculi inanes curæ.

Age vero, quibus tandem de rebus est tanta digladiatio, tam acerba contentio? de levissimis ac minutissimis, de pecunia. Atqui ea per se nihil est: alibi ex auro, alibi ex argento, ex ære, cupro, orichalco. Fuit aliquando ex soleis calceorum, est in quibusdam Orientis Civitatibus ex fabis, certo numero distributis arbitrio Principis, aut Magistratus. Et modo usus sit idem, quid refert, quæ sit pecunia? quæ ad paranda ea est excogitata, quibus corpus quotidie indiget. Nam & gemmis prima conciliatio pretii dicitur fuisse, quod vim dicuntur salubrem habere corpori. Itaque in multas medicinas adhibentur. Ergo semoto usu nihil refert aurum habeas, an saxum, adamantem, an scrupum ex glarea sumptum. Quod si instrumentum est pecunia, res est utique, cum ibi sistitur, inanis: ut si quis pennas coacervaret diligenter multas, & varias, nunquam scripturus. Usus porro necessarius exiguus est. Quid faciunt centum millia ducatorum, ubi duo, vel tres sufficiunt? Usus supervacaneus parvitatem demonstrat judicii. Quisquis enim supervacaneum dicit, eo ipso nomine vanitatem coarguit vacantem & redundantem.

Accedit honor, quid rei hoc est, nam evanescit protinus, si quid ex eo coneris attingere. Aperiri caput, de via cedere, blandè appellari, duci & reduci, hæc nihil sunt. Stulta opinio & inconsideantia efficit, ut aliquid esse credantur. Adde, quod alieni prorsum sunt arbitrii, nempe populi, belluæ multorum capitum, is ut variè de præstantia judicat, ita honorem, quo non decet applicat, unde non decet detrahit. Quæ potest esse fœlicitas in alieno arbitrio sita, atque eo rudi, crasso, ac proinde iniquo? De nobilitate verbum nullum faciam: quoniam nihil puto ab hominibus stultius, aut inanius excogitatum, quod queminui haberet solidi quod apprehendas.

Si sunt hi hominum fines, si ad hæc est homo conditus, quid eo potest fingi miserabilius? quanto beatius vivitur sine his? quæ aliud prorsum non sunt quam fontes omnium curarum, molestiarum, cruciatuum animi, perennes & copiosissimi, contra quæ sigillatim multa sunt ab excellentibus ingeniis collecta, ut operæ sit supervacaneæ illa persequi, quæ sunt cuilibet obvia. Denique omnia hæc, quæ ad vitæ hujus excogitavimus subsidia, quomodo beabunt nos, cum ne tueri possint à morbis, doloribus, molestiis, anxietatibus, fame, siti, algore, æstu, morte. Hæc circa corpus, aut in ipso corpore.

Scrutemur si placet animum, in cujus parte ima, & ea, quæ corpus attingit, sunt motus illi, perturbationesque, qui *affectus* vocantur. His vero quid turbulentius, atrocius, sævius? qui minimo excitantur flatu, sævasque tempestates in toto homine concitant, ut non videatur jam homo esse, sed planè pecus, aut fera: vitamque universam tantum abest, ut beatam efficiant, ut reddant prorsum insuavem, atque amarissimam. Omnisque mortalis Philosophiæ in hoc versatur cura & labor, ut sedentur & conquiescant hi motus.

Altera superior pars ac melior, *mens* dicitur. Bona mentis. Quæ sunt illius bona? duo, usi & functiones duæ. In intelligentia est peritia, in voluntate virtus; in intelligentia humana tantæ sunt tenebræ, ea nox, ut quod acutissimus & peritissimus homo assequitur, non multum abesse videatur ab eo, quod nocte obscurissima cernimus lucernis remotis. Scilicet memoria est angusta, fluxa, infidelis, acumen autem ingenii retusissimum, segnis diligentia & tarda. Quomodo constitues in eo fælicitatem, quod vel nullum est prorsum, vel adeo tenue atque exiguum, ut pro nihilo sit habendum? Quo magis Aristotelis sententiam miror, qui cum non ignoraret quam infirmæ essent etiam circa corporalia, quæ sub sensus veniunt, ingenii nostri vires, finem hominis in contemplatione posuit rerum supremarum, & quidem in hac vita: ut nihil videatur feciſse aliud, quam excitare hominibus cupiditatem ejus rei, quam consequi non valerent. Ecquis tandem in cæco, vel homine visus hebetissimi, dicat fælicitatem esse, multa acutè cernere, hoc irridere potius fuerit vitium, quam ostendere quid habeat optimum natura.

Altera pars est voluntas, atque ea potior. Hujus perfectio est virtus. quocirca in excelso loco residere dicitur Domina & Regina omnium. Equidem ad virtutis nomen non possum assurgere, & multum ei deferre, agnosco rem unam esse omnium pulchertimam, & præstantissimam, cui omnes merito plurimum tribuant: sed ipsam non propter se, sed propter beatitudinem illam sempiternam, ad quam per virtutes venitur. Nam si ad hanc vitam referantur omnia, nec ulla sit alterius spes, memoria, respectus, profecto nihil est virtutis nomine inanius, nec aliquid intus continet, nisi apud callidos forte astutiam commodè ac suaviter vivendi. Virtutes censentur hæ, Justitia, fortitudo, continentia. Accedit prudentia, quæ magis rectrix est & moderatrix virtutum, quam

virtus

virtus ipsa. Non eripis cuiquam suum, reddis depositum, non fraudaris, non circumvenis, præstas pietatem patriæ, parentibus, propinquis, necessariis, benefactori gratiam, justus es: ad hunc eundem modum in actionibus aliarum virtutum. Subis pericula intrepidè, perfers incommoda fortiter, objicis te morti animosè, fortis es. Si hæc facis omnia, ut vir bonus habearis, ut sis in pretio, ut benevolentiam, ut honorem, ut decus colligas, (quibus ex rebus dignitas, opes, & vita jucundissima comparatur: ex contrariis autem ignominia, dedecus, damna, pœnæ legibus constitutæ.) an non virtus tua cautio est, seu cauponatio verius, non aliter quam navigatio, & negotiatio, & bellum, quod milites mercede perferunt? ita habebo in bono opere voluntatem pessimam, nec minus assequar, imo magis multo, quam is, qui simpliciter habet optimam, & sequitur bona fide rectam conscientiam.

At dices, hic est verè vir bonus, non ille: vanæ sunt voces. Quid est enim vir bonus, si hæc vita sola spectatur, nisi inane nomen? quis est judex, quis est vindex rerum intra cujusque pectus occultarum? Non minus diu vivit vir malus, quam bonus, & magis ex animi sui sententia & voto. Confecto autem cursu, nihil utrinque remanet: imo sæpenumero hominis mali restat fundatum patrimonium astutia & calliditate, honestati liberi, etiam fama illius tanquam boni & præstantis viri. Sed natura tamen & imago veritatis adeo sunt apud animos nostros fortes, ut vel falsam & degenerantem virtutem, propter veræ similitudinem quandam, & velut umbram, non possimus non admirari, quia veræ virtutis venerationem ac benevolentiam DEUS humanis pectoribus indidit.

Quapropter cordatiores ex Philosophis satis intellexerunt vana & infrugifera esse omnia, si huc tantummodo referrentur: ideoque virtutum & vitiorum præmia ad alteram vitam remiserunt, ut Socrates, & hunc secutus Plato, & Platonem Cicero, & alii complures. Quod, quia natura duce ac magistra probabile erat in vulgus, Poëtæ quoque tenuerunt. Sed hæc ita sunt leviter dicta & frigidè, ut idem ipsi non satis videntur credere, quæ affirmabant, quemadmodum alibi docebo. Sed profecto ita est, nullum habet homo finem, in hac vita se dignum. Quod si nec habet in altera, frustra est; non est autem frustra conditus, est ergo ad alteram, & ibi est quies, & finis, & beatitudo illius.

CAPVT IV.

Quis sit hominis finis, ex ipso homine perscrutatio?

Verus hominis finis inquiritur.

VErum ex homine probè attentèque considerato, non fuerit profecto operosum, quis illius sit finis, aut quæ certè ejus ratio, invenire. Non aliter quam si quis in extremis illis Oceani Insulis, ubi nullum est ferrum, gladium videret ab aliquo nostrorum hominum allatum, multum volvendo, & versando, & ad rem aliquam accommodando atque experiundo, usum tandem illius inveniret in quem esset parratus. Si homo inspiciatur diligenter intus, & foris, quæ in se, quæque extra se habeat recensuimus paulo ante. Ex naturæ præstantia & ratione usus facilè intelligetur, non huc eum spectare, neque huic esse vitæ conditum: altior enim est naturæ conditio, quam pro his rebus, nec usus earum tam præstans instrumentum postulat, nec usus instrumenti hujus, hisce est rebus aptus & accommodatus. Dicamus hæc apertiùs & explicatiùs, ut ab omnibus possint intelligi, modo mentem atque attentionem adhibeant.

Nihil unquam assumitur in usum & finem alterius, quod sit potius & præstabilius eo, propter quod sumitur. Id nec in vita contingit unquam inter sapientes, nec in natura, quæ summa sapientia regitur. Semper enim, quod alterius gratia ab aliquo expetitur, minus est illi, quam id quod experit, alioquin contrario potius modo expeteret. Omnes pecuniam damus propter cibum; & hunc volumus propter vitam, vita ergo melior cuique quam cibus, & hic quam pecunia: nam qui vitam impendit propter honorem & famam, charior & melior est huic fama, quam vita. Appetitus enim noster natura sua in id fertur, quod sibi censet esse bonum. Quo ergo melius & potius quid existimarit, eo feretur pronius & vehementius. Itaque in quod potissimum, & propter quod aliud faciet, id censebit sibi esse omnium optimum. Quod si sit voluntas sapientis, non falletur; & id revera erit optimum, quod maximè omnium expeter, & in cujus gratiam sumet alia.

Natura ergo, quæ est sapientissima omnium, nempè à sapientissimo composita, constituta, instructa, ea, quæ revera sunt præstantissima & optima statuit summo loco, & horum gratia cætera, non vice versa. Creavit ergo quidque, & ei attribuit hunc finem, ut benè sit illi: hoc enim non potest dari aliud potius aut melius, & in eo cujusque rei appetitus conquiescit, dignumque id est, in quod sumantur & referantur alia.

Sensuum ergo corporalium finis est, ut benè sit eis; mentis vero ut benè sit illi. Sensus merito in rebus vitæ hujus occupantur, in esu, potu, calefactione, refrigeratione, & hujusmodi: quoniam per hæc benè est ipsis, integriores sunt enim, acutius noscunt, & perfruuntur suis voluptatibus. Mens vero si in rebus vitæ hujus occupetur, quis erit fructus? non ei benè erit, ut quæ nec clarius intuebitur res excelsas, vel abditas, nec perfruetur voluptatibus cognitionis: imo eo longius aberit ab intelligentia rerum se dignarum, quo attentiùs & intelligentiùs navaverit rebus vitæ hujus, nempe parandis iis, quæ postulat corpus. Itaque quod melius est, fieret instrumentum deterioris, nempe mens corporis: & sensibus serviret intelligentia: cum omnibus è contrario potius natura informationem hanc indiderit, externa esse condita propter corpus, hoc propter animum; & in animo quæ sunt inferiora, propter superiora, videlicet propter meliora, sunt minus bona.

Præterea neque in rebus externis finis, cum in eo sit corpus, cui serviunt externa, non ergo in externis finis, quandoquidem non ibi sistitur: sed ulterius est progressus, nempe ad corpus; hoc est sensuum gratia, non ergo ultimum corpus. Sensus ad animum referuntur, quæ in animo ad mentem, mentis autem est cognoscere: erit ergo ex notitia appetitus aliquis menti conjunctus. Nam cognitio omnis in animali propter appetitum est. Non enim expetit quis ut norit, sed novit ut expetat. Incognita enim expetere non possumus. Is appetitus mentis voluntas nominatur, cujus est ipsa mens consultrix, & ductatrix. In voluntate ergo tanquam postrema & summa est finis, & voluntatis finis, hominis est finis. At voluntatis finis & beatitudo est, illi esse optimè. Non est autem ei optimè in cessatione ab omni actu, alioquin torpenti & dormienti melius esse posset, quam vigilanti & agenti. Quod si cessanti esset

optimè,

optimè, quorsum spectat vis, & vigor, & vita, & motus, & pronitas ad actionem, quæ sunt naturæ munera pulcherrima, quæque nos merito tanti facimus; ut vicissim torpor, & stupor, & otium, & cessatio turpissima ac devitanda sint, illorumque munerum orbitas & privatio. Nec ad eam fœlicitatem, quæ esset per torporem, opus esset mente, & cognitione, & voluntate, sed saxo aliquo. Quumque à volendo sit voluntas dicta, quomodo optimè erit ei, si desinat voluntas esse? Velle ergo melius ei quam desidere, & melius velle, quam nolle. Velle enim voluntatis est actio ad suum bonum, nolle aversio à suo malo. Itaque & amare, quod est volendo adhærere, melius quam odisse, quod est nolendo averti.

In amore igitur optima & præstantissima voluntatis actio. Amor autem desiderium habet conjungendi & fruendi re chara. Quod si voluntas assequitur, acquiescit & benè sibi esse putat. Quale ergo fuerit quod amat, & quo fruetur, tale erit bonum ejus, & talis fiet ipsa. Non ergo optimè erit ei, nisi fruatur re optima, & quæ implere possit amplitudinem desiderii ejus. Nihil autem implere desiderium illius potest, nisi solus DEUS. Reliqua enim quibuscunque potest capi & teneri, vilia sunt, diluta, brevia, momentanea, exigua, in conjunctione ergo sola & fruitione Dei optimè est illi, ibi ergo finis ejus, & proinde finis hominis.

Sensus duplices in homine.

Ex cognitionis quoque ratione idem ipsum potest colligi. Habet homo sensus corporis, per quos facies rerum externas præsentes cognoscit, habet sensus internos, per quos res easdem, sed absentes, habet rationem, quæ per causas & abditissima naturæ totius vagatur, & discurrit per cælos, per elementa, per mista & compacta ex elementis, per effectiones rerum, per ea quæ corporis sunt immunia, & spiritalia nominantur. Dicant mihi, an hæc cognitio, quæ est pulcherrima, aliquid ad vitam hanc denegandam faciat: nihil profecto. Jam homo erectus super res conditas transcendit cælos, & universitatem mundi, usque ad authorem omnium DEUM. Maligna quidem & perobscura notitia, sed tamen quanta satis est ad consulendum voluntati, & eam excitandam, ut sic erga quidque horum afficiatur, quale ipsum sit, ita & ex iis omnibus cognitionibus amores nascuntur, nempe rerum corporalium præsentium, rerum corporalium absentium, rerum spiritualium, DEI denique ipsius. DEUS est ergo optimum, & præstantissimum, quod mens assequi potest, quodque ostendere potest voluntati, & huc tendunt omnes cognitiones. Nam cognoscimus præsentia, per quæ venimus in cognitionem absentium: cognoscimus corporalia, ex quibus transitur ad incorporalia: cognoscimus composita, ex quibus ad simplicia, ex mortalibus ad immortalia, ex rebus conditis ad Conditorem. Summum ergo cognitionis est simplex, incorporeum, immortale, Conditor, nec est quicquam ulterius, & hoc implet solum. Nam reliqua immensum relinquunt vacui.

Porro id efficit beatum, quod implet, & satiat, & quietat, idque est optimum & supremum, quod illa potest amare. Et quemadmodum per cognitiones alias ad DEUM ascenditur, ibique sistimus, ita per amores aliarum rerum ad amorem DEI, supra quem nullus est alius. Quod si amare potest DEUM mens nostra, quia cognitum, amare debet, quia optimum (amor enim ad bonum semper tendit) quod assequi profecto potest: alioqui vanos appetitus indidisset natura menti nostræ, & in præcipuis defecisset. Neque enim amor beatum facit, nec quiescit, nisi per conjunctionem fruatur re amata, torquet videlicet absentia & desiderium. Nihil reliquorum nos satiat, inter manus elabuntur cum possidentur, cum delectant diluta sunt, & diffugiunt, ut in eis bonum illud, quod quærimus non possit esse comprehensum. Atqui conjunctio cum DEO non potest esse in hac vita talis, qua efficiamur beati. Restat ergo altera vita in qua sit. Quippe in vita hac propter magnas hujus corporis tenebras, nec tantum novimus DEUM, nec tantum amamus, quantum esset opus: & subinde à notitia & amore revocat nos corpus, vel esuriens, vel sitiens, vel dormitans, vel languens, vel dolens, nec fruimur bonis illis DEI: imo quo ardentius hic amamus, eo torquemur acrius desiderio conjunctionis. Illic vero depositio corpore, aut mutato, & clarius cernemus, & ardentius amabimus, & conjunctissimi erimus, & perfruemur bonis incredibilibus.

Voluntas cœlestis

Hic est hominis finis, aut nullus est alius. Atqui ostensum est esse aliquem, hic ergo certè est. Ergo & argumentum hoc, quo conficitur non esse hic hominis bonum, & aliquod utique esse, tantum est, ut multos Philosophorum coegerit affirmare, post hanc vitam futurum bonum, quod expetimus, tametsi timidè & quasi diffidenter.

Triplex vita.

Astipulatur huic nostræ sententiæ corporis nostri status rectus, & spectans in cælum, tanquam in patriam exeperegrinatione & exilio. Jam vitæ nostræ ratio, quæ nusquam sistit, nec acquiescit præsentibus, intenta semper & prona in futurum. Bestiæ acquiescunt præsentibus, & fruuntur hac vita: quod sensus nostri declarant, qui præsentibus sunt contenti, mens vero perennis in modum fluminis nusquam subsistit, semper in futurum agit suspensa & anxia. Pueri parant se juventæ, hæc ætas senectuti, senectus ulterius mittit cogitationes. nulla ætas sibi prospicit, sed venturæ. Patres de filiis sunt solliciti; hi de nepotibus, hodiernus dies servit crastino, hæc hora servit sequenti, hoc momentum alteri momento. Etiam in mediis voluptatibus, si quid cogitationis & mentis admiscemus, nunquam præsentem carpimus, nisi cum expectatione continuo mox secuturæ, quousque est penitus consumpta. Ira prius recessit quam desiit separari.

Futura in ordine bonorum ultima.

Omnino quæcunque in vita cogitamus, dicimus, molimur, agimus, non stant recta in præsens, sed prona in futurum, & pendent ex spe; arare, scribere, ferere, legere, comedere, bibere, & reliqua omnia: ut sciamus peregrinari nos, atque aliquo tendere, irrequieto motu, non huc pertinere. Jam vero natura summi illius, in quo est finis bonorum, omne malum excludit, ac proinde curas, mærorem, dolores, quod contingere in vita non potest. Vel ipsa certè cogitatio, si cui benè sit, illud tamen mutari posse, aut finiri oportere in morte, non sineret vitam esse jucundam, nedum beatam, nisi quis oblivionem vellet animo infundere, ne unquam de varietate casuum, & exitu vitæ veniret in mentem: quod fieri non potest in tot exemplis quotidianis, & sicut corpus erectum admonet nos cæli, ita compactio molestiæ ac vanitatis hujus. Habemus corpora multarum rerum indiga, obnoxia casibus, morbis, molestiis, variis de causis, & penè quotidiè. Quid animum? perturbatum, irritabilem, mentem ignaram: quæ potest inter hæc esse fælicitas? illa quoque est infinita persuasio toti ferè generi humano, aliquid aliud futurum post mortem melius hac vita: & id commune desiderium expectat, ut existimari necesse sit, à natura esse inditum.

CAPUT

CAPVT V.

De Vita uteri, de hac noſtra, & altera.

QUemadmodum (inquit Ludovicus Vives) in Matris utero paramur huic luci ac vitæ, ita in hac vitæ (quæ ad alteram relata, ſimilis eſt utero) anguſtia & tenebris illi alteri paramur ſempiternæ.

Et quemadmodum homo cum in utero formatur, quia vivit more plantæ, clauditur anguſto gurguſtiolo, quod ejuſmodi vitæ generi ſufficit: ita egreſſus ex utero, quia ſenſibus eſt uſurus, prodit in amplitudnem & lucem functioni atque officiis ſenſuum neceſſariam: ſic etiam hinc diſcedens, quia uſurus mente tranſit in tanto majorem & præſtantiorem lucem, quanto eſt mentis cognitio amplior & capacior, & excellentior quam ſenſuum. Naſcens fœtus deponit involucra, quibus erat tectus in utero, & ea per quæ alebatur, exit nudus: ſic homo abiens ex vita deponit hic illa ſua ceu involucra: moriuntur fœtus naſcentis involucra, moriuntur & hominis ad alteram vitam migrantis. Naſcitur infans quaſi invitus cum labore & cruciatu, ita & qui ab hoc corporis domicilio diſcedit. Egreſſus autem infans longè alia utitur vitæ ratione, quam prius; ſic animus relicto corpore. Triplex vita.

Cæterum ſic habitudo ac penè tota hujus vitæ ratio ex illa in Matris utero formatione & conſtitutione ducitur, ut tali quiſque ſit corpore, habitudine, valetudine, ſtatura, forma, viribus, qualem in prima illa fictione accepit. Sic etiam vitæ ſequentis conditio plurimum ex actionibus hujus ſumitur, ut talis ſit illic deinceps animus, qualem ſe formavit, & inſtruxit in vita corporis, nempe humilis, abjectus, miſer, ſi cæno & ſordibus ſe dedit corporis, aut pravis cupiditatibus, ac libidinibus: ſublimis autem, erectus, cæleſtis, fælix, ſi menti præclaris cognitionibus, virtutibuſque excolendæ. Conſpicit infans modo natus lucem, & in ea formas rerum novas ſibi, & inuſitatas, eoque admirabiles. Conſpicit item animus renaſcens, hoc eſt diſcedens è corpore ad lucem, in ea novas omnino atque inuſitatas rerum facies, quales nunquam eſſet antea hic ſuſpicatus. Et in utero quidam fœtus adeo ſint vividi vigenteſque, ut ſubindeſe commoveant, & quaſi ſenſum quendam videantur præ ſe ferre: alii torpentes, penitus immobiles, nunquam aliter ſentiuntur, quam timore: ita & in hac vita, alii nullum oſtendant alterius vitæ ſenſum, caligini hujus immerſi, & tanquam obruti alto gurgite: alii intelligentia & virtutibus innixi, jam hic quales futuri poſtea ſint declarant, & guſtum quendam nobis præbent ævi venturi.

Hujus quoque & inſequentis vitæ magnam quotidie cernimus imaginem in iis, quæ per ſomnum, quæque per vigilium aſpicimus, & cognoſcimus. In quiete regnum eſt phantaſiæ, illa ſurſum, & deorſum verſat, miſcet, confundit omnia, atque perturbat, quales ſunt vitæ hujus cogitationes, deſideria, cupiditates, in quibus omnibus ſenſibus ducimur, ac proinde phantaſia & ratione valdè tenui, atque ea turbulenta, ad quam confuſionem & tenebras, ſi hæc conferas, quæ vigilantes cognoſcimus, atque intelligimus, in promptu erit colligere, quam alia futura ſit altera illa vita mentis, quam hæc noſtra ſenſuum. Somnus eſt hæc vita noſtra, nec aliter tranſit quam ſomnus, & ſimiliter prætereuntia hæc aſpicimus, ut quæ animo per quietem obſervantur. Multa etiam videmus ſomniantes, quæ non minus certò, efficaciterque juremus nos intueri, & agere, quam quæ ſpectamus vigilantes ac gerimus: itaque qui ſomniavit, putat ſe vidiſſe: & qui vidit, ſomniaſſe. Videlicet non minus vigilantibus denſa affunditur animis caligo, quàm dormientibus: & memoria noſtra non pauca in ſe condita reſervat, quæ neſciat cognitio dijudicare dormienſne illa aſpexerit, an vigilans. Adeo ſunt pleraque omnia in noſtris animis preſſa obſcuritate, & confuſa. In ſequenti vero ævo lux erit major, & mentis cognitio atque exercitatio expeditior atque liberior, eoque erunt omnia perſpicua magis, diſtincta, certa.

CAPVT VI.

DEVM eſſe, ipſumque principium, & Creatorem rerum omnium eſſe, aliquibus rationibus demonſtratur.

QUid verò ſit hic DEUS, qui fœlicitatis noſtræ ultimus finis eſt, mihi explicare paranti, quæſtiones aliquot ſeſe objiciunt, quas prius convenit ſubmovere, quàm ad alia gradum faciamus, ne aliquo in via nobis ſint impedimento: Ac primum, an DEUS ſit, ipſeque ſit omnium rerum cauſa & principium.

Primus, qui inter articulos fidei noſtræ credendus nobis proponitur eſt, eſſe DEUM; hoc eſt, in mundi hujus univerſitate unum ſupremum eſſe Principem, motorem primum, primam cauſam, à qua omnes cæteræ dependent, unum principium abſque principio, quod omnibus rebus creatis ſuum tribuit principium: unam primam veritatem & bonitatem, à qua omnis alia veritas ac bonitas procedit ac derivatur. Hoc fundamentum eſt noſtræ fidei, hoc primum quaſi elementum, quod credere jubemur: dicente Apoſtolo: *Credere oportet accedentem ad DEUM, quia eſt:* in hoc ſcilicet mundo. Eſt autem hæc ſententia tam manifeſta, ut per evidentes demonſtrationes comprehendantur. Hæ demonſtrationes ex multis rerum, quæ videntur effectis deſumuntur, ut breviter ferè uno verbo complexus eſt Lactantius lib. 1 cap. 2. *Nemo eſt enim* (inquit) *tam rudis, tam ferus moribus, quin oculos ſuos in cælum tollens, tametſi neſciat cujus Dei providentia regatur hoc omne quod cernitur, aliquem tamen intelligat, ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, utilitate, pulchritudine, temperatione: nec poſſe fieri, quin id, quod mirabili ratione conſtat, conſilio majori aliquo ſit inſtructum.* probatur DEUS eſſe. *Lactant. lib. 1.*

Primum igitur fundamentum ex inſtinctu humano ſumitur: Nam cum innumeræ ſint in toto orbe nationes, nullam inveniri tàm barbaram, quæ non habeat aliquam Dei notitiam, divinamque eſſe aliquam vim, eamque aliquo cultus genere non honoret; etſi forte neſciat, quis verus Deus ſit, & quis modus illum honorandi, certum eſt. Hujus rei ratio eſt, quia idem DEUS, qui cordibus hominum impreſſit quandam reverentiam naturalem, & amorem erga parentes, qui eos genuerunt, & erga Principes & Dominos, qui eos regunt & gubernant: idem etiam infudit impreſſitque hominibus alium amorem & reverentiam erga ſe eundem DEUM, qui eſt Pater Patrum, Dominus Dominorum, datorque omnium bonorum.

norum. Quem pertimescunt & horrent gentes, cum mala perpetrant; precibus placant cum iratum sentiunt, & cujus opem implorant, cum ærumnis affliguntur.

Ex hac igitur inclinatione, quam natura hominum mentibus impressit, nascitur ista cognitio, quam omnes gentes, quantumvis barbaræ habent de Divinitate, quæ huic mundo præsidet. Fieri ergo nequit, ut hæc notitia falsa sit; neque enim quod naturalis ratio præscribit, falsum esse potest: cum veritas nihil aliud sit, quam notitia, qua res talis esse cognoscitur, & judicatur qualis est in seipsa.

Secunda ratio est à rerum naturalium motu, omne enim quod movetur, vel movetur ab interna aliqua causa, ut corpus humanum ab anima: vel ab externa, ut navis in mari, quam cum contemplamur pansis velis manifestis superatis periculis, certum tenere cursum; statim judicamus, eam ab aliquo Rectore moderari. Sic etiam Solem, Lunam & reliquos cælos continuo ac perpetuo cursu circumvolvi cum videamus, intelligere debemus, eum motum esse ab aliqua causa, quam Philosophi primum motorem appellant. De hoc motore quæritur, an in essentia, & virtute sua qua pollet, ad tantum motum producendum, ab aliquo dependeat, aut non dependeat? si non dependeat, eundem esse DEUM cogemur dicere; solus enim DEUS causis omnibus superior à nullo dependet. Si ab alio dependet, non est primus motor, idemque quærendum est de eo, à quo dependet & ille: & sic vel in infinitum progrediendum est, vel in aliqua prima omnium causa sistendum est, quæ omnia gubernet & regat:

D.Thom. quæ rudi quodam exemplo confirmat D. Thom. Opusc. 6. *Si aliquis intraret domum aliquam, & in ipsius domus introitu sentiret calorem, & sic deinceps, crederet ignem esse intus, etiamsi ignem non videret, qui causaret dictos calores: sic quoque contingit considerantibus res hujus mundi, nam ipse invenit res omnes secundum diversos gradus pulchritudinis & nobilitatis esse distinctas, & quanto magis appropinquant DEO, tanto pulchriora & meliora invenit: unde corpora cælestia pulchriora & nobiliora sunt, quam corpora inferiora, & invisibilia visibilibus: Et ideo credendum est, quod hæc omnia sunt ab uno DEO, qui dat suum esse singulis rebus & nobilitatem.* Hæc D. Thomas.

Cicero. Nec difficile exemplum affert Cicero *lib. de natur.* Deorum: *Fortè fortuna* (ait) *iter agens quispiam in montibus, & nemoribus densis, offendit in solitudine domum egregiam, aut arcem munitissimam. Ingressus mira industria constructam cernit, columnas marmoreas, arcus solidissimos, testudines excelsas, variis refertas figuris, laquearia, & tigna auro fulgentia. Neminem ibi conspicit, illusionemque ubi suspicatur; attamen audit strepitum deambulantium sursum, & colloquentium. Si superiora domus petens quæreret; Obsecro quis has amplissimas, magnificasque ædes in hoc deserto extruxit? responderetur que ei; Nullius opera extructa est hæc vastissima moles, sed ex ingentis silicu ad ima devoluti parte media, admiranda hæc quam cernis fabrica exsurrexit, nonne risum, & somnium judicaret ista? At si diceretur; hujus amplissimi palatii auctor rex potentissimus est, modo in superiori suo conclavi agens, atque aliorum declinans conspectum, donec tempus adveniat oportunum. Hæc certe verisimiliora, & rationi magis conformia diceret. Itaque ingreditur homo mundi hujus desertum, videt universi fabricam scitè & firmiter exstructam, quatuor columnis, qua sunt quatuor elementa, quibus sustentatur innixam, cali admiratur fornices, & testudines, aureis fulgentes limbis, quis sunt sidera micantia. Audit insuper nis tumultum, fulgura, tonitrua, alios que strepitus. Haud dubiè apud se ita ratiocinabitur: ista non fiùt casu, ut volebat Anaxagoras, sed horum auctor in superioribus degit, sapientia sua universi machinam rotans & gubernans.*

Tertia ratio desumitur, ex eo, quod res omnes videamus, tam recto rigore & linea per certa media ad suos fines dirigi: quæ cum partim sensu, partim ratione careant, certum est, ipsas ex se non intelligere suos fines: quis enim dixerit plantas & arbores consulto per se ipsas alimentum ex terra imbibere; & primo folia, mox flores, deinde fructus statutis temporibus emittere? unde vermiculi tanto ordine sericum, aranæ suas telas, aves nidos tanta industria conficiunt, idque ut constituros sibi à natura fines consequantur, si non ab aliquo rerum omnium moderatore instructi, qui omnia suo nutu dispensat. Ipsa namque natura duce cognoscimus, quoties res aliqua est benè ordinata, & sapienter disposita, fuisse aliquem peritum & sapientem dispositorem, ut in domo aliena, cum conspicimus singula culte ac distinctè digesta & collocata, intelligimus esse aliquem, qui hæc omnia eo ordine disposuit. Ergo cum in hoc mundo videmus tam admirabilem rerum concordiam, certos ac constantes solis ac lunæ, reliquorumque syderum cursus atque circuitus: terram, aquam, aërem, & cætera omnia suis in locis, ac propriis sedibus commorantia: necessario colligimus esse aliquem, qui hæc omnia recto hoc ordine constituit.

Hæc consideratio tam efficaciter probat supradictam veritatem, ut etiam Philosophi Ethnici, absque lumine fidei hanc agnoverint, & confessi fuerint. Sic Tullius fatetur in hoc mundo esse DEUM, qui regit & gubernat stellarum cursum, temporum mutationem, rerum successionem, quique ordinem eorum conservat, moderandoque mare & terram procurat omne bonum, humanæque vitæ salutem. Astipulatur illi Seneca: *Superfluum est*, inquit, *velle demonstrare, opus hoc tam immensum, quale est mundus hic, gubernatore destitutum esse: cursus enim & recursus stellarum à casu esse non potest: imo fatendum omnino est velocitatem istam ab æterna legis imperio procedere. Hæc etiam tanta abundantia rerum, quæ in terra & mari nascuntur, tantus clarissimarum stellarum splendor, qua ordinariè lucent, & ordo iste tam certus non sinus casu, sed maximo consilio. Videmus etiam gravissimum terræ pondus in infimo loco stare immobile, videmus quomodo cali tanta cum velocitate circum illam volvuntur, mare quomodo in ejus vallibus se colligit, terram fecundans, & quod tot fluminibus, quæ se in illud exonerant, auctum non redundat. Nec minus mirandum est, videre ex tam parvo semine, tam magnam nasci arborem: videre etiam fluxum & refluxum maris, tam latè se extendentis, & mox se recolligentis, idque tum minore, aut majore impetu secundum incrementum & ascensum Lunæ, cujus arbitrio Oceanus movetur & regitur.* Hactenus Seneca, qui ordinem divinæ providentiæ, qui in rebus creatis elucescit, confitetur & agnoscit. Quibus omnibus clarè conficitur, necessario esse ponendum aliquod primum & summum rerum principium, & creatorem, à quo procreata sit pulchra &, magna hæc rerum universitas, quem mundum ab ornatu appellamus.

CA-

CAPVT VII.

In hoc mundo unicum tantum esse DEVM, nec fieri posse, ut sint plures.

1.Cor. 8. Unicum esse Deũ probatur

INter fidei nostræ articulos primum est DEUM esse unum. *Scimus*, inquit Apostolus, 1.Cor. 8. *quod nullus est DEUS, nisi unus*, qui solus potens, Rex Regum & Dominus dominantium. Hæc veritas etiam ipsis Gentilibus nota est, sicut nonnullos Philosophorum cognovisse docent Justinus de *Monarchia*, & Tertull. in *Apolog. cap.* 17. præterquã quod rationibus naturalibus convinci potest.

Vid. *Sect.* 4. *Tomi* 5 *lib.* 4. Biblioth. Theol. nost. *Dominici à SS. Trinitate.*

Prima, DEUS est omnipotens, solusque per se ipsum facere potest, quicquid sibi placuerit, non igitur habere potest socium: nam finge esse duos Deos, tunc alter potest alterum perdere, & delere vel non: si non potest, non est omnipotens, ergo nec Deus: si potest, ergo alter non erit omnipotens, cum se ipsum tueri nequeat. Item si duo essent, & unus velit aliquid fieri, quod alter nolit, cùm sit omnipotens uterque, eodem temporis momento illud fieret, & non fieret: fieret, quia alter illorum, qui est omnipotens, vult ut fiat: nõ fieret etiam, quia alter æquè potens, non vult ut fiat: aut necesse est dicere unum illorum omnipotentem non esse, & proinde nec Deum.

Præterea si duo Dii essent inter se differentes, necessario deberet esse aliqua res specialis, quæ in uno esset, per quam differret ab altero. Quæro nunc, an id quod habet unus, quo caret alter, sit perfectio, an imperfectio? si sit imperfectio, is jam non erit Deus, nam in Deo nulla debet esse imperfectio: si autem sit perfectio, jam ille Deus non erit, cui deest ista perfectio: Deus namque res est summè perfecta, & talis, quã non potest major intelligi.

Secundo, probatur exemplo; videmus enim in omni regimine necessario esse debere unum caput, per quod universa in pace & concordia gubernantur. Sic videmus in exercitu benè constituto, unum esse generalem Ducem, qui omnibus omnia imperat: in Regno unum Regem, qui regit omnia: in Civitate unam supremam potestatem, quæ eam gubernat: in domo unum Patrem familias: in corpore denique humano, unum tantum caput, quod virtutem suam omnibus membris infundit. Quare quemadmodum turpe monstrum esset, si in uno corpore essent duo capita; ita & monstrosum esset unam Rempublicam benè ordinatam duos habere ejusdem potestatis gubernatores: fieri enim non posset, quin inde nascerentur sectæ, & seditiones, dum quidam hanc, alii illam partem sequerentur. Sed ecquod hac in re argumentum volumus evidentius, quam exemplum apum, quibus DEUS hanc inspiravit naturam, ut unum tantummodo colant Regem, eum comitentur, eum quocunque volat sequantur, & tam tenerè diligant, ut si fortè moriatur, eum lugubres circumsedeant, & nisi illum tollas, omnes tandem inedia morerentur? Cum itaque manifestum sit, ab uno capite omne bonum regimen dependere, videamusque mundum hunc optimè, sapientissimèque gubernari: sequitur mundum ab uno solo supremo domino & gubernatore, non à multis regi & administrari. Atque hic unus DEUS est.

Tertio, DEUS est summum & infinitum bonum, necesse ergo est, ut sit ultimus rerum omnium finis, in quem veluti in scopum propositum, universa quodam naturæ impetu dirigantur, quoniam cuncta, quæ in rerum natura sunt, DEUS ipse finxit, & condidit, conditaque servat, ut suæ majestatis gloriam, & splendorem omnibus manifestum & apertum reddat.

CAPVT VIII.

DEVM habere omnium rerum providentiam.

QUod DEUS totum hunc mundum condiderit, ex argumentis & rationibus supra in medium productis, apertè colligitur: sed quod etiam mundum perpetuo conservet & regat, & universa, quæ continentur, hac solum ratione prudenter & magno cum judicio ab Aristotele fuit animadversum: *Si quis* (inquit) *ex tenebris prodiret in hanc lucem cæli & mundi, quem nunquam antea conspexisset, nec de illo audivisset, consideraret autem cursus & actiones rerum, nullo penitus modo dubitaturum hunc, quin hæc omnia cura consilioque tenerentur Principis sapientissimi & potentissimi.* Addam his Marci Tullii argumentum: Quæcunque consilio reguntur, melius & aptius reguntur, quam quæ sine illo; nihil vero pulchrius vel melius mundo regitur: consilio ergo, non fortuito regitur. Assignet vero mihi aliquis quippiam in mundo universo, quod non ordine & sapientia procedat, sive cælos, elementa, sive animantes, herbulas, plantas, & alia quæcunque; omnia suos habent cursus, suos fines destinatos ac certos. Regere autem est rem in finem dirigere, & quasi cursum ejus moderari, quo finem attingat, hocidem est gubernare, ut navem, aut equum. Quis ergo verius res conditas regit ac gubernat, quam qui condidit, qui metam assignavit, qui vires attribuit, quibus ad metam perveniant? An non regit equum, qui illum in via dirigit? non navem qui clavum tenet & moderatur. Unde sunt initia, progressus, fines, vires, facultates rerum, si non à se ipsis? ab aliquo ergo summæ virtutis, atque artis, quæ temeritatem omnem excludit. Is ergo summæ potentiæ, seu verius immensæ, Conditor est, Rector, Gubernator, Moderator omnium. Neque enim temerè reliquit ab se condita, sed attribuit cuique vires, quibus se tuerentur, & actiones exercerent, sibi utiles, ut viverent, vigerent, valerent.

Aristoteles Deum omnia regere & moderari ostenditur.

Quod verò non solum DEUS regat, sed & res omnes conservet, ostenditur ex eo potissimum; quod quoties ad rem aliquam conservandam variæ & diversæ causæ conveniunt, sic ordine inter sese connexæ & congruentes, ut una ab alia vim suam & motum accipiat, illa, quæ omnium est prima, à qua reliquæ vim suam & efficaciam habent, totum quod efficitur, conservat: ut verbi gratia, ad rem aliquam vase aqua pleno contentam calefaciendam, & genitum ibi calorem conservandum, concurrit ignis, qui vas ipsum calefacit, & vas quod aquam calefacit, & aqua, quæ calefacit rem intus in vase contentam; quoniam tamen aqua recipit calorem à vase, & vas ab igne, dicimus ignem esse, qui gignit & conservat totum illum calorem, quem habet res vase concluſa: sic etiam, ut sint & conserventur omnia, quæ tota hac mundi universitate clauduntur, concurrit Solis vis, & facultas Lunæ, & reliquorum Siderum potestas, quæ per aerem interjectum vires suas in his inferis regionibus mundi exercent: cæli etiam suis motibus conveniunt, concurrit similiter DEUS, cujus nutu & imperio

cæli circumferuntur, & à quo Sol, Luna, Stellæ, & ipsi cælorum orbes vim suam & efficientiam accipiunt, ita ut si DEUS ab illis movendis, & suam vim communicando desistat, res ipsæ moveri nequeant, nihil possint efficere, nec conservari & consistere queant.

Quemadmodum enim Sol non solum suum lumen effundit, sed etiam effusum per aëra servat, sic ut suo recessu lumen penitus intereat, & nox offundatur rebus; sic DEUS, cum sit omnium causarum prima & perfectissima, necesse est magis ex ipso, quàm ex aliis causis effecta pendeant. Si igitur lumen videmus, & alia suarum causarum præsidio conservari; magis oportet, ut à primo rerum opifice DEO conserventur. Insuper DEUS est perfectissima rerum omnium causa, habet ergo perfectissimum operandi modum: at causa eo est perfectior, quo magis ab eo effecta pendent; & ea est perfectior, à qua non solum effecta procreantur & fiunt, sed etiam conservantur: DEUS igitur non solum res procreat, & format, sed etiam formatas conservat.

Item quod causæ conditæ & factæ habent, DEO denegari non potest; atque in rebus multas causas videmus, ex quibus effecta non tantum oriuntur, sed exorta etiam conservantur; atque adeo diligentius, si cognoscendi facultatem habeant, quod cum sit naturale, perfecto ad aliquam DEI similitudinem est rebus insitum. Neque enim aliunde sunt naturæ nostræ omnes, quam ab eo: omnia illuc se dirigunt & referunt, ut quantum efficere possint, DEUM in se reddant ac repræsentent.

Accedit huc, quod opifex omnis sapiens, opus quod fecit quamdiu approbat, conservat, si potest: certè ad curam suam censet pertinere; DEUS vero non solum sapiens est, sed etiam optimus, omniaque illius opera, quoniam illius, bona. At quo quis excellit probitate, eo pluribus vult prospicere, & plura in curam suam recipit, eaque dexterè & scienter tractat, gubernatque, si bonitati adjuncta sit industria. Adde quod amor causa fuit condendi mundum. Amat DEUS omnia, quia sua, & idcirco bona. Quid porro amatur, quod non etiam curetur, & quidem sedulo? Quod si curat omnia, si nihil omittat penitus, si etiam procul (ut sic loquar) diffita & tenue sui vestigium referentia: quanto magis & peculiarius hominem, qui magna de causa cum reliqua sint opera, unus propter communicationem mentis filius illius dici possit? Itaque in sacris litteris non solum dicitur conditus ad similitudinem DEI, quod est commune omnibus, sed ad imaginem quoque: quumque illi uni ex rebus omnibus, quæ corpore essent vestitæ, curam indiderit colendi, & amandi sui, manifestior est cognatio DEI ac hominis, à quo vult nosci se, coli, diligi, eumque idcirco peculiari esse etiam DEO curæ. Quod si quæ magis amantur, curantur diligentius: profecto apparet magnam curam gerere DEUM de rebus hominum. Quid enim manifestius ostendit se DEUS diligere, quam nos, quibus omnia hæc inferiora, tanquam domesticam supellectilem paravit? Nam si quis brutorum vitæ rationem, conditionem, mores contempletur, facile deprehendet illas non domi suæ habitare, sed nostræ, illasque propter nostros usus esse conditas: & si quid habent suum, hactenus habent, quia nobis inserviunt, sicut in Psalmo scriptum est: *Qui dat jumentis fœnum, & herbam servituti hominum.* DEUS igitur non solum mundum effinxit, sed etiam effectum conservat. Si ergo DEUS mundum suis motibus ciet & conservat, & res universas ad certos propositos fines dirigit distinctè & ordinatè, planè conficitur, ut summa providentia & cura mundum ipsum gubernet.

Amat Deus omnia.

Et præsertim homines

Pleraque, inquis, corporalia sunt homini noxia, ut ignis, æstus, frigus, feræ, & bestiolæ variæ; sunt igitur mala, ac proinde non erunt à DEO Optimo Maximo. Huic vero objectioni pulcherrime satisfacit D. Augustinus *lib. 1. de Genesi* contra Manichæos *ca. 16. Cum ista*, inquit, *dicunt Manichæi, non intelligunt quemadmodum omnia sunt pulchra conditori & artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, cui summa lege dominatur. Si enim alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, & si multum est insipiens, superflua putat. Jam verò si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, dum id malè tractat, se ipsum vulneraverit, etiam perniciosa & noxia ibi existimat esse multa. Quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam irridet, & verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem, non audeant vituperare quæ ignorant, sed cum ea vident credunt esse necessaria, & propter usus aliquos instituta, in hoc autem mundo, cujus Conditor & administrator prædicatur DEUS, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, & in operibus atq; instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt. Ego verò fateor me nescire, mures & ranas quare creata sint, aut muscas, aut vermiculos. Video tamen omnia in suo genere pulcherrima esse, quamvis ob peccata nostra, multa nobis videantur adversa.* Digna sunt hæc ingenio Augustini.

CAPVT IX.

DEVM esse ens quoddam perfectissimum.

TRia esse, in omnibus rebus, quæ inter se conveniunt, & mutuo consequuntur, ait S. Dionysius, videlicet esse, posse, & operari: ita ut ex operari cognoscamus posse, & ex posse esse, vel ex operatione potentiam, ex potentia essentiam. Ex quo apertè colligitur infinitam esse DEI perfectionem. Quibus enim intellectus viribus potest comprehendi, quanta sit illa potentia, quæ tam efficax est, ut sola voluntate sua creaverit in instanti infinitum rerum, quæ in hoc mundo sunt, numerum; idque tanta cum perfectione, ut in nulla earum inveniatur vel minimus defectus, vel redundantia.

S. Dionysius.

Infinitã esse Dei perfectionem declaratur.

Est præterea DEUS omnipotens, ut omnia quæcunque sit collibitum, possit perficere. Nam si non efficeret, in eo esset impedimentum, aut in rebus. Ipse quidem sibi non repugnat, qui simplex est, & sui ubique similis: neque ex rebus conflatur, vel adversis, vel diversis. Porro si est in entibus resistentia, aliquid forte ei par, quod nefas est cogitare, neque esse maximus & supremus omnium. Quid quod in rebus omnibus resistentiæ causa, & ratio hinc oritur, quia contra naturam suam aliquid patiuntur. Sit qualemcunque DEUS rē jubet esse & vult, ea est cujusque rei natura, vis, pronitas, neque enim aliud est natura; quicquid ergo is in re quapiam vult fieri, id fit secundum rei ipsius naturam, non quidem, juxta hanc consuetam ordinariam, sed secundum extraordinariam naturam, tamen non violentè, nec adhibita ulla resistentia. Cæterum illius omnipotentia in eo

sita

In quo sita Dei omnipotentia.

sita est, non ut patiatur, quod nolit, sed ut efficiat, quod velit. Neque enim corpus esse potest, aut moveri, cædi, dolere, augere, minui, delassari, obliviscí, cogi, vim pati, vinci, interire. Non sunt hæc potentiæ, sed imbecillitatis: quippe nihil horum patemur nos, si possemus.

Quod si omnipotens est, nec aliquid ei, vel nocere potest, vel obsistere, nec voluntatem habere potest, ut intereat, immortalis certè est, tum etiam æternus. Nam si quis hunc creasset DEUM, ille utique DEUS fuisset, & mortuus, quod est nefas. Hic item DEUS beatissimus est, & bonis omnibus cumulatus. Nam si quicquid vult efficit, quid causæ unquam fuerit, quo minus beatissimus sit? Miseria est enim in iis, quæ adversa nostra voluntate accidunt: nec re ulla extra se indiget, per se sufficiens & plenus: alioquin esset quod fælicitatem ejus posset impedire, nempe res illa exterior: nec esset beatissimus, cujus beatitudinis fons & origo, non in eodem ipso esset, sed foris adveniret, quod in homine nemo concederet, ut beatum eum, quæ exterius sunt reddant, quanto minus in Deo.

Accedit his summa sapientia. Novit enim omnia, nec ulla cognitioni illius interponitur nubecula, quo minus omnia liquido prospiciat. Quod si sapientissimus non esset, neque omnipotens, aliquid videlicet posset velle, quod perficere per ignorantiam non valeret, quemadmodum pueri, aut rudes, atque inexperti, aut etiam prudentes, quos tamen fallunt & latent permulta. Et quia beatissimus est, fit ut sit optimus quoque, hoc est beneficentissimus, ac munificentissimus, absque omni prorsum invidia: nec res ulla naturam illam potest pervertere, ut sit malus, hoc est, noxius ac maleficus: tales enim sumus, vel irati, quia læsi, vel metuentes, ne lædamur, vel ex malitia, vel errore mentis. DEUM nihil potest lædere omnipotentem & beatissimum, & magnitudinis suæ probè conscius nihil timet.

Quid, quod vel ipsa lædendi cogitatio acerba est animo, & quietem illius interrumpit. At quemadmodum infinita illa sapientia non fallitur, ita nec potest fallere. Fallunt enim qui aliquid concupiscunt, quod obtinere, nisi à deceptis, non queunt. Bonitatem verè habet, quam singulis momentis experimur; quam quod ab alio non acceperit, sit, ut natura sua habeat; neque enim à rebus conditis potest accipere, quæ posteriores sunt illo, quæque omnes ab illo acceperunt, nihil dederunt ei, pleno per se, & perfectionis numeris omnibus absoluto: nec ante illum præcessit DEUS aliquis, cujus tanquam hæreditatem adiret sapientiæ, & bonitatis. Cui vero bonum est naturale, malum erit profecto contra naturam, nihil autem facit contra suam naturam: id enim faceret invitus & coactus, & vim patiens, quod contingere non potest. Et quoniam DEI voluntas causa est rerum, movereque non potest voluntatem ejus malitia, sed bonitas omnia facit, ut prosit, ut juvet, ut benefaciat. Quanta ergo debet esse Creatoris earum perfectio? Certè cum fide Catholica fatendum est, DEUM esse rem tantam, qua majorem nemo potest imaginari. Atque ideo eadem fides Catholica omnes perfectionum & honorum titulos illi tribuit; quos omnes intellectus tam hominum, quàm Angelorum possunt comprehendere, idque in summo perfectionum gradu.

Confitetur illum infinitè bonum, sapientem, sanctum, pulchrum, justum, misericordem, & specialiter tanta omnipotentia præpollentem, ut non solum hunc mundum, sed etiam mille alios, æquè perfectos uno ictu oculi creare potuerit resque omnes fecisse, absque ulla necessitate, gubernare absque lassitudine, & ad finem suum perducere absque ullo impedimento: ita ut omnia ab eo pendeant, ipse autem à nullo; omnia sint mutabilia, ipse sit immutabilis: omnia sint composita, in illo nec compositio, nec divisio: omnia novitati subjecta, in illo nec vetustas, nec novitas: omnia præterita, præsentia, & futura, in illo nec præteritum, nec futurum, sed omnia illi præsentia in æternitatis illius instanti: omnia habeant esse, scire, & posse finitum & limitatum, prout ipse voluit unicuique distribuere, in illo autem hæc tria sunt infinita, cum nemo sit, aut fuerit, qui hæc in eo determinavit; omnia habuerint principium, & possint habere finem, ille autem nec principium habuerit, nec finem habere possit; cùm ipse rerum omnium finis sit, & principium: denique omnia possint suum esse amittere, ille autem non possit, cum sit ipsum esse. Tanta est ejus magnitudo, ut totus hic mundus, ante ipsum non sit aliud, teste Sapiente, quam gutta roris antelucani. Tanta est ejus bonitas, ut nulla res dici possit bona, si cum eo conferatur. Tanta est ejus pulchritudo, ut omnes pulchritudines creatæ in conspectu ejus deformes sint, & obscurentur. Tanta est ejus sapientia, ut omnis alia sapientia coram illo sit ignorantia. Dei perfectio.

Denique ipse est in omnibus perfectionibus suis infinitus, immensus, ineffabilis, invisibilis, incomprehensibilis: adeo ut omne id, quod altissimi illi Seraphin de illo intellectu suo possunt consequi, nihil sit, si cum eo comparetur, quod intelligendum remanet, quod est infinitum. Significatum hoc olim est per duos illos Seraphin, quos vidit Esaias in templo, de quibus dicit, quod alis suis velabant faciem & pedes; ut insinuarent nullam creaturam, quantumvis excelsam & nobilem, DEUM integrè cognoscere; quia est infinitus, nec potest comprehendi. Ex quibus fit, quod DEUS sit perfectissimus; cum in seipso contineat rerum omnium perfectiones, ut qui singulis vires & facultates, quibus pollent contulerit: & quia inter res ipsas, aliæ aliis sunt perfectiores, eo ipso perfectiores sunt, quo DEO viciniores & similiores; ipse enim est rerum omnium perfectarum mensura, & norma, & infinitum quoddam bonum, quod est fons & origo, unde profluxit quicquid in rebus singulis perfecti, honesti, jucundi, pulchri, & boni cernitur. Ex quibus etiam efficitur, ut sit justissimus, æquissimus, misericordiæ, & benignitatis plenissimus: quare ipse summus est bonorum amicus, gratus eorum obsequiis, & servitiis, liberalis retributor eorum meritis: & è contrario infensissimus inimicus malorum, à malitia eorum abhorrens, & justissimus scelerum vindex.

Sequitur insuper DEUM esse incorporeum, corpus enim ex se vitam non habet, sed ab anima; quare si DEUS ex corpore & anima constaret, non esset omnium primum; ea enim, ex quibus aliquid componitur, sunt natura sua priora compositosut aurum vel argentum, &c. prius est statua aurea & argentea, &c. Item si DEUS ex anima & corpore constaret, necesse esset, ut aliquid prius ipso antecederet; quicquid enim conflatur ex partibus, ab aliquo componitur; neque enim seipsæ componunt & conjungunt: item aliquid haberet in se ipso DEUS, quod non esset perfectissimum; nam spiritus, mens, & animus perfectior est corpore.

CAPVT X.

Idololatriam esse vanissimam sectam.

PRiusquam hujus capitis assertum declarare incipiamus, primùm breviter, quid sit Idololatria, & quotuplex, quænam fuerit ejus origo, quam enorme peccatum contineat, quamque vanam Religionem, explicabimus.

Quid sit Idololatria.

Idololatriam vocamus crimen, quo honor & cultus uni summo rerum principio DEO Optim. Max. ut hujus mundi conditori, ac propter seipsum debitus, in creaturas alias, vel ficta simulachra transfertur, ac ut uno verbo dicam, cum creaturæ alicui divinus honor tribuitur DEO soli debitus.

Quotuplex sit.

In Idololatria tria possunt considerari, primum honor, qui exhibetur; secundum, animus, quo exhibetur; tertium, creatura cui exhibetur. Ex quibus tribus tria etiam Idololatriæ genera oriri possunt; nempe ex diversitate cultus divini; ex diversa animi dispositione: tertiò, ex diversa conditione creaturæ. At quantum ad præsens propositum spectat, quatuor sunt Idololatriæ genera, ex diversa ratione creaturæ, cui exhibetur honor divinus desumpta: Primum, quod in hominum mortuorum; secundum quod in animalium; tertium, quod in dæmonum: quartum, quod in aliarum rerum effigies, animatarum, sive inanimatarum transfertur.

Origo Idololatriæ.

Nunc de Idololatriæ origine brevissimè dicamus, & quidem ex parte ipsius hominis, Idololatriæ prima origo fuit ignoratio DEI, qua excæcati crassissimisque tenebris obruti homines, cùm summum rerum omnium opificem non coluissent, nedum agnovissent, divinos honores & cultus creaturis, in quibus aliquid excellens cernebant, vel commodum aliquod ex iis percipiebant, tribuere cœperunt; hinc factum, ut alii Solem, alii Lunam, alii terram, alii ignem veneraretur; alii vero homines excellentes, aliisque præstantiores, vel vitibus, armis, potentia, sapientia, aut etiam inventores artium aliquarum, credentes eis aliquid divinitatis inesse, divinis honoribus sint prosecuti; accidit enim istis, sicut rustico eunti ad curiam Regiam, qui volens videre Regem, credidit quemcunque bene indutum, vel in excelso officio constitutum, Regem esse. Quare prima Idololatriæ origo fuit imbecillitas intellectus, non valentis corporalia transcendere.

Alia etiam Idololatriæ causa fuit effrenata honoris & gloriæ cupiditas, & superbia, qui cum ubique per se ipsos imperare non possent, erigi sibi statuas & simulacra jusserunt, quibus variis in locis constitutis, honor, ac si ipsi præsentes essent, ab omnibus tribueretur. Alii vero plus æquo suos progenitores, vel filios adamantes, ut dolorem ob ipsorum mortem, vel absentiam aliqua ex parte lenirent; post eorum mortem statuas & simulachra extruxerunt in eorum memoriam, atque ditioni & potestati suæ subjectos, ut servi & ancillæ, illis statuis venerationem & cultum impendere cogebant: ut optimè describitur Sap. c. 14. *Acerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia.* Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est. (Et infra) *Hæc fuit vita humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut Regibus deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus, aut lignis imposuerunt.*

Sap. 14.

Dæmonum malitia.

Ac denique Idololatriæ origo præcipua fuit summa dæmonum malitia; qui mira calliditate, ad homines decipiendos, sese in illas statuas, & simulacra hominum arte confecta abscondebant, & inde responsa rogati dabant: huc atque illuc imagines loco movebant, & ita respondendo, & sese in illis imaginibus movendo, significabant hominibus in illis statuis divinitatem inesse, quæ ad interrogata responderet, miracula patraret, consilia præberet, incederet, hinc factum est, ut delusi homines divinos honores confectis à se imaginibus conferrent: indeque arrepta occasione, homines quæstus avidi, Sacerdotes se harum imaginum finxerunt, mille confictis fabulis Gentium populos sibi conciliantes: mox varios cultus, ritus, & sacrificia instituerunt: persuaserunt hominibus ea simulachra esse Deos, quibus victimas offerre oporteret, ut placarentur, mala arcerent, salutem & facultates tuerentur. Denique ut in hac vita beneficia, in altera fœlicitatem conferrent, templa & aras dicarunt, ut in iis munera offerrentur, quæ in suos usus converterent, & immodicam lucri cupiditatem explerent, atque ipsis laudem & gloriam conciliarent. Ex his igitur causis, veluti ex fontibus, idolorum cultus, & superstitiosa ac falsa religio promanavit, & veri DEI cultus extinctus, & sepultus est.

Idololatriæ quo modo Deus obstiterit.

Huic autem dæmonum fraudi singulari DEI providentia tribus potissimum modis & remediis adhibitis obviam itum fuit. Primo temporibus oportunis homines literis, moribus ac vitæ integritate conspicuos, tanquam legatos misit; at gentes docerent modum, quod sibi ab his dæmonum artibus & fraudibus caverent. Secundò permisit, ut in his sectis vanis ac superstitiosis, tot ac tanta mendacia, absurda, & incommoda, cum omni recta ratione pugnantia, traderentur, ut facilè homines, si vellent, agnoscere possent, ea omnia esse aniles, & inanes fabulas, ab hominibus confictas, ac sæpe historiæ de suis Diis ita obscænæ & turpes referuntur, ut puras & mundas hominum aures offendant. Tertiò permisit dæmones, ita monstrosis, & portentosis figuris, apparere, ut absque ullo negotio possent homines conjicere, imagines tam fœdas, & tetras, aspectuque terribiles non posse repræsentare nisi res similes sibi. Permisit etiam dæmones suis propriis figuris horrificis, in mediis ignium flammis ardentes, depingi, ut in Japone, & aliis Indiarum partibus cernitur, ut vel ipso aspectu admoneant mortales, quibus suppliciis ipsi torqueantur, & quæ tormenta maneant eos, qui ipsis cultum & venerationem impenderint.

Criminis Idololatriæ gravitas.

Denique quam enorme peccatum sit Idololatriæ crimen, argumentis quamplurimis demonstrari poterit, præsertim desumptis ex divinis literis, ex *Sapientia lib.* præsertim toto *c.* 13. & 14. & ex *Isaia cap.* 44. & 46. Jerem. 10. pulcherrimè autem, & ad vulgarem sensum accommodatissimè Baruch *cap.* 6. Idolorum vanitas confutatur: *Notum, inquit, sit vobis, quia non sunt Dij, ne ergo veneremini eos, sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur; tales sunt Dij eorum. Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt pulvere, à pedibus introeuntium: lucernas autem accendunt illis, ex quibus nullam videre possunt: sunt autem sicut trabes in domo, nigræ fiunt facies eorum à fumo, qui in domo fit. Supra corpus & caput eorum volant noctuæ, & birundines, & aves, similiter & cattæ, unde sciatis, quia non sunt Dij: si ceciderint in terram, à semetipsis non resurgunt, sicut mortuis munera illorum apponuntur illis. Hostias eorum vendunt Sacerdotes, & abutuntur. Unde ergo vocantur Dij? In domibus eorum Sacerdotes sedent,*

Baruch 6

neque

neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, retribuere poterunt. Neque Regem constituere possunt, neque auferre: similiter neque dare divitias possunt, neque retribuere. Si quis illis votum voverit, & non reddiderit, neque hoc requirent: hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiori eripiunt. Lapidibus de monte similes sunt. Quomodo ergo æstimandum est eos esse Deos? A fabris, & aurificibus facta sunt; nihil aliud erunt, nisi id quod volunt esse Sacerdotes. Nunquid ergo possunt ea, quæ ab ipsis fabricata sunt esse Dij? quomodo ergo sentiri debet, quod sunt Dij, qui nec de bello se eripiunt, neque de malis se liberant. Si inciderit ignis in domum Deorum, Sacerdotes quidem ipsorum fugient, & liberabuntur, ipsi verò sicut trabes in medio comburentur. Quomodo ergo æstimandum, aut recipiendum, quod sint Dij? non à furibus se liberabunt, quibus iniqui fortiores sunt, &c.

Ubi ex triplici capite Idololatriæ vanitas rejicitur. Primo ex natura & substantia Deorum lignea, lapidea, aut alterius metalli. Alterum ex impotentia & ignorantia, quia vel creaturæ sunt à DEO factæ, ut cæli, & sydera & motibus variis subjecta: Aut sunt mera simulachra, quæ se ipsa defendere nequeunt, ab igne vel lartonibus, &c. Tertium est ab humanarum rerum providentia, ubi ipsa barbarorum experientia in medium producenda est, & interrogandi, an in bello, morbo, aut fame Deorum suorum unquam opem aliquam senserint? utrumne religiosè illos colentes, an nihili facientes melius habuerint? Et quoniam sæpè Dæmones, ut turbent Gentiles, errores que humanis pectoribus infundant, miscent falsa cum veris, sacrificiisque præsto adsunt, eduntque sæpe prodigia, quibus obstupefacti homines fidem ac cultum illis exhibent; docendi sunt Barbari, cum res ita tulerit, diaboli omnia esse commenta, qui visus hominum præstigiis obcæcantibus fallat, ut non videant ea, quæ sunt, & videre se putent illa quæ non sunt: aliquando etiam DEO sic permittente, insinuant se corporibus hominum, & occultè visceribus inclusi valetudinem vitiant, morbos causant, somnis animos terrent; ut homines his malis cogant ad eorum auxilia recurrere. Sæpe vero cum ex conjecturis aliquibus futuros eventus præsentiunt, interponunt se manifestando futura; ut quæcunque à DEO facta sunt, vel fiunt, ipsi potissimum facere vel fecisse videantur, cum tamen revera mendaces, & iniqui, ac fraudulenti sint, ac justis & Christianis DEI cultoribus subjecti, cujus nomine adjurati è corporibus exeunt; quorum verbis tanquam flagellis verberati non modo Dæmones se esse confitentur, sed vim ac nocendi potestatem amittunt: quia nec DEO per quem adjurantur, nec Christianis ministris, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis sæpè ululatibus editis, verberati se, & ardere, & jam jam exituros se proclamant, tantum habet veri DEI cognitio ac justitia potestatis; quare nocere non possunt, nisi iis, quos habent in sua potestate.

Docendi sunt etiam Gentiles, cum res ita tulerit, quis Diabolus sit, qui illius satellites, quid agant, quæ illorum in homines inimicitiæ, malitia, & fraudes, ut timorem in eorum potius odium convertant: hoc enim commune apud omnes penè Barbaros est, ut DEUM quidem omnium rerum supremum, ac summè bonum fateantur, Spirituum verò quorumdam perversorum non obscura notitia sit. Summum igitur illum DEUM rerum omnium opificem, quem ipsi ignorantes colunt, esse quem nos annunciamus per omnia doceri debent. Ac deinde quantum ab illo distent nequissimi Dæmones oportet exponere; ut Idola sua omnia contemnant, execrentur, & maximo odio prosequantur.

Ac denique quantum Idololatria scelus sit, ex hac ratione manifestè convincitur. Nam cum DEO rerum omnium Domino pugnat apertè, & illi quasi bellum indicit, & qui hujusmodi crimen perpetrant, quantum est ex parte ipsorum, DEO summo rerum parenti, & auctori gloriam, honorem & dominatum eripiunt, ejusque naturam evertunt & dissipant; quia Dei in hoc mundo notitiam extinguentes, divinos honores Dæmoni impendunt, qui est vilissimus, abjectissimus, impudicissimus, immundissimus, ac flagitiosissimus omnium Spirituum, qui sunt à DEO creati, qui hominum animas perdere avidissimè cupit: Quare sicut nullum crimen in Regem potest gravius admitti, quàm eum ex suo Regno pellere, ac à dignitate Regia ejicere, & alium ad summum Regiæ majestatis fastigium evehere; ita nulla in DEUM est injuria major, quàm cùm divinus honor, qui ipsi debetur soli, ipsi detrahitur & aliis tribuitur, ipsius potestati & imperio subjectis. Atque eo Idololatria stupidior ac deterior est, quanto vilioribus ac deterioribus creaturis divinus honor exhibetur; quia id magis contra rationis & naturæ ordinem est: & eo major contumelia DEO infertur, quo vilior est creatura, quæ præponitur, aut exæquatur ei. Cæterum idololatria illa omnibus aliis detestabilior est, qua cultus DEO debitus Dæmonibus tribuitur. Quod tribus potissimum rationibus comprobatur. Prima, quia Dæmones sunt inferiores brutis, dejectione propriæ malitiæ, ac miseria culpæ ac pœnæ. Altera, quia sunt hostes & inimici DEI. Tertia, quia periculosior est talis Idololatria, magis itaque DEO displicet, qui honorem DEO debitum tribuit inimicis DEI pessimis, & quia se ipsum in majus periculum injicit. Sunt enim Dæmones ad decipiendum vigilantissimi, neque est ullum malorum genus, quo non delectentur, & Deorum induti personam in errorem atque stultitiam nos impulisse gaudent.

CAPVT XI.

DEVM esse ultimum non solum hominis, sed & aliarum quoque creaturarum finem.

Deus omnium creaturarum finis

ULtimus finis est ille, propter quem amantur cætera, ipse vero propter se ipsum. Cum autem unum quodque suam appetat perfectionem, illud appetit, ut ultimum finem, quod apperit, ut bonum perfectum, & completivum sui ipsius, ita quod extra ipsum nihil appetendum relinquatur: & quia DEUS est summum & infinitum bonum, ut prædictum est, necessario fit, ut sit ultimus rerum omnium finis, in quem veluti in scopum propositum, universa quodam naturæ impetu, dirigantur.

Et confirmatur, quia cum DEUS ipse cuncta, quæ in rerum natura sunt, finxerit, & condiderit, conditaque servet, & cum necesse sit eundem esse finem efficientis & rei effectæ, ut Architecti & domus ædificatæ, DEUS autem nulloextrinseco bono indigeat; nullam aliam ob causam ad agendum moveri potest, quàm propter seipsum. Quare cùm ipse sit finis sui ipsius, sequitur ut homini quo-

que sit finis ultimus ipse DEUS; unde est illud de ipso in Apocal. 1. & 22. cap. *Principium & finis, primus & novissimus*: quare ut involucrum clypei causa factum est, ut vagina gladii, ut domus inhabitandi gratia: sic homo propter unum DEUM, à quo conditus est, tanquam propter ultimum finem creatus est.

Apoc. 1. & 22.

Atque hoc etiam ex naturali rerum omnium ordinatione clarius intelligere licet, quæ sic connexæ sunt, ut inferiores & imperfectiores nobiliorum ac meliorum gratia conditæ sint, eisque ad usum subjectæ, ut plantæ, & cætera vegetabilia, propter animalium, animalia vero propter hominum usum; mansuetæ quidem ad usum & cibum, agrestia vero partim ad eundem cibum, partim ad alia adjumenta, ut vestium, & aliarum rerum. Nec vero hominis dignitati aliquid detrahit, imo multum addit, ut ad DEUM summum, infinitumque bonum dirigatur: nam cum, ut paulo ante diximus, DEUS ipse nullum alium finem habeat, quam se ipsum; sic fit ut homo quoque ad ejusdem finis participationem provehatur, quod summæ cujusdam dignitatis est.

Ex quibus etiam fit, quòd, cùm ultimus finis sit ad quem omnes actiones humanæ respiciunt, & in cujus adeptione appetitus conquiescit; quod hominis felicitas sit sui ultimi finis adeptio, hoc est possessio DEI, in quo omne bonum consequitur, & in quo omnis ejus cupiditas expletur, satiatur, & conquiescit. Quare sicut DEUS est in se ipso beatus, beatitudo enim nihil aliud est, quam perfectè tuta quædam omnium bonorum possessio; sic etiam homines beati fiunt, cum DEUM ipsum præsentem clarè cernunt & intuentur, & clarè visum tuti & securi possident & amant. Nec potest homo ulla in re conquiescere, donec ad hunc ultimum finem, & summum bonum perveniat; quia quousque summum bonum obtineat, ejus voluntas nullo potest bono saturari.

Quid sit beatitudo.

CAPVT XII.

Animam hominis esse immortalem, aliamque vitam futuram post hanc.

Animæ immortalitas demonstratur.

ANimæ rationalis immortalitatem, & fide Catholica credimus, & rationibus naturalibus demonstratur à Philosophis, tam Christianis, quàm Gentilibus, ex quibus ea argumenta clariora, & Gentilium captui magis accommodata adducemus, ostendentes animæ immortalitatem: Primo, ex variis animæ appetitibus à natura insitis. Secundo, ex præmio & pœnis bonis, malisque debitis. Tertio, ex fine ultimo, & beatitudine nostra, quæ in hac vita esse non potest. Quarto, ex variis virtutibus, & earum actionibus, quæ perirent, & vitiis, quæ contra sequerentur, si anima non esset immortalis.

Ex variis igitur appetitibus naturalibus à natura insitis, immortalitas animæ manifestè ostenditur. Homini inest appetitus naturalis ad plura bona, qui cum sit à natura insitus, non erit frustra. Si autem anima immortalis non sit, frustraneus erit, cum non possint in hac vita compleri, ut patet, si ad aliquos particulares appetitus accedamus. Nam inprimis insatiabilis est, & à natura insitus ipse appetitus boni, at nullum est in hac vita tantum bonum, quod adepti tandem aliquando non fastidiamus; quantumvis illud avidè appetiverimus, jucundumque ac suave visum fuerit. Unde ad alia semper mens anhelat, si quod fortè inveniat objectum, in quo quiescat: nihil enim est, quod humanum desiderium satiare possit: quod expressit August. illis verbis: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perveniat ad te*; ex quo fit, quod appetitus beatitudinis & felicitatis, & summi boni, sit nobis à natura insitus. Omnes enim volunt esse beati, & cum summum bonum excludat omne malum, tam culpæ, quam pœnæ, hoc autem in hac vita esse non possit, ut experientia testatur, quæ plena est miseriis & periculis. Quare cum hic appetitus aliquando satiari debeat, cum sit naturalis; consequens fit, ut sit alia vita, in qua homo hanc beatitudinem possit possidere, quod absque immortalitate non contingit.

Varii hominum appetitus

Et confirmari potest ex aliis homini à natura insitis appetitibus; nam inest homini appetitus naturalis ad vitam sempiternam; nam quilibet intelligens naturaliter desiderat se esse perpetuum, non solum secundum speciem, sed etiam secundum individuum. Est etiam naturalis homini appetitus gloriæ, honoris, & famæ, etiam post mortem, ut experientia constat, ex assidua vehementique hominum contentione atque æmulatione relinquendi sui monumenta, tum conscribendis voluminibus, & statuis erigendis, ac magnificis operibus construendis, quibus gloriam, & famam, & æternitatem post mortem acquirant, quibus etiam planè indicant vitæ perpetuæ infinitus appetitus. Ac denique in homine à natura est insatiabile scientiæ desiderium, est enim in intellectu nostro non solum infinita capacitas, ut scientiis omnibus imbuatur, sed & scientiarum ipsarum inexplebilis appetitus. Cum igitur omnes isti appetitus à natura hominibus inditi, vani non sint, nec superflui, & in hac vita satiari non possint, restat ut sit alia vita, in qua complementum recipiant.

Ex fine etiam ultimo, & beatitudine nostra, quam in hac vita adipisci non possumus, sed in altera, demonstratur animæ nostræ immortalitas, quia cum omne ens naturale habeat finem, in cujus consecutione quiescat & delectetur; homo igitur, qui omnium entium naturalium est res præcipua, non erit deterioris conditionis. Habebit ergo hunc finem, quo fruatur, sed nullus in corpore talis apparet finis, imo tota hominis vita est solicitudinibus & laboribus plena, & nullum animal ita solicitudine, timore, ac dolore concutitur, sicut homo.

Adde etiam vitæ brevitatem, quæ omnia veram hominis durationem, & finem verum non esse in hoc corpore, manifestè indicant.

Præterea beatitudo est ea, in qua omne bonum & nullum malum invenitur; est enim status omnium bonorum aggregatione perfectus. Deinde beatitudo debet esse creata; alioquin animus beati non esset quietus. Debet etiam esse firma & stabilis, ne sit hominis mens anxia, & sollicita, ac in beatitudine nulla debet esse tristitia, nec dolor, pugnat enim esse beatum, & dolere; ac denique beatitudo debet esse per se sufficiens, ut beatus nullo indigeat, neque pro se, neque pro suis. At nullum ex prædictis bonis, aut carentia malorum potest contingere in hac vita; restat ergo, ut sit alia vita, in qua homo hanc beatitudinem consequatur.

Tertio, animæ immortalitas ostendi potest ex DEI providentia & gubernatione, quia cum sint multi homines, qui cum bene & sanctè vivant,

ac

ac toto studio DEO famulentur, & serviant, in hac tamè vita graviter sunt afflicti, vi, tyrannide, & servitute oppressi, calamitatibus, & malis quamplurimis vexati, omnia etiam adversa patienter sustinentes: è contra verò cernimus multos improbos, ac perditos homines, nefarios ac impios opibus affluere, in delitiis versari, prosperè, & fæliciter vitam transigere. At cum DEUS sit justissimus, si hominum animi immortales non sunt, & vita alia futura non est, ubi sint bonorum hominum præmia, & supplicia malorum; magna esset rerum confusio, & perturbatio, nec esset in DEO summa justitia & sapientia, si bonos sine præmio, & malos absque supplicio prætermitteret; quod sanè cum omni recta ratione pugnat.

Præterea, quia hæc tria inter se sunt valdè connexa & conjuncta, DEI religio, DEI providentia, Animæ nostræ immortalitas. Quisquis unum istorum tentarit labefactare, aliorum quoque fidem concutiet. Nam si animæ non sint immortales, benè, aut secus factorum nulla sunt præmia, nullæ pœnæ. Hæc enim omnia in decursu præsentis ævi permista & confusa cernimus, ut nihil aliud sit hominum vita, quàm merum latrocinium. Nulla est ergo DEO cura de nobis. Quod si nos non curat, quorsum à nobis coletur? vana & stulta persuasio fuerit religio DEI ac pietas. At nos tamen homines omnes, & nationes quantumcunque barbaras, & ab humanitatis institutione alienas, atque abhorrentes, animadvertimus adduci naturaliter ad religionem aliquam, laudare ac probare modestiam, moderationem, gratitudinem, pietatem, mansuetudinem, patientiam, æquitatem. Fieri ergo non potest quin hæc sint bona, & contrariis potiora, cujus rei nulla est ratio, si Deus non sit spectator ac judex. Testantur ergo nos illi curæ esse, & pietatis præmium alibi expectandum. Quod si illic est virtutis pretium, & hominis finis, anima profectò illic vivet, & retro idem valet: si anima illic vivet, finis hominis illic est. Finis enim ad ultimum & perfectissimum pertinet, qui ea de causa finis nominatur. Quod si plurimorum & sapientissimorum hominum authoritatibus aliquid tribuimus, præter tacitum illum humani generis consensum, habemus expressum alterum, & manifestum, quandoquidem non solum doctis, & ab humanitate instructis nationibus, sed feris & barbaris, ut Getis, Scythis, Indis, & in novo orbe tamdiu sepositis & latentibus, persuasissimum est, animas hominum hinc in alia emigrare loca, digna iis rebus, quæ in vita gesserint. Ex professoribus autem sapientiæ ignobilissimi, & qui in deliciis extremum bonorum suorum posuerant, animam fecerunt mortalem, scilicet iidem illi, qui religionem omnem, qui cultum & amicitiam Divorum, qui providentiam, qui Divos ipsos funditùs extirpaverunt.

Quarto, ex variis virtutibus, & earum actionibus, quæ perirent, & vitiis, quæ contra sequerentur: quia cum sit naturale homini secundum virtutem vivere, sublata de medio animæ immortalitate, nullus esset locus virtutibus temperantiæ, sobrietati, frugalitati, virginitati, humilitati ac aliis virtutum functionibus, quæ omnia homines privant hujus vitæ voluptatibus, & aliis etiam bonis, puta honore, divitiis, pompa, fastu, imperio, & potestate: nullus etiam esset, qui vellet mortem pro Republica, Virtute aut justitia appetere, cum nullum inde bonum consequatur. At è contra latissimus campus vitiis omnibus aperiretur, superbiæ scilicet, ambitioni, vanæ gloriæ, luxuriæ, gulæ, ebrietatibus, commessationibus, ac tunc verè sequeretur illud Sardanapali epitaphium ejus sepulchro inscriptum:

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Unde rectè Augustinus. 6. Confess. ca. ultimo. *Si animus*, inquit, *mortalis est, Epicurus in animo meo palmam habet.* Sequeretur etiam beatitudinem, & finem ultimum hominis esse in hac vita, nempe vel in ejus conservatione, vel in bonorum ac voluptatum hujus vitæ fruitione, ac plus minusve eadem esset beatitudo hominum ac jumentorum. Ac denique fieret impiorum hominum vitam esse beatiorem optimorum vita: nam virtus in labore posita, etiam ardua & difficilis; at contra vitium facile & molle & delectabile sensui. Si ergo alia vita non esset expectanda; quid obsecro utilitatis esset tanto labore, sudore, ac difficultate acquisivisse, & conservasse virtutem; si post mortem nihil aliud supereset. Quare illud optimum & verissimum D. *Pauli*, Sancti & studiosi viri possent dicere; *Miserabiliores essemus cunctis hominibus, si in hac vita tantum sperantes in Christo sumus.* 1. Cor. 15.

Solet etiam animæ immortalitas demonstrari ex operatione, & potentia spirituali, quia actus cognoscendi in nobis nonnulli sunt spirituales, hoc est, nec ex materia constantes, nec à materia subjectivè dependentes; ergo & potentia illos immediatè eliciens spiritualis erit, & consequenter substantia, unde talis potentia effluxit. Assumptum probatur ex objecto intellectus, quod est spirituale; cognoscit enim universalia, judicatque de rebus immaterialibus, & ipsorum habet scientiam. Hoc etiam confirmatur ex voluntatis actibus, nam voluntatis operationes quamplurimæ spirituales sunt: ut sunt velle, & nolle, eligere, vel non eligere: quæ sunt supra omnem sensum, & supra omnem materiam, sed in his argumentis Philosophicis non oportet amplius immorari.

Ex dictis igitur apertè conficitur, animum esse immortalem, futuramque esse aliam vitam, ubi sit & felicitas bonorum, & impiorum calamitas: ac ut recipiat quisque debitam sibi mercedem, prout benè, vel malè vixit in hoc sæculo. Et quoniam alterius sæculi vita perpetuo est duratura, ideo tam præmia bonorum, quam malorum supplicia futura sunt sempiterna.

CAPVT XIII.

Conclusio prædictorum, & rationes, quibus homo tenetur DEVM colere, & illi inservire.

EX his omnibus apertè constat, vera & certa de primo & summo rerum principio doctrina. Primum, quod sit unus DEUS rerum omnium author & conditor, qui cunctis rebus esse communicat, & conservat illud, quique in singulis operatur nutu & potestate sua, ita ut ipso non conservante universa in nihilum reverterentur. Secundo certum est DEUM ipsum rerum omnium curam & providentiam habere, suaque cura mundum regi & gubernari, & res universas, ad certos & propositos fines, dirigi ab ipso & ordinari. Dei proprietates

Tertio constat, DEUM esse substantiam quandam spiritualem, sua natura & operatione perfectissimam, longeque sublimiorem, quàm ab homine ullo intelligi, aut cogitari queat, æternam, omnis principii expertem, & fine carentem, ipsamque esse principium perfectionum omnium creaturarum,

turarum, quas in se continet gradu quodam multo nobiliore & præstantiore; quoniam ipsa est omnis perfectionis summa & prima regula. Quare vitam habet, & intelligentiam, & infinita sapientia & consilio poller, ut clarè cognoscitur ex pulchritudine, perfectione, ordine, & concentu, quem rebus omnibus impressit: inde etiam sequitur, ut sit omni justitia, æquitate, misericordia, benignitate, & bonitate plenissimus, ac denique summum & infinitum bonum, fons & origo omnis perfectionis & bonitatis.

Quartò, claret ex dictis, quod cum DEUS sit summum & infinitum bonum, sit etiam, ut sit ultimus rerum omnium finis, maximè hominis, in cujus possessione & adeptione hominis felicitas sita est, nec possit conquiescere, donec ad hunc ultimum finem, & summum bonum perveniat.

Quintò, cum in DEI adeptione, qui est ultimus hominis finis, sit nostra beatitudo, & hæc summa hominis fælicitas, ad quam adipiscendam conditus est à DEO, in hac vita obtineri nequeat; fatendum est aliam post hanc futuram vitam, in qua perfectissimè DEO fruamur; animamque nostram esse immortalem, ut sic justis præmia, impiis verò supplicia ab ipso DEO decernantur. Ex his manifestè stabiliendum est, hominem non esse suum, sed DEI; humanamque naturam, ex ipsa sua conditione, verum ac legitimum Dominum habere summum illud ac infinitum numen: quo etiam fit, ut DEUS ab omnibus coli, adorari & amari super omnia debeat. Quod si homines in officio esse velint, ita se ipsos instituere debere, ut tota eorum vita DEI cultui sit consecrata, ex Deo pendeat, & quasi ex ejus imperio & ductu suspensa sit, idque plurimis causis: præcipuè verò quinque attingemus: quæ sequuntur ex his, quæ nuper diximus.

Causæ cur Deus amandus

Prima igitur causa sive titulus, quæ nos cogit DEUM adorare, omniaque nostra illi subjicere, ex ipsius divinæ naturæ infinita perfectione & præstantia ducitur, præsertim si cum nostra natura comparetur, quæ est tam infirma, vilis, ac pusilla. Nam si Philosophi servitutem hominum adversus alios homines posse esse naturalem, ac justam, respectu nobilioris ac sapientioris, ac homini in omnibus excellenti, naturaliter imperium & dominium deberi censuerunt, credentes tantam posse inveniri inter res ipsas creatas distantiam, ut aliæ aliis naturali jure subdantur; quanto hoc verius erit inter DEUM & hominem: nam quantumcunque homo homini præstet, non potest alia esse differentia, quam doctrinæ, sapientiæ, vel ingenii aut hujusmodi accidentium; quæ inæqualitas, quæcunque sit illa, finita tamen est, & intra ejusdem naturæ terminos continetur; omnes enim & corpus ex eadem materia, & animam ejusdem formæ habemus: sed si conferamus hominem cum DEO, sapientiam cum sapientia, bonitatem cum bonitate, potentiam cum potentia, naturam cum natura, non solum infinita est distantia, sed etiam quicquid homo habet, à DEO habet, à se autem nihil, ideoque melius ac verius nihil habere, nihilque esse respectu DEI dicendus est. Quod si tota terra universo cælo comparata, quod est ens finitum, non aliud quam unius puncti instar esse videtur; quid erunt singuli homines, respectu illius infinitatis, & illius abyssi, in quem innumerabilia eademque immensa bona concurrunt?

Homo non sui ipsius est, sed Dei.

Secundus titulus, Cur homo potius sit DEI, quam sui ipsius, eumque amare & colere teneatur, in eo fundatur, quod ab illo conditus & creatus sit. Nam inter homines ipsos nullum jus habendarum rerum justius & gravius est, quam quod fundatur in rei productione. *Quis plantat vineam* (ait Apost. 1.Cor. 9.) *& de fructu ejus non edit?* sic qui domum ædificat, qui arcam ligneam, aut opus aliquod suis manibus conficit, ejus operis idem author & omni jure ac lege dominus est. Hoc autem multo magis locum habet in DEO, quoniam hominis artis efficientia nihil aliud possunt, quam externam formam, & quasi faciem rebus inducere, naturam autem ipsam, sive ferri, sive ligni, nec producere, nec attingere quidem possunt: DEUS autem usque ad ultimum, extremumque essentiæ gradum, sua vi & virtute pertingit: quare optimè Scriptura, hoc præcipuè titulo omnium dominatum DEO tribuit; sic enim *Psal. 23.* legimus, *Domini est terra, & plenitudo ejus, ipsius est mare,* (& quasi hujus ratio reddatur) *& ipse fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus.* Unde optimè Bernard. de quadruplici debito: *Ecce,* inquit, *in janua est, qui fecit cælum, & terram: & creator tuus est, tu creatura; tu servus, ille Dominus; tu figmentum, ille figulus: totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum, nè fortè indignationis oculo te respiciat, despiciat, & conterat in æternum.*

1.Cor. 9.

Psal. 23.

Omnia propter nos condita.

Ex hac etiam causa sive titulo deducitur tertius, quo astringimur DEO obsequium præstare, *Non solum,* ut inquit Bernardus *quia fecit nos, sed quia & benefecit nobis, suaque providentia in ultimum finem nostrum direxit & ordinavit*: ut enim nos propter semetipsum, sic omnia propter nos condita sunt: quidquid enim est in terra, in aquis, in aëre, in igne, imò in sphæris cælestibus, id omne in obsequium nostrum creatum est: Omnes enim creaturæ homini ministrant, cui constituto super opera manuũ DEI, omnia sub pedibus subjiciuntur: homini frondes & fructus producunt arbores, illi terra gignit aurum, argentum, & alia usibus humanis cõmoda mineralia; illi fluit & refluit mare, pisces varios generat, vela navesque portat; homini scaturiunt fontes, labuntur flumina, illi oves, boves, & pecora campi pascuntur, pelleſque, lanas, lac, & butyrum proferunt. Ac denique (ut prætermittam cælestem orbem, in quo Luna, Sol, & Stellæ, cui lucent, nisi homini? in cujus usum suas in hæc inferiora mittunt influentias?) nihil in aqua, terra, & aëre est, movetur, aut vivit, quod non, aut pascit, aut recreat aut medetur homini. Ita ut totus hic mundus inferior, non sit aliud, quàm pennarium, victidarium, & pharmacopolium humanæ naturæ.

Homo ad Deum ordinatus.

Quarta causa hujus servitutis ex hominis fine promanat: nam quæcunque res propter alteram facta, ad eamque ordinata, eam illi subjectam, ac veluti manciparam esse oportet; quod ex naturali rerum ordinatione intelligere licet, quæ sic nexæ sunt, ut inferiores & imperfectiores nobiliorum ac meliorum gratia conditæ sint, eisque ad usus subjectæ. Unde plantæ, & cætera vegetabilia facta sunt propter animalia, illis enim liberè vescuntur, suorumque usibus serviunt; animalia verò propter hominis utilitatem, alia ad sustentationem, alia ad delectationem, alia denique in varia commoda & fines humanos, quæ homini obediunt & subduntur. Nam boves terram nobis nulla sua utilitate arant, equi vero (ut alia nunc omittam) modo oneribus ferendis, modo cursu, modo passu nobis deserviunt. Cum igitur humana natura ad ipsum

DEUM

DEUM sit ordinata, nec alium habeat, nec habere possit finem; oportet ut animalium exemplo, ac obedientia discamus, quam nos DEO obedientes ac subditos esse oporteat.

Hominis post vitã præmiũ.

Quintus titulus servitutis, isque maximus, ducitur ex præmio quod DEI cultoribus paratum est apud ipsum DEUM, finem nostrum; id autem est post hanc vitam, æterna & immortalis gloria: & è contra, illum non reverentibus æternum supplicium. Gloriam vero hanc æternam, non alia ratione adipisci possumus, vitareque prædictam pœnam, quam si nos totos Domino DEO verissimè dedamus; & merito quidem, quia infinitum illud præmium infinito etiam labore dignum videtur.

Quare cum tot, tantæque causæ concurrant; si res debitè expendatur, magnam quandam, ac potius immensam obligationis summam confici, nemo est, qui non videat: cui obligationi non aliter satisfieri poterit, quam nisi quicquid sumus, quicquid valemus, quicquid habemus, uni DEO offeramus, in ipsiusque potestate semper esse velimus, & ad divini beneplaciti arbitrium nostra studia, actiones, & cogitationes assiduè convertamus, ac ab eo dirigi gaudeamus. Quæ cum ita esse debeant, culpa ejus erit, plusquam infinito supplicio digna, qui sui juris esse velit, atque ex voluntate sua, non ex voluntate DEI, vitam suam, actionesque gubernare; ac denique DEI oblitus, sibi serviat ac per effrenatam libertatem pullo onagri similis, audenter vagus per sylvam suorum desideriorum currat, actionesque suas ad se ipsum referat.

Huic igitur hominum omnium debito tam grandi, & alii similiter obligationibus altioribus, quibus DEO astringuntur (quæ nunc à nobis ideo prætermittuntur; quia non nisi à divina luce illustratis cognoscuntur) quantum est ex parte sua, homines satis faciunt, si se totos DEI cultui & obsequio offerant. Hoc ergo efficitur per Religionem Christianam, & per susceptionem Baptismi, in quo Christiani, promissione per juramentum confirmata, DEO obligantur, strictissimoque vinculo illi fœderantur. Cujus promissionis, seu fœderis duæ sunt partes, altera qua mundum, mundique præmia, à nobis abdicari profitemur: altera, qua uni DEO nos dicamus: ac ut uno verbo dicam, Religio Christiana DEO donat vitam, donat opera omnia vitæ, donat studia, labores, exercitationes, & denique quod est omnium maximum, ipsam dominam voluntatem, qua tradita, totus homo traditur.

CAPVT XIV.

Brevis forma proponendi Gentibus sanctum Evangelium.

EX omnibus igitur hactenus commemoratis, colligi potest brevis instructio, & forma prædicandi Gentibus Evangelium. Primo præmisso exordio secundum temporis, loci, aut personarum circumstantias, vel à fine nostri adventus, referendo causas, quæ impulerunt, ut à longinquis nationibus, tantis periculis, & laboribus exantlatis venerimus, solum propter DEI gloriam, & eorum æternæ salutis causa, non quærentes, quæ nostra sunt, sed ipsorum tantummodo salutem, liberationem ac vitam, & ut DEUM Creatorem suum agnoscant, illique debitum famulatum & obsequium præstent. Præmisso hoc vel simili exordio tria tractanda sunt. Primum spectabit ad DEI cognitionem, illam scilicet, quam lumine naturali homines possunt attingere: sumentes initium à creatione, providentia, gubernatione, perfectionibusque divinis, docentes, quæ animæ nostræ immortalem naturam, & finem ejus ultimum spectant, obiterque errores contrarios rejiciendo. Ad secundum verò caput spectabit, titulos sive causas expendere, quibus DEUM astringimur amare, & illi inservire, ac cultum debitum exhibere. Ad tertium tandem, investigare qualis debeat esse hic cultus, quo DEUS ipse summus colendus sit ab homine, ostendentes hunc tantum esse apud Christianam Religionem, hancque esse veram, certissimam & DEO gratam: quæ tria, sequentibus veritatibus breviter complectemur.

Homo à Deo cõditus, ut in Deo quiescat.

Prima veritas; Hominem à DEO fuisse conditum, ut in DEO conquiesceat, qui finis est, ob quem conditus est homo, & in eo sitam esse ejus beatitudinem, demonstrabimus; & quod anima hominis immortalis sit, efficiqué beata non possit, rebus istis sublunaribus & caducis: neque etiam ea immortalia reddent ipsam beatam, quæ in se beatitudinem non habent. Condidit igitur DEUS hominem non propter superiora, quæ illo non indigent: nec propter inferiora, quod esset indignum: nihil ergo inter hominem & autorem suum est interpositum. Creatus est igitur homo propter ipsum, ut à solo Conditore suo bonum omne ipsius & beatitudo dependeret. Quocirca solus DEUS, qui solus implet mentis nostræ limites, & excedit, ipse animam nostram potest beare, qui est beatissimus, qui immortalis, qui infinitus, qui quam beatitudinem habet ex se ipso habet, non nactus aliunde: & communicare potest, nec communicans deperdit. Et in omni peregrinatione, quasique exilio reditus in patriam dulcissimus est atque optabilis, eo magis, si molesta sit peregrinatio & turbulenta, vel exilium grave & difficile, patria autem & quieta & suavis. Animi nostri in hanc vitam, seu in peregrinationem & exilium à DEO egressi, quam multa perferunt gravia, iniqua, laboriosa, acerba, & dignitate sua indignissima? ut Philosophorum quidam non injuria corpus hoc vincula & carcerem animi nuncuparint. In DEO autem quieta omnia, pulchertima, beatissima plusquam possumus non eloqui modo, verum etiam optare. Illuc ergo cupit animus impensius revertì, & suspirat, & clamat. Sed interdum non potest disertè, quæ sentit proferre, neque se ipsum intelligere, obrutus densissimis tenebris ignorantiæ.

Corpus animi carcer.

Secunda veritas; In mundo unum esse DEUM, qui tantus & tam magnus est; ut nihil illo majus possit cogitari, & quod ille summus est conditor, mundique hujus gubernator, cujus beneficiis & providentia sustentatur: ut satis in superioribus diximus.

Unus in mundo Deus.

Tertia veritas, quæ ex præcedenti optimè concluditur, infinitum continet debitum ac obligationem; qua homines supremum hunc DEUM amare, colere, venerari, cujus magnitudo non potest comprehendi, & cujus beneficia sunt innumerabilia, astringuntur; ac cultu aliquo Religionis, qui gratus sit illius purissimis oculis, & celsitudini dignitatis, quo conformis honorari, ut brevi etiam circumscriptione superiori capite demonstravimus.

Deum amare homo cogitur.

Quarta Veritas, quæ consequenter præcedentibus adjungitur est, necessario debere in hoc mundo esse aliquem reverentiæ & religionis modum, quo ipse debitè ac legitimè colatur, juxta suæ majesta-

majestatis magnitudinem. Ex quibus etiam fit necessario debere esse religionem certam & veram, qua DEUS colatur ac honoretur. Restat igitur, ut diligenter inquiramus quæ sit hæc vera Religio, & ubi sit hic verus DEI cultus?

Quinta veritas, hic cultus DEO debitus, & cætera omnia, quæ ad veram Religionem spectant, necessario debent esse à DEO hominibus revelata. Nam cognitio DEI, ritus & cæremoniæ, quibus DEUS ipse ab homine colendus est, quo res est præstantior & excellentior cæteris humanæ vitæ actionibus, eo cognitionem disciplinamque requirit sublimiorem ac certiorem, cum sit radix & fundamentum totius humanæ vitæ: quare hæc cognitio & doctrina debet esse certissima, firmissima, & infallibilis veritatis. Quare etiam oportet, ut hujus religionis doctrina & aucta, & revelata sit à DEO ipso, qui est summa veritas, & in quo nec ullus error, nec falsitas ulla inveniri potest.

Homo non est frustra conditus

Neque enim credendum est nobilissimam creaturam à DEO in terris formatam, qualis est homo, ad ipsum DEUM, tanquam in ultimum finem ordinatum, cujus usibus omnia deserviunt, frustra esse creatam, & absque ullo medio certo ad ultimum suum finem perveniendi. Ad providentiam igitur DEI spectat, qui hominem ad se ordinavit, legem præscribere, qua certo tendat in hunc finem, atque per se, vel per suorum ministrorum ora doctrinam Religionis ceram revelare, hoc est, quidquid credendum, agendum, & sperandum nobis est, modum quoque & rationem, quibus illum honorare, colere, eique inservire debemus. Maximè cum intellectus humanus passionibus sit subjectus, ac originalis peccati tenebris obscuratus, multisque implicatus erroribus, necesse est his rebus impediri, quo minus in perspicienda & dijudicanda veritate perfectus sit. Quare nulla est humana sapientia sufficiens ad perfectam veritatis notitiam assequendam, quoniam mens hominis, cum fragili corpore colligata, & tenebroso domicilio inclusa, veritatem perspicere clarè non potest: cujus cognitio potius divinæ naturæ est quam hominis. Quare eam assequi non possumus, nisi addiscendo & audiendo ab eo, qui solus scire potest, & docere, unde necesse fuit omnes Philosophorum, aliorumque hominum sectas, & opiniones de DEO alienas esse à veritate, nec ullū fundamentum, firmitatem, aut certitudinem posse habere, quæ nullis divinatum vocum fulciuntur oraculis: cujus etiam argumentum est; Nam cum sit cognitio ultimi nostri finis, & mensura & regula, secundum quam omnes actiones nostræ in Deū sunt dirigendæ, circa modum ad eum perveniendi, infinitiferè exorti sunt errores: ut in initio hujus Tractatus attigimus: idemque ferè inveniemus in cultu & sacrificio DEO exhibendo. DEUS enim non desiderat victimam, neque muti animalis sacrificium, neque verbenis opus habet, neque fibris, neque cespitibus, & multo minus humano sanguine: quæ sunt utique vanissima, sed iis præcipuè, quæ de intimo corde proferuntur; illi sacrificium est integritas animi, patientia, fides, innocentia, castitas, abstinentia: donum est hymnus & laus. Hic est verissimus ritus, hæc illa lex Dei (ut inquit Cicero) præclara & divina, semperque recta & honesta jubet, vetat prava & turpia, cui parentem sanctissimæ ac certissimæ legi justè ac legitimè necesse est vivere.

In Christiana religione verus

Sexta veritas, Christianam Religionem esse illam, in qua verus DEI cultus, vera Dei cognitio invenitur, quod manifestè probatur; quia illa est vera Religio, in qua reperiuntur omnes excellentiæ spectantes ad veram perfectamque Religionem, cujusmodi est Christiana Religio. Nam si breviter illam describamus, illam meritò appellamus Religionem Christi, cujus author est ineffabilis veritatis, singularis sanctitatis, quæ multo ante fuit à sanctissimis viris prædicta, quæ nihil contra bonos mores, & rectam rationem continet, sed mirabiliter confert ad vitam rectè instituendam, cum sit summæ sanctitatis, integritatis, & perfectionis, quæ in sui propagatione divinitus probata fuit, & innumeris ac veris miraculis confirmata, quæ mirabiliter inter innumeras Gentilium, Judæorum, & Hæreticorum persecutiones, illæsa permansit, & incredibiliter crevit, pro cujus confessione, ac defensione infinitus hominum numerus cujuscunque generis, ætatis, & sexus, ac conditionis, tam alacriter mortem subiit: cujus persecutores tam gravibus suppliciis mulctati sunt: cujus sanctitati & integritati ipsimet adversarii, vel inviti perhibere testimonium coacti sunt. Quam denique, qui recipiebant super naturæ ordinem ad illam se variis illustrationibus affici, & allici sentiebant: quamque complexi sunt tot viri sanctitate, sapientia, doctrina, & omni virtutum genere clarissimi: sed doctrina nostræ fidei est hujusmodi, ut patet discurrēti per motiva, quæ supra adduximus, & per notas Ecclesiæ Catholicæ, de quibus *lib. 8.* contra Hæreticos egimus. Videnda sunt etiam ea, quæ propè finem Tractatus de credibilitate nostræ fidei attigimus. Omnia igitur motiva prædicta expendenda sunt, in hujus veritatis confirmationem, nempe Religionem Christianam, fidemque nostram esse à DEO, ipsamque solam esse veram, & perfectissimam Religionem.

Del cultus est.

Peractis his, ac pro dignitate argumenti expensis, si infideles divino illustrati lumine, huic veritati assentiantur, velintque fidei nostræ mysteria pernoscere, atque ad ejusdem fidei veritatem converti: tunc edocendi erunt circa Religionem Christianam, servata forma Catechismi à nobis *secundo Tomo* pro infidelibus præscribenda.

CAPVT XV.

Brevis convincendi Paganos formula, ex Lactantio Firmiano desumpta.

PLacuit hic breviter pro Ethnicorum conversione Lactantii Firmiani disputationem brevissimam, & quasi suorum operum appendicem adducere, qua ipse *lib. 7. cap. 4. 5. & 6.* ea verborum elegantia, qua solet proponit.

Quare homo creatus sit corpore fragili, & capax sit rationis?

Quidquid factum est in usum aliquem factum est.

Nihil est, ut opinor, quod sit propter se ipsum factum: sed quicquid omnino fit, ad usum aliquem fieri necesse est. Quis est enim tam ineptus, vel tam otiosus, ut aggrediatur aliquid facere frustra: ex quo nullam utilitatem, nullum commodū speret? qui domum ædificavit, non ideo tantum ædificavit, ut domus sit, sed ut in ea possit habitari: qui navem fabricatur, non ideo insumit operam, ut tantum navis appareat, sed ut in ea navigetur. Item qui vas aliquod instituit, aut format, non ideo id facit, ut tantum fecisse videatur, sed ut vas illud effectum capiat aliquod necessarium. Similiter cætera, quæcunque fiunt, non utique in supervacuum, sed ad usus aliquos utiles laborantur. Mundus igitur à DEO factus est, non utique

propter

propter ipsum mundum; neque enim aut calore Solis, aut Lunæ lumine, aut aspiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugum, cum sensu careat, indiget.

Sed ne illud quidem dici potest, quod DEUS propter seipsum fecerit mundum, quoniam potest esse sine mundo, sicut fuit antea, & iis omnibus, quæ in eo sunt, quæque generantur, DEUS ipse non utitur. Apparet ergo, animantium causa mundum esse constructum; quoniam rebus iis, quibus constat animantes fruuntur: quæ ut vivere, ut constare possent, omnia his necessaria temporibus certis subministrantur. Rursum cæteras animantes hominis causa esse fictas, ex eo clarum est, quod homini serviunt, & tutelæ ejus atque usibus data sunt: Quoniam sive terrenæ sint, sive aquatiles, non sentiunt mundi rationem sicut homo. Magna igitur, & recta, & admirabilis est vis, & ratio, atque potestas hominis, propter quem, mundum ipsum, & universa quæcunque sunt, DEUS fecit: tantumque illi honoris habuit, ut eum præficeret universis, quoniam solus poterat DEI opera mirari. Optimè igitur Asclepiades de providentia summi DEI disserens; atque ideo, inquit, meritò quis arbitretur proximum sibi locum divinam providentiam dedisse ei, qui potuerit intelligere ordinationem suam. Nam Sol iste est, quis eum videt ita, ut intelligat, quia Sol est, & quantum gratiæ afferat cæteris institutis? hoc cælum est, quis id suscipit? terra hæc, quis eam colit? hoc pelagus, quis navigat? hic ignis est, quis eo utitur? Instituit ergo summus DEUS non propter se, quia nullo eget, sed propter hominem, qui his congruenter uteretur.

Deus hominem propter se condidit.

Reddamus nunc rationem, quare hominem ipsum fecerit. Sicut ergo mundum non propter se DEUS fecit, quia commodis ejus non indiget, sed propter hominem, qui eo utitur: ita ipsum hominem propter se. Quæ utilitas DEO in homine, inquit Epicurus, ut eum propter se faceret? scilicet ut esset, qui opera ejus intelligeret, qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi, & sensa admirari, & ore proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est, ut DEUM colat.

Ideum colit, qui hæc intelligit: is artificem omnium rerum, is verum Patrem suum debita veneratione prosequitur; qui virtutem majestatis ejus de suorum operum inventione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri potest, & mundum hominis, & hominem sua causa DEUM fecisse, quam quod ex omnibus animalibus solus ita formatus est, ut oculi ejus ad cælum directi, facies ad DEUM spectans, vultus cum suo parente communis sit; ut videatur hominem DEUS, quasi porrecta manu elevatum ex humo, ad contemplationem sui excitasse. Quid ergo, inquit, cultus hominis DEO confert, beato, & nulla re indigenti? vel si tantum honoris homini habuit, ut ipsius causa mundum fabricaret, ut instrueret eum sapientia, ut Dominum viventium faceret, eumque diligeret tanquam filium; cur mortalem, fragilemque constituit? cur omnibus malis, quem diligebat, objecit? cum oporteret & beatum esse hominem, tanquam conjunctum, & proximum DEO, & perpetuum, sicut est ipse, ad quem colendum, & contemplandum figuratus est.

Cum posset semper spiritibus suis immortalibus innumerabiles animas procreare, sicut Angelos genuit, quibus immortalitas, sine ullo malorum periculo, ac metu constat: excogitavit tamen inenarrabile opus, quemadmodum infinitam multitudinem crearet animarum, quas primo fragilibus, & imbecillibus corporibus illigatas, constitueret inter bonum, malumque medias, ut constantibus ex utrisque naturis virtutem proponeret, ne immortalitatem delicatè assequerentur, ac molliter, sed ad æternæ vitæ ineffabile præmium, summa cum difficultate, ac magnis laboribus, pervenirent. Ergo ut eas gravibus, & nexilibus membris indueret, quoniam consistere in medio inani non poterant, ponderibus & gravitate corporis deorsum premente sedem illis, ac domicilium primo colendum esse decrevit. Itaque ineffabili virtute, & potentia præclara mundi opera molitus est, suspensis in altitudinem levibus elementis, & gravibus in ima depressis: & cælestia formavit, & terrena constituit; non est necesse nunc exequi singula. Mundi creatio.

Lumina igitur posuit in cælo, quorum moderationes, & claritates, & motus aptissimè ad utilitates viventium temperavit. Terræ autem, quam sedem voluit esse, fœcunditatem varia gignendi ac proferendi dedit, ut ubertate frugum, & herbarum viventium pro natura, & usu cuique genetri alimoniam administraret. Tum perfectis omnibus, quæ ad conditionem mundi pertinebant; hominem finxit ex ipsa terra, quam illi à principio in habitaculum præparavit: id est, spiritum suum terreno corpore induit, & involvit, ut & compactus ex rebus diversis, ac repugnantibus, bonum ac malum caperet, & sicut terra ipsa fœcunda est ad fruges pariendas, ita corpus hominis, quod assumptum è terra generandi copiam, facultatemque procreandæ sobolis accepit: ut quoniam fragili materia formatus, in æternum manere non poterat, peracto temporalis vitæ spatio cederet, & illud quod fragile, atque imbecillum gerebat, perpetua successione renovaret. Hominis creatio.

Cur igitur eum mortalem finxit, & fragilem, cum illius causa mundum ædificasset? Primam, ut infinita vis animarum gigneretur, omnemque terram multitudine oppleret: deinde, ut proponeret homini virtutem, id est, tolerantiam laborum, ac malorum, per quam posset præmium immortalitatis adipisci. Nam quia homo ex duabus rebus constat, corpore atque anima; quorum alterum terrenum est, alterum cæleste, duæ vitæ homini attributæ sunt: una temporalis, quæ corpori assignatur, altera sempiterna, quæ animæ subjacet: illam nascendo accepimus, hanc laborando assequimur: ne immortalitas homini (ut ante diximus) sine ulla difficultate constaret. Illa terrena est, sicut corpus, & ideo finitur. Hæc vero cælestis sicut anima, & ideo terminum non habet. Illam primam nescientes accepimus: hanc secundam scientes, virtuti enim non naturæ datur, quia voluit nos DEUS vitam nobis in vita comparare: Idcirco hanc præsentem dedit, ut illam veram, & perpetuam, aut vitiis amittamus, aut virtute mereamur. In hac corporali non est summum bonum: quoniam sicut necessitate divina nobis data est, ita rursus divina necessitate solvitur. Ita quod finem habet, summum bonum non habet. In illa vero spiritali, quam per nos ipsi acquirimus, summum bonum continetur; quia nec malum potest habere, nec finem; cujus rei argumentum natura & ratio corporis præbet. Cæ era namque animalia in humum vergunt, quia terrena sunt, nec capiunt immortalitatem, quæ de cælo est. Homo autem rectus in cælum spectat, quia

propoſita eſt illi immortalitas? nec tamen venit, niſi tribuatur homini à DEO. Nam nihil interesſet inter juſtum & injuſtum: ſiquidem omnis homo natus immortalis fieret. Ergo immortalitas non ſequela naturæ, ſed merces præmiumque virtutis eſt.

Denique homo non ſimul ac natus eſt, rectus ingreditur, ſed quadrupes primo, quia ratio corporis, & hujus præſentis vitæ, communis eſt nobis cum brutis animantibus; poſt deinde confirmatis viribus erigitur, & lingua ejus in eloquium ſolvitur, & mutum animal eſſe deſinit. Quæ ratio docet, mortalem naſci hominem, poſtea vero immortalem fieri, cùm cœperit ex DEO vivere, id eſt, juſtitiam ſequi, quæ continetur in DEI cultu, cum excitaverit hominem DEUS ad aſpectum cæli, ac ſui. Quod tum fit, cum homo cæleſti lavacro purificatus, exponit infantiam, cum omni labe vitæ prioris, & incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus, & plenus. Ergo quia virtutem propoſuit homini DEUS, licet anima & corpus conſociata ſint, tamen contraria ſunt, & impugnant invicem. Animi bona, mala ſunt corporis, id eſt, opum fuga, voluptatum interdictio, doloris, mortiſque contemptus. Item corporis bona, mala ſunt animi, hoc eſt, cupiditas & libido, quibus opes appetuntur, ac ſuavitates variarum voluptatum, quibus enervatus animus extinguitur.

Ideo neceſſe eſt juſtum & ſapientem in omnibus malis eſſe; quoniam malorum victrix eſt fortitudo: injuſtos autem in divitiis, in honore, in poteſtate: hæc enim corporalia, & terrena ſunt. Illi autem terrenam vitam agunt; nec aſſequi immortalitatem queunt, quia ſe voluptatibus dediderunt, quæ ſunt ſummæ virtutis inimicæ. Itaque vita hæc temporalis illi æternæ debet eſſe ſubjecta, ſicut corpus animæ.

Quiſquis ergo animæ vitam maluerit, vitâ corporis contemnat neceſſe eſt: nec aliter eniti ad ſummum bonum poterit, niſi quæ ſunt ima diſpexerit. Qui autem corporis vitam fuerit amplexus, & cupiditates ſuas in terram dejecerit, illam ſuperiorem vitam conſequi non poteſt. Sed qui mavult benè vivere in æternum, malè vivet ad tempus; & afficietur omnibus moleſtiis, & laboribus, quamdiu fuerit in terra, ut habeat divinum ſolatium: & qui maluerit benè vivere ad tempus, malè vivet in æternum; damnabitur enim ſententiâ DEI ad pœnam æternam, quia cæleſtibus bonis terrena propoſuit. Propterea igitur coli ſe DEUS expetit, & honorari ab homine tanquam Pater, ut virtutem ac ſapientiam teneat, quæ ſola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius donare præter ipſum eam poteſt, quia ſolus poſſidet pietatem hominis, qui DEUM honoraverit, hoc afficietur præmio, ut in æternum ſit beatus, ſitque apud DEUM, & cum DEO ſemper. Nunc autem cum homo & ſapientia ſit inſtructus, ut ſciat; & corpore, ut ſentiat: utrumque pariter in hac vita DEUS eſſe voluit, ut ratio virtutis, ſapientiæque conſtaret. Poſuit itaque hominem inter utrumque medium, ut haberet licentiam, vel boni, vel mali ſequendi. Sed malo admiſcuit apparentia quædam bona, id eſt, varias & delectabiles ſuavitates, ut illarum illecebris hominem duceret ad latens malum. Bono autem admiſcuit apparentia quædam mala, id eſt ærumnas, & miſerias, & labores, quorum aſperitate & moleſtia offenſus animus refugeret à bono latenti.

Hic ergo Sapientiæ officium deſideratur, ut plus mente videamus, quam corpore: quod pauci admodum facere poſſunt: quia & virtus difficilis eſt ac rara, & voluptas communis ac publica: ita neceſſe eſt ſapientem pro ſtulto haberi, qui dum appetit bona, quæ non cernuntur dimittit è manibus quæ videntur, & dum vitat mala, quæ non aſpiciuntur, incurrit in mala, quæ ante oculos ſunt. Quod accidit nobis, cum neque cruciatum, neque mortem, pro fide recuſamus, quando ad ſummum nefas compellimur, ut prodita fide, atque abnegato DEO vero, Diis mortuis, mortiferiſque libemus. Hæc ratio eſt cur hominem DEUS & mortalem fecerit, & malis ſubjecerit, licet ipſius cauſa mundum ædificaſſet; ſcilicet ut virtutem caperet, & ei virtus ſua immortalitatem daret. Virtus autem, ſicut oſtendimus, veri DEI cultus eſt.

CAPVT XVI.

Brevior prædictorum ſumma ex eodem Lactantio.

HAnc totam rationem brevi circumſpectione ſignemus. Idcirco mundus factus eſt, ut naſcamur: ideo naſcimur, ut agnoſcamus factorem mundi, ac noſtri DEUM; ideo agnoſcimus, ut colamus: ideo colimus ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus DEI conſtat; ideo præmio immortalitatis afficimur, ut ſimiles Angelis effecti, ſummo Patri ac Domino in perpetuum ſerviamus, & ſimus æternum DEO regnum. Hæc ſumma rerum eſt, hoc arcanum DEI, hoc myſterium mundi; à quo ſunt alieni, qui ſectantes præſentem voluptatem terreſtribus & fragilibus ſe bonis addixerunt, & animas ad cæleſtia genitas, ſuavitatibus mortiferis, tanquam luto cœnove demerſerunt. Quæramus nunc viciſſim. Anim cultu Deorũ ulla ratio ſubſiſtat, qui ſi multi ſunt, ſi ideo tantum ab hominibus coluntur, ut illis præſtent opes, victorias, honores, & quæ alia non niſi ad præſens valent, ſi ſine cauſa gignuntur, ſi in hominibus procreandis providentia nulla verſatur, ſi caſu nobiſmetipſis, ac voluptatis noſtræ gratia naſcimur, ſi nihil poſt mortem ſumus: quid poteſt eſſe tam ſupervacuum, tam inane, tam vanum, quam humana res eſt, quam mundus ipſe? qui cum ſit incredibili magnitudine, tam mirabili ratione conſtructus, tamen rebus inepris vacet. Cur enim ventorum ſpiritus citent nubes, cur emicent fulgura? tonitrua mugiant? imbres cadant? ut fruges terra producat. Cur varios fœtus alat? cur denique omnis natura rerum laboret, ne quid deſit earum rerum, quibus vita hominis ſuſtinetur? ſi eſt inanis, ſi ad nihilum interimus, ſi nihil eſt in nobis majoris emolumenti DEO? Quod ſi eſt dictu nefas, nec putandum eſt fieri poſſe, ut non ob aliquam maximam rationem, fuerit conſtiturum, quod videas maxima ratione conſtare: quæ poteſt eſſe ratio in his erroribus pravarum religionum, & in hac perſuaſione Philoſophorum, qua putant animas interire? profecto nulla.

Hactenus Lactantius.

CA-

CAPVT XVII.

Formula alia ex Hieronymo Savanarola pro demonstranda adversus Gentes fidei Catholicæ veritate.

De triumpho Christi, unde fidei argumenta eliciuntur.

§. 1.

HIeronymus Savanarola acutè satis & eruditè, præcipuè in *Tractatu de triumpho Crucis*, & alibi sæpè, ut plurimum à naturalibus principiis initium sumens, gradatim ad mysteriorum fidei nostræ confirmationem conscendit: Ex quo nos brevitati consulentes, Epilogum sive argumentorum conclusionem quandam ab ipso ad finem operis sui adjectam, selegimus: quæ, ut clarius intelligantur, paucula ex eodem authore præmittenda duximus. Oportet, inquit ipse, *cap.* 1, nos ad cognitionem invisibilium per visibilia devenire, omnis enim nostra cognitio incipit à sensu. Colligentes igitur Philosophi præ oculis universum: cælum scilicet & ornatum eorum, atque influxum, nec non elementorum proprietates, actiones, mixtionesque eorum multimodas, compositarum rerum varietates, motus & proprias passiones, mirabilem denique ordinem, & mundi hujus visibilis magnitudinem, & pulchritudinem, ad invisibilia suspicienda mentis aciem exerunt. Quibus inventis, eorum naturas & proprietates, qualitercunque potuerunt, investigare conati sunt. Sicuti ergo ipsi Philosophi, res naturales esse opera DEI cognoverunt, per quæ in ejus virtutis & gloriæ cognitionem perveniri potest: ita quæ fiunt in Ecclesia Christi, sensibus & ratione perceptibilia, ostendere volumus, esse ejusdem opera DEI, per quæ ad notitiam majestatis & gloriæ JESU Christi, qui nobis invisibilis est, pervenire possumus.

Quemadmodum igitur omnia, quæ DEUS fecit in universo, Philosophi aggregaverunt; oportet quoque nos colligere quæcunque Christus in mundo operatus est. Et sicut ex mitis naturæ operibus Philosophi coacti sunt confiteri DEUM esse primam omnium causam, & opus naturæ esse opus intelligentiæ non errantis, hoc est, est DEI: ita ex admirandis Christi operibus ostendere volumus, eundem Christum crucifixum esse, primam omnium causam, & ipsius operationes esse DEI operationes, qui errare non potest: nec tamen ideo asserere volumus, nos ob has rationes credere. Neque enim harum argumentationum virtute, Christiana mens ad credendum impellitur. Alioquin de hujusmodi rebus non fides, sed opinio haberetur: virtute autem hæc credimus luminis ex DEO nobis supernaturaliter infusi. Deinde his rationibus Fidelium animos alacriores reddimus, & confirmamus; incredulis adversariis demonstrantes, fidem à nobis non leviter, & inaniter, sed graviter, sapientissimèque teneri. Ut autem melius universa diversorum temporum Ecclesiæ opera, tam præsentis, quam præteritæ in unum collecta, ante oculos statuamus, ad similitudinem, & comparationem universi, sub effigie currus triumphalis, singula inferius describemus.

DEUS cum sit infinitæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis, non potest per unam tantum creaturam, nisi imperfectè cognosci; Philosophi siquidem in tantæ majestatis notitiam, ex ordine universi potissimum devenerunt: qui ordo non ex una dumtaxat, sed ex innumeris ferè creaturis constat; quas non multa cum difficultate, præ oculis simul statuere potuerunt: cum sint omnes naturali quodam vinculo ita connexæ, ut alia ex alia pendeat.

Primum itaque ante ora constituamus currum quatuor vectum rotis, & super eo, more triumphantis Christum spinis coronatum, innumeris probris & contumeliis, atque atrocissimo & turpissimo supplicii ac mortis genere superatis, plagarum livorem, totiusque cruentati corporis cicatrices, & vulnera ostendentem, quibus non aliis armis cuncta subegit, & captivam in altum duxit captivitatem. Ejusque vertici, micantibus radiis lucidissimis, immineat globus trina facie, trinitatem effingens, totum ipsum Christum, ejusque Ecclesiam inenarrabili circumfuso splendore, prorsus illustret, Christus vero læva crucem teneat, cum cæteris passionis suæ aculeis, & instrumentis, utriusque testamenti volumen dextra complectens. Juxta pedes superposita hostia stet calix: & circa ipsum distincta vasa aquæ, vini, olei, & balsami, cum reliquis Sacramentorum Ecclesiæ signis. Mox infra gradum Christi sedeat piissima ejus Mater Virgo MARIA. Currus fidei Christianæ.

Ad hæc infra ipsius Virginis gradum, circumquaque dispositæ sint aureæ, argenteæ, & cristallinæ vasa, cælaturis & gemmis pretiosis ornata, non nisi ossibus & cineribus referta mortuorum. Ante currum statim Apostoli, & Prædicatores omnes, quasi vehiculum trahentes assistant, præeuntibus Patriarchis, & Prophetis veteris testamenti, cum innumera virorum & mulierum caterva. Currum circumstent amplissima utriusque sexus, & cujuslibet conditionis agmina Martyrum, circa quos sint universi Doctores sacri, libros apertos utraque manu gestantes. Currum de hinc sequatur infinita multitudo utriusque sexus, & omnis generis, & sortis hominum, Judæorum scilicet, Græcorum, Latinorum, & Barbatorum, tam divitum quam pauperum, sapientum, eruditorum, idiotarum, & cujuslibet ætatis plaudentium.

In circuitu autem horum omnium, tam præcedentium, quam sequentium triumphalis currus pompam ponamus, innumeras hostium turmas, Ecclesiam totis viribus oppugnantes, Imperatores scilicet, Reges, Principes, & potentes hujus sæculi, sapientes quoque Philosophos, & hæreticos, ac ex omnium gentium, & linguarum populis, servis, & liberis, maribus, ac fœminis, infinitam sortis cujuscunque frequentiam. Juxta hos profana Deorum simulachra, & idola constrata, diruta, & comminuta describantur, nec non libri hæreticorum combusti, confutataque cæterarum sectarum dogmata, cultus denique omnis aliarum religionum dejectus & eversus.

Hujusmodi ergo currus ante oculos nostros descriptus, & constitutus, erit quasi quoddam universum, unde novam Philosophiam elicere valeamus. Pro prima siquidem causa, & pro invisibilibus, ad quorum cognitionem per visibilia nitun-

tur Philosophi pervenire; in vertice Christi radiantem globum lucidissimum statuimus, vice sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Quem summum DEUM esse confitemur, atque ipsum Christum, qui nobis invisibilis est, cæteris undique supereminentem, cui innumeros Angelorum, & animarum beatarum choros assistere credimus, ad quorum cognitionem & scientiam, ex his quæ supra, & circa currum visibilia collocavimus pervenit econabimur. Sicut autem Philosophi post invisibilia cælum dicunt esse principalem omnium, quæ infra ipsum generantur, causam: ita & nos crucem & passionem Christi post divinitatem, ponimus principalem causam gratiarum Ecclesiæ, & nostræ salutis. Et sicut post cælum succedunt elementa, ita post passionem Christi sequuntur Ecclesiastica Sacramenta. Et quemadmodum elementa virtutem omnem habent à cælo; ita Sacramenta virtutem à Passione Domini consequuntur. Post elementa vero semina in mundo, & agentia particularia ponimus. Pro seminibus ergo in triumpho nostro doctrinam capimus Evangelicam, Sanctorumque opera, & exempla, quorum ossa ac cineres nos memores reddunt. Eorum namque monumentis, monitis & exemplis Ecclesia quotidie claret, ac fructuosis operibus fœcundatur.

Insuper pro particularibus agentibus descripsimus Apostolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres, ac Doctores, qui dum viverent universum terrarum orbem prædicationibus in Christo regenerarunt. Sancti enim dum Christo cooperantur, particularia agentia rectè vocari possunt. Eorum vero scripta, bona opera, & exempla, quæ sæpissimè in Ecclesia recoluntur, nobis semina benè vivendi proculdubio existunt. Postremo in hoc mundo corporeo sequuntur effectus, pro quibus amplissimam hominum multitudinem cujuslibet conditionis descripsimus, ad Christum exemplis & adhortationibus sanctorum conversam, quæ cum piè, tum etiam sanctissimè vixit.

Sed quia in rebus naturalibus omnis motus est de contrario in contrarium, & generatio unius est corruptio alterius, in omni generatione pugnantia invicem contraria requiruntur; ubi semper major prævalet veritas. Propterea hostes Christi & Ecclesiæ, eorumque errores undique Christo duce, fugatos, & evulsos in hoc mundo descripsimus. Porro ex quatuor rotis quatuor mundi partes intelliguntur, per fidem & veritatem Christi mirificè illustratæ. Sicut ergo Philosophi præ oculis habentes ordinem universi, & ejus effectus considerantes, admiratione & ardore discendi ipsas naturalium effectuum causas perquirendo, paulatimque ab inferioribus ad superiora ascendendo, ad cognitionem divinæ Majestatis & invisibilium pervenerunt. Ita & nos si triumphi & descriptionis hujus imaginem, præterrosque & quotidianos effectus hinc elicitos diligentius perscrutari fuerimus, incipiemus admirari, & eorum causas inquirere, & per hoc, ad Divinitatem Christi, & invisibilia majestatis ejus cognoscenda gradatim transferemur.

Præmisso igitur mirabili Christi triumpho, jam ad prædicti Authoris epilogum accedamus, in quo brevissimè fidei nostræ varia argumenta non solum adversus Ethnicos, sed & Infideles quoscunque congessit.

Brevis argumentorum eodem Savanarolâ authore collectio ad Infideles convincendos.

§. 2.

UT autem brevi epilogo, quæ superius dicta sunt, perstringentes collectè oculis rationes facilius offerantur: dicimus Christianos ad credenda, observandaque Christi, & ejus Ecclesiæ mysteria, ac præcepta, non leviter, sed sapientissimè moveri. Primum siquidem sapientis est, orbis hujus magnitudine, ordine, pulchritudine, perennitateque diligenter consideratis, DEUM tanto operi præesse, hoc est, primum motorem, seu primam causam, seu primum ens omnium nobilissimum confiteri. Nihil enim movet seipsum, etiam in moventibus, seu producentibus non est processus infinitus. Cùm vero spiritus corpore nobilior sit, & actus potentiâ, necesseque sit actum simpliciter esse potentiâ ipsa priorem, quatenus DEUM non esse corpus, nec corporis formam, neque ex partibus compositum, nisi qui penitus desipiat, negare potest. Quod si DEUS actus purus, quis dubiter ipsum esse perfectum, & summum bonum, infinitæque potentiæ, qui in omnibus operatur, immutabilem quoque & æternum atque unum, nisi omnis prorsus Philosophiæ sit expers? Et cum videamus in rebus nobilioribus, ut in ipsis animatis, quod quanto magis à materia earum formæ elevantur; quanto magis cognitionis participes sunt, nemini ambigendum est, cum DEUS sit actus purus, quin etiam sit intelligens, imo ipse intellectus, ac sapientia infinita.

Cum autem nullus sine voluntate sit intellectus, nullaque, non libera voluntas, manifestè patet DEO voluntatem inesse, & quod agit, non necessitate naturæ, sed propria agere libertate. Quapropter cum in omnibus per suum intellectum & voluntatem, tanquam prima causa operetur; etiam confiteri oporter, ipsum habere omnium præsertim rerum humanarum providentiam; cum homo sit omnium creaturarum corporearum nobilissimus, & propter ipsum facta sint omnia naturalia, DEI itaque est hominem ad finem suum dirigere. Homo autem prout est rationabilis, non potest ad alium finem, præterquam ad Divinorum contemplationem ordinari; cum finis intellectus sit veritas, & voluntatis objectum sit bonum universale, quod in re creatis inveniri non potest. At quoniam præsens vita calamitatibus plena existit, nostraque cognitio, dum hac mole carnis regimur, perexigua refulgat, beatitudinem in ea ponere valde irrationabile est, imo aliam vitam concedere necessitas cogit, animamque nostram esse immortalem, atque ipsius corporis formam, alioquin non appareret, quomodo & per quid homo esset homo. Proinde sequitur, ipsam aliquo modo subsistentem, & separabilem esse. Qui enim ita sentiunt viam veritatis tenentes omnes laqueos, nodosque quibus ii, qui ab hac sententia discrepant, facillimè evadunt. Si igitur rerum naturalium ordinem subtiliter investigemus, quid doctrinæ Christianæ talia asserenti, irrationabile impingi potest? Nonne hæc omnia rationi consona, à sapientissimis viris insolubilibus argumentis approbata.

Proponamus etiam nobis descriptum superius triumphum, incomparabilia Christi opera considerantes; nilque in doctrina Christiana à ratione alienum inveniemus. Quis enim negare potest, aliquam in mundo veram esse Religionem? cum

cum omnes homines ad colendum DEUM, stimulante natura inclinentur, cultusque ipse divinus medium perveniendi ad beatitudinem existat. Nihil siquidem ab ipso DEO ad aliquem finem, sine exhibitione medii, ad illum tendentis ordinatur, alioquin ad hujusmodi finem id frustra institueretur, quod DEO minimè convenit. Quid vero aliud quam benè vivere verus DEI cultus exposcit? DEUM enim colere, est ipsum venerari, & ut DEUM agnoscere; is autem melius venerari non potest, quam in sui effectus perfectionem, qui in bona hominis vita consistit. Cum autem nulla melior vita, quam Christi inveniri, aut excogitari queat; patet ipsius cultum esse optimum; cujus fine ac medio ad ipsum finem perveniendi, nullus rationabilior, & perfectior finis, aut certius medium dari potest. Certum est ergo Religionem Christianam veram, & à DEO esse, qua ad veram beatitudinem recto tramite homines perducuntur. Nisi enim hæc ad beatitudinem perducat, quænam alia id præstare poterit? Non ergo leviter, sed sapientissimè professio, vitaque Christiana suscipitur & observatur.

Quod si tibi prima fronte videatur absonum credere, crucifixum DEUM DEI Filium & hominem esse; cogita, quæso, tantam vitæ rectitudinem à tam immenso errore generari non posse. Experientia siquidem docet, vitam Christianam, quæ purgatissima est, à fide Crucifixi provenire, nutriri, augeri, ac perfici. Animadverte item sacras veteris novique testamenti Scripturas, in quibus tota consistit fides, non nisi à DEO esse posse, ex quibus tot ante annos futura prænunciata sunt, torque sanctissimæ vitæ Christianæ fructus emanarunt, ac innumeri sapientes ad veritatis hujus lumen conversi sunt.

Præterea, si fides Christi falsa esset, id profecto viris præsertim purgatissimis in oratione, divinorumque contemplatione, à DEO super omnia veritatis lumen obsecrantibus tandem aperiretur. Sed cum re ipsa compertum sit, hujusmodi viros magis, ac magis in hac confessione confirmari; nequaquam potest cum falsitate divinissimus effectus convenire, neque subinde Christi fides falsa esse. Quod etiam ab exteriori cultu probatur; cui quanto devotè magis, & humilius homines subjiciuntur, tanto sanctiores evadunt: contra vero, qui eum contemnunt, vel irreverenter colunt deteriores efficiuntur.

Præterea si vana hæc fides esset, quo pacto immobilis animi tranquillitas, & intrepida libertas, solidumque gaudium Christianis insitum esset? ut innumeri utriusque sexus summas tribulationes, pressuraque perferentes, in præcipuis delitiis constituti videantur. Nempe si ejusmodi errore ducerentur, nec bonæ vitæ illis incrementum, nec supra humanas vires constans in adversis lætitia pro Christi nomine redundaret. Quinimo hanc animi sinceritatem, jucunditatemque adeo refulgere in ipso corpore cernimus, ut apud omnes quadam frontis venustate, totiusque oris majestate, venerabiles fiant, ex eorumque conspectu plurimi tanquam radiis divinitùs afflati in melius vitam commutent. Quæ cum quotidie in Ecclesia Dei conspiciantur, quis nisi omnino mente captus irridere, imo non approbare, atque admirari nequeat?

Si vero Christum de superis, inferisque triumphantem consideraverimus, nullus dubitationi superetit locus, quin ipse verus sit DEUS: qui reluctantem universum orbem, Dils scilicet omnium nationum, nec non Imperatoribus, Tyrannis, Philosophis, Hæreticis, efferisque gentibus contra eum pugnantibus, non vi, nec armis, nec terrenarum rerum pollicitationibus, non facundo ac resonanti eloquio, sed sobrio, castoque paucorum pauperum & humilium sermone, exemploque subegit, suisque legibus immutavit. Et quæcunque cogitaverat, quæ vel impossibilia omnino videbantur, effecit, mirabilique sapientia sua facillimè, incredibilique celeritate, totum jacentem in tenebris terrarum orbem penitus illustravit, ab erroribus purgavit; immensa dehinc bonitate sua, ita ad sui amorem hominum corda allexit, ut innumerabiles omnium gentium populi, utriusque sexus, & cujuscunque conditionis, professionisque homines, etiam sapientissimi, mundana omnia pro ejus amore, atque confessione floccipenderint. Ludibria insuper, minas, verbera, tormenta, extremaque supplicia graviter adierint: quis ergo hominum, aut Deorum ejusmodi potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis unquam apparuit? Si ergo hic DEUS non est, quis unquam alius esse potest? Nunquid scelestissimus & superbissimus homo, qualem si DEUS verè non esset, Christum dicere oporter, talia implere potuisset? Nonne si absque miraculis ea fecisset, hoc ipsum absque ullo obtinuisse miraculo, miraculorum esset maximum? ac triumphus de universis

Quid vero à ratione alienum Christus docuit? Si incomprehensibilis Trinitatis arcanum revelavit; ejus vestigium & imaginem in creaturis cernimus. Nec ideo contra Philosophiam aliquid astruimus: si mundi creationem perhibuit; contra rationem non militat; cum omnia à prima efficiente causa facta esse congruum sit. Si animarum sanctificationem consideres, ratio pariter dictat, ut homo ad supernaturalem beatitudinem, ad quam ordinatur per supernaturale donum ipsum purificans & sanctificans transferatur. Quo autem ad beatitudinem, & gloriam animarum, consentaneum est, ut ad id, ad quod ordinatæ sunt, perveniant. Si resurrectionem corporum attendas; non frustra expetitur, quia anima separata, ut forma propriam materiam, suum appetit corpus, cum quo prout benè, vel malè egerit, æquum est, ut communem retributionem recipiat. Si totius mundi glorificatio expectatur, quid inde inconveniens dicimus? Quamquam enim beati post resurrectionis gloriam corporum ministerio, nec propter corpus, nec propter intellectum indigebunt; eo quod incorruptibile tunc corpus induerint, nec per sensus cognitionem accipient, cum omnes DEI essentiam visuri sint: tamen quia corporeus oculus ad essentiæ divinæ visionem non perveniet, convenientissimum erit etiam corpora cælestia, & elementa glorificari, ut ipsi oculo glorificato congruum & delectabile objectum præbeatur.

Si DEUM hominem factum asserimus, quid decentius, magisve pium ab optimo patente, & optifice omnium concedi potuit, quam ut sedentes in tenebris, & in umbra mortis, per semet DEUS ipse illuminaret, & de fine, perfectaque vita eos certiores faciens, pro illorum peccatis pariter satisfaceret? quibus diluendis nemo alius sufficere poterat. Idcirco qui ad delendum peccata venerat, etiam sine peccati labe de Virgine nasci debuit, & in Cruce mori, ut exemplum nobis exhiberet, pro justitia nullum genus mortis esse fugiendum. Ipsum denique resurgere, & in cælum

Christi in omnes potestas,

cælum ad Patris dexteram ascendere dignum fuit; ut omnibus resurrectionis, æternæque vitæ spes certior tribueretur. Et qui pro omnibus factus reus judicium ultro subiit, par est, ut omnium Judex supremus existat.

Christiana Religio præcepta moralia & judicialia rationabiliter adhibet.

Quid insuper circa moralia, aut judicialia à Christiana Religione irrationabile traditur? Cum nulla vita melior, nullumque perfectius regimen, quam Christianæ institutionis inveniatur. Quidquid enim boni super his à Philosophis, doctissimisque viris tractatum est, illa suscipit, nihilque veri rejiciens, perfectiora multa abundantius cumulavit. In ceremonialibus quoque nil impossibile, nil contra rationem admittitur, sed magnam inde Sanctitatem, divinorumque delectationem homo acquirit.

Nullę ad dignitatẽ Christianę Relig. pertinge, re possũt sectæ.

Quid simile quæso, aliæ Religiones afferunt? An Philosophi in ejus comparationem venire possunt, qui nec de fine humanæ vitæ, nec de ipso medio quicquam certi diffinientes, errores plurimos disseminarunt. Astrorum vero cultoribus, fabulis ac vanis superstitionibus occupatis, nulli pernicioſius, stultiusque delirant. Idololatræ nihil veri, aut honesti habent. Contra Judæos signa promissa, & oracula Prophetarum, Sacerdotia, sacrificia, omniaque illius gentis monumenta, eventus denique ipsi, ac mille jam & quadringentorum quinquaginta pluriumque annorum captivitates, extirpatioque, ac dissipatio, vastatioque reclamant. Hæreticos Evangelium & inter eos dissensio, ac demum profligatio satis coarguit, & jam funditùs extinxit. Contra Mahometanos omnis Philosophia, omnis recta institutio invehitur, in quibus nil solidum, aut fide dignum reperitur. At doctrinam Christianam tot stabilitam vitæ sanctissimæ fundamentis, totque bonorum in mundo operum effectricem, quæ tanto tempore, contraque tot acerrimos impugnatores, sua sanctitate prævaluit, nulla objectio naturali, vel supernaturali lumine eruta infringere, vel damnare potest.

Epilogus in laudẽ Christianæ fidei.

Quis ergo rectè sentiens fidem hanc Christi salubertimam, non imitandam & amplectendam omnino proponat? Desistite igitur scioli ac temerarii, qui non aliter quam contra fidem blasphemando, sapientes videri posse putatis. Desinite tandem contra eam garrire, & in pernicies vestram profanis sacra latratibus temerare. Sed cum tanta temporum, rerumque connexione, sacris vaticiniis, manifestis signis, certo successu, salubertima doctrina, incomparabili vitæ sanctimonia, præclarissimorum virorum approbationibus & exemplis, miraculorumque frequentia, ac celebritate, postremoque innumerabilium Martyrum sanguine, ab exordio in succedentia usque tempora fundata, extructa, roborataque sit; concedite hanc unam verissimam esse, aliam hinc celeriter vitam sine ullo dubio expectantes, & tunc tremendi Judicis sententia subeunda est; qui oves quidem, id est bonos, à dextris, hædos autem scilicet malos, à sinistris statuet: hique ibunt in supplicium æternum, illi vero in vitam æternam, ubi in Trinitate unum DEUM ineffabilem, immensumque videbunt, eoque perpetuò perfruentur, per gratiam invictissimi triumphantisque Redemptoris nostri Domini JESU Christi. Cui est honor, virtus, potestas, imperium per infinita sæcula sæculorum. Hæc & alia præclarè in prædicto libro ab Hieronymo Savanarola scripta.

SECUNDA PARS.

CAPVT I.

De juvandis Gentibus, & ratione agendi cum eis.

Gentes in tres classes referuntur.

NAtiones omnes Paganorum, sive Gentilium, quamvis innumerabiles sint, ad tres classes referri possunt, ut optimè annotavit Joseph Acosta, in *proœmio de Indorum salute procuranda*. Prima est eorum, qui à recta ratione non recedunt, & maximè politici sunt, cujusmodi sunt Sinenses, & Japonenses. Secunda est minus politicorum, qui quamvis literis operam non dent, legibusque scriptis careant; habent tamen adumbratam quandam Reipublicæ formam, magistratibus, honoris ac certis sedibus ornatam, habentque militiæ Duces, ac Religionis suæ celebritatem, & ritus, ac denique ratione quadam humana gubernantur. In hoc genere erunt Mexicani, & Peruenses, de quorum Reipublicæ forma, legibus & ritibus, plura admiratione digna, & penitus incredibilia recenset idem Pater Acosta in *libro de procuranda Indorum salute*. Tertium genus est illarum gentium, quæ adeo barbaræ & silvestres sunt, ut à feris vix differant, sine lege, sine Rege, sine Magistratu, sine fœdere, & Republica, magis ferarum ac pecudum canlas, quam hominum convictum referentes. Huc spectant gentes illæ, quæ à nobis ideo *Carybes* appellantur, quia nihil aliud quam sanguinolentiam exercent, qui humana carne vescentes, nudi incedunt ubi terra fert, vix ipsa virilia tegentes: ac alii, quorum in novo orbe, ac apud Æthiopiam, interiorem & exteriorem Brasiliam, innumeraſque Insulas infiniti sunt greges.

Hi omnes pro uniuscujusque nationis talento, juvandi alliciendique sunt ad fidei veritatem, aliter tamen, atque aliter. Nam primi generis, ut olim ab Apostolis Græci, & Romani, cæterique Asiæ, & Europæ populi, DEO intus agente, alliciendi sunt ad sancti Evangelii jugum: quod si vi, armisque pertentes, potius à Christiana lege reddentur alieniſſimi. Secundæ vero classis ferè eodem modo adducendi sunt: sed quia morum & rituum monstra, tot tantaque apud ipsos sunt, & tanta in subditos sæviendi licentia, ut nisi potentia superiori & authoritate regantur; vix aut Evangelii lucem, aut homine ingenuo vitam dignam accepturi videantur, aut in accepta perseveraturi intelligantur: merito his præfici, qui inter tales ad vitam Christianam transferint, Christianos Principes, & Magistratus; cùm res ipsa deposcit, tum Ecclesiæ authoritas præcipit: sed ita tamen, ut facultatibus, fortunisque suis, & legibus non naturæ, aut Evangelio contrariis, uti liberè, permitti ipsis debeat.

Barbari humanos mores docendi.

Tertia vero classis, hoc est illud Barbarorum humanum genus, qui potius belluas quam homines imitantur (de quibus Aristot. 1. & 5. *Politicorum* feras

rum more capi, & per vim domari posse scripsit, & quorum in India Occidentali infiniti sunt greges) trahendi primum sunt, ut ante omnia homines esse discant, & humana doceantur, ac puerorum more instruantur. Quod si blanditiis ad meliora ducantur, benè: sin minus, deserendi non sunt; sed si adversus salutem suam proterviant, & in Magistratus, Medicosque suos insaniant; per potentiam, & honestam vim quandam, ne Evangelium impediant, coercendi sunt, & in officio continendi: quos de sylvis transferri ad urbes, & humanam vitam, & quodammodo invitos ad regnum introire, ut habetur *Luc.* 14. compellere expedit.

Itaque in Barbaris primum curandum est, ut homines esse discant, deinde ut Christiani: quod tanti ponderis est, ut inde vel salus certa, vel certa pernicies expectanda sit; frustra enim divina & cælestia docebis, quem ne humana quidem capere aut curare perspicias. Prodest in ea re plurimum nostrorum hominum consuetudo: prodest cultus omnis externus, atque observantia majorum: prosunt Conventus certis & diebus, & locis, pœnæque & contumeliæ irrogatæ negligentiæ, honor & præmia rectè factis proposita, ex ipsis, qui elegantiores sunt, cæterorum magistros, censoresque constituendo. Ordo vero quidam tum oppidorum, tum domiciliorum statuendus, ut non veluti funiculi fortuitas sedes eligant: tum vero, ut in conspectu eorum omnis actio sit, neque latebras petere sinantur.

Ad hæc permixta illa, & sine delectu spurca habitatio, ubi simul & Maritus & Uxor, filius & filia, & frater & hospes, & canis ipse, atque sus cubat, accuratè avertenda est, quantum licebit, quæ causa est nullius pudoris, nullius paternæ reverentiæ, generis quoque, imo & sexus contempti, equinæ cujusdam libidinis in obvia quæque, sine ullo pudore grassantis. Quæ tamen neque brevi omnia exigenda sunt, neque desperanda vel fero. Videmus certè non parum esse perfectum, ubi nonnulla cura moderatoris effulsit, quæ si confirmata, vigilansque fuerit; non dubium quin alium hominum statum efficiat. Unus Pater Franciscus Xaverius, isque nulla civili potestate munitus, Insulam Mori fertur ex immanissima feritate ad miram mansuetudinem traduxisse, idque exiguo satis tempore. Quæ vero antiquorum inveterata consuetudine occalluisse videntur; adeo ut in meliorem formam transferri nequeant, majoribus suis amantibus, peregrina penitùs respuentibus, ea minorum, id est puerilis, juvenilisque ætatis accurata institutione emendanda sunt.

Harum classium homines, aut vix homines ad Evangelii lucem adducendi sunt: quod si rationibus agendum sit, aut fortè vi compellendi sint, ut fidei nostræ assensum præbeant, non dubium est quin primi generis Pagani difficilius trahantur. Quam difficultatem scripturus adversus gentes præsensit D. Thom. *in 1. libro contra Gentes*, cujus eam reddit rationem, Officium quidem, ait, sapientis esse veritatem eloqui, & errorem, qui est contra errorem oppugnare: at contra singulorum errores agere, id esse perdifficile: quod autem singulorum errores ignoti sint: aut quod non omnes vetus vel novum Testamentum admittant, per quæ Judæi & Hæretici possunt evinci: ac proinde esse confugiendum ad rationem naturalem; cui omnes assentiri coguntur, quæ tamen in rebus divinis est manca.

Quare cum contra Paganos mysteria supernaturalia probaturo, nec ratione, nec authoritate divina, quam ipsi non admittunt, agendum sit; merito D. Irenæus *lib. 4. contra hæreses cap. 41.* existimavit D. Paulum de se dixisse plus omnibus se laborasse: quia cum esset Gentium Apostolus, quæ Scripturas non admittebant; Christum esse DEUM & hominem, difficilius ad credendum induci poterant. Cæteræ vero Barbaræ nationes, quales sunt illæ secundæ classis; imo & multæ ex prima, facillimo negotio ad Evangelii cognitionem adducuntur. Neque enim ad veritatem illis persuadendam, opus erit exquisitis admodum Philosophicisque rationibus: neque Clementis Alexandrini stromata, aut Arnobii argumenta scrutari, sed breves facilesque rationes ob oculos adducere. *Irenæus.*

Harum igitur Gentium, sive Græci, (id est Politici) sive Scythæ (id est, Barbari) ad fidem Catholicam conversio est procuranda: æque enim debitores sunt Apostolici viri Græcis, & Barbaris, sapientibus & insipientibus; quemadmodum Apostoli se ipsos debitores agnoscebant. Intelligebant enim in JESU Christo non esse Judæi & Græci, Barbari & Scythæ discrimen. Neque enim alio sanguine Romani & Græci, alio Barbari redempti sunt. In illo certè linteo, quod Petro esurienti *Act.* 11. cælitùs oblatum est, omne genus non solum volucrum, & animantium, verum etiam serpentum & reptilium monstratum, ac præparatum divina docet historia: ut per hæc etiam sordidos & abjectos, Domino sanctificatos intelligamus, ut nullum genus mortalium à communi omnium salute putemus exceptum. *Act.* 11.

In his igitur Barbaris convertendis, omnes charitatis vires exercendæ sunt; nec debent operarii Barbarorum ingenio, moribusque belluinis stomachari opus Domini deserere: cum scriptum sit, *homines & jumenta salvabis Domine*: id est, ut Ambros. in *Psalm.* 25. interpretatur, quem alii Patres sequuntur, homines jumentis similes. Nec est tam Barbara natio, quæ si velit animum applicare, sensu ad fidem necessario careat; quamvis enim Barbari, ut plurimum, belluinos mores præ se ferant; non tamen est desperanda salus: si tamen chamo & freno regantur, & illorum maxillæ constringantur; quod si recalcitraverint, non statim gladius adigendus est, sed pungendi moderatè, & paulatim cohibendi, donec assuescant seipsos præbere obedientes. Quod si doctrinam statim non accipiant, ac docentibus se non accommodent, statim fastidiendi, aut exterminandi sunt: Christi enim pretium & sanguis sunt: ac ut experientia magna ex parte docuit, servilem naturam habentes, nisi metus ac vis aliqua inferatur, more puerorum obedire contemnunt. *Psal.* 25.

Hoc enim est lorum & jugum quod Sapiens *Ecclesiastici* 35. commendat, hæc virga & onus, hoc modo vel inviti ad salutem compellentur intrare. Hæc autem omnia ita intelligenda sunt, non ut vim & sævitiam à Christi viscеribus alienissimam, in Barbarorum nationes, aut tanquam in servos dominandum probemus, sed ut ostendamus etiam illiberali, & difficili ingenio, non esse salutem desperandam, si & patienter feratur, & sapienter regatur. Charitas omnia suffert, omnia sustinet, omnia sperat, patiens est, benigna est. Severitas ergo, si quæ exercenda est, à charitate aliena esse non debet. Charitatis porro nihil est ita proprium, quam ut non quærat, quæ *Ecclı.* 35.

sua sunt: hanc si & animo intimè servet, & re ipsa declaret, qui infirmorum, & insipientium morbis curandis austeriorem sese interdum exhibet medicum, non est timendum, ne subditorum animos ita offendat, ut vel à se, vel ab Evangelica simplicitate alienet: facile enim recuperat charitas, quos disciplina commoverit. Imo vero per utilem timoris vim ad libertatem filiorum paulatim homines divinitus inducuntur.

Ac denique addam, ad istam animi ineptitudinem, morumque feritatem exuendam plurimum conducere, optimam educationem, eaque vinci & superari. In humano enim ingenio plus efficit educatio, quam nativitas. Quare nulla est tam barbara natio, nulla tam stupida, quæ si ab ineunte ætate accuratè & generosè educetur, non deponat barbariem, induat humanitatem, & morum elegantiam. Videmus vel in ipsa nostra Hispania homines in pagis quibusdam natos, si apud suos perseverent, ineptos haberi ac ridiculos: eosdem traductos in scholas, aut curiam, aut celebres urbes, miræ solertiæ ingenio præstare, nemini cedere. Ipsos Æthiopum liberes, quibus nihil apparet absurdius, in palatio enutritos adeo promptos ingenio, & ad quodvis paratos invenias, & videas, ut si colorem detrahas, nostros putes. Plurimum potest consuetudo in omni genere morum, in utramque partem & boni & mali. Quare non est desperandum de Barbarorum salute, & animali vita: quin temporum diuturnitate, assidua Ministrorum cultura & diligentia, ad Evangelium trahantur, vel tracti perficiantur.

Idololatria à Barbaris penitus rescindenda.

Præterea nihil æquè elaborandum est, nihil tanti faciendum, quam ut ex Barbaris, futuris vel jam factis Christianis, omnis Idololatriæ amor, & sensus penitùs evellatur. Hæc enim omnium est pestis perniciosissima, & quod est in humana conditione miserabile, nullum virus ita intimis viscetibus hæret, cum semel est bibitum, nullius turpiter amantis in scortum suum tam insanus amor, quam est Idololatræ in Idolum defixus animus: quod experientia comprobante postquam didicit Joseph Acosta, his verbis Idololatrarum amoris insaniam expressit: Nescio, inquit *lib. 5. ca. 9.* quibus verbis significem, non tam imbutos, quam in Idololatriam penitus transformatos istorum animos; ut neque in otio, neque in negotio, neque in publica, neque in privata quicquam re peragant, nisi Idolorum suorum prius superstitione adhibita: non lætari in nuptiis, non lugere funus, non epulum præbere, aut accipere, non denique aut pedem efferre domo, aut operi manum adhibere, sine sacrilegio gentili: usque adeo Diabolus oppressos eorum sensus tenet servitute miserrima. Quanto vero artificio ista omnia celent, atque dissimulent, cum publicè agere haud liberum sibi esse perspiciunt, quanta rursus impudentia, cum licere sibi putant, insaniant, mirari potius possum, quam satis dicere. Quare quamvis non liceat, per vim ad Baptismum, Christianamque professionem compellere Barbaros subditos, licere tamen, imo expedire, ab idolis colendis etiam invitos revocare, hoc est illorum simulacra, & fana demoliri, superstitiones diabolicas extrudere: quæ non solum Evangelii gratiam impediunt, verum etiam naturæ legem infestant; quam ut servent, compelli infideles subditi, sine ulla dubitatione possunt: id quod aperte declarant leges Constantini, Valentiniani, Theodosii, cæterorumque Principum Christianorum: quarum non laudatores modo, sed impulsores, authoresque sanctiPatres se præstiterunt.

Barbarorum idololatrarũ insania erga Deos.

Et quoniam consuetudo magnas vires habet, sed in Barbaris longè maximas: sicut enim bruta animantia dedocere difficile est, ita hominem parum mente vigentem, à consuetis retrahere gravissimum, maximè, ubi consuetudo profundiores radices jecit. Proinde in hac re tanti ponderis omnes suos sudores, operas, conatus, exercebit Christi operarius. Proderit autem quamplurimum ritus & signa, & omnem externum cultum diligenter curare: his quippe & delectantur, & detinentur homines animales, donec paulatim aboleatur gustus & memoria præteritorum. Quæ causa fuit Moysi, ut populum Ægyptiis ritibus assuetum multitudine sacrificiorum, & cæremoniarum detineret. Neque enim prius quod spirituale est, sed quod animale; postea superstitionis antiquæ monumenta cautè & gradatim extinguenda curabit, ut Idola sua, adorationesque omnes penitus dediscant, ac pro iis Christianas frequentent. Deinde teneriores puerorum animi Christiana disciplina, ac moribus præoccupandi sunt; priusquam paternas superstitiones & nugas imbibant: quas ridere, ac contemnere docendi sunt: præmiis & laudibus minores invitandi atque animandi, majores puerorum pudefaciendi exemplo, & terrendi.

Barbari animo leves & inconstantes.

Postremo quod omnium est & præcipuè considerandum, & diligentissimè observandum, non facilè credet verbis, & quibusvis significationibus Barbarorum, etiamsi fidem tenere, & Baptismum appetere se proclamant. Cum enim sint leves corde, facilè credunt, non fidem concipientes ex DEO, facilè quoque id retractant inconstantes & leves. Diu, & multum tenendi, ut quid profiteantur intelligant: ut veterem consuetudinem Idolorum deponant, & mores alios induant. Denique consuetudinis perversæ venenum alterius consuetudinis antidoto curandum est; ut verè Christum induant, & non partim in Christo, partim in Baal claudicantes, sibi graviorem acquirant damnationem; & sancto nomini gravem faciant injuriam: non multitudine sed veritate animarum, lucra computanda sunt. Ita & Religio Christiana pluris fiet, & qui illi dant nomina gloriæ atque honori erunt.

Magos pugnãdi.

Ac tandem adversus Magos acrius pugnandum erit, eorum fucos ac fraudes detegendo, ridendo deliramenta, versutias confutando: quod si resipiscere nullo modo velint (si facultas adsit) à cæteris separandi, & graviter quandoque mulctandi, modo in plebe reliqua major turbatio non sequatur.

Quoniam vero supra de juvandis Infidelibus latissimè diximus, universa ibi tradita, accommodari optimè possunt pro aliis gentibus juvandis politia & urbanitate præditis: quare pro illis convertendis nihil hic addendum arbitror.

CAPVT II.

De his, quæ licita sunt agentibus inter Gentiles.

Quibus in rebus nefas sit communicare Gentilibus.

EX his, quæ 4. *parte libri* 5. in genere tradidimus, constabit aperte quibus in rebus sit permissa communicatio cum Gentilibus: nunc tamen breviter aliqua superaddemus. Primum nefas Idolorum fana adire, temporibus, quibus ibi super-

superstitiosa illa sacra celebrantur; non tamen si aliis temporibus invisantur, ad eum finem, quo eorum structura, ornatus, & pulchritudo spectetur: & multo magis, ubi occasio fert, ut rideatur, & contemnatur eorum superstitiosa & vana Religio, & ut eorum impia secta commodius confutetur.

Secundo, Quando Christianis liceat Paganis suas operas locare, auxilium, ubi operam praestare, vel ad extruenda fana, vel consuendas vestes ad Idolorum cultum, aut vendere ea, quibus eos usuros novit ad superstitiosos Idolorum cultus, diximus *supra*. Tertio, Circa communicationes & commercia rerum, illud tantum se offert animadvertendum, ut pretia rerum judicio boni viri atque prudentis constituantur, qua in re non deest difficultas. Utrum quanti Barbari merces nostras aestiment, vendi possint; Nam calculus, gladiolus, & vitrea, & id genus alia tanto in pretio apud illos haberi compertum est; ut auri & argenti non parvam quantitatem pro iis rebus persolvant: verum ista enucleatè disputare non est hujus loci. Illud exploratum teneamus, omne genus mercimonii cum istis exercere licere, pretium vero neque lege, neque certa ratione constare; sed judicio sapientis: qui perspiciat quantum abundent iis, quae ipsi reddunt, & quanti faciant, vel ad vitae praesidia, vel ornatum quemdam ipsis charum ea, quae accipiunt à nostris, & quanta horum copia inopiave sit, ut omnibus probè perspectis, atque libratis, quae rerum aestimatio justa censenda sit, statuere possit: quamvis in hac re majori ex parte crediderim standum esse consuetudini à viris doctis & piis approbatae.

Ac denique in divinis non licet cum Gentilibus communicare: nam mos est Ecclesiae antiquissimus, ut à templo Pagani & Infideles excludantur, cum S. sacrificium in Missa offerri incipit. Unde in Canone Carthaginensis Concilii (habetur *de consecr. d. 1. ca.* Episcopus) dicitur quod nec Gentilis, nec Haereticus, nec Judaeus prohibeantur ingredi Ecclesiam Dei, & audire solum Dei Verbum usque in finem Missae Catechumenorum, quae finiebatur dicto Evangelio. Unde antiquitus perlecto Evangelio, Catechumeni ab Ecclesia egrediebantur; quia cum non essent in fide instructi, sacris altaris mysteriis interesse non oportebat.

CAPVT III.

Quid singuli Christiani rudes, ut sunt Indi & Æthiopes, docendi sint ex Concil. Limensi *actione 2. cap. 4.* à Sixto V. confirmato.

CUm divino praecepto, omnes Christiani adulti teneantur pro suo captu scire, quae ad Religionis Christianae, quam profitentur, substantiam pertinent: qualia sunt mysteria fidei praecipua, quae continentur in symbolo, mandata Decalogi omnibus servanda, Sacramenta quoque ea, quae necessario cuique suscipienda sunt. Tum demum, quae à DEO petere, & expectare debemus, juxta Dominicae orationis institutionem, sedulò in iis erudiendi sunt à Pastoribus, & Ministris omnes, maximè rudiores Indi, Æthiopes, pueri pro cujusque ingenio, & opportunitate, nè gravissimo morbo ignorantiae (ut fit passim) pericliteutur, omnino autem curandum est, ut quicunque neque aetate, neque valetudine impediuntur, memoriter discant elementa Christiana, maximè symbolum fidei, orationem Dominicam, praecepta Decalogi, Sacramenta Ecclesiae. Id ut fiat, antiquorum canonum statuta sequens praecipit strictè sancta Synodus, ut nullus adultus ad Sacramentum Baptismi admittatur, qui non prius saltem symbolum, & orationem Dominicam memoriter reddiderit. Idemque in Sacramentis Poenitentiae & Confirmationis conferendis omnino servetur, excepto vel necessitatis articulo, vel nimiae senectutis, aut aegritudinis, sive etiam profundae alicujus hebetudinis impedimento, quod Parochorum seu Confessariorum judicio, & conscientiae relinquatur. Qui vero iis tantis impedimentis gravati fuerint, ut copiosiorem Catechesim non admittant, doceantur demum pro suo modo praecipua fidei capita, scilicet unum esse DEUM rerum omnium authorem, qui accedentes ad se, vita aeterna remuneret, improbos & rebelles aeternis suppliciis in alio saeculo puniat. Deinde hunc ipsum DEUM, esse Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, tres quidem personas, sed unum DEUM verum, praeter quem nullus alius sit verus DEUS. Nam quae adorant aliae gentes, praeter Christianam, non esse Deos, sed Daemones potius, aut figmenta hominum. Praeterea Filium DEI propter reparandam salutem hominum, factum hominem ex Virgine MARIA, pro nobis passum, & mortuum, ac tandem resurrexisse, & regnare in aeternum. Hunc esse JESUM Christum Dominum, ac Salvatorem nostrum. Postremo neminem posse esse salvum, nisi credat in JESUM Christum, & poenitens de peccatis commissis Sacramenta ipsius suscipiat Baptismatis, si quidem infidelis est; confessionis autem, si lapsus post Baptismum: ac denique statuat ea servare, quae DEUS & Ecclesia sancta praecipiunt. Quorum summa est, ut DEUM diligat super omnia, & proximum sicut seipsum. Intelligant igitur Dei Sacerdotes, nisi in fide, ut oportet instructos, baptizent, vel à peccatis absolvant, se & grandi sacrilegio commaculare, & animarum reos, apud districtum DEI judicium reddere.

Vt Indi Indicè doceantur ex eodem Concilio.

Christianae institutionis, aut Catechismi scopus praecipuus est, fidei perceptio, corde enim credimus ad justitiam, quod ore confitemur ad salutem. Quamobrem ita quisque instruendus est, ut intelligat, Hispanus Hispanicè, Indus, Indicè; alioqui quantumvis benè dicat, tamen verbum illius, juxta Apostoli sententiam, sine fructu est. Quocirca nullus Indorum de caetero compellatur, orationes, sive Catechesim Latinè discere, cum sufficiat, multoque melius sit, suo idiomate pronunciare, aut si qui ipsorum velint, possunt etiam Hispanicum, quo multi jam utuntur, adiungere. Praeter haec aliam aliquam linguam ab Indis exigere superfluum est.

Hactenus Concilium.

CA-

CAPVT IV.

Brevis instructio, sive Catechismus pro rudioribus gentilibus ad Christi fidem conversis, ex Indico idiomate traductus, & à Synodo provinciali Novæ Granatæ approbatus.

Interrogatio. Quæro num sit aliquis DEUS?
Respondeo. DEUM esse.

I. Sunt ne plures Dii?
R. Unum solum DEUM esse, & præter hunc solum nullum omnino.
I. Ubi est igitur iste DEUS?
R. In cælo, in terra, ac ubique in omnibus locis esse.
I. Quisnam est iste DEUS?
R. Pater, Filius, & Spiritus sanctus.
I. Est ne Pater DEUS?
R. DEUM esse affirmo.
I. Est ne Filius quoque DEUS?
R. Similiter DEUM esse ajo.
I. Est ne etiam Spiritus sanctus DEUS dicendus?
R. Etiam DEUM esse dicendum.
I. Ergo Pater, Filius, ac Spiritus sanctus tres Dii dicendi sunt?
R. Nequaquam: nam licet sint tres Personæ distinctæ, tamen unus solus est DEUS.
I. Quomodo cum sit unus solus DEUS, affirmas esse tres Personas?
R. Cum inter has tres Personas Pater non sit Filius, nec Spiritus sanctus; nec Filius sit Pater, vel Spiritus sanctus; nec Spiritus sanctus sit Pater, aut Filius, necessario tres Personæ distinctæ sunt dicendæ.
I. Quomodo cum tres Personæ sint, dicis eas esse unum solum DEUM?
R. Quia dum omnes tres eandem habent essentiam, majestatem, plures Dii esse propterea nequaquam possunt.
I. Quid de sole, luna, stellis, lucifero, radiis & aliis his similibus rebus dicendum? sunt ne Dii appellandi?
R. Minimè: sed unius DEI Creaturæ sunt, qui cælum & terram ac omnia, quæ in eis sunt propter hominis bonum creavit.
I. Quod nam est hoc bonum hominis?
R. Ut cognoscat in hac vita DEUM Creatorem suum, suamque gratiam adipiscatur ac amicitiam, & in futura tandem ac æterna vita, eo fruatur in perpetuum.
I. Alia ne supereſt post hanc vallem miseriæ, vita?
R. Supereſt: animæ quippe hominum minime cum corporibus instar animarum brutorum intereunt, sed immortales sunt, ac omnis interitus incapaces.
I. Quomodo in hac vita homo divinam assequitur gratiam, & tandem in futura fœlicitatem ac vitam perennem?
R. Per fidem in JESUM Christum, & suorum mandatorum observantiam.
I. Quis nam est JESUS Christus?
R. DEUS est verus, & homo perfectus, cum enim solus DEI filius esset in tempore à DEO præfinito, hominem se fecit in purissimæ & immaculatæ Virginis MARIÆ utero, quæ etiam post partum Virgo permansit: mortuus est tandem in Cruce, ut homines à peccato, & pœna æterna redimeret.
I. Quomodo cum DEUS fuerit, mori potuit?
R. Mortuus est ut homo, ac tertia die statim à mortuis resurrexit, ascenditque ad cælos, ubi vivit ac regnat per sæculorum sæcula.
I. Cum JESUS Christus pro omnibus mortuus sit, num omnes homines salvi fiunt?
R. Non credentes in DEUM ac Dominum JESUM Christum; vel licet credant, non tamen facientes bona opera, nec mandata ejus implentes minimè salvari, sed ad pœnas inferni perpetuas condemnandos esse.
I. Qui credunt in JESUM Christum, ac ejus mandata observant, salvabunturne?
R. Salvabuntur: atque in corpore ac anima fruentur bonis æternis, eoque nomine in fine hujus mundi JESUS Christus Salvator mundi rediturus est, ac petiturus rationem de omnibus operibus, ac omnes mortuos resuscitaturus.
I. Qui in peccatis vixerunt, habentne aliquod se ab hac condemnatione liberandi remedium
R. Non baptizatis, unicum salvandi remedium esse affirmo, ut se Christianos faciant, filiosque Dei adoptivos per baptismi regenerationem.
I. Quidnam per sanctam Ecclesiam intelligis?
R. Congregationem omnium Christianorum, cujus quidem caput est JESUS Christus, ejusque in terra Vicarius Summus Pontifex Romanus.
I. Quid si baptizati iterum peccent, quid remedii illis supereſt, ut non condemnentur?
R. Confessio omnium suorum peccatorum fideliter Sacerdoti facta, cum detestatione, ac proposito amplius ea non committendi.
I. An si hæc omnia fecerint, salvabuntur?
R. Salvabuntur, si tamen usque in finem in observatione mandatorum Dei, ac sanctæ Ecclesiæ perseveraverint, quæ in hoc instaurantur, ut DEUM super omnia diligamus, & proximum nostrum sicut nosipsos.

Amen.

LIBER DUODECIMUS,

DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM PROCVRANDA:

Præcipua continens privilegia à Summis Pontificibus, Religiosis pro Infidelium conversione laborantibus concessa.

CVm omnes sacri Religiosorum Ordines, maximè vero Mendicantes, in agro militantis Ecclesiæ superna dispositione plantati esse dignoscantur, illorumque professores, ob fidei Catholicæ propagationem indefesse laborent, fructusque afferant Ecclesiæ DEI salutares; dignum æquumque arbitrati sunt summi Pontifices eos, quamplurimis privilegiis, & immunitatibus communire, ac condecorare; ut sic alacrius huic animarum saluberrimæ functioni accingerentur, ac ut commodiùs in terris à Romanis PP. remotis, animarum saluti possent consulere. Et quoniam ferè immensum esset, omnia & singula Mendicantibus in conversione Infidelium laborantibus concessa privilegia recensere: ea tantum selegimus, quæ digniora, ampliora, magisque necessaria visa sunt. Illud ante omnia recolentes, omnia privilegia gratiæ & favoris specialiter alicui Ordini elargita, ob communicationem privilegiorum, esse omnibus aliis Ordinibus Mendicantibus ita propria, ac si specialiter illis solis essent concessa.

Nec mirandum est, maxima à Summis Pontificibus fuisse Religiosis in terris infidelium, profidei propagatione laborantibus, collata privilegia: id enim non solum expediens, sed & maximè necessarium pro functione hac obeunda videbatur. Nam cum in terris à sede Apostolica remotissimis versentur, ac sæpe in Regionibus, ex quibus, vel ob magna itineris pericula, vel ob immensam distantiam, aut non potest, vel non sine magna difficultate ac expensis adiri Apostolica sedes, operæ pretium erat, ut ministri omni illa jurisdictione gauderent, qua possent in casibus emergentibus, non solum animarum salutem procurare, sed & omnia alia peragere, quæ ad augmentum gloriæ DEI, ac fidei Catholicæ propagationem spectare videbantur. Quam ob causam Christus Dominus Apostolos in universum orbem missurus, prius Episcopali dignitate condecoravit: deinde omnibus eandem, quam Petro summo Ecclesiæ & totius orbis principi, Iurisdictionem licet delegatam concessit: ac non sine divino consilio præmisit illa verba: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, euntes docete omnes gentes, &c. *Quibus Apostolos certos esse voluit, de potestate sibi à Patre collata: ut ipsi etiam de ea, quam eis Christus delegaverat, non dubitarent, & sic alacrius tanto operi accingerentur.*

Privi-

Privilegia concessa à PIO II. & SIXTO IV. Religiosis Ordinis Prædicatorum, ad prædicandum Christi Evangelium euntibus in terras Infidelium.

SIXTUS Episcopus, servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicæ servitutis officium, cui dante Domino præsidemus, nos admonet, ut sicut bonus Pastor ad oves Christicolas pascendas aures nostræ contemplationis extendimus, & earum, nec non partium & Regionum, ac temporum qualitatibus pensatis, ad eorundem Christicolarum salutem vigilemus, & iis, quæ à nostris Prædecessoribus circa ea circumspectè emanasse comperimus, illorum vestigia imitantes, consimilibus facultatibus, & gratiis (dum à nobis petitur) robur Apostolici muniminis adjiciamus.

Dudum siquidem fœlicis recordationis PII Papæ II. Prædecessoris nostri litteræ emanarunt, quas præsentibus annotari fecimus; & quarum tenor sequitur, qui talis est.

PIUS Episcopus servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Dum levamus in circuitu oculos nostros, & gregem Dominicum solicitudini nostræ (disponente Domino) commissum, undique mentis acie contemplamur, ex debito Pastoralis officii, vigilem curam impendimus, ut cultores vineæ Sabaoth, si cultui satis intendant, ut ejus virtuosi palmites, extirpatis spinis, & tribulis, latius extendantur. Sic ille cælestis Agricola, & pius Paterfamilias, ad excolendam vineam suam diversis horis, & tempore servos misit; ne fructus propter cultorum inopiam deperiret, sed potius bonorum operum & virtutum germinaret. Cum vero in terris Infidelium messis quidem sit multa, operarii vero pauci, ne ager Dominicus spinis & vepribus repleretur, nonnulli prædecessores nostri de florido Prædicatorum Ordine ad irrigandum imbre Sanctæ prædicationis corda Aquilonarium, & Orientalium nationum, aliquos direxerunt Filios & alumnos, qui flante spiritu, plenos manipulos in horrea sanctæ Matris Ecclesiæ portavetunt: sed proh dolor temporibus nostris venit inimicus homo, & superseminavit zizania in medio tritici, cum per Turcarum potentiam Christianorum aliquas nationes suo impiissimo dominatui subjecerit. Inde fit, ut nos eo efficacius operam impendamus, quo magis gregem Dominicum à dicto serpente conspicimus crudelius laniari. Utque opportunis remediis commodius provideatur: nos dilecto filio Christophoro de Viterbio Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professori, totius Societatis peregrinantium propter Christum inter gentes Vicario generali, & Hæreticæ pravitatis Inquisitori, per nos deputato & constituto, & aliis suis successoribus, pro tempore deputandis in partibus Orientalibus, tam infidelium, quam Fidelium constitutis, & quam maximè in Civitatibus Caffæ, & Peræ, Chii, & in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum & Æthiopum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zirorum, Ruthenorum, Syrorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Agolesticorum, Tartarorum, Carelorum, Ungarorum, majoris Ungariæ, & aliorum, qui nondum fidei Sacramenta perceperunt, concedimus, ut ipse Vicarius, & ejus successores, & deputandi ab ipsis, pro tempore dicti Ordinis Fratres, possint singulorum Christi fidelium quorumcunque Diœcesis, & locorum ad ipsos pro tempore confluentium confessionem audire, & pro concessis, (etiamsi talia fuerint, propter quæ sedes Apostolica foret merito consulenda) pœnitentiam salutarem injungere, nec non à quibusvis sententiis excommunicationis, tam ab homine, quam à Jure latis, ac aliis censuris, & pœnis, quomodocunque vel qualitercunque illas incurrerint, seu ligati fuerint, absolvere, nec non (dummodo tales bigamiæ labe respersi non sint) super irregularitate, si quam quovis modo & causa incurrerint, dispensare, ac hujusmodi confessione audita, Eucharistiæ & extremæ Unctionis, aliaque Ecclesiastica Sacamenta ministrare. 1. 2. 3.

Insuper, ut singuli Confessores idonei, quos vicarius & Fratres partium prædictarum dicti Ordinis duxerint eligendos, omnium peccatorum suorum, de quibus contriti & ore confessi fuerint, plenariam remissionem in mortis articulo impendere, vel si alias coram Confessorum habere non valuerint, dummodo contriti existant, eandem indulgentiam consequantur. Quodque Confessores ipsi singulorum confessiones audire, & pro commissis, quoties ipsis videbitur, etiamsi talia sint, propter quæ sedes Apostolica merito sit consulenda, debitam absolutionem impendere, ac salutarem pœnitentiam injungere, nec non ipsorum fratrum singulos, à quibuscunque sententiis, censuris, & pœnis in ipsos, quavis auctoritate promulgatis, absolvere, & super irregularitate per ipsos quoquo modo contractis dispensare, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, (dummodo à bigamia non processerit) abolere liberè & licite valeant. 4. 5. 6.

Insuper, ut ipsorum Fratrum bonorum operum fructus amplius valeant propagari, ut Vicarius & Fratres pro tempore existentes, præfata singula loca alias pro habitatione & usu Fratrum dicti Ordinis idonea, & in illis domos, & monasteria, cum Ecclesiis, campanilibus, campanis, Dormitoriis, Hortellitiis, & aliis necessariis officinis erigere: quæ quidem loca, domus, & Monasteria recepta, & erecta, & eorum personæ, & omnibus & singulis privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, & indultis, aliis locis, domibus, monasteriis, & personis Ordinum Prædicatorum à Sede Apostolica, quoquo modo concessis utuntur, & gaudent, uti pariter debeant & gaudere. 7.

Insuper, ut Vicarius & Fratres prædicti omnibus & singulis gratiis, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, indulgentiis, & indultis, quibus Provincialis & Fratres Provinciæ terræ sanctæ utuntur, & gaudent, & quæ Romani Pontifices, Fratribus Prædicatoribus dictæ societatis hactenus concesserunt, etiam uti & gaudere valeant. Quodque fratres ipsi Schismaticos & excommunicatos, seu interdictos quoscunque etiam quantumcunque notorios, nisi quos Vicarius, seu deputati per eum evitare mandaverint, evitare minimè teneantur. 8. 9.

Insuper omnibus & singulis Christifidelibus, qui de bonis sibi à DEO collatis, pro centenario videlicet unum, pro liberatione Fidelium captivorum de manibus infidelium, seu pro erectione & fundatione, seu manutentione domorum, & Mona-

Monasteriorum, pro usu, & habitatione dictorum Fratrum erogaverint, liceat eligere Confessores idoneos, qui confessione eorum diligenter audita, ab omnibus peccatis, criminibus & excessibus, etiam in casibus Sedi Apostolicæ specialiter vel generaliter reservatis, semel dumtaxat, deinde quoties fuerit opportunum, (dummodo talia sint, propter quæ sedes Apostolica specialiter consulenda non sit) absolvere, & pœnitentiam salutarem injũgere, nec non omnium peccatorum in mortis articulo remissionem impendere, licitè valeant auctoritate Apostolica singulis prædictis, prout eos contingit, tenore præsentium indulgemus.

10. Insuper prædicto, & alijs, qui pro tempore fuerint dictarum partium Vicarijs, super natalium, & ætatis infra vigesimum tertium annum defectibus, cum personis & fratribus Ordinem prædictum profiteri volentibus, & professis, ut ad omnes Sacros Ordines, usque ad Presbyteratus Ordinem inclusivè, & singulas Ordinis Prælaturas, & officia in dictis partibus promoveri, & in illis ministrare valeant dispensandi nec non Notarios
11. ad actus publicos in favorem fidei Christianæ conscribendos creandi & instituendi, dicta auctoritate tenore præsentium concedimus facultatem.

12. Insuper, ut Fidelium ferventius devotio in fide crescat, ut omnes, & singulæ utriusque sexus personæ, quæ prædicationibus dictorum fratrum interfuerint, & illas cum proposito se emendandi audierint, singulæ singulis vicibus unius anni & quadraginta dierum indulgentiam consequantur.

13. Quodque Fratres & Sorores de pœnitentia Sancti Dominici, quos Vicarius, seu ab eo deputati Fratres pro tempore recipient, & aliæ utriusque sexus personæ, quæ in Societate Beatæ Virginis sub capitulis & cæremoniis, per ipsos, vicarium, seu Fratres ordinandis Altissimo devo è famulabuntur, Confessores eligere, qui confessionibus eorum diligenter auditis, ipsis confessis & contritis plenariam in mortis articulo omnium suorum peccaminum remissionem impendere valeant.

14. Postremo, ut idem Vicarius & Inquisitor, alios Inquisitores hæreticæ pravitatis, in quibus sibi videbitur supradictis substituere & ordinare valeat. Et ut liberius idem, vicarius, & Fratres vivere valeant, & DEO confidentius deservire, in omnes & singulos, cujuscunque status, gradus, & conditionis existant, qui bona mobilia, sive immobilia, videlicet possessiones, domos, apothecas libros, calices, paramenta, instrumenta, & omnia alia ad divinum cultum pertinentia, ad usum & commodum Fratrum necessaria, contra ipsorum Vicarij, & Fratrum voluntatem occupantes, & detinentes, excommunicationis sententiam promulgamus, à quo nolumus à quoquam absolvi posse, nisi prius restitutione, vel cum eodem Vicario, sive Fratribus conventione facta, de ipsius, sive de ipsorum libero beneplacito & voluntate. Et ut ipse vicarius talentum sibi creditum sine impedimento & obstaculo valeat exercere, ex certa nostra scientia ipsam Societatem, quæ per nonnulla Capitula generalia dicitur esse divisa, reintegramus, & reponimus, ac in idem corpus, ut prius erat, reponi volumus & mandamus, præsertim omnes Conventus Lithuaniæ, Russiæ, Podoliæ, Valacchiæ majoris & minoris, non obstantibus quibuscunque literis & ordinationibus Capitulorum generalium in oppositum concessis, & concedendis, declarantes, & mandantes, tales Conventus & nationes amodo esse sub vicario dictæ Societatis peregrinantium. Quia vero conditio temporum hoc requirit, volumus & mandamus, ut Fratres, qui dicuntur *uniti*, vel *Armeni*, quod non obstantibus privilegijs aliquorum summorum Pontificum, etiamsi de ipsis privilegijs de verbo ad verbum deberet fieri mentio specialis, (ut secundum quod prius fuerant) ipsi Vicario in omnibus, & per omnia subdantur, & de eis disponere possit, sicut de cæteris sui Ordinis Fratribus, non obstantibus Apostolicis ac in Generalibus, vel specialibus Concilijs editis constitutionibus & ordinationibus, quibus quantum præsentibus adversantur derogari volumus, etiamsi talia sint, de quibus specialis, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio in præsentibus esset habenda, cæteris que contrarijs quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, excommunicationis, voluntatis, mandati, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1464. pridie Idus Junij, Pontificatus nostri anno sexto.

Quare pro parte dilecti filij Baptistæ Fatinanti de Janua, dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum professoris, Vicarij Generalis, in terris peregrinantium supradictorum, per dilectum filium Martialem Auribelli Sacræ Theologiæ Professorem, & Priorem Generalem dicti Ordinis deputati, & instituti nobis fuit humiliter supplicatum, ut præmissis & in dictis litteris contentis Apostolici muniminis robur adjicere, ac omnes & singulas facultates dicto Christophoro in præmissis litteris concessas, eidem Baptistæ pari modo concedere, & alias in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes fidem Catholicam vige e, augmentari, & etiam manuteneri, præfati Baptistæ in hac parte supplicationibus inclinati, litteras Apostolicas, cum omnibus & singulis indulgentijs, concessionibus, indultis, & clausulis, in eis contentis, nec non societatem prædictam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium ratificamus, approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, illasque perpetuo viribus subsistere decernimus, easque ad Conventum Civitatis Chij harum serie extendimus, nec non universos, & singulos ejusdem Ordinis Fratres, qui dicuntur *uniti* vel *Armeni*, aut alias, ut præfertur, dicta auctoritate eidem Societati subjicimus, ipsamque Societatem præfata auctoritate approbantes, & confirmantes, omnibus, & singulis cujuscunque dignitatis, gradus, conditionis, vel Ordinis existant, sub excommunicationis pœna, quam eo ipso incurrant, Societatem prædictam in præmissis, seu alias quomodolibet impedire, seu inquietare, vel molestare, seu ipsam dividere, extinguere, & separare, aut alias de illa se intromittere quoquo modo præsumant, districtius inhibemus.

Præterea, ut dictus Baptista in præmissis utilius, & diligentius se gerere possit, & habere sibi omnes & singulas facultates, & auctoritatem per præfatum PIUM prædecessorem dicto Christophoro olim concessas, pari modo, & absque ulla differentia perinde in omnibus, & per omnia, ac si dictæ insertæ litteræ ad instantiam ipsius Baptistæ emanassent, concedimus per præsentes, ordinantes & decernentes, ex nunc irritum & inane, si secus super ijs, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non

obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus, & singulis, quæ idem prædecessor in dictis suis litteris voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, approbationis, communitionis, extensionis, confirmationis, inhibitionis, concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1473. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Circa præfata privilegia illud solum se considerandum offert, quod etsi à PIO II. gratiæ, ac privilegia omnia Fratribus Inquisitoribus, ac alijs ab eisdem designatu concessa tantum videantur, ac perinde ad alios Ordines non extendenda, SIXTUS tamen IV. expressè illamet privilegia, cum singulis alijs gratijs & concessionibus congregationi sive Societati, in terris infidelium peregrinantium concessit, eaque omnia ad monasterium Civitatis Chij voluit extendi: quare de perpetuitate hujus privilegij, ac de communicatione, cum alijs Ordinibus non potest dubitari. Ad majorem tamen conscientiæ securitatem oportuerat summum Pontif. consulere.

Præterea INNOCENTIUS IV. & NICOLAUS III. *aliique Pontifices amplissima etiam & his similia privilegia concesserunt, ut patet ex Bullis relatis in Bullario collecto à doctissimo viro Fratre Emanuele Rodriguez, referam vero nunc eam tantum quam* INNOCENTIUS IV. *in favorem præfati Ordinis Prædicatorum concessit, qua habetur in* Compendio *sive* Collectione privilegiorum Ordinum Mendicantium *per Joannem Baptistam Confettium pag. 6.*

Privilegia Fratribus Prædicatorum ad partes Orientales, & terras infidelium ad prædicandum IESV Christi Evangelium proficiscentibus, per INNOCENTIVM IV. *concessa.*

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum DEI, dilectis filijs Fratribus de Ordine Prædicatorum in terras Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicocorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum Mosteliatum, Tartarorum, Hungarorum majoris Hungariæ Christianorum captivorum apud Tartaros, aliarumque infidelium nationum, Orientis, seu quarumcunque aliarum partium proficiscentibus, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum hora undecima sit diei, hominibus, ut exeant ad opus, usque ad mundi vesperam deputata, & illud Apocalypsis eulogium, cito credatur cum Matris Ecclesiæ consolatione complendum, videlicet, opottere viros spirituales, vitæ munditiam, & intelligentiæ gratiam cum Joanne sortitos, populis, & gentibus, linguis, Regibusque multis denuo prophetare, quia non sequetur reliquiarum Israël, per Isaiam Propheram, salvatio, nisi (juxta Paulum Apostolum) prius introeat gentium plenitudo. Nos licet immeriti super Apostolicæ Sedis speculam constituti, fideliter, ac prudenter dispensandis DEI ministerijs, & operibus coadjuvandis intendimus, si urgente plenitudine temporis, post pia priorum studia, in vineam Domini Sabaoth novos, & penè novissimos, qui sapientiam longum didicêre per otium, operarios mittere procuramus. Vos igitur quos juxta professæ Religionis officium, zelus comedit animarum, & in quadriga quarta, cum varijs charismatum donis, & fidei fortitudine trahitis, ubique discurrere, ac vexillum Regis gloriæ procul levare gestitis ad Gentes quæ JESUM Christum Dominum non cognoscunt, & ad subtractionis filios, qui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non obediunt, destinamus, vobis in remissionem peccatorum omnium, injungentes, quatenus seminaturi super aquas multas, in illo tantum, qui mundum dixit se vicisse, confisi, ad illuminationem cæcæ multitudinis, & exterminium hæreticæ falsitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos, in luce sermonis, & fortitudine operis, proposi tum vobis iter, sine quorumlibet offensione curratis.

1. Ut autem ministerium vestrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut in terris, quæ adhuc Sedis Apostolicæ magisterio non intendunt, proponere verbum DEI, & constitutis ibidem (non
2. obstante si aliqua sunt excommunicatione ligati) in verbis, officio, ac cibo, ac in alijs secuè communicare, & ipsos, seu etiam alios convertì ad unitatem Christianæ fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Ecclesiæ filijs valeatis, & pres
3. byteri ex vobis, ipsos aggregatos possint insignire charactere clericali, & ipsos ad Acoly. hatus Ordinem promovere.

Liceat etiam vobis ibidem redeuntibus ad
4. obedientiam Sedis Apostolica, qui sunt excommunicatione ligati, absolutionis beneficium, juxta formam Ecclesiæ impertiri, & super eo dispensare
5. cum ipsis, qui factos Ordines receperunt, & divina celebrarunt officia, sic ligati; hoc ipsum vobis
6. sit licitum, circa illos de terris eisdem, qui temporibus indebitis, vel infra ætatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel superiores prætermissis inferioribus, conferre, seu recipere Ordines præsumpserunt, (si tamen in hoc servata talis forma extiterit, per quam Ordines recepissent.) Vobis præterea dispensare liceat, ut illi ex nationibus vestræ prædicationi commissi, qui post susceptionem sacrorum Ordinum, vel in gradibus, & casibus à divina minimè lege prohibitis, matrimonia contraxerunt, remanent in eisdem: & hi, qui ad
7. Ecclesiæ Catholicæ redierint unitatem, ut inter
8. suos habitent, eisque communicent; nec non quod Clerici nationum ipsarum, publicè ad obedientiam Sedis Apostolicæ redeuntes, gaudeant privilegio Cleticali.

Sit etiam vobis licitum omnium Fidelium in
9. tertis prædictis confessiones audire, ac ipsis injungere pœnitentias salutares, & excommunicatos à Canone, vel alio modo, juxta formam Ecclesiæ absolvere, dummodo injuriam, & damna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus au-
10. tem partium illarum in casibus, in quibus solent Legari Sedis Apostolicæ dispensare, ac etiam cum Clericis ipsarum partium, patientibus defectum natalium, (dummodo non sint de adulterio, vel incestu, aut de Regularibus procreati) sit vobis
11. dispensandi facultas. Quam circa illos similiter habeatis, qui ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, seu Religione,

ligione, vel Clericali Ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint, & dignè satisfacere de commissis, ita quod ipsi Religiosi ad sua loca, salva disciplina Ordinis, resumantur, & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt adstricti, juxta præmissam formam, & prædictæ satisfactionis modum absolvere valeatis, & cum irregularibus ex eisdem, (sicut est expressum superius) dispensare.

12. Ad hæc sit vobis absolvendi facultas, occisores Clericorum, & Religiosarum personarum, in
13. prædictis partibus constitutos; fundandi ibidem novas Ecclesias; & reconciliandi ipsas, quæ sunt casu aliquo profanatæ, ac de novo fundatis Re-
14. ctores idoneos providendi, & illis, qui de Genti-
15. libus vel schismaticis noviter sunt conversi, dandi licentiam, ut uxores suas, cum quibus in gradibus à lege divina non prohibitis, contraxerunt valeant retinere. De causis matrimonialibus, quas in
16. partibus illis ad audientiam vestram deferri contigerit, legitimè cognoscendi, ac discordantes inter se ad invicem, quod ad pacem & concordiam red-
17. eant, nec non quod inordinatè viventes, de suis excessibus, sicut justum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram Ecclesiasticam, vobis libera sit facultas.

Insuper in locis in quibus vos hospitari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus re-
18. sidentiam facietis, Missam, & cætera divina celebrare officia, & in eisdem partibus cæmeretia be-
19 nedicere, ac dare indulgentias, commutare vota,
20 facultatem & licentiam habeatis.

Cæterum vobis concedimus, quod à Catholicis
21. Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis Ordines, & alia Ecclesiastica Sacramenta suscipere, & alta-
22 ria portatilia, more ipsorum, à jam prædictis Episcopis benedicta habere, & eis uti possitis. Si con-
23. tingat vos aliquo casu nostra altariola non habere, ac vestes Sacerdotales, altaris pallas, corporalia per eos, qui ex vobis sunt Presbyteri (cum necesse vobis fuerit) benedicere, ubi Catholicorum Episcoporum copia non habetur, nec non alia facere,
24. quæ ad augmentum Dominici nominis, & ampliationem Catholicæ fidei, ac reprobationem & irritationem illorum, qui sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco, & tempore videbitis expedire.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Assisij 10. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno XI.

Quam plurima alia etiam privilegia concesserunt alij summi Pontifices Fratribus Prædicatoribus in terras Infidelium profidei propagatione missis, ut GREGORIUS XI. *in Bulla quæ incipit,* Super gregem dominicum. URBANUS VI. Sincerus devotionis affectus. *Et* INNOCENTIUS VI. Cum hora, *& ubi inter alia inquit,* Cæterum vobis concedimus, quod à Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis positis Ordines, & alia Ecclesiastica Sacramenta suscipere; & altaria portatilia more ipsorum, à jam præfatis Episcopis benedicta habere, & eis uti, si contingat vobis aliquo casu, vestra altaria non habere, ac vestes Sacerdotales, altaris pallas, & corporalia per eos, qui ex vobis sunt Presbyteri, cum necesse fuerit benedicere, nec non altaria & calices, Sacramenta Confirmationis conficere, & uti oleo ac chrismate, ubi Catholicorum Episcoporum copia non habetur: nec non alia facere, quæ ad augmentum Dominici nominis, & ampliationem Catholicæ fidei, ac reprobationem illorum, qui sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco & tempore videbitis expedire.

Ac denique GREGORIUS XI. *in Bulla,* Fidelium novella plantatio, *ait:* Et cum nobis expositum sit, quod de multis personis partium prædictarum, quæ ut Presbyteri celebrarunt divina officia, & pro talibus reputantur, frequenter dubitari contingit, an juxta formam Ecclesiæ baptizati fuerint, vel non, & an Ordines ritè receperint, in quibus, ut præmittitur ministrarunt: quodque si in ordinandis ipsis de novo interstitia temporum servarentur, magnum scandalum inter populares, qui ab eisdem audierunt divina, & sunt etiam eisdem confessi, posset verisimiliter generari. Nos itaque intendentes animarum prædictarum, & aliorum Fidelium partium earundem saluti utiliter providere: vobis & singulis vestrum, tam in sacerdotij, quam in Diaconatus Ordinibus constitutis, ut omnes & singulos partium prædictarum, de quibus dubitatur, si fuerint baptizati, vel non baptizati, juxta provisionem Juris, in hujusmodi casibus adhibitam baptizare valeatis: his verbis præmissis, videlicet, Si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti amen; auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus.

Insuper eisdem Infidelibus de partibus antedictis taliter ordinatis, qui divina, ut præmittitur celebrarunt: quod ab Episcopis gratiam & communionem dictæ Sedis habentibus, & in partibus commorantibus antedictis, omnes tam minores, quam sacros Ordines statutis temporibus, aliquo intervallo in hujusmodi sacris Ordinibus recipiendis, & conferendis, propter eorum reverentiam, observato, si fine scandalo fieri possit. Alioquin, omnes una, eademque die simul præfatos Ordines sacros, & minores pro hujusmodi scandalo evitando recipere, quo etiam privilegio, quantum ad temporum interstitia, tam inter minores, quam majores Ordines non servanda per quinquennium, prædicti Religiosi, in antedictis partibus commorantes gaudere valeant, justa de causa, & ab eorum Superiore in illis partibus degente examinanda: ipsisque Episcopis dictos minores, & sacros Ordines personis eisdem secundum præfatam distinctionem, cum intervallo, vel una & eadem die simul dicendo, si dubitari contingat, an Ordines ritè receperint: videlicet: Si ordinatus es ritè, non te reordino, ad sacros antedictos servata alia forma, & materia, ac solemnitate debita, in præmissis quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, in contrarium editis, nequaquam obstantibus de gratia concedimus speciali.

Idem etiam Pontifex in Bulla, Cum nos ad terras Saracenorum, &c. Ut vero submotis impedimentis quibusliber, eorundem negotiorum prosecutione, liberè, & efficaciter, auctore Domino intendere valeatis: omnes & singulos cujuscunque dignitatis, Ordinis, & conditionis, vel status Ecclesiasticici, vel mundani extiterunt, qui vobis, vel familiaribus, vel Nuncijs vestris, quam diu fuerint in prosecutione prædicta, impedimenta vel obstacula quæcunque per se, vel per alios præsumpserint ministrare, quominus prædicta negotia liberè & efficaciter prosequi, DEO favente, possitis, citandi, quod infra certum terminum competentem, quem eis duxeritis præfigendum, Apostolico conspectui personaliter se præsentent, facturi super his, quod juxta demerita expedire viderimus,

vobis & cuilibet vestrum auctoritate præsentium concedimus facultatem: diem vero citationis, & præfixionis hujusmodi, & quicquid super præmissis duxeritis faciendum, vobis per vestras literas harum serie continentes, studeatis fideliter intimare. Eosque insuper omnes, vel singulos supradictos, cujuscunque dignitatis, Ordinis, conditionis, vel status Ecclesiastici, vel mundani extiterint, qui supradicto obstaculo, per se, vel alios præsumpserint supradictis ministrare, auctoritate Apostolica, eo ipso decernimus excommunicationis sententiæ subjacere, eorumque terras fore suppositas Ecclesiastico interdicto: cujus excommunicationis absolutionem, & interdicti relaxationem, absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali, præterquam in articulo mortis, ab alio, quam à vobis, vel vestrum aliquo, & tunc etiam, nisi congrua satisfactione præmissa, nequeant obtinere, non obstantibus quibuscunque privilegijs, & indultis, sub quacunque forma, vel expressione verborum eisdem impedientibus, vel eorum aliquibus, ab Apostolica Sede concessis, vel in posterum concedendis, quæ ad hæc eis in nullo volumus suffragari.

De alijs etiam privilegiis Fratribus Minoribus concessis, in terris infidelium laborantibus.

Similibus ferè in omnibus, ac aquè amplis privilegijs à multis Pontificibus concessis, Minorum ordo fuit condecoratus. Præcipuè verò JOANNES XXII. Pontificatus sui anno 6. eisdem Fratribus omnia, quæ INNOC. IV. & NICOLAUS III. ac ferè eisdem verbis, quæ concesserunt Religiosis ordini Prædicatorum, ipse etiam permisit & indulsit, ac in aliquibus ampliavit. Illis namque facultatem præbuit, ut ubi Episcoporum Catholicorum copia non esset, Confirmationis Sacramentum conferre posset, ac uti oleo & chrismate antiquis. Ac demum LEO X. quibusdam Fratribus deputatis Ordinis Sancti Francisci in novum Indiarum orbem proficiscentibus amplissimas gratias concessit, ut patet ex sequenti Bulla, quæ habetur in Bullario, per Fratrem Emmanuelem Rodriguez edito.

Dilectis filiis Fratribus Ioanni Clapion, & Fratri Francisco de Angelis, Leo Papa X.

Dilecti filij, &c. Alias fælicis recordationis NICOLAUS IV. & JOANNES XXII. & URBANUS V. & EUGENIUS IV. & alij Romani Pontifices prædecessores nostri debita meditatione considerantes, quod vestri Ordinis munda Religio à Christo Domino exemplis, ac verbis Apostolicis suis tradita, ac beato Francisco, & eum sequentibus inspirata fuerit, ac quod nonnulli ejusdem Ordinis professores pro fidei propagatione, in Infidelium partes, cum jam Apostoli non existant in orbe destinare opus esset, prout ipse beatus Franciscus suo tempore actualiter fecit, ut in vinea Domini fructuosos palmites producerent, nonnullis vestri Ordinis, tunc expressis Fratribus, ut in terris Infidelium tunc destinatis existentibus, quod DEI verbum proponere, & ibidem constitutos, si eorum aliqui excommunicationis censura ligati essent, absolvere, quoscunque ad Christianæ fidei unitatem convenire cupientes recipere, baptizare, Ecclesijs aggregare, & hi ex dictis Fratribus, qui in sacerdotio constituti essent, Pænitentiæ, & Eucharistiæ, & extremæ Unctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta, personis præmissis ministrare, & exercere, nec non in casu necessitatis (Episcopis in provincia non existentibus) Confirmationis Sacramentū, & ordinationis, usque ad minores Ordines Fidelibus ministrare, cappellas, & altaria, nec non calices, & paramenta Ecclesiastica benedicere, ac Ecclesias reconciliandas, vel Cæmeteria reconciliare, eisdem de idoneis ministris providere, eisque indulgentias quas Episcopi in suis Diœcesibus concedere solent impartiri, & alia quæcunque facere, quæ ad augmentum divini nominis, ad conversionem ipsorum infidelium populorum, & ampliationem fidei orthodoxæ, & reprobationem & irritationem illorum, quæ sacris Constitutionibus contradicunt, sicut pro loco, & tempore viderint expedire, valeant, & possint. Nec non uti oleo sancto, & Chrismate antiquis usque ad tres annos, cum in eisdem partibus novum oleum, & balsamum sine difficultate magna haberi non possint, liberè & licitè valeant.

Nec non aggregatos eosdem (ubi Episcopi non habentur) clericali insignire charactere, & ipsos ad minores Ordines promovere licere: etiam Sedis Apostolicæ sententia excommunicationis interdicti absolutionis beneficium, juxta formam Ecclesiæ impartiri, & qui de gentibus Schismaticis, vel alias noviter essent conversi dandi licentiam, ut uxores suas cum quibus in gradibus à lege divina non prohibitis contraxerunt, retinere valerent, & de causis Matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam nostram deferre deberent, legitimè cognoscendi, & discordantes inter se concordare. Ac etiam eisdem Fratribus licitum esse omnium Fidelium in terris prædictis confessiones audire, & ipsis injungere pœnitentias salutares, & vota commutare, & excommunicatos à Canone, vel alio modo, juxta possibilitatem satisfecerint. Insuper in locis in quibus Fratres ipsi residentiam facere, vel eos hospitari contingeret, missam & divina officia, cum solita solemnitate celebrare, & si in eisdem locis vitæ necessaria jejuniorum tempore commodè haberi non possent, ad prædicta jejunia eosdem Fratres minimè teneri declararunt, cum eisque misericorditer dispensarunt. Et ut de suis laboribus fructum reportarent, Fratribus prædictis verè pœnitentibus, & confessis eam indulgentiam concesserunt, quam proficiscentibus in terræ sanctæ subsidium Sedes Apostolica concedere consuevit. Ac etiam omnibus utriusque sexus, confessisque, qui loca & Ecclesias Fratrum dicti vestri Ordinis in partibus præmissis constructas, & inposterum construendas, singulis diebus quibus visitaverint, causa devotionis, sive eleemosynæ faciendæ, ipsis de injunctis eis pœnitentijs centum dies misericorditer relaxarunt.

Quique eisdem Fratribus, auctoritate Apostolica concesserunt, ut in Civitatibus, castris, villis, seu locis quibuscunque ad habitandum domos, & loca quæcunque, seu hactenus recepta mutare, aut eam venditionis, permutationis, aut cujusvis donationis titulo in alios transferre valerent. Ac insuper, ut omnes, & singuli vestri Ordinis professores, qui eodem succensi zelo ad ea loca cum Fratribus

tribus prædictis transire voluissent, omnibus & singulis præmissis gratijs, & indultis gaudere libere possent, prout eisdem Fratribus, & eorum cuilibet conjunctim vel divisim pro Fratrum præfatorum vita, tunc pro tempore indultum esset, vel concessum. Nec fugientes à sæculo in Ordine præfato recipere, ac omnia, & singula facere, quæ ad ea, quæ dicti Ordinis concernerent professionem, & Religionem, quæ Ministri Generales & Provinciales ex officio, & indultis Apostolicis facere possunt, prout in eorundem professorum desuper confectis litteris latius enarratur.

Cum autem sicut accepimus, vos quorum zelus est, DEO animas lucrifacere, & per vestræ speronationis industriam, & solicitudinem, divina stipulante gratia, adulterinas plantationes divellere, ac in messe Domini virtutes serere, vitia radicitus extirpare, & humanum genus ad salvationis & cognitionis semitas reducere, ad Indianas Insulas, aliasque provincias charissimi in Christo Filij nostri Caroli Hispaniarum, & Romanorum Regis Catholici, in Imperatorem electi, ditioni subjectas, & illis propinquas terras, ubi homines veritatis fidei cognitione carent, conferre desideratis, & in illis verbum fidei seminando, hujusmodi sanctis actionibus, vos exercere, de superiorum vestrorum licentia intendatis; nos tam sancto, & hominibus hujusmodi pro eorum animarum salute necessario opere, desiderio favorabiliter annuere volentes, motu proprio, & certa scientia ac potestatis plenitudine vobis & vestrum cuilibet facultatibus, concessionibus, & gratijs ac indultis supradictis, juxta superius narratorum continentiam vobis, & cuilibet vestrum, & ad vitam vestram à vobis quatuor deputandis uti, potiri, & gaudere, prout superius explicatur, liberè & licitè valeatis, concedimus, & indulgemus. Volumus autem quod ea, quæ ad Episcopalem ordinem ac dignitatem dumtaxat pertinent, vigore præsentium nullus vestrum exercere possit, nisi in Provincijs, ubi Catholicus Antistes non fuerit, in alijs enim locis, Pontificalia solum per Episcopos exercere valebunt.

Quocirca universis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque in dignitate constitutis, nec non omnibus, & singulis, tam Ecclesiasticis, quam laicis Ordinum quorumcunque professoribus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & maledictionis æternæ, à qua non nisi per nos, seu de nostro, seu dicti Ministri vestri consensu possint absolvi, firmiter inhibemus, ne vos, aut vestrum aliquem ad vitam vestram, seu deputandos Fratres præfatos, à vobis, vel à Ministro generali Ordinis præfati, in præmissis, seu præmissorum aliquo directè, vel indirectè per se, vel alium, quovis quæsito colore impedire præsumant. Quod si quicquam à quovis aliter attentatum fuerit, etiam prætextu quarumcunque litterarum Apostolicarum à Sede Apostolica concessarum, seu in futurum concedendarum, etiam si in eisdem litteris præsentes de verbo ad verbum insertæ fuerint, & specialiter à nobis revocatæ, irritum sit penitus & inane declarantes ex nunc prout ex tunc, non esse intentionis nostræ, nec in futurum fore, in præmissis (dummodo illis sanctè pro tempore intendatis) vobis impedimentum, vel detrimentum inferre. Non obstante prohibitione Fel. rec. BONIF. Papæ VIII. prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis de Prædicatoribus, & Minoribus, & alijs Religiosis mendicantibus (quibuscunque super hoc privilegijs muniti existant) prædicta præsumant, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam & expressam facientis de hujusmodi prohibitione mentionem. Nec non Constitutionibus & ordinationibus, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 25. Aprilis, anno 1521. Pontificatus nostri anno nono. *Hactenus Bulla* Leonis X.

ANNOTATIO.

Quamvis privilegia præfatis Fratribus, utpote personis particularibus concessa, extincta videantur, tamen omnia ferè Ordini Prædicatorum, ac Minorum ab alijs Pontificibus diversis temporibus subrè concessa. Nam inprimis de Prædicatoribus constat ex Bulla Sixti IV. *& de Minoribus ex Bulla* Joann. XXII. *ac multa ex his privilegijs post Concilium Tridentinum Ordini Carmelitarum Discalceatorum à* Clemente VIII. *&* Paulo V. *Summis PP. fuerunt indulta, ut ex sequentibus privilegijs patebit.*

PRIVILEGIA FRATRIBVS CARMELITIS DISCALCEATIS CONCESSA.

Dilectis filiis Commissario & Fratribus Ordinis Beatæ MARIÆ de Monte Carmelo nuncupatis Congregationis Italicæ, CLEMENS Papa VIII.

Dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionem. Dominici gregis cura nobis, Divina dispositione, commissa exigit, ut non solum Christi Fidelium animarum saluti, quantum cum Domino possumus prospiciamus; sed Infidelium quoque conversioni sollicitis studijs intendamus. Cumque ad præmissa exequenda Religiosi viri pietate Christiana, & Catholicæ fidei zelo, ac sacrarum literarum doctrina præstantes, ac vitæ inprimis, & morum Sanctitate conspicui requirantur; & in vestra Religione, ac Congregatione nunc spiritu ferventi (benedicente Domino) Religiosi plures reperiantur, eo quod divina affluente gratia, sanctæ orationi ac contemplationi vacantes sacrarum literarum studio, prædicationi verbi Dei, atque animarum saluti diligenter incumbitis & humilitate, paupertate, nuditate, abstinentia, jejunijs, & vitæ austeritate prælucentes, Patris vestri & Prophetæ Sanctissimi ELIÆ, vestri instituti Auctoris, alumnos & imitatores vos ostenditis ex vestra Religione, & Congregatione primitivæ observantiæ *Discalceatorum*, nuncuparatorum, ad Illustrem & potentissimum Abax Persarum Regem, illiusque Regna, Dominia & loca, & ad aliorum quorumcunque Infidelium, Schismaticorum, & Hæreticorum partes, ut in illis Evangelium Christi prædicare, Ecclesiastica Sacramenta ministrare, & tam Fidelium in illis partibus, forsan degentium saluti consulere, quam Infidelium & aliorum prædictorum conversioni operam præstare curent, nunc & in futurum aliquos per vos ad hoc deputandos, quam primum deligendos, & transmittendos esse duximus.

Ut autem ij, quos ipsi ad hoc munus deputaveritis, ministerium hoc facilius, & commodius ad DEI gloriam, & Catholicæ Ecclesiæ exaltationem adimplere possint, eisdem Religiosis, qui pro tempore ad partes prædictas per te fili Commis-

sarie, ac per Præpositum Generalem, pro tempore
1. existentem mittentur, ut in eisdem partibus tam cum Infidelibus, quam cum Hæreticis, & Schismaticis, & Excommmunicatis quibuscunque tuta
2. conscientia conversari, ac verbo, officio, & cibo communicare, eorum libros, & alios quacunque ex causa prohibitos, ad effectum illos confutandi, &
3. corrigendi legere, illisque verbum DEI proponere, & prædicare, & Evangelicam doctrinam ad Christianam fidem venire cupientes edocere, eosque catechizare, ac recipere, & baptizare in forma
4. Ecclesiæ consuera. Ecclesias, oratoria, cæmeteria, Conventus, & Monasteria, Confraternitates tam vestri, quam aliorum quorumcunque Ordinum, & alias quascunque, nec non cætera loca pia ex-
5. truere, fundare, erigere, ac si, quæ adsint in illis partibus profanatæ, eas benedicere, & si erunt consecratæ, aqua prius ab aliquo Episcopo, vel si Episcopus ultra duas diætas distaverit, à vobis bene-
6. dictas reconciliare. Quoscunque illarum partium habitum vestri Ordinis recipere volentes, etiam non servata forma Fel. re. SIXTI Papæ V. Prædecessoris nostri, & decretorum nostrorum ad hujsmodi habitum, & deinde suo tempore ad professionem regularem admittere.
7. Altaria portatilia cum debitis honore reverentia habere, & super illis, in quibuslibet locis, decentibus tamen & honestis, & ab omnibus actibus humanis sejunctis, & remotis Sacrosanctum Missæ sacrificium etiam ante lucem, regulariter per mediam horam antè, dummodo illucescat
8. dies, vel si necessitas id postulaverit, etiam per horam antè, & per mediam horam post meridiem. Indumenta, paramenta, corporalia & vasa Eccle-
9. siastica, non tamen ea, in quibus sacra unctio adhibetur, pro eorum, & aliorum Sacerdotum, in illis partibus existentium usu quæcunque benedi-
10. cere. Oleis infirmorum & Catechumenorum sanctis antiquis in supradictis, & infrascriptis muneribus uti, si facta diligentia aliud ejusdem anni habere non potuerint.
11. Quoscunque præterea in illis partibus degentes hæreticos, Schismaticos, & à fide Christiana apostatas, etiam Hæresiarchas, non tamen relapsos, si ad pœnitentiam redierint, facta per eos publicè, vel privatim, prout personarum & locorum ratio postulaverit, suorum errorum detestatione, & abjuratione, & injunctis eis pœnitentijs salutaribus, & alijs injungendis ab hæresis, schismatis, & Apostasiæ à fide reatibus; nec non excommunicationis aljsque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis per eos injunctis, in utroque foro absolvere, illosque reconciliare, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio, & Unitati Fidelium restituere. Eorum etiam & cæterorum quorumcunque Christi Fidelium utriusque sexus in illis partibus degentium
12. Confessiones audire, ac injuncta illis pro modo culpæ eorum arbitrio pœnitentia salutari, eosdem à quibuscunque peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcunque gravibus, & enormibus, etiam in casibus nobis, & eidem Apostolicæ sedi, & locorum Ordinarijs reservatis, etiam contentis in litteris die Cænæ Domini legi solitis, etiam de quibus dicta Apostolica Sedes merito consulenda esset, quoad hujusmodi casus contentos in litteris Cænæ Domini, videlicet semel in vita, & in articulo mortis, nisi aliquis casus urgens pluries occurrat, cui propter periculum animarum statim sit providendum; quoad reliquos vero toties quoties eis videbitur, & fuerit opportunum.

Nec non quorumcunque votorum, etiam ju-
13. ratorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, jejuniorum, & pœnitentiarum injunctarum omissionibus, cæterisque delictis in foro conscientiæ absolvere, ac in illis partibus, ubi Parochi non fuerint, Baptismatis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Matrimonij, & Extremæ unctionis Sacramenta, quæ 14.
alioquin parochi suis Parochianis ministrare solent, & possunt, vice Parochorum ministrare.

Præterea vota quæcunque etiam solemniter
jurata (castitatis & Religionis dumtaxat exceptis) 15.
ex aliqua rationabili causa in aliâ pietatis opera commutare. Apostatas quoque à Regularibus 16.
Ordinibus quibuscunque, in dictis partibus degentes, si verè pœnituerint, & veniam petierint, impositis illis salutari pœnitentia, ab apostasiæ nota, & excommunicationis, aliisque censuris & pœnis Ecclesiasticis per eos incursis absolvere, illisque, ut reassumpto habitu sui Ordinis extra Monasterium per certum decentem terminum, donec ad sua monasteria redire potuerint, remanere possint, concedere, & cum eis si Sacerdotes fuerint, super irregularitate præmissorum occasione, & etiam, quia censuris Ecclesiasticis, sic ligati Missas & alia divina officia, etiam forsan in contemptum clavium celebrarunt, conuacta dispensare, ita ut Missas & alia divina officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare valeant, dummodo scandalum non adsit, & utilitas, aut necessitas conversionis, & salutis animarum illarum partium suaserit, id illis esse concedendum.

Super votis quoque simplicibus Religionis, &
castitatis, simili ex aliqua causa rationabili dispen- 17.
sare, Utque pro expensarum oneribus levius supportandis eleemosynas, & oblationes eis largiendas recipere, illisque pro Religiosis eorum necessitatibus uti; nec non quæcunque malè oblata incerta illarum partium, si ij quibus solutio earum, & restitutio fieri deberet ignorentur, vel inveniri non possint, in pios usus, & pauperum sustentationem earundem partium, eorum arbitrio erogare. 18.

Insuper ut ij ex dictis Religiosis ad partes prædictas profecturis, quivem dictis partibus ad habitum, & professionem ejusdem Ordinis recipientur sacris Ordinibus non initiati, à quibuscunque Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentibus ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines, etiam extra tempora à Jure statuta, & non servatis interstitijs, & absque litteris dimissorijs, quatenus ibi locorum Ordinarij, seu Episcopi non sint, cum testimonio tamen de vita, moribus, & idoneitate illius, qui in illis partibus eorum Superior pro tempore fuerit, promoveri, & promoti in illis, etiam in altaris ministerio ministrare liberè & licitè valeant. Ad hæc omnes prædictos Religiosos ejusdem Congregationis vestræ, ac domos, Conventus, monasteria, & loca quæcunque, quæ in illis partibus pro tempore habueritis, ab omnium & singulorum quorumcunque Prælatorum, & personarum Ecclesiasticarum Jurisdictione, potestate, superioritate, & auctoritate, sicut in cæteris locis istis prorsus eximimus, & liberamus. Decernentes illos omnes & singulos tibi fili Commissarie generalis, & Definitorio Congregationis Italiæ tantummodo, tam in spiritualibus, quam temporalibus subjacere, illosque super præmissis à quoquam, quavis auctore fungente, molestari, perturbari, inquietari, vel impediri nullatenus posse, nec etiam cuiquam dictæ Congregationis Italicæ Religioso licere, ad præfata loca sine tua Fili Commissarie, aut Præpositi generalis, pro tempore futuri speciali licentia accedere, & secus facientes apostasiæ notam eo ipso incurrere:

rere : præsentes quoque litteras sub quibuvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, etiam per litteras die Cænæ Domini legi solitas faciendas minimè comprehendi, nisi de illis specialis, specifica, & ad verbum expressa mentio fiat. Sicque per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causatum Palatij Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus qui buvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Volumus autem, & in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna, eo ipso per contra facientes incurrenda, à qua, non nisi à nobis & Romanis Pontificibus Successoribus nostris, præterquam in articulo mortis constitutus quilibet absolvi possit, districte præcipiendo mandamus, ut præmissa omnia dicti Religiosi gratis & absque ulla prorsus impensa, omnino impendant & impartiantur, neque ab illis aliquid hac de causa petere vel exigere, vel sponte oblatum accipere præsumant, sub eisdem præcepto, & excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, nobisque pariter reservata, ne quis non Superior illorum, prædictos Religiosos retardare, molestare, inquietare, aut quoquo modo directè, vel indirectè quominus præfata ministeria exequantur impedire audeant districtè inhibemus.

Et quia difficile foret præsentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus fuerit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, ut earum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo vestræ Congregationis, aut alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra habeatur, quæ eisdem præsentibus originalibus litteris haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris die xiij. Julij M. DC. IV. Pontificatus nostri Anno decimo tertio. M. Vestrius Barbianus.

Sequitur collectio brevis privilegiorum, à sede Apostolica concessa Religiosis in propaganda fide laborantibus ordine Alphabetico digesta.

Præambulæ quædam notationes pro usu, & praxi prædictorum privilegiorum.

PRius quædam dubia præcipua absolvam, ac quædam observanda in praxi præmittam, postea brevem privilegiorum seriem, alphabetico ordine, digestam, aliquibus explicatam appendicibus tradam. Sed ne alicui de veritate Bullarum à quibus privilegia omnia deprompsimus, contingat dubitare, Pontificum diplomata suis numeris distincta hic scripta invenientur.

Primo igitur dubium occurit, An præfatis privilegijs sint à Tridentina Synodo derogatum? nam in ea omnia privilegia, quæ decretis ejusdem Concilij contrariantur, expresè abrogata sunt, ut patet ex *c. ult. sess. 25. de reformat.* & PIUS iiij. omnia privilegia Conc. Trid. adversantia penitus annullavit, & licet PIUS V. omnia Regularium ptivilegia confirmaverit, ac innovaverit; postea vero Greg. XIII. præfatam PII v. Bullam revocavit ac solum eas gratias, & privil. regularibus concessit, quæ sunt in usu, & Sacri Conc. Trid. decretis non contradicunt.

Pro hujus dubij resolutione, primo possemus dicere, non esse Concilij mentem, privilegia specialia Regularibus, in conversione infidelium laborantibus concessa abrogare: nam decretum generaliter loquens, non rectè extenditur ad casus speciales, quos Legislator præsumitur non comprehendisse: præcipuè, quia abrogatio, aut privilegiorum limitatio, à Sacro Conc. facta fuit, vel in Epi scoporum, vel in Parochorum favorem, ne eorum jurisdictio in aliquo læderetur: at inter. is infidelium, ubi nec Episcopi sunt, nec Parochi, nulli irrogatur injuria: quare in hoc casu magna cum probabilitate sustineri posset, privilegia Regularibus concessa, in suo robore permansisse. At quicquid sit de hac sententia, illud constans est apud Authores, omnia privilegia ante Conc. Trid. Regularibus concessa, in foro conscientiæ valere. Ita docent Fr. Emmanuel Rodriquez, *Tom. 1. quæst regul. art. 9. q. 8.* P. Enriquez 1. *Tom. lib. 7. c. 24.* P. Sorbus in *Compend. privil.* verb. *Absolutio.* P. Sa, verbo *Gratia*, & communiter alij Juniores. In foro autem conscientiæ valere, idem est, ac posse uti nunc illis privilegijs concessis, in salutem animarum, ita ut valeant coram DEO, & non coram Ecclesia, ut qui absolveret extra Confessionem virtute privilegiorum hæreticum, aut excommunicatum, ille verè quoad DEUM maneret absolutus, licet in foro exteriori posset ab Ecclesia puniri, ita explicat Covar. in *Cap.* Alma Mater, *parag. 11. n. 6. in 1. part.*

Quod vero privilegia omnia in foro interiori salva consistant, ex eo manifestè colligunt præfati Authores, quia PIUS V. vivæ vocis oraculo Fratrib. Minoribus concessit ut & gaudere omnibus Indulgentijs, gratijs, & privilegijs à Summis Pontificibus concessis; & quoad illa, quæ sunt restricta, seu derogata per Conc. Trid. etiam uti illis posse in foro conscientiæ tantum. Neque ista concessio fuit revocata per Bullam GREG. XIII. solum enim revocavit ea, quæ Regularibus PIUS V. concesserat in foro exteriori, ut jurgia vitarentur, & contentiones, quæ ex talibus concessionibus inter Ecclesiasticos erant ortæ: & sic non revocavit ea, quæ vivæ vocis oraculo, & tantum in foro interiori fuerunt concessa.

Nec solum in foro interiori privilegia Regularibus concessa in suo robore permanere, sed & in exteriori docuit Pater Enriquez, *Tom. 1. Summæ moral. lib. 7. c. 24. in fine*, quia, ut ipse ait, revocatio facta à *Gregorio XIII.* non fuit promulgata, neque usu recepta, pro qua sententia adducit Navarrum in *editione anni 84. c. 27. in fine*, quam ego vide.e non potui, imo videtur colligi contrarium ex Navario in *suo Enchirid.* ubi ait, quod tenorem Constit: *Greg. xiij.* ponit in fine, si publicetur: quare cum ipse ponat dictam Constitutionem, colligi apertè videtur fuisse juridicè promulgatam.

Illud tamen certum existimo, quod etsi Trid. *sess. 25. de reformat. Regular. c. 22.* revocet omnia Mendicantium ptivilegia Canonib. aut Decretis à se editis contraria, intelligendum esse de illis privilegijs, quæ repugnant decretis in illa *Sessione* circa Regularium reformationem promulgatis: cætera vero privilegia minimè, neque in interiori, neque in exteriori foro esse sublata: ita expresse docuit Navar. *c. 27. num. 190.* Credimus, inquit, quod per prædictum *c. finale* de Regularibus, (nempe *prædictum c. 22. Conc. Trid.*) solum tolli eis privilegia contraria juribus communibus, quæ capitibus

Legendus de hoc dubio noster Andreas à Matre Dei *Tom. 4. curs. Theologiæ moral. Tract. de privilegijs Regular. cap. 1. punct. 8.* & qui ante illum, & decretum Alexandri VII. anni *1666.* Scripserunt è nostr. Antonius à Spiritu S. in *Directorio Regul. Tract. 1. disp. 1. n. 118.* & Petrus ab Angelis *in speculo privileg. Regul. disp. 7 sect. 3.*

tibus præcedentibus *ejusdem tit.* (scilicet *sessionis 25 de reformat. Regularium*) jubentur servari. Eandem Navar. sententiam ipso tamen non citato, late prosequitur Emmanuel Rodriquez *Tom. 1. quæst. regul. q. 8. art. 6. & 7.* & Pater Sa in *Summa*, verbo *Gratia*. Quare tantum illa privilegia sunt abrogata, quæ decretis illius *sessionis* contrariantur: & similiter quæcunque alia, quæ in proprijs locis à Sacra Tridentina Synodo revocantur. Loca autem, ubi expresè privilegia Ordinum à Conc. Trid. derogantur, adducit Emanuel Rodriquez *dicto art. 7.* quæ à nobis hic brevitatis gratia non recensentur, & quia in proprijs locis notabimus, quæ Concilij decreta sint observanda, privilegijs quibuscunque non obstantibus.

Quomodo hoc intelligendum tradit profatus Andreas *loc cit. cap 2. de privileg. punct. 2.*

Illud etiam se offert notandum, ex mente omnium fermè Doctorum scribentium de privilegijs Ordinibus Mendicantibus communicatis, numquam per non usum amitti.

Deinde antequam collectionem, sive compendium omnium privilegiorum ministri Missionum concessorum aggrediamur, illud prius restat considerandum, hæc privilegia, prout ex eorum serie, & contextu patet, à Summis Pontificibus fuisse Fratribus concessa pro terris Infidelium, Hæreticorum, aut Schismaticorum, quæ Sedis Apostolicæ magisterio, & obedientia non subduntur, in quibus, vel non sunt Episcopi, vel si Episcopi, aut Patriarchæ, reperiuntur, non tamen habent communicationem cum Ecclesia Catholica, in his igitur Infidelium, Hæreticorum, aut Schismaticorum Provincijs, omnibus præfatis privilegijs uti licitè possunt Religiosi. In terris vero Infidelium, aut Schismaticorum, ubi sunt Episcopi Catholici, aliquibus ex præfatis privilegijs tuta conscientia gaudere nequeunt.

Dices, quæ sunt privilegia, quibus uti indifferenter liceat in terris Infidelium, & quæ sint à quibus abstinere oporteat in terris, ubi præsunt Catholici Episcopi, ut in multis Indiarum Provincijs?

Respondetur ex ipsarum Bullarum contextu colligi, quibus privilegijs utendum sit, & à quibus abstinendum, ubi sunt Episc. Catholici; nam ea, quæ propria sunt Episcopalis dignitatis, (licet auctoritate Summi Pontif. possint simplici Sacerdoti committi,) ut sunt oleum consecrare, Ecclesias profanatas reconciliare, hæc inquam regulariter à Summis Pontif. non conceduntur, ubi sunt Episcopi. Quare in præfatis Bullis cum Religiosis aliqua ex his committuntur, solet frequenter addi: *ubi Episcoporum copia non fuerit.* Licet aliquando soleant etiam Pontifices aliqua ex prædictis absolutè concedere Religiosis proficiscentibus in terras Indiarum, maximè si sint valdè remotæ à locis, ubi Episcopi residen, ut sunt calices, & altariola consecrare. Et tunc non est dubium, quin possint hæc, & alia si concedantur exequi in terris, quæ Episcopis subduntur. Alijs vero privilegijs pro Infidelium terris concessis, ut sunt, quæ pertinent ad absolutionem, & dispensationem, & aliquorum Sacramentorum administrationem, cum à Summis Pontificibus sine ulla restrictione concedantur, frui, & uti semper licebit in terris Infidelium, & Hæreticorum, maximè in illis, quæ valdè remotæ sunt à Sede Apostolica.

Ex quo infero privilegia, quæ olim aliquibus Religiosis in Indiam profectis fuere concessa, quando in illis Regionibus à Sede Apostol. Episcopi non erant creati, si sint circa executionem earum rerum, quæ Episcoporum sunt propria, creatis Episcopis fuisse omnino extincta: quia cessat ratio, ob quam fuêre concessa, nempe Episcoporum penuria; ita docuit Emanuel Rodriquez *Tom. 2. q. 99. art. 5.*

Præterea privilegia, quæ Summi Pont. concessêre Regularibus circa Infideles noviter conversos, extendi etiam voluerunt ad captivos Christianos in quibuscunque Infidelium Provincijs existentes, ut patet ex initio Bullæ *Innocent. IV.* & *Sixti IV.* pro Fratribus Prædicatoribus. Imò, & ad omnes Fideles in illis partibus degentes, ut ex ipsis Pontificum verbis manifestè constat, nisi in aliquo casu contrarium exprimatur.

Denique expendenda sunt illa verba, tam *Innocent. IV.* quam aliorum Pontificum, scilicet *Fratribus Prædicatoribus in terras infidelium proficiscentibus*, quasi Summi Pontifices velint, eos non solum dum inter Infideles versantur, gratijs, & favoribus à se concessis uti, sed statim, ac hujus ministerij causa ad Infidelium conversionem fuerint profecti; quare itinerantes possent, si necessitas urgeret, præfatis privilegijs uti, ubi Episcopi non essent, vel esset ad illos accessus valde difficilis. Si enim in itinere vel frangeretur altariolum, vel corporalia jam benedicta perderentur, & die festo non esset qui celebraret, quis dubitat virtute privilegiorum posse, & aram, corporalia benedicere, & sic de cæteris?

Denique cum in hac collectione, aliquando ex *Compendio Indico Societatis JESU* aliqua privilegia inferantur, nonnullaque ex illis pro tempore limitato sint concessa, oporteret, (nisi alias alicui Religioni sine temporis determinatione concederentur) ab ipsis Patribus postulare, an prorogata fuerint; solent enim ipsi, antequam extinguantur, prorogationem à Sede Apost. obtinere. Deinde cum hæc privilegia Societati regulariter à Pontifice concedantur, dependenter à Præposito Generali, ita ut sine ejus licentia, nemo ex Societate utendi eis habeat facultatem, oporteret, ut aliorum Ordinum Religiosi facultatem à suo Generali, vel saltem Provinciali, omnibus prædictis privilegijs utendi, impetrarent. Præterea etsi in ipsis privilegijs concessis Religiosis Societatis, sæpè requiratur, ut à Præposito Generali sint missi: at postea *Greg. XIII.* indulsit omnibus de Societate, qui pro tempore erunt in illis partibus, ut eisdem privilegijs uterentur, etiamsi à Præposito Generali missi non sint.

ABSOLUTIO.

IN terris Infidelium, possunt Religiosi omnium Fidelium ibi degentium confessiones audire, injunctaque pœnitentia salutari, eos absolvere ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus, delictis quantumcunque enormibus, etiam in Cœna Domini contentis, aut quomodolibet Sedi Apostol. reservatis, sine ulla exceptione, toties quoties. SIXTUS IV. *n. 5. Præstat.* CLEM. VIII. Car. Discalceatis *n. 12.* ac etiam ab omnibus censuris & pœnis prædicta delicta consequentibus absolvere SIXTUS IV. *n. 6.* & *Compend. Societ. Indicum* verbo *Absolutio.*

Secundo quoscunque in illis partibus Schismaticos, vel Hæreticos, etiam Hæresiarchas, non tamen relapsos, facta per eos prius detestatione & abjuratione, injunctisque pœnitentijs salutaribus, in utroque foro ab excommunicatione aliisque Ecclesiasticis censuris, & sententijs absolvere, illosque reconciliare CLEM. VIII. Carmel. Discalceatis.

Anno-

Annotatio.

NOta hanc concessionem intelligendam esse in illis partibus, ubi non sunt Episcopi, neque Inquisitores hæreticæ pravitatis, id enim colligitur, ex serie bullarum. Pro illis vero Regionibus remotissimis, ubi Judices fidei sunt deputati, Fratres Jesuitæ, gaudent simili privilegio in foro conscientiæ. Advertit tamen Collector, quod eo Religiosi non utantur cum his, quos probabiliter scivernt ad Inquisitionis officium esse delatos, nisi fortè de hac re cum Inquisitoribus agatur, atque ipsis placeat, ut ipsi hac facultate utantur. Cum ijs etiam, qui delati non fuerint, adhibenda est magna cautio, & circumspectio, ut pœnitentibus declaren., nihil eam absolutionem ipsis prodesse in foro exteriori, eosque exhortentur, ut complices, si quos habeant, revelent, & hæreses abjurent, nec in locis in quibus Sanctæ Inquisitionis officium residet, hac facultate utantur, nisi cum solis Neophytis, & ea moderatione, ut Inquisitores nulla ratione offendantur. Quin potius sedulam operam navabant, ut pœnitentes in ijs, quæ in foro exteriori revelare tenentur, officio suo non desint. Denique notandum est hoc privilegium absolvendi ab omnibus casibus reservaris, non tolli, cum Romæ publicatur Bulla Cœnæ Domini, ut docet P. Emmanuel *Tom. 1. q. 20. art. 9.*

ALTARE.

CElebrare in altari portarili, sive viatico concesserunt multi Pontifices Religiosis, non solum pro conversione Infidelium laborantibus, sed etiam alijs inter Catholicos conversantibus. Et quamvis dubitari posset, an hæc gratia sublata esset per Concil. Trid. ut nullus dubitationi locus relinquatur, post Trident. Societati JESU concessit GREGOR. XIII. cum derogatione expressa Concil. Tridentin. ut refert Pater Enriquez *1. Tom. libr. 9. cap. 27. in gloss. litt.* S. Novissimè vero Fratribus Carmelitis Discalc. in terras infidelium proficiscentibus concessit CLEM. VIII. *ubi supra num. 7.*

Annotatio.

EX privilegio ADRIANI VI. teste P. Emmanuele *Tom. 1. q. 28. art.* 2. possunt Provinciales Indiarum, & Fratres habentes ab ipsis specialem ad hoc facultatem, consecrare altaria, etiam pro usu alieno, in casu necessitatis, Episcopis in Provincia non existentibus.

APOSTATÆ.

IN terris Infidelium, Apostatas à Regularibus Ordinibus commorantes, possunt Religiosi imposita illis salutari pœnitentia, ab apostasiæ nota, & excommunicationis, alijsque censuris, & pœnis absolvere: illisque, ut reassumpto habitu sui Ordinis, extra monasterium per certum decentem terminum, donec ad sua monasteria redeant, manere possint, concedere. Et cum eis, si Sacerdotes fuerint, super irregularitate forte commissorum occasione contracta, dispensare, ita ut Missas, & alia divina officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare valeant: dummodo scandalum non adsit, & utilitas animarum illarum partium, id postulaverit, ita CLEM. VIII. Carmelitis Excalc. *num. 16.* & INNOCENT. IV. Prædicatoribus *num. 11.*

BAPTISMUS.

DE Sacramenti Baptismi administratione, vide *infra*, verbo, *Sacramenta.* Religiosis Societat. in India degentibus PIUS V. ad decennium, quod postea GREGOR. XIII. extendit ad aliud decennium, concessit, ut possent baptizare extra Ecclesias, & sine consuetis cæremonijs, quando ipsi judicarint id ad majorem DEI gloriam, & obsequium expedire, propter paucitatem operariorum, & incommoditates, quæ se offerunt. *Comp. Societ. Indic.*

BENEDICERE.

INdumenta, paramenta, vestes Sacerdotales, ac corporalia, tam pro ipsorum, quam pro aliorum Sacerdotum, in illis partibus existentium, usu (ex concessione CLEM. VIII. num. 9. Carmelitis facta) possunt Religiosi benedicere. Similem concessionem plures alij Pontifices alijs Ordinibus, ex eorum privilegijs fecisse constat. Ubi vero Episcopus Catholicus non adest, possunt etiam Calices, & altaria consecrare, Cæmeteria benedicere, & profanatas Ecclesias reconciliare, INNOC. IV. Fratribus Prædic. *num. 21.* INNOC. VI. etiam ut supra. *Compendium Societ. Indicum* verbo *Benedictio:* & novissimè PAULUS V. vivæ vocis oraculo, concessit Excalceatis Carmelitis in Persiam profectis, dum ab Episcopo Catholico per duas diœtas distarent.

Annotatio.

PRimo nota, in consecratione utendum esse oleo ab Episcopis consecrato. Deinde sciendum, quod non solum in terris Infidelium, quæ Magisterio Ecclesiæ non subjciuntur, possunt Fratres ornamenta Ecclesiastica, & corporalia benedicere, calices & altariola consecrare, sed etiam in terris Fidelium, in illis scilicet, quæ remotissimæ sunt à Sede Apostolica, ut in novo Indiarum orbe, cum sequentibus limitationibus. Prima, Possunt benedicere corporalia, cæteraque paramenta divino cultui deputata, pro usu sæcularium, si distent ab Episcopis, vel eorum Officialibus per duas diætas, ita P. Veracruz in Compendio manu scripto, (quem citat, & sequitur Pater Emmanuel *1. Tomo quæst. Regular. quæst. 19. artic. 2.*) Ex privilegio (inquit) *Adriani VI.* possunt Provinciales Indiarum Ordinum Mendicantium, & fratres eorum habentes authoritatem omnimodam dicti privilegij, benedicere omnia prædicta, etiam pro usu alieno, si distent ab Episcopis, vel eorum Officialibus per duas diætas, causa justa intervenente, pro bono Indorum, pura quia deferenda sunt ornamenta ad Episcopum distantem 20. leucis. Provinciales vero in casu necessitatis, possunt omnia prædicta benedicere, tam pro usu proprio, quam pro alieno, sive sint intra, sive extra prædictas diætas, Episcopis tamen in Provincia non existentibus. Ita ut si Episcopus in aliena esset Provincia, quamvis non distaret una diæta, possint id præstare: ita Pater Veracruz citatus.

Circa

Circa consecrationem vero Calicis, etiam requiritur, ut episcopi non sint in sua Provincia: hoc enim (ait prædictus Pater) *Leo X.* & postea *Adrian. VI.* anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo concessit de novo privilegium Provincialibus, & quod possint communicare suis Fratribus authoritatem suam. Et adverte, quod potestas, quæ datur per privilegium *Leonis decimi*, non habet tantas limitationes, sicut privilegium *Adriani sexti*. Privilegium enim *Leonis X.* solum petit, quod Episcopi non sint in provincia, ad hoc, ut prædicta possint benedicere. Et sic Sede vacante, dicitur, quod Episcopi non sint in provincia. Advertе etiam cum dicto Patre, quod hæc supradicta omnia possunt facere Fratres, & benedicere, si eis Provinciales communicent, scilicet dicendo: Auctoritate Apostolica committo tibi authoritatem brevis *Adriani sexti* omnimodam super has, & has personas, sicut tibi conceditur. Nec non communico tibi Breve *Leonis decimi*, & alia privilegia Fratribus Indiarum concessa, & concedenda, hactenus Pater Emanuel Rodriquez. Hoc privilegium *Adriani 6.* habetur Hispali authenticum in Monasterio beati Francisci, teste Patre Enriquez 1. *Tomo suæ summæ libr. 9. cap. 27. in gloss. lit. H. 37.*

Quibus concordat *compendium Indicum Jesuitarum*, verbo *benedictio*. Possunt, inquit, hi, qui mittuntur à Præposito Generali in loca remotissima, in quibus non potest adiri Sedes Apostolica, vestes Sacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, & cæmeteria, si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adsit, in eis partibus benedicere. Denique nota, Regulares in terris infidelium commorantes, tam in Baptismate, quam in alijs ministerijs, in quibus opus est oleo sancto, uti posse oleo antiquo, si facta diligentia illud ejusdem anni haberi non potuerit. *Clem. VIII.* Carmel. Discal. *num. 10.* quæ est amplissima concessio.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM.

INNOCENTIUS VI. Prædicatoribus, JOANNES XXII. & LEO X. Minoribus, in terras remotissimas à Sede Apostolica, ac Episcoporum magisterio carentes profectis, concesserunt administrare sacramentum Confirmationis noviter conversis, & ADRIANUS VI. concessit de novo privilegium LEONIS X. Provincialibus tam circa consecrationem Calicis, ut dixi supra, quam circa Confirmationis Sacramentum, cum eisdem limitationibus, de quibus nuper mentionem fecimus, ut idem Author *quæst. Regul.* loco ut supra refert.

Annotatio.

DE hac concessione simplici Sacerdoti, circa administrationem Sacramenti Confirmationis, à summo Pontif. facta, licet olim ab aliquibus Authoribus fuerit dubitatum; an simplici sacerdoti à Papa committi possit, tamen hodie non licet dubitare, cum à pluribus Pontificibus fuerit concessum, ut constat ex præfatis privilegijs, & de alijs, de quibus Doctores scribentes de Sacramento Confirmationis. Hac tamen concessione, uti non licet, quia cum privilegium sit valdè exorbitans à Jure communi, non videtur extendendum ultra personas, quibus expresiè fuit concessum. Præterea non legimus Patres Jesuitas, qui in Japonis insulis plurimos ad fidem perduxerunt, usos fuisse hujusmodi privilegio; nec alios quoscunque Religiosos; etiamsi Regiones fuerint remotissimæ, & Episcopo multis annis caruerint.

COMMUNICARE CUM INFIDELIBUS aut excommunicatis.

POssunt Religiosi in terris Infidelium, Hæreticorum, & Schismaticorum cum excommunicatis quibuscunque tuta conscientia conversari, ac verbo, officio, & cibo communicare. *Clem. VIII.* Carmelitis Excalceatis, *num. 1.* & alij etiam Pontifices Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus: possunt etiam Missas celebrare, etiamsi illi præsentes adsint in Ecclesijs, quando necessitas urget, & periculum est majoris scandali. *Compend. Societ. Ind.* verbo, *Communicare.*

Annotatio.

DE hac materia supra, latius diximus. Illud tamen hic obiter adverte, illud verbum, In officio communicare à *Clemente VIII.* expressum, denotare etiam sine necessitate, posse nos Infidelium, Hæreticorum, aut Schismaticorum ritibus, vel officijs divinis interesse, sine ullo scrupulo, & ipsos similiter præsentes esse, dum à nobis divina celebrantur Officia, dum tamen pusillorum scandalum non sequatur.

CONSERVATORES.

COnceditur Superioribus Societatis, seu eorum Conservatoribus in eisdem partibus extra Europam, ut ad omne calumniæ genus obstruendum, & pro temporum, causarum, occasionum necessitate occurrente, quascunque censurarum, & pœnarum declarationes possint facere, pro conservatione & causa privilegiorum, & Jurium, rerum & personarum ipsius societatis tantum. Item ut contra tales effugientes, appellatione postposita, procedere seu mandare liberè & licitè valeant. Ex *Compendio Indico Societatis.* Ex eodem Compendio in omnibus causis, personis Jura, seu privilegia Societatis concernentibus, in Regionibus tantum extra Europam occurrentibus, loco earum personarum, quæ juxta commune compendium, in conservatores assumi possunt, indulgetur Præposito Generali, ut assumere ad id minus valeat, quosvis idoneos, & probos viros sæculares, clericali charactere insignitos, non tamen conjugatos. Hac uti possunt Provinciales, & ij, quibus ipsi eam commiserint.

CONFESSARII.

OMnes Religiosi in terras Infidelium, aut Hæreticorum à suis prælatis ac Superioribus missi, possunt noviter conversis, ac Christianis ibi degentibus Sacramentum Confessionis administrare, ita *Innoc. IIII.* Prædic. *Clemens* VIII. Carmel. in terris vero, ubi sunt Episcopi Catholici, Confessarij semel approbati à Generali, vel ab aliquo Episcopo ad Confessiones audiendas, possunt in utraque India omnibusque Regionibus, & insulis

insulis transmarinis, ad quas Hispani, & Lusitani penetrant, Confessiones audire nec tenentur ulteriorem licentiam, & approbationem ab alijs Episcopis petere, seu alias habere. *Greg. XIII.* ad decennium; quàm concessionem idem postea ad duo decennia extendit. *Compend. Indic. Societ.*

DISPENSARE.

IN partibus, & Regionibus Infidelium, sive Hæreticorum qui Ecclesiæ Catholicæ non obtemperant, Religiosis dispensandi facultatem in omni irregularitate, in qua possunt Legati à latere dispensare concesserunt *Innoc. IV. nu.* 10. & *Joannes XXII.* Fratribus Minoribus. Ac idem *Innoc.* concessi eandem facultatem dispensandi, cum Cleticis defectum natalium patientibus, (dummodo de adulterio, de incestu, aut de Regularibus non fuerint procreati.)

2. *Sixtus V.* & *Pius II.* ut supra *n.* 2. in omni censura, & irregularitate facultatem Fratribus Prædicatoribus præbuerunt dispensandi, excepta ea, quæ à bigamia descendit.

3. *Clem. VIII. num.* 17. Patribus Carmelitis Discalc. in terris Infidelium, aut Hæreticorum existentibus, concessit authoritatem dispensandi in omni voto, etiam castitatis, & Religionis, si necessitas, aut utilitas conversionis animarum in illis partibus existentium exegerit, & hæc est amplissima concessio, de qua *infra*.

4. Possunt præterea Religiosi in tertis Saracenorum, Paganorum, aliorumque Infidelium, & in alijs Provincijs remotissimis, in quibus non potest aditi sedes Apostolica, dispensare cum ijs, qui ab infidelitate convertuntur tantum, & in locis remotissimis, si prius in gradibus non licitis, (lege tamen divina non prohibitis) matrimonia contraxerant, ut in ijsdem manere possint. Ita *Innoc. IV.* nu. 17 & *Joann XXII.* Minoribus.

5. Possunt Presbyteri Societatis, à Proposito Generali per se, vel alios, ad id electi, auctoritate Apostolica, (gratis tamen) dispensare cum Neophytis, in quibusvis Orientis, Brasiliæ, Perú, novæ Hispaniæ, & alijs Ultramarinis Regionibus, insulisque Oceani maris, ac Occidentalibus partibus degentibus, in quibuscunque jure divino non prohibitis consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, aut alias conjunctis, aut ad se attinentibus, ut impedimentis ejusmodi non obstantibus, matrimonium inter se contrahere, & solemnizare; (secus si jam etiam scienter contraxerint) & denuo contrahere valeant; in partibus tamen, ubi locorum Ordinarij de facili aditi possunt, in foro conscientiæ tantum, sed perpetuo. Ordinarij vero ipsi ibidem in utroque foro, sed tantum ad viginti annos à data præsentium computandos, de consilio tamen, & assensu dictorum Societatis Presbyterorum, tanquam adjutorum, & assessorum suorum, ubi eorum copia commodè haberi possit: in reliquis autem Provincijs Ordinariorum præsentia destitutis, vel ab eis non minus ducentis millibus passuum remotis, ijdem Presbyteri per se in utroquo foro possunt in prædictis dispensare. Possunt etiam prædicti Sacerdotes in eisdem locis denunciationes, & alias extrinsecas solemnitates, ac cæremonias, cum id expedire, aut necesse esse visum fuerit, omittere, prolemque susceptam, aut suscipiendam legitimam declarare, *Compend. Societat. Indic.*

6. Sanctiss. D. N. PAUL. V. Patribus Carmelitis Discalceatis in Persiam profectis, vivæ vocis oraculo concessit, ut cum his, qui in illis Regnis converterentur, vel etiam cum jam conversis, in omnibus gradibus, præter primum consanguinitatis, vel affinitatis, ac per lineam rectam inter ascendentes, & descendentes, possent dispensare.

Annotatio.

CIrca irregularitatis dispensationem collige in omnibus irregularitatibus, ex quacunque causa provenientibus, posse Religiosos in Provinciis remotissimis Infidelium, à quibus non potest aditi Sedes Apostolica, dispensare, excepta ea, quæ à bigamia processit. Nec mirum in illis partibus, concedi facultatem dispensandi in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, maximè quando id utilitas animarum, fideique propagationis commune bonum exegerit: cum *Paulus III.* Superioribus Ordinis Prædicatorum, respectu suorum subditorum idem concesserit, ut videre est apud P. Emmanuel Rodriquez *Tom. 2. q. 105. art. 1.*

Circa dispensationem vero in gradibus prohibitis matrimonij, notandum est, aliud esse dispensare, sive licentiam præbere, ut qui matrimonium in infidelitate, in gradibus prohibitis contraxêre, maneant ad fidem conversi eodem conjuncti matrimonio, de quo dicemus *infra* verbo *matrimonium*; aliud vero dispensare cum Neophytis, hoc est, noviter conversis, ut contrahant in gradibus prohibitis: & utrumque concessum est Religiosis, primum sine limitatione; secundum vero cum limitationibus prædictis.

ECCLESIA.

IN illis partibus possunt Religiosi fundare monasteria, & Ecclesias profanatas reconciliare, & de novo fundatis Rectores idoneos providere, INNOC. IV. Prædicat. *num.* 13. & CLEMENS VIII. Carmelitis Discalc. *num.* 4.

HORÆ CANONICÆ.

PAtres Societatis, Concionatores, Lectores, Confessarij, & Superiores, qui sunt, aut erunt in Provincijs Indiæ, & Brasiliæ, possunt toto anni tempore, ante horam cœnæ ordinariam, etiam cum per aliquot integras horas ante solis occasum cœnari solet, dicere matutinum sequentis diei. Habetur in *Compendio Societatis.*

CIRCA JEJUNIUM, *& alia pro Indis.*

POssunt Religiosi in foro conscientiæ, dispensare in India cum novis, & antiquis Christianis, in Jejunijs ab Ecclesia statutis, propter gravissimum æstum, & cibos debilioris nutrimenti, & quia homines illi navigationibus, & bellis gerendis sunt diditi. *Pius V.* ad decennium, quam extendit *Greg.* ad aliud decennium, *Compend. Societ. Ind.* Concessit præterea *Paulus III.* ut refert Pater Emmanuel Rodriquez, *tom. 2. quæst. Regul. q. 99. art. 5.* ut Indi solum tenerentur ad jejunandum omnibus sextis ferijs quadragesimæ, & vigilijs Resurrectionis, & Natalis Christi, propter eorum novam ad fidem conversionem, & ipsius gentis infirmitatem; imo jejunium repugnans sanitati, vel non benè quadrans officio, vel exercitio alicujus eorum, non est censendum illis ab Ecclesia præceptum. Hæc *Paulus III.*

Ex

Ex hac concessione habes, unde possis, quam plures Indos excusare ab obligatione jejunandi, cum ipsi sibi quotidie bajulent ligna, & alia multa hujusmodi faciant, & ipsi Indi molant sibi panem, aquam humeris portent, & si addas eorum insufficientem pro uno prandio refectionem ciborum, eos excusabis.

Concessit etiam idem *Paulus III.* quod dicti Indi solum teneantur ab operibus servilibus cessare omnibus diebus Dominicis, Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Christi, Pentecostes, nec non Nativitatis B. MARIÆ, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, cæteri vero dies ex dictis causis indulgentur eis.

Has concessiones concesserunt prædicti Summi Pontifices novi orbis incolis, quæ omnes, ut affirmat Veracruz, habentur in authenticis Bullis, quibus omnibus gaudent Religiosi in novo orbe, ob communicationem gratiarum omnium factam ab eodem *Paulo III.* ut testatur Cardinalis Burgensis in expressa concessione.

INDULGENTIA.

POssunt Patres in terris Infidelium Indulgentias Fidelibus concedere, ita *Innoc. IV.* Patribus Prædicatoribus *num.* 2. Et specialiter possunt Patres confessarij partium illarum in mortis articulo, indulgentiam plenariam concedere. *Sixt. IV.* Prædicator.

Omnes Religiosi, qui in qualibet utriusque Indiæ Regione, vel Oceani Insula, aut navigatione eundo, vel redeundo moriuntur, plenariam Indulgentiam consequuntur ad decennium: eandem gratiam ad duo alia decennia prorogavit *Greg.* Pontifex: ex *Compend. Societ.* Similiter, qui moriuntur in Florida, nova Hispania, Peru, & alijs Regionibus Indiarum transmarinis ad Regis Catholici, & Portugalliæ ditionem, in mortis articulo, indulgentia plenaria concessa est. *Pius V.* indulsit Religiosis, qui ad Indiarum conversionem proficiscuntur, quod in die quo se mari commiserint, & die in quo pervenerint, vel in itinere decesserint, indulgentiam consequantur in forma Jubilei.

Annotatio.

DUbitari merito potest, quæ Indulgentiæ sint illæ, quæ à Patribus possunt concedi, an plenariæ, an vero quadraginta dierum, quales solent ab Episcopis concedi: dubitationem vero auget, quod *Pius V.* in Bulla, quæ incipit, *Etsi Dominici gregis*; anno Domini 1566. edita, potestatem concedendi Indulgentias abrogaverit.

Respondeo tamen, Indulgentias possunt dare non solum Papa, sed etiam Episcopi, Abbates, ac alij Vicesgerentes, per ejus commissionem ac præscriptionem: & sic *Urban. V.* ut habetur in *Compendio privilegior. Ordin. Mend.* verbo *Indulgentia*, concessi, ut Generales, & Provinciales Ordinis Minorum, possent communicare Indulgentias, ac alia bona spiritualia, benefactoribus Ordinis: nec non Patres Prædicatores indulgentias ex commissione Pontificis suis auditoribus, & Confessarij pœnitentibus concedere solent. Quare non est mirum summum Pontificem commisisse Religiosis in Regionibus longinquis, ac inter Infideles conversantibus indulgentias plenarias concedere. Nec obstat *Pij V.* Constitutio, nam, ut optimè docet Pater Sotbus in *Compend. privil.* verbo, *Indulgentiæ, quoad seculares*, in ea tantum revocantur indulgentiæ continentes facultatem quæstiandi, & pro quibus portigendæ erant manus adjutrices.

Adhuc tamen non auderem affirmare, prædictam generalem concessionem dandi indulgentias extendendam esse usque ad plenarias, & ita tutius, ea non uti, erit.

INDULGENTIÆ PRO SÆCULARIBUS novi orbis.

PRæterea sunt aliquæ aliæ indulgentiæ concessæ sæcularibus in illis partibus degentibus, quæ omnes referuntur in *Compendio Indico Societ.*

In primis, ut quoties ij, qui verè pœnitentes, & confessi, sive firmum constituti a jure temporibus confitendi propositum habentes, aliquem ex infidelitate seu idololatria, ad veri DEI cognitionem reduxerint, toties plenariam indulgentiam, & plenarium jubileum consequantur: injuncta aliqua per confessarios salutari pœnitentia, super quo illorum conscientiæ oneratur; quicunque confessi & contriti tertiam partem Rosarij, aut unam Coronam pro ijs, qui in utriusque Indiæ navigationibus, aut expeditionibus contra Infideles, & alijs quibuscunque Fidelibus, qui in hujusmodi navigationibus in charitate decedunt, recitaverint; quoties id egerint, toties per modum suffragij unam ex dictis animabus à pœnis purgatorij liberabunt: dummodo per dictos defunctos non steterit, quo minus tempore periculi mortis peccata sua confiterentur.

Qui in quacunque utriusque Indiæ Regione, ob fidei defensionem, & propagationem, aut alio bello arma assumunt; in singulis hujusmodi expeditionibus, tam navalibus, quam terrestribus, dummodo peccata sua confiteantur, & (nisi legitimè impediti fuerint) Sacramentum Eucharistiæ sumant, plenariam indulgentiam consequuntur.

Omnes Christi Fideles utriusque Indiæ, & transmarinorum limitum, qui processionibus juxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum faciendis, ac supplicationibus Indorum, vel Æthiopum, seu quorumvis aliorum Neophytorum, vel aliorum Christianorum intererunt, & eas associabunt, Christianamque doctrinam cum eis recitabunt, vel privatim docebunt, quoties id fecerint, decem annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum consequentur.

MATRIMONIUM.

Religiosi possunt licentiam præbere, ut Infideles post conversionem maneant in eodem matrimonio conjuncti, quo erant ligati ante conversionem, dummodo non sit in gradibus jure divino prohibitis, vide *supra* verbo *dispensare.* Habent præterea authoritatem in partibus Infidelium de causis matrimonialibus legitimè cognoscere. *Innoc. IV.* Præd. & *Joan. XXII.* Minoribus.

In Angolia, Æthiopia, Brasilia, & alijs Indicis Regionibus possunt eosdem locorum Ordinarij, Parochi, & Presbyteri Societatis, ad confessiones audiendas, ab ejusdem Societatis Superioribus approbati, & ad dictas Regiones pro tempore missi, vel in illis admissi (& ex consequenti alij Regulares, qui eorum privilegia communicant,) dispensare, cum quibuscunque utriusque sexus Fidelibus,

delibus, incolis dictarum Regionum, & servis ad fidem conversis, qui ante susceptum Baptisma, matrimonium contraxerant, ut eorum quilibet, etiam superstite conjuge infideli, & ejus consensu minimè requisito, aut responso non expectato, matrimonia cum quovis, fideli alias tamen, ritè contrahere, & in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eis postea carnali copula consummata, quoad vixerint remanere, licitè valeant, dummodo constet etiam summaliter, & extrajudicialiter conjugem, ut præfertur, absentem moneri legitimè non posse, admonitumve intra tempus in eadem monitione præfixum, suam voluntatem non indicasse, ex *Compend. Indic. Societ.*

Annotatio.

QUI sint gradus lege divina prohibiti, quæstio est non parum difficilis apud Authores. P. Sanchez *lib. 7. Tomo de Matrimonio disput. 52. n. 10.* censet probabiliter in nullo gradu lineæ transversalis, etiam consanguinitatis, inter fratres, & sorores esse prohibitum jure divino Matrimonium, pro qua sententia quam plures adducit authores, & ex consequenti *n. 12.* (inquit) secundum hanc sententiam, quæ valde (inquit) probabilis est, Matrimonium inter fratres sola lege Ecclesiastica irritari, ac proinde postea ad fidem conversos, separandos non esse, imò & sanum esse consilium, si ad fidem conversi ægrè ferrent separationem, sequi hanc sententiam, & hanc jure ipso attento: quare in hac parte nullo opus est privilegio ad dispensandum secundum hanc sententiam.

Ipse verò Author contrariam sententiam probabiliorem censet, illique adhærer, scilicet, tale matrimonium jure naturæ, ac proinde jure divino esse prohibitum, & Infideles ad fidem conversos separandos esse; repugnat enim naturaliter matrimonio, primus gradus originis, ut cum sorore, noverca, ac multo magis cum matre, & filia, nepte, aut avia. Quamobrem in his gradibus contracta dissolvenda sunt. Ego vero existimo contrariam sententiam probabilem non esse, maximè post decretum Concilij Provincialis Limensis, in quo ex sententia *Pauli IV.* Pontificis, omnia isthæc matrimonia Infidelium, cùm Christiani fiunt, irrita fieri decretum est: at verò, quæ lege solum Ecclesiastica prohibita sunt, ut secundo, aut tertio gradu contracta, rata fieri, cum uterque baptizatur, cavetur, in *cap. Gaudemus de divortijs*: quare extra prædictos gradus, sive in recta, sive in transversâ linea, matrimonium ratum haberi debet. Religiosi in hoc non dicuntur in rigore dispensare, sed potius rata habere dicta matrimonia, quæ jure divino irrita non sunt.

Præterea oportet advertere, privilegium illud Religiosis concessum, ut tanquam Judices in causis matrimonialibus procedant, primo limitandum esse, pro terris, ubi Episcopi non sunt, ad quos pertinent hujusmodi causæ. Secundo, procedendum est in his causis Matrimonialibus, quales sunt circa divortia, adulteria, & similia, simpliciter, & de plano, sine tabellione, sine figura, & strepitu judicij: modo tamen pro viribus, & posse annitantur de veritate certiores fieri: ut optimè advertit Pater Sanchez *lib. 10. disput. 19. nu. 1.* & addit Religiosos illos, quibus Neophytorum ex Indis cura commissa est à suis Prælatis, habentque assensum Episcopi, ad utendum privilegijs sibi concessis, circa Indos, possunt in causis matrimonialibus, tanquam Judices in utroque foro procedere: & quamvis ut Judices procedant, oportere sine strepitu judicij ferre sententiam, aliaque facere simpliciter, & de plano.

Denique circa facultatem dispensandi Patribus Jesuitis concessam cum illis, qui ad fidem veniunt, ut non expectato conjugis consensu, possint matrimonium cum alijs Fidelibus contrahere, notandum est, quid de jure communi servandum sit, ut sic privilegiorum vis magis innotescat; Praxis de jure servanda breviter exprimitur, in Conc. Limensi 3. (à *Sixto V.* confirmato) *act. 2. cap. 10.* sequentibus verbis: De ijs, qui jam matrimonio juncti convertuntur ad fidem, conjuge adhuc infideli permanente, in superiori Conc. providè consultum est, ut si Infidelis quidem spem suæ conversionis maturam ostendat, Christianus nullo modo ad alias nuptias transeat: quemadmodum est sacris Canonibus definitum, sed conjugis lucrum in Christo expectet: si verò differat conversionem suam, neque tamen jam baptizato conjugi pernicioso existat, eum à fide avertendo, aut ad peccatum mortale pertrahendo, (cæterum id cum fit, sacri Canones eos necessario separandos volunt, & Christiano novi conjugij ineundi potestatem tribuunt) tunc, & expectandum adhuc esse per semestre tempus, & assiduè de sua interim conversione admonendum. Sed quoniam tum periculum recens converti cavendum est, ne si diu permanserit in toto infidelis, fidem Christi fortassis amittat, dum vult servare hominis tum vero libertati illius consulendum est, ne cælebs vivere cogatur, qui forsitan uritur. Idcirco decernimus, ut transacto sex mensium spatio res ad Episcopum deferatur, qui bene perspecta causa, Fideli declaret, copiam esse aliud matrimonium ineundi, propter fidei, aut charitatis scandalum, quod patitur. Quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, jubeat expectare infidelem: vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligit, juxta Pauli Apostoli consilium. Neque enim potest omnibus conversis eadem lex præfigi, cum occurrant profectò variæ circumstantiæ, neque sit omnium infidelium eadem ratio. Quare Episcopi prudentia in re dubia, ne graviter erretur, consulenda erit, & juxta *cap. Quanto, de divortijs*, cum casus acciderit, decernendum. Hactenus Conc. Limense.

MISSA.

POssunt Religiosi celebrare ante lucem per unam horam, si necessitas postulaverit, & per dimidiam horam post meridiem, *Clem. 8.* Carmel. Discalc. *n. 8.* & *Urbani VI.* Patribus Prædicatoribus, sine ulla limitatione. Insuper in locis, in quibus hospitari contingit, vel in locis, in quibus residentiam faciunt, possunt Missam, & cætera divina officia celebrare. *Innoc. IV.* Prædic. & *Joannes XXII.* Minor. vide *supra*, verbo *Communicare cum infidelibus.*

Annotatio.

CIrca horam celebrandi Missam, nota ampliora privilegia esse concessa communiter Mendicantibus: nam in *Compend. Privilegiorum*, (ut refert etiam Azor. *Tomo primo, lib. 10 cap. 25.*) Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium, Collectore Hieronymo à Sorbo Prædicatore Ordinis Capucinorum, in verbo *Missa*, post recitata privilegia, circa sacrificium Missæ faciendum loco, tempore, & modo non debito, ponitur annotatio, quæ sic habet:

Omnia supradicta privilegia dicendi Missam, quoad modum, locum & tempus, sunt jam per Concil. Tridentin. sublata, & præcipuè illa *Sixti quarti, Innocent. Octavi,* & *Leonis X.* quoad tempus, sed celebrati debet secundum Rubricas Missalis novi, juxta Constitutionem 118. *Pij quinti* in Bullario. Ibidem tamen subjungit Collector hæc verba: *Gregor. XIII.* anno secundo, concessit Congregationi Sanctæ Justinæ, ut dum in itinere fuerint constituti, possint Missam celebrare ante Auroram, & post mediam noctem, ut refertur in *Compend. privilegiorum S. Hieronym. folio* 50. Postea subjicit idem Collector: *Pius Quintus* concessit Societati JESU, ut refertur in *Compend. privilegiorum ejusdem Societatis*, in verbo *Missa*, §. 3. eandem facultatem pleniorem, ut possint celebrare per horam ante Auroram, & infra horam post meridiem, causa itinetis, vel legitimi alicujus impedimenti. Sic ille.

NOVITIUS.

IN illis partibus possunt recipi Novitij, etiam ad habitum, & professionem, non servata forma Constitutionis *Sixti V.* neque *Clem. VIII.* ut ipse concessit Carmelitis Discalc. *num.* 6.

ORDINES.

POssunt Diœcesani promovere Religiosos Societatis in India Orientali extra tempora, & aliquando ante ætatem legitimam; dummodo defectus ætatis requisitæ à Tridentino Concilio, annum non excedat, atque in ordinando videatur, quod cæteræ qualitates suppleant defectum ætatis. Ad duo decennia, hac facultate uti possunt Provinciales, ex *Compendio Indico.* Possunt etiam ordinari à Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis. *Innocent. IIII.* Prædicator. & *Clement. VIII.* Carmelitis Disc. etiam quocunque tempore, & non servatis interstitijs; sta tamen de causa, ab eorum Prælato examinanda, *Clement. VIII. num.* 18 Et dare licentiam, ut ordinentur illi omnes, de quibus dubitatur, an titè receperint Ordines Sacros, in quibus ministratunt, non servatis interstitijs.

Possunt Religiosi promovere ad minores Ordines omnes, etiam infideles convertos; *Innoc. IV.* Prædicatoribus, *Joannes XXII.* Minoribus. Hæc tamen privilegia conceduntur pro locis, in quibus non sunt Episcopi Catholici.

PRÆDICARE.

DE licentia Prælatorum Ordinis possunt Religiosi in Infidelium Regionibus quibuscunque, etiam Schismaticorum prædicare, *Clemens VIII.* Carmelitis, *num.* 3. & alij etiam Summi Pontifices.

Presbyteri Societatis, ac perinde Regulares, qui in eorum privilegijs communicant, qui semel ad prædicandum à Præposito Generali, sive ab aliquo Episcopo approbati fuerint, non tenentur ulteriorem licentiam, & approbationem ab alijs Episcopis petere, sed possunt absque illis prædicare, in utraque India, omnibusque Regionibus, & Insulis transmarinis, ad quos Hispani, & Lusitani penetrant, ad tria decennia. Ex *Compend. Indico.*

SACRAMENTA MINISTRARE.

CLEMENS VIII. Carmelitis Discalceatis, *Innocentius IV.* & Sixtus IV Prædicatoribus, aliisque Pontifices ampliſſimam facultatem Religiosis in Infidelium, & Hæreticorum terris, ubi Episcopi non sunt, Sacramenta omnia administrandi concesserunt. In partibus Indiarum possunt etiam Religiosi omnia Sacramenta Infidelibus, noviter conversis, administrare. Ita concessit proprio Motu *Pius quartus* F. Minoribus Conventus Mexicani, & Provinciæ Sancti Vincentij de Chiapa, novi regni del Peru. Concesit etiam *Paulus III.* Patribus Prædicatoribus Mexicanæ Provinciæ: ac *Pius quintus* concesit Fratribus Mendicant. Indiarum, ut in omnibus Monasterijs sui Ordinis, vel extra illa, in locis istarum partium ipsis deputatis, possint de licentia suorum Prælatorum, in Capitulo Provinciali obtenta, administrare indis omnia Sacramenta, prout hactenus consueverunt.

Annotatio.

HÆc privilegia administrandi omnia Sacramenta in illis partibus, refert Pater Emmanuel, *Tomo primo, quæst. regul. quæstione* 31. *articulo tertio*, & ut optimè advertit, causa, quæ movit *Paulum Tertium*, ad concedendum dictum privilegium, ea fuit, ut fides Christi, quæ speratur in his terris per prædicationem nostram, & Sacramentorum administrationem, cresceret magis, ipsis Fratribus prædicantibus, Sacramentaque administrantibus Infidelibus, & noviter conversis. Hæc autem causa, & ratio modo militat etiam in illis, qui per Fratres baptizati, & in illis, qui ex his descendunt, Nepotibus, vel Pronepotibus, dato, quod parvuli baptizati sint. Nam certè hujus fidei dilatatio, rebus ut nunc, nequit fieri, nisi Fratres prædicti prædicent, Sacramentaque administrent noviter conversis, & ab eis descendentibus. Quia licet in particulari noviter conversi dicantur, qui jam adulti sunt baptizati, nihilominus in generali considerantibus illam hujus novi Orbis Ecclesiam in DEO adunatam, omnes, & singuli illarum partium noviter conversi apparebunt. Cujus rei testimonium firmiter præstant, quotquot Patres graves, ex illis partibus ad has Hispaniarum partes ascendunt. Et quod dictis Patribus ea facultas concessa sit, probatur, quia idem *Paulus Tertius* concessit Fratribus omnia privilegia denovo, juxta favorabiliorem illorum interpretationem: ergo debemus interpretari per *Noviter conversos* etiam parvulos baptizatos, cum nomen hoc ferat hanc interpretationem, alias strictè interpretaremur. Hactenus ex prædicto Patre.

Advertit præterea præfatus Doctor, Patres solum posse baptizare in suis Ecclesiis, etiam in Civitatibus, & Oppidis, ut fit Mexici, & in alijs locis, quæ habent de visita, ut ipsi vocant; quare non licet eis in alienis Ecclesijs, nisi in proprijs, vel locis sibi deputatis, Sacramenta administrare. Ex his colligit dictus Pater Emmanuel, *articulo quarto*, ubi *supra*, privilegia *Leonis Decimi, Adriani Sexti* & *Pauli Tertij*, quæ fuerunt data in favorem fidei, & Indorum, in principio Conversionis illarum gentium, fuisse postea confirmata, & corroborata peculiariter: quod sanè intelligendum est, quoad ea Sacramenta, excepta Confirmatione, de hoc enim non licet dubitare maximè in terris, ubi adest Episcoporum copia.

VOTUM.

Annotatio.

Clemens VIII. num. 15. Carmelitis Excalceatis concessit, ut in Regionibus infidelium possint quæcunque vota, etiam solemniter jurata, (exceptis dumtaxat castitatis, & Religionis) ex aliqua rationabili causa, in alia pietatis opera commutare.

Idem iisdem Fratribus Carmelitis, *num. 17.* amplissimam fecit concessionem pro illis partibus, nempe ut super votis quibuscunque, etiam simplicibus Religionis, & castitatis, ex aliqua causa necessaria, vel rationabili, cedente in utilitatem conversionis animarum, possint dispensare.

PRIVILEGIA ALIA amplissima in generali concessa Regularibus.

Innocentius IV. & *Nicolaus IV.* Prædicatoribus, & *Joannes XXII.* Minoribus, in remotissimis Hæreticorum, vel Infidelium Provincijs existentibus facultatem præbuêre faciendi, quicquid ad augmentum Divini nominis, & ampliationem Catholicæ fidei pro loco, & tempore viderint expedire.

Adrianus Sextus, Fratribus Minoribus concessit omnimodam in utroque foro Papæ authoritatem: tantam, quantam judicaverint expedire pro conversione Indorum, & manutentione, ac profectu illorum, atque aliorum Prælatorum in fide Catholica, & obedientia Ecclesiæ Romanæ ex P. Emanuele *Tom. 1. quæst. regul. q. 31. art. 4.*

Paulus Tertius, Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto concessit Religiosis Mendicantibus, qui de licentia suorum Prælatorum proficiscuntur ad quascunque terras Infidelium, ad quamcunque mundi partem, ad eos convertendos, ut vadant tanquam Legati & Commissarij ejus, & eis concedit omnes gratias concessas à suis Prædecessoribus, illis, qui ad terras Infidelium vadunt. Ex prædicto Authore, *Tom. 2. quæst. 97. art. 2.*

Circa primam *Innocent. IV.* concessionem, imo circa omnes prædictas, quæ amplissimæ sunt (illis enim committitur Summorum Pontificum delegata potestas, & authoritas, qua possint Ministri in Regionibus illis, quæ magisterio Ecclesiæ non subduntur, ea facere sine limitatione ulla, & restrictione, quæ sibi viderint ad fidei propagationem, animarumque salutem expedire) notandum est: hanc amplissimam facultatem à Summis Pontificibus permitti, & concedi Religiosis, ut initio ejus collectionis monstravimus, non solum conveniens, sed & omnino videtur necessarium pro illis partibus, ubi nec Parochi, nec Episcopi sunt: nequead Sedem Apostolicam facilis est aditus. Quare ad providentiam Romani Pontificis, qui pastor est universalis animarum, spectat. Fidelibus in illis partibus existentibus providere, de omnibus medijs necessarijs, & convenientibus ad salutem: & ob similem causam Episcopis ultramarinis, maximè in remotis Indiarum Regionibus residentibus, amplissimam facultatem solent Summi Pontifices concedere; & ubi Episcopi non sunt, ipsis Religiosis, ne animæ auxilijs sufficientibus ad æternam fælicitatem juvantibus destituantur. Oportere tamen viros Religiosos magno cum judicio uti his concessionibus, & quantum fuerit possibile, non recedere à communi praxi, & stylo Ecclesiæ, alias graviter delinquent.

Præterea notandum est, prædictam concessionem esse unam ex majoribus, quæ posset à Sede Apostolica concedi: quare sine dubio censeo nulla ratione extendendam ad illa loca, ubi sunt Episcopi, & alij Ecclesiæ Prælati, nisi in illis casibus, in quibus ex mente Pontificis expresè colligitur: quicquid dicat Pater Emanuel Rodriguez, qui 1. *Tom. q. 31. artic. 4. & 2. Tom. quæst. 97. art. 2.* affirmare videtur hanc amplissimam facultatem, etiam esse extendendam ad Religiosos, nunc in Provincijs Indiarum degentes.

CATECHISMUS GENERALIS PRO OMNIUM SECTARUM CATECHUMENIS UTILISSIMUS,

Ab Illustrissimo Cardinale Sanctæ Severinæ compositus, hactenus tamen nunquam editus, & à nobis in compendium redactus.

CAPUT I.

Quo modo sit recipiendus, & examinandus, qui noviter fidem Christianam vult amplecti.

CUm adultus aliquis divinâ illustratus gratia, ex Gentilitate, seu Paganismo, vel Judaica perfidia, aut Mahometica, seu quavis alia infidelium secta, ad JESU Christi Domini nostri fidem venire proposuerit, à Sacerdote, vel Fidelibus, qui ejus conversionem noverunt, aut procurarunt, suadeatur ei, illico 1 ad Ecclesiam convolare, & adducatur ad Episcopum, si adsit, vel ad Sacerdotem, cui hoc munus incumbit. Is vero eum benignè suscipiat, & de ejus voluntate scisciteur, conditioneque, & statu, servusne sit, an liber: & exquirat causas ejus conversionis, quidve eum commoverit, ut veniret ad fidem; atque ij, qui eum adduxerunt, testificentur, fideliter singula exponentes.

1. Clem. l. 8 Constit. Apost. cap. 38.

Exquirat item ejus mores, & vitam, ac summa diligentia ejus animum explorer, An scilicet indignatione aliqua, vel injuria provocatus, an alicujus odio, vel amore ductus id faciat, an ut pœnam aliquam temporalem evadat, aut lucrum aliquod, vel beneficium temporale inopia pressus consequatur, an aliud quid humanum experat, aut animo conceperit; vel si servus est, an ut perveniat ad libertatem. Quod si bono eum spiritu duci cognoverit, 2 gratias Christo Salvatori cum eo agat, ac ipsum admoneat, ut 3 quamprimum ab Infidelium consortio, ne rursum eorum involvatur erroribus, secedat. Hoc autem si vel ægro animo ferre, vel aliqua ex parte durius accipere videatur, Sacerdos ei demonstret, infidelium consuetudinem saluti credentium non expedire, sed ab ijs prorsus recedendum esse dicente Propheta: *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini.* Idque etiam suadeat, tum ad obedientiam fidei, ad suæ salutis securitatem, promptè faciendum esse, exemplo Abrahæ amici Dei, cui cum Dominus vocans eum de Ur Chaldæorum, dixisset: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi, &c.* is statim omnibus derelictis, verbo Domini obtemperavit, quemadmodum scriptura subjungit: *Egressus est itaque Abraham sicut præceperat ei Dominus.* Neque enim salus venientis ad fidem in tuto esse potest, dum versatur inter infideles, qui quanto conjunctiores ei fuerint, tanto gravius ejus salutari proposito insidiabuntur, & obesse poterunt; juxta verbum Domini, *inimici hominis domestici ejus.* Et idcirco parentibus, uxore, & filijs, atque omnibus alijs posthabitis, DEI vocantis vocem sequendam esse, sicut idem Dominus in Evangelio docet: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et iterum: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.*

2. S. Dion. Areop. de Eccl. Hierar. cap. 2

3. Conc. Tolet. iiij. c. 9. & habetur 28. q. 1. cap. Judæorum filios Jerem. 50

Gen. 12 & Act. 7.

Matth. 10

Luc. 14.

Matt. 10

Ne autem ille consanguineorum aut aliorum suorum amissione aut separatione deterreatur, affirmet ei, pro carnalibus parentibus & consanguineis, præter Patres spirituales, ac fratres in Domino, quos propè innumeros in Christiana Religione comperiet, Patrem specialiter habitorum Deum. Sicut Apost. cum Prophetis clamat: *Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus; & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.* Quamobrem illum hilari, & constanti animo, magnaque in DEUM fiducia esse debere.

2. Cor. 6. Num. 16. Isaiæ 52.

Si vero eum non sincerè ad fidem venire perspexerit, moneat ne quem temporalem finem sibi, sed solam animæ salutem præponat, cum non ad temporalia, sed ad salutem animarum Baptismi Sacramentum institutum sit, ac propterea ne ficte aut fraudulenter accedat, sed anteactæ eum vitæ pœniteat, atque omnibus superstitionibus suæ ætatis abrenuntiet; si quidem ex Gentilitate venit, idolis & simulacris, illaque horrescat & detestetur; si vero ex Judaismo, Judaicæ perfidiæ & impie-

4. S. Clem. l. 8. constit. Apost. c. 38

pietati, si autem ex Saracenica, seu Mahometica Infidelitatis secta fuerit, præcipuè curandum est, ut non solum eidem sectæ expresè abrenuntiet, sed ipsi etiam Pseudopropheræ Mahometo, eumque ut impium hominem & seductorem detestetur. Et demum, si ex quacunque hæresi ad Catholicam fidem veniat, ac nondum rectè baptizatus sit, dictæ hæresi abrenuntiet, illamque, & omnem aliam detestetur & anathematizet.

1 S. Clem. ubi proxime, & S. Thom. in 3. p. q. 68. a. 4. & a. 8

Cum 1 vero existentes in peccato mortali, vel in peccandi proposito permanentes, nequaquam baptizari debeant; 2 Augures, Divinatores, Magi, Sortilegi, Malefici, & Incantatores, in Catechumenos non recipiantur, nisi Diabolicis ejusmodi artibus prius abrenuntient, atque earum execrabiles libros, & instrumenta corrumpant, destruant, atque comburant, qui etiam tempore probandi sunt; Ita nec Mimi, Histriones, aut Parasiti, qui ad libidinem & peccata provocant, nisi vanas has artes deserant. Neque 3 meretrices nisi meretricium; nec 4 lenones, nisi lenocinium deserant. Nec adulteri, fornicatores, aut concubinarij, nisi adulteras, scorta, vel concubinas ejecerint, aut dereliquerint. Neque fœneratores, & Usurarij, nisi à fœnore, & usuris penitus desistant; & illas, ac malè acquisita quæcunque restituant, aut saltem restituere proponant, cum certæ personæ extant, quibus restitutio facienda est. Neque 5 alij scelesti, & nefarij homines admittantur, nisi sua scelera detestentur, atque sinceræ pœnitentiæ signa ostendant.

2 S. Clem. eod. c. 38. & Conc. Eliber. c. 62. Tom 1. Conc.

3 Idem S. Clem. ubi sup. & Conc. Eliber. c. 10. & c. 44. & cap. 68

4 S. Clem ut. cap. 38

5 S. Clem. d. c. 38. Conc. Eliber. c. 73. & habetur 5. q. 6. cap. Delator.

Si is, 6 qui ad fidem venit servus fuerit, quæratur ab eo cujus Domini sit; ac si viri fidelis servus sit, & domini testimonio commendetur, recipiatur: sin minus, in eo recipiendo cautius agatur. Si vero servus fuerit alicujus Infidelis, recipiatur quidem, sed deinde instruatur quemadmodum serviat & placeat Domino suo, ne Christiana Religio inter Infideles blasphemetur.

6 Idem S. Clem. d. cap. 38.

Si fuerit miles qui accedit, doceatur nemini injuriam facere, 7 neminem percutere; non calumniari, contentum autem esse stipendijs suis; neque etiam contra Christianam, aut Catholicam fidem, aut ejus propugnatores militare; si parere noluerit, rejiciatur.

Luc. 3.

7 S. Clem. eod. cap. 38.

Invigilet autem potissimum Sacerdos, ne quis simulet se velle fieri Christianum, ut sub conversionis prætextu, aliquem ex catechumenis subvertat, & à fide seducat.

CAPVT II.

Examinata & approbata vocatione, quid agendum sit de filijs & uxore Catechumeni.

POst hæc si talem invenerit esse eum, qualem oportet, qui fidem expetit, & in proposito permanere; faciat ut is coram Notario, & testibus 8 det nomen suum declarans voluntatem suam, atque profitens se sponte Christianum fieri, & Ecclesiæ mandatis parere velle; ac si liberos habeat, aut alios suæ curæ commissos infantes, seu rationis usum non habentes, ut illos Ecclesiæ offerre, quandocunque illa voluerit baptizandos, etiamsi ipsum à sancto proposito, quod absit deficere contingeret.

8 S. Clem l. 3. Recogn. S. Dionys. de Eccl. Hier. c. 2. S. Siricius Papa in ep. ad Himerium Tarracon.

Quod si habuerit uxorem, aut liberos, sive alios similiter suæ curæ commissos, in discretionis ætate constitutos, sive majores infantibus, sive proximos pubertati, sive etiam puberes, minores tamen 25. annis, qui adhuc de suscipienda Christi fide non deliberaverint, ij ab Infidelium cohabitatione, & consuetudine amoveantur, & apud fideles Christianos moribus & vita probatos, sejuncti ab invicem in domo aliqua, vel alio loco tuto sequestrentur, quo Infideles quicunque accedere, aut ipsos quovis obtentu alloqui prohibeantur, sed ibidem à Presbyteris, & Religiosis personis sæpe visitentur, eisque veritas fidei Christianæ, ex Scripturis sanctis, ex Religionis ipsius Sanctitate, & miraculorum gloria aperiatur, & prædicetur.

c. 2. Tom. 1. Conc.

Super hujusmodi autem de suscipienda fide deliberatione, non est præfiniendum certorum, aut quadraginta dumtaxat dierum spatium: cum enim ad conversionem prolixiore tempore plerumque opus sit, eorum judicio ac prudentiæ, qui in illorum conversionem incumbunt, relinquendum est, ut pro eorundem dispositione, longiori, aut breviori eos tempore detineant, prout secundum DEUM viderint expedire. Quod si interim convertantur, & declaraverint se Christianos fieri velle, tunc ab hujus declarationis die numerandi sunt quadraginta pœnitentiæ, seu institutionis, ante baptismum dies, aut plures, prout ad eum suscipiendum idonei censebuntur, ut & infra dicetur.

Si antequam convertantur aliqua signa, seu indicia proximæ conversionis dederint, quamvis aliquamdiu sic detenti fuerint, non facile postulantibus, aut urgentibus parentibus, aut consanguineis, dimittantur, sed adhuc per aliquot dies retineantur, quoad de eorum salute benè sperari potest.

9 Conc. Tolet. 4. c. 56. Tom. 2. Conc. & habetur dist. 45. c. de Judæis.

Dum autem sic ad conversionem detinentur, præsertim qui Judæi sunt, legitima sua, & cæremonias servare non prohibeantur, dummodo non propter Pascha, nec propter alias superventientes solemnitates legales, ad Infideles redire, aut Infideles ad ipsos accedere permittantur, sed si ea servare voluerint, domi, ubi detinentur, soli servent: ita tamen ut nec azyma, neque alia edulia prohibita à Christianis, eis administrentur. Et interim ex scripturis Prophetarum ipsis ostendatur, ad ea servanda Judæos amplius non teneri, quodque hujusmodi observationes legales Messiæ adventu, velut umbræ exoriente sole evanescere debebant, & evanuerunt. Cæteris autem cujuscunq; sectæ Infidelibus, ex ipsius sectæ falsitate, cæremonias illas impias & inanes esse superstitiones, quibus alligatos eos Satan in errore detinet, demonstretur. Proponaturque eis verus DEI cultus in Spiritu & veritate; nam & tales vult DEUS cultores, qui in spiritu & veritate, non in mendacijs & erroribus colant & adorent eum.

10. S. Greg. lib. 2. Regist. ep. 15 ad Pamach. Episcopum Neapol. seu c. 25. & habetur dist. 45. Qui sincera 11 Idem S. Greg. l. 7. ep 5. seu c. 5. ad Januar.

Dum etiam sic detinentur, 9 nulla eis, ut ad fidē convertantur, vis aut injuria inferatur, 10 neq; durè aut asperè, sed humaniter & benignè tractentur, ac eis omnia necessaria largiter administrentur. Quin & ab eis, 11 cum omni benignitate, mansuetudine, & charitate potius voluntas exquiratur, quam coactè extorqueri videatur.

Episcopū Calar. 12. Conc. Tol. 4. c. 26. & habetur 28. q. 1.

Uxor conversi, si post omnem adhibitam diligentiam ad fidem venire noluerit, sed obdurata in infidelitate permanserit, dimittatur: caveat autem vir, nec unquam libellum repudij secundum legem Mosaicam tradat; alioquin si id faceret tanquam judaizans puniri deberet. Neque 12 cum ea cohabitet, 13 propter periculum subversionis fidei, & blasphemiæ ac contumeliæ in Creatorem; nisi propter spem, & certa indicia futuræ conversionis uxoris, Prælatus sincera Mariti fide & stabilitate

Judæi. 13. Si infidelis 28. q. 2. & cap. Quanto. de divortiis & S. Th. in 4. dist. 39. q. 1. art. 2.

1 Greg. Papa 9. Decret. cap. Ex literis de conversi. Infid.

litate confisus, id ei ad tempus judicaverit concedendum. Quod etiam servandum erit, si uxor conversa fuerit ad fidem, & vir permanserit infidelis.

Concil. Tolet. 3. c. 14. tom. 2. Conc. Tol. 4. c. 62. quod habetur 28. q. 1. c. Judæi.

Neque 1 filij infantes, aut lactentes apud matrem, quæ à viro fideli decesserit, relinquantur, propter periculum; ne eorum scilicet saluti, aut vitæ insidietur, neve eos educando ad infidelitatis errorem adducat; sed sub patris conversi, aut eorum, qui Catechumenis præsunt, cura sit, ut apud mulieres Christianas non suspectas alantur, atque in fide educentur.

2 Citat. c. Judæi ex Conc. Tol.

Si autem uxor convertatur ad fidem, & vir maneat in infidelitate, ipsa quoque dabit nomen, & coram Notario, & testibus se 2 Christianam fieri declarabit, ac filios, & alios, si quos habet suæ curæ relictos, infantes, seu nondum usum rationis habentes, Ecclesiæ, ut supra offeret baptizandos. Qua quidem declaratione facta, statim filij & alij

3 Conc. Tol. 4. c. 59. & habetur 28. q. 1. cap. Judæi.

prædicti, opportuna adhibita cautelâ, 3 auferantur à patre vel alijs Infidelibus, & apud eam, vel in domo Catechumenorum, vel alibi apud Fideles educentur, ac fidei mysterijs, quantum per ætatem licebit, instituentur, atque una cum matre, cum opportunum fuerit, baptizentur.

Lactentium vero puerorum ratio, & diligens cura habeatur, ut propter ætatis imbecillitatem, ac periculum eorum Baptisma non differatur, sed citius etiam ante matrem ipsam, baptizentur.

Minores etiam filij, alijque illius curæ concrediti, itidem sequestrentur, ut eorum de fide suscipienda voluntas exploretur, quemadmodum viro veniente ad fidem faciendum esse superius dictum est.

Pueri autem, qui parentibus infidelibus sunt orbati, si consanguineos proximiores ex linea paterna, vel materna Christianos habeant, veluti fratrem, sororem, patruum, amitam, avunculum, materteram, aut alium ulterioris gradus masculum, vel fœminam, apud eos gradus tamen inter ipsos Fideles prærogativa servata, educentur, & baptizentur.

Denique illud generaliter servandum est, ut in pari gradu, favore fidei, nulla habita sexus ratione, potior sit conditio consanguineorum Fidelium, quam infidelium; ita, ut verbi gratia, amita vel matertera Christiana, patruo, aut avunculo Judæo, aut alterius sectæ infideli, semper præferatur.

Ad hæc pueri in septimo, vel circiter, ætatis anno constituti, qui se usu rationis pollere ostendunt, ad fidem sponte venientes, recipiantur inter Catechumenos, & aliquam diu probentur; eorumque voluntas coram Episcopo, vel personis non suspectis, si parentes eorum infideles urgeant, aut ipsorum conversioni contradicant exploretur.

4 Citat cap. Judæorum 28. q. 1.

Qui si in proposito permanserint, 4 nullo modo illis reddantur, sed baptizentur, & in Christiana pietate instituantur.

Si fide dignorum testimonio, pueros hujusmodi, aut aliquos adolescentes, vel puellas, vel alios quoscunque fidem expetere, & à parentibus prohiberi, vel propinquis, aut propterea domi inclusos teneri, vel quovis modo impediri constiterit, ab eis abducantur, & in domo Catechumenorum, aut alio tuto & honesto loco sequestrentur, ubi in fide instruantur, & ad eos non permittantur accedere infideles, neque aliæ quævis suspectæ personæ.

Mulieribus etiam quæ Christianam fidem suscipere cupiunt, sed ob parentum, vel consanguineorum Infidelium timorem, vel reverentiam, aut ob fœmineam verecundiam non audent domo egredi, aut accedere ad Ecclesiam, & declarare se velle fieri Christianas, si per litteras, aut internuntios, aut alio quovis modo, suam voluntatem indicaverint, auxilium afferatur, & de propria domo, etiamsi tunc, ne se prodant suis, aut alia de causa, renuerent vel reclamarent, 5 amoveantur, & in domum Catechumenorum, aut in alium tutum & honestum locum ducantur, ubi apud pias & honestas personas reneantur, & exploratæ deinde atque compertæ earum libera voluntate suscipiendæ fidei, in ea diligenter & religiosè instruantur.

5 Conc. Tol. citatus cap. 59.

6 S. Clem. lib. 7. Apost. c. 39. quomodo oporteat Catechumenos instrui, & S. Dionys. de Eccl. Hierar. 2. facere eis quod habetur in ordine baptismi tempore Sacerdotis arbitrio.

CAPVT III.

De habitu, quo sunt induendi Catechumeni, & de loco ubi sunt instituendi, & de tempore Catechesi necessario.

POstquam igitur aliquis ex Infidelibus venerit ad Ecclesiam, Baptismi gratiam petens, ac nomen dederit, seu suam declaraverit voluntatem, ut supra, 6 Sacerdos DEO, quod istum ad se vocaverit gratias agat, & oret, ut dirigat voluntatem ejus, & oculos cordis illuminet, ad intelligenda mirabilia sua & judicia justitiæ suæ, ut odio habeat omnem viam injustitiæ, & ingressus viam veritatis idoneus fiat lavacro regenerationis, in adoptionem filiorum DEI, & in libro viventium connumeretur. Et mox faciat ut capitis regumentum, sive aliud signum, quod ad distinctionem Christianorum deferebat, abjiciat, & habitum induat quem Fideles solent. Tum eum admoneat, ut 7 abrenuntiet Diabolo, & omnibus ejus operibus, fraudibus, & machinationibus, ac omni impietati, &c. & 8 credat in DEUM Patrem omnipotentem, & in JESUM Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum, unum DEUM in trinitate personarum. 9 Postea exufflet ab eo sævam maligni spiritus potestatem, dicens (*Exi ab eo spiritus immunde*, &c.) & 10 Cruce signet eum in fronte, & in pectore dicens: (Accipe signum Crucis tam in fronte † quam in corde †, &c, & imponat manum super eum, & 11 dicat aliquam orationem. Ac deinde is 12 introducatur in domum Catechumenorum, & inter Catechumenos Ecclesiæ adnumeretur, & in libro describatur.

7 S. Clem. lib. 3. const. Ap. c. 16. & lib. 7. c. 40 & 41. Rabanus de inst. Cler. lib. 1. ca. 27. & habetur de consec. dist. 4. c. Primum & refert S. Anastas. 2. p. hist. s. 4. c. 1. parag. 1. & Rabanus cit. cap. 27.

8 Ibid. Habetur de consec. dist. 4. c. Postquam.

10 Rabanus ibid. & de consecr. dist. 4. c. Postea signatur. Et S. Antonin. ubi supra.

11. Rabanus cit. c. 27. & S. Antonin. ubi supra.

In ea autem domo 13 Sacerdos catechizet eum divinis sermonibus, & det ei monita salutis, quemadmodum post agnitam veritatem vivere debeat, & 14 sæpius exorcizet aliquibus exorcismis.

Domus autem Catechumenorum in præcipuis urbibus, & insignibus oppidis, ubi Judæi, alijque Infideles habitant aut commorantur, institui debet, cui viri Religiosi, & exploratæ fidei in rectores,

12 *S. Clem. l. 2. recogn. in fin. S. Basil. ser. 1. de Baptis. p. 2.* 13 *Liber Sacramentorum Vatic. M. S. & ordo Rom. M. S. Achil. statij.* 14 *Raban. cit. c. 27. de Consec. dist. 4. c. Debinc. Et S. Antonin. ubi sup. S. Siricius PP. in epist. ad Himerium, Tarrac. c. 2. tom. 1. Conc. Celest. PP. 1. ep. 1. ad Episc. Gall. c. 12. eod. tom. 1. Conc. S. Leo PP. in epist. 4. ad Epis per Siciliam constitutos cap. 6. & epist. 80. alias 78. ad Episcopos per Campaniam, &c. eod. tomo 2. Concil.*

res,& ministros præficiantur. In 1 ea vero fœminæ à maribus, pueri ab indultis, viri ab uxoribus diversas atque distinctas mansiones habeant, ac his Presbyter probatæ vitæ, & doctrinæ constituatur Catechista, qui eos assiduè in fide erudiat; ad Ecclesias ut ibi orent ducat, cum ipsis sæpe colloquatur de rebus ad fidem & salutem pertinentibus, atque eis explicet ea, quæ in Ecclesijs conspiciuntur, circa externum cultum, altaria, sacras imagines, & ornamenta.

Ex ea autem domo, dum in pœnitentia, & Catechismo degunt, raro, & non nisi rationabili causa Catechumeni egredi permittantur, nunquam vero soli, sed semper cum comite fideli; neque suos, vel alios infideles adire, neque per viam eos alloqui, neque 2 cum eis cibum sumere, aut negotia tractare sinantur.

Neque vero infideles permittantur ad domum Catechumenorum accedere, sed cum eam præterreunt, procul inde recedere confestim jubeantur.

Interim in ipsa domo Catechumeni otiosè ne vivant, sed horis quibus catechizantur, & discunt ea, quæ oportet, exceptis, in exercitatione aliqua corporali, vel arte quam callent, vel in domus obsequijs occupentur.

Ubi autem Catechumenorum domus nulla est, majores & adulti mares detineantur apud Fideles, & timoratos viros, vel in aliquo Monasterio, vel domo probatorum Monachorum, aut aliorum Regularium: fœminæ vero apud nobiles, & honestas Matronas. Minores autem, & impuberes similiter apud pios viros, vel apud probas & Religiosas mulieres sequestrentur, fide, & moribus instituendi. His quoque eruditus aliquis & pius Sacerdos in Catechistam præficiatur, qui eos frequenter invisat, & catechizet.

Tempus autem Catechismi licet 3 quadraginta dierum spatio soleat definiri, experientia tamen docet, quæ & 4 sacris canonibus consona est, diuturniorem Catechismum valde utilem esse ad Baptismum dignè recipiendum, & postmodum eo recepto in Christiana disciplina perseverandum. Qua in re habenda est ratio personarum venientium ad fidem. Nam illis 5 qui antea benè conversati fuerunt, & ab his, qui foris sunt, bonum testimonium habent, quique docilitatem & pietatem præ se ferunt, quadraginta dierum catechismus sufficiet, ac interdum brevior, si ipsi ante quadraginta dies satis idonei sint, & justa de causa ita fieri expediat, de licentia tamen Ordinarij, aut alterius Superioris. Qui vero rudiores & non adeo dociles, sed tardioris ingenij fuerint, ad rudimenta fidei addiscenda, atque ad ea, quæ ipsos scire oportet percipienda: similiter, & qui malis moribus præditi fuerint, quamvis hebete ingenio non sint, & bene omnia, quæ ad doctrinam Christianam spectant, didicerint, ut si superbi, elati, contentiosi, contumeliosi, vaniloqui, seditiosi, inobedientes, indevoti, simulatoresve, aut rerum temporalium nimium cupidi fuerint, qui denique pristinos mores, & vitia adhuc retinent, hi non sunt tam facile baptizandi, sed expectandum, donec priore vitæ consuetudine derelicta, profectus in eis circa bonos mores, & doctrinam evidentius dignoscatur.

Infidelium quoque 6 Sacerdotes & Magistri, & hi, qui superstitionibus suæ sectæ adhuc videntur addicti, tamdiu probentur, quoad illas deseruerint, & à se penitus abdicarint.

Rabbini 7 vero Judæorum, qui antea divinas scripturas scrutati, per eas illuminati fuerint, ac bonis moribus alioqui pollent, non tam longo indigent Catechismo; nisi forte & ipsi cæremonijs & ritibus Judaicis nimium dediti sint: quia tunc diutius in Catechismo, donec ab eis dissuescant, retinendi sunt.

Qui à partibus infidelium ad Regiones Christianorum, ut Baptismum suscipiant venerint, diligenter examinentur, & diu probentur. Ac si vernaculam linguam Christianorum ejus Provinciæ, ad quam pervenerunt, non intelligant, per Clericos idoneos, & interpretes Christianos, qui eorum linguam probè norint, in fide & moribus instruantur: si autem interpretes desint, eousque in Catechismo detineantur, dum linguam ejusdem Provinciæ intelligant, & interim eorum Baptismus, nisi necessitatis casus occurrat, differatur. Verum ubi Presbyteri & Clerici desunt, nihil impedit, quo minus 8 fidelis laicus, peritus tamen sermonis, & moribus gravis, adhibeatur, qui illos privatim doceat, & catechizet.

Hortandus est autem, qui Catechumenis erudiendis vacat, ut hoc catechizandi munus, adeo illorum saluti necessarium, libenti promptoque animo administret, ac alijs etiam 9 bonis operibus anteponat.

Qui metu ultimi supplicij, aut alterius pœnæ temporalis vitandæ causa Christianam fidem amplexi sunt, aut amplecti volunt, longiori tempore quoad licebit sunt probandi; & nisi ex indulgentia Principis, aut Magistratus pœna fuerint liberati, apertè eos moneri oportebit, Baptismi Sacramentum, pœnam non remittere temporalem, nec sibi ad Ecclesiam confugiendum esse spe immunitatis, sed ut sempiternam pœnam evadant, accepta per Baptismi lavacrum remissione peccatorum, & ab omni reatu mundati vitam consequantur æternam. Atque hi quidem in carcere & tuto loco catechizentur, humaniterque tractentur; ac si veræ pœnitentiæ, & recti in fide propositi signa ostenderint; Sacerdotes, vel qui Catechumenorum curam gerunt, pro eis apud Principes & Magistratus intercedant, ut in susceptæ fidei, & suscipiendi Baptismi reverentiam, ultimum eis supplicium, vel pœna temporalis remittatur, aut saltem in mitiorem commutetur.

Servi similiter diu probentur, & edoceantur, per Baptismum ipsos à temporali servitute Dominorum non liberari, sed à servitute diaboli, & peccati, ut Christi servi efficiantur, cui servire regnare est. Verumtamen eorum Domini moneantur, ut eos tanquam æterni Domini conservos 10 benignius tractent, & statis diebus, in domum Catechumenorum, vel ad Ecclesiam mittant, ut catechizentur, ac eos à fide non deterreant, vel avertant, neve ullo modo impediant; alioqui quod de fide malè sentiant, redderent sese suspectos.

Si 11 Catechumenus uxorem habet, aut Catechumena virum, doceatur uterque suo connubio contentus esse. Si sint soluti, discant non fornicari, sed post acceptum Baptisma, nisi cælibatum amplecti, & se continere maluerint, justis nuptijs in Domino copulari.

Si quis autem ex Mahometica, vel alia secta, qua plures uxores ducere & habere licet, Christo nomen dederit, aut dare voluerit, admoneatur, illud neque naturali, neque divino, aut humano jure fas esse; ac proinde prima tantum uxore, si legitimè ducta fuerit, retenta, reliquas dimitti oportere: quod si fecerit, & illa fidem susceperit, matrimonium inter eos ratum erit: ac si alias dimittere noluerit, inter Catechumenos non recipiatur.

1 *Cyril. Hieros. in præfationi in Catech.* 2 *S. Clem. l. 2. recogn. in fin. facit Conc. Agathen. c. 40. & habetur 28. q. 1. cap. Omnes deinceps.* 3 *S. Siricius Papa in ep. ad Himerium Episc. Tarrac. c. 2. tom. 1. Conc. S. Greg. PP. lib. 7. Regist. epist. 24. ad Fantinum defens. & habetur de consec. dist. 4. c. Ne quod abijs S. Hier. in epist. ad Pammachium adversus err. Ioan. Hieros. tom. 2. Apist. Et S. Cyril. Hierosol. in præf. Catech.* 4 *S. Clem. l. 2. recognit. & l. 8. constit. Apost. c. 28. Tertul. lib. de Baptis. adv. Quintillam cap. 18. apud Jac. Pamelium to. 3. S. Conc. Nicen. 1. can. seu c. 2. tom. 1. Conc. Constantinop. VI. Syn. can. 95. to. 2. Conc. Eliber. c. 4. 11 & 42. Agathen.* 5 *Conc. Eliber. c. 4.* 6 *Idem Conc. Eliber. c. 4.* 7 *S. Clem. l. 8. const. Apost. c. 38.* 8 *S. Clem cit. c. 38.* 9 *S. Clem eod. c. 38.* 10 *S. Clem ibidem.* 11 *Idem S. Clem. eod. c. 38.*

CAPVT IV.

De præparatione generali ad Baptismum, Catechumenis persuadenda.

1. S. Clem l. 3. Recogn & l. 7. const. Apost. c. 23. Tertull. l. de Bapt. advers. Quintillam c. 20. tom. 3. apud Jacobum Pamelium S. Greg. Naz. orat in S. Baptisma. S. Siricius PP. epist. ad Himerium Tarracon. c. 2 tom. 1. Conc. S. Leo PP. ep 4. ad episc Siciliæ c. 6 & epist. 80. alias 78. Ad Episc. Campaniæ.

QUo tempore Catechumeni in Catechismo, & probatione sunt, doceantur non temerè, non inconsultè, non imparati ad Sacramentum Baptismi accedere, sed juxta illud *Actuum Apostol.* cap. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum*, debere retroactæ vitæ pœnitere, novam inceptur os; quamobrem, & in primo scrutinio, cinere in pœnitentiæ signum conspergantur. Hanc autem præ se ferre etiam debent & operibus, & exterioribus signis, nempe humili ac modesto habitu, abjectisque pretiosis vestibus, & curiosis. Itaque ad balnea, theatra, ludos, spectacula, & hujusmodi loca non accedant, ac ab omni specie mali abstinentes, sobriè, piè, & castè vivant, & à propriis etiam uxoribus se contineant.

2 Concil. Neocæsarien. c. seu can. 5. Conc. Nicenum c. seu can. 14. alias 13. tom. 1. Conc. & refertur à Conc. 6. Carthagin. in ep. ad Bonifac. Pap. 1 cod. tom 1. Conc. Concil. Elib. c. 68.

Præterea 1 crebris orationibus, geniculationibus, lacrymis, vigilijs, jejunijs, & similibus pœnitentiæ operibus, quæ in Baptismo adultorum ex antiquo Ecclesiæ more præmitti consueverunt, assiduè vacent, pauperum misereantur, eleemosynas secundum facultates sibi à DEO datas largiantur, & in alijs pijs charitatis officijs se exerceant, atque semetipsos in omnibus probent. In Catechesim animum intendant, & quotidiè congruo tempore, mane scilicet, & vespere instruantur. Ecclesiam frequenter adeant, in qua tamen seorsum ab alijs Fidelibus orent, & missæ tantum Catechumenorum intersint.

3 S. Cyrill Hierosol. in procatechesi ante fin. 4 S. Siricius, & S. Leo Papa in supra citatis epist.

Si quod 2 grave peccatum interim admiserint, correctioni, & coërctioni subjiciantur sui Rectoris, seu Præfecti, qui juxta delicti qualitatem in eos animadvertat, ea tamen moderatione, ne pœnæ acerbitate deterreantur, ac à fidei proposito recedant.

Si tentatione aliqua, dum in Catechismo sunt, à fide defecerint, & ad infidelitatem redire voluerint, non statim propterea dimittendi sunt, sed aliquantisper detinendi. Interim vero piorum virorum suasionibus, hortationibus, & oratione detur opera, ut resipiscant, qui si nihilominus sanis sermonibus non acquiescentes, in infidelitate perstiterint, abire sinantur.

Liberi vero eorum, & alij, quos Ecclesiæ Christiana fide imbuendos obtulerunt, retineantur, & baptizentur, si nondum fuerint baptizati; nisi sint adulti, & ipsi fidem suscipere renuant, ac recedere velint.

Propter 3 tentationes autem, quas Catechumeni frequenter patiuntur, eos sæpe exorcizari 4 oportet, eisque à presbytero sæpe manus imponi: curandumque est, ut pro ipsis in Carechumenorum domo & Ecclesia, ac in alijs Ecclesijs, Monasterijs, & pijs locis assiduæ orationes fiant. Sed & ipsi moneantur, ut cum de incredulitate tentantur, vel modicæ se fidei esse agnoscunt, ad Christum conversi sæpius dicant: *Adjuva Domine incredulitatem meam.* Item, *Adauge Domine fidem.* Atque humiliter & instanter orantes, stabilis fidei donum petant. Et si quando à malignis spiritibus eos corripi, & vexari contingat, quod nonnunquam evenire solet, similiter super eis imponantur manus, & fiant exorcismi, & orationes.

Cum Catechumenis præterea mitius agendum, non asperè, nec durè tractandi sunt, neque ea, quæ provectiorum in fide, ac perfectiorum sunt, eis facienda statim proponi debent, juxta illud Apostoli ad Corinthios: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Tanquam *parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.* Neque etiam Christiana perfectio ab eis exigenda est, juxta sententiam Salvatoris: *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, & pejor scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt: sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.* Sed paulatim Christianam perfectionem edocendi sunt, & interim quædam ipsorum imperfectiones, quoad in Christiana pietate coalescant, Christi exemplo, qui diu Discipulos suos sustinuit, tolerandæ sunt. Qua in re imitandus est etiam Apostolus, qui ait, *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Quapropter in principio Catechumeni ad ea, quibus nondum assuefacti sunt, aut quæ alioquin ipsis sunt difficilia, nimis urgeri, aut cogi non debent, modo absit contemptus, aut superstitio.

1. Cor. 3. Matth. 9. 1. Cor. 9. 5 Fasc. Conc. in cyrac. cap 13. juxta 1. Nic. 14. juxta 2. & 3. Ancyranum tom. 1. Conc. Mart. Brac. in collect. can. Grat. Synodum. 58 tom. 2. Conc. & habetur apud Gratian. dist. 30. can. ult. Can. Brac. 1. 6. 1 4. tom. 2. conc. Concil. Gangrens. can. 1. tom. 1. Conc. 65. Clem lib. 7. constit. Apost. c. 23. & 40. S. Basil. ser. de Bapt. p. 1. & 2. S. Hieron Matth. c. 28. tom. 6 Rabanus de instit. Cleric. c. 1. de Baptism. Sacram.

Qui itaque flexis genibus orare assueti non fuerint, non diu in genuflexione, donec sic orare assuescant, detineantur.

Ad carnium, aut aliarum escarum sibi olim Religione, aut lege vetitarum esum, qui ad eas nundum assueti in ijs sumendis nauseam patiuntur, eos compelli non oportet: sufficiat 5 autem, si illas interim degustent, aut olera cum ipsis cocta comedant, ne eas abominati, aut execrari, aut propter conscientiam eis vesci nolle videantur: vel si saltem alios cibos in Christianorum, aut valis decoctos, aut parinis appositos, non rejiciant, aut discernant. Ita & in consimilibus casibus, qui Catechumenis præsunt, omni cum charitate, & discretione erga ipsos, ne linum fumigans extinguant, probè ac prudenter se gerant.

CAPVT V.

De doctrina fidei proponenda, tam doctis, quam rudibus; etiam de ordine quo est declaranda.

QUoniam vero ante Baptismum ea, quæ credere, & quæ servare debent, edocendi sunt, juxta præceptum Domini, dicentis Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Ideo in Catechismo Sacerdos primum Catechumenos instruat de mysterio sanctæ Trinitatis, illud eis planè ac simpliciter exponens: non arduas disputationes, non difficiles, aut perplexas Theologicas quæstiones, quibus vel confundi, vel de fide dubij reddi possent, proponet.

Deinde

Deinde eos doceat ex Moyse & Prophetis, ex Apostolis & Evangelistis, omnipotentem DEUM omnia per Verbum sibi coæternum & consubstantiale, hoc est, unigenitum Filium suum, tam visibilia, quam invisibilia initio creasse, atque ex nihilo condidisse.

18. Clem lib. 7. constit. c. 39. Explicet autem eis casum Angelorum, & ordinem creationis, & divinam in creaturas providentiam, cur mundus conditus, cur homo creatus, quomodo gratia, & arbitrij libertate donatus, & in paradiso colonus positus, quomodo invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, & primi parentes ab eo seducti, DEI præceptum prævaricantes, per inobedientiam ceciderunt, & quomodo originale peccatum, ab Adam in posteros omnes, perpetua damnatione transmissum est; nam sicut ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

Eccli. 25. Sap. 2. in fin. Rom. 5.

Postea vero doceat, quomodo DEUS, qui dives est in misericordia, statim post Adæ peccatum promiserit se missurum Christum, ut serpentis caput contereret, id est, ut diaboli regnum, quod in humanum genus sibi iniquè usurpaverat, destrueret, & nos à potestate tenebrarum eriperet, & transferret in Regnum suum, & ipsum deinde omnibus sequentibus sæculis usque ad ejus adventum repromiserit Patribus per Prophetas, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ut merito dicat Apostolus; *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia: ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam.* Ac tum opportunè eorundem Prophetarum divina oracula, & prædictiones de ejusdem æterni Verbi unigeniti DEI filij Domini nostri JESU Christi incarnatione, nativitate, prædicatione, virtutibus, miraculis, alijsque operibus, passione, morte, sepultura, resurrectione, & in cœlum ascensione, de Spiritus sancti missione, Apostolorum in toto orbe terrarum prædicatione, gentium vocatione & conversione, deq; e futuro judicio, & futura omnium resurrectione, de secundo Christi adventu ad vivos & mortuos judicandos, de promissione & spe vitæ æternæ, de retributione unicuique rependenda, juxta opera sua, de futura gloria, de igne & alijs gehennæ pœnis, & æterna reproborum damnatione. Catechumenis fideliter exponat, atque ita paulatim eis explicet mysteria regni cœlorum.

Rom. 5.

28. Clem d. cap 39. Pontific. Armenic. majus in ordine Catechis.

Verum quemadmodum Ethnicis & Infidelibus divina mysteria propalanda non sunt, dicente Domino in Evangelio: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*; ita cum Catechumenis magna cum discretione agendum est, ut juxta Sanctorum Patrum documenta, & traditionem, non omnia præsertim sacratiora quædam fidei mysteria eis aperiantur, quod ea, vel non capere, vel impossibilia reputare, aut irridere facile queant, 3 sed ea tantum, quæ in vulgus efferri fas est, & non credentibus tuto prædicari possunt. Quæ autem reconditiora, & magis mystica sunt, post Baptismum cum jam intra Ecclesiam fuerint, commodius poterunt edoceri, 4 quæ & ipsi apud se occulta, & clausa tanquam sigillo obsignata custodiant, nec infidelibus prodant.

Matth. 7.

38. Greg Naz. orat in Baptism. & Nicetas ibid. in sum.

4 Ex eisdem S. Greg. & Niceta.

Si qui vero Catechumenorum ea mysteria, 5 quæ seu nosse seu non intelligere quærant, fides & humilitas eis commendanda, & inculcanda est testimonijs scripturarum, cujusmodi est illud Rom. 1. *Justus ex fide vivit.* Et illud Isaiæ 6. *Nisi crediderit, non intelliget.* Item Joan. 20. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Et illud Eccli. 3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcipit tibi DEUS, ita cogita semper, & in pluribus operibus ejus, ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium ea, quæ sunt abscondita videre oculis tuis.* Et enim Prov. 25. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Sunt præterea confirmandi antiquorum Patrum exemplis, qui non quærentes rationem eorum, quæ à DEO jubebantur, humili, & constanti in eum fide, imperata faciebant, atque ita illustria & admirabilia opera ediderunt, quorum etiam præclaræ fidei exempla Apostolus commemorat in *Epistola ad Hebræos.* 6 Ac proinde hortandi, monendique sunt, ut ea, quæ de fide Trinitatis, & humani generis redemptione per Christum, ac de spe futuri sæculi eis tradita sunt, fideliter credant ac teneant, scientes, quod si prius crediderint, omnia postmodum suo tempore intelligent; & quando sublimitatem eorum, quæ eis non traduntur didicerint, tunc planè cognoscent idoneos non esse Catechumenos ad ea audienda.

5. Amb. l. de initiandis c. 2. n. 4. & c. Chrysost. hom. ad baptizandos. tom. 5.

68. Cyril. Hierosol. in prælat. catech.

Sed & si qua proprio sensui repugnare, aut eis impossibilia fortasse videbuntur, admoneantur, ut captivantes intellectum in obsequium fidei, quæ eis credenda proponuntur firmiter credant, quia *non est impossibile apud DEUM omne verbum*, & quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

Cæterum dum catechizantur, instituendi 7 sunt non solum doctrina fidei, sed etiam disciplinarum, & pietatis, ac confirmandi exemplis, ex gestis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, Anachoretarum, & aliorum sanctorum petitis, quod ea plurimum conferant ad ædificationem fidei & veræ pietatis, atque ad imitationem provocent, ut & ipsi per Baptismum deinde renovati, & sanctorum imitatores, quantum Dominus dederit, effecti, ejus vitæ usum teneant, quæ ablutos decet, ac tales se in posterum præbeant, quales oportet esse Fideles in Christo renatos.

7. S. Amb. in lib. de initiandis c. 1. tom. 4

Catechumenos, qui ingenio perspicaci, & intelligentiores sunt, Presbyter catechizet in fide ex divinis scripturis, juxta modum servatum à sanctis Patribus. Eruditiores quidem Catechista Theologus in fide plenius edoceat, at infirmos, & quorum animos nutare intelligit, erigat atque confirmet.

Catechumenos quoque de Judaismi, aliarumque eorum olim sectarum erroribus admonear, & tam ex sacris literis, quam ex varijs veterum & sanctorum Patrum libris ac Tractatibus, præsertim vero adversus Judæos & Gentes conscriptis, quorum aliqui inferius commemorabuntur, earum falsitatem redarguat, ac refutet, & fidei veritatem astruat. Et ad tollendas de eorum mentibus falsas, si quas olim imbiberunt, de humana anima opiniones, doceat eos, rationalem animam non corpoream, sed spiritualem esse substantiam, & immortalem, intellectus, memoriæ, & voluntatis potentijs, quibus ad imaginem DEI creata est, præditam, & alia hujusmodi, quæ ad errores refellendos noverit accommodata.

In primis autem eos doceat, quomodo se signo Crucis signare debeant, ducta scilicet dextra manu à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum simul dicendo, dum tangunt frontem (*In nomine Patris*;) dum pectus, (*Et Filij*:) dum sinistrum & dextrum humerum, (*& Spiritus Sancti.*)

39. Clem lib. 7. constit. c. 39.

Exo. dic. 12. in Biblioth. tom. 7. & 6

Sancti. Tum eis ostendat ejusdem signi vim, atque virtutem adversus dæmones, & contrarias potestates, quod videntes signum summi Regis expaveſcant, & territi, ac confusi procul aufugiant. Quare eos moneat, ne Crucis signum erubeſcant, sed sibi illud in fronte sæpissimè, & confidenter inprimant, & in eo etiam maximè glorientur, juxta illud Apostoli: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri* JESU *Christi*; & id quod cantat Ecclesia: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri* JESU *Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem salvati, & liberati sumus.* Doceatque eos, ideo in fronte, quæ sedes est pudoris, hoc signum fieri, ne Fideles Christi Crucem, quæ antea opprobrio erat, erubeſcant. Hortetur igitur illos, ut publicè & privatim salutari signo crucis se muniant, cum cubitum eunt, cum surgunt, cum domo prodeunt, cum Ecclesiam intrant, cum orare incipiunt, & desinunt, cum opus aliquod aggrediuntur, cum iter suscipiunt, cum equum, aut navim conscendunt, cum aliquod eis periculum impendet, aut pavor occurrit, aut cum cibum, vel potum sumpturi sunt, & in omni denique negotio & actione.

1. S. Cyril. in catechesi 4. de ascens. Galat. 6.

Symbolum Apostolorum eis sæpius exponat, primum simpliciter, deinde pro ipsorum audientium captu luculentius, tum ex Symbolo Nicæno, & Constantinopolitano, quod cantatur in missa, & ex Symbolo Sancti Athanasij Alexandrini, tum etiam ex Sanctis Patribus.

Explicet quoque eis orationem Dominicam, & singulas illius petitiones, & ubi videbitur ad ipsorum audientium ædificationem confetre posse, ex Sanctis Patribus in eorum Commentarijs, vel proprijs opusculis ac sacris interpretibus Divinorum eloquiorum, atque ex ipso item Catechismo Romano.

Eandem vero orationem, & symbolum ipsi Catechumeni memoriæ mandare, & sæpius recitare studeant.

2. S. Basil. serm. 1. p. 2. de Baptis.

Doceat præterea Catechumenos 2 Præcepta Decalogi, Dilectionis DEI & proximi, ac legis naturalis erga proximum, virtutes Theologicas & morales, Beatudines, Fructus Spiritus, Opera misericordiæ corporalia & spiritualia, & Evangelica consilia.

3. 8. S. Basil. ibid.

Doceat item eos de peccatis capitalibus, & mortiferis, ut ea vitare sciant, ac 3 ab his imposterum abstineant, prout tenentur quemadmodum & cæteri Fideles: de corporis sensibus, ut eos à peccatis custodiant: de inimicis hominibus: de quatuor novissimis, atque alijs, quæ ad Christianæ vitæ institutionem pertinent.

Insuper eos doceat, omnipotentem & misericordem Dominum non modo ut DEUM & Creatorem, verum etiam ut Patrem, & humani generis Redemptorem, specialem curam atque providentiam de Electis suis, & in se credentibus habere: quod ostendet exemplis & authoritatibus Scripturarum utriusque instrumenti: præsertim vero Psalmographi dicentis: *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus; ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Et rursus: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Item, *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Itemque, *Multæ tribulationes Justorum, & de omnibus his liberavit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.* Ac rursus: *Novit Dominus dies immaculatorum, & hereditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.* Et infra: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet. cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Idemque confirmabit verbis Christi in Evangelio cum ait; *Nonne duo passeres asse veneunt? Et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro: Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.* Et demum; *Capillus de capite vestro non peribit.* Quod & in Martyrum & aliorum Sanctorum gestis mirificè elucet. Ac proinde eos, ut in DEO omnem spem, omnemque fiduciam collocent, admonebit.

Psal. 32. Psal. 33. Ibid. Psal. 33. Matt. 10. Luce 21.

Eos etiam doceat, quæ dum initiantur discere, ac per se ipsos, cum interogati fuerint, respondere debeant: 4 quid item in Baptismi Sacramento renunciandum, quidve credendum sit, 5 oportere primum eos discedentes à fidei contrarijs abrenuntiare Diabolo, deinde Christo se adjungere, ipsius fidem profitentes, ac ita prius de corde omni impietate ac malitia expulsa, veram pietatem amplectentes, mysteria ingredi, & ad Baptismi gratiam accedere, sanctaque percipere debere. 6 Renuncietur autem Diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Opera vero Diaboli opera carnis esse intelliguntur, quæ sunt homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & alia his similia, quæ nimirum Diabolico instinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quam opere perpetrentur. Pompæ vero ejusdem, sunt superbia, jactantia, elatio, vana gloria, fastus, & alia quam plurima, quæ ex his oriuntur.

4 Concil. Turon. 3. cap. 12. & Conc. Mogunt. 2. sub Ludovico Rege & Rabano tom. 3. Conc.

5 S. Clem. l. 7. const. Apost. c. 40. & 42.

6 Concil. Turon. 3. c. 8. & Conc. Mogunt. 2 sub Rabano cap. 3.

Det autem operam prudens Catechista, ut omnia, quæ Christianæ Fidei repugnant, aut 7 disciplinam impediunt, removeantur, ac de eorum cordibus funditùs evellantur; ut his, quæ sunt Religionis & pietatis rectè imbui possint.

7. Basil. serm. 1. parte 2. de Bapt.

Quocirca moneat eos, ut auguria, auspicia, divinationes incantationes, sortilegia, omnes denique superstitiones tanquam Diaboli commenta, & machinationes vitent: sectentur vero sincerum Religionis cultum, veritatem justitiam, misericordiam, abstinentiam, verecundiam, pudicitiam, castitatem, mansuetudinem, benignitatem, & reliquas Christianas virtutes, ut mentis humilitatem, oculorum modestiam, linguæ continentiam, sensuum mortificationem, corporis castigationem, superbiæ compressionem, cogitationum puritatem, iræ moderationem, patientiam in tribulationibus, DEI & sibi præpositorum jussionibus promptè & humiliter obedire, non reddere malum pro malo, non ulcisci, sed potius benefacere malefacientibus, inimicos diligere, orare pro persequentibus, injurias æquanimiter ferre, non jurare, non mentiri, non fraudare, non contumelias inferre, nec turpia aut stulta, aut scurrilia loqui, aut facere, neminem calumniari, aut circumvenire, neque aliud quicquam illicitum perpetrare, ac omnes præterea pravos habitus, & malas consuetudines abjicere: Moriendum enim sibi esse peccato, vivendum autem DEO. Nam & tunc digni erunt in nomine Trinitatis baptizari, ac superna regenerari virtute, si & vitia, & pristinum vivendi modum, & locum, & præteritæ vitæ socios mutent, ut spiritu viventes Christum indui mereantur, quemadmodum dixit Apostolus Gal. 3. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Gal. 4. Pet. 5.

Si

Si quis interdum Catechumenorum per animi elationem dixerit, aut significarit, nolle se una cum reliquis Catechumenis, aut cum pauperibus, vel illis, aut illis, sed vel solum, vel cum certis quibusdam tantum baptizari, docendus erit *Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam*; ac proinde Sanctum baptismi lavacrum non fastum, aut arrogantiam admittere, sed pœnitentiam requirere & animi humilitatem, 1 neque alienum à dignitate sua debere putare eum, qui divitijs affluit simul cum paupere baptizari, cum obscuro nobilem, herum cum eo, qui sibi servus fuit. Nemo enim unquam tantopere se demittet, quantopere Christus, in quo baptizatur quicunque salutaribus aquis intingitur, sese dejecit, qui salutis nostræ causa servilem quoque formam assumpsit.

Si quis præterea ambitione ductus, insinuaverit se non à deputato Presbytero, sed ab Episcopo tantum, aut magno aliquo Prælato, sive etiam eximiæ sanctitatis sacerdote, Baptismi Sacramentum suscipere velle; doceatur 2 eum, qui curatione indiget, de judicibus sibi judicium arrogare non debere, nec eorum à quibus purgatur, dignitates, prætaque anxiè & morosè disquirere; & quamvis, 3 alius alium probitate vitæ, aut gradus dignitate præcellat, eandem tamen cujusque Baptismi in Sanctæ Trinitatis nomine collati, vim esse. Baptismus 4 namque talis est, qualis ille est, in cujus potestate datur, non qualis est ille per cujus ministerium datur. Et 5 ideo si unus à vino justo & sancto baptizetur, alter ab alio inferioris meriti apud DEUM, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ, unum tamen, & par est, & æquale quod accipiunt, 6 quia per ministros dispares DEI munus æquale est, cum non illorum sit munus, sed ipsius Christi, 7 qui principaliter baptizat.

CAPVT VI.

De susceptione Baptismi, & de alijs prævijs dispositionibus ad illum.

Doceat quoque eos ad pœnitentiam superioris vitæ, quæ exigitur ante Baptismum, probè tenendam, ut 8 contritionem, vel saltem attritionem habeant omnium peccatorum ac delictorum, quæ contra DEUM, & proximum commiserunt, ut ea nimirum ipsis displiceant: & 9 si qui spiritus fervore, seu devotione sibi, vel alteri presbytero peccata, quæ hactenus admiserunt, confiteri velint, audiantur; non 10 quidem, ut eorum absolutionem accipiant, sed ut 11 sic ea sentio & ex animo se odisse, perspicuum faciant, atque ex hujusmodi humiliatione, & pudore se magis idoneos præstent ad Baptismi gratiam recipiendam, vel ut ad peccata vitanda remedia suscipiant, aut spiritualis vitæ præceptis informentur.

In hujusmodi autem Confessione non 12 oportebit omnia singillatim peccata, neque omnes illorum circumstantias confiteri, sicuti in Sacramentali Confessione fieri debet; sed graviora tantum sat erit enarrare. Etenim 13 nec eis ulla per Presbyterum satisfactio, seu pœna imponi, 14 neque absolutio impendi debet; 15 verum si vel famæ, vel bonorum restitutionem certis personis facere tenentur; is eam pro loco & tempore faciendam imponat.

Cum Baptismi tempus institerit, Sacerdos instruat competenter de Sacramento, & de ejus ad salutem consequendam necessitate, vi, 16 utilitate, & effectu: & quod sicut docet B. *Cyrillus* 17 *Hierosolymitanus*: Magnum est sanè propositum hoc Baptisma; Captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad cœlum, deliciæ paradisi, regni cœlestis conciliatio, charismaque adoptionis filiorum. Et *S. Gregorius* 18 *Nazianzenus*, Baptismus est splendor animarum, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad DEUM integratio, Baptismus infirmitatis nostræ adjumentum; Baptismus carnis est abjectio, Spiritus affectatio, verbi participatio, figmenti instauratio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum depulsio, Baptismus vehiculum ad DEUM; Peregrinatio cum Christo; fidei adminiculum; mentis perfectio; cœlestis regni clavis; vitæ commutatio, servitutis abrogatio; vinculorum solutio, compositionis & coagmentationis nostræ in meliorem statum conversio. Quodque demum Baptismus omnium DEI beneficiorum præclarissimum, & præstantissimum est: ut enim quædam Sancta Sanctorum vocantur, & Cantica Canticorum; quod scilicet latius pateant, ac plura complectantur, præcipuamque dignitatem habeant, eodem modo Baptismus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes sanctitate præcedat. Hæc & alia similia ex sanctis Patribus illos edoceat.

Hortetur insuper eos, ut ad sacrum Baptisma firma & constanti fide accedant, atque id simplici & puro corde, ac sincera mente, quemadmodum divina gratia renovandos oportet, suscipere studeant, ut gratiam quæ cuivis non ponenti obicem confertur, inde consequantur in remissionem omnium peccatorum, juxta quod scriptum est* : *Sentite de Domino in bonitate, & simplicitate cordis, quærite illum, quoniam inveritur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Et paulo post†: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Ac idcirco caveant ne 19 fictè, sim ulatè ad illud accedant, ne omnipotens DEUS tanto scelere offensus, ab eis graves pœnas, magnamque exigat ultionem.

Jejunium quoque ante Baptismum, ex veteri more triduanum, aut biduanum, vel prout videbitur, & sine intermissione oratio eis indicatur, ac sedulò admoneantur, ut ad sacra mysteria suscipienda parati sint.

Et ad extremum (quoniam post Baptismum confirmandi sunt, & communicare debent) de Sacramentis Confirmationis, & sacræ Eucharistiæ, quantum eorum statui & capacitati convenit, instruantur.

Interea vero parentur eis vestes albæ, ut his susceptio Baptismo mox indonantur, quas si qui ob paupertatem sibi comparare haud commodè possint, vel Præfecti domus Catechumenorum, vel loci Ordinarius sua pro pietate illas eis undecunque poterunt comparandas curabunt. De alijs, quæ observari debent ante ipsam, & in ipsa Baptismi sumptione, dicemus *cap.* 21.

CA-

Sap. 1. †Ibidem. 19. *De fictè accedentibus 1. q. 1 cap. Sicut. Ex S. Aug. l. 1. contra Donatist. c. 12. & idem Aug. l. 5. de Bapt. contra Donat. c. 20. & de consec. dist. 4. c. quomodo exaudit. & l. 7. de baptis. contra Donat. c. 53. De consec. di. 4. c. Solet etiam quæri. Innoc. III in c. Majores paragr. Item quæritur de Bapt. ismo.*

1. S. Greg. Naz. in orat. in S. Baptis. parag. Nihil progressionem tuã. 2. Idem Naz. ibidem paulo supra. 3. Ibidem paulo infr 4. S. Aug. in Joan. tract. 5. tom. 9. & habetur de consec. dist. 4. c. Baptism. 5. Idem in Joã. tract. 6. eod. tom. 9. 6. Ide. l. 3. contra Cresc. Gram. c. 6. tom. 7. & habetur de consec. di. 4. c. Si inter bonos. 7. S. Aug. tract. 4. 5. & 6. in Joan. c. 1. tom. 9. Beda in hom. de Epiph. 8. c. Tres sunt in princ. de pœnit. dist. 1. & c. Quis aliquando paragr. è contra ead. dist. 1 & c. Omnis qui. & duobus. seqq. de consec. dist. 4. S. Thõ. in 3. p. q. 68. art. 5. & 6. & c. Dom. Soto in 4. dist. 5. q. un. art. 6. concl. 1. 9. S. Thõ. ubi supra ar. 6. & c. Dom. Soto ubi proximè.

10. Card. Cajet. in S. Thõ. cit. art. 6. & Dom. Soto ubi sup. 11. S. Greg. Naz. in orat. in. S. Baptis. 12. S. Thõ art. 6. Dom. Soto d. art. 6. 13. S. Anb. in epist. ad Rom. c. 11. super verb. sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, & habetur de consec. dist. 4. c. sine pœnitentia. S. Thõ cit. q. 68. art. 5. & 6. Dom. Soto in 4. cit dist. 5. q. un. art 5 14. Card. Cajet in D. Thom. cit art. 6. & Dom. Soto cit. q un. art. 6. 15. S. Thõ. cit. q. 68. artic. 5. ad 3. & Domin. Soto in 4. cit. dist. 5. q. un artic. 5 in respons. ad. 3. 16. S. Greg. Naz. orat. in sanctum Baptisma. 17. S. Cyrill. in Procatechesi sin. fin. hæc tribuit Baptismi Sacramento commoda. 18 Idem Gregor. ibidem.

CAPVT VII.

De necessitate Catechismi pro Neophytis, & quid ante omnia scire, & credere oporteat.

CUM adultorum Baptisma non modo 1. præcedere, verum etiam sequi debeat doctrina fidei, juxta illud quod Dominus post verba 2. Matt. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* subjunxit; *docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis:* & is 3. qui catechizatur, etiam post Baptisma magna probatione indigeat; Neophyti non simul ac baptizati fuerint, quocunque voluerint passim ire, vel cum laicis liberè conversari, aut extra domum Catechumenorum, seu Neophytorum habitare permittantur; sed saltem per quadraginta dies in eadem domo, vel ubi ejusmodi domus non existit, apud easdem apud quas catechizati fuerint, vel apud alias pias probatasque personas retineantur, ut de his quæ post Baptismum servare debent, & de reliquis, quæ ad fidei doctrinam, atque ad spiritualem vitam sobriè, justè & piè ducendam spectant, adhuc instituti & edoceri possint, ac ita instituti, inprimis vero Sacramentis, & verbo DEI vegetari & enutriti, tanquam novæ plantæ in Ecclesia coalescant, & in suscepta fide solidius confirmentur, & cum ad humanæ vitæ negotia dimissi fuerint, velut arbores altis defixæ radicibus, à ventis & turbinibus tentationum non facilè quatiantur aut convellantur.

Per id vero temporis à Præfectis suis, vel Patrinis, vel Matrinis ad stationes, & ad præcipuas Civitatis Ecclesias quoad commodè poterit, ducantur; orationi & cælestium rerum meditationi vacent, factis Missarum solemnijs, ac alijs divinis officijs reverenter interfint; conciones audiant, & lacte spiritualium consolationum, tanquam parvuli nutriantur; peccata sua Sacerdoti Confessario eis assignato sæpius confiteantur. Singulis item quibus Albas deferunt diebus, deinde vero Dominicis, aliisque festis præmissa Sacramentali peccatorum confessione judicio Confessarij, Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum devotè sumant, ut salutari sacri Dominici pabulo confirmati, solidius in fide roborentur.

Per idem quoque tempus, juxta *Carthaginensis 4 Concilij* monita, à lautioribus epulis, & spectaculis, & conjugibus, abstinere moneantur.

Interim vero eis historiæ quædam sacræ de 5. gestis Patriarcharum, Propherarum, aut aliorum Sanctorum veteris testamenti ac de Actibus Apostolorum, aut moralia quædam ex libris Ecclesiastæ, 6. Proverbiorum, Sapientiæ, Ecclesiastici, & similibus, quæ ipsorum ædificationi conducunt prælegi vel explicari possunt.

Deinde, ut susceptorum mysteriorum rationem intelligant, & divinam gratiam sibi collatam clarius agnoscant, unde ferventiores effecti assiduas DEO gratias agant, Catechista eis 7. cæremoniarum & rituum, qui tam in exorcismo & Catechismo, quam in ipso Baptismo adhibentur significationes & mysticas rationes, & cur baptizandus oleo sancto ungatur, & ter mergatur in aqua, aut ea perfundatur, in 8. nomine personarum S. Trinitatis: cur Chrismate inungatur in vertice, cur etiam ab Episcopo confirmetur Chrismate in fronte, & Dominici corporis particeps fiat pro loco & tempore, ac pro ipsorum docilitate & ingenio explicet atque interpretetur ex sacrosanctis Scripturis, Epistolis præsertim beatorum Apostolorum PETRI & PAULI.

Hæc autem eis jam baptizatis ac fidelibus 9 non ante Baptismum explicanda sunt, Nam 10 quæ ad Sacramentorum rationem pertinent, Catechumenos audire non congruit, sed suscepto Baptismo Neophytos, ut alios Fideles. Tunc 11. enim cum facile intelligant suaviusque degustent, tempus admonet ipsis divinæ gratiæ splendore magis illustratis, fidemque perfectius assecutis, de 9. mysterijs dicere, & eorum edere rationem, quam nondum initiatis antea insinuari, nec utile, nec oportunum fuisset.

Tunc itaque Catechista de præceptis, ac reliquis omnibus Ecclesiæ Sacramentis, eorum numero, & virtute Neophytos edoceat, ex Patribus & Theologis, ex sactis Oecumenicis Conciliis, Florentino & Tridentino, atque ex Catechismo Romano.

CAPVT VIII.

Non sufficere Baptismum, nec fidem in Christo, nisi simul adsit observantia mandatorum, carnis & passionum mortificatio.

UT autem, quæ post Baptismum eis servanda sunt, doceantur, faciendos diligenter instruat eos de his, quæ agere & servare, quæque cavere debent. Primum admonebit, ut singuli 12. meminerint se Christi fide percepta, præstantissimum nomen una cum antiquis Sanctis & Patribus sortitos fuisse, & idcirco Christiano cognomine, quod à Regio Christi nomine deductum, in salutaris lavacri Sacramento acceperunt, glorientur, & hoc usque in finem firmum, intemeratumque servare contendant, gaudentes in se illud Isaiæ vaticinium esse completum: *Et servos suos vocabit nomine alio*, hoc est, nomine Christiano, quo nunc omnes servi Christi se vocari lætantur. *Neque enim nomen aliud sub cælo datum est, in quo oporteat nos salvos fieri.* Unde & Propheta subsequenter adjungit: *In quo qui benedictus est super terram benedicetur in Deo, Amen.*

Verum ne putent hujus tanti Christiani nominis professionem sibi sat esse ad æternam vitam comparandam; nisi & huic nomini divina præcepta observantes, vitæ pietate & bonorum operum exercitatione respondeant, sicut ipse Dominus contestatur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem,* & quæ sequuntur. Ac iterum: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Et B. Joannes Apostolus: *Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observamus. Qui dicit se nosse*

DEUM,

1. S. Basil. ser. 1. de bapt. p. 1. & 2.
2. S. Hier. in comment. in Matt. cap 28.
Tomo 6. & legitur pro hom. in Brev. Rom. pontif. fer. 6. in Alb.
3. Conc. Nic. 1. c. 2. tom. 1. Conc. & dist. 48. cap. 1. ita & non absimiliter
Inno. III. ad Livonen. Episc. & eos qui cum eo sunt fratres, c. Deus de pœnit. & remiss. &
Patres Conc. Basil. sess. 19 in Decr. de Judæis & Neoph. parag. Curent insuper. Et ex eis Paul. PP. III. in litteris in forma Brevis de Judæo & infid. venientibus ad fidem parag. Curent insuper.
4. Concil. Carthag. 3. c. 86. tomo 1. Conc. & apud Gratian. de consecr. dist. 5.
5. S. Ambr de initiandis cit. c. 1. tom. 4. & in l. de Sacram. tod tom.
6 S. Ambr de initi-

andis c. 1.
7. Ex Pontif. Armenio majori in ordine Catechismi
8. Pont. Armen. ubi prox. me.
9. Explic. ritus Pontif. & explicatum S. Ambros. l. de initiandis c. 1. & eidem Ambr. lib. de Sacram. initiandis tom. 4. Cyrill. Hierosol. Catech. 1. Chrysost. in hom. ad baptizandos n. 5. S. Greg. Nyss. in Baptismum. Basil. ubi supra. S. Aug. in Enchir. cap. 1. Beda in hom. de circ. Dom. tom. 7. & S. Cyrill. Hierosol. Catech. 12 Isaiæ 65. Act 4. Isaiæ 65.
Matt. 7.
Joan. 15.
1. Joan. 2

DEUM, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.

1 Chrysost. homil. 2. in Matth. c. 3. tomo. 2. & aug. de fide ad Petr. c. 3. tom. 3. sed & hoc ipsum docet S. Chrys. hom. 9. in c. 1. Joan. tom. 3. 3. Reg. 19. 1. Cor. 10

Neque 1 arbitrentur sibi Baptisma sufficere, si post illud malè vivant, & ad peccata redeant, ne se vocatos esse ad humanæ vitæ commoda, & solas tutes, aut ad carnis & sæculi voluptates: Non enim inquit 1. Thessal. 4. Apostolus, *vocavit nos DEUS in immunditiam, sed in sanctificationem*; ac idcirco eis opus esse multa industria & pietate multaque virtute, Job. 7. *Militia enim est vita hominu super terram*; & grandis adhuc eis restat via. Nam quemadmodum filij Israel postquam de manu Pharaonis, servitute Ægypti liberati sunt, & mare rubrum transierunt (in quo omnes, Apostolo teste, baptizati fuerunt) non statim in terram promissionis à Deo perducti sunt, sed per XL. annos in deserto morantes, post multa prælia inita, & calamitates perpessas; variis tentationibus antequam ad eam tandem perveniret, probati sunt: ita & de servitute Diaboli liberatos, & renatos fonte Baptismatis, in hoc sæculo ad Dominum peregrinantes multipliciter probari oportet, donec ad terram viventium, & cælestem Hierusalem Fidelibus promissam pervenire mereantur (non enim ignavos, formidolosos, desides, & otiosos vult Dominus milites suos, sed solicitos, magnanimos, strenuos, & laboriosos) interim 2 tamen formidantes, ne cadant, cum timore & tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus, in oblationibus, in jejunijs & castitate.

2 Ex Conc. Tr. sess. 6. c. 13

3 Concil. Trid. sess. 5 in decr. de pec. orig. Rom. 8. 2. Tim. 2. Jacob. 1.

Sed & eos moneri oportebit, quod quamvis à fomite, seu carnis concupiscentia, quæ baptizatis relicta est ad agonem, se assidè oppugnari sentiant: 3 tamen illi per JESU Christi gratiam fortiter restiterint, aut non consenserint, ipsis nocere non valer, nec imputabitur ad culpam, juxta Apostolum dicentem: *Nihil ergo damnationis est ijs, qui sunt in Christo JESU, qui non secundum carnem ambulant*; quinimo qui legitimè certaverit, coronabitur. Quod si carnis illecebris & tentamentis cedant, suum peccatum DEO omnium bonorum Auctori, qui odit peccatum, & peccatores, ne impiè tribuant, sed sibi ipsis, suoque consensui & voluntati, sicut beatus Jacobus dicit: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à DEO tentatur: DEUS enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat*; *Unusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum concepérit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.*

4 Conc. Trid. sess. 6 in decr. justif. c. 11 & Can. 19. & 20

5 Conc. Trid. ibid. c. 16. & can. 26 & 32.

6 S. Greg PP. hom. 29. in Marc. ult. recumbentibus unde cim, &c. quod & similiter docet Chrys. hom. 9. in Joan. c. 1. tom. 3. ibi. Nolimus igitur, nolimus inquam, &c.

Tum quoque Catechista de observantia mandatorum edocebit eos, quod 4 teneantur ad eam omnes adulti baptizati, illaque habeat Christi gratia 5 promissionem æternæ vitæ, Domino dicente, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et iterum Luc. 10 *Hoc fac & vives.*

7 Conc. Trid. sess. 6 in decr. justific. c. 11. & ibid can. 19. & 20.

Quare nec 6 eorum quisquam apud semetipsum dicat, *Ego jam credidi, salvus ero*: nam nisi fidem operibus teneat, fallitur evidenter: vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis docet, moribus non contradicit. Ac tunc veraciter fideles erunt, si quod verbis promiserunt, operibus impleant. Cum autem ipsi in die Baptismatis omnibus satanæ operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promiserint, unusquisque in suam memoriam revocet, ut post Baptismum fideliter servet, quæ spopondit ante Baptismum.

Nemo itaque 7 quantumvis justificatus liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet. Nemo item sibi de sola fide blandiatur, ratus sola se fide hæreditatem esse consecutum, etiamsi Christo non compatiatur, ut glorificetur: *Nam & Christus ipse (ut inquit Apostolus) cum esset Filius DEI, didicit ex ijs, quæ passus est obedientiam, & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Item Princeps Apostolorum Petrus. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.*

Philip. 2. Hebr. 5. 2. Petri 1.

8 Conc. Trid. sess. 6 in decret. justif. c. 10 & can. 31 Jac. 2. Ephes. 2. Psal. 83. Ephes. 4. 2. Corint. Rom. 6. Apoc. ult. 6 Apoc. 18. 6

Ac proinde 8 ipsi Neophyti moneantur, *ut in Baptismate justificati, & amici DEI ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renoventur*, ut Apostolus docet, *de die in diem, hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibenda ea arma justitiæ in sanctificationem per observationem mandatorum DEI, & Ecclesiæ, in ipsa justi ia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescant, atque magis justificentur*, sicut scriptum est: *Qui justus est, justificetur adhuc.* Et iterum: *Ne vereare usque ad mortem justificari.*

9 S. Basil serm. 1. de Baptis. p. 2. & Conc. Tr. in dec. justific. sess. 6. cap. 11 Joan. 14. Ibid. Ibid.

Mandatorum autem 9 & præceptorum observantiam, augmentum esse dilectionis nostræ, ergà se Dominus sæpe definivit, dicens: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Et iterum: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo.* Et rursus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

CAPVT IX.

De dilectione Dei, & proximi, de patientiæ bono, & præmio bonorum operum.

PRæcipuè autem eos doceat Catechista, ut dilectionem erga DEUM & proximum habeant, juxta præceptum: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum sicut teipsum*, ut in initio ordinis Baptismi eis proponitur. Et juxta id quod de proximo diligendo Dominus, nocte qua tradebatur, mandavit, dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Et iterum, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Item Joan. 15. *Mando vobis, ut diligatis invicem.* Sed & illud certissimum est, sine 10 charitate cætera DEI dona, atque virtutes inutiles reddi, ipso Paulo Apostolo dicente: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etsi tradidero corpus meum ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Luc. 10. Matth. 22 Marc. 12 & Deut. 6 & 11. & 13. & 30. Luc. 10. Matth. 19 & 22.

10 S. Basil. ser. 1. de Baptis. p. 2. 1. Cor. 13

Quamobrem 11 & proximos diligant, & juvent, illisque bene faciant, non solum amicis & bonis; sed etiam inimicis & pravis hominibus charitatem & misericordiam impendant, juxta præceptum Domini: *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est.* Charitatem namque Christianam non intra amicos & notos tantum contineri; verum etiam ad malevolos & inimicos extendi, & cuilibet proximo deberi, ac impendendam esse, ut omnes propter Dominum diligamus,

11 S. Basil. serm. 1. de Bapt. p. 2. Luc. 10. & Luc. 6.

etiamsi ab ijs gravia damna, offensas, aut injurias acceperimus, aut etiam sustineamus; quemadmodum ipsemet Dominus præcepit: *Audistis, quia dictum est:* Matth. 5. *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? & si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo & vos perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Et apud alium Evangelistam: Luc. 6. *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos. Benedicite male dicentibus vobis, & orate pro persequentibus vos.*

Hoc autem & Dominus suo confirmavit exemplo, qui pro suis crucifixoribus oravit: Luc. 23. *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Et beatus Protomartyr Stephanus Dominum imitatus, dum à Judæis crudeliter lapidaretur, ut Apostolorum Acta testantur, Act. 7. *positis genibus clamavit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Idemque & Moyses, & alij servi Dei humiliter observarunt.

Insuper præmoneat eos, atque hortetur ad patientiam, & ad futuras tribulationes, & hujus vitæ adversitates, tentationes, & mala, quibus divina bonitas suos exerceri, & tanquam aurum igne probari permittit, fortiter & æquo animo perferenda: 1. Petri 1. *nam si crucem & mortem oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam: quanto magis Fideles & servos ejus? Non enim est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum.* Et sicut scriptum est: Luca 24. Matth. 10 Luca 6. & Joan. 13. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei:* & Apostolus dicit: Act. 14. 2. Tim. 3. Jacob. 1. *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo JESU, persecutionem patientur.*

Quod & in Sanctis omnibus mirabiliter eluxit: certoque sciant & sperent sibi à DEO perpetuas coronas propositas esse in cælis, si legitimè certaverint in terris. Quapropter permanentes 1 in vocatione sua, molestias, tribulationes, miseriasque omnes libenter ferant, existimantes crucem sibi jugiter ferendam esse cum Christo, quemadmodum & ipse sæpè in Evangelio monet: 1 Basil. serm. de Baptismo p. 2. & Greg. Naz. orat in S. Baptisma. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Et iterum. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Matt. 10. Luc. 9. Item. *Quinon bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Marc. 8. Luc. 14.

Neque 2 ipsis hæc dura, gravia, aut impossibilia videantur, cum divina cooperante gratia, ea omnia possibilia, facilia, & suavia esse experimento cognituri sint juxta verba Salvatoris: 2 Conc. Trid. in decr. Justific. sess 6 cap. 11. *Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris:* Matth. 11 *jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Et sicut Propheta dicit: Psal. 33. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus: Beatus vir, qui sperat in eo.* Ac Joannes Apostolus affirmat: 1. Joan. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.* Et sui exemplo nos docet Paulus dicēs: Philip. 4. *Scio & humiliari, scio & abundare* (ubique & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati) *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Quinimo eis ostendatur, hæc ipsa mandata, ac omnia bona opera in DEI gratia facta, magnam æternamque repositam habere remunerationem, Matth. 19 in fin. juxta promissionem Domini: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et iterum. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Item. *Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic minister meus erit. Si quis mihi ministraverit honorificabit eum Pater meus.* Et infra: *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.* Et ut tradit Apostolus: *Qui* (scilicet Deus) *reddet unicuique secundum opera sua.* Quocirca & Dominus in Judicio dicet his, qui à dextris ejus erunt: *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; Esurivi enim & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Luc. 21. Joan. 12. Joan. 13. Matt. 25.

CAPVT X.

De confessione fidei, de perseverantia, & damnis, quæ peccatum mortale consequuntur.

CUm autem victoria, quæ vincit mundum sit fides nostra, hortandi sunt inprimis, & confirmandi, ut in fide permaneant, constantes & fortes sint, semper parati eam confiteri, & pro ejus confessione, & Domini gloria occumbere. Nec vero ipsam mortem propter Christum formident, aut optetere timeant; cum ipse dicat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Et paulo post: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Et Paulus Apostolus: *In nullo terreamini ab adversarijs, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo: quia vobis donatum est pro Christo, non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me.* 1. Joan. 4 Act. 14. Matth. 10 Philip. 1. in fin.

Sed & monendi sunt, ut in virtutibus, pietate, & bonis operibus Dei auxilio confisi, 3 qui operatur in eis, & velle, & perficere, pro bona voluntate perseverare studeant, ut æternam salutem consequantur, Domino iterum atque iterum contestante: *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* Ut autem perseverantiæ donum hujusmodi obtineant, DEUM humiliter deprecentur, ut speciale eis 4 auxilium ad illud consequendum impartiri dignetur, pro quo & ad B. Virginem DEI Genitricem MARIAM, & ad alios Sanctos cum Christo regnantes devotè confugiant, ut id eorum patrocinio & intercessione assequi mereantur. DEUS autem omnis gratiæ, ut D. Petrus air, *qui vocavit nos in æternam suam gloriam, in Christo JESU, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.* 3 Conc. Trid. sess 6 in decr. Justific. cap. 13. 4 Conc. Trid. sess 6 can. 13. & sup. & can. 22. 1. Pet. 5.

Caveant autem, ne ad corruptos prioris vitæ mores, ac vitia redeant, considerantes illud, quod Salvator noster ei quem vocaverat, ut se sequeretur, & petenti, ut permitteretur primum ire & sepelire patrem suum, dixit: *Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade & annuntia Regnum Dei.* Luc. 9. Ibidem.

ibid. Dei. Et id quod alteri dicenti: *Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt;* respondit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Sed quemadmodum Tobias senior docebat filium suum ab infantia DEUM timere, & abstinere ab omni

Tobiæ 1. Tobiæ 4. peccato, & inter alia, de quibus postmodum eum monebat, illud erat: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto DEUM, & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini DEI nostri.* Ita & Sacerdos docet Neophytos, ut peccata oderint, illis non consentiant, sed divina juvante gratia ea omnino fugiant; juxta illud quod scriptum est:

Eccles. 21 Psal. 5. *Quasi à facie colubri fuge peccata,* quod his offendatur DEUS, & in ejus iram incurratur, sicut scriptura dicit: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.*

Eccles. 12 Sapien. 14 Item: *Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus.* Ac iterum: *Similiter autem odio sunt DEO impius & impietas ejus.* Quodque propter peccatum, gratia in Baptismi lavacro accepta amittatur, & qui mortiferè peccant, ex innocentibus, puris & immaculatis, nocentes & impuri, atque anima peccati reata maculata, viles & deformes efficiantur, juxta Prophetam dicentem:

Hierem. 2 *Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas?* Et ex filijs Dei inimici ejus & filij Diaboli, ex liberis, servi peccati, imo & ipsius Diaboli fiant, quemadmodum Salvator noster dicit:

Joan. 8. *Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati;* Servus autem non manet in domo in æternum, filius

2. Petri 2 manet in æternum. *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum avertis ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim illis id veri proverbij: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.*

Docet item, quod per peccatum privantur æterna felicitate beatæ & immortalis vitæ, visione scilicet Dei, & futura gloria, quæ revelabitur in nobis, ac obligantur æternæ mortis & damnationis pœnis, quoniam, ut ait Apostolus: *Stipendia*

Rom. 6. *peccati mors,* omniaque bona opera per ipsos antea in gratia facta mortificantur. Ut enim Dominus

1 Basil. dicit apud Ezechielem 1 *Anima, quæ peccaverit*

serm. 1. de Bapt. p. 2. *ipsa morietur.* Et paulo infra: *Si autem averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitates secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, in prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit in ipsis morietur.*

Ezech. 28 Ibidem. Præterea demonstretur eis, quam gravis, irreparabilis, & intoleranda sit non modo pœna sensus, verum & pœna damni, quæ quidem etiam te-

2 Chrys. homil. 34. in c. 7. Matth. tom. 2. stimonio 2 Sanctorum major est, quam cruciatus flammarum gehennæ, quodque gloriæ amissio multo major est, quam gehennæ supplicium. Quibus item, 3 qualibus & quantis bonis peccatores

3. Comp. Theol. Perit. lib. 3. c. 7. de effectu pecc. priventur, in quæ vero, qualia, & quanta mala, ac supplicia incurrant ante & post mortem, & post ipsorum corporum resurrectionem. Etenim Dominus apud Matthæum laudans Ethnici Centurionis fidem, & Judæorum damnans incredulitatem, *Dico autem vobis,* inquit, *quod multi ab Oriente*

Matth. 8. *& Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cælorum: Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Et rursus expönens parabolam zizaniorum dicit:

Matth. 13 *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi: mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat.* Et iterum in

Ibidem. expositione parabolæ Sagenæ missæ in mare: *Sic erit in consummatione sæculi: Exibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in*

Matth. 25 *caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium.* Et de servo, qui talentum à Domino sibi creditum abscondérat: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus & stridor dentium;* prout & de gehenna ignis, alijsque hujusmodi æternis supplicijs

Joan. 5. alibi sæpè. Sed & apud Joannem: *Venit,* inquit, *hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicij.* Quod & in symbolo explicat Athanasius: *Ad cujus* (scilicet Christi) *adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum.*

Serio igitur moneantur 4 *Ephes.* 4. per peccatum non contristare spiritum sanctum, in quo signati sunt; nec templum Dei, & ejusdem Spiritus

48. Cyril. Hieros. Catech. 17. ad fin. & S. Basil. ser. 1. de Baptism. p. 2. Conc. Trid. sess. 6. in Decret. Justific. c. 14 1. Co. 3. & 6. Sanctæ, quod sunt ipsi, eorumque membra, per culpam temerè violare; alioquin à Domino se fore disperdendos, & æternæ vitæ fructu privandos, sicut commonet Apostolus: *Nescitis, quia DEI templum estis, & Spiritus DEI habitat in vobis? Si quis autem templum DEI violaverit, disperdet illum DEUS. Templum enim DEI sanctum est, quod estis vos.*

Ac doceantur 5 acceptam gratiam amitti non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur; sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides: & à regno Dei excludi non solum Infideles, verum etiam Fideles, qui lethalia peccata committunt, à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possint, & pro quibus à Christi gratiæ separantur. Quare idem dicebat Apostolus: *Anne scitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt. Et hæc aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri JESU Christi, & in Spiritu DEI nostri.* Et alibi: *Fornicatio autem, & omnis im-*

5 Conc. Trid. in decreto Justific. sess. 6. c. 15. & can. 27. & 28. 1. Corinth 6. Ephes. 6. *munditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote, intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ: nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia & veritate, probantes, quid sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.*

Admonendi item sunt, Dominum respicere vias hominis, & omnes gressus ejus considerare; arque oculos Domini in omni loco contemplari bonos, & malos: DEUM ubique præsentem esse, testem, & judicem omnium, quæ aguntur, omnia implere, omnia prospicere, omnia nosse etiam minutissima quæque & interius scrutari corda & renes hominum, & cogitationes eorum. Ac propterea immundas & malas cogitationes fugandas & expellendas esse, & à peccatis, quæ animo & so-

Prover. 5 Prov. 15. Sapien. 1. Sapien. 1. 6. Cyril. Hieros. Catech. 14. ad illuminandos.

la voluntate committuntur, sibi abstinendum, de-
Daniel.13 cente Domino in Evangelio: *Audistis, quia dictum*
Psal.7. *est antiquis, Non machaberis. Ego autem dico vobis,*
Matth. 5. *quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum*
eam, jam machatus est eam in corde suo. Sed recto
corde & firma fide in DEUM se credere, ac piè
sanctèque vivere debere sciant. Quoniam sicut
Scriptura dicit: *Oculi Domini contemplantur univer-*
2.Par.16. *sam terram, & prebent fortitudinem his qui corde per-*
fecto credunt in eum.

Admoneantur præterea, non satis esse ab uno, vel altero mortifero peccato abstinere, nisi ab universis abstineant; neque hæc, vel illa mandata non transgredi, nisi & omnia pariter servent. Qui-
Jacob. 2. cunque enim, ut inquit beatus Jacobus, *totam le-*
gem servaverit, offendat autem in uno, factus est om-
2 Conc. *nium reus.*
Trid. sess. Si qui tamen humana fragilitate (quod absit)
14. de Sar- post 1 Baptismum aliquo crimine se contamina-
pantent. verint, & ab ea accepta gratia per mortale pecca-
c. 2. & tum exciderint, ad Pœnitentiæ Sacramentum 3
Greg. hom quod pro fidelibus, 4 quoties post Baptismum in
29. Ascen. peccata labuntur, DEO reconciliandis ad pecca-
Dom. torum remissionem à Christo Domino nostro
2 Conc. institutum est, tanquam ad 5 secundam post nau-
Trid. sess. fragium tabulam, sta im & confidenter confu-
6. in Decr. giant, ut per illud 6 excitante DEO & ejusdem
Justific. Christi merito amissam gratiam recuperare pro-
ca. 14. curent, atque ad Confessarium Sacerdotem, cui
3 Conc. peccata remittendi & retinendi auctoritas man-
Trid. sess. data est, juxta verbum Domini: *Quorum remise-*
14. cap. 1 *ritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis re-*
4 Conc. *tenta sunt*, accedant; ipsique sincerè & fideliter sua
Trid. sess. peccata confiteantur, & eorum obtineant abso-
6. cap. 14. lutionem, ac injunctas satisfactiones & pœniten-
5 Conc. tias humiliter impleant. Dei auxilio cavent es, ne
Trid. ibid. iterum in ea labantur, sicut scriptura dicit. *Fili pec-*
6 ibidem. *casti, non adjicias iterum. Sed & de pristinis deprecа-*
Joan. 10. *re, ut remittantur tibi.* Et alibi: *Ne dixeris peccavi; &*
Eccli. 21. *quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens red-*
& 5. *ditor.*

CAPVT XI.

De superbia præcipuè vitanda, & de veteri homine exuendo, & renovatione novæ vitæ.

Eccles. 10 POtro inter alia peccata, superbiam inprimis vi-
tare debent; quod, ut Sapiens dicit: *Odibilis co-*
7 August *ram DEO sit & hominibus superbia.* Et infra: *Initium*
de verb. *superbiæ hominis apostatare a Deo: quoniam ab eo, qui*
Domini *fecit illum recessit cor ejus, quoniam initium omnis pec-*
ser. 10. *cati est superbia; qui tenuerit illam adimplebitur male-*
super ver- *dictis & subvertet eum in finem.* Et Paulo post: *Sedes*
bis Mat- *ducum superborum destruxit DEUS, & sedere fecit*
thæi 11. *mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit*
quoniam *DEUS, & plantavit humiles ex ipsis gentibus.*
miris sum Contra vero inter cæteras virtutes 7 humilita-
&c. tom. tem, quæ earum mater & fundamentum est, eos
10. maximè complecti, & observare oportet; imitan-
Phil. 2 tes Dominum & DEUM Salvatorem nostrum,
qui cum in forma DEI esset, non rapinam arbitratus
est esse se æqualem DEO; sed semetipsum exinanivit
formam servi accipiens, in similitudinem hominum fa-
ctus, & habitu inventus, ut homo. Humiliavit semetip-
sum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem
crucis: quique discipulos suos humilitatem sequi,
& superbiam vitare docuit, aliquando dicens: *Bea-*
ti pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cæ-
lorum. Aliquando 8 *Amen dico vobis; nisi conversi*
fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in
regnum cælorum. Quicunque ergo humiliaverit se sicut
parvulus iste, hic est major in regno cælorum.

Quia vero non est homo, qui non peccet, & in multis
offendimus omnes, & ut beatus Joannes ait: *Si dixeri-*
mus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seduci-
mus, & veritas in nobis non est. Et iterum: *Si dixeri-*
mus, quoniam non peccavimus, mendacem facimus
eum, & verbum ejus non est in nobis. Neophyti maxi-
mè admonendi sunt, ut de accepta gratia se non
extollentes, magna cordis humilitate se peccato-
res agnoscant, & confiteantur, cum hanc 9 vitam,
sine venialibus saltem peccatis, transire non pos-
sint, ac ut quoties cadunt, toties divina gratia re-
surgere studeant: Proverb. 24. *Septies enim in die*
cadet justus, & resurgit. Acut idem Joannes dicit. 1.
cap. 1. *Si confiteamur peccata nostra fidelis est, & ju-*
stus DEUS, ut remittat nobis peccata nostra, & emun-
det nos ab omni iniquitate. Et subdit in cap. 2. *Filioli*
mei hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed & si quis pec-
caverit, advocatum habemus apud Patrem, JESUM
Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis
nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro
totius mundi.

Frequenter autem Catechista eos doceat, ut in
percepta gratia perseverantes, depositis vitæ erro-
ribus, cæteris que vitijs, bonis operibus vacare pie-
tatem sectari, virtutes æmulari, ac omne genus
peccatorum vitare studeant, juxta id quod Apo
stolus ad Romanos scribit: *Justificati ergo ex fide*
pacem habeamus ad DEUM per Dominum nostrum
JESUM Christum, per quem & habemus accessum per
fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in
spe gloriæ filiorum Dei: non solum autem, sed & gloria-
mur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patien-
tiam operatur, patientia autem probationem, probatio
vero spem, spes autem non confundit: quia charitas DEI
diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui
datus est nobis.

Ac 10 quemadmodum *Christus* Dominus no-
ster *resurgens ex mortuis, jam non moritur, vivit*
autem Deo in æternum: ita & ipsi in Baptismo, qui
crucis, mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi
similitudinem habet, peccato semel mortui, &
consepulti cum Christo, atque cum eo à mortuis
excitati, licet in carne vivant, custodiant se ipsos ne
denuo ad peccatum redeant, sed ambulent in no
vitate vitæ, ac perseverent viventes Deo in Chri-
sto JESU dicente: *Qui mihi ministrat me sequatur*;
ut idem docet Apostolus: *An ignoratis fratres, quia*
quicunque baptizati sumus in Christo JESU, in morte
ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo
per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus sur-
rexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nova-
tate vitæ ambulemus.

Idemque eos doceat, quæ ad Neophytos maxi-
mè pertinent, & ad illos propriè dicta sunt ex ver-
bis beati Petri Apostoli dicentis: *Deponentes igitur*
omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes,
invidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti in-
fantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite; ut in eo
crescatis in salutem: si tamen gustatis, quoniam dulcis
est Dominus; vos autem genus electum, regale Sacer-
dotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes
annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admira-
bile lumen suum. Qui aliquando non populus Dei, nunc
autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam;
nunc autem misericordiam consecuti. Charissimi obse-
ro

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ero vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent DEUM in die visitationis.

Quare & adhortetur eos, ut exuti veterem hominem, omnibus membris purificentur, omnes sensus purgent; hoc est, omnia membra, ac singulos corporis sensus, cunctasque passiones mortificent, ac induentes novum hominem, renoventur spiritu mentis suæ, quemadmodum etiam docet Apostolus 1 *Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextra DEI sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortuus enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in DEO. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. 2 Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus. Propter quæ venit ira DEI super filios incredulitatis; in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite & vos, omnia; iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro; nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit illum, ubi non est masculus, & femina, gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. Induite vos ergo, sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super omnia autem hanc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore, & grati estote.*

Coloss. 3. 1 Breviar. Rom. leguntur in A nocturn. Dom. in Albis. Basil. ser. 1. de Bapt. p. 2. & serm. 2. de Bapt. c. 1. 2 Idem ibidem supr. 3 Beda in hom. de circ. tom. 7 inter Hiemales de SS. & in hom. in 8. Epiph. Dom. eod. tom. 7. 2. Cor. 7. 4 Basil. serm. 1. de Bapt. part. 2. 1. Cor. 15 5 Pacian. in serm. de Bapt. circa fin.

Ostendatque eis Catechista, ut hujusmodi mentis renovationem oratione, ac quotidiana virtutum 3 exercitatione faciant. Et sicut alibi idem monet Apostolus 4 *Mundent se ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore.* Ac demum 5 sicut portaverunt imaginem terreni hominis, portent & imaginem cælestis: *nam primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis*: qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cælestes.

CAPVT XII.

De his, quæ vitanda sunt à Neophytis, & de medijs, ut in proposito perseverent.

6 S. Basil. serm. 1. de Bapt. par. 2. Matt. 24 & Marc. 13. & Luc. 21. Galat. 1. 2. Thess. 3

Cum Dominus præcipiat ut à Pseudoprophetis caveamus, & Apostolus admoneat dicens: 6 *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Et in alio loco: *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri JESU Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis*: Et beatus Joannes dicit: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Ideo Catechista specialiter moneat Neophytos, tam qui ex Judæis, quam qui ex alijs infidelibus ad Christianam fidem venerunt, ut quorumvis 7 Hæreticorum, Schismaticorum, & à fide Apostatarum societatem, conversationem, & familiaritatem omnino vitent & fugiant.

2. Joan. 7 Pasian. in serm. de Baptis. prope fin. item de hujusmodi peccatis à Christiano vitandis Epiph. l. 3. contra hæres. tom. 2. ad fin. Item Aug. serm. 163. de tempore alias septima Dom. in octavis Paschæ superius cit. to. 10. c. Vos ante omnia. de cons. di. 4.

Et ne cum Galatis redargui mereantur ab Apostolo dicente in 4. Cap. *Nunc autem cum cognoveritis DEUM, imo cogniti sitis à Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis? Dies observatis & menses, & tempora, & annos. Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis.* Superstitiones & cæremonias omnes Judaicas, Mahometicas & Ethnicas, nefarias suffumigationes, thurificationes & obsequia, quæ dæmonibus exhibentur, ac omnem magiam, sortilegia, veneficia, & incantationes horreant. Astrologiam judiciariam, vanas dierum, syderum & similium observationes, ligaturas, amuleta, chartulas, quas *Brevia* vocant, incognitos characteres, & signa continentes, numismata magica, phylacteria, & alia superstitiosa, quæ aut collo appensa, ac quovis modo alligata deferuntur, pariter vitent, & rejiciant: nec non blasphemias, perjuria, falsa testimonia, crudelitatem, rixas, pugnas, cædes, ac omnem iniquitatem, adulteria, fœdationes, fornicationes, & petulantiam, ceteraque vitia carnis & sanguinis.

Abstineant 8 à theatris, spectaculis, publicis ludis, torneamentis, tauricidijs, & venationibus periculosis, à gesticulationibus, & actibus mimorum & meretricularum, ab obscænis cantibus, & comœdijs, ac repræsentationibus, & saltationibus inhonestis & impudicis, atque vitorum effœminatorum choreis, quæ sunt diaboli 9 pompæ, quibus jam abrenuntiarunt.

8 Epiph. ubi supra, & Cyril. Hieros. Catech. mystagog. 1. 9 Idem Cyril. ib.

Vitent item omnem maledicentiam, detractionem, pugnas & contentiones verborum, injustitiam, avaritiam, usuras, & omne genus fraudis, & illicitæ negotiationis, omnia denique crimina & peccata, tam in se quam in alijs 10 execrentur, & caveant, omnique studio & conatu curent se custodire immaculatos ab hoc sæculo.

10 S. Basil. serm. 1 de Bapt. par. 2.

Monendi item sunt, ut de rebus turpibus, obscænisve sermones non misceant, mala & suspecta colloquia fugiant, cum ut inquit ille, *Corrumpunt bonos mores, colloquia mala.* Sed nec fabulosa, inutilia, vana, aut otiosa loquantur verba: nam & de his ratio reddenda est: Ut enim salvator noster ait, *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicij.*

1 Cor. 15 Matt. 12. 11 S. Aug. supra cit. ser. 164. de tempore seu octava Dom. in octavis Paschæ: ad baptizatos, ut boni, non mali, in Ecclesia imitentur tam. 10.

Sed 11 & malorum Christianorum familiaritatem vitare eos oportet. Admoneanturque non quicquid à malis Christianis fieri viderint, id licite & impune fieri posse, neque bonos non malos imitari debere existiment, quin potius, Religiosorum & piorum hominum exempla sectentur, eorumque consuetudine frequenter utantur.

Acut divino auxilio à mundi illecebris & vitijs se contineant, atque in bonis operibus, & gratia Dei, & in vita spirituali indies proficiant; præmoneat eos, quomodo divina ope bene vivere, in gratia se conservare & vitare peccata possint, & debeant, nimirum mortificatione membrorum,

vitæ abstinentia, studio orationis, & bonorum operum, Sacramentalis confessionis peccatorum, & sumptionis sacræ Eucharistiæ frequentatione, ac demum assidua memoria mortis, & novissimorum, juxta illud Sapientis: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccli. 7. in fin. Inprimis vero, ut peccatorum causas & occasiones fugiant: tum Confessarium sibi deligant probatum, virum spiritualem, & pium, cui omnia peccata & culpas suas sincere confiteantur, ac omnes cordis sui concupiscentias, animi passiones, tentationesque liberè aperiant, cujus consilio in via Domini dirigantur. Quamobrem de modo confitendi, & se in hoc sacramento exercendi post Baptismum instruendi sunt.

Sanctissimum vero Eucharistiæ sacramentum frequenter, aut saltem semel in mense, de ejusdem Confessarij consilio, sumant.

CAPVT XIII.

De consilijs alijs circa Neophytorum institutionem, præcipuè de eleemosyna.

MOneantur, ut de tam singulari magnoque beneficio per Baptismum accepto ingrati non sint, sed DEO gratias perpetuò agant, quod ab errore 1 & vanitate ad agnitionem veritatis, è tenebris in lucem, ab impietate ad pietatem, ab injustitia ad justitiam, à servitute peccati in gratiam DEI, à diaboli tyrannide in libertatem filiorum, & à morte perpetua in vitam æternam eos eruere, & revocare, atque è filijs iræ filios adoptionis efficere dignatus sit. Ac sæpe recolant & expendant id, quod scribit sanctus Joannes Apostolus: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij DEI nominemur & simus.* Cum autem ipsi Dei beneficio, & sancti Spiritus afflatu, Christiique fidelium opera, fidei veritatem agnoverint, eandem in proximos suos, & suæ nationis homines vicem rependant, ac orantes pro illis nullam prætermittant occasionem, qua illos in Domino lucrari possint; *tum quia unicuique mandavit DEUS de proximo suo*; tum, quia ex eorum conversione quam procurant, & ipsi æternam salutem & gloriam eo majorem, & cumulatiorem consequantur, monente Paulo: *Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis, hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt.* Et Jacobo: *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

1 S. Clem Rom. l. 7. const. Apost. c. 39. quomodo oporteat Catechum. institui. Ephes. 2. 1. Joan. 3 Eccl. 17. 1. Tim. 4. Jacob. 5.

Inculcetur eis, ut semper benedicant Dominum, sicut Tobias docebat filium, dicens: *Omni tempore benedic Dominum DEUM, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat; & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Et sicut David: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo,* & alibi sæpè: atque omnia in nomine Domini faciant, juxta ea, quæ monet Apostolus Coloss. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri JESU Christi facite, gratias agentes DEO, & Patri per ipsum.* Et iterum 1. Cor. 10. 2 *Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite,* Ac ut de temporalibus bonis, & sæculi hujus commodis atque divitijs anxij non sint, neque nimis soliciti, dicente propheta: *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem justo.* Et rursus: *Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Hinc & Dominus in Evangelio suos discipulos instituens dicit: *Dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plusquam vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam cubitum unum? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua, coopertus est sicut unum ex istis. Si enim fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, DEUS sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt: Scit enim Pater vester, quia omnibus his indigetis. Quærite ergo primum regnum DEI & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum, Crastinus enim dies soliciti erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.* Et infra post aliqua: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Et Apostolus Paulus monet: *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud DEUM.* Tobiæ 4. Psal. 33. 2 S. Basil in sæpe citato ser. 1. par. 2. Matth. 6. & Luc. 12. Matth. 7 Luca 11. Philip. 4.

Ideoque admoneantur, ne 3 quæstibus, aut turpibus lucris inhient, neve nimio divitiarum desiderio, sed sua tenuitate, seu ijs bonis, quæ Dei beneficio obtinent, contenti sint, ne in laqueos Diaboli incidant. Ut enim ait Apostolus: *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia auferre nec quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* 3 S. Cyp. Hieros. in Procat. 1. Tim. 6.

Qui vero divites sunt, aut facultatibus præstant, moneantur, ut juxta Psalmographum, *nolint sperare in iniquitate, neque rapinas concupiscere, & divitia si affluant, nolint cor apponere:* sed indigentibus, viduis, pupillis, orphanis, & alijs pauperibus subveniant, benefaciant, & eleemosynas erogent hospitalibus, Xenodochijs, Noscomijs, & alijs pijs locis opem ferant, & pecunias suppeditent, ac alijs 4 misericordiæ operibus indesinenter insistant: quoniam sicut beatus Jacobus ait: *Religio munda & immaculata apud DEUM & Patrem hæc est, Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Et sicut scriptum est in lege: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. Idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra.* Et Dominus noster in Evangelio confirmat: *Semper enim pauperes habebitis vobiscum, & cum volueritis potestis illis benefacere.* Psalm. 81 4 Aug. in lib. de fide ad Petr. c. 3. item c. 3. num. 7. & illi qui bene vivunt, & Jac. 2. Deut. 15. Luc. 16. Ibidem. Ibidem. Aller. 28.

Et alibi: *Omni petenti te tribue.* Et rursus: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Item *date, & dabitur vobis: mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Item: *Beatius est magis dare quam accipere.*

Et

Eccli.4. Et Eccli. dicit: *Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas à paupere. Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopia sua*, & quæ sequuntur. Et iterum: *Exorare, & facere eleemosynam ne despicias.*

Eccl.7.

Eleemosynam autem non ex inani gloria, nec ad captandam popularem auram, sed recta animi intentione, ad Dei gloriam, & proximi sublevationem faciat: quomodo Dominus in Evangelio

Matth.6. docet. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua; ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.*

1 Lucas de Penna in Rub. C. de valid. mendican. l. 2. & ex eo Guil. de Rovil. in compendio descript. Just. atque Injust. l. 2. c. 12. Tradunt eleemosynam decem bona conferre quæ explicant.

Ac doceantur, 1 quantæ virtutis, quantique pretij & meriti ipsa eleemosyna sit: inprimis vero quod iratum propter peccata DEUM placatum reddat, & peccatorum pretium & compensatio fiat, juxta consilium Danielis cap. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Et Dominus dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*: quin & peccata ipsa extinguat, & abluat. Eccli. 3, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*, & *DEUS prospector est ejus, qui reddit gratiam. Meminit in posterum, & in tempore casus sui inveniet firmamentum.* Et Dominus Luc. 11. *Quod superest*, inquit, *date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

Matth. 5. Tob. 4.

Sed & DEUM misericordem & benignum retinet eleemosyna, ac ab omni peccato, & æterna morte liberat, juxta Tobiam dicentem: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude. Præmium enim bonorum tibi thesaurizas in die necessitatis; quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram DEO eleemosyna omnibus facientibus eam.* Et ipsum Tobiam alloquens Archangelus Raphael confirmat: *Bona est oratio cum jejunio*

Tob. 12. *& eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere, quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam*: Et Sapiens dicit: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni*

Eccli. 29. *malo. Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis, quasi pupillam conservabit: & postea resurget, & retribuet illis retributionem unicuique in caput illorum. Super scutum potentis, & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.*

Ibid.

Sed & eleemosynis velut sacrificio quodam DEUM ipsum promeremur, juxta Apostolum di-

Hebr. 13. centem: *Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostijs promeretur DEUS.*

Et id quidem, si ab alijs, qui sunt in statu gratiæ,

1. Cor. 13 vel in charitate fiant: alioquin, ut dicit idem Apostolus: *Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; scilicet ad æternam vitam promerendam, quamvis & ad se disponendum ad gratiam, & ad alia multa

Act. 10. valde utilis sit; Angelo testante, dum dicit, *Cornelii exaudita est oratio tua, & eleemosyna tua commemorata sunt in conspectu DEI.*

CAPVT XIV.

De abstinentia à cibis prohibitis.

2 Cyrill. Hieros. in Catech. 5. ac 10. dogm. ad illumin.

MOnendi item ut Christianam modestiam tenentes 2 amictu simplici, non superfluis vestibus, ad mollitiem & vanitatem, sed modestis ad corporis necessitatem utantur; memores eorum, quæ scriptura Eccli. 11. dicit: *In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris.*

Quia vero Judæi, & Mahometani à quibusdam cibis velut immundis abstinent vel eos etiam abominantur, ut carnes suillas & similes, vel quæ eorum more non fuerint præparatæ: ideo qui ex eis venerint Neophyti, edocendi sunt, 3 omnes cibos, omniaque esculenta munda esse, & bona, & nihil eorum à fidelibus rejiciendum. *Cuncta* Gen. 1. *enim quæ DEUS fecit, sunt valde bona*, ipseque Gen. 9. post diluvium omnia, quæ moventur & vivunt quasi olera virentia tradidit hominibus in cibum: *& cibos*, dicit Apostolus, *Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione Fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Et alibi: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens, & conscientia.*

3 S. Cyril ubi supra, catech. 4. August. sive alius author de fide ad Pet. c. 3. tom. 3. & idem eod. lib. cap. 42. 1. Tim. 4. Tit. 1.

Verum Christi fideles ad carnis maceratio-

4 S. Aug. cit. c. 42. de fide ad Pet.

nem, & sensuum mortificationem ab aliquibus cibis, ut carnibus, ovis, caseo, lacte & similibus quandoque abstinere, ut Quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum, aliorumque jejuniorum ex præcepto Ecclesiæ, aut alijs diebus ex instituto regulari, aut peculiari voto vel devotione, vel à carnibus tantum, vel ab ijs omnibus feria quarta, sexta, & Sabbato, pro consuetudine Ecclesiarum, ac

5 S. Cyril ubi supra.

4 nonnullos Dei servos etiam perpetuo ab ejusmodi escis, & vino ex voto, vel instituto similiter abstinere tanquam à fortiori cibo, & potu pro sola corporis castigatione, non quod eas damnent, aut tanquam immundas respuant, aut abominentur, 5 sed quod præmium expectent, ut sensibilia despicientes spirituali deinceps & cælesti mensa fruantur.

6 Dicitur de Eucratitis Tatiano, Severianis, Manichæis, & similibus. Dicitur de Lutheranis & recentioribus hæreticis. 1. Tim. 4. Rom. 14.

Hæreticos autem fuisse, & esse, & hos etiam maximè vitandos, qui vel 6 cibos tanquam vera creatura Dei non essent, damnant, aut illis tempore debito vesci prohibent, vel 7 ijs abstinentiæ, & jejuniorum posthabita disciplina quibuslibet diebus sine delectu & indifferenter utuntur; immemores eorum, quæ dicit Apostolus. *Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax, gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo & placet Deo, & probatus est hominibus.*

7 Beda in præcit. hom. in oct. Epiph. 1. Cor. 9.

Proinde abstinentiam & sobrietatem sectentur, 9 audientes eundem Apostolum, qui de se dicit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

CAPVT XV.

De honore & reverentia filiorum in parentes, feminarum in viros suos, & servorum in Dominos.

QUi parentes fideles habent Neophyti, doceantur eos honorare, juvare & fovere, illisque obsequi, parere & obedire, ut naturali Jure tenentur, quod sibi fuerint causa vitæ. Et Dominus præcipit in Decalogo dicens: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus DEUS tuus dabit tibi.* Et iterum in innovatione legis: *Honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus DEUS tuus, ut longo vivas tempore, & bene sit tibi in terra, quam Dominus DEUS tuus daturus est tibi.*

1. S. Tho. 2. 2. qu. 122. art. 5. Exod. 20. Deut. 5.

Proinde filij caveant, ne violata naturæ & Dei lege, impias manus in Patrem vel matrem injiciant, nam & in tales sceleratos filios, DEUS etiam temporalis mortis supplicium comminatus est: ita enim in Exodo mandavit: *Qui percusserit patrem suum, aut matrem morte moriatur.*

Exod. 21.

Sed nec maledicta quidem in parentem proferant: nam & eadem divina lege dicitur: *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Et rursus in Levitico: *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: Patri matrique qui maledixerit sanguis ejus sit super eum.* Et hoc ipsum Christus Dominus in Evangelio refert.

Ibidem. Levit. 20. Matt. 15.

Contra vero commoneat eorum parentes, ut & ipsi suos filios in disciplina, atque in timore Domini educare studeant, illosque benignè ac paternè tractent; non sævientes in illos, ne nimium timidi aut pusillanimes reddantur; neque nimium durè aut asperè agentes cum ipsis, ne ad itacundiam vel indignationem provocentur, neve sic provocati in aliquam desperationem inducantur: quemadmodum idem docet Apostolus, tum ad Ephesios dicens; *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Tum ad Colossenses 3. *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Ita Abel, Seth, Isaac, Jacob, Joseph, Beniamin, filij Job, Tobias, Patres Machabæi, & alij justi in sancto Dei timore & amore à sanctis Patriarchis & viris pijs suis parentibus educati sunt. Sed etiam docebit, quod ijs, qui loco parentum sunt honor, obedientia, reverentia debentur, præsertim vero Dominis sacerdotibus, Episcopis scilicet & Presbyteris, qui spirituales Patres sunt, nec non Clericis & Religiosis viris, ac servis DEI, & de sacerdotibus quidem in Ecclesiastico scriptum: *In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica, in omni veritate tua dilige eum, qui te fecit: & ministros ejus ne derelinquas. Honora DEUM ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes, & purga te cum brachijs. Da illis partem sicut mandatum est tibi primitiarum, & purgationis,* &c. Et apud Malachiam: *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est:* Et in Evangelio Dominus de correptione fraterna loquens dicit: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Et Apostolus: *Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Et iterum: *Mementote prepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Et infra: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.* De omnibus vero tam sacerdotibus, quam alijs Dei ministris, & servis ita idem Dominus dicit: Matt. 10. *Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit justum in nomine justi mercedem justi accipiet.* Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: *amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Et iterum *Quicunque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit, & quicunque me receperit, recipit eum, qui me misit.* Ac rursus: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Item, *Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.* Et Apostolus docet: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.*

Ecclí. 7. Levit. 2. Malach. 2. Matth. 18 1. Tim. 5. Hebr. 13. 2 Petra ad hos de honore. Dei Epis. & sacerdotibus habet Grat. dist. 96. c. Quis dubitet. in prin. & seq. in fin. & 11. q. 1. c. Si autem, cum tributis. seq. & in Decr. de majorit. & obed. Servi per eorum Luca 9. Luca 10. 1 Cor. 11. Rom. 13. 3. Reliquum de Circ. Dom. tom. 7. interdum alles de 11.

Mulieres admoneat, ut 3 humiles, verecundæ, sobriæ, castæ, & modestæ sint 3 & juxta verbum Dei dicentis primæ parenti nostræ Evæ Genes. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Viris suis in omnibus subjectæ, in Ecclesijs velato capite orent, & taceant; domi autem discant à viris suis: fucos, pigmenta, capillaturas, cincinnos, & omnem superfluum ornatum vitent, ut se verè pompis diaboli in Baptismo abrenuntiasse ostendant, & mulieres infideles ex earum pia, & sancta conversatione ad Christianam fidem amplectendam provocentur.

Viros autem doceat, ut uxores suas, ut corpora sua diligant, illis adhæreant, cum eis cohabitent, & non sint amari ad illas; cum inter legitimos Conjuges fideles matrimonium magnum sit sacramentum in Christo & Ecclesia, ac divina & naturali lege individua & perpetua vitæ consuetudo atque vinculum indissolubile esse debeat: quemadmodum dixit Adam, cum Evam è sua costa ædificatam, & à Domino ad se adductam agnovit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Et Dominus noster in Evangelio confirmavit: *Non legistis,* inquiens, *quia qui fecit hominem ab initio masculum & feminam fecit eos. Et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Sed & Apostolus fusius eadem docens ait: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.*

Genes. 2. ad fin. Matt. 19 & Marc 10. Ephes. 5.

Ac subinde ipsi viri sciant cum legitimis uxoribus suis se perpetuo permanere debere, nec eas dimittere, aut deserere eas sibi fas esse: neque etiam apud Christianos repudium, aut divortium locum habere, nisi ex causa fornicationis, sive adulterij quo ad tori separationem, ut Dominus & Salvator in monte docuit: *Dictum est autem, quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis; quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.*

Matth. 5.

Quamobrem admonendi sunt, ut uxoribus debirum reddant, nec invicem se fraudent, nisi de consensu ad tempus, ut orationi, seu sacrorum mysterio-

sterioru[m] susceptioni vacent; prout idem Apostolus Corinthijs respondens docet: *De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in id ipsum; ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* 1. Cor. 7.

Quocirca exhortandi sunt viri ad servandam, perpetuoque retinendam pacem, & concordiam cum uxoribus suis, nec tamen indulgeant earum vanis desiderijs & voluptatibus, sed satagant, ut sint piæ & modestæ in omnibus; ut quietam & tranquillam vitam in mutua charitate ducant, ac præcipuè Domino placere possint, juxta Sapientem cum dicit, *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.* Et rursus, *Amicus & sodalis in tempore convenientes, & super utrosque mulier cum viro.* Eccl. 25. Eccl. 40.

Servos doceat in sua vocatione propter Dominum permanere debere dicente Apostolo: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: Servus vocatus es? non sit tibi cura, sed & si potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, servus est Christi, pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Unusquisque ergo in quo vocatus est frater, in hoc permaneat apud* DEUM; *idcirco, ut jugum servitutis libenter ferant, Dominus carnalibus non ad oculum servientes, quasi hominibus sed sicut Domino, & ob ejus amorem, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: illis in simplicitate cordis obediant, ac subditi sint, & ex animo eorum jussa faciant, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes* 1. Cor. 7.

Dominos vero, cum servi post Baptismum eis redduntur, aut cum opportunum fuerit monear, ut servos jam fideles non ægrè, sed hilariter, ac non ut servos, sed pro servis charissimos 1 in Christo fratres suscipiant, & benignè tractent, ac eis quod benignum, justum, & æquum est, præstent; curentque ut Christianè vivant, & eos, qui discoli fuerint, ut filios corrigant, & Christianam charitatem in omnibus erga eos exerceant. Etenim ut dicit Apostolus 1. Cor. 12. *In uno spiritu omnes nos in unum baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus.* Et alibi: *Omnes filij Dei estis per fidem in Christo* JESU. Galat. 3. *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus, non servus, neque liber, non est masculus neque femina.* 1 Apostol. ad Philemonem (ubi de Onesimo dicit) ut æternum illum reciperes, jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem maxime mihi; quanto autem magis tibi & in carne & in Domino.

Dominicis & festis diebus non permittant illos servilibus, & mechanicis operibus vacare, sed potius juxta divinam legem, & Ecclesiæ præcepta, eos faciant ab ijs quiescere, & abstinere, ad Ecclesias accedere, sacris Missarum mysterijs interesse, verbum Dei audire, frequenter sua peccata sacerdoti Confessario probato confiteri: & de ejus consilio sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum suscipere, atque alijs pietatis actibus operam dare. Specialiter tandem dominos doceat, quæ & dominis mandat idem Apostolus, postquam commonuit servos: *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia illorum & vester Dominus est in cælis; & personarum exceptio non est apud* DEUM. Et iterum: *Domini quod justum est, & æquum servis præstate, scientes quod & vos Dominum habetis in cælo.* Et quæ Sapiens monet: *Non ladas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: Non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* Et iterum. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta; quoniam in sanguine animæ comparasti illum.* Tum etiam ad Timotheum: *Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hæc doce & exhortare.* Tum denique ad Titum: *Servos* (scilicet) *hortare Dominis suis subditos esse in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Et B. Petrus: *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis sed etiam discolis. Omnes enim vos unum estis in Christo* JESU. 1. Tim. 6. Tit. 2. 1. Pet. 2.

Exod. 20. Levit. 19. & Deut. 5

19. *in decr. de Iudæis & Neoph. paragr. Et quoniam.*

4 Greg. Naz. *orat in Baptisma, & Basil. in ser. 2. de Baptis. cap. 1.*

CAPVT XVI.

De alijs servandis circa Neophytos.

IN archivo domus Catechumenorum & Neophytorum habeatur 2 & asservetur specialis liber, in quo describantur singulorum, qui in ea recepti, vel catechizati, & instructi, sive majores, sive minores natu fuerint, baptizati sunt, nomina, cognomina, patria, & Baptismi & Confirmationis dies, quive eorum in Catechismo, Baptismo, & Confirmatione fuêre susceptores. 2 Concil. Tolet. 12. 69. paragr. item ut Episc. omnes Judæos, &c. ibi & ut professiones eorum, vel conditiones in Scrinijs Ecclesiæ condant. & Conc. Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 2. paragr. Parochus ante pæn.

Sed & ipsorum omnium numerus, seu catalogus in eodem libro, vel in alio retineatur.

Ubi vero domus Catechumenorum non extat, Parochus id faciet in communi libro baptizatorum, & confirmatorum, ac loci Ordinarius ad futuram Dei memoriam, in actis suæ Curiæ hæc ipsa adnotari mandet. 3 Paul. PP. iij. in suis litteris in forma brevis de Judæis & infid. vetent. ad fid. incip. Cupientes Iudæos. Datum Rom. apud S. Petrum ab Annulo piscator. die 21. Mar. 1542. Pontif. sui anno 8. paragr. Et quoniam. ad verbum desumpto ex PP. Conc. Basil. sess.

Et quoniam per gratiam Baptismi cives Sanctorum & domestici Dei efficiuntur, longèque dignius existit regenerari spiritu, quam carne nasci; ideo 3 Apostolica authoritate statutum est, ut Neophyti civitatum & locorum, in quibus sancto Baptismate pro tempore regenerabuntur, verè cives fiant, & privilegijs, & libertatibus & immunitatibus, quæ alij ratione nativitatis, & originis duntaxat consequuntur, gaudeant. Proinde ea de re Neophyti ipsi post aliquot Baptismi dies, certiores fiant, & eorum Præfecti seu Parochi, aut alij, qui ipsis præsunt, curent, ut apud populi ejus loci magistratus inter cives, sive eorum catalogo describantur.

Catechista aut alius Præfectus Neophytis sæpius ad memoriam reducat; præsertim vero cum eos de domo Catechumenorum dimittit, 4 sponsionem illam, quam ante Baptismum fecerunt, de abrenuntiando Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus.

Præscriptis porro diebus elapsis, adulti sive majores Neophyti, qui proprias domos habent, quibusve ad vitæ sustentationem suppetunt facultates, ad eas liberè redire permittantur, dum tamen cum Infidelibus non cohabitent, sed potius quoad fieri poterit, procul ab eis domos habeant.

Qui

Qui vero domibus & facultatibus carent, donec artificio, vel alicui operi se addixerint, aut artem aliquam professi fuerint, aut certum vitæ genus elegerint, aut se aliter sustentare valeant, in eadem Catechumenorum domo, vel apud supradictas personas retineantur. Minores 1 autem apud viros vel mulieres boni nominis, & timentes DEUM, vel in aliquo Religioso loco, Collegio, Monasteriove virorum, si mares; Virgines, Sanctimonialium aut puellarum: si fœminæ fuerint, collocentur, ut sub eorum, vel earum conversatione, & disciplina, Christianæ Religionis cultum addiscant; & tam in fide, quam in moribus instituti, in melius proficere possint. Deligantur præterea aliqui viri probi, & pij, qui ipsis interim Neophytis indigentibus habitationes, artificia, supellectilem, cæteraque alimenta, ac ad vitam necessaria, juxta eorum statum, & conditionem, vel de reditibus, prædictæ domus, vel de Christi fidelium oblationibus, sive eleemosynis studeant procurare.

Verum si neque reditus, neque oblationes, aut eleemosynæ satis sint, locorum Ordinarij, tam de fructibus & proventibus Ecclesiarum suarum, quam aliunde eisdem Neophytis, ne victus inopiam patiantur, donec per se ipsos sustentari valeant, providebunt, prout 2 *Innocentius III.* aliique Patres, & summi Romani Pontifices suis literis mandaverunt.

Quod quidem Sanctus GREGORIUS, 3 Magnus rei Ecclesiasticæ largissimus dispensator, pro præclarissima sua charitate egregiè præstitit, ut apparet ex ejus litteris scriptis ad Anthemium subdiaconum, Cyprianum Diaconum Rectorem patrimonij Siciliæ, & ad Fantinum defensorem Siciliæ, ubi & 4 auream illam sententiam pronunciavit, quod non esset graviter ferenda diminutio reditus Ecclesiastici, propter conversionem Judæorum ad fidem: Nec hoc, inquiens, inutiliter facimus, si pro servandis pensionum oneribus, eos ad Christi gratiam perducamus; quia etsi ipsi minus fideliter veniunt; hi tamen, qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur, & ideo non est grave, quicquid pro Christo dimittimus.

Sed & alij Romani 5 Pontifices, se præclarum bonorum operum exemplar præbentes erga pauperes, & alios Neophytos, liberaliter & mirificè hactenus effecerunt, atque nostris temporibus, tum ex Cameræ Apostolicæ reditibus, locis montium, & pensionibus Ecclesiasticis eorum inopiam sublevando, tum etiam officijs, militijs, & honoribus illos ornando, præstare consueverunt.

Curent etiam ijdem viri pij, ne illi otio, aut ignavia torpescant, sed alicui operi, vel licitæ arti, sive negotiationi se applicent; dum tamen omnino inter Judæos, aut alios infideles proxeneratum, aut quamlibet artem exercere non præsumant.

Hos autem, vel domus Catechumenorum, & Neophytorum Præfectos, aliosve probatos sacerdotes, & ipsi Neophyti, ut in suis necessitatibus & casibus consulant, monendi sunt; juxta id, quod scriptum est: *Consilium semper à sapiente perquire.* †

Et demum in fine Catechista benedicat eis, & cum Apostolo dicat: 6 *Ipse autem* DEUS *pacificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela, in adventu Domini nostri* JESU *Christi servetur.*

CAPUT XVII.

De alijs observationibus circa Neophytorum profectum.

NEc propterea, cum ad propria domicilia dimittuntur, saltem per annum, in omnimoda libertate relinquendi sunt: sed ut Christianè vivant diligens cura habeatur; & ideo à religiosis personis sæpe visitentur, & in fide confirmentur, ac de eorum vita domestici, & vicini eorum percontandi sunt; An ad Ecclesias accedant; An diebus Dominicis & festivis Missas audiant, & saltem singulis mensibus, si non frequentius; & præcipuis anni festivitatibus confessionem peccatorum proprio Sacerdoti, vel alteri ab Episcopo approbato eis assignato faciant, & sacram Dominici Corporis communionem percipiant?

Aliquando etiam ad domum Catechumenorum accedant, ut ibi Præfecto domus, aut ipsorum Superiori se præsentent, ut vel actionum suarum rationem reddant, vel ab eo documenta salutis accipiant.

Puellæ nubiles, ut honestè nubant eleemosynarum subsidio juventur, & quantum fieri potest, non nisi originarijs, & antiquis Christianis matrimonio jungantur. Si quæ monasterium ingredi voluerint, aut aliter cælibem vitam ducere, eis non negetur, sed in sancto proposito confirmentur, atque si in ipso perseveraverint, in aliquo religioso loco, aut monasterio collocentur.

Decet autem, ut ubi copia Neophytorum est, Monasterium proprium puellarum Neophytarum, ut in urbe erigatur; quarum cura penes moniales originarias, & antiquas Christianas sit: & ex ipsis puellis, cum ad ætatem nubilem venerint, quæ cælibes esse nolverint, nubant; aliæ vero ibidem maneant, cum alijs puellis separatim viventibus.

Similiter & ex Neophytis viris, qui voluerit, vel ducere uxorem, vel aliquam ingredi Religionem, non desit ei piorum hominum consilium & auxilium, ut quod saluti tum animæ, tum corporis magis conducit, id faciat, & exequi valeat. Et omnino qui præsunt curent, ut is, si commodè fieri potest, originariam, & antiquam potius Christianam mulierem, quam Neophytam accipiat in uxorem.

Quod quidem & in alijs omnibus Neophytis utriusque sexus generaliter, quoad fieri potest, curandum: Nam cum, 7 experientia teste, compertum fuerit, mutuam Neophytorum inter se conversationem ipsos in fide Christiana fragiliores reddere, ac saluti eorum plurimum officere, auctoritate Apostolica decretum est, ut locorum Ordinarij quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent & studeant Neophytos ipsos cum originarijs Christianis matrimonio copulare.

Com-

1. Conc. Tolet. 4. c. 59 apud Gratian. 28. q 1. c. Iud. filios, de quo Iac. Epis. Pacen. in inst. Cath. c. 29 de filys & manor. n. 8.

2 Innoc 3. ad Eduen. Episc. lib. 2 regest. impressorum. 1. & ad Abb. & Conventum S. Mariæ de prato de Leincestre lo. l. 2. regest. 10. 1. ac Ioan. 22. in Extr. Dignum arbitrantes c. 2. de Iudæis in Extrav. communibus. Et PP. Conc. Basil. sess. 19. in decreto de Iudæis & Neop. parag. & quoniam Paulus iij. in dictis litteris in for. brevis in c. Cupientes.

3 S. Greg. l. 3. regest. ep. 31. seu c. 31. ad Anthem. Subdiac. & l. 4. ejusd. Regesti epist. seu cap. 5. ad Cypr. Diac. Rectorem patrimonij Siciliæ. Facit etiam quod scribit idem Greg. l. 7. ep. seu c. 2. ad Phantinum.

4 Idem Greg. d. c. 50. ep. ad Cypr.

5 S. Greg. Leo X. Paul. 4. Pius 5. Greg. 13. atque alij, ut postea Clemens 8.

† Tobiæ 4.

6 S. Cyp. Hieros. in Catech. myst. 4. & S. 1. Thess. 5.

7 Paul. in d. lit. de Iudæis & aliis ad hoc minist. Greg. de quorum experientia Ex PP. Conc. Basil. sess. 19. in decr. de Iudæis & Neop. parag. Et quoniam experientia teste.

Commendentur præterea Parochis, in quorum Parochia degunt, ut eorum curam præcipuam habeant; & ab his postea visitatores Neophytorum ad hoc designati sæpe cognoscant mores eorum, An piè & Christianè vivant; An in Paschate inparochiali Ecclesia sacram Eucharistiam sumpserint; An Missas & divina officia, ac prædicationes, & lectiones verbi Dei frequentent; & ad doctrinam Christianam audiendam veniant; An vocati ad comitandum Sacerdotem deferentem sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos præsto sint, & ad alia pietatis opera diligentes: Num in domos eorum Judæi conveniant, aut familiariter commorentur, aut ad eos ventitent: Num inimicitias & dissensiones habeant cum alijs Neophytis, aut antiquis Christianis; quas pro sua prudentia componere studeant, aliaque inquirant, & prout opus fuerit provideant. Quod & ipsi Parochi pro officij sui munere faciant, ubi domus vel Confraternitas Catechumenorum, & Neophytorum, illiusque Præfectus & visitatores non habentur.

Orationi vacent, Officium beatissimæ semper Virginis DEI genitricis MARIÆ, qui latinè legere sciunt, & defunctorum, septem Psalmos pœnitentiales, Litanias, & alias pias orationes & preces, cum eis oportunum fuerit, recitent.

Coronam ac Rosarium ejusdem gloriosæ & beatæ MARIÆ semper Virginis, tam hi qui legere sciunt, quam qui nesciunt, discant, & similiter recitent.

Cum cubitum eunt, & cum è lecto surgunt, semper signo crucis se signent, ac *Pater noster*, *Ave MARIA*, & *Credo in DEUM* saltem dicant. Antequam cibum sumant, mensam benedicant, & sumpto cibo gratias agant.

Cum prodeunt domo, signent se signo crucis, & cum iter aliquod aggrediuntur, eodem signo crucis, & oratione se muniant.

Cum aliquam Ecclesiam, præsertim celebriorem prætereunt, intrent in eam, aqua benedicta se aspergant, & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod in ea asservatur, reverenter adorent.

Orantes in Ecclesia DEI utrumque genu flectant, nec in ea existentes collocutionibus, alijsque negotiis vacent, sed reverenter & devotè se habeant, & tota cordis humilitate Dominum deprecentur.

Sæpe autem plebem suam Parochus moneat, ut hujusmodi conversos ad fidem amplectantur, & foveant, benè vivendi eis exemplum præbeant, ab Infidelium, & malorum Christianorum injurijs, qui illis impiè fidem, aut pristinam infidelitatem exprobrant, defendant; quinimo eos de fide susceptâ semper laudant, & ut DEO gratias semper agant hortentur. Secum eos ducant ad Ecclesias, ad conciones, & ad alia pia loca; Christianos mores, ritus, canonum præcepta, & consuetudines doceant, sanctis monitis, & consilio semper adjuvent, in necessitatibus eis subveniant, ægrotos visitent, discordes concilient, amicitiam cum eis colant, aliquos eorum incultos mores ac defectus sustineant, & tandem quemadmodum cæteros Christianos, ita eos, ut fratres habeant, dilectos concives, & cohæredes Regni cælorum.

CAPVT XVIII.

De fugienda omnino Neophytis communicatione cum Infidelibus.

CUm sæpe 1 malorum consortia etiam bonos corrumpant, & multo magis eos, qui ad vitia proni sunt, & Christi Fidelibus, præsertim vero Neophytis valde 2 pernicioſa sit infidelium consuetudo, illam ij maximè vitare, ac nullum cum Judæis, aut alijs Infidelibus, aut impijs hominibus amicitiam, societatem, aut communionem habere debent: ut à Domino in divinis Scripturis sæpissimè admonemur, dicit enim per Moysen: Num. 16. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini peccatis eorum.* Et per Isaiam 48. *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis.* Et infra cap. 52. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Et per Jeremiam cap. 51. *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam.* Et per Apostolum Paulum, 2. Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum Infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit DEUS, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum DEUS, & ipsi erunt mihi populus,* & quæ sequuntur. Et demum in Apocalypsi cap. 16. *Exite de illa* (scilicet Babylone) *populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus; & de plagis ejus non accipiatis.*

Et hæc quidem de impiorum & infidelium consortio, atque consuetudine fugienda, non immerito, sed ex necessaria, & manifesta causa periculi seductionis, & subversionis fidei, & participationis malorum & pœnarum tradenda sunt. Scriptum est enim: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

Quare Neophyti cum Judæis, & alijs infidelibus, nec societates, nec negotiationes quantum fieri potest habeant: caveantque juxta Apostolum, ne eorum infructuosis operibus tenebrarum unquam communicent, magis autem redarguant, atque se ab illicitis negotijs, & mercaturis tam cum illis, quam cum quibuslibet alijs omnino, ac perpetuo abstineant.

Catechista, & 3 qui ipsorum curam habent, & Diocæsani operam dent, ne cum Judæis, seu infidelibus saltem per longum tempus conversentur, ne, sicut quandoque contingit ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam perditionem recidivos efficiat. Et primo præsertim anno post Baptismum eos non nisi præsente Catechista, aut Confessario Sacerdote, vel alio antiquo & probato Christiano, ex rationabili vel necessaria causa & raro, & quam brevissimo sermone alloquantur. Illos tamen odio non habeant, nec, ut bonos se Christianos ostentent, aut aliorum Christianorum benevolentiam captent, ac sibi concilient, eos maledictis incessant, aut contumelijs, vel ulla injuria afficiant, memores præceptorum

1 Conc. Tol. 4. c. 61. apud Gratian. c. *sæpe malorum* 28 q. 1.

2 Ad idem *supra de recipien. & instruen. Catech. parag.* 1. *ubi alia authoritates citantur, & parag. Quocirca moneat eos. etiam Basil. serm.* 1. *de Bapt. p.* 2. *& fin. ubi de Baptizando & de jam recuperato* [illegible] *ut mutet locum & vitæ priſtinæ conſuetudinem, & de illorum vitæ moribus & vitæ mutandis plenius, &c. Ephes.* 5.

3 PP. Conc. Basil. *sess.* 19. *in decr. de Judæis parag. Curent insuper vers. Et tam ipsi. Et ex eo Paulus Papaiii in supra citatis literis de Judæis & aliis venientibus ad fidem, similis pa-*

Tobiæ 4. Matth. 7. rum legis naturæ: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Et omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hec est enim lex & Prophetæ*, ut ait Dominus. Quinimo sibi persuadeant ea Christianis viris maximè displicere, ac meminerint se quoque in illis tenebris infidelitatis aliquando fuisse; propterea que eos magna commiseratione dignos putent, & pro eorum, præsertim vero parentum, liberorum, aliorumque consanguineorum, affinium & propinquorum, qui in infidelitate remanserunt, conversione, supplices, assiduis, ferventesque ad DEUM preces toto corde effundant; ut & ipsi participes sint beneficij redemptionis humanæ, quam Christus Salvator noster pro sua immensa in nos dilectione operari dignatus est. Sed & erga eos benignitate & Christiana charitate utentes, beneficijs, cum occasio, vel opportunitas dabitur, illos prosequantur.

1. Conc. Tolet. 4. cit. c. 59. apud Gratian. 28. q. 1. c. Judæorum filios. Cærerum qui ex Judæis Christiani facti sunt, cum Judæis, nec verbum quidem Hebraicè loquantur, sed cum loquendum eis, ut dictum est, aliquando erit, loquantur communi lingua, ut ab omnibus possint intelligi, nisi sint viri docti, qui de veritate Christianæ fidei tractantes, vel cum Judæis disserentes, ex sacris veteris instrumenti scripturis, vel aliis eorum libris, ad ejusdem fidei confirmationem authoritates, & loca hebraicè proferant, aut recenseant.

2 Ad idem sup. 1. præced. para. Quod si & habuerit. Generaliter autem cavendum est, ne 1 Judæorum aliorumve infidelium filij jam baptizati, 2 sive impuberes, sive puberes sint, eorum parentibus, consanguineis, vel affinibus infidelibus post Baptismum ullo modo restituantur, ne illorum involvantur erroribus, aut consuetudine corrumpantur, aut falsis persuasionibus à Christi fide deficiant, & ad Judaicam perfidiam, vel pristinam infidelitatem revertantur. Et si ad eos redierint, omnino ab eorum consortio separentur, & educandi instituendive juxta sexum tradantur, ut supra.

3 Sup. eo. 1. proximo paragr. Neque filij infantes, & paragr. Lactentum vero. Sed & si infantes 3 ferint, idem observetur: quinimo etsi lactentes sint, quos etiam invitis parentibus aliquo casu baptizatos esse compertum fuerit, nec etiam lactandi, aut ad tempus nutriendi, & educandi matribus, seu parentibus restituantur.

4 Additio decreti sub Sixto V. 5 Calderin, Felin. & quidam alij. 6 Sub Sixto 5. die 22. Octobr. fer. 6. 1587. Neque 4 quorundam 5 Juris Canonici interpretum opinio probanda est, qui falsis rationibus persuasi, infantes sive impuberes filios Judæorum, vel aliorum infidelium baptizatos, etiam post Baptismum reddendos, seu tradendos esse parentibus, vel consanguineis usque ad certam ætatem, pro varia ipsorum opinione censuerunt. Nam & in Sancta Romana & universali inquisitione 6 adversus hæreticam & Apostaticam praviratem, ad conservandam fidei puritatem in pueris baptizatis, ac ad illos in ea rectè instituendos, bonisque & Christianis moribus imbuendos, & ne in ipsa educatione, infidelium parentum, vel suorum quibuscum viverent superstitione, vel perfidia corrumpantur, aut eam cum lacte imbibant, illorum opiniones tanquam falsæ, erroneæ, & periculosæ una cum earum auctoribus rejectæ, & improbatæ sunt ac generaliter Apostolica auctoritate declaratum, & decretum est, ut pueri, & infantes Judæorum, vel aliorum infidelium, quavis causa, vel occasione baptizati non restituantur Judæis, vel infidelibus etiam eorum parentibus, vel consanguineis, vel alijs quibuscunque propinquis, quantumvis sanguine, & quovis gradu conjunctissimis, etiam ad tempus, donec adolescant, aut infantiam transigant, vel etiam donec ablactentur; non obstantibus prædictis opinionibus quorumvis Glossatorum, Canonistarum, aut aliorum Doctorum, cujusvis sint auctoritatis, aut æstimationis.

7 Cæterum Apost. 69 alias 70 juxta Theod. Balsamonem, & Conc. Laodic. cap. 37 juxta 2. edi. 8 cæterum Apost. 65 ac item Conc. Laodic. 38 juxta 2. edit. & 6. Syn. can. 11. & habetur apud Grat. 28. Nullum, q. 1.

Ac juxta Sacros Canones, neque à Judæis, 7 vel hæreticis xenia, munuscula, seu donaria festiva, & quæ olim *Feriatica* vocabantur, neque etiam Judæorum 8 azyma accipiant, aut comedant, aut alias communicent impietatibus eorum. Nam & grave peccatum est, & in committentes graves etiam pœnæ staturæ sunt.

9 Cæterum can. Apost. 69. & Laod. conc. 37. & Ignat. Epistola ad Philip. 10 Cæterum Elber. 50. 10 Conc. Matis. 4. can. 4. Conc. Laodic. citatus sitcum Gratian. sicut sunt S. Ambr. Lucas. 5. super verbum venerunt ceteri, &c. Et Chrysost. super Helcus cap. 11. hom. 25. & habetur apud Grat. 28. q. 1. ad. fin. vi. 1. c. 15. eod. to. 2. Conc. Aurelian. 3. 13. cod. tom. 2. Conc. ibi: Item, Christianis convivia vetidicimus Judæorum, in quibus si forte fuisse probantur, annuali excommunicationi pro hujusmodi contumacia subjacebunt. 13 VI. Synodus Can. 2. apud Gratian. 4. 6. in c. Nullus 28. q. 1. 14 Ibid. can. 11. & apud Grat. 28. q. 2. cit. c. Nullus. 15 Ibid. can. 11. & apud Grat. 28 q. 1. & c. Nullus. 16 In præcepto seu inhibitione vicarij urbis, postea edito, die 17. Jul. 1592.

Neque 9 Pascha, aut alios dies festos Judæorum, qui jam velut umbræ, & figuræ transierunt, cum eis agant, aut observent, neque ad eorum, imo potius Satanæ Synagogas, scenopegia, circumcisiones, aliasve ipsorum solennitates, etiam cunositatis studio, accedant: neque quicquam cum eis tractent.

Cum ipsis non 10 comedant, neque bibant, 11 neque quidquid comedi aut potari potest, à Judæis accipiant.

Neque ad eorum convivia accedant, neque eos ad sua excipiant, aut invitent. Quod omnibus Christianis sacri 12 Canones interdixerunt, quia cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegium eorum cibos à Christianis sumi; cum ea, quæ Apostolo permittente 1. Tim. 4. *nos sumimus, ab illis judicentur immunda*; ac si inferiores incipiant esse Christiani, quam Judæi, si nos, quæ ab illis apponuntur, utamur: illi vero à nobis oblata contemnant.

Cum eis non 13 cohabitent, nec ullam familiaritatem habeant, ad eorum domos, vel hospitia non adeant aut divertant, nec cum eis pernoctent.

Nec vicissim illos sinant familiariter ad se venire, aut suas domos intrare.

Neque etiam cum ipsis in 14 balneis lavent, ludant, saltent, aut tripudient.

Sed nec etiam 15 in moribus, aut infirmitatibus suis, Judæos medicos accersant, neque ab eis medicinas accipiant.

Quocirca in Urbe, jussu 16 Pii Papæ V. Judæi sub pecuniarijs & corporalibus, nempe publicæ fustigationis, & carceris pœnis, etiam iterato inhibitum fuit, ne audeant, aut præsumant Neophytos & Catechumenos utriusque sexus, etiamsi pater, mater, frater, aut soror, aut etiam filius, vel consanguineus, etiamsi infantes cujusvis ætatis, in eorum domibus & habitationibus recipere, & acceptare, neque ibidem cum eis comedere, & dormire, aut societatem, vel negotium aliquod seu conversationem cum eis, aut mercaturâ aliquam facere, habere aut tenere, neque cum eis ambulare aut

Infideles non possumus Christo lucrari, si eorum colloquium vitamus & convivium, unde Dominus cum Publicanis & peccatoribus manducavit & bibit, &c. 11 *Conc. Meten. cit. c. 4.* 12 *Conc. Agaten. c. 40. tom. 1. Conc. & habetur apud Gratian. 28. q. 1. Omnes deinceps. Item Conc. Venet. c. 12 to. 2. Con. Item cit. Conc. Meten. c. 4. Item Conc. Matiscon. 1. c. 15. eod. to. 2. Conc. Item Conc Aurelian. 3. 13. eod. tom. 2. Conc. ibi: Item, Christianis convivia vetidicimus Judæorum, in quibus si forte fuisse probantur, annuali excommunicationi pro hujusmodi contumacia subjacebunt.* 13 *VI. Synodus Can. 2. apud Gratian. 4. 6. in c. Nullus 28. q. 1.* 14 *Ibid. can. 11. & apud Grat. 28. q. 2. cit. c. Nullus.* 15 *Ibid. can. 11. & apud Grat. 28 q. 1. & c. Nullus.* 16 *In præcepto seu inhibitione vicarij urbis, postea edito, die 17. Jul. 1592.*

aut laborare. (Quod & deinceps etiam amplius & gravioribus pœnis mandatum est 1.)

1 Ut in edicto Reverendiss. Domi. Card. Rusticucii, vicarij urbis, postea edito die 17. Jul. 1592.

Et vice versa etiam jussu Domini Papæ Cardinalis 2 Protector, & Judex ordinarius Catechumenorum, & Neophytorum publico edicto venit, & prohibuit universis Neophytis, & Catechumenis utriusque sexus, ne quisquam eorum cujuscunque status & conditionis, audeat, aut præsumat post illius publicationem, sub quovis prætextu, causa, vel colore comedere, bibere aut dormire in domibus, vel apothecis Hebræorum, aut aliorum Infidelium, vel alio in loco, intra eorum sepia; vel illa noctu ingredi, aut in eis pernoctare: ab eis munera aut dona cujuscunque generis, ne cibos quidem, vel potum, & præsertim azymos panes, & similia, quæ pro eorum superstitione statis temporibus parari solent, accipere. Neque ad eorum convivia & festa accedere: Neque circumcisioni puerorum eorundem Hebræorum interesse: Neque domos, vel hospitia, in quibus Judæi commorantur inhabitare; opera medicorum, & ipsorum medelis uti: neque ullam denique cum eis familiaritatem, consuetudinem & conversationem habere. Quod ut facilius fieri posset, vetuit etiam & prohibuit, ne quisquam prædictorum Neophytorum & Catechumenorum per se, vel alium cum illis in mercatura, aut alia negotiatione communicet, vel societatem ineat; imo si quam forte cæperit, debeat eam intra octo dies à die publicationis hujusmodi absolvisse, & rescidisse. Præterea ne audeant operari, aut operas suas locare in domibus, aut apothecis Judæorum, aut aliorum Infidelium, aut in domibus aliorum, in quibus ipsi Judæi operantur. Prohibuit quoque omnibus & singulis Neophytis, ne quisquam eorum audeat, vel præsumat in domos, aut apothecas suas recipere, & familiariter tractare, cum quoquam Judæo, etiamsi pater, mater, frater aut alio consanguinitatis, vel affinitatis gradu sibi conjunctus esset in alio quocunque loco, domo, caupona, vel diversorio cum eis comedere, bibere aut dormire, sub quovis prætextu, vel colore; neque etiam ad sua convivia, nuptias, aut festa illos invitare, aut eorum opera & servitio in domibus suis uti, sub pœna viginti quinque Scutorum auri in auro, applicanda domui Catechumenorum.

2 Jul. Anton. t. S. Bart. in Insul. Presb. Card. S. Sever. vocatus in ejus edict. 18. Jul. 1592.

3 Concil Tol. 4. c. 61. apud Grat. 28. q. 1. cap. Sæpe malorum 1. Cor. 5. Galat. 5.

Ut nulla denique 3 Judæis, præsertim ad Christianam fidem conversis, sit ultra communio cum his, qui in Judaica superstitione permanent, ne forte eorum participatione subvertantur: cum sicut dicit Apostolus: *Modicum fermentum totam massam corrumpat.*

4 Apud Gratianum præsertim 28. q. 1. per totum, & de Judæis etiam per tot. & converss. alibi, & supra de Jud. procur. tit. Quomodo in Judæorum & aliorum infidelium excessu procedendum sit.

Ac doceat, ut omnia alia, quæ in decretis & sacris 4 constitutionibus de Judæis, deque eorum usu & consuetudine prohibita sunt, diligenter vitare debeant.

5. Conc. Laodic. c. 39. tom. 1. Conc.

Idem quoque valde curandum est & desis, qui ex alijs Infidelibus & Mahometanis, vel Ethnicis, & gentilibus ad fidem nuper venerunt, ne rursus illorum erroribus involvantur, ne cum ipsis infidelibus Mahumetanis, Gentilibus, 5 & paganis festa celebrent, & impietatis illorum societatem 6 habeant.

6 Amb. in Luc. & Chrysost. in ep. ad Hebr. c. 11 hom. 25. & extat in decr. c. Ad mens. 11. q. 3.

Illi ne Pseudoprophetæ Mahometi ullam prorsus fidem, aut venerationem habeant: Mesquitas autem eorum, & impietatem perpetuò horreant, & detestentur.

Hi vero ne diabolo, aut ejus simulactis, 7 Idolis, & Sacerdotibus caput aperiant, aut inclinent, neque ullum omnino cultum exhibeant, neque eorum nomen invocent; neque serio, vel joco flores, aut frondes spargant 8 aut illa sertis coronent; neque eis soli, aut cum cæteris gentilibus clam vel palam thus, odoramenta, munera, aut cibos offerant, aut immolent, vel sacrificent, aut pateris vina libent, neque coram eis, vel in eorum templis ludant, choreas ducant, saltent, aut canant, aut profanas epulas sumant, etiamsi aliter quam propter credulitatem id se facere asseverarent.

7 Conc. Elib. c. 1. de his qui post Bap. sacrificant. c. 2. de Sacerdotibus gentium qui post Baptism. immolaverunt, & c. 3. de eisdem qui munus tantum Idolis obtulerunt tom. 1. Conc. 8 C. Nemo C. de paganis ubi Valentinianus & Martianus Augusti plura ex his prohibuerunt. 9 C. 70 tom. 1. Conc. p. 754. quod habetur tit. de Apostatis c. Quidam 4. ubi Pet. de Ancar. n. 1. Card. Flor. n. 1. Abb. in princ. Ioan. de And. & n. 1. & Marian. Socin. sen. in princ. quod qui efficitur Christianus debet & compellitur dimittere ritus Iudæorum & sic alios rum infidelium; alioquin est Apostata ut dicunt ib. Card. Floren. & & Ioan. de Anan.

Cum vero contingit quosdam, qui ad sacrum Baptisma sponte & voluntariè accesserunt, veterem hominem non omnino exuere, ut novo perfectius induantur, sed prioris quoque ritus reliquias retinentes, Christianæ Religionis decorem tali commistione confundere: Præsati Ecclesiarum juxta *Innocentij* Papæ III. statutum in concilio 9 generali veteris ritus hujusmodi observantiam omnimodo tollant, ut quos Christianæ Religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, saluberæ coactionis necessitas in ejus observatione conservet: cum minus malum existat *viam Domini non agnoscere, quam post agnitam retroire.*

CAPVT XIX.

Quomodo puniendi Neophyti, si ad vomitum redeant.

SOlicitè invigilandum erit, non modo Catechistis & Præfectis Neophytorum, verum etiam Parochis & Præsulibus Ecclesiarum, & quibusvis Ordinarijs locorum, ne Neophyti sive recens, sive pridem baptizati, Diaboli, aut impiorum hominum suasu, insidijs, tentationeve aliqua, aut animi imbecillitate superati, à fide constantia & veritate deficiant, aut avertantur, & ad priores vitæ ritus superstitioneve redeant, aut declinent. Quare & eis maximè curandum est, ut his Neophytis in errores hujusmodi relabendi omnis occasio rollatur, & præcidatur; eosque eorum ve mores, vitam, consuetudines, amicitias & societates explorent, & observent, atque ab alijs faciant explorari & observari.

Expedit autem, ut & ipsi edoceantur, quod juxta sacras 10 constitutiones, contra Christianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Judæorum, etiamsi

10 Bonif. VIII. in c. contra Christ. de hæreticis in 6 (ubi hæc ad verbum) ita & Greg. X. in lit. ad Inquis. har. ord. Prædic. & Min. incip. Turbato corde audivimus, sub datum Lugduni Kal. Martij Pont. sui Anno 2. Clemens iiij in lit. ad Inquis. hæret. ord Prædic. & Min. etiam incip. Turbato corde audivimus sub datum Viterbij. 7. Kal. Aug. Pontif. sui anno 3. Patres Conc. Basil. sess. 19. in decreto de Judæis & Neoph. paragr. Contemptores cum 2. seq. Paulus iij. in cit. litter. de Judæis & infid. ven. ad fidem, incip. Cupientes Judæos. paragr. Contemptores cum 3. seqq. Greg. xiij. in Bulla seu const. 37. de blasphemijs & sceleribus Judæorum per inquisit. puniendis. Incip. Antiq. Judæorum improbitas sub datum Romæ apud S. Pet. Anno 1581. Kal. Junij Pontificatus anno 10.

 tamsi

1 Cit. ca. Contra Christianos. Sed expressius Greg. X. in præcit. lit. Turbato corde. parag. Judæos autem. Clem. iiij. in similibus litteris, Turbato corde. parag. Judæos autem.

iamsi ipsi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu (non tamen absolutè, aut præcisè coacti) baptizati fuerint, erit tanquam contra hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu Judæos convicti, procedendum. Et sicut contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum; sic contra fautores, receptatores, & defensores eorum similiter procedetur.

Quodque Judæi, qui Christianos ad eorum execrabilem ritum, seu perfidiam inducere comperti fuerint, juxta 1 easdem constitutiones sunt pœna debita puniendi.

Sed & Neophyti, qui ex Agarena, seu Saracenica ac Turcica gente, & Mahometana secta venerunt, pariter edocendi sunt, idem statutum 2 esse de ijs, qui ad Christianam fidem conversi, ad pristinam redeunt impietatem, vel de Christianis, qui fidei veritatem abnegantes, se damnabiliter ad Mahometicam sectam transferunt, & contra ipsos tanquam contra hæreticos; & contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum procedatur. Et Saraceni seu infideles prædicti, qui Christianos utriusque sexus ad hujusmodi eorum perfidiam inducunt, pœna legitima puniantur.

2 Greg. XI. in simil lit. incip. Ad modum dolenter audivimus, datis apud villam novam Avenion Diœc. 3. Non Aug. Pont ann. 2.

Porro si Neophyti in prædictis deliquisse, aut se suspectos reddere deprehendantur, ipsis locorum 3 Ordinarijs, vel Inquisitoribus adversus hæreticam, & apostaticam pravitatem, per Civitates, Diœceses & Provincias institutis deferantur, qui pro sua prudentia & pietate rationem habentes, quod recens Christiani effecti, & noveliæ sint plantæ, eos ad rectam fidem, melioremque frugem revocare studeant, & juxta excessum factorum & personarum qualitatem, vel in eos procedant, & animadvertant, vel illos levius, aut acrius, ut res postulat, ipsorumque saluti magis expedire cognoverint, castigent, corripiant & emendent.

3 Patres Conc. Basil. in præcit decr. parag. Contemptores & parag. De his omnibus. & parag. Neophyti vero. Paul 3. in prædictis litteris similiter. parag. Contemptores & parag Et insuper de iis omnibus, & parag. Neophyti vero.

Atque ea ratione hîs, non modo semel in pristinæ infidelitatis errores lapsis, sicut & cæteris parcitur, verum etiam sæpius lapsis, seu recidivantibus in eosdem, vel alios errores; si tamen verè ipsos pœniteat, & ad veritatis lumen redeuntes, sinceræ pœnitentiæ manifesta signa dederint, atque in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ recipi humiliter postulaverint, ex auctoritate & indulgentia sanctæ Sedis Apostolicæ, ab Episcopis, vel Inquisitoribus, pœna relapsis debita, clementer remitti, & vel in perpetuam, vel in temporalem custodiam, aut in aliam leviorem pœnam, vel in pœnitentias salutares factorum, & personarum qualitate pensata, mutari consuevit, aut aliàs cautè providetur.

Quod maximè observandum est, in ijs qui ingenio rudes, & mente imbecilles sunt, aut ex gentibus natura varijs, & inconstantibus progeniti sunt, quales putantur Mauri, Arabes, Indi, atque alij similes, cum quibus eadem 4 Sancta Sedes super eorum receptione ad pœnitentiam & pœnæ condonatione, sæpe dispensari mandavit.

4 Scilicet in litteris Apostol. in forma Brevis facultatum absolvendi hujusmodi Apostatas præsertim in Hisp.

Clementis 7. datis die 16. Jun. 1525. Pont. sui An. 2. & alijs ejusdem Clem. 7. datis die 2. dec. 1530. Pont. sui an. 8. & alijs S. Mem. Pauli iiij. datis die 23. Junij 1556. Pont. sui an. 2. Et aliis Pij iiij datis die 6. Novem. 1561. Pont. sui an. 2. Et alijs ejusdem Pij iiij. datis 25. Aug. 1565. Pont. sui an. 6. Et alijs B. Mem. Pij V. datis die 6. Sept. 1567. Pont. sui An. 2. Et alijs Greg. XIII. datis die 6. Aug. 1574. Pont. sui an. 3. (Addatio) & alijs Clementis VIII. datis die 31. Maij, 1594. Pontific. sui anno 2.

Et si quando Neophyti ex Judæis, qui 5 postea blasphemantes, in Christum, Judaicos ritus perpetrare, & abominandas eire uncisiones exercere dicuntur, diligenti inquisitione præcedente per Episcopos & Inquisitores locorum Ecclesiastica auctoritate correcti, ad cultum Christianæ Religionis revocentur, ut quos propria voluntas non emendat, animadversio Sacerdotalis coerceat. Et si 6 moniti se corrigere neglexerint, & ad vomitum Judaizantes, redijsse comperiantur, contra 7 eos, tanquam contra hæreticos procedatur, & si in apostasia & perfidia pertinaces fuerint, post 8 consuetas monitiones, & inducias, juxta 9 Canonicas sanctiones sæculari potestati relinquendi erunt debita animadversione puniendi.

5 Con. Tolet. 4. cap. 58. 10. Con. apud Grat de consecr. dist. 4 cap. Plerumque qui ex Judæis & apud Dyonisium l. 6. rescription. divi. officii. dist. 23.

Filiorum tamen 10 eorundem Judæorum baptizatorum, qui in Christum postea prævaricantes, qualibet pœna damnati exciterint, si fideles fuerint, ea ratio haberi debet, circa ipsorum habilitatem vel successionem, quam Canonicæ & Apostolicæ Constitutiones mandant.

6 Patres Conc. Basil. in præcit. decr. de Judeis para. Neophyti vero, & Eorum in præcit. lit. de remittendis ad fidem parag. Neophyti vero.

CAPVT XX.

Neophyti sicut alij Christiani veteris fidei habeantur, & ne priventur publicis honoribus, & dignitatibus.

PArochi vero illos sæpe visitent, doceant, moneant, arguant, & paternè corripiant: commendent etiam ipsos alijs Christianis, ut benignè, humaniter, & cum omni charitate cum eis agant, & versentur, habeantque eos ut fratres in Christo, non autem evitent, vilipendant, aut contemnant, vel ab eis abhorreant, quod ex infidelibus nati sunt, imo majori amore eos diligant, quod relicta infidelitate Christianam Religionem amplexi sunt: nec 11 propter novam fidei susceptionem inter hujusmodi noviter conversos ad fidem, & alios Christianos antiquos discrimen faciant, nec verbo aut facto contumelijs afficiant, nec affici permittant, sed pro viribus contradicant, & pro eis se opponant, ac prohibeant, & eos omni charitate prosequantur, & demonstrent sine personarum exceptione, omnes Christianos Catholicos unum esse corpus cum Christo, †*in quo*, sicut dicit Apostolus; *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Et iterum, * *Sicut enim corpus unum est & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint mul-*

7 Præcitatis l. contra Christianos de hæret. l. 6. & concordant lit. diversorum Pont. supra memoratis, & dec. Part. Conc. Basil. lit. Pauli iij. proxime relatis.

8 Cap. Conversionibus pers. Item Petr. Aperisarium. 1. q. 7. & facium. supra cit. decretum Patrum Conc. Basil. parag. Neophyti vero ibi post Canonicam

monitionem. Et lit. Pauli iij parag. Neophyti vero ibi post monitionem canonicam. 9. C. *ad abolendam & c. Excommunicamus, de hæret. & cit. c. Contra Christianos cum concordantibus.* 10. *Conc. Tolet. 4. c. 60. Tom. 2. Conc. & apud Gratian. 1. q. 4. c. Judæi Baptizati. At de hæreticorum filijs cap. Vergentis de Hæret. c. Quicunque. c. filij. & c. statutum 2. eod. tit. l. 6.*

11 *Ex lit. Apost. sub Bulla Nic. V. approbationis & confirmationis ordinationum & decretorum, Alphonsi, Henrici, & Joannis Castellæ & Legionis Regum Anno 1449. Pont. sui anno 3. Incip. Humanis generis inimicus.* † *Galat. 5.* * *1. Cor. 12.*

*Ephes. 4. 1 Card. Cajet. to. 2. opusc. 17. responsio, responsio. 6. 2 Ex Nic. V. in supradicto lit. Humani generis inimicus paragr. Ac omnibus ut in eis, & paragr. & quia parum est.

multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Ac rursus: *Unum corpus, & unus Spiritus, sicut & vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum Baptisma, unus DEUS, & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

Cum autem Christus se ijs communicaverit, & nos ipsis nostra communicare debemus; & quos Dominus noster per lavacrum regenerationis suo sanguine mundare, & sanctificare dignatus est, iniquum profecto est, ut si in aliquo 1 culpabiles non inveniantur, nec nisi ratione originis suspecti sint, antiqui Christiani eos veluti immundos & indignos ab officijs, honoribus, dignitatibus, & privilegijs, quibus alij Christiani utuntur, & gaudent, arceant, ac matrimonia cum ipsis contrahere nolint, & hujusmodi alia in illos faciant, quæ alios infideles à conversione plerunique averterunt, & ipsos Neophytos contristant: adeo ut imbecilles & debiles in fide quandoque eum se despectos videnr, intrinsecus pæniteat, quod Christianam fidem susceperint, non sine magno animarum detrimento, & Christianæ Religionis contumelia.

3 Ex edicto fac. Regis Arag. confirmato ab Innoc. iiij. parag. Statuimus.

Quare publicè & privatim non modo Parochi, sed etiam Episcopi, & Prælati severè arguant eos, qui novos 2 Christianos sic despiciunt, & contemnunt; quive ipsos probris & convitijs infectantur, aut alias eis contumelias aut injurias inferunt, 3 aut pristinam conditionem contumeliosè exprobrant, & improbrant, puta vocando eos Judæos, Matranos, vel Turcas, aut Renegatos, quos etiam pro gravitate, aut atrocitate facti coerceant, 4 & puniant, ab alijsve Judicibus coerceri, & puniri faciant.

4 Ex eisd. lit. Nic. 5. paragr. Et quia parum est. & dict. edicto Jacobi Regis eod. parag. statuimus.

Et cum indignum sit, 5 & nequaquam ferendum, eos qui relicto cæcitatis errore, ad lucem venerunt fidei Christianæ, ab iis, qui in ipsa cæcitate remanent, persecutiones, contumelias, & injurias pati; ideo multo magis & gravius in Judæos & alios infideles quavis lingua vocantes Neophytos apostatas, aut משׁמדים Meschiumadim, hoc est, perditos homines, aut eis contumelias, injurias, & persecutiones inferentes animadvertere debent, aut animadverti mandare.

5 Ex lit. Latini Cardin. Expositi nobis datis Imolæ 14. Martij Pontific. Domini Nic. iii. anno 2. supra relatis.

Moneant præterea plebem suam Parochi, ut de ipsis, si quid viderint eos peccare, non illico scandalizentur; cum ideo Neophyti dicantur, quod novæ planræ sint, quæ à vento tentationum sæpissimè concutiuntur, & ut parvuli & imbecilles facile cadunt.

6 Innoc. 3. in epist. ad Christi fideles in Saxonia, & Westphalia, & in alta, in Sclavia, (fortasse in Sclavonia) & in alia ad Transalpiam (fortasse Transalpinam) constit.

Sed potius diligenter caveant, ne qui ex antiquis Christianis malo suæ vitæ exemplo recens ad fidem conversos, ad vitia & scelera provocent aut adducant.

Verum cum eos delinquere viderint, fraternè corripiant, atque si sæpe moniti non se emendarint, tunc ipsorum Episcopo, vel Prælatis denuncient, non odio, sed charitate, ac zelo salutis eorum, atque ut illos lucrifaciant, in eis tamen corrigendis, aut puniendis benignius agatur, ne cùm quam infirmi pœnarum animadversione deterriti à fide deficiant, nisi gravitas seu qualitas delicti aliud postulet.

Sed & cum Sedes Apostolica, ex munere sibi divinitùs commisso, pascendarum ovium & agnorum Christi 6 specialiter protegere, & tueri debeat noviter conversos ad fidem; idcirco ut ejus benignitate, & auctoritate foveantur, atque à gravaminibus, injurijs, & indebitis molestijs subleventur & protegantur, ei pro tempore præsidentes summi Romani Pontifices Prælatis, & temporalibus Dominis, ac Officialibus locorum sæpissimè 7 rescripserunt & mandarunt, ut eos benignè tractent, charitativè foveant, gratijs & favoribus muniant; ac ne deterioris sint conditionis post Baptismum, quam ante: ipsis in personis, aut rebus eorum nullam molestiam inferant, neque per Judæos, & infideles, aut alios indebitè inferri permittant: quin potius in ijs & alijs se favorabiles exhibentes, eos ab injurijs & molestijs protegant & defendant, atque in omnibus propitij eis assistant auxilijs opportunis.

7 Nicol. 3. seu 4. in Bulla incipiente; Vineam Sorec, & 6. Joan. 22. citatæ extrav. Dignum arbitrantes, 6. 2. de Judæis in extrav. communibus. His adde sæpe citatas literas Latini Card. Ostien. Apost. Sedis legati ad Inquisit. Ferrariæ, & literas ejusdem Joan 22. in ejus regesto apud Biblioth. Vatic. ad Angel. Episc. Viterb. datas, Avenion 4. non. Iul Pontific. sui ann. 6. & alias ejusdem Joann. 22 in eodem regesto ad eundem Angel. Item alias ejusd. ad Archiepis. Episc. & alios Ecclesiarum Prælatos in Hungaria constitutos, datas Avenion. 8. id Maij Pontific. sui an 12. 8 Alex. 3. in Co. 6. Later. 6. 26. to m. 3. Conc. & habetur c. Judæi. 2. parag. 1. de Judæis

Ac proinde 8 in Lateranensi Concilio constitutum fuit, ut qui ad fidem se converterint Christianam, à possessionibus suis nullatenus excludantur; cum melioris conditionis esse oporteat ad fidem conversos, quam antequam fidem susciperent habebantur ac Principibus & potestatibus locorum sub pœna excommunicationis injunctum, ut eis portionem hæreditatis & bonorum suorum ex integro facerent exhiberi.

Mandent præterea Principes & Domini terrarum, ne Neophyti, & ad fidem conversi tributis, oneribus, vectigalibus, & exactionibus plus solito aut æquo graventur, 9 sed piè & humaniter cum ijs agatur, ne alij infideles, qui ad eandem fidem libenter converterentur, ab hujusmodi conversione propterea retrahantur.

Quin & Ecclesiarum Prælati, etiam in exigendis decimis 10 ab his Neophytis seu convertis, sic benignè & urbanè saltem quoad in fide perfecti & plenè roborati fuerint, se gerant, ut ijdem conversi se gravatos non reputent; sed potius benignius tractati alios infideles ad Christianam fidem suscipiendam inducant, & ipsi in ea ferventius perseverent.

Verum neophytos, seu qui nuper Baptismate sunt 11 illuminati ad sacros Ordines, & sacerdotium nisi post multam probationem promoveri non oporter, secundum Apostoli regulam, & sacrorum Canonum 12 censuram, *ne in superbiam elati in judicium & laqueum incidant diaboli.*

At si eis postmodum honesta vita, probati mores, clara virtus, vel spectata pietas, & Religio, sufficiens doctrina, aliave merita suffragentur, & ad majores Ordines, & ad beneficia Ecclesiastica, ad 13 Canonicatus quoque, Præbendas & dignitates, etiam in Cathedralibus Ecclesiis (nisi 14 alicujus Ecclesiæ specialis constitutio, Apostolica auctoritate confirmata, repugnet) atque etiam ad paro-

9 *Hæc ponuntur argumento infra citandarum lit. Joan. 22.* 10 *Ex lit. Joan. 22. ad Prælatos Hungariæ, quæ in scholijs ad parag. Sed & cum sedes Apost. citatæ sunt.* 11 *Can. 3. Conc. Laodic. ex 1. & 3. versione.* 12 *Conc. Nicen. can. 2. apud Gratian. dist. 48. cap. 1. Conc. Laodicen. can. 3. tom. 1. Conc. ex triplici versione Concil. Arelaten. c. 2. tod. 1. to. Conc. ubi dicitur ordinari ad Diaconatum vel Sacerdotij offic. Neoph. non debere.* 13 *Cap. Eam te. Ex Innoc. 3. de rescriptis.* 14 *Vt in Eccl. Tolet. Cordub. & alijs Hispan. Quanto vero tempore judicandus sit aliquis Neophytus, ut possit ad ordines & ad alia officia Ecclesiastica promoveri, arbitrio prudentu relinquendum esse, existimat Suarez tom. 5. disput. 43. conci. 2.*

parochiales, & Curatas Ecclesias promoveri non prohibentur. Sed & quandoque quis eorum, vir adeo insignis, & omnibus qualitatibus abundè præditus esse potest, ut ei etiam Cathedralis Ecclesia merito regenda committatur, ut & alias factum est.

Si quis eorum infirmatur, statim per designatos visitatores visitetur, & subsidio spirituali, & corporali, si opus fuerit, adjuvetur.

Similiter & aliorum pauperum, & indigentium Neophytorum cura habeatur, ne propter nimiam inopiam aliquando ad suos infideles confugere cogantur.

Horum verò indigentium Neophytorum numerus descriptus habeatur, ut quolibet mense, saltem aliquid ex pijs fidelium eleemosynis, vel domûs Catechumenorum redditibus singulis tribuatur.

Concedatur autem aliquibus laicis etiam Neophytis, viris probis, ut inter se, & cum alijs Christianis collectas faciant, pro hujusmodi pauperibus adjuvandis.

Cum vero graviter decumbunt, vel ad extremum vitæ finem pervenerint, tunc potissimum eos adjuvent, tunc infideles, & alios in fide suspectos ab eis arceant, & ut piè, religiosè ac Christianè Sacramentis Ecclesiæ muniti decedant procurent; ipsorumque animæ in exitu à Parocho ac alijs Presbyteris, & Religiosis Domino commendentur; nec non cum vita functi fuerint, cum 1 hymnis & Psalmis, ad Ecclesiasticam sepulturam de more efferendos curent, ac pro eorum animabus vigiliæ, & officia mortuorum decantentur, atque divinum missæ sacrificium offeratur, & tertio, septimo, vel trigesimo eorum depositionis die, exequiæ celebrentur.

1 *S. Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ epist. tom. 1.*

Admoneantur autem, ne 2 mortuos more Judæorum, aut aliorum infidelium sepeliant, quod si unquam hoc facere deprehendantur, ab Ordinarijs locorum, seu ab ijs ad quos spectat, ipsis ne de cætero faciant, sub gravibus pœnis prohibeatur.

2 *Patres Conc. Basil. sess. 19. in decr. de Jud. & Neophyt. paragr. Prohibeatur. Et bis Neophyt. &c. & ex ijs Paulus III. in lit. de Jud. & alijs infid. venientibus ad fidem. paragr. Et quoniam experientia, &c.*

CAPUT XXI.

De observandis in solenni Baptismo circa adultos ex Rituali Cardinalis Sanctæ Severinæ.

Generalis solenniſque Baptismus præsertim adultorum, qui benè valent, & incolumes in pacis securitate degunt, non nisi in Sabbato Sancto Paschæ, & Sabbato Pentecostes celebrari debet: solenniter enim baptizandis in Ecclesia electis hæc duo tantum tempora, constat esse legitima, & eadem ab omnibus ex Apostolica traditione observanda summi Romani Pontifices præceperunt.

Qua etiam ratione constitutum est, ut cum Baptismi Sacramentum summè necessarium sit, tam parvulis, quam adultis, Baptismus ipse ac etiam Confirmatio non solum pueris, sed & adultis, propter moræ periculum exhiberi possint licitè tempore interdicti.

Propterea vigilet Sacerdos, ut si qui ex Catechumenis, dum instituuntur, fuerint mortis periculo præventi, & in exitu vitæ constituti divinam gratiam imploraverint, eorum Baptismus non differat, sed ijs illico ministret.

Quod quidem generaliter sollicitèque curandum est, ne quorumvis etiam adultorum graviter ægrotantium, venientium ad fidem Baptismus nimium differatur, verum quam primum eis exhibeatur, juxta præscriptum ordinem baptizandi infirmum.

Qui verò in ægritudine constituti Baptismum perceperunt, ubi convaluerint, fidei symbolum, atque alia sacra mysteria, Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi edoceantur; & in reliqua Christianæ vitæ doctrina rectè instituantur: ut agnoscant gratiam quam acceperunt, & sciant qualem eos vitam ducere oporteat in futurum.

Quamvis autem Sabbato sancto Paschæ, & Pentecostes generalis ac solemnis Baptismi Sacramentum celebretur, non tamen tunc illud omnibus ad fidem se venire asserentibus passim tradi convenit, sed his dumtaxat Electis, qui saltem ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisque orationibus, atque jejunijs fuerint expiati: quatenus Apostolica illa impleatur præceptio, ut expurgato fermento veteri, nova incipiat esse conspersio.

Verum si circa, seu post tempora Pentecostes, cum aliud solemne Baptisma eo anno non est celebrandum, aliqui & maximè Judæi conversi fuerint, qui molestè ferant, suum Baptismum usque in sequens Pascha differri, & ad Baptismum festinare noscantur, ne longa dilatio eorum possit animos revocare, cum ipsis dispensari potest, ut pœnitentia & abstinentia quadraginta dierum eis prius indicta, aut die Dominico aut celebriore festivitate, quæ fortassis occurret, omnipotentis DEI misericordia protegente baptizentur.

Cum illud, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit (ut Sanctus Cælestinus Papa ait) non otioso contemplemur intuitu, ut sive parvuli, sive adulti ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis & exufflationibus Clericorum, Spiritus ab eis immundus abigatur; ut tunc verè appareat quomodo Princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus: Idcirco Catechumeni seu Electi antequam baptizentur, secundum Apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & jejuniis sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi.

Quamobrem caveat sacerdos, ne sine ullis spiritualium eruditionum præparationibus, ita rudibus & imperitis Baptismi sacramentum tradere præsumant, ut circa ipsos renovandos nihil doctrina Ecclesiastica, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa jejunia, quibus vetus homo destruitur, operentur.

Hæc autem, quo utilius & fructuosius circa adultos Catechumenos præstare valeat, interdum illos, dum sunt in Catechesi, vel inter tempora scrutiniorum, informare poterit de mysterijs fidei, ac de rebus pertinentibus ad ipsorum ædificationem & profectum, nec non de his, quæ circa ipsos aguntur, veluti de exorcismis, scrutinijs, catechesi, & gradibus Catechumenorum.

Exor-

Exorcismus quidem Græcè, Latinè dicitur *adjuratio*, seu *increpatio* adversus Diabolum, ut est illud *exi ab illo immunde Spiritus*, &c. & illud, *Exorcizo te immunde spiritus, in nomine Patris*, &c. Unde exorcizare est adjurare, vel increpare. Exorcizatur enim malignus Spiritus, ut exeat, & recedat ab illo plasmate, quod jam dudum per peccatum primi parentis possidebat; quia juxta Apostolum, non est conventio Christi ad Belial, nec societas lucis ad tenebras; egrediantur tenebræ, lux vera Christus ingrediatur, quocirca doceat non creaturam Dei in infantibus, seu Catechumenis exorcizari, aut exufflari, sed illum sub quo sunt omnes, qui sub peccato nascuntur, Principem peccatorum, ut ei renuntient, atque eruti de potestate tenebrarum, in Regnum DEI veri Domini per sacramentum Baptismatis transferantur.

Scrutinia à scrutando dicta, quantum ad Baptismum pertinet, majores nostri appellaverunt catechismos, seu catechizationes, interrogationes, examina, exorcismos ad fidem venientium, & Catechumenorum: quod ita scrutarentur, hoc est, inquirerent, an idem Catechumeni, qui juxta Apostolicam regulam prædictam, & exorcismis scrutandi, & jejunijs sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, Satanæ, & operibus, & pompæ ejus verè abrenuntiassent, & apti idoneique essent ad Baptismi Sacramentum suscipiendum. Scrutinium itaque est de fide, & Christiana Religione inquisitio, quæ fit à sacerdotibus & Clericis circa eos, qui ad illam se venire profitentur, ut ejus doctrina & Ecclesiastica disciplina informentur; quatenus diligenter de ijs perquisiti, & optimè edocti de die in diem proficientes, idonei efficiantur accedere ad gratiam Baptismi, ad quem est quasi iter, sive præparatio quædam. Fiunt autem scrutinia, ut in eis Catechumenorum corda Sacerdotes perscrutentur, & sæpius explorent, utrum in eadem fidei doctrina persistant, quam pridem eos docuerunt; vel adhuc perseverent abrenuntiare maligno spiritui, operibus & pompis ejus; & an post abrenuntiationem, sacra verba traditæ fidei, ac symbolum, & orationem Dominicam memoriæ commendarint, & ne qua radix amaritudinis in eis insit, neve illis prius sancta dentur, quam Christiana fides radices in eorum mentibus defixerit.

Catechesis sive *Catechismus* Græcè dicitur *instructio*: instruitur enim veniens ad fidem Ecclesiastico ministerio, per benedictionem imponentis manum, ut intelligat quis ipse sit, quisve futurus sit, hoc est, ut ex damnabili sanctus, & injusto justus, & ad extremum ex Diaboli servo filius DEI fiat.

Inde qui instruuntur, & à sacerdote audiunt doctrinam fidei, *Catechumeni* dicuntur: Catechumeni autem duobus modis intelliguntur, uno generatim omnes credentes, seu credere volentes in Christum, nondum tamen baptizati; altero vero speciatim, qui catechizantur, nondum tamen ad Baptismi gratiam festinant, ad differentiam *Competentium* & jam instructorum.

Ad fidem enim venientium, primus gradus est *Catechumenorum*, secundus *Competentium*: tertius nuper baptizatorum, seu *Neophytorum*.

Licet autem apud priscos Sanctos Patres, alij essent audientes tantum, & alij Catechumeni: hic tamen audientes inter eos, qui ad Christi fidem veniunt, juxta aliquorum Patrum sententiam, non connumerantur: quod simpliciter tantum audirent: non autem ad ipsam Christi fidem venire, aut in eum credere velle, sicut cæteri Catechumeni faciunt, aperte profiterentur; atque ideo eisdem Catechumenis loco & gradu longe inferiores essent.

Catechumeni sunt, qui primum de Judaismo, vel de gentilitate veniunt, animo & voluntate in Christum credendi. Et quia primum exhortationis præceptum est in lege Dei: *Audi Israel, Dominus DEUS tuus, DEUS unus est*; inde is, cui per Sacerdotem quasi per Moysem Deus loquitur, Catechumenus, id est, audiens, nominatur, scilicet ut unum DEUM agnoscens, relinquat errores nefarios Idolorum. Sed & de omni infidelitatis secta ad Christum venientes Catechumeni dicuntur: Catechumenus quippe Græcè, Latinè *Audiens*, seu *Auditor* dicitur, eo quod adhuc doctrinam fidei audit, quæ non libro, aut scriptura, sed verbo ipsi traditur, & solo auditu suscipitur; necdum tamen Baptismum percepit, ad Christum autem veniens, ideo primum efficitur Catechumenus, ut ab eo per Christi gratiam ad fidei novitatem vocato, Dominus cæcitatem cordis, & pristinam conversationem expellat; ipse vero audiens à Sacerdote ejusdem fidei doctrinam credat, credens vero Baptismi gratiam consequi valeat.

Post Catechumenos secundus *Competentium* gradus est: *Competentes* autem sunt, qui jam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant, & illam petunt, ut & à petendo, Competentes dicuntur, quasi simul petentes, quod postquam in fide instructi fuerint, simul Baptismum petant. Nam Catechumeni tantum audiunt, necdum petunt, sunt enim quasi hospites, & vicini Fidelium, foris audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed nondum Fideles appellantur. Competentes vero jam petunt, jam accipiunt, jam catechizantur, id est, imbuuntur institutione fidei, & Sacramentorum: istis enim salutare symbolum traditur; quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi cognoscant, quales ad gratiam Christi exhibere se debeant.

Hi quoque *Electi* dicuntur, vel quasi divina voluntate ad fidem, & Baptismi gratiam vocati, vel quod ad eam suscipiendam electi sint, qui in scrutinijs habitis idonei comperiuntur, ut supra de scrutinijs dictum est.

Illuminandi item vocantur apud aliquos Sanctos Patres, præsertim Græcos, quod per Baptismum, quem mox suscepturi sunt, luce divinæ gratiæ illustrati, ac fidei Christianæ mysterijs imbuti plenius illuminabuntur.

Tertius gradus venientium ad fidem est eorum, qui jam baptizati sunt, & *Neophyti* vocantur, quasi novi Fideles, seu nuper renati, sive recens Christiani effecti: *Neophytus* enim Græcè, Latinè *nova planta* interpretatur.

Catechumeni etsi in Ecclesiam semel, dum initiantur, sint admissi, ut in ea verbum Dei audire, ac seorsum à Fidelibus orare possunt; non tamen ibi publicis divinis officijs, aut sacris Missæ mysterijs interesse debent, nisi *Missa Catechumenorum*, quæ idcirco sic appellata, protenditur ab introitu, usque ad offertorium inclusivè: tunc enim juxta antiquum morem admoneri, & foras mitti consueverunt, ita clamante Diacono: *Catechumeni foras exeunto*. Si quis est Catechumenus, exeat foras, vel, Si quis Catechumenus remansit, exeat foras: qua ratione, nec sacras ordinationes ipsis Catechumenis, sive audientibus, sive præsentibus fieri debere statutum est. Cæterum nec ad publicam Fi-

delium benedictionem, aut orationem Catechumeni conveniant, sed in alio loco segregati orare jubeantur. In scrutinijs autem id, quod in illorum ordine præscribitur, observetur.

Curent autem Presbyteri, & Clerici, ad quos pertinet, ut Catechumeni impuberes, vel adulti memoriæ mandent symbolum, quod in tertio scrutinio eis traditum est, ut illud memoriter reddere possint in Sabbato sancto.

Quod vero in eodem scrutinio Presbyter interrogat, qua lingua Catechumeni confiteantur Dominum nostrum JESUM Christum, & symbolum Græcè, & Latinè illis traditur; id inde factum, tum quod antiquitùs in Romana Ecclesia venientes ad fidem, duabus potissimum linguis, nempe Græca, & Latina uterentur, velut quæ tunc in toto orbe Romano vigebant, & frequentius colebantur; tum propter earum linguarum dignitatem, quod reliquis præstantiores essent; tum denique propter mysticam illarum significationem, quod per Græcam sapientia, per Latinam vero Romanorum potentia, quæ Christo subjiciuntur, designarentur. Proinde Catechumeni, & Infantes, qua lingua Græcane, an Latina Christum Dominum confiterentur, interrogabantur, & utrâque eis tradebatur symbolum, ex præscripto Ordinis Romani, qui integrè quoad id repositus est, non modo propter venerandæ antiquitatis memoriam, verum etiam, ut si quando aliqui ad fidem veniant, qui Christum Græca lingua profiteantur, is quoque ordo usui esse possit. Ac si præsto non sit Acolythus, qui Græcam linguam calleat, adsit ejusdem linguæ peritus interpres, qui pro Acolytho symbolum ea lingua pronuntiet.

Præterea si qui ex his, qui ad fidem veniunt, nec Græcam, nec Latinam, nec vernaculam linguam intelligant, sed Arabica, Turcica, Persica, aliave simili lingua utantur, per peritos & fideles interpretes symbolum non solum, vel Græcè, vel Latinè, sed etiam propria eorum lingua edoceantur, & illud eis fideliter explicetur.

Ad id etiam operæ pretium est symbolum Concilij Constantinopolitani, quo & sancta Romana Ecclesia utitur in Missa, descriptum vel impressum habere, Illyrica, Armenica, Chaldæa, Æthiopica, Arabica, & alia ejusmodi lingua; quod Christianis illarum nationum gentibus, & cunctis Orientalibus, hoc symbolum potissimum sit in usu.

Ordo Baptismi continens brevem exorcizandi methodum, ex Rituali ut supra.

CUm Ministri omisso solenni baptizandi ritu, voluerint aliquo breviori uti, accipiant sequentem. Primum Sacerdos interrogat:

Quî vocaris?

℟. N.

Tum Sacerdos leviter exufflet in faciem ejus dicens:

Exi ab eo immunde Spiritus, & da locum Spiritui Sancto paraclito.

Deinde pollice faciat signum crucis in fronte & in pectore baptizandi, dicens.

Accipe signum Crucis, tam in fronte †, quam in corde, † sume scutum fidei cælestium præceptorum; talis esto moribus, ut templum DEI jam esse possis.

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEUS, Pater Domini nostri JESU Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, percepta medicina. Per eundem Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

Postea Sacerdos accipiat de sale, specialiter pro Catechumenis exorcizato, si habet; vel si non habet & tempus supperit (nam alioquin omittere debet) ita salem benedicat.

Benedictio Salis.

BEnedic Omnipotens DEUS hanc creaturam salis tuæ benedictione cælesti †, in nomine Domini nostri JESU Christi, & in unitate Spiritus Sancti tui, ad effugandam inimicam, quam tu Domine sanctificando sanctifices †, & benedicendo benedicas †, fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri JESU Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

℟. *Amen.*

Et de eo jam benedicto modicum accipiens, ponat in ore baptizandi, dicens:

Accipe sal sapientiæ, propitiatus in vitam æternam.

℟. *Amen.*

Deinde imponit manum super caput ejus, & dicat:

Oremus.

ÆTernam, ac justissimam pietatem tuam deprecor Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, auctor luminis & veritatis, super hunc famulum tuum N. ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum & sanctifica; da ei scientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui; teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad percipiendam gratiam Baptismi. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

Item addit sequentem orationem dicens:

Oremus.

MEdelam tuam deprecor Domine sancte, Pater omnipotens, æterne DEUS, qui subvenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas: te ergo Domine supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum N.

eruas

ernas ab hac valetudine, & non prævaleat inimicus usque ad animam, sed sicut in Job, tentationis terminum ponat; ne idem inimicus de anima ista sine redemptione Baptismatis incipiat triumphare: Differ Domine exitum mortis, & spatium vitæ extende, releva, quem perducas ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

Tunc introducat eum in Ecclesiam, dicens:

Ingredere in templum DEI, *ut habeas partem cum Christo, in vitam æternam.*

℟. *Amen.*

Et introducto sacerdos imponens manum super caput ejus, dicit Symbolum, & orationem dominicam cum ipso, vel cum Patrino.

Credo in DEUM *Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ. Et in* JESUM *Christum filium ejus unicum Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex* MARIA *Virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram* DEI *Patris omnipotentis: Inde venturus est judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Vitam æternam Amen.*

Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo. Amen.

Deinde etiam imposita manu super caput ejus dicit.

Exorcismus.

NEc te latet satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem Judicij, diem supplicij sempiterni, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi, atque universis angelis tuis æternus erit interitus. Proinde damnate atque damnande, da honorem DEO *vivo, da honorem* JESU *Christo Filio ejus, & Spiritui sancto paraclito; in cujus nomine, atque virtute præcipio tibi, quicunque es Spiritus immunde, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie idem* DEUS, *& Dominus noster* JESUS *Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem fontemque Baptismatis, dono vocare dignatus est, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine ejusdem Domini nostri* JESU *Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.*

℟. *Amen.*

Tunc sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, & tangat aures, & nares baptizandi, dicens primo ad aurem dexteram.

Ephpheta, quod est, *adaperire*; deinde ad nares: *in odorem suavitatis*; Postea ad aurem sinistram: *Tu autem effugare Diabole: appropinquabit enim judicium Dei.*

Deinde interrogat, & Patrinus, vel Matrina respondet, si baptizandus sit Infans, si autem sit adultus per seipsum respondet, dummodo sciat; sin minus, similiter Patrinus vel Matrina pro eo respondet, ut infra.

N. *Abrenuntias Satanæ?*

℟. *Abrenuntio.*

Et *omnibus operibus ejus?*

℟. *Abrenuntio.*

Et *omnibus pompis ejus?*

℟. *Abrenuntio.*

Post Sacerdos intincto pollice in oleo Catechumenorum, ungat infirmum in pectore, & inter scapulas, in modum Crucis, dicens:

Ego te linio oleo salutis ††, *in Christo* IESU *Domino nostro.*

Et loca inuncta, & pollicem suum bombaceo vel stupa abstergit.

Deinde veniunt ad Baptisterium, ubi si aqua Baptismi defecerit, aut non habeatur, & necessitas non adeo urgeat, Sacerdos benedicat aquam benedictione minori, quæ dicitur adsuccurrendum, prout habetur hic in fine.

Hoc etiam necessitatis casu, cum novum adhuc oleum Catechumenorum, vel novum Chrisma Sacerdos non habet, tam in ipsa aquæ benedictione minori, ut notatur in ea, quam in unctionibus baptizandi, veteri oleo & Chrismate uti potest.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque si simul admittantur, tenente baptizandum, & respondente, ut supra, Sacerdos interrogat:

N. *Credis in* DEUM *Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ?*

℟. *Credo.*

Sacerd. interrog. *Credis & in* IESUM *Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum & passum?*

℟. *Credo.*

Sacerd. interrog. *Credis & in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam?*

℟. *Credo.*

Sacerd. interrog. N. *Vis baptizari?*

℟. *Volo.*

Et Sacerdos urceolo, vel ampulla accipit aquam baptismalem, & de ea ter fundens intingit caput baptizandi in modum Crucis, ac simul dicit:

N. *Ego te baptizo in nomine Patris* †, intingit primo. Et *Filij* †, intingit secundo, Et *Spiritus Sancti* †, intingit tertio

Postea intincto pollice dextro in Chrismate, baptizandum linit in vertice in modum crucis, dicens:

DEUS *omnipotens Pater Domini nostri* IESU *Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis,* † *in vitam æternam.*

℟. *Amen.*

Tum bambacio vel stupa pollicem tergit, & imponit albam, seu candidum linteolum, capiti infirmi, dicens:

Accipe vestem candidam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri JESU *Christi in vitam æternam.*

℟. *Amen.*

Et nisi linteolum in loco unctionis Chrismatis retineatur, donec illa exsiccetur, eodem linteolo, vel bambacio aut stupa eam abstergat.

Deinde det candelam accensam in ejus, vel Patrini dexteram, dicens:

Accipe lampadem irreprehensibilem, custodi Baptismum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula cœlesti.

℟. *Amen.*

Si plures fuerint baptizandi, vel diversi sexus, præcedentes preces in plurali numero, & in suo genere dicantur; exsufflatione tamen, crucis signatione, narium, & aurium tactu cum saliva, abrenuntiationis interrogatione, unctione cum oleo sancto, interrogatione de fide, ipsius Baptismi intinctione, Chrismatis linitione, candidæ vestis, atque candelæ traditione, exceptis quæ singulariter super singulos, tum masculos, tum fœminas, si tempus permittat, fieri debent.

Postea Sacerdos sequens Evangelium legere, & sequentes orationes, vel earum alteram dicere poterit super baptizandum.

Sequentia Sancti Evangelij secundum Matthæum. Resp. *Gloria tibi Domine,* Et interim signat librum, se ipsum ac baptizandum, nisi sit adultus, qui semet signare possit.

In illo tempore: Circuibat ℣*ESUS omnes civitates & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem, & infirmitatem.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui regenerasti famulum tuum N. ex aqua & Spiritu sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum: tribue ei continuam gratiam, ad agnoscendam bonitatis tuæ veritatem. Per Dominum nostrum ℣*ESUM Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti DEUS per omnia secula seculorum.*

Resp. *Amen.*

Oremus.

OMnipotens & misericors DEUS Majestatem tuam supplices deprecamur, ut famulum tuum digneris serenis aspectibus tuis præservare: & cui donasti Baptismi Sacramentum, longævam tribuas gratiam & sanctitatem. Per Christum Dominum nostrum.

Resp. *Amen.*

Si baptizandi plures fuerint, superiores orationes dicantur in numero plurali, & si diversi sunt sexus, dicatur, *famulos, & famulas tuas.*

Si Episcopus adsit, hoc ordine baptizandus ab eo confirmetur. Ille quidem in habitu decenti, sive accepta tantum stola super rochetum, aut si est Regularis, super superpelliceum, stans dicat.

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit cælum, & terram.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui regenerare dignatus es, hunc famulum tuum ex aqua, & spiritu sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum: emitte in eum septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de cælo. Spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilij, & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis; reple eum spiritu timoris tui, & consigna eum signo Crucis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per eundem Dominum nostrum ℣*ESUM Christum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti DEUS, per omnia secula seculorum.*

℟. *Amen.*

Cum plures sunt, prædictam orationem dicat in numero plurali & genere proprio.

Tum sedens accipit mitram, & intincto pollice dextro in Chrismate faciens crucem in fronte baptizandi, sic dicat.

N. Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis †, (& manu producens ante faciem signum crucis subjungat) *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

℟. *Amen.*

Deinde genam ejus leviter tangens, dicat.

Pax tecum.

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Et benedicat eum dicens:

Benedicat te omnipotens DEUS Pater †, *& Filius* †, *& Spiritus sanctus* †.

℟. *Amen.*

Si sint plures, dicat in numero plurium, *Benedicat vos,* &c.

Si autem periculum urget, & temporis angustia non permittit, omissis alijs precibus, faciens crucem de Chrismate in fronte ejus, absolutè dicat verba formæ Confirmationis.

Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis †, &c. ut supra.

Ac demum si est adultus, aut ea ætate qua discernat, etiamsi Episcopus desit, & propterea confirmatus non sit, sacram ei Sacerdos exhibeat Eucharistiam; dummodo sit jejunus, nisi adeo graviter laboret, ut ei etiam non jejuno in viaticum danda sit. Communicet autem ei Sacerdos corpus Domini absolutè dicens:

Corpus Domini nostri ℣*ESU Christi custodiat te in vitam æternam.*

℟. *Amen.*

Postremo hortetur Patrinum, vel Matrinam, & qui circumstant, ut pro eius salute orent.

Benedictio aquæ Baptismi minor, quæ dicitur ad succurrendum.

CUm Neophytum baptizari oportet, si aqua Baptismi consecrata defuerit, Presbyter apponat aquam in aliquo vase mundo, & benedicat eam, non benedictione majore, quæ fit in Sabbato Sancto, sed ista minore, quæ dicitur ad succurrendum, hoc modo.

Oremus.

EXaudi nos omnipotens DEUS, & in hujus aquæ substantiam tuam immitte virtutem, ut abluendus per eam, & gratiam & vitam mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

Exor-

Exercizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis †, & Domini nostri JESU Christi Filij ejus †, & Spiritus sancti †: si quod phantasma, si qua virtus inimici, si qua incursio Diaboli, eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ, ut fiat fons saliens in vitam æternam; & qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum DEI vivi, & Spiritus sanctus habitet in eo, in remissionem omnium peccatorum, in nomine ejusdem Domini JESU Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

℟. *Amen.*

Deinde sacerdos mittat Chrisma in aquam in modum crucis, dicens:

Sanctificetur & fecundetur fons iste hoc salutifero Chrismate, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti †.

℟. *Amen.*

Quod si nondum habuerit novum Chrisma, in hujus necessitatis casu vetus poterit adhibere; si vero neque novum, neque vetus habeat, omissa Chrismatis infusione in aquam, cum ea, ut supra benedicta baptizet eum qui baptizandus est.

Ordo Baptismi tempore necessitatis.

SI Baptizandus graviter ægrotet, vel Ministri premantur aliqua necessitate vel periculo, ita ut perfici non possint Exorcismi ab Ecclesia recepti, omissis omnibus, quæ Baptismum præcedunt, baptizet eum ut supra per intinctionem, seu infusionem aquæ super caput ejus tantum dicens:

Ego te baptizo In nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus sancti †.

Et si mors instet, non ter, sed semel, in modum crucis caput aqua intingat, dicens ut supra.

Ego te baptizo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Verum si aqua Baptismi non habeatur, & periculum sit in mora, ita ut nec tempus supperat ad illam benedicendam benedictione minore ad succurrendum, prætermissa aquæ benedictione, accipiat aquam simplicem, & de ea, ter, vel etiam semel tantum, si mors instet, ut dictum est, parvulum vel adultum periclitantem, supra caput aspergat, seu intingat, dicens:

Ego te baptizo in nomine Patris, &c. ut supra proximè.

Deinde si habeat Chrisma, liniat eum in vertice in modum crucis dicens:

DEUS omnipotens, Pater Domini nostri JESU Christi, &c.

Postea det ei candidam vestem, seu linteolum, dicens:

Accipe vestem candidam, & immaculatam, &c.

Et demum candelam accensam, dicendo:

Accipe lampadam irreprehensibilem, &c. ut supra in eodem proximo ordine habetur.

Et si adhuc superstes est, & Episcopus adest, ab eo confirmetur, ut supra in eodem ordine. Et deinde si est adultus, vel in ætate discretionis, & morbo non impediatur, communicet.

Sed etsi Episcopus adsit, similiter Presbyter sacram ei communionem, seu viaticum præbeat, & hortetur circumadstantes, ut orent pro eo. Idem quoque ordo servetur, si parvulus, vel adultus in quovis alio supremæ necessitatis casu, aut imminentis mortis periculo fuerit constitutus.

FINIS.

ANIMADVERTENDUM

QVod venerabilis Author noster superiori Operi præmiserat, & Romanis typis evulgaverat anno 1610. insignem Tractatum in quinque partes divisum, inscriptum, STIMVLVS MISSIONVM, sive, *de propaganda à Religiosis per universum orbem fide.* In quo de dignitate, præstantia atque utilitate hujus functionis præclarè disseritur, ac demonstratur, quod animarum cura post Ecclesiæ prælatos, præcipuè ad Religiosos Ordines pertineat : subjiciturque compendium privilegiorum ac gratiarum à Romanis Pontificibus Regularibus inter Hæreticos & infideles, in propagatione fidei laborantibus, concessarum. Dicaverat hoc opus Paulo V. cui *Thomas* noster, ob suam raram eruditionem, & eximiam divini honoris, animarumque salutis zelum, acceptissimus fuit.

Verum, quia ea penè omnia, quæ in *prima, secunda, & tertia parte stimuli missionum* pertractat, *libro primo & secundo* de conversione omnium Gentium procuranda, & quæ 4. *parte* in mox subjiciendo opere *parte* 2. *dubio* 5. inseruit, superfluum erit Tractatum hunc hic adjungere, ne eadem repeti videantur.

Juvabit tamen nonnullos subindicare, qui post Ven. *Thomam* nostrum è nostris, de hoc argumento scripsêre. E quibus primus fuit Ven. *P. Hieronymus à Matre Dei*, alias *Gratianus* quondam S. M. TERESIÆ à Confessionibus, & Carmelitarum Excalceatorum Provincialis, qui Hispano idiomate Matriti edidit Tractatum de missionibus instituendis ad infidelium & Hæreticorum conversionem, sub hac inscriptione, *zelus propagationis Fidei* &c. qui Italicè versus prodiit Romæ an. 1620. Hic anno 1582. Superior existens in Hispania discalceat. Carm. misit diversos ex illis in Congo & alia Indiarum regna pro conversione infidelium; idem fecit an. 1584. & 1585. miracula quæ ibidem patrarunt, & fructum quem retulerunt conversionis infidelium refert paucis in dedicatoria epistola ejusdem operis.

Hunc secutus Ven. P. *Ioannes* à JESV MARIA tres edidit de hoc argumento Tractatus, quorum primus inscribitur, *Assertio missionum, & rationum adversarum resolutio.* Alter qui in tres dividitur partes, *Instructio Missionariorum.* Prima pars agit, *de virtutibus, doctrina & moribus pro Missionibus requisitis.* II. Pars, *de modo persuadendi mysteria Fidei. III de modo persuadendi temperantiam.* Tertius Tractatus *Liber Missionum*, qui etiam bipartitus est; *primaque* pars Historiæ more procurrit : *secunda* vero summor. Pontificum, & aliorum Principum litteras, privilegia, & alia ejusmodi scripta complectitur. Hoc tamen opus, morte proventus Author absolvere non valuit. Extant hi Tractatus *Tomo* 4. *operum ejus* Coloniæ an. 1650. recusorum.

R. quoque *P. Philippus à SS. Trinitate*, Præpositus Generalis Carmelitar. discalceat. Congregationis S. Eliæ, in sua *Theologia Carmelitana*, sive *Apologia Scholastica Religionis Carmelitanæ &c.* Romæ edita an. 1665. *quæst.* 27. & 28. per 13. Articulos agit de missionibus, & inter alia probat & demonstrat Carmelitas discalceatos speciali ter laborare & cooperari conversioni Græcorum, Armenorum, Nestorianorum, Syrorum, Jacobitarum, Sabæorum, seu Christianorum S. Joannis, & Christianorum S. Thomæ, fuisseque primos, qui in regno Congo fidem Christi prædicarunt; pluraque alia adducit missiones concernentia, lectuque dignissima.

R. P. Maurilius à S. Michaele, Gallus zelo salutis animarum accensus ad insulas Americanas profectus per plures ibidem annos fructuosè in vinea Domini laboravit; edidit Parisijs Tractatum *de missionibus ad istas Regiones* : qui pluries recusus fuit, & alium *de Fidei Mysterijs* Andegavi an. 1664.

Tandem, ut nunc alios transeam, *P. Matthias à Corona* Leodiensis Carmeli alumnus, & fac. Theologiæ Doctor Parisiensis, in suo vasto opere inscripto, *sanctitas Ecclesiæ Romanæ in Sancto ELIA propheta, Carmelitarum protoparente figurata*; sive *Expositio litteralis, mystica & moralis à cap. 17. lib. 3. Reg. & reliquorum, usque ad cap. 13. lib. 4. Reg. inclusive, Historiam SS. Prophetarum ELIÆ & ELISEI complectens, atque Ecclesiæ Romanæ (sanctimoniam XII. Tomis delineans.* Hic *Tomo VI.* Leodij an. 1675. excuso, quem totum impendit in demonstranda Ecclesiam sanctam à Missionibus Apostolicis, seu ab utilitate sacrarum missionum, & à Missionariorum virtutibus, privilegijs, officio & potestate, *dividitur hic Tomus in 3. Tractatus.*

VENE-

VENERABILIS PATRIS

THOMÆ à JESU,

CARMELITÆ DISCALCEATI,

EXPOSITIO

IN

REGULAM ORDINIS CARMELITARUM

AB

ALBERTO PATRIARCHA

Hierosolymitano traditam.

PRIMA PARS HUJUS OPERIS

DE REGVLIS, SVB QVIBVS ORDO CARMELITARVM AB initio suæ institutionis militavit.

Argumentum primæ partis.

RECTVS *disserendi ordo postulat, ut in hac priori operis parte, quæ præfationis vices gerit, agamus de illis Regulis, quibus Ordo noster à prima sua ætate fuit astrictus; ut sic gradatim ad Regulam ALBERTI descendentes, ejus sensum, & mentem clarius percipiamus. Cum enim Regula hæc ab aliis prioribus, antiquioribusque fuerit desumpta, his primis fontibus perspectis, facile erit rivulos ex eis fluentes colligere. cùm igitur Carmelitarum Ordo tres vivendi normas à sua prima origine agnoverit, in tria potissimùm capita prior hujus Operis pars dissecabitur. In prima, de regulis à majoribus nostris tempore legis scriptæ, & primitivæ Ecclesiæ usque ad IOANNIS Episcopi Hierosolymitani sæculum servatis: In secunda, de Regula à celeberrimo hoc viro (quam alij sanctum appellant) IOANNE Patriarcha Carmelitis tradita dicam: Et in tertia Regulam ALBERTI, (quæ hodie in discalceatorum familia servatur) cum suis mitigationibus proponam. Ita tamen hæc erunt à me præstanda, ut circa unamquamque Regulam constet de Authore, de tempore, de loco, & de aliis circumstantiis, quarem ipsam notiorem reddere solent.*

CA-

CAPVT I.

Sub quibus Regulis Ordo Carmelitarum tempore legis veteris, & Prophetarum vixerit, quisve fuerit hujus Ordinis Author.

REs hæc à primo fonte deducenda est. Ostensurus igitur hîc primam nostri Ordinis Regulam, oportebat priùs hujus institutionis Magistrum, & Authorem tradere. Quare (ut rem hanc debito ordine aggrediamur) primo loco hujus instituti Fundatorem, ac magistrum inquiramus: postea de priori Regula, sub qua tunc Religio floruit, dicturi.

De ELIA, Ordinis Carmelitarum Authore.

§. 1.

HAc prima parte demonstraturos, Ordinem nostrum à magno illo antiquatæ legis vate ELIA ortum habuisse, oportuit præmittere, totius monasticæ vitæ institutum à viro hoc emanasse, eumque Evangelicæ legis consilia, divino ac prophetico spiritu prævidisse, primumque omnium observasse. Hujus rei testimonia passim apud Patres occurrunt; qui ferè omnes ELIÆ, & ELISEO hoc penè divinum vitæ genus deberi fatentur. Sentit hoc beatus Hieronymus *Paulino scribens*, & in *Epistola ad Rusticum monachum*. Sentiunt Isidorus *libr. 2. de officiis cap. 9.* Cassianus *lib. 2. c. 15.* & *lib. 1. c. 2.* Et Dorotheus in synopsi Prophetarum. Testatur idem S. Macharius in *Sermone ad Monachos*, ubi geminum agnoscit fontem, à quo omnes, quotquot Religiones sunt, emanavêre: Primum in veteri lege ELIAM *Thisbitem*; secundum in hac nostra gratiæ Joannem Baptistam (illum alterum Eliam) agnoscit. Machario adhærent Sozomenus in *Tripartita libr. 1. cap. 11.* Nicephorus *libr. 8. historiæ cap 39.* & alij plures, quos juniores referunt Scriptores. In qua re potissimùm consulendi Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 5.* Matthæus Galienus *de origine Monasticæ*, ac novissimè Henriquez (ut alios plures omittam, quos ipse refert) *Tom. 2. cap. 5.* in Glossa *littera B.*

Vitæ monasticæ institutum à S. Elia ortum duce re qui tradant?

Hieron.

Isidorus Cassianus. Machar.

Sozomen.

Niceph.

Bellarmin. Mat. Gal. Henriqu.

ELIAM igitur hanc arctam, angustamque viam ante omnes ingressum esse, Joannes Hierosolymitanus Patriarcha (qui circa annos Domini 400. floruit) ex Scriptura colligit, idque in *libro de institutione morachorum cap. 9.* & 10. late probat. De qua re nos in *libro de professione monastica* latiùs dicemus. Nunc quasi adumbrasse sufficiat, ELIAM, ejusque successores castitatem, paupertatem, & obedientiam servasse. In Scriptura enim vates hic magnus, sine uxore, sine liberis, sine familia castam cælibemque vitam degens introducitur. Imò primum authorem colendæ virginitatis ferè omnes Patres eum appellant. In tanta insuper paupertate vixit, ut vestium loco, zona pellicea amictus *4. Regum 1.* describatur, & modò à vidua, modò à corvo victum, quasi mendicatum accipiens. Utriusque consilij virginitatis, & paupertatis ELIAM fuisse cultorem, in *Tractatu de voto castitatis, & paupertatis* apertiùs latiusque prosequuti sumus. Ac denique obedientia in Eliseo, ac ceteris Eliæ successoribus (testante Scriptura *4. Regum 4.*) resplenduit: cùm post Eliæ raptum, Eliseo ad Eliæ familiam revertenti occurrerunt omnes, eumque proni adoraverunt: quasi hoc externo reverentiæ signo contestantes, se obedientiam, quam priùs ELIÆ præstiterant, jam in ipsum transferre. Notiora sunt hæc, & à nobis diligentiùs aliàs probata.

Elias primus author colendæ virginitatis. *4 Regum. 1.*

4. Regum.

Illud verò, quod nunc probandum aggredior, difficilius sanè apparet: res est, ELIAM, ejusque successores professionem monasticam triplici (ferè ut nunc fit) votorum vinculo obstrinxisse. Quod etsi pari certitudine cum nuper traditis firmum non sit: probatione tamen magna non caret. Veritati igitur huic examinandæ, conjecturis, quibus non parva fides debetur, utemur: priùs id supponentes (quod & Catholicis certum est, à nemineque illorum hactenus dubitatum) in lege veteri receptum, usuque firmatum fuisse, vovere DEO, votisque pasisci, & obligari. Ita censet Ven. P. noster Waldensis in *doctrinali libro 3. art. 2. cap. 21.* cui & subscribunt viri gravissimi. Neque est cur in hoc amplius immoremur: cùm passim in scriptura veteri plura emissa vota legamus. *Genes.* enim 29 Jacob Patriarcha votum vovit, David quoque de extruendo templo votum vovit DEO Jacob, ut dicitur *Psal. 131.* ac denique plura alia vota leguntur *Levit. 27. num. 6. & 30. Deuter. 12. & 23.*

Ostenditur in veteri lege in usu fuisse Deo vota facere.

Waldens.

Genes. cap.

Psalm. 98. Levit. 27. Numer. 6. Deut. 12. & 23.

Constat præterea, (constabatque id olim apud veteres Patres) quidquid illud sit, quod ex voti obligatione fit, multò esse præstantius, ac DEO gratius, quam si libera ac soluta voluntate fieret. Cujus veritatis testis est Divus Thomas *2. 2. quæst. 88. artic. 6.* Addit insuper promissio voto confirmata voluntati promittentis stabilitatem ac firmitatem non modicam, cùm animus nulla humana potestate, nisi à seipso ligari possit, ac sua fragilitate, & inconstantia privari. De quo argumento plura apud Hieronymum Platum *l. 1. de bono statu relig. c. 20.* eruditè (ut in alijs solet) scripta repetes.

Quod ex voto sit, Deo gratius, magisque meritorium esse.

Hieron. Plat.

Tertiò præmittendum, in lege veteri Religionis vota expressa fuisse, & observata: sic enim Nazareos Religionis voto astringi affirmat Origenes *in 20. cap. Levit. hom. 11.* Isidorus *lib. 2. de officiis cap. 4.* & latiùs Cassianus *de correptelis cap. 2.* Ceterùm ad rem propiùs accedamus, & de castitatis voto specialiter differentes, hoc votum in lege veteri fuisse etiam fidelibus propositum, ostendamus. Primò ex illis verbis Isaiæ *56.* in quibus Dominus consolatur eunuchos dicens: *Non dicat eunuchus, ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

Origenes. Isidorus. Cassianus.

Isaiæ 56.

Quæ verba intelligunt B. Hieronymus, Cyrillus, Augustinus de virginitate *cap. 24.* & Basilius in *libr. de vera virginitate*, de continentibus, id est, his, qui voluntariè servant virginitatem, non verò ad litteram de eunuchis, vel illis, qui à ventre matris suæ sic nascuntur. Quod patet ex ipso contextu, quia nulla est major ratio, cur eunuchis sic natis promittatur major gloria, quàm sit filiorum, & filiarum Dei. Et licet ii patres tantùm affirment, in lege veteri prædictis verbis consuli voluntariam continentiam, nihilque exprimant de voto castitatis; mihi tamen certum videtur, ex hoc loco non obscurè colligi consilium circa votum castitatis servandum. Idque ex alio scripturæ simili loco,

Hieron. Cyrillus. August. Basilius.

adjun-

adjuncta Patrum observatione, confirmatur. Tunc enim plenè scripturam explicari existimo, cùm eadem scriptura sui est interpres. Locus igitur est Matthæi *cap.* 19. ubi Christus Dominus ait: *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.* Ubi ipsa Eunuchorum appellatio perspicuè indicat ipsum continentiæ votum. Non enim est Eunuchus, qui solum continet, sed qui ita continet, ut non possit non contineri. Quare Christus Dominus loquutus est non de his, qui solo proposito voluntatis se castraverunt; sed de illis, qui à se voto continentiæ omnem facultatem contrahendi nuptias amputaverunt. Hanc interpretationem rectè confirmat Bellarminus *libro 2. de Monachis cap.* 23. ex Epiphanio *hæresi* 29. Hieronymo, *Matth.* 9. & Augustino, *libro de sancta virginitate capit.* 30. utrunque prædicto Matthæi loco communiter controvertiarij contra hæreticos nostri temporis, ut probent castitatis votum à Christo Domino fuisse institutum. Simili ergo ratione locus ille Isaiæ est interpretandus, ut in illo, *Eunuchorum* nomine, non tantùm continentes, sed etiam, qui continentiam voto firmarunt, intelligantur. Et quia fortasse alicui durum, novumque videbitur, in lege veteri castitatis votum fuisse expressum, cùm potiùs lex ipsa cœlibes, & orbos, semenque post se non relinquentes maledictione dignos ducat: ut constat ex Deuteronomio, *cap.* 25. advertat oportet, scripturam non de semine carnali, sed spirituali accipiendam esse. Et utrumque (nempe quòd in lege veteri castitatis votum commendetur, & quòd maledictio feratur in carentes spiritali prole) testatur clarissimè Damascenus *libro 4. fidei Orthodoxæ capitulo* 25. ubi virginitatem multis laudibus efferens, postquam eam multis veteris legis Patrum exemplis observatam fuisse docuit: ut ostenderet, in illa lege non solùm virginitatem servari, sed etiam votum continentiæ emitti, & laudari, subjungit: *Nonne lex magnum votum castitatem appellavit?* Et ut objectioni, quæ sese offerre poterat ex verbis illis Deuteronom. *Maledictus homo, qui non relinquit semen post se*, respondeat: statim adjecit: *Oportet igitur spiritualiter accipere legis præceptum. Nam est semen spirituale per charitatem, & timorem DEI in mentis utero parturienti spiritum salutis. Sic autem accipiendum est hoc: Beatus est, qui habet semen in Sion, & familiares in Hierusalem.* Hæc Damascenus.

Quibus manifestè confirmat, in lege veteri fuisse castitatis votum; nec reprobatam fuisse continentiam. Et quamvis Damascenus non exprimat locum, in quo lex magnum votum castitatem appellaverit, præter illum Isaiæ *cap.* 56. supra adductum, non video alium in scriptura, ex quo clariùs id percipi possit, ni forte illud acceperit ex libro Sapientiæ *capit.* 3. ubi dicitur: *Felix spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit contra Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo DEI acceptissima.* Qui locus eundem sensum cum illo priori Isaiæ habet. Hæc autem tempore legis antiquæ dicta sunt, ex quibus clarè constat, in illa votum continentiæ floruisse.

De voto verò obedientiæ etiam constat, apud monachos veteris legis fuisse receptum. Colligitur id apertè ex Josepho *libro 2. de bello Judaico cap.* 7. ubi de Essenis loquens, affirmat, eos, post biennium vota quædam, sive juramenta emittere, inter quæ majoribus obedire jurabant. Verba Josephi audiamus: *Prius verò quàm incipiat communem habere vitam, magnis execrationibus adigunt, se prius ùm colere Deum, deinde quoque erga homines servare justitiam, & neque propria sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse, & collaborare semper justitiæ sectatoribus, fidem omnibus servare, maximè vero Principibus. Neque enim absque voluntate Dei cuiquam posse principatus potentiam contingere. Si verò ipse ceteris præsit, nunquam se abusurum viribus potestatis ad contumeliam subjectorum.* Et paulò inferius: *His quidem execrationibus explorant, & quasi præmunuunt accedentes; deprehensos verò in peccatis à sua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerumque morte consumitur. Illis quidem sacramentis, ac ritibus obligatus neque capere ab aliis oblatum cibum potest.* Hæc Josephus.

Tandem pauperratem ELIAM, ejusque successores fuisse amplexos, docent D. Ambros. & alij, de quibus nos in *Tractatu de Voto paupertatis* diximus. Quamvis (ut verum fatear) hi non doceant, Eliam, aut ejus familiam votum de servandâ paupertate emisisse. Id tamen ego tam de paupertate, quàm de alijs votis nunc ostendam. Si enim ELIAS, ejusque successores monachorum institutum amplectentes, Deo se consecrarunt, castitatem, paupertatem, & obedientiam colentes, cum prædicti pactes non ignari essent, forè DEO gratissimum, longeque meritorium, propositum suum voto firmare: (hoc enim, ut supra præmisimus, in lege veteri notum, compertumque fuit) & præterea, cùm apertè scirent, plurimum valere hanc votorum emissionem ad voluntatem nostram, quæ lubrica, ac in malum propensa est, in bono firmandam, in rectoque continendam: non est dubium, quin hoc votorum auxilio ad prædictos fines juvarentur. Ad hæc accedat, illius societatis viros selectos ex grege Judaico, sapientia, & acumine ingenij ceteram plebem longè superasse, quibus ignorantia tantæ rei contingere non potuerat, maximè vero ELIAM, & Eliseum vitæ monasticæ duces, qui ex frequenti cum DEO colloquio, & lectione scripturarum, divitias, & uberrimos thesauros, qui in votis monasticis latebant, fuisse adeptos, certè credendum est. Quare existimo, scripturæ, & rationi valdè consentaneum esse, viros illos divino lumine ductos, institutum monasticum tribus votis firmasse. Maximè cùm ELIAS specialij DEI revelatione monasticæ professioni initium dederit. Hactenus constat, Eliam Prophetam institutorem fuisse monasticæ professionis, docuisseque trium votorum, ex quibus Religio constat, cultum, & observantiam.

Quo tempore, & loco vir excellens ELIAS monasticam vitam instituerit, nunc aperiamus. De loco in primis constat, tum apud Scripturam, tum apud authores, fuisse CARMELUM mon em. Ita Regum narrat historia, potissimùm *capitulo* 18. *& seq. libri* 3. Et ne hujus nominis æquivocatio confusionem pariat, sciendum est, ex Hieronymo in Amos *cap.* 1. duos esse in Syria *Carmels* montes. Unus est in tribu Juda (qui Hebraicè CARMEL dicitur) insignis, fertilis in pascuis, fructibus, & herbis, ferax vini delicatissimi: in hoc Saul Amalecitum victi; habitavit ibi Nabal, qui repulit nuntios Davidis. Alter est in Galilæa in tribu Isachar (eodem teste Hieronymo, *Isaiæ* 16. & 29. & *Hieremiæ* 2. & 5. & ante ipsum Josepho *de bello Judaico capitulo* 9.) qui dicitur Carmelus maris: mons est excelsus valdè, & nemorosus, nobilissimis vineis, oleis, arbustis, fructiferis arboribus, herbisque odoriferis abundans, ut ob summam rerum omnium copiam, fertilitati, & abundantiæ in Scriptura comparetur. Abest à Ptolomaide stadijs 120. ut Josephus tradit, ejusque passim multa fit mentio in Prophetis. §. 3

Ambros.

Vid. art. 3. supra cit. quæst.

Legend. de his Eliæ & antiquæ legis monachorum votis è nostris Francisci à S. Maria *Tom. 1. Historiæ prophet. Ord. B. Mar. V. de monte Carmelo, lib. 1. cap. 4 & seqq.* Martini à Jesu Maria & Thomæ à S. Vincent. Apologiæ pro his votis &c. item P. Daniels à V. Maria *Appendix ad Histor. Carmelit. cap. 3.* in vineis Carmeli, alijque complures.

Hieron.

Duo sunt montes Carmeli, & ambo describuntur

In quo S. Elias commoratus fuerit?

Josephus.

Bellarmin. Epiphan. Hieron. Augustin.

Deuter. 25

Damascen

Vid. noss. Philippi à SS. Trinitate Theologiam Carmelitanâ quæst. 1. art. 2.

Josephus.

Vid. Art. 2 ejusdem quæst. dicta Theolog.

Basili. Hic mons (ut verbis divi Basilij in *Epistola ad Chilonem* loquar) celeber Carmelus est, in quo ELIAS demoratus, perplacuit DEO. In illo namque vitam solitariam, & ab hominum consortio semotam professus est, ut præter Basilium sentit *Nazian.* Nazianzenus, in *oratione de Pauperum amore*; & in *Apologetico*, postquam ex fuga rediit, atque in *oratione in Maximum*. Cujus rei non immemor Joannes Hierosolymitanus Patriarcha, *capitulo 19. de institutione monachorum*, & *alibi* sæpe eam repetit. *Ioan. Hie.*

Hisq; e gravissimis Patribus consentiunt Volaterranus in *Anthropologia libro 21.* Guilielmus Tyrus *libro quinto Continuationis belli sacri cap. 3.* Polydorus Virgil. *lib. 3. de inventoribus rerum cap. 7.* Sabellicus *lib. 5. Æneade 9.* plurèsque alij, quorum testimonia ne nimius in *lib. 1. antiquitatis nostri Ordinis Carmeli propè finem, responsione 1. proposit. 4.* Qui omnes uno ore fatentur, montem hunc morâ ELIÆ, ELISEI, & illorum, qui *Filij prophetarum* appellabantur, fuisse nobilitatum. Imò in hoc monte ELIAM usque ad sui raptum permansisse, non obscurè ex Martyrologio Romano die 20. Julij colligitur: ubi hæc verbis habentur: *In monte Carmeli raptus* ELIÆ *Propheta*, &c. Cujus etiam rei signum est, ELIÆ, post raptum, oratorium in hoc monte erectum: de quo apud Suetonium in *vita Vespasiani cap. 5.* & Genebrardum, in *Chronologia lib. 1. anno mundi 3382.* mentio fit. *Volaterran. Guil. Tyr. Polydorus. Martyrol. Romanum*

Sacellum in S. Eliæ honorem in Carmelo, post ejus raptum Deo dicatum. *Suetonius. Genebrar. Nazianz. Baronius Nicephor.*

De hoc oratorio ELIÆ dicato exstat epigramma Gregorij Nazianzeni apud Baronium in *Martyrolog 20. die Jul.* quod sacellum, sive templum postea restitutum fuit per Helenam Constantini matrem, ut author est Nicephorus *lib 8. hist. Ecclesiastica, cap. 30.* Ac denique iterum per Basilium imperatorem, ut refert Cedrenus in *Compendio historiæ in Basil.* *Cedrenus.*

Plantavit verò in hoc monte ELIAS monasticum institutum, tanquam in commodiori, & aptiori ad altissimum hoc vitæ genus. Testatur id Joannes Hierosolymitanus, *cap. 19. in libro de institutione monachorum*, his verbis: *Studuit Elias deinceps religionem, quam inchoaverat, in loco idoneo plantare. Quare ad sui & suorum discipulorum jugem mansionem, elegit, præ alijs Eremis, Carmeli montem tanquam commodiorem ad Propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo edocendam, & exercendam. Mons quippe præbet Eremita hominis ex sua solitudine silentium, & quietem: ex suis antris congruam mansionem, ex suo fructu jucunditatem, ex suo eminenti situ aërem salubrem, ex suis herbis, & fructibus pastum uberem, & ex suo fonte aquæ vivæ haustum dulcem. Propter quæ omnia ELIAS in monte isto non modo elegit habitare: verum etiam domum orationi consecratam, appellatam (SEUNION) in eo ædificavit.* Hactenus Patriarcha Hierosolym. *Ioan. Hier.* Quare Elias in Carmelo suum instituerit Ordinem? Montis Carmeli describuntur commoditates

De tempore verò, quo divinus hic vates formam vivendi monasticam tradiderit, non conveniunt Authores. Illud apud Joannem Hierosolym. *ut sup. cap. 20.* scriptum invenio: post institutionem vitæ monasticæ, montem Carmelum per sexdecim annorum spatium, ante ipsius raptum, Eliam incoluisse. Quare, sive Eliæ raptum dicamus contigisse an. 3272. ab orbe condito, & à tempore diluvij an. 1586. secundum Genebrar. *chronographiam lib. 1. fol. 123.* sive, secundum Adonem in Chronicon, ætate quinta à mundo condito 4247. sive ut Erard. Carthusiens. in *fasciculo temporum* ait, circa annum à creatione mundi 4300. & à nativitate Abrahæ 1110. & ante nativitatem Christi anno 952. quam computationem alijs veriorem quidam existimant: ante hoc tempus, quo Elias raptus dicitur sexdecim in quam annis monasticus Ordo in monte Carmelo initium habuit. Quo anno aborbe condito Carmeli Ordo à S Elia institutus fuerit? *Genebrar. Ado Erardus.*

Probavimus hactenus, ELIAM fuisse authorem alicujus religiosi instituti: restat nunc ostendere institutam ab ELIA Religionem usque ad nostra tempora perdurasse: & denique hanc ipsam Religionem esse eandem, quam sub tutela B. MARIÆ de monte Carmelo, Carmelitæ nunc profitentur. In cujus confirmationem non advocabo domesticos testes, nec nostræ Religionis Historiographos, ne forsan suspecti judicentur, cum tot externis abundemus Authoribus, ut nostri superfluere videantur. Quare silendo nunc præterea D. *Cyrillum*, quondam nostri Ordinis Priorem generalem, qui circa ann. Dom. 1200. floruit, *Wilhelmum de Samuco*, *Sibrandum Beeam*, *Philippum Riboti*, *Joannem Grossi.* & doctissimum *Bachonem*, quorum meminit Trithemius Abbas de *laudibus Carmelitarum cap. 2.* qui omnes lib. os integros de hac re ediderunt, quorum etiam vestigia sequuti sunt doctissimus Paleonydor. Simon Coelius, & ante ipsos in Apologia quadam, Baptista Mantuanus. Et quamvis hos omnes excludam, unius, aut alterius testimonium, quibus fidem non habere nefas esset, adducam. *D. Cyrill. Wilhelm. de Samuco Sibrand. Bec. Phil. Ribot. Joan. Grossi. Joan. Bac. Trithem. Paleonydor. Bap. Man. Ioan. Hier.*

Primum est *Joannis Hierosolymitani Patriarchæ*, quondam montis Carmeli splendoris, & cultoris insignis, qui ex Priore hujus familiæ ad Hierosol. sedem tempore Honorij, & Arcadij fuit assumptus: cujus admirabilem sanctitatem memoriæ non perituræ tradidit Nicephorus Calixtus *lib. 11. Ecclesiastica historiæ cap. 18.* Scripsit hic librum unum *de institutione monachorum in veteris lege exortorum, & in nova perseverantium*, in quo Captatio montis Carmeli Præpositio referibens, Carmelitarum genealogiam à Propheta ELIA, tanquam à primo fonte, latè doctèque deducit. Hoc solùm testimonio profectò nos contentos esse oporteret, & propter authoris vitam, cùm sanctissimus fuerit, & inter nostri Ordinis Divos in *Martyr. Molani die 13. Jan.* referatur, omnique mendacij labe caret credatur: & propter miram hominis eruditionem: is enim suæ ætate maximos adversus D. Hieron. congressus super doctrinâ Origenis habuit, qui tamen neque à Hieronymo fuit rationibus superatus, nec in disputationibus confusus. Quare credendum est, illum in veritate examinanda, è latebrisque eruenda, fuisse diligentissimum. *Joan. Hierosol. patriarcha Prior mont. Carmeli. Nicephor. Molanus* Ejus testimonium quare magni æstimandum?

Si ijs denique addamus authoris gravitatem, Patriarcham invenies. Is igitur vir miræ sanctitatis, eruditionis incredibilis, gravitate, & functione alijs non inferior librum hunc Carmelitarum institutionem ab ELIA continentem scripsit. Quibus adjiciam, hoc fermè primo Ecclesiæ sæculo contigisse, cum ille circa annum Domini 100. floruisse tradatur, quo tempore recentior erat præteritorum sæculorum memoria, maximè verò Apostolorum totusque Evangelicæ prædicationis.

Nec minoris est conjecturæ, historiæ veritatem fuisse adeptum, cùm librum Hierosolymis conscripserit, ubi tunc rerum Syriæ monumenta certiora inveniri necesse erat, præcipuè cum de rebus in illa provincia gestis agat. Quis ergo de hujus viri testimonio queat dubitare? ni fortè aliquis dubitet, vel illum fuisse Carmelitam, vel librum hunc edidisse. Horum primum latè in Tractatione, Hispano sermone, *de Ordinis antiquitate* edita *lib. 1. c. 11.* demonstravimus. Secundum verò ita certum est, ut de eo ambigi non possit. Id sentit *Legend. Petri Wasseli Vindiciarum lib. 1. & 3. & Danielis à Virg. Maria vindicæ Carmeli num. 178. & seqq.*

Ven-

Waldens. Plato. Armacha. Morigia.

Ven. Tho. Waldensis, qui frequenter hunc Joan. lib. contra hæreticos affert, præcipuè *de Sacram. tit. 9. cap. 89.* Consentit Armachanus, apud eundem Waldensem, Morigia *lib. 1. de origine Religionum cap. 30.* Trithem. *de laudibus Carmelitarum cap. 2.* Plato *de bono stat. Relig. lib. 2. cap. 22.* Greg. de Valent. *22. disput. 10. q. 4. puncto 1.* plurèsque juniores & gravissimi scriptores, & novissimè liber hic circumfertur insertus Bibliothecæ sanctorum Patrum tom. 9.

Trithemius Greg. Val.

Item Franciscus à S. Maria, & Martini à Jesu Maria *Apologia pro Joan. Hieros.*

Fuit autem liber hic *Joannis* Bibliothecæ sanctorum Patrum appositus ex consensu gravissimorum Scholæ Parisiensis Theologorum; approbatus insuper à Genebrardo, Joanne Dradeo, Margarino de Lavigne, alijsque eruditissimis viris, ut constat ex *1. Tom. Bibliothecæ*, longumque esset recensere peritissimorum virorum scripta, qui hujus testimonio utuntur, licet incuria nostra per multa tempora latuerit. Hoc unum tanti viri testimonium plenissimum sufficiebat: sed, ut uberius constet, eo non contentos, plura alia addere parerit.

Waldensis, qui fuit hæresum suæ ætatis acerrimus expugnator. testimonium cur æstimandum plurimùm?

Quare secundo loco accedat ex domesticis *Thomas Waldensis*, cujus authoritas, & doctrina apud Catholicos omnes laudatur, & ab hæreticis valde timetur. Hic scribens adversus suæ ætatis fidei oppugnatores, præcipuè adversus Wicleph, de *Sacramental. titul. 9. cap 89.* latè ostendit, Carmelitas ab ELIA, & Eliseo institutos, à quibus eorum monasticam professionem emanasse probat. Nec credendum est, Waldensem, qua vulgus solet, pietate id asseruisse. Et si enim fas aliquando sit, pietati ex affectu ortæ locum indulgere; in re tamen gravissima, ubi fidei causa versatur, vera undique pietas ab eruditis quæri solet, præcipuè adversus hæreticorum perfidiam, quibus mos est, veritates quacumque ex parte firmas inficiari. Quid facerent, si dubijs argumentis, aut simulata pietate veritas muniretur? Quare hoc Waldensis testimonium firmum, & omni fide dignum videtur. Recolenda, quæ de tanto doctore dicta sunt *libro 8. de conversione omnium Gentium* sub initium.

Et antequam ad alia testimonia progrediamur, juvat addere Trithemij Abbatis, qui in investiganda historia diligentissimè laboravit, latissimum testimonium. Is enim ægrè ferens, nostri Ordinis antiquitatem in tenebris jacere, opus integrum de laudibus Carmelitarum edendum curavit, perfecitque. Ubi non minùs verè, quam latè ostendit, ELIAM, & Eliseum nostræ Religioni dedisse primordia, seriemque Ordinis contexit ab ELIA usque ad annum Domini 1220. quo tempore Carmelitæ in Europam pervenerunt. Omisis alijs quæ sparsim toto illo libro tradit, aliqua ejus verba referam: ait enim *Capite 2.* ELIAS *Propheta Domini eximius rectè, & catholicè Fundator Carmelitanæ Religionis dicitur, si ejus facta ex voluminibus Regum, absque invidiâ discutiantur. Enim verò ipse montem Carmeli primus habitasse legitur, à quo Fratres Carmelitæ nominantur. Triplici autem ratione ostenditur, quòd istius observantiæ princeps* ELIAS *habeatur, à loco videlicet, ab habitu, & conversatione. Cùm ergo nomen Ordinis à loco sumitur, meritò Carmelitarum princeps* ELIAS *memoratur: quia mons* CARMELUS, *cujus ille habitor extitit, huic Ordini vocabulum dedit. Non loquor vana, sed testimonijs Scripturarum comprobata profero, eum* ELIAM *Prophetam eundem locum longè ante Christi Nativitatem habitasse dico, qui fratribus Carmelitis Religionis suæ nomen dedit & exordium* (& infra ait.)

Trithem.

S. Elias Propheta Fundator Ord. Carm

Quod triplici ratione ostenditur.

A loco.

Consentit ergo nomen loci, ut ELIAS *sit fundator Ordinis Carmelitici. Unde non sunt vituperandi Fratres hujus sacratæ Religionis, quòd* ELIAM *& filios Prophetarum sui Ordinis Fundatores, & Principes asseverant.*

Quantum verò ad rationem habitus pertinet, in ELIAM *Ordo Carmelitarum pulchra transfiguratione consentit. Legimus, ipsum amictum fuisse pallio, quo tangente Jordanis obstupuit, & se pedibus transeuntis calcabilem dedit. Sic Eliseus, sic filij Prophetarum imitatores* ELIÆ *facti sunt, quis non solùm ei loco, sed & habitu similes permanserunt. Quòd si nobis de colore putas inferre calumniam, quamquam sit vile argumentum, quod de invisis coloribus disputat, ad veterum historias te vocamus, quibus in primitivæ Ecclesiæ Fratres Carmelitæ, instar* ELIÆ, *virgulatis palliis leguntur fuisse induti.* Et paucis interjectis ait:

Ab habitu

Ratione autem conversationis, ELIAS *fundator Ordinis Carmelitarum exstitit, qui eos in monte Carmeli sanctis moribus præesit. Quid fecit Elias, quod Fratres Carmelitæ pro posse non imitentur? incoluit ille eremum, vasta solitudinis dilexit, soli DEO & sibi vacavit. At Fratres Carmelitæ ab exordio suæ institutionis vitam solitariam in monte Carmelo duxerunt, soli DEO vacare per contemplationis secretum eligentes, donec tandem novissimis penè temporibus Saracenorum persecutione de eremo expulsi, jubente Sede Apostolica, in urbibus sunt locati. Unde & antiquitus Eremitæ montis Carmeli vocabantur.* Hæc Trithemius. Quibus quamvis hic author nullam historiam referat, fortè reputans, veritati sibi notissimæ confirmandæ opus non esse; nos tamen operæ pretium duximus, Scriptores aliquos producere, ut plenè adversarijs nostris satisfaciamus. Priùs tamen ejusdem Trithemij verba cap. 3. prædicti libri præmittam: ubi de Ordine Carmelitarum loquens addidit sequentia:

A conversatione.

Conversatio Eliæ exemplar conversationis Carmelitarum.

Trithem.

Hinc de monachorum institutione dicit Hieronymus. Noster princeps ELIAS est, dux noster ELISEUS, & Filij Prophetarum, qui in agris & solitudine habitantes habitacula sibi constituebant juxta fluenta Jordanis. *Erant isti viri multarum virtutum, charitate maximi, devotione, & integritate summi, qui in contemplatione suspersi mundum cum voluptatibus suis contempserunt: de quibus veraciter dicit Apostolus:* Circuierunt in melotis & in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cavernis terræ, qui per fidem regna viceruntoperati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. *Isti sunt viri fortes, atque prudentes, qui monasticæ conversationis fundamenta jecerunt, qui, post* ELIAM, *montem Carmeli inhabitantes, se habitu & conversatione DEO dignos exhibuerunt. Ab his Ordo Carmelitarum initium sumpsit, & vocabulum. Ipsi enim Ordinis Carmelitici conversationem legis tempore servaverunt, à quibus nostri Carmelitæ sub gratiâ, & nomen acceperunt, & Ordinem. Nihil in his omnibus nisi tempus discrepat. Meritò unus Ordo Carmelitarum, & Eremitarum sub lege, & gratia dicitur, qui unius DEI fide & cultu conjungitur. Neque autem ceteris Ordinibus titulus Elianus convenit, quibus etsi conversatio vita congruat; tamen nomen loci non concordat. Antiquissimus ergo omnium Ordinum in Ecclesia DEI Carmeliticus est, à quo ceteri Ordines principium, & formam suæ institutionis acceperunt.* Hæc omnia Trithemius.

Ad Paulin. *de institut. Monachor.*

Observa eximiam virtutem & perfectionem successorum Eliæ. *Ad Hebr. 11. cap.*

Ordo Carmeli sub lege & gratia unus & idem.

Quis omnium antiquissimus sit Ordo, & à quo ceteri formam suæ institutionis habuerint?

Post quem externi alij non defuêre Scriptores, qui Carmelitanæ Religionis ab ELIA ortum, progressumque integris voluminibus ediderunt. Præcipue Carolus Ferdinandus Benedictinæ familiæ monachus, cujus meminit Cassanæus in *Catalogo de gloria mundi parte 4. consideratione 70.* & novissimè Arnoldus de Wion in *libro de ligno vitæ par-*

Carol. Fer. Cassanæus Arnold. de Wion.

Paul Morigia. te 2. His etiam temporibus Paulus Morigia Ordinis Jesuitarum, diversorum monachorum, Ordinumque originis diligens indigator *libro 1. capite 30.* per totum de institutione, & origine Carmelitarum differens, pluribus innixus authoritatibus ELIAM habuisse authorem ostendit. Hujus Scriptoris testimonium sufficeret stabiliendæ veritati à nobis intentæ, eò quod seriò, & totus huic incumbens rei, Religionum initia, tempora, authoresque diligenter inquirat. Quare jure de illo præsumendum est, rem attentiùs præ alijs perspexisse, diligentiusque indagasse.

Hactenus non uno, aut altero mendicato verbo, aut authorum suffragio, sed integris Scriptorum operibus, tam familiaribus, & domesticis, quàm externis veritatem propositam confirmavimus. Jam verò breviora, etsi non minùs digna testimonia afferemus.

Primum testimonium petendum erit ab authoritate summorum Pontificum, qui hanc veritatem luce clariùs expresserunt. In primis SIXTUS IV. in Bulla, quæ incipit, *Dum attentâ meditatione pensamus*: Dat. Romæ, anno. 1477. sic ait;

Summor. Pontificum testimonia. *Ordinem ipsum, ac illius personas sub Sedu Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ protectione immediatè existentes, & inter ceteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholicæ Fidei militantes, tanquam religionis speculum, & exemplar speciali charitate fulgentes, sanctorumque Prophetarum ELIÆ, & Elisei, & aliorum patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta* ELIÆ *fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenentes fructus quoque*, &c. Hactenus Sixtus IV. Fere idem repetunt JOANNES XII. JULIUS III. PIUS V. GREGORIUS XIII. SIXTUS Quintus, Pontifices maximi, qui in Bullis Ordini concessis eodem ferè verborum tenore utuntur. Imò & novissimè Sanctissimus noster CLEMENS VIII. in Bulla, qua novæ discalceatorum reformationis constitutiones confirmavit, successionem hanc hæreditariam ab Elia Prophetâ nos habere declaravit: ut videre est in initio nostrarum Constitutionum. Multo clarius idem *Clemens VIII.* hoc expressit in litteris an. 1640. ad Regem Persarum datis, commendans illi Carmelitas discalc. his verbis: *Habuerunt olim hujus Religionis professores, sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris memoriæ proditum est, sui instituti Authores, sanctos Prophetas ELIAM & ELISEUM, omnibus nationibus & Gentibus notos*, &c. Et quamvis id non ignorem, prædictorum Pontificum testimonia non esse fide divinâ credendâ, cùm hoc tanquam de fide non decernant: intra limites verò humani testimonij, quod majus, aut firmius proferri potuit, testimonio tot summorum Pontificum, quorum eruditio, doctrina, & rara sanctitas, etiam secluso, Pontificali dignitate, quemlibet etiam protervum ad fidem compellerent.

Sixt. IV. Ioan. XXII Pius V. Greg. XIII. Clem. VIII.

Ceterùm, quo magis moveor in hac re, ut illam majori fide, quàm humana, dignam credam illud potissimum est Apostolicæ Sedis decretum, cum Cardinalium consilio à SIXTO V. editum, in quo cautum est, ut Carmelitarum Religio ELIAM, & ELISEUM suæ institutionis Patronos coleret, & in eorum memoriam dies festos officijs proprijs celebraret. Ubi inter alia, quæ in ELIÆ officio & festivitate à Summo Pontifice approbato dicuntur, illud est, quod in Hymno ELIÆ decantatur;

Sixtus V.

Hic sacri est ductor, columen, decusque
Ordinis nostri, superisque gratus, &c.

Fit etiam de ELIA in toto Ordine (nisi festum duplex occurrat) quotidie Commemoratio, quod soli Patrono, ac Ordinis authori conceditur & debetur. De ipso præterea Missæ sacrificium, Patrono tantùm convenienti celebratur. Hoc testimonium magni roboris est: neque enim alio graviori innixa fundamento Hispania nostra probat, Apostolum JACOBUM nostrum calcasse solum, tantoque Patrono lætà gloriatur. Nullo inquam alio solidiori fundamento, quam Romanos Pontifices specialiori officio naralem hujus magni Apostoli per universam Hispaniam celebrari decreviss e, in quo mentio fit ejus adventus in has partes, & sub Patroni titulo recitatur.

Accedit etiam, Romanam Ecclesiam errare non posse in rebus fidei, & morum, neque in alijs his affinibus, & propinquis, maximè in his, quæ universæ Ecclesiæ proponuntur. Quare in Religionum approbatione, sanctorumque inter Divos adnumeratione errare nequit, ut certa & firma Theologorum tenet sententia. Ex quo nobis licet conjectare, ferè pari firmitate, & certitudine gaudere Pontificis decretum, proponens Religioni cultum alicujus viri sancti, Patroni nomine: præcipuè si id faciat, ut credamus, eum verum Patronum esse, authoremve illius Ordinis. Nam licet tale decretum videatur Religioni speciali fuisse propositum: tamen, cùm Religio illa sit approbata, & toti Ecclesiæ, ut via ad perfectionem proposita; ex consequenti videtur, decretum illud Ecclesiam universam concernere. Quibus insuper addo, Authorem Religionis, hunc, illumve sanctum ab Ecclesia proponi, vere nihil aliud esse, quàm ejus vitam, moresque veluti exemplar imitandum profitentibus illum Ordinem exhiberi. Quæ omnia ad mores pertinere, nemo est, qui non videat. Quare, cum Apostolica Sedes ELIAM Thesbytem authorem Carmelitarum seriò declaraverit, officioque Patroni proprio eundem quotannis celebrari sanxerit, reliquum est, temeritatis crimine non esse liberum, qui contrarium sentire præsumpserit.

Consuend. nob. Thom. Waldensis *Tom. 3. doctrin. Titul 14. cap. 22. & seq.*

Quanti faciendum sit Pontificis testimonium in approbatione patrocinium aut Fundatoræ Ordinem?

Quid obstat, quominus illud superioribus adjungamus testimonium, (quod etsi pari certitudine non gaudeat, quia illam, quæ ab Apostolica Sede dimanavit, nulla humana adæquare potest certitudo; infra illam tamen magni est ponderis) desumptum ex Martyrol. doctissimi Molani, quod ut ipse fatetur, ex varijs alijs Ecclesiarum Martyrol. confecit. In hoc ergo 17. die Jun. Raptum ELIÆ referens sic ait: 15. Kal. Jul. *in Arabiâ raptus B. Elias Ordinis Carmelitarum Patriarcha: qui tantam gratiam invenit coram Domino, ut verbis clauderet, & aperiret celum.* Hactenus Molan. Quæ verba haud dubiè, cùm in Martyrol. res incertæ, aut dubiæ tradi non consueverint, fidem assensumque certum circa propositam veritatem non parum augent.

Molanus.

Præterea quis non plurimi æstimet, piè veneretur, suscipiatque antiquissimam, nunquamque oblitteratam traditionem, quæ non solum in Ordine nostro, verum apud multos alios invaluit, Eliam Carmelitis authorem esse? cùm in Missæ sacrificio, in divino officio, in omnibus denique precationibus nostris hujus rei veritas commemoretur,

retur, ac repetatur. Nec solùm Christianis, Religiosisve traditio hæc nota est: Nam Saracenis ipsis Syriam incolentibus (quod majus est) olim fuit etiam comperta: præcipuè verò inter Sultanos observata. Cùm enim hi terra sancta potirentur, studiosiùs quàm de barbara gente credi possit, Carmeli montis incolas valdè sibi gratos, benignitate beneficiisque prosequebantur; & (quod silentio prætereundum non est) ut ELIÆ progeniem & successores admitabantur, colebant, & venerabantur. Quod que dictu incredibilius apparet, suis eleemosynis copiosam illam familiam alerent, suis eleemosynis copiosam illam familiam alebant. Plures id referunt authores; maximè verò D. Anton. in *hist. 3. p. t. 20. cap. 5.* Guillel. Tyri Episcopus in *continuatione belli sacri, lib. 5. cap. 3.* Chron. mundi in *6. ætate fol. 207.* Polydor. Virgil. *de inventoribus rerum lib. 7. cap. 3.* Sabellicus *l. 5. Ænead. 9.* Naucler. *Tom 2. generatione 41.* Pontacus Burdegal. *lib. 2. Chron. circa annum 1180.* Supplementum Chronicar. in principio *lib. 13*, ac novissimè Gatibay *Tom. 12. cap. 28.* ac denique Cassaneus in *Catalogo gloriæ mundi, 4. par. consideratione 60.*

Antonin. Guillelm. Chronica mundi. Polydorus. Sabellicus Naucler. Pontacus. Supplementum chronicarum. Garibay. Cassaneus.

Æquum est præterea, in hujus rei confirmationem (ut nullum argumentorum genus prætermittamus) ad revelationes divinas de re proposita factas accedere. Et in primis proferam illustrationem, & revelationem S. Petro Thomæ exhibitam. Is enim dum virginem nostræ Religionis Patronam pro illius conservatione precaretur, talem virginis accepit responsum: *Conside fili, usque in finem mundi Religio Carmelitarum permanebit: nam ELIAS illius institutor Filio meo apparuit, & impetravit.* Hujus revelationis testes sunt nostri Ordinis scriptores, monumentaque omnia, & ultra ipsos eam referunt Philippus Macerius, & Joannes Faventinus in vita S. Petri Thomæ.

Deipara appellat S. Eliam Ordinis Carmelit. institutorem, & promittit ejus durationem usque ad finem mundi.

Macerius. Faventin.

Accedat aliud alterius classis testimonium, à Cantabrigensi Academia, in Anglia olim celeberrima an. Domini 1374. decreta, ac in favorem Ordinis prolata sententia. Cùm enim tempore *Gregorij XI.* Ordinis adversarij ejus. Antiquitati detraherent, irriderentque, nos veros ELIÆ successores appellari, visis, ac examinatis nostris, adversariorumque rationibus Academia universa decrevit, Carmelitas non solùm ELIÆ, & Elisei imitatores, sed potiùs veros, ac legitimos successores fore appellandos. Et quamvis Academiæ decretum *Greg. XI.* confirmaverit, impiissimus tamen hæreticus Wicleph adversariorum factionem denuo excitavit, & contra Carmelitarum Ordinem, ejusque antiquitatem invehi cæpit. Contra hunc ejus verba referens surrexit noster Waldensis *in lib. de Sacram. tit. 9. cap. 89.* probans nostri Ordinis antiquitatem, hæreditariamque successionem. Cujus opera postea fuerunt approbata à *Martino V.* qui ex decreto Cardinalium in Bulla, quæ incipit, *Placuit nobis*, illa confirmavit.

Greg XI.

Celebre universitatis Cantabrigiensis testimonium, hoc decretum integrè refert noster Thom. Aquinas à S. Joseph. *Part. 2. sect. 2. de Patriarchatu Eliæ.*

Waldens. Martin. V.

Quòd si his adeò quis difficilem in origine Ordinis ita antiqua agnoscenda se præbeat, de qua testimonia extant tam præclara: plura alia, licet non fortiora, egregia tamen addam. In primis Josephus Antiochenus hujus rei protulit testimonium, qui *in speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ cap. 12. & 72.* sic ait: *Perfectorum militum Christi coadjutores surrexerunt sanctissimi viri solitarij, contemplationi dediti sanctorum Prophetarum ELIÆ, & ELISEI imitatores, qui de monte Carmelo descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam, fidem Christi constantissimè asseruerunt. Quique in virginis MARIÆ honorem, in Carmeli montis declivio fabricantes oratorium, Salvatoris matris specialissimè servierunt.* Hæc Josephus. Cujus meminêre in hoc proposito Ascensius Vadius in *Commentarijs Mantuanis l. 1. Parthenices fol. 88.* & Pinedas. *in Monarc. Eccl. li. 22. c. 23. paragr. 4.* Paleonidorus *lib. 1. cap. 6* Cui astipulatur *Chronica* antiquissima *Romana*, quæ fere eadem verba Josephi repetens sic ait: *Atem pore ELIÆ & ELISEI prophetarũ religiosi de numero eorum, qui morabantur in monte Carmelo juxta civitatem Dominæ nostræ Nazaret, secretius solebant habitare usque ad tempora Salvatoris, qui tandem, prædicantibus Apostolis, in fide confirmati, in uno latere ipsius montis primo Ecclesiam in honorem virg. Mariæ construxerunt.* Hactenus prædicta Chron.

Ascensius Vadius. Pineda. Paleonidorus. Chronica Romana.

Quæ duo testimonia de Carmelitis apertè loquuntur, cum ipsi fuerint (ut supra diximus) qui B. MARIÆ oratorium illud extruxêre. Nec longe distat ab his Sigib. Gemblacensis *in chron Hieros.* (quem refert Paleonidor. ut sup.) dicens: *Cum Carmelitæ in S. pœnitentia perseverassent à tempore sanctorum ELIÆ, & ELISEI prophetarum, tandem Christum prædicantem audierunt. Qui Religiosi fidem Catholicam confitentes, in Christo baptizati sunt. Deinde perseverantes in doctrina Apostolorum, habentes gratiam ad omnem plebem veritatu Evangelica nuntij fideles, & Religionis Christianæ legitimi confessores legitimè effecti sunt.* Præterea id nobis clarissimè scriptum reliquit Erald. Carthus. qui *in fasciculo temporum in descriptione an. 1294.* sic ait: *Nobilissima civitas Acconis à Saracenis destruitur, ac demum Deiparæ MARIÆ in Carmelo monasterium ad quatuor milliaria civitati vicinũ ab eis igne crematur, fratribus in eo degentibus perfidorum gladijs trucidatis. Et tunc (prob dolor) Ordo Carmelitarum nobilissimum locum ex toto perdidit in quo ab Elia, & Elisei prophetarum tempore duobus millibus, ducentis & viginti uno annu perstiterant. Idem an. 4300.* à creatione mundi, ante Christi ortum an. 923. sic ait: *Eliæ Prophetæ auriga Israël, & origo Religionis Carmelitanæ Eliseo vivente rapitur.* Item circa an. Dom. 450. ita loquutus est: *Elisei Prophetæ Carmelitanæ Religionis primi, post ELIAM patris & Patroni*, Sigibertho Gemblacense teste, ossa transferuntur de Samaria in Palæstinam. His tribus locis clarissimè vir hic nostri Ordinis ELIAM institutorem ac Patronum confitetur.

Sigibertus Paleonid. Erard.

Accedat prædictis Richardus Armachanus Archiepiscopus Hibernus, qui in quodam *sermone habito in festo conceptionis B. M.* Avinionæ coram conclavi Cardinalium, cujus initium est, *Ave MARIA* (præmissis alijs) sic inquit: *Quoniam (ut dicunt fide dignæ historiæ) à tempore ELIÆ, & Elisei Prophetarum; qui sæpius morabatur in Carmelo juxta civitatem Dominæ nostræ Nazaret ad tria milliaria, secretiùs solebant homines inhabitare devoti usque ad tempora Salvatoris. Et tunc Eremitæ (scil. Carmelitæ) prædicantibus Apostolis, in fide solidati, in latere uno montis ipsius primò ecclesiam construxerunt in honorem B. M. virg. in illo loco, in quo didicerant, ipsam cum alijs sodalibus in vita sua sæpius moram traxisse. Et ob hoc nimirum inter alios Religiosos Dominæ nostræ sunt adscripti, ut vocarentur fratres B. MARIÆ de monte Carmelo, &c.*

Armacha.

Hoc testimonium ijsdem verbis refert Magister Borvio Anglicus, & Carmelita, Paleonidorus *cap. 1. lib.* Waldensis de *Sacram. ti 9. cap. 89.* & Navar. de *horu Canonicis cap. 21. n. 27.* illud verò in hoc Armachani testimonio notatione dignum est: illum non ex suo marte, aut ex apocryphis, minusque veris historijs, sed ex fide dignis id desumpsisse. Clictovæus Theologus insignis, *in sermone habito in comitijs Provincialibus Carmelitarum*, qui habetur inter concionei Sanctorum ab ipso

Iosephus Antioch.

Geminum testimonium antiquissimum.

Borvius. Paleonid. Waldens. Navarr. Clictoveus

Carmeli Ordinis origo ob tria cæteris præcellit.

editas, paulo post initium ita ait: *Animadvertere non est indignum, Carmelitani Ordinis exordium ob tria præcipuè excellentiam quandam habere. Primò, quia ante institutionem prænognitum est divino nutu, & revelatum. Memoria enim proditum est (ut scholastica refert historia,) ELIAM Thesbitem de tribu Aaron progenitum, primum Religionis hujus fuisse authorem.* (Et infra) *At hi, qui primam Carmelitano Ordini præstiterunt originem, ut ELIAS, & ELISEUS, ex Judæis nati sunt. Qui verò cæteris Religionibus jecerunt fundamenta, ex gentibus progeniti sunt. Constat itaque antiquiorem Carmelitanæ Religionis, quam aliorum Ordinum, esse originem, & ratione exordij cæteris præstare.*

Phil. Abbas. Paleonyd.

Philippus Hieropolitanus Abbas apud Paleonydorum *lib. 2. cap. 1. de antiquit. Ordinis nostri* his verbis meminit: *O Carmelitarum Religio, quàm magna facta es in domo domini? Numquid olim à modico fonte Eliæ Dei Prophetæ principium habuisti? Et ecce nunc in magnum fluvium crevisti. Tu olim plantata in Eremo, nunc facta es civitas plena populo. Tu fundatorem habes adhuc in Paradiso viventem, & gloriosam Virginem MARIAM Reginam cœli, Dominam mundi, in Patronam singularem. Sicut enim de te olim processerunt Patriarchæ, & Prophetæ: sic nunc de te procedunt sacerdotes, & Levitæ, Doctores, & Evangelistæ. Qui Patres Patroni omnium Religiosorum facti sunt:* Hæc ille.

Denique longum esset, adjicere plura alia, quæ in hujus veritatis confirmationem Scriptores multi tradidêre. Tantum adjiciam duo validissima testimonia, alterum Guilelmi Eysengrenei, qui contra *Centuriatores* scribens in sua *Ecclesiastica historia, centenario 1. distinct. in tit. de Religionibus*, & monasticæ vitæ cultoribus, specialem articulum sub hac verborum serie ponit: *De monachis Carmelitis tempore Prophetarum*: & ibi inter alia sic ait: *Elias propheta primus Carmelita*, & infra. *En hæretice ELIÆ posteritatem dici Monachos Carmelitas.* Itidem sic ait: *Sanctus Eliseus Carmelita, Princepsque Eliadum, id est, Carmelitarum.* Et postquã aliqua attulit testimonia, ut probet, Ordinem Carmelitarũ tempore Prophetarum floruisse, infert contra Centuriatores: *En quàm antiquus sit ordo Beatæ virginis.*

Guilielm. Eysengrenius.

Genebrar.

Alterum vero testimonium est Genebrardi, nostri temporis diligentissimi historiographi, qui, ut doceat Carmelitas ab *ELIA* prophetæ initium sumpsisse, rejicit Polydori sententiam, qui Aymerici tempore censebat, Ordinem hunc incepisse. Verba Genebrardi referam: *Ordo Carmelitarum (qui tunc variegata chlamyde induebatur) initium habuit in deserto Syriæ Aymerici Antiocheni Antistitis opera (ut refert Polydorus Virgilius lib. 7. de inventoribus rerum c. 3.) Sed eorum origo altius repetenda est: nempe à prophetis ELIA, & Eliseo, qui Carmelum montem terræ sanctæ primi consecrarunt, & discipulos ibi reliquerunt, quos scriptura filios prophetarum appellat. In Europam eum postea adduxit Albertus Patriarcha Hierosolym. Primi sunt mendicantium.* Prædicta Genebrard. Cujus viri quanta sit in conscribendis historijs authoritas apud omnes (præcipuè viros doctos) ita notum est, ut ejus testimonio securè possimus hîc stare.

Quòd si duorum hominum testimonium verum, & recipiendum est, quantò magis quod per tot testes, ac tam illustres confirmatur? tot summorum Pontificum decretis fulcitur? tot sæculis roboratur? ac non solùm in Ecclesia, verum apud Barbaras nationes traditione receptum ac comprobatum est? Nempe id falsum, aut fictum existimet quis, quod tot viris dignissimis, vetustioribus, ac recentioribus probatur? Num ignarus, aut suspectus testis sanctissimus ille (quem sic appellat Trithem.) Joan. Patriarcha Hierosolym. qui opere integro nobis astipulatur? Num Thomas Waldensis acerrimus hæreticorum malleus, levia, aut frivola traderet? Num tot Ordinis pij, gravissimique viri in scribendis his, si vera non essent, tot voluminibus defatigarentur? Fortè tot Pontifices errarunt? aut in suis decretis decipi potuerunt? Num revelationibus veris rot retro sæculis in Ordine receptis fides adhibenda non est? Oblatrent Ordinis nostri veteres, novique adversarij, quantum libuerit: aperta sunt enim, & luce clariora, quæ diximus, ni ipsi ita cæcutiant, ut aperta luce solem non videant.

Rationibus idem confirmatur.

Cæterum ut res hæc omni ex parte absoluta maneat, rationibus perficienda erit. Prima, nam (ut refert Hieronymus in Epistola ad Paulinum scripta) habet unum quodque propositum, sive institutum principes suos. Idque sanctus Doctor varijs confirmat exemplis. Hîc tantùm nobis sufficiat, nosse, quæcumque religiosæ vitæ instituta ab aliquo primo fonte dimanasse: nullamque esse Religionem, quæ aliquem sui Patriarcham, institutoremve non cognoscat. Sic Basilios, Benedictinos, Franciscanos, Carthusienses, per singulaque, si discutras, à Fundatore aliquo Patronove emanare compertum est. Quem ergo Patronum agnoscunt Carmelitæ, aut quem institutorem unquam, nisi ELIAM sunt venerati? Quis unquam Historiographus vero, probabilive fundamento nixus alium nobis Authorem potuit adinvenire? Legat, revolvatque quis Authorum historias, & verè comperiet, apud illos nullum alium determinatum posse Authorẽ reperiri, si excludatur ELIAS

Nam qui ab Alberto Patriarcha Ordinem cœpisse asserunt, ipsimet fatentur, Albertum tantùm Ordinem jam prope labentem suã Regula erexisse. Qui verò ab Aymerico Ordinis primordia computant, ipsi etiam liberè concedunt, Aymericum tempore *Alexandri III.* Carmelitas per Carmeli saltus dispersos in unum congregasse, ad commodioremque vivendi formam redegisse. Qui verò à Joan. Hierosol. circa annum Domini 400. Regulam nos accepisse docent, ipsi quoque admittunt, Joan. Hierosolym. antequam regulam Carmelitis traderet, eorum conversationem, institutumque fuisse amplexatum.

Alij tandem, qui nostra initia ad Apostolorum tempora referunt, nullum certè Authorem designant, neque explicant, quando, & quomodo id contigerit. Quare confusè nimis loquuti, rem, & operam perdunt. Et veluti Nili ignotum caput, sic nostri fontis initia hic, atque illic quærunt. Quæ omnia, si in unum jungantur, inevitabile conficiunt testimonij, ELIAM nostrũ extitisse Authorẽ.

Ultimò, si memoria reperamus, quæ in initio hujus primæ partis diximus, constabit, ELIAM alicujus instituti Religiosi in Evangelica lege adhuc florentis fundamenta jecisse. Quæ autem nunc extat, vel præteritis temporibus floruit Religio, quæ ELIA patrono gaudeat, aut glorietur, & tantum sibi usurpet honorem, nullam certè, præter nostram, nec præteritis, nec præsentibus sæculis invenies. Cujus institutio monasticæ vitæ, exemplarique illi, quod ELIAS in monte Carmeli plantavit, similior reperitur, quam Carmelitarum? præcipuè dum majores nostri Carmeli fontem, speluncasque habitarunt? Testis est Joan. Patriarcha Hierosolym. & Trithemius superiùs adducti, qui latè in suis libr. demonstrant, Carmelitas in omnibus veros fuisse ELIÆ imitatores. Ni fortè aliquis dicat, post Eliam Prophetam, filiosque prophetarum, in Carmeli monte aliquando veros ELIÆ successores defuisse.

Sed certè id nemo verè poterit affirmare, cum

ex

ex nulla historia, nullisve conjecturis certis colligi possit, hanc Eliæ familiam aliquo tempore usque ad annum Millesimum ducentesimum, in quo Carmelitæ in Europam adventarunt, illius montis habitationem dereliquisse. Præcipuè verò id constabit, si quis perlegerit ea, quæ nos in *libro de Ordinis antiquitate* de hac re tradidimus. Si Elias ergo Author Religiosæ vitæ agnoscitur, eamque in Carmelo sitam reliquit, & nunquam abolitam fatentur Authores; quos Eliæ dicemus successores, præter eos, qui in Europâ venerunt, à mellifluo illo expulsi monte, qui modò Carmelitæ nuncupâtur.

Regulæ, divinæque institutiones à Carmelitis tempore ELIÆ, & Prophetarum usque ad tempora Joan. 44. *patriarchæ servatæ.*

§. 2.

D. Cyril. BEatus Cyrillus montis Carmeli quondam Prior, vir doctrina, & sanctitate præclarus, in *lib. de peculiaribus gestis Carmelitarum*, & in *Epistola ad Abbatem Joachim* agens de Regulis, quibus Carmelitarum Ordo olim DEO famulabatur, sic ait: *Sacra hujus Religionis professores institutionem suam in divina scriptura tanquam in amœno Paradiso speculabantur: ubi & fundatorum istæ Religionis virtutes exemplaria ab eis imitanda intuebantur, à Prophetis commendata, & multis sacrorum voluminum testimoniis approbata. Ex quibus dicti professores diversos profundæ sapientiæ Tractatus deducebant, quibus tanquam copiosis dapibus reficiebantur.*

Sacræ litteræ & exempla SS. Eliæ, Eliseï, Filiorumque Prophetarum fuêre in lege scripta Carmelit. Regulæ.

Hactenus Cyril. Cui sententiæ apertè favet Trithemius in *lib. de laudibus Carmelitarum cap.* 4. dum ait: *Sancti enim fratres, qui in monte Carmelo juxta fontem Eliæ ante Christi nativitatem habitabant, Regulam conscriptam habuisse non leguntur, sed ipsi norma, & regula sibi fuerant, qui exemplo ELIÆ concorditer vivebant.* Ex quibus Patribus colligitur, scripturam sacram monachis illis fuisse vivendi normam, & ultra ipsam, ELIÆ exemplum, ejusque successorum pro Regula fuisse venerato.

Trithemius.

Hoc verò plenius, latiusque prosequitur Joan. Patriarch. Hierosolym. Episcopus *lib. de institutione monachorum cap.* 16. Ideò (inquit) Elias (ut suo exemplo animos omnium prædictorum monachorum ejus discipulorum provocaret ad suæ Religionis exercitium) studuit, secundùm formam per DEUM sibi traditam, pollere coram eis frugalitate paupertatis, uti abstinentia, parsimonia, domare concupiscentias carnis, nitere candore Castitatis, abnegare libertatem voluntatis, vitare tumultum plebis, & ardere fervore charitatis. Et quia in ejus imitatione decrevit DEUS consistere hujus Religionis prophetican perfectionem, propterea Elias ipse magna propheticæ disciplinæ, & monasticæ vitæ exemplaria (scilicet gesta sua, & merita) demonstravit cordibus professorum hujus Religionis, per quæ ipsi ornarent penetralia mentis: ut ad rationem ejus, sæculo, ac terrenis omnibus ex totis præcordijs renuntiantes, & carnales concupiscentias per continentiam, & abstinentiam crucifigentes, voluntatemque propriam abnegantes, & eam superiori humiliter committentes, à conspectu etiam hominum absconsi, prophetalem vitam eremiticam (quam Elias ipse vixerat in solitudinibus, & maximè in monte Carmeli) monachi prædicti in eodem monte Carmeli, & in alijs Eremis, ac locis ad hunc finem continuarent, quatenus, eam accolentes, liberius etiam mentes suas cum DEO per amorem perfectè unirent.

Joan. Patr.

Et infrà: Quidquid igitur est perfectionis in hac Religione, ab hoc prophetâ DEI ELIA exemplariter emanavit. Hæc & alia ibi, & alibi Joan. Hierosol. docens, qua ratione Elias se præbuerit exemplū, ac vivā filijs prophetarū, alijsq; successoribus vivendi regulā. Idem author *c.* 21. sigillatim refert alia Eremiticæ vitæ instituta, & observantias, quas majores nostri colebant: ubi præcipuè tractat de oratorio, ubi certis horis, ad peragenda divina officia, conveniebant; & de cellis, in quibus soli, & separati habitabant; & de silentio, quod miro cultu assiduè prosequebantur. Ac denique in *eodem cap.* concludit his verbis: Omnes quippe hujus Religionis veri sectatores, tam in monte Carmeli, quàm alibi habitantes, profitentur, se humiliter sequi illam sanctam vitam, & propheticam justitiam, vitæ monasticæ, quam prophetæ DEI ELIAS servavit, & instituit, ac quam esse sequendam, ipse secundum formam à DEO sibi traditam verbo pariter & exemplo discipulis suis tradidit; & in Eremo montis Carmeli residendo docuit maximè, ac demonstravit. Et hæc de Regula tempore ELIÆ, & ELISEI prophetarum servata. Restat nunc, ut de modo vivendi ab Eliæ discipulis servato dicamus. Reliquit igitur Elias in monastica professione multos post se successores, quorum alij in monte Carmelo, in Galgala, & Bethel, alij in Hiericho, & alijs terræ sanctæ locis habitabant, ut latè idem Joan. Hierosol. *cap.* 23. & 24. docet. De his igitur Eliæ, & Eliseï successoribus videamus, quibus institutionibus ad perfectionem vitæ monasticæ sategerunt.

B. Hieron. Isidorus. Ioannes. Eusebius.

Mihi id compertum videtur, ELIÆ, & Eliseï discipulos non una, eademque Regula vixisse. Nam filij Prophetarum (de quibus B. Hieronym. *ad Paulinum*, & *ad Rusticum*, Isidor. *libr.* 2. *de offic. c.* 9. & Joan. Patriarcha ferè per totum librum meminêre) illam Regulam, quam idem Joan. Hierosol. tradidit, observarunt. Permanseruntque hi Prophetarum filij usque ad Apostolorum tempora, ut ex Eusebio Cæsarien. *lib.* 2. *Ecclesiast. hist.* apertè probatur: Is enim ita prædicto loco scripsit: *Apud Antiochiam floridissima congregatur Ecclesia, in qua etiam fuerunt Prophetici Ordinis viri quàm plurimi:* & infrà: *Qua tempestate Agabus unus ex his, qui aderant, Prophetis.* Alij verò ELIÆ successores (nempè Esseni, qui in desertis Hiericho morabantur) suprà Eliæ institutiones alias supererogaverunt, fortè ab Eliseo propheta eorum magistro & Authore acceptas. Quamvis non dubitem, Essenorum genus etiam filiorum prophetarum nomine olim contineri, licet specialiter Esseni appellarentur, quia in perfectione monasticæ vitæ potissimum ab ELISEO propheta sunt instituti.

Plinius. Solinus.

Pro quo recolenda existimavi, tum Essenorum genus, & originem, tum cultum, & Religionem. Essenorum familiam, si Plinio *lib.* 5. *naturalis hist. cap.* 17. & Solino *cap.* 36. credendum est, planè compertum erit, esse antiquissimam. Id enim Plinius prætato loco de Essenis tractans scriptum reliquit. *Ita* (ait) *per sæculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur* &c. Solinus quoque fidelis Plinij imitator ferè eisdem verbis Essenorum antiquitatem commendans dicit: *Itaque per immensum spatium sæculorum (incredibile dictu) æterna gens est, cessantibus puerperis.* Hæc Solinus. Et licet doctissimus Baronius 1. *Tom. annal. ann. Christi* 64. *cap.* 6. 7. & 8. Plin. & Solin. dicentibus, Essenorum sectam per multa sæculorum millia exitisse, non credendum existimet, ea ratione ductus, quia qui res Judaicas sunt prosequuti, tam antiquā originem Essenis non tribuunt; quare ipse, vel post Christum, vel paulò antea tempore Herodis ma-

de Essenorum origine, genere & Religione.

Mirandum quod de ipsis refertur.

joris viros hos claruisse existimat: nulla enim (ut ipse ait) antiquior apud Josephum de eis habetur memoria: tamen in hoc illustriss. Baronius fortè deceptus est. Nam apud Josephum eadem ferè verba, quæ apud Plin. & Solin. potuit facilè invenire. Is enim *lib. 18. antiq. Judaicarum cap. 2.* de sectis Judæorum agens sic inquit: *Judaï patria sapientiæ studiosi, jam inde à multis retro seculis in tres sectas erant divisi, Essenorum, Saducæorum,* &c. Idemque author *lib. 13. cap. 9.* docet, tempore Jonathæ Pontificis, & Antiochi Regis has etiam sectas floruisse. Quod censet Genebrardus *lib. 2. ann. mundi. 3944.* Hoc est *143. an.* ante Christi adventum. Imò neque ibi apud Josephum eorum initia expresiè recensentur: sed potiùs in confuso adnotatur, multis retrò seculis incœpisse. Quæ verba tempora longissima denotant. Quare id certum videtur, eos à sanctissimis prophetis ELIA, & ELISEO originem ducere. Idque in primis probo ex Genebrardo viro gravissimo *lib. 1. Chronologiæ anno mundi 3272.* Eliseus (ait) construxit cellas prophetis in Hierichuntis solitudine. Manavit institutum, & loci Religio ad posteros, fuitque desertum hoc usque ad Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentiæ incredibilis. Eodemque loco habitasse Essenos, (nempe in desertis Hierichuntis,) Plin. & Solinus ut suprà senserunt. Et quamvis Genebrard. expresè non affirmet, Essenos ab Eliseo propheta immediatè in monastica disciplina fuisse institutos; clarè tamen docet, ab ipso, sive à prophetica sua familia ortos fuisse. Idque colligitur apertè ex Nicephor. *lib. 2. Eccles. hist. c. 15.* qui de Essenis narrans, *Eos* (ait) *vitam propheticam flagranti, atque ferventi fide meditari, atque æmulari.* Quæ est igitur hæc prophetica vita, nisi ea, quam Elias, & Eliseus, filiique prophetarum coluêre? In hujus verò rei confirmationem argumento utar in hac materia validissimo. Nam Esseni, de quibus Philo, & Josephus, (ut infrà dicemus) plura admiratione digna scripserunt, fuerunt à divo Marco in Ægypto legibus, & institutionibus Evangelicis imbuti, aliisque canonibus, & observantijs monasticis instructi: ut post Nicephor. & Euseb. *lib. 2. cap. 15. & 16.* & Hiero. de *Scriptoribus Ecclesiast.* in Marcum, communis tenet Catholicorum sententia. Qui etiam censent, ab his Marci discipulis Christianorum monachorum postea in Ægypto, & Palæstina agmina descendisse, ut cum Nicephor. *cap. 15* (& expressiùs *cap. 16.* illis verbis: *Cum ad hodiernum usque diem non apud alios, quàm apud nostros homines Regulas tales, vivendique mores conservari, compertum sit*: lib. 8. cap. 39. propè finem, Equidem ab illis Ægyptijs tantopere hoc vivendi genus invaluisse conjicio: quæ ferè verba habentur apud Sozomen *lib. 1. cap. 11.*) & Euseb. ut supra *cap. 15.* & *16.* eruditè Casian. *lib. 2. cap. 5.* demonstravit, dicens: *Nam cum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi monachorum nomine censerentur, qui à beata memoriæ Evangelistâ Marco normam susceperè vivendi* &c. & infrà: *Ea igitur tempestate, cùm Ecclesia illius primitiva perfectio pene successores suos adhuc recentis memoriæ inviolata duraret,* &c. Quibus, & alijs ex hoc c. & *c. 4.* præcedenti manifestè ostendit, disciplinam à B. Marco primis illis Evang. monachis traditam usque ad sua tempora perduravisse. Idque & fortè expressiùs, in præfatione ad Castorem propè finem indicavit dicens: *Secundum eam, quam vidimus, monasteriorum Regulam per Ægyptum, & Palæstinam antiquitus fundatorum, vel adjiciam, vel recidam. Nequaquam enim credas, rationabilius quidquam, vel perfectius in Occiduis Galliarum partibus reperiri potuisse, quàm illa sunt instituta, quibus ab exordio prædicationis Apostolicæ, à sanctis, ac spiritualibus patribus fundata monasteria ad nos usque perdurant.* Hactenus Cassian. Placet igitur Cassiano, Euseb., Nicephor. & alijs, Ægypti monachos in professione Essenis, hoc est, discipulis B. Marci successisse.

Josephus. *Genebrar.* *Nicephor.* *Eusebius, Hieron.* *Sozomen. Cassianus.*

Ab Elia & Eliseo originem ducunt.

Porrò argumentum (ut ad propositum redeamus) hac ratione formare licebit. Idem Cassian. *libr. 1. de institutis renuntiantium* ferè per totum, Monachos Ægypti, & Palæstinæ ab Elia, & Eliseo, filijsque prophetarum originem ducere, iisque docet, ac repetit: cui subscribunt Niceph. *lib. 8. cap. 39.* & Sozomen. *lib. 1. cap. 11.* & Hiero. ad Rusticum & Paulinum. Si ergo Ægyptij Alcetæ, sive monachi ab Elia, & Eliseo ortum habuerunt, & hi præterea ab Essenis disciplinam suscepêre vivendi, eorumque successores extiterunt; necessariò fatendum erit, Essenos etiam ab Elia, & Eliseo, sive filijs prophetarum eorum successoribus promanasse. Quod præterea demonstrat nominis etymologia. Nam licet demus, Essenos à vitæ sanctitate esse dictos (quod voluit Chryso. *hom. 44. in act. Apost.*) idque Philo in *lib. cujus titulus est, quòd liber sit probus*, apertè significat; tamen, si nominis ethymologia attentè consideretur, Essenos, sive Esseos (ut alij volunt) ab Eliseo potiùs dictos, quasi Elisenos, verius apparet. Quæ denominatio placuit etiam patri Henriques nostri temporis auctori gravi, & docto in 2. *Tomo, l. 12. c. 5.* in glos. in lit. B.

Chrysost. Philo. Essenis unde dicantur.

His visis, oportet, ut de Essenorum institutione, & Regula dicamus: breviter tamen id priùs præmittentes, Essenos tam Alexandriæ, quàm Palæstinæ inhabitantes (utrobique enim horum secta florebat) Christi, & Apostolorum prædicatione ad fidem fuisse conversos. Quod eruditè ut solet, docet Baronius, ut suprà: colligiturque apertè ex Euseb. Niceph. Sozomen. & Cassian. relatis, qui uno ore fatentur, Essenos primos fuisse in Ecclesia vitæ monasticæ cultores, ab eisque ad posteros Ægypti, & Palæstinæ monachos institutum, Religionemque manasse. De Essenorum igitur Regulis, & vitæ sanctitate plura scripsere Josephus, ut suprà, Philo Judæus natione Alexand. in *lib. de vita contemplativa*, sive de supplicibus in scripto, à quo postea ea, quæ de Essenis tradidêre, acceperunt Euseb. Sozomenus, Nicephorus, & alij. Breviter tamen ex his legibus, atque sanctionibus, quibus Esseni insigniores pietatis cultores, imò & Christiani monachi seipsos addixerant, aliqua appingamus. Et omissis illis, quibus imbuti erant, opinionibus, dogmatibûsque Catholicis de DEO, & de immortalitate animæ, solùm statuta circa mores referam.

De eorum regula & institutis. *Trithem.* *Eusebius, Nicephor. Sozomen. Cassianus, Josephus, Philo.*

1. In primis omne juramentum, quasi perjurium esse vitandum: quia quicquid vir perfectus dixerit, jusjurandi vim habere debeat, & quòd is veluti mendacij reus condemnetur, cui sine teste DEO non creditur.

2. Summam post DEUM exhibendam esse legislatori Moysi reverentiam, quem si quis blasphemaverit, morte morietur.

3. Præcipuum studium divinis litteris, ac veterum Patrum scriptis adhibendum, indeque petenda, quæ animorum curæ expediant.

4. Communis sodalitij præfecto ita parendum esse, ut nihil sine ejus præcepto fieri liceat.

5. Continentem, ac cælibem vitam ducere, & ab omni prorsus conjugio per omnem vitam abstinere.

6. Omnes facultates communes esse, unumque omnium patrimonium, quod per communes procuratores dispensetur (Ecce. 4. 5. & 6. præcepto tria religiosorum vota adumbrata.)

7. Nihil

7. Nihil inter se aut mercari, aut vendere, sed cunctis esse liberum accipere, à quibus libuerit quod opus sit.

8. Albis vestibus utendum, & amictum, & calceos non mutandos, nisi omnino aut conscissis prioribus, aut longi temporis usu consumptis.

Similis lex habetur in Deuteron. cap. 23.

9. Tantam etiam in naturalibus purgamentis habendam esse munditiæ curam, ut unusquisque sibi quotidie in secretissimis locis foveam dolabella effodiat, in qua ventrem exonerer, demissa primùm circumquaque veste, contegendi corporis gratia, ac deinde terra, quam effoderat, in locum suum reducta, ne scilicet divinæ lucis splendori fiat injuria.

10. Ante solis ortum publicis laudibus Authorem nascituri luminis celebrandum, postea verò ad suas cuique artes, ac studia accedendum.

11. Hora quinta diei in commune cœnaculum, sacris vestibus, hoc est, lineis velaminibus indutis, coëundum: ibique ex eodem pane, & pulmento, in silentio residentibus vescendum: nec aliquid gustare cuiquam fas sit, nisi publica oratio prandium præveniat, & sequatur, quæ DEUM datorem victus & ante & post cibum collaudet.

12. Post prandium, depositis sacris indumentis, ad sua cuique opera usque ad vesperam recedendum.

13. Ad eorum Religionem nuper venientes, non statim in consortium assumendos: sed candida veste, & perizomate indutos & dolabella incinctos, à curationibus suis explorandos per tres integros annos, donec probatæ virtutis experimenta dederint. Hactenus de Essenis.

Trithem.

Tempore verò Ecclesiæ primitivæ, Carmeli cultores, alijque ELIÆ successores Evangelicam Regulam studiosissimè observarunt, ut Trithemius *cap. 4. de laudibus Carmelitarum* scribit his verbis: *Deinde post passionem Domini, multiplicata per Judæam fide Christiana, hi, qui in monte Carmeli vitam imitatione Eliæ ducebant eremiticam, secundùm Evangelium Christi vivere cœperunt, sicut in actibus Apostolorum scriptum est. Erant unanimiter in oratione perseverantes, & erat illis cor unum, & anima una: nec quisque inter eos aliquid habebat proprium, sed erant eis omnia communia. Hæc est vita Apostolica, quam fratres Carmelitæ in primitiva Ecclesia studiosissimè observabant, Regulam super his Evangelicam in cordibus suis habentes conscriptam. Successu verò temporis cùm homines paulatim inciperent ab Apostolica vita recedere, & proprium sibi quisque possidere; timentes zelosi montis Carmeli habitatores, ne & ipsorum sancta conversatio per successum temporis deficeret, de remedio in posterum cœperunt cogitare, scientes, Ordinem suum deinceps non satis tutum existere, nisi per Regulam confirmaretur.* Hæc Trithemius. Quæ verò fuerit hæc Regula, quam post tempora primitivæ Ecclesiæ Carmelitæ susceperint, sequenti capite declarabimus.

CAPVT II.

De Regula, sub qua Carmelitæ vixerunt ab anno Incarnationis 400. usque ad annum. 1205.

D.Cyrillus de Joan. Hierosol. sanctimonia & Regula ab eo Carmelit. Ordini tradita testimonium

Divus Cyrillus supra laudatus montis Carmeli Eremita in *libr. de peculiaribus gestis Carmelitarum*, & in *Epist. ad Abbatem Joachim*, quæ hodie habetur in *speculo Ordinis lib. 8. à cap. 1.* ita scribit: Fuit autem tempore Arcadij & Honorij Imperatorum quidam dictorum Religiosorum pater mitræ virtutis, & perfectionis, *Joannes* nomine, qui ceteros consortes suos ejusdem montis monachos exemplo suo, & magisterio solicitè inducebat ad perfectionem acquirendam, secundùm prophetica disciplinam vitæ monasticæ per ELIAM prophetam institutæ. Quam disciplinam Joannes eis exponebat ex diversis litteris, tam veteris, quàm novæ legis, & ex nonnullis tractatibus editis à prædecessoribus suis: qui tandem propter ejus sanctitatem in Pontificem Hierosolymitanæ Ecclesiæ sublimatus Apostolo Jacobo in Episcopatu ejusdem Ecclesiæ quadragesimus quartus successit. Hunc Joannem chariſſimus ejus discipulus, Caprasius nomine, ejusdem montis, & Religionis monachus suppliciter flagitavit, ut quæ de institutione hujus Religionis, & primis ejus fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda frequenter disseruerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breviter reddere in unum volumen, in quo omnia per Ordinem intuerentur, ne oporteret eos librorum numerositatem evolvere. Joannes ergo cernens, quòd propter occupationem suscepti officij non posset ulteriùs jugem in monte Carmeli residentiam trahere, quod Caprasius ab eo flagitaverat, opere complevit. Scripsit enim eloquio, & litteris Græcis in quodam libro primariam nostræ Religionis institutionem, & Fundatorum ejus dignitatem, atque priscorum professorum gesta sancta, & gloriosas virtutes, exteriorem que habitus ornatum.

Propterea prædictus Joannes brevi & lucido eloquio ordinatè descripsit successores dictorum patrum in illo libro, ut tanquam in nitido speculo institutionem suam intuentes, eam observare propensiùs conarentur: & sanctam vitam, ac virtuosos mores dictorum patrum ex totis præcordijs imitarentur. Quem librum ipse Joan. sodalibus suis Religiosis Eremitis montis Carmeli legendum, & observandum tradidit tempore Honorij Imperatoris, anno Domini 412. Et ex tunc professores nostræ Religionis sategerunt ad perfectionem, & finem vitæ solitariæ tendere secundùm formam institutionis propheræ ELIÆ per dictum Joannem in præfato libro descriptæ. Hactenus Cyrillus. De hac regula Joannis meminit Trithemius in *lib.* quem edidit *de laudibus Carmelitarum cap. 2.* dicens: *Sanctissimus ille Patriarcha Hierosolymorum Joannes, quid aliud in suo libro de principio & profectu hujus Ordinis exprimit, nisi quòd Elias fundator ejus fuit?*

Trithem.

Margar. Genebrar. Ioā. Drad. Faverden.

Estque præterea hæc Joannis institutio à Margarino de Lavigne eruditissimo viro, *Tom. 9. Bibliotheca sanctorum Patrum* inserta. Fuit vero Bibliotheca hæc approbata à facultate Theologica Parisiensi, potissimùm à Genebrardo, Joanne Dradeo, ac Francisco Faverdentio: & in ordine perpetua constantique traditione receptum est, olim majores nostros sub hac Regula Joannis ad Religiosæ vitæ perfectionem properasse. Nam præter D. Cyrilli testimonium superiùs adductum (quod in hac parte magni ponderis, & authoritatis censendum est, cùm sanctissimus hic vir ferè attigerit tempora, quibus hæc Joannis institutio in Ordine vigebat, ut infrà dicam) meminit etiam prædictæ Joannis Regulæ lucidissimum Ecclesiæ lumen noster Thom. Waldensis de *Sacramentalibus tit. 9. cap. 89.* his verbis: *Ordo Carmelitarum à Joan. Patriarcha Hierosolymitano priùs Carmelita Regulam vivendi Græcè conscriptam accepit, quam pleniori post, sub Alberto itidem Patriarcha, forma digestam inspexit. Hic Joannes tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum ad Caprasium monachum montis Carmeli, de peculiaribus gestis Carmelitarum, quod hactenus translatum in Latinum habetur, volumen descripsit.*

Est hic *Ioan. Ierosol.* liber Bibliothecæ PP. multo auctiori & accuratiori in editione facta ab Univers. Colonien. Theologis an. 1618 *Tomo 4.* qui continet scriptores 4. sæculi, ad est, ab an. Chr. 300. usque ad 400. insertus.

Waldens. sit. Ita Waldensis, qui præter ea adducit in confirmationem suæ sententiæ Armachani Hiberniæ
Armach. Archiepiscopi testimonium, qui de Carmelitis scribens sic ait: *Qui insuper* (nempe Carmelitæ) *in principio nascentis Ecclesiæ, in partibus illis prædicando Evangelium, sollicitè laborarunt: & consequenti tempore à Joanne Hierosolymitarum Patriarcha Regulam vivendi communiter susceperunt.* Habetur insuper præfata Regula in speculo Ordinis: ibique olim
Bal. Ribo. scholijs à Philippo Riboti per decem libros multos ante annos fuit exornata.

Nec desunt inter juniores exterosque authores, qui hujus Regulæ recordentur. Nam Paulus Morigia
Morigia. Plato. Car Tap. Gregor. de Valentia. Ioan. Burl. Emanuel. Rodrig. Ioan. Hier. *lib.* 1. *de origine Religionum cap.* 30. Hieronym. Plato, *de bono status Religios. lib.* 2. *cap.* 22. Carol. Tapia. in *authen. Ingressi*, verbo, *monasteria, cap.* 17. Greg. de Valen. 2. 2. *disput.* 9. *q.* 4. *puncto* 1. Joannes Burlet doctor Parisiensis in sermone Conceptionis B. Virginis, & F. Emanuel Rodriguez 1. *Tom. Quæst. Regul. q.* 1. *de origine Religionum*, Regulam hanc Joanni Patriarchæ adscribunt: eamque Carmelitis dedisse referunt. Quod expressiùs ex ipso lib constat. Imò Joannis intentio eò potissimum tendit, ut probet monachos Carmelitas ab ELIA, & Eliseo, & alijs filijs Propherarum originem, vitæque institutionem hausisse: ut patet ferè ex toto libro, præcipuè *cap.* 11. 16. 17. & 21. ubi sic ait: *Quia ergo dicti Monachi ad exemplum Eliæ coluerunt jugiter in Carmelo justitiam vitæ monasticæ: propterea appellati sunt Eremitæ Carmeli.* Et infra: *Sed & cæteri hujus Religionis monachi habitantes alibi cupiunt idcirco Carmelitæ appellari, quia eorum Religio, & sanctæ conversatio est ab illis derivata, qui prædicto modo satagerunt in monte Carmeli continuè religiosam vitam Prophetæ Eliæ (& usque nunc satagunt) humiliter imitari. Omnes quippe hujus Religionis veri sectatores, tam in monte Carmeli, quàm alibi habitantes, profitentur, se humiliter sequi illam sanctam vitam, & prophyticam justitiam vitæ monasticæ, quam Propheta DEI ELIAS servavit, & instituit.* Nec est cur in hoc diutius immoremur, cùm inter alia, quæ Caprasius à Joanne scisitatus fuit, hoc unum sit: quare monachi Eliæ successores dicerentur Carmelitæ, cùm ELIAS conversationem hanc non in Carmelo, sed in Carith inchoaverit? ut videre licet in *cap.* 17. hujus Regulæ. Constat igitur ex dictis, hanc Regulam fuisse à Joanne Carmelitis traditam.

Quis verò sit hic Joannes, & quo tempore Regulam hanc tradiderit, restat ut aperiamus. Hic
Hieron. Lipoman. vir Monasticæ fuit cultor professionis, ut constat ex D. Hieronym. in *Epistol. ad Theophilum Episcopum Alexandrinum.* Et quamvis Lipomanus in vita S. Epiphanij asseveret, Joannem simul cum Epiphanio in monasterio Hilarionis in Palæstina vitam monasticam fuisse amplexatum; id tamen certius apparet, virum hunc Carmelum montem cum reliquis ibi eremitis habitasse. Quod inprimis constat ex testimonijs B. Cyrilli, & Waldensis
Martyrol. Molani. nuper relatis, & ex Martyrologio Molani, ubi 12. die Januarij scriptum habetur: Item S. Joannis episcopi Hierosolymitanæ ecclesiæ, Ordinis Carmeli professoris. Quibus subscribunt Hieronym.
Hier. Pla. Paul. Morigia. Plato, Paulus Morigia, & alij relati. Constatque id apertissimè ex suo libro, in quo sæpe se hujus montis professorem fatetur, præcipuè in *primo Cap.* dum Carmelitis scribens ait: *Sicut hæc omnia antiqui hujus nostræ conversationis sectatores ante nos intellexerunt.* Et infra: *Quanta sanctorum præcipuorum authoritate hæc nostra vitæ Religio confirmetur, & cum quanta mentis securitate formam hujus conversationis sequentes, viam, & corda nostra Domino dirigimus.* Ex quibus patet, se inter Carmelitas, quibus hanc institutionem scripsit, connumerare, tanquam ejusdem vitæ assectam, & cultorem.

Postea verò ob ejus merita, probatosque mores, ad dignitatem Patriarchæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ fuit assumptus: successitque Cyrillo, ut testatur Nicephorus *libr.* 12. *Eccles. hist. cap.* 24. Theodoretus *lib.* 5. *historiæ Ecclesiastica cap.* 35. Ruffinus *lib.* 2. *Ecclesiast. hist. cap.* 21. & Genebrardus in *chronologia lib* 3. *anno Domini* 403.) Fuit in Ordine 44. ut apertè faretur Nicephorus in sua Chronologia, his verbis: *Joann.* 44. *sedit annis* 16. Fuit præterea Joannes hic sanctitate præclarus. Quare eum Trithemius (ut supra) sanctissimum appellat, Molanus verò inter divos, quos in suo Martyrologio refert, adscribit, S. Cyrillus eum à vitæ sanctitate commendat. Et, ut ad superiora conscendam, Nicephorus *lib.* 14. *cap.* 30. ita de Joanne nostro scriptum reliquit: *Deinde Hierosolymis Cyrillo divinus Joannes successerat.* Et infra in *eodem cap.* illum D. Joannem appellat, dum ait: *fuit condiscipulus D. Joannis* &c. S. Theodoretus *lib.* 5. *ut sup. cap.* 25. 37. sic ait: *Hierosolymorum Ecclesia præsidebat Joannes vir mirabilis, successor Cyrilli.* Quæ à nobis relata sunt, ut virum hunc contra D. Hieronymum acriter ipsum impugnantem, defendamus. D. enim Hieronymus, imò & S. Epiphanius Joannem Patriarcham, ut Origenistam frequenter gravièrque accusant: ut conspicere quis poterit in Epistolis ab Hieronymo tam ad eundem Joannem, quàm ad Theophilum Alexandrinum missis. Tamen quæ ibi S. Hieron. nimio zelo, & ardore scripsit, postea, veritate cognita, retractavit: &, quem antea ut Origenistam abjecerat, postea ut veræ, & Orthodoxæ fidei cultorem (teste Baronio *Tom.* 5. *circa annum* 399.) amplecti non dubitavit.

Nec solus B. Hieronymus Joannis sanctitatem agnovit: sed & D. Augustinus (eodem teste Baronio) Joannis mores sanctitatemque suo tempore fuit veneratus. Puto Hieronymum ab incepta contra Joannem quæstione ideo destitisse, quia is videns, se Origenistarum labe notari, librum scripsit, in quo se non Origenis doctrinam, sed ingenium potius fuisse sequutum, ostendit: ut sequentibus verbis Gennadius in Catalogo illustrium virorum adnotavit. *Joannes Hierosolymorum Episcopus scripsit in obtrectatores studij sui librum, in quo ostendit, se Origenis ingenium, non fidem sequutum:* ut notavit etiam Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis, & Honorius Augustodunensis *cap.* 30. *de lumin. Eccles.*

Id verò, quod in hac re Joannem nostrum ab omni suspicione liberat, testimonium est *Anastasij* Papæ, qui Joanni rescribens de Ruffino sententiam, eum ut Origenistam damnat, Joannem verò ut sanctissimum his verbis commendat: Ut amori tuo gratias ago, ita splendorem tuæ sanctitatis, & eas, quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo parvitatis nostræ favorabilis sermo prosequitur. *Tam eminenter, vir omnium præstantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus, ut par esse meritis sermo non possit. Porro autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam quod impetrare nequeo, audere non desinam. Jam hoc de laudibus est tuis, quod me tantùm de cælestis animi istius serenitate laudasti. Tui enim Episcopatus Ordo perspicuus per, universum orbem velut radians etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem,* &c. Hæc sunt Anastasij. Cùm igitur hujus Pontificis tempore orta fuerit

Nicephor. Theodor. Ruffinus. Genebrar. Nicephor.

Legend. Joan. Bapt. de Lezana in *Apparatu ad Tom.* 1. *Annal. Ord. Carm.* & *Tom.* 2 & 3 & P. Daniel. in *Vinea Carmeli num.* 1178. & *seqq.* Qui complures tum exteros, tum domesticos adducunt Authores, item Petri Walteij *lib.* 1. & 3. *vindiciarum, Baronius.*

Gennad.

Trithem. Honorius August.

Anast. PP.

Notanda hujus pontificis de Ioannis Sanctimonia verba.

rit contra Russinum in Oriente contentio, quòd Origenem de Græco in Romanam linguam derivaverit, videreturque se nimium Origenis doctrinis dedisse, perlataque esset ad Anast. Pontificem: ipse Russinum ut minùs Orthodoxum notavit. Joannes verò non solùm ad Anastasij aures ut Origenista non pervenerat, verùm ejus sanctitas, probataque virtus sese usque ad Romam diffuderat. Nec eum Anastasius Pontifex ita seriò laudaret, si aliqua Origenis labe inureretur. Et hæc de Joannis Hierosolym. Episcopi sanctitate dicta sufficiant. Floruit hic vir (ut sentiunt Theodo. *lib. 5 Eccles. 35.* Nicephorus *libro 12. histor. Eccles. cap. 24.* & Trithemius *ut suprà*) tempore Arcadij, & Honorij, circa annum Domini 400. vel secundùm computationem Baronij *Tomo 4.* circa annum 386. ætate & tempore Theodosij, hoc eodem anno 386. Plura alia ad hujus præclarissimi viri vitæ sanctitatem, ac tempus, quo Regulam tradidit Carmelitis spectantia, DEO dante in lucem dabimus in Apologia speciali, in qua Joannem à multis injurijs à Cardinal. Baronio immeritò illatis, conati sumus vendicare.

Theodor. Nicephor. Trithem.

Confulenda noſt. Martini à Jeſu Maria Apologia pro Joan. noſtri Sanctitate, in qua varia & efficacia ad illam adſtruendam producit argumenta, & quam plurimos tum antiquos tum recentiores Authores illam defendentes.

Restat, ut de tempore, quo regulam hanc Eremitis Carmeli tradiderit, dicamus. De quo certam temporum rationem apud authores invenire non potui. Illud tamen ex B. Cyrillo, & Waldensi, aliisque junioribus colligitur, Joannem assumptum jam in Patriarcham hanc regulam confratribus suis scripsisse. Quod credo verissimum, quamvis determinatè quo anno id præstiterit, non appareat. Solùm id pro comperto habetur, circiter annum 400. contigisse.

Quo anno hæc Joan. Regula tradita ſit?

De Regula verò id ultimo hujus præfatiunculæ loco notare par erit, Joannem in hac sua institutione quasi mixtam Regulam ex historia veterum Patrum à tempore ELIÆ in Carmelo commorantium, & ex admonitionibus proprio marte ab scriptura sacra confecisse. Eam ob causam (ut ipse 1. *cap.* asserit) de Fundatore supremo hujus Religionis, & primaria ejus institutione edisserit. Deinde refert aliqua exempla, gloriosas virtutes, & exteriorem habitum Eliæ, ejusque successorum, ut per hæc Carmelitæ discerent, formam horum patrum conversationis sequentes, corda Domino DEO dirigere.

Primum Græco idiomate conſcripta.

Tradidit hanc Regulam idiomate Græco conscriptam, sub cujus directione Carmelitæ usque ad Aymerici Patriarchæ Antiocheni tempora permanserunt, Qui anno 1141. Hanc *Joannis* institutionem in Latinum sermonem fecit transferri, quousque Albertus Patriarcha Hierosolymitanus circa annum 1205. seu ut alij volunt 1209. novam Regulam, seu potiùs hanc *Joannis* planiori, breviorique forma digestam eis observandam imposuit. De quo nos latè *libro 1. de Ordinis antiquitate* scripsimus, & *infrà* quoque *2. p.* dicemus. Nunc verò tantùm D. Cyrilli testimonium adjiciam: qui loco superiùs adducto referens persequutiones, quas post Regulam à Joanne Patriarcha susceptam, à Cosdroa Persarum Rege, & Humar Arabiæ Principe, Christiani & omnes monachi Palæstini passi sunt usque ad annum Domini 1099. in quo terra sancta in ditionem Principum Fidelium redacta est, his verbis res in Ordine gestas prosequitur: *IN CARMELO monte, & in quibusdam alijs Eremis terra sanctæ permanserunt sub disciplina vitæ Eremiticæ per ELIAM prophetam institutæ, & in prædicto libro Joannis descriptæ.* Et infra subjungit: *Propter quod cœpit tunc cultus Religionis in monte Carmeli ampliari. Quàmplures enim devoti peregrini, qui ab Occidente supervenerant, odore hujus sancti loci tracti, & devotione Religiosorum Eremitarum montem hunc inhabitantium permoti, mundo renuntiabant, & pro contemplatione cœlestium se eorum contubernio jungebant. Erat autem in diebus illis Patriarcha Antiochenus, & in terra sancta Apostolicæ sedis legatus, vir quidam amabilis DEO, & hominibus, nomine Aymericus Malasayda, natione Lemovicensis, de villa appellata Salamiacum, qui prædictorum antecessorum nostrorum Eremitarum Fratrum, B. MARIÆ de monte Carmeli laudabilem conversationem attendens, eos multùm specialiter suo tempore in Domino enutrivit. Intelligens autem quosdam eorum, qui ex Occidente supervenerant, spretis seniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ in prædicto Joannis libro descriptæ, & perpendens, hoc ideo maximè contingere, quia Græcas litteras ignorantes nesciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum transferri.* Et ob hanc causam prædictus *Aymericus* nostri Ordinis reformator censetur à Polydoro, *de inventoribus rerum, libro 7. cap. 3.* Sabellico, *libro 5. aneade 9.* Onuphrio Panvinio in *Chronico Ecclesiastico* circa annum 1141, sub Anacleto secundo, Genebrardo *libro 4. suæ Chronologiæ*, anno 1180. Guillelmo Tyri Episcopo, in Continuatione belli sacri, *libro 5. cap. 3.* & ab alijs à nobis relatis *libro 1. Antiquitatu nostri Ord. cap 9.* Joannis igitur Regula in Ordine ab anno 400. usque ad 1205. in quo Albertus aliam tradidit, perseveravit. Sed de hoc plenius *libro 1. de Ordinis antiquitate* scripsimus. Nunc ad Regulam ipsam *Joannis* revertamur.

Cyrillus.

Polydorus. Sabellicus Onuf. Pamb. Genebrar. Guillemus Tyr.

D. IOANNIS XLIV. HIEROSOLYMORUM EPISCOPI,

SS. Augustini, Hieronymi, & Chrysostomi coætanei,

LIBER DE INSTITUTIONE PRIMORVM MONACHORVM

In Lege veteri exortorum, & in nova perseverantium.

AD CAPRASIVM MONACHVM.

Interprete AYMERICO Patriarchâ Antiocheno.

ARGUMENTUM REGULÆ, SIVE INSTITVTIONVM IOANNIS.

IN hoc libro dum principium, & originem Ordinis Carmelitarum Joannes perscrutatur, ab ELIA primo hujus Religionis Authore sumit initium, docens, quo tempore magnus hic propheta floruit, à quo genitus, unde ortus, & quibus in locis in primordijs suæ vitæ fuerit conversatus. Deinde, quam institutionem observaverit, observandamque successoribus reliquerit, ostendit. Præterea de locis, quæ primitùs hujus Religionis Professores incoluerunt, qualiterque in eis, secundùm institutionem ab ELIA traditam, vixerunt: nec non etiam de ascensu ELIÆ in Paradisum, & de successore ejus in monastica professione Eliseo. Subinde verò descendens ad tempora primitivæ Ecclesiæ, tractat de tempore, in quo primùm hujus vitæ professores baptizati sunt, ad cognitionemque Evangelicæ veritatis pervenerunt. Denique causam reddit, cur Carmelitarum Ordo B. MARIÆ Virginis titulo insigniatur, & pallio albo, baculo, zona, & scapulari ornetur. Plenus est liber hic monasticis rudimentis, alijsque sublimioribus institutionibus, tum ex Scriptura, tum ab ELIÆ vita, & exemplo collectis. In quo Author allegoricis sensibus, mysticisque interpretationibus mirè abundat, ita, ut rectè de illo Gennadius scripserit, Origenis ingenium, non doctrinam fuisse sequutum.

CA-

CAPVT I.

De Parentibus, ortu & patria magni ELIÆ Prophetæ Domini.

PRincipium Religionis hujus, & quemadmodum, ac unde ipsa primò processit, rectè petis, dilectè Caprasi, ante alia perscrutandum. Quamvis namque conversationis hujus ratio in sola experientia consistat, ut nequaquam possit hæc ratio plenè verborum doctrina, nisi ab experto tradi, nec etiam à te totaliter percipi, nisi eam pari studio ac sudore per experientiam apprehendere laboraveris; multò tamen efficacius poteris suscepta hujus professionis assequi disciplinam, & ad exercendam eam ardentiùs inciari, cùm Auctorum, atque Fundatorum ejus agnoveris dignitatem, & primariam ipsius Religionis scieris institutionem.

Divisio, & utilitas hujus libri.

Propter quod, ut Ordine debito procedamus, de supremo hujus Religionis fundatore, & primaria ejus institutione eloqui paulisper inchoabimus: deinde aliqua sancta gesta & gloriosas virtutes, & exteriorem habitus ornatum. De ipso Fundatore & primis ejus discipulis, cæterisque hujus Religionis priscis professoribus, succinctè edisseremus, † sicut hæc omnia antiqui hujus nostræ conversationis sectatores ante nos intellexerunt; & nobis tam in veteri, quàm in nova Lege, doctrinis & exemplis philosophati sunt: ut per hæc discas, quanta Sanctorum præcipuorum auctoritate hæc nostræ vitæ Religio confirmetur; & cum quanta mentis securitate formam hujus conversationis sequentes, non per novitates præsumptas, neque per

†Authoritas Majorum.

2. Petri 1. *inanes fabulas*, sed per approbata totius vitæ monasticæ primaria exemplaria *viam* ad coelestia nostra

Joan. 1. Luc. 12. Apoc. 3. *Domino dirigimus*, & *semitas* veniendi ad nos DEO *nostro rectas facimus: ut cum venerit & pulsaverit, confestim ei aperiamus*, qui ait: *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.*

Sc to ergo & animadverte, ab initio regni Achab regis Israël usque ad Christi adventum in carnem, decades annorum circiter nonaginta quatuor fluxisse, per quas, ut Chronographi tradunt, cœpit Achab regnare ante incarnationem Domini JESU. In diebus verò hujus Achab regis Israël, & in regno ejus fuit quidam Propheta magnus de tribu Aaron, cui nomen erat ELIAS, ex parte vocato Sabacha, ortus in civitate Thesba, quæ est in regione Galaad: ex qua Thesba ELIAS est Thesbites dictus. Qui ELIAS postmodum fuit habitator civitatis Galaad, quæ condita in monte Galaad ab illo monte nomen accepit: sicuti & regio monti illi circumvicina trans Jordanem sita in sorte dimidiæ tribus Manasse.

Ortus sancti ELIÆ. Vide Dorotheum in Synopsi, & Epiphanium de Vitis prophetarum.

CAPVT II.

De recessu ELIÆ in eremum, & de duplici fine vitæ Eremiticæ.

ELIAS primus princeps Monachorum.

HIc propheta DEI ELIAS Monachorum princeps primus exstitit, à quo sancta primævaque eorum institutio exordium sumpsit. Ipse enim obtentu contemplationis divinæ, & desiderio sublimioris profectus, longè ab urbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis ac mundanis exuens, religiosam & propheticalem vitam eremiticam primus hominum à proposito ducere cœpit, quam sancto dictante & mandante Spiritu inchoavit & instituit. Quippe DEUS ei apparens mandavit, ut communem hominum habitationem fugeret, & se à turbis in deserto absconderet, atque deinceps in eremo monasticè secundùm formam ei indictam viveret. Quod evidenti sacræ scripturæ testimonio comprobatur. Legimus enim ita de hoc scriptum in libro Regnorum: *Factum est verbum Domini ad* ELIAM *dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Jordanem, & ibi de torrente bibes, corvisque præcepi, ut pascant te ibi.* * Hæc autem præmissa salubria mandata, ad quæ implenda Spiritus sanctus ELIAM instigavit, & desiderabilia promissa ad quæ adipiscenda eum erexit, tantò debent majori intentione non solùm historicè, sed potiùs mysticè à nobis Monachis eremitis per singula verba pensari, quantò in eis plenior comprehenditur institutio, id est, forma ad perfectionem propheticam, & finem religiosæ vitæ eremiticæ perveniendi.

ELIAS monasticam vitam instituit mandante Spiritu sancto.

3. Reg. 17

* Alie goria verborum Domini ad Eliam, Vitæ Carmelitarum prior institutio.

Cujus vitæ duplex dignoscitur esse finis: †unus quidem, quem per laborem nostrum, & virtuosum exercitium, divinâ adjuvante gratiâ, acquirimus. Hic autem est offerre DEO cor sanctum, & purum ab omni actuali sorde peccatorum: quem finem attingimus cùm sumus perfecti; & in Carith, id est, in charitate illa absconditi, de qua Sapiens ait: *Universa delicta operit charitas.* ad quem Deus finem volens DEUS ELIAM pervenire, ei dixit: *Abscondere in torrente Carith.* Alius autem hujus vitæ finis est ex mero DEI dono nobis collatus; videlicet non solùm post mortem, sed etiam in hac mortali vita aliqualiter gustare in corde, & experiri in mente, virtutem divinæ præsentiæ, & dulcedinem supernæ gloriæ. Hoc autem est de torrente voluptatis DEI bibere. Quem finem promisit DEUS ELIÆ dicens: *Et ibi de torrente bibes.* Propter utrumque finem horum duorum est propheticalis vita eremitica à Monacho assumenda, testante Prophetâ: *In terra*, inquit, *deserta, invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ô Deus, ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Per hoc enim quod in terra deserta, invia, & inaquosa, manere elegit, ut sic *in sancto*, id est, cor de puro à peccato, appareret DEO, monstrat primum electæ per eum vitæ finem: qui est *offerre* DEO cor sanctum; primus id est, ab omni actuali peccato purum. Per hoc autem quod addit: *Ut virtutem tuam viderem & gloriam tuam*, monstrat manifestè secundùm dictæ vitæ finem, qui est, jam in hac vita aliqualiter experiri, seu mysticè videre, in corde virtutem divinæ præsentiæ, & gustare dulcedinem supernæ gloriæ.

Duplex finis vitæ Eremitarum montis Carmeli. Gratia Dei adjuvans. † Prior finis. Posterior finis merum Deum. Psal. 62.

* Puritas cordis primus hujus Vitæ finis. Experimentalis cognitio quatuor.

* Ad primum autem horum, scilicet puritatem cordis, pervenitur per laborem & exercitium virtuosum, divinâ gratiâ adjuvante. Et per puritatem cordis, & per perfectionem dilectionis, devenitur ad secundum; scilicet ad experimentalem notitiam divinæ virtutis & gloriæ cælestis; dicente Domino: *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Idcirco Deus per ea, quæ in superioribus omnibus præmissis verbis sancto ELIÆ prophetæ proposuit, Dei nobis eum imitantibus suadere maximè voluit, ut *sitis perfecti, sicut & pater* noster *cœlestis perfectus est.* & *super omnia charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.* Quapropter ut ad perfectionis suavitatem, & visionis gloriæ promissæ valeamus dona pertingere; formam ad hæc perveniendi per DEUM in dictis verbis beato ELIÆ propositam

Joan. 14. Matth. 5. Coloss. 3.

Compendium totius allegoricæ expositionis.

curemus aure intentâ distinctè per Ordinem percipere, & opere adimplere. Loquens enim Dominus sancto ELIÆ, ait tam in veteri, quàm in nova Lege cuilibet Monacho eremitæ: *Recede hinc*, scilicet à rebus caducis mundi & transitorijs: & *vade contra Orientem*: id est, contra originalem tuæ carnis cupidinem: *& absconde in torrente Carith*, ne in urbibus moreris simul cum turbis: *Qui est contra Jordanem*: ut scilicet per charitatem sis *divisus* à delictis. His namque quatuor gradibus ad culmen propheticæ perfectionis conscendens *ibi de torrente bibes*. Sed ut in hoc queas perseverare, *corvis præcepi ut pascant te ibi*. Hæc autem omnia intelliges melius, si per singula discurrendo, ea distinctè per ordinem exponamus.

CAPVT III.

1. Gradus perfectionis monasticæ.

De contemptu rerum terrenarum.

EA quæ tibi suadeo, sigillatim intellige per ordinem & discretè. Nam primò dixi tibi in mea jussione: *Recede hinc*, scilicet *de terra & de cognatione tua, & de domo patris tui*, non solùm animo, ut terrenis possessionibus tui genetis & caducis mundi *divitiis cor* tuum *non apponas*, sed etiam opere, ut ipsas non possideas. a *Nisi enim quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus*. Quoniam licet possessæ divitiæ non claudant diviti introitum cælestis regni, si cor suum ad eas non apponat, Sapiente dicente: *Beatus dives qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec speravit in thesauris pecuniæ*. attamen per hoc quod Sapiens protinus subdit, dicens: *Quis est hic, & laudabimus eum?* innuit manifestè difficultatem reperiendi talem virum, qui divitias possidens ad eas cor non apponat: cor enim humanum facilè hæret his, quæ frequentat. Propterea dum possidentur divitiæ, natæ sunt majorem flammam accendere in corde, & vehementiorem cupidinem gignere: quemadmodum Sapiens ait: *Saturitas divitis non sinit eum dormire*. Occupatus quippe in supervacuo possessarum divitiarum amore, cùm habeat ipse rebus domesticis intendere, affligitur assiduè ab ærumna continuarum curarum, quæ non sinunt ad ipsum ingredi desiderium adimplendi verbum, quod audivit divinorum præceptorum. *Ærumnæ* enim *sæculi & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur*. Propter quod *dives difficile intrabit in regnum cælorum*.

Difficulter non amatur quod possidetur.

a Luca 14

Eccl. 13.

Eccl. 5.

Marc. 4.

Matt. 19.

Tu ergo fili mi, si vis perfectus esse, & ad finem monasticæ vitæ eremiticæ pervenire, ibique de torrente bibere, *Recede hinc*, scilicet à rebus mundi caducis, relinquendo corde & opere omnes possessiones terrenas & facultates propter me: quoniam facilior & tutior via ad perfectionem propheticam tendendi, & tandem ad regnum cælorum perveniendi est ista. *Omnis* enim *qui reliqueris domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet jam in hac vita*, prægustans meæ suavitatis dulcedinem cunctis terrenis centupliciter prævalentem, & tandem *vitam æternam possidebit*. Ecce breviter audisti primum gradum, quo conscendere possis ad propheticæ perfectionis summum.

Ibidem.

Suavitas divinæ dulcedinis, etiam in hac vita, centupliciter prævalet omnibus terrenis.

CAPVT IV.

2. Gradus perfectionis vitæ monasticæ.

De abnegatione propriæ voluntatis.

NUnc attende secundum. Sequitur enim in exhortatione mea: *Et vade contra Orientem*, scilicet contra originalem tuæ carnis cupidinem. Scire namque debes, quod *in die ortus tui non est à peccato præcisus umbilicus tuus*: quoniam *in peccatis natus es totus*. Quemadmodum in persona cujuslibet hominis geniti à viro & femina, ait Propheta: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Ab hoc autem originali peccato, in quo concipitur homo, illud provenit, quòd *caro* hominis *adversus spiritum concupiscit*. *Video*, inquit Apostolus, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*. Hæc lex peccati, *est illa lata porta*, per *quam* quis *intrat* cum ei consentit, *& spatiosa via*, per quam homo ambulat, dum secundum eam vivit, *quæ ducit ad perditionem*: & *multi sunt, qui intrant per eam*. *Accedentem verò ad servitutem* DEI, *oportet abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, & stare in justitia, & in timore* DEI, *& præparare animam suam*, non ad requiem, neque ad delicias, sed *ad tentationem* & angustias: quoniam *oportet per multas tribulationes intrare in regnum* DEI. *Angusta* namque *est porta, & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam*. Quoniam pauci sunt electi, & *pusillus est grex, cui complacuit patri dare regnum*.

Gal. 5.

Rom. 7.

Lex carnis lata porta.

Matth. 7.

Eccl. 20.

1. Petri 2

Actor. 14.

Matth. 7.

Luc. 12.

Tu ergo fili mi, si vis perfectus esse, & usque ad finem monasticæ vitæ eremiticæ pervenire, ibique de torrente bibere; *Vade contra Orientem*, hoc est, contra originalem tuæ carnis cupidinem: & *non regnet peccatum in tuo mortali corpore, ut obedias concupiscentiis ejus. Ego* enim *novi iniquos in diem judicij reservare cruciandos, magis autem eos, qui post carnem in concupiscentias immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt. Post concupiscentias* ergo *tuas non eas, & à voluntate tua avertere*: eam prorsus relinquens, & recto superioris arbitrio usque ad mortem propter me humiliter submittens. *Non est enim discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus*. Ego verò, dominus propheta rum & magister, *descendi de cælo*, non *ut facerem* voluntatem meam, sed *voluntatem ejus qui misit me patris, factus ei obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Quamobrem *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*.

Rom. 6.

2. Petri 2

Eccles. 18

Monastica obedientia.

Luc. 6.

Joan. 6.

Philip. 2.

Matth. 16

Luc. 9.

Luc. 14.

Si ergo *vis* contra Orientem, id est, contra originalem tuæ carnis cupidinem *post me venire*; attende qualiter oportet te crucem bajulare. Sicut namque crucifixus quis, jam non pro sui animi voluntate membra sua quoquam movendi, vel convertendi habet potestatem, sed illic tantùm hærent immobiliter, ubi crucifigens ea fixerit; ita oportet te cruci sic affixum esse, & temetipsum abnegare, ut non ad id quod tibi placet, teque delectat ad præsens, tuam voluntatem convertas, sed quò te voluntas mea constrinxit tuam universam voluntatem applicare debes: ut jam *non hominum desideriis, sed voluntati* DEI, *quod reliquum est in carne vivas temporis*. Et quamadmodum ille, qui crucis patibulo est affixus, præsentia non contemplatur, præteritorum obliviscitur, de crastino non sollicitatur, nullâ carnali concupiscentiâ permovetur,

Carnis desideria coercenda.

1. Petri 4.

Ex S. Basilio in Psalmum 118.

vetur, nullâ superbiâ, nullâ contentione, nullâ ultione, nullâ æmulatione succenditur, sed cùm adhuc suspiret in corpore, se mundo credit esse defunctum, illuc tantum præmittens sui cordis intuitum, quo se non dubitet illico transiturum; ita quoque te timore * DEO confixum, oportet his præmissis omnibus esse defunctum, illic tantum oculos animæ tuæ habendo defixos, quò te sperare debes singulis momentis migraturum.

* Al. Domini.

Galat. 5. 2. Cor. 4.

Hoc ergo modo *vade contra Orientem*, id est, contra originalem tuæ carnis cupidinem. Sic enim *qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs: semper mortificationem Christi in carne sua circumferentes: ut & vita Christi in corporibus eorum manifestetur.* In quam cum fuerint transformati, pervenient per illam ad supernam gloriam: quemadmodum eis Apostolus ait: *Mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in DEO: cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Ecce ostendi succinctè secundùm gradum, quo pervenire queas ad prophetalis perfectionis statum.

Coloss. 3.

CAPVT V.

De solitudine & castitate.

3. Gradus perfectionis monasticæ.

Psal. 54.

MOdò amplectere tertium. Sequitur in persuasione mea: *Et abscondere in torrente Carith.* Nolo enim te ulterius morari inter turbas in urbe: *Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate: die ac nocte circundat eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus & injustitia; & non defecit de plateis ejus usura & dolus:* propter quæ omnia vitanda, ipse Propheta in exemplum tibi datus, maluit in solitudine habitare quàm in urbe. *Ecce, inquit, elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Ait nimirum Sapiens: *Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum, nec alliges duplicia peccata: nec enim eris in uno immunis.* Sed quia, ut ait Sapiens, * *in mono* (id est in uno, seu in singulari) *degens, non eris à peccato immunis*, propterea debes solitarius pavere & flere, id est, officium Monachi exercere († Μόνος enim Græcè, dicitur Latinè unus, sive singularis, aut solus; Ἄνθρωπος autem Græcè, dicitur Latinè tristis. Inde dictus est Monachus: quasi singularis & tristis) * tua scilicet & alterius peccata solitarius lugens. Et hoc est tibi eligibilius, quàm *inter turbas* conversari *in urbe.* Si enim, teste Sapiente, *in uno*, id est, in monade, seu singularitate, aut solitudine *degens, non eris à peccato* usquequaque *immunis*; quanto magis, ipso testante, *si te immittas in populum, duplicia tibi peccata alligabis?* Ac per hoc pavere amplius, & flere te oportebit.

Ecclus. 7.

* Græcè, ἐν μόνῳ quod rectè infra exponitur per, *In monade*, &c.

† Irrepsisse videtur parenthesis ex Decret. 16. quæst. 1.

* Al. sua.

Eccli. 7.

In sæculo periclitatur castitas.

Job. 39.

Allegoria Onagri.

Monachus comparatus onagro.

Declina ergo *frequentias turbarum*, ne in civitate positus facere compellaris, quæ te non tàm natura cogit facere quàm voluntas: videlicet ne alterius furore moveatis, ne aliena bella patiaris, ne te capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus, ne avaritiæ cæterorumque vitiorum alligeris vinculis, quæ omnia vitantur in solitudine. *Quisnam dimisit onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit;* nisi qui ei *dedit in solitudine domum, & tabernacula ejus in terra salsuginis? Idcirco contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Onager* quidem animal solitudinem diligens, illum significat qui remotus à turbis popularibus solitarius conversatur: *Cujus peccatorum vincula Deus solvit*, & *liberum* à peccati servitute eum *dimittit*: dum sibi domum in solitudine constituit, & *tabernacula ejus in terra salsuginis*, quæ sitim accendit, ut justitiam cælestis patriæ sitiat, quæ tandem saturabitur. † *Beati* enim *qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Tu ergo fili mi, si vis perfectus esse, & ad finem monasticæ vitæ eremiticæ pervenire, *ibique de torrente bibere, absconde te in torrente Carith.* colens scilicet in absconsa solitudine silentium.

Hoc melius se-quitur ex 70. ubi abest vocabulum *terræ.*

† Matt. 5.

Quippe sciens imbecillitatem tuam, & vas fragile quod portas, timere debes in urbe offendere, ne inter *turbas* impingas, & corruas atque frangaris. *Sedebis* ergo * *solitarius & tacebis: quia bonum est homini præstolari cum silentio salutare DEI.* Quamobrem *abscondere in torrente Carith*, qui *divisio* interpretatur: quia expedit ad tui propheticam perfectionem, ut ita *absconsus* ab humano & *divisus* sis consortio, quòd etiam mulieri non jungaris conjugio. *Bonum* enim *est homini mulierem non tangere.* Portò *hoc ad utilitatem tuam dico, & ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Domino obsequendi.* Oportet enim te * *dividi* ab his quæ te impediunt, ne perfectè tendas in DEUM. † *Sollicitudo* verò *sæculi istius & fallacia divitiarum suffocant DEI verbum*, ac per hoc impedit animum ne perfectè diligat DEUM. Teste enim Sapiente, "*qui diligunt eum conservabunt verbum illius: qui verò cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi*, & propterea retrahitur ne perfectè inhæreat dilectioni DEI: *cogitat* enim *quomodo placeat uxori: qui autem sine uxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, & cogitat quomodo placeat Domino.* Quamobrem *si non es alligatus uxori, noli quærere uxorem. Beatior enim eris si sic secundùm meum consilium permanseris:* ut sis ex illis eunuchis, *qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum.* Quoniam *dabo eis in domo mea locum & nomen melius à filijs & filiabus, & nomen sempiternum dabo eis quod non peribit.* Ecce expressi tibi tertium gradum, quo pervenire valeas ad propheticæ perfectionis altum.

* Græcè κατὰ μόνας, singulariter.

Thren. 3.

Verendum fuerat secundùm 70. *Sustinere & silere in salutare Dei*: urget enim perfectam tendentiam in Deum, excipite illius Scripturæ.

1. Cor. 7.

* Allusio ad illud S. Pauli 1. Cor. 7. *Et divisus est.*

† Mat. 15.

" Eccl. 2.

1. Cor. 7.

Matth. 19

Isaiæ 56.

Propheticæ id est, monasticæ perfectionis.

CAPVT VI.

De perfecta Charitate, & fuga vitiorum.

4. Gradus monasticæ perfectionis.

AModò percipe quartum. Sequitur enim in admonitione mea: *Qui*, scilicet Carith, *est contra Jordanem.* Certè *Jordanis, descensio eorum*, interpretatur: per quam hoc in loco non absurdè peccatum significatur. Quid enim facit tam descendere homines à dignitate imaginis & similitudinis DEI in miseriam & turpitudinem, quàm peccatum? quod est transgressio divinorum præceptorum? Teste enim Sapiente, *Miseros facit homines peccatum.* Hinc Moyses populo præcepta DEI transgressuro dixit: *Descendes, & eris inferior.* Omnis enim natura, licet in suo genere sit munda, superiori tamen comparata redditur turpis & immunda & à sua dignitate cadit: atque sordescit res nobilis, cùm inferiori naturæ miscetur: licet in suo genere natura inferior non sordidetur. Nam & aurum cum argento sordidatur, si ei misceatur. Ego autem (ait divinum Responsum, testante sacrâ scripturâ) feci tam excellentis naturæ hominem, quòd eum constituì universæ naturæ præsidem. Quamobrem licet creaturæ sint mundæ in suo genere, humana tamen corda cadunt in sua dignitate, & sordescunt in creaturarum fruitione. Hinc de his, qui corda in rebus creatis figunt, per Prophetam dicitur: *facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt.* Hinc rursum per Prophetam alibi scribitur, *Vastata est* * *superbia Jordanis*, id est, peccati.

Prov. 14.

Deut. 28.

Fuga rerum mundanarum.

Ozeæ 9.

Zach. 11.

* Melius ad men-

Quia

tem auctorem, miserabilis facta est.

Quia videlicet unde peccatores contemnendo DEI præceptum in peccato contra DEUM superbiunt, indè in vastitatem * corruptionis & abominationis *descendunt*, dicente Propheta, *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus.* *Carith verò *divisio* interpretatur, per quam charitas meritò intelligitur, quia ipsa sola hominem *dividit* à Jordane, id est, à peccatorum *descensione*. Hæc namque Carith, scilicet charitas, perhibetur esse *contra Jordanem*, id est, contra peccatorum *descensionem*: quia, sicut ait Apost. Quantumlibet homo cæteris omnibus bonis polleat, *etiamsi loquatur omnibus linguis, & habeat omnem prophetiam, & omnem fidem, & omnem scientiam, & distribuat omnem substantiam suam in cibos pauperum, & tradat corpus suum ita ut ardeat, charitatem autem non habeat, nihil ei prodest*: nec *transfertur à morte peccati in vitam. Qui enim non diligit, manet in morte.* Ab hac tamen morte *dividitur* homo per charitatem, & *ad vitam*, dicente Joanne Apostolo, *transfertur*: *Nos*, inquit, *scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Benè ergo Carith, id est, charitas est *contra Jordanem*, scilicet contra peccatorum descensionem: quoniam, sicut ait Sapiens, *Universa delicta operit Charitas.*

* Melius. *in miseriam.* Psalm. 52. * Carith. *id est*, divisio. 1. Cor. 13. 1. Joan. 3 Charitas animæ vita. Ibid. Proverb. 10.

Tu ergo, fili mi, si vis perfectus esse, & ad finem monasticæ vitæ eremiticæ pervenire, & *contra Jordanem*, id est, peccatorum descensionem, *abscondi* debes *in Carith*, id est, in charitate, ibique de torrente bibere, *diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Nam cum hoc adimpleveris, tunc perfectus eris, & *contra Jordanem in Carith*, id est, in charitate absconderis. Si autem hoc adimplere renueris, *miser* & reprobus efficieris, & non in *Carith*, sed in *Jordane*, id est, in peccatorum descensione eris. Si enim quidquam aliud amas plusquam me, jam non me diligis ex toto corde tuo, nec es in Carith, id est, in charitate: quare non es dignus videre me. *Qui enim amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: aut qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Sed & si quidquam aliud tantùm amas quàm me, nondum me diligis ex toto tuo corde, nec es in Carith, id est, in charitate. Si enim ex toto tuo corde diligeres, quantumcunque anima tua & cætera omnia essent tibi cara, eis omnibus dilectionem meam præferres, & cuncta, quæ cor tuum ab ea averterent protinus respueres, & odio haberes: *Si quis* enim *venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest esse meus discipulus.* Si verò cor tuum mihi tanto amore offeras, & teipsum mihi tantâ dilectione committas, ut quod nolo, & tibi prohibeo, quamlibet sit difficile caveri, totum tamen amore mei vites & odias; quod autem volo, & tibi præcipio, quantumcunque sit durum fieri, nihilominus totum amore mei serves & adimpleas, tunc incipis me utcumque diligere ex toto tuo corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & in Carith, scilicet in charitate esse. *Qui* enim *habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me.* *Primum autem omnium est mandatum, Audi Israel: Dominus DEUS tuus DEUS unus est: & diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum.* Quod quia non potest servari sine dilectione proximi, eò quòd *qui non diligit fratrem suum, quem videt, non potest DEUM diligere quem non videt*; ideò *secundum mandatum simile huic est*; *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: scilicet in quo, & propter quod, debes diligere teipsum: In bono verò, & non in malo debes te diligere, si enim in malo te diligeres, jam non teipsum amares, sed odio haberes: *Qui* enim *diligit iniquitatem, odit animam suam.* Ideoque proximum debes diligere sicut teipsum, in bono & non in malo: ut *omnia quæcunque vis ut faciant tibi homines, facias & tu illis*: & *quod ab alio oderis tibi fieri, id nè tu aliquando alteri facias.* Dilectio enim *proximi malum non operatur.* Quapropter hoc in proximo amare, & operari debes, per quod justus fiat, si malus est; aut per quod justus permaneat, si bonus est.

Id est, de peccato in peccatum rues. Amor Dei super omnia. Matth. 10. Matth. 10. cap. Quid sit diligere Deum ex toto corde? Luca 14. Joan. 14. Marci 12. Deus, 6. 2. Joan. 4 Amor ordinatus.

Rursus te debes diligere, non propter teipsum, sed propter DEUM. Quod enim propter se diligitur, in eo finis lætitiæ, & vita beata constituitur, cujus adipiscendæ etiam spes jam hoc tempore consolatur. In te verò, vel in alio homine, non debes spem beatæ vitæ ponere. *Maledictus* enim *homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus.* Debes ergo in Domino finem tuæ lætitiæ & vitam beatam constituere, Apostolo dicente: *Nunc autem liberati à peccato, servi autem facti DEO, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam in Christo JESU Domino nostro.* Ergo si liquidè advertas, DEUM debes diligere propter seipsum, te verò non propter teipsum, sed propter DEUM. Cumque debeas diligere proximum tuum sicut teipsum, debes utique eum diligere non propter se, nec propter te, sed propter DEUM. Hoc autem minus quid aliud est, quàm in proximo diligere DEUM? *In hoc*, inquit Joannes Apostolus, *cognovimus quoniam diligimus natos DEI, cùm DEUM diligimus, & mandata ejus facimus.* Quæ omnia utique in præparatione animi facis, si DEUM diligas propter seipsum, & si propter DEUM diligas proximum sicut teipsum. *In his* quippe *duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ. Plenitudo enim legis est dilectio.* Propter quod ad eam præcipuè habendam hortatur Petrus Apostolus dicens: *Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.*

Hierem. 17. Rom. 6. proximi 1. Joan. 5 Matth. 22. Rom. 13. 1. Petri 4

Sed tanto minus Carith, id est charitas tua operit peccata, & est *contra Jordanem*, id est, contra peccatorum descensionem, quantò minus DEUM & proximum diligis. Minor quippe dilectio minorem meretur peccatorum dimissionem, sicut scriptum est: *Cui minus dimittitur, minus diligit*: tantò verò magis Carith, id est, charitas tua operit peccata, & est contra Jordanem, id est, contra peccatorum descensionem, quantò magis DEUM & proximum diligis: quoniam major dilectio majorem meretur remissionem peccatorum, quemadmodum scriptum est: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ecce expolui tibi quartum gradum, quo attingere queas ad prophetalis perfectionis bonum.

Luca 7.

CAPVT VII.

Ad perfectionem charitatis Monachis maximè conducere paupertatem, castitatem, obedientiam, & eremi solitudinem.

RESTAT nunc attendas qualiter ad culmen perfectionis propheticæ, & finem monasticæ vitæ eremiticæ per hos præmissos quatuor gradus pervenias. Sequitur enim in propositione mea: *Et ibi de torrente bibes.* Nempe expedit tibi Sapientis exemplo *abstrahere à vino carnem tuam, ut animam*

Eccl. 2.

tuam

tuam transferas ad sapientiam, devitesque stultitiam.

Proverb. 20. *Luxuriosa enim res est vinum, & tumultuosa ebrietas. Quicunque his delectatur non erit sapiens* : Propter quòd ut faciliùs ad veram pervenias sapientiam, à vino in *Carith* abstinebis, & in remedium tuæ sitis, ac tutamentum vitæ tui corporis, bibes ibi de torrente materiali, scilicet de aqua torrentis.

Interpretatio mystica torrentis.

Reminiscere tamen qualiter antequam dixerim tibi: *Et ibi de torrente bibes*, præmisi: *Abscondere in torrente Carith.* Quod ideò prædixi, quia ad hoc ut de torrente spiritualiter bibas, oportet te prius in *Carith*, scilicet in charitate absconditi: in qua non illicò absconderis cùm in ea esse incipis; quoniam sicut dictum est, non quantalibet charitas, sed sola *perfecta operit universa delicta.* Licet ergo mox ut me incipis ex toto corde tuo diligere, sis verè in *Carith*, id est, in charitate; non tamen es protinus absconditus in *Carith*, id est, in charitate: quia non confestim es totaliter *divisus* ab actuali cupiditate peccati. Non enim mox quiescunt, immo insurgunt in te carnales concupiscentiæ, & cogitationes immundæ conantes cor tuum in vetita trahere, & à dilectione mea totaliter evellere: propter quod nondum potes perfectè diligere me ex toto tuo corde.

prov. 10. 12.

Nam etsi cor tuum retineat tunc assiduè dilectionem meam habitualiter in se; adhuc tamen non potest tranquillè per actualem amorem perfectè ferri in me. Quoniam, nè totaliter decidas à mea dilectione, oportet te tunc intendere ad expugnandum insurgentes cogitationes immundas, & carnales concupiscentias, contrarias dilectioni meæ. Quas cùm velut illicitas edomueris, non tamen continuò in *Carith*, id est, in charitate absconditus eris: quia nondum me ex toto corde tuo perfectè amabis. Adhuc enim restabunt multa tibi licita, quæ per me nec præcepta sunt tibi, nec vetita: ut nuptiæ, divitiæ, negotia sæcularia, & similia, quæ supra memoravi. Quibus cùm te implicas, etsi cor tuum non divellant totaliter à mea dilectione; tamen non facilè sinunt te de me cogitare, sed frequenter te impediunt à mei consideratione, & cor tuum subducunt à meæ dilectionis fervore. Quo quantò minus inflammaris, tantò minus ex toto corde tuo me diligis; quantò autem me minus diligis, tantò minus in *Carith*, id est, in charitate absconderis: & quantò minus in charitate absconderis, tantò minus ad perfectionem propheticam, & ad finem monasticæ vitæ eremiticæ tendis.

Etiam licita extenuant charitatem.

Tu ergo fili mi, ut promptus queas abscondi in *Carith*, id est, in charitate, & ad finem destinatum pertingere, ibique de torrente bibere, evita non solum ea per me tibi prohibita, quæ te totaliter à mea dilectione separant, ut sunt carnales concupiscentiæ ei contrariæ, & cogitationes immundæ; sed etiam diffuge ea, quæ te ab ardore dilectionis meæ retardant, ut sunt ea, quæ tibi propterea superiùs dissuasi, scilicet divitiæ & nuptiæ, ac cætera, quæ in se negotia sæcularia implicant: *Nemo* enim 2. Tim. 2. *militans DEO implicat se negotijs sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Illa verò summo studio exquire, quæ te ad meæ dilectionis ardorem vocant: ut sunt præcepta Legis meæ, & ea quæ propterea tibi supra persuasi, scilicet paupertas & carnalis concupiscentiæ crucifixio, obedientia, & voluntatis propriæ abrenunciatio, continentia & eremi solitudo.

Charitatem accendunt ardua.

Nam si in mandatis & consilijs meis taliter exercitatus fueris, ut non solum cogitationes immundas, & carnales concupiscentias dilectioni meæ contrarias, sed etiam cætera fervorem dilectionis meæ impedientia & retardantia à te fugaveris; & si ea, quæ amori meo opitulantur ita elegeris, ut inde tam ferventi amore me totaliter diligas, tamque vehementi dilectione mihi tranquillè adhæreas, quòd nullum desiderium contrarium dilectioni meæ, vel ejus impeditivum in mente tua sentias; tunc incipis me diligere perfectè ex toto tuo corde, & in *Carith*, id est, in charitate absconditus esse, adque finem destinatum pertingere. *Finis* enim *præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quicquid enim tibi in lege mea præcipio, aut consulo, sive de fugandis à te cogitationibus immundis, & carnis ac mundi concupiscentijs, ut cor tuum ab his purum teneas; sive de exhibendis proximo officijs, & vitandis ejus offensis, ut sine reprehensione conscientiam bonam ad eum habeas: sive de impendendis cultui meo obsequijs, ut ex fide non ficta sed vera, mihi deservias; totum hoc ad hunc finem tibi suadeo, ut de corde tuo puro, & conscientia bona, & fide non ficta, prodeat liberè charitas tam fervens & vehemens, tamque pacificè cor tuum totaliter sine renisu conjungens, ut nihil penitus contrarium dilectioni meæ, vel ejus retardativum cor tuum in te sentiat, sed tranquillum in amore meo totaliter conquiescat: Quod nihil aliud est, quàm habere cor purum ab omni peccati actualis sorde, & esse absconditum in *Carith*, id est, in illa charitate, de qua Sapiens ait: *Universa delicta operit charitas.* Cùm ergo ad finem hunc prophetalis, ac monasticæ vitæ eremiticæ perveneris, & ita in *Carith*, id est, in charitate absconditus fueris, tunc ibi de torrente bibes: quia in hac tam perfecta tui conjunctione ad me, potabo *te, & tuos sodales, illo torrente, de quo Propheta mihi loquens ait: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Scriptum est enim: *Si reversus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, *& longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo; dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos, eritque omnipotens contra hostes tuos, & a cervabitur tibi argentum. Tunc super omnipotentem delicijs afflues, & elevabis ad DEUM faciem tuam.* Ubi vide, si ad DEUM ex toto corde tuo, sicut præmittitur, revertaris, qualiter in bonum gradatim ædificaberis.

Finis virtutis erga mitic. 1. Tim. 1.

quæ ad cordis puritatem requirantur?

Prover. 10.

*Poculo amicitiæ, fs. Psal. 35 Jeb. 22.

* Id verbi non habent 70. unde nec illius mentio fit in Commentario.

Primò quidem *longè facies iniquitatem à tabernaculo*, id est à corde *tuo*: quia aliter cum omnipotente conjungi * non potes, sicut scriptum est: *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum DEO, & in tenebris ambulamus, mentimur.* Quoniam *iniquitates* nostræ *diviserunt inter nos & DEUM nostrum, & peccata nostra absconderunt faciem ejus à nobis.*

Nemo repente fit summus.

*Amicitiâ, sc.

Secundò, *pro terra*, id est, terrenis affectionibus & divitijs à te dimissis, *dabit*, tibi DEUS *silicem*, id est, fortem & ardentem charitatem. Est enim silex lapis durus & focarius, à quo salit ignis, & significat illam perfectam charitatem, de qua Sapiens ait: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis* * *atque flammarum.* Hanc dat DEUS, sicut ait Apostolus: † *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

1. Joan. 1. Isai. 59. Cant 8.

* Secundum 70. verterunt: *Ala ejus ala ignis.*

† Rom. 5.

Tertiò *pro silice*, id est, forti & perfecta charitate † servata à te, *dabit* tibi DEUS *torrentes aureos*; illas, videlicet, ineffabiles & suaves delicias spirituales, de quibus scriptum est: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS his, qui diligunt eum.* Hæ quidem deliciæ dicuntur *torrentes*, quia instar torrentis cum impetu, & magna voluptatis abundantia, ad mentem prophetæ confluunt: sicut scriptum est: *Torrens redundans fons * sapientiæ.* Sed sicut torrens orto solis ardore paulò

Rectius de Græco, effusa.

† Sive amicitia. 1. cor. 2. Isa. 64. Prov. 18.

* Ex eo quod

post dicitur, secretè perducunt, videtur author legisse vera.

ardore citò aresciti; ita dapes illæ spirituales ortâ carnis cupiditate, mox à mente prophetæ discedunt & torrescunt. Sunt verò hi *torrentes aurei*, id est, fulgentes tam ex ardore dilectionis DEI, ex qua ad mentem prophetæ profluunt; *quàm ex manifesta notitia DEI, ad quam hominem prophetici cum secretè perducunt, sicut Dominus ait: *Qui diligit me diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.*

*Urget verbum effundendi Ioan. 14.

Quartò, cùm ad talem DEI notitiam pervenerit, *erit omnipotens contra hostes tuos* visibiles & invisibiles, protegens te ab eis, sicut ipse ait: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Quintò, *acervabitur* inde *tibi argentum*, de quo Propheta ait: *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne*, id est, charitate *examinatum*. Quia enim, propter charitatem DEI, mundum & consortia hominum relinques, ut puro corde DEO inhæreas; *meretebris divino abundè perfrui colloquio, ita ut occulta etiam futura interdum revelentur tibi à DEO. *Tunc* ergo *super omnipotentem delicijs* inæstimabilibus *afflues, & elevabu ad DEUM* liberè contemplandum *faciem* mentis *tuam*. Ecce docui qualiter ad perfectionem propheticam pervenias, & finem Monasticæ vitæ eremiticæ attingas.

Psal. 90.

Psal. 11.

*Peramicitiam si.

CAPVT VIII.

De remedijs ad perseverandum in perfectione vitæ Monasticæ, sive Eremiticæ.

DEinceps oportet ultimò videas, quomodò in perfectione propheticæ vitæ eremiticæ perseverare debeas. Sequitur enim in promissione mea, *Corvisque præcepi, ut pascant te ibi.* Quod utique ad tui consolationem necessarium judicavi. Nempe licet inenarrabilibus affluas delicijs, quamdiu bibes de torrente meæ voluptatis; duplici tamen ratione tuum gaudium nondum erit plenum.

Primò quidem, quoniam vehementissimè ex totis tuis præcordijs desiderabis tunc faciem meam clarè conspicere, quam tamen non poteris perspicuè videre; *non enim videbit me homo & vivet*, quia ego *lucem* inhabito *inaccessibilem, quam nullus homo* in hac vita videt, *sed nec videre potest.*

Exod. 33.

1. Tim. 6.

Secundò, quoniam dum in illis ineffabilibus delitijs, quas bibes de torrente meæ voluptatis, requiescere diutius conaberis, repentè jam propter fragilitatem tui corporis ab eis semotus ad te ipsum reverteris. *Corpus* enim, *quod corrumpitur aggravat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Sap. 9.

Hac itaque duplici ratione, quia sanctam faciem meam non poteris clarè cernere, & quia oppressus corruptibili corpore non valebis diutius degustare, nec permanere in illa gloriosa dulcedinis contemplatione, orabis tunc, si vis in perfectione perseverare, & dices incipiens gemere, DEUS DEUS *meus ad te de luce vigilo, sitivit anima mea ad te, quam multipliciter tibi caro mea in terra deserta, invia & inaquosa sic in sancto apparui, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Verùm, ne tunc irremediabilibus gemitibus, & cordis mœstitudine inconsolabiliter dissolvaris, & desiderio videndi me, & fame gustandi suavitatem dulcedinis gloriæ meæ, ad consolationem tui, *Corvis præcepi ut pascant te ibi.*

Psalm. 62

Quippe corvorum nomine cum ratione intelliguntur sancti Prophetæ, tibi in exemplum dati à me: quia nequaquam de justitia suæ luce superbiunt, sed per humilitatis gloriam & infirmitatis propriæ notitiam, peccatorum in se nigredinem confitentes, ajunt: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Proinde de eorum quoliber scriptum est: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad DEUM vagantes, eo quod non habeant cibum?* Corvus ejus est naturæ, quod pullorum suorum in ortu rum gantia, & cibos expetentia respicit, quibus cibum pascat priùs non ministrat, donec per pennarum nigredinem propriij coloris similitudinem in eis recog noscat: posquam verò nigrescere eos conspicit, totis suis viribus eos deinceps pascit.

1. Ioan. 1.

Iob. 39.

Psal. 146

Sic interdum Prophetæ sancti à me missi nascuntur pulli, scilicet, discipuli, ad tantam tandem gratiam pervenientes ELIÆ exemplo, ut bibant *de torrente voluptatis* meæ, quemadmodum & Propheta ille. Sed cùm ex infirmitate propriæ naturæ nondum fuerunt ad gustandum illam suavitatem perducti, huc, illucque vagantes desiderio ad me clamandi, eò quòd, desideratos cibos illius internæ dulcedinis nequeant adhuc sumere: etiam juxta id, quod scriptum est, *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum*, debet se tunc per humilitatem adhuc reputare pullos (id est, parvulos in bono) & formidare, ne augmentum ostendant ex malo: scriptum est enim: *In multis offendimus omnes.*

Matth. 18

Iacob. 3.

Et tamen ipsi plerunque à peccatis suis memoriam avertunt, & considerare propriam infirmitatem nesciunt, ac per hoc nigredinem, quam assumi oportet, contra mundi nitorem non ostendunt. Tantò autem minus spiritalem illam refectionem interiùs sumere possunt, quantò exteriùs per cultum vitæ præsentis quasi magis nitescunt.

Corvus igitur in pullis ora hiantia respicit, sed antequam cibum ministret, corpus indui pennarum nigredine in eis quærit. Quia missus à me propheta priusquam ad absconsam escam voluptatis meæ discipulos perducat, admonet eos, & exspectat, ut (exemplo sui) à nitore vitæ præsentis per humilis lamenta pœnitentiæ nigrescant, & peccatorum propriorum nigredinem in se recognoscant. Qui si in confessione vitæ præteritæ lamenta sui gemitus (velut nigrescentes plumas) ex interioribus proferant, illico Propheta hiantibus in ore præparatam à me escam ministrat, quia ad gustandam dulcedinem de torrente voluptatis meæ emanantem eos invitat. Quos tantò ardentiùs de torrente reficit, quantò veriùs à mundi nitore eos nigrescere, per humilis lamenta pœnitentiæ, cognoscit. Sed ut cognoscant discipuli se escam, ad quam Propheta, eos vocat, à me recipere, cum ratione proponitur sub petitione: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad DEUM vagantes, eò quòd non habeant cibos?* subaudi nullos præparat nisi DEUS, qui sicut scriptum est, *dat escam pullis corvorum invocantibus eum.*

Tu ergo fili mi, cùm ad perfectionem Propheticam, & finem monasticæ vitæ eremiticæ perveneris, & de torrente meæ voluptatis biberis, ne inde de tanta suavitate gustata extollaris, repentè ab ea ad tempus removeberis propter fragilitatem, & corruptionem tuæ carnis. Cave ergo tunc, ne de perfectionis tecto descendens tollere aliquid ex his, quæ renuntians abdicasti. *Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Quamobrem, *quæ retrò sunt obliviscens, ad ea, quæ sunt priora, extendens te ipsum, persequere*, donec pervenias ad destinatum bravium supernæ vocationis. Non enim qui hæc præscripta incepit, sed

Luc. 9.

Phil. 3.

qui

Pulli corvini mysticè.

qui in eis perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et propterea vagans, instar pullorum corvi, debes ad me incessanter clamando dicere: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te* DEUS. Nam si ad illam dulcedinis meæ prægustatam suavitatem non confestim reducaris, hoc ideo fiet, primò, ut scias, te non ex tuis meritis, sed ex mea gratia ad illam suavitatem priùs pervenisse: secundò, ut ardentius eam desideres, & multipliciùs desiderando, capacior reddaris ad eam adipiscendam.

Psal. 41.

contra apathiã.

Ne autem interim à perfectione penitus corruas, *Corvis præcepi, ut pascant te ibi*: quia prædecessoribus tuis Prophetis mandavi, ut te doctrina exemplorum humilis pœnitentiæ pascant, qua peccatorum in se nigredinem humiliter recognoscebant, & nitorem vitæ carnalis vitabant. Quapropter, ut interim saturatus esse queas, eorum doctrina avidè pascaris, sicut scriptum est: *Sapientiam Antiquorum omnium exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit.* Quoniam si eorum exemplo, à nitore vitæ præsentis, per propriæ fragilitatis notitiam, & veræ humilitatis modestiam, instar pullorum corvi totus nigrescas; per devotam orationem, ac debitam peccatorum confessionem copiosos lamenti gemitus, (velut nigrescentes plumas) ad DEUM proferas: tunc reducet te DEUS iterum ad gustandam gratiæ dulcedinem effluentem de torrente voluptatis suæ. Hinc enim scriptum est, *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & DEUS pascit illos.* Ecce docui te, quomodo debeas humiliter perseverare in perfectione vitæ eremiticæ.

S. Eliæ prædecessores.

Eccles. 39

Matth. 6.

Luc. 12.

CAPUT IX.

ELIAM Prophetam per abrenuntiationem divitiarum, castitatis puritatem, & voluntatis propriæ negationem, ad perfectionem vitæ eremiticæ pervenisse.

ELIAS itaque, audita à DEO præfata lege perveniendi ad propheticam perfectionem, & monasticæ vitæ eremiticæ finem, & perseverandi in eâdem, consideravit, *Quod non auditores, sed factores legis justificabuntur*: propter quod ex totis suis præcordiis studuit ad dictam perfectionem propheticam, & finem monasticæ vitæ eremiticæ pervenire, & legem ad eam perveniendi, quam à DEO audierat, opere adimplere, sicut de eo ita legimus scriptum in superiori lectione libri Regnorum: *Abiit ergo ELIAS, & fecit juxta verbum Domini: cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem: corvi quoque deferebant ei panem, & carnes manè, similiter panem, & carnes vespere, & bibebat de torrente.* Hæc autem verba præmissa exponemus, tam historicè, quam mysticè: quia utroque modo de ELIA verificata fuêre.

Rom. 2.

3. Reg. 17.

Elias primus omnium perpetuam virginitatem servavit.

Elias monasticam vitam ex proposito primus servavit.

Abiit ergo ELIAS. Quò abiit? *contra Orientem*, hoc est, contra originalem suæ carnis cupidinem. Quia enim in carne ejus non inhabitabat bonum, arbitratus est, *se esse debitorem non carni, ut secundùm carnem viveret*, quia sicut inquit Apostolus, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ideo ELIAS (ut in spiritu perfectè DEO viveret) *crucifixit carnem suam cum vitiis, & concupiscentijs, mortificans membra* peccati, *quæ sunt super terram, fornicationem, libidinem, immunditiam, & concupiscentiam malam*, aliorum quodammodo antecessoribus suis: quoniam ut per puritatem castitatis, & incorruptionem suæ carnis æquaretur Angelis ad conversationis imitationem, seipsum (propter DEUM) virginitate perpetua primus hominum sponte decoravit. Qui semetipsum prorsus abnegans, & voluntati propriæ abrenuntians, semper superioris (id est DEI) voluntatem prorsus sequutus fuit, quemadmodum de eo scriptum est: *Abijt quocumque eum ferebat voluntas*, scilicet DEI. Sequitur, *& fecit juxta verbum Domini*, quia scilicet, *de terra, & de cognatione sua, & de domo patris sui* in solitudinem recessit, DEO pro ipso *aliquid melius* tunc *providente*, ut scilicet à morte eriperetur, & ad perfectionem vitæ monasticæ traheretur. Quippe populus Israël per Achab Regem recenter seductus adorabat tunc Baal, tanquam Deum largitorem pluviarum, & fertilitatum, ceterorumque temporalium bonorum. Non advertebat autem populus ille, omnia hæc provenire à vero DEO Israel, & non à Baal, sicut Dominus conqueritur per Prophetam, dicens: *Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicavi, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Ob hoc volens ELIAS tunc Regi Achab, & populo Israël ostendere, illum esse verum DEUM, quem ipse colebat, & Baal esse falsum Deum, quem Rex instigante reginâ noviter à populo adorandum introducebat, prædixit eis verbo Domini, quod quantumlibet invocarent Baal, pluviam eis largiri non posset, nec *annis illis ros, aut pluvia super terram descenderet*; donec pro hoc ipse ELIAS DEUM Israel peroraret. Et quia propter carentiam pluviæ sequuta fuit tunc fames vehemens in regno Samariæ, ideò quærebat eum rex interficere. Sed ELIAS priusquam à rege quæreretur, *fecit juxta verbum Domini.* Quoniam nè à rege inveniretur, recessit nutu DEI *de terra, & de cognatione sua, & de domo patris sui* in solitudinem, relinquens de cætero mundanas divitias, non solùm mente, sed etiam opere: ne per domesticam curam, aut per facultates, & terrenas possessiones, impediretur à consecutione perfectionis vitæ monasticæ, ad quam per DEUM tunc vocabatur ipse.

Quid sit ire contra Orientem mysticè?

Rom. 8.

Gal. 5.

Coloss. 3.

Vitæ monasticæ perfectio.

Ose. 2.

Sequitur. *Cùm abijsset, sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem*: quia scil. squalorem eremi ex tunc ELIAS cum silentio æquanimiter sustinens, monachalem vitam eremiticam primus hominum à propositò servare studuit, quam benè secundùm etymologiam nominis in solitudine torrentis *Carith* inchoavit. Interpretatur enim *Carith*, *divisio*, ut etiam nomen loci, in quo sedit, indicaret eum esse *divisum* à consortio, & vita sæcularium hominum. *Sedit* itaque solitarius *in torrente Carith*, deducens quasi torrentem lachrymas per diem & per noctem; ut sic esset *contra Jordanem*, id est, contra peccatorum *descensionem*: Quatenus ex suæ vitæ conversatione innotesceret, quàm rectè à proposito primus hominum officium monachi ipse tunc inchoaret. Monachus enim dum ceps ipse fuit, quia singularis, sive solus, & tristis sedit, peccataque sua, & aliorum solitarius uberrimè luxit. Mysticè autem. *Cumque abijsset ELIAS contra orientem*, id est, contra originalem suæ carnis cupidinem, *sedit in torrente Carith, qui est contra Jordanem*: quia in *Carith*, id est, in DEI charitate eum *dividente* à *Jordane*, id est, à peccatorum *descensione*, ex tunc semper exstitit, sicut ipse ait: *Vivit Dominus exercituum ante cujus vultum sto.* Jute autem merebatur ipse ante celsitudinem divinæ Majestatis stare, quia in tanto culmine perfectionis gressum animi fixerat,

Elias monasticam vitam ex proposito primus servavit. *Etymologia nominis* Carith. Vita Monachorum separata à consortio sæcularium. Verus & primus Monachus *Elias*. Interpretatio mystica.

3. Reg. 17

ut nullos ex mulierum natis fuerit unquam eo potior in plenitudine perfectionis. Licet namque
Matth.11 Salvator dixerit, *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*: ELIAM tamen Joanni esse æqualem, Angelus Gabriel evidenter testabatur, dum Zachariam affans, Joannem "*in spiritu & virtute* ELIÆ præire Christum asseruit. Cujus ELIÆ
c.11.Mat cor, dum in deserto ex ferventi charitate intra se
"Luc.1. concaleret, † & in meditatione suæ ignis divini
† Psal.38 amoris exardesceret, gustabat frequenter ineffabilem DEI gloriam, & *sedebat*, id est, quiescebat, *in torrente* voluptatis divinæ, quo DEUS potat diligentes se: dicente Propheta, *Torrente voluptatis tuæ*
Psalm.35 *potabis eos*. Sed quamvis satageret tunc ELIAS in contemplatione tam ineffabilium deliciarum assidè requiescere; * oppressus tamen corruptibili
*Contra apathiã. corpore, nequibat in eis diutissimè permanere. Qui ad semetipsum reversus, modò lætabatur in corde tacitè ex recordatione suavitatis gustatæ; modò verò gemebat validè ex desiderio & fame gustandi suavitatem dulcedinis tam jucundæ.

3.Reg.17 Sequitur: *Corvi quoque deferebant ei* * *panem & carnes mane similiter panem & carnes vesperi*. Quibus cibis ELIAS exinanitum corpus in deserto
*Sic etiam 70. Complut. reficiebat tantum ne deficeret. Nec dubium quin DEUS panem & carnes illas ministraret per corvos ei deferenda. Sic enim antequam ad torrentem *Carith* iret, prædixit ei DEUS: *Corvis præcepi, ut pascant te ibi*. Propter quod ELIAS dum in *Ca-*
1.Petri. 5 *rith* existeret, confidens in Domino, escam suam *in manu DEI committebat, cui cura erat de eo*. Illa autem omnia ad hanc vitam necessaria *adjiciebat* ei
Matth.6. DEUS, quia ipse *primùm quærebat regnum DEI & justitiam ejus*.

Mysticè verò, Prophetæ prædecessores sui, dicti *corvi*, ratione superiori, *deferebant ei panem* doloris & pœnitentiæ, *& carnes* humilitatis veræ.
Prædecessores Eliæ. *Manè*, id est, quando ipse ex recordatione suavitatis gustatæ lætabatur: *Similiter & vesperi*, dum scil. de absentia illius suavitatis gustatæ tristabatur. *
*Contra impassibilitatem eamdem fusius. Quippe ne de ineffabili jucunditate sibi subtracta ipse ex tristitia dissolveretur, *Corvi deferebant ei panem*; de quo scriptum est, *Cibabis nos pane lachrymarum*. Nam sicuti Prophetæ eorum exemplis sibi
Psal.79. in divinis scripturis relictis, reducebant ei ad memoriam nigredinem suorum peccatorum; ex quorum consideratione satiabatur ipse lachrymarum dolore: propter quod humiliter reputabat se indignum bibere illam ineffabilem suavitatem, quam non ex suis meritis, sed ex Dei gratia considerabat se prius gustasse. Similiter ne in lætitia ex recordatione suavitatis gustatæ ipse per inanem gloriam extolleretur, corvi deferebant ei carnes: quia sancti Prophetæ eorum exemplis ad memoriam ei reducebant suæ carnis fragilitatem, & corruptiones, quæ auferebant ab eo illas delicias tam suaves. Cujus fragilitatis pastus agnitione humilis manebat, in se cernens, quod *omnis caro fœ-*
Isaia.40. *num, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni*. Tam igitur ex fragilis carnis consideratione, quàm ex pec-
Psal.41. catorum suorum recordatione, *fuerunt ei lachrymæ* suæ *panes die ac nocte: dum* corvi, id est, Prophetæ, *dicebant ei quotidie, ubi est DEUS tuus?* Hæc verò dicentibus Prophetis; recordatus scil. quòd ex peccatorum nigredine, & ex propriæ carnis fragilitate movebatur ipse ab illa arcana DEI participa-
Ibidem. tione; *effundebat in se animam suam*: quia per devotam orationem, & humilem peccatorum confessionem, copiosos lamenti gemitus ad DEUM proferebat.

Eccles.2. Sequitur: *Et bibebat de torrente*, id est, de aqua torrentis, *abstrahens à vino carnem* suam: *ut animum* suum *transferret ad* illam salutarem *sapientiam*, de qua scriptum est: *Torrens redundans fons* * *sapientiæ*. Sic ut fuit in spiritu raptus transibat ELIAS *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum* DEI: A cujus ubertate inebriabatur ipse, & torrente voluptatis ejus potabatur. Hoc itaque prædicto modo prophetalem vitam monasticam ducebat ELIAS in eremo.

* Ex eo quod ut plurimum ger nonnullæ Sapientiæ tiæ, inde liquet le cutum esse 70. commentario. Prover.18 Psal.41.

CAPVT X.

ELIAM in torrente Carith cœpisse suos discipulos, nempe Filios Prophetarum ad vitam monasticam erudire, & quare appellati sint *Prophetæ*?

DEnique ELIAS in monastica vita eremitica, quam primus hominum à proposito incoaverat, successores post se in perpetuum relinquere disposuit. * Qui ut Pater primus Monachorum fieret, in suos discipulos elegit quosdam viros, qui idcircò ad eum, in solitudine torrentis Carith tunc latentem, confugiebant; ne per regem Achab, & reginam Jezabel cogerentur, sicut & cæteri populares, adorare Baal. Viri quippe isti rimore Dei repleti, cernentes ELIAM ita verbo Domini tunc continere cælum, quòd pluviam non dabat super terram, ad eum tamquam ad magnum veri DEI cultorem accedebant * occultè in solitudine Carith, ut sub ejus doctrina in cultu veri DEI persistere possent, & idololatriam vitarent. Hos ergo Domini devotos viros ELIAS, secundùm formam à DEO ei traditam, habuit suæ monasticæ vitæ primos discipulos, & imitatores veros. Quos etiam docuit *prophetare*, id est, ad laudem Dei psalmos & hymnos cum instrumentis musicis canere. Consideravit enim quod *bonum est confiteri Domino, & psallere nomini ejus altissimo, ad annunciandum manè misericordiam* suam, *& per noctem veritatem* suam *in decachordo psalterio cum cantico in cithara*. Sapiens igitur de his omnibus ELIAM commendans, sibi in laudem ejus ait: *Prophetas facis successores post te*. Hæc autem Sapientis verba quidam in cortice considerantes, ad hunc sensum interpretari conati sunt: ut quia ELIÆ prædixit DEUS, *Elisæum unges prophetam pro te*; ideò æstimaverunt Sapientem consequenter S. ELIÆ dixisse, *Prophetas facis successores post te*. Quasi ex hoc licuerit suos successores facere *prophetas*, id est, futura prænunciantes: quia DEUS ei dixit: *Elisæum unges prophetam pro te*. Sed an hic sensus intentioni Sapientis conveniat, non satis patet. Ait enim Apostolus Petrus: *Non voluntate humanâ est aliquando allata prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti DEI homines*. Quomodò ergo ELIAS faceret prophetas, id est, futura prædicêres; qui nõ à volũtate humana, sed à solo spiritu sancto efficiuntur? Quemadmodum & Apostolus Paulus testatur, dicens: *Alij datur operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. Non est ergo putandum quòd ELIAS prophetas tales fecerit, quos solus Spiritus sanctus constituit. Quapropter præmissum sensum ab intentione Sapientis devium relinquentes, ad mentem Sapientis enucleandã properamus.

*Elias perpetuam instituit successionem intendit. *Elias Monachorum Patriarcha. *Insolitudine Quidsit; prophetare, in filijs Prophetarum. Psal.91. Eccli.48. 3.Reg.18. 3.Reg.19 2.Petri 1. 1.Cor.12

Scimus quidem in divinis scripturis non solùm istos appellari *prophetas*, qui futura prævident & prænunciant; sed etiam illos, qui ad hoc officium *Prophetæ* sunt instituti, ut cum instrumentis musicis devotè citer ac Deum laudent, & ei psallant. Quid enim aliud est cipitur in quod in libro Paralipomenon sic legitur? Verò Scriptu-

cantores sic.

2. Paral. 35. *cantores filij Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David, & Asaph, & Eman, & Idithum Prophetarum David.* Hoc quippe in loco Asaph, Eman, & Idithum, ideò dicti sunt Prophetæ David, quia per eum erant instituti cantores ad psallendum DEO cum instrumentis musicis. Quemadmodum alibi in eodem libro sic scribitur: 1. Paral. 25. *David & magistratus exercitus segregaverunt in ministros filios Asaph, & Eman, & Idithum, qui prophetarent cum citharis & psalteriis, & cymbalis, secundùm numerum suum, dedicato sibi officio servientes.* Et post pauca: *Idithum in cithara prophetabat super omnes confitentes & laudantes Dominum.* Filij ergo Asaph, & Eman, & Idithum hoc in loco dicti sunt prophetare, non ideò, quia futura præviderent, vel prænunciarent, sed quia DEUM laudabant, & cum instrumentis musicis ei psallebant: sicut paulò pòst ibidem scribitur: Ibidem. *Universi sub manu Patris sui ad cantandum in templo DEO, distributi erant in cymbalis, & psalteriis, & citharis in ministeria domus* DEI, *juxta regem, Asaph videlicet, & Idithum, & Eman.*

Quamobrem dum Sapiens sancto ELIÆ dixit: Eccli. 48. *Prophetas facis successores post te;* non ideò hoc dixit, quòd ELIAS suis successoribus spiritum prævidendi, vel prænunciandi futura conferret; sed ideò potiùs, quia ELIAS monachos successores post se instituit, non tantùm ad vitam monasticam observandam secundùm formam à DEO sibi traditam; sed etiam ad hoc officium, ut scil. *prophetarent*, hoc est, ut in psalmis, & canticis, & hymnis devotè DEO psallerent: & ut DEUM non solùm corde & ore, sed etiam cum instrumentis musicis laudarent. Et propterea appellati sunt *Prophetæ*, id est, *psallentes*: & eorum vita dicta est prophetica, id est, ad psalmos cum instrumentis musicis DEO canendos dedicata. Et quia in psalmis taliter DEO canendis, & in observanda vita monastica secundùm formam per DEUM traditam ELIÆ, obtemperaverunt ipsi prompto corde sancto illi Prophetæ; meruerunt ob hoc benedici à Sapiente dicente eorum Patri ELIÆ: Eccli. 48. *Beati sunt, qui te audierunt, & in amicitia tua decorati sunt.* Vita Prophetica unde dicta sit!

3. Reg. 18. Hi quidem sunt illi Prophetæ Domini, quorum liber Regnorum meminit centum fuisse per Abdiam à nece præservatos, & in speluncis absconditos: cùm regina Jezabel cæteros eorum interficeret. Quos divina Scriptura illic appellat *Prophetas Domini*; non quia tunc futura præviderent, seu prænunciarent; sed quia, ut prædiximus, cum instrumentis musicis psalmos, cantica, & hymnos DEO devotè psallebant. Quod ex his tibi perspicuum fiet: Legimus enim in libro Regnorum, quòd cùm ELIÆ indicasset Abdias se in speluncis abscondisse & observasse centum in dictis Domini Prophetis; 3. Reg. 18 ELIAS mox in monte Carmeli populo Israëlitico dixit: Ibidem. *Ego remansi Propheta Domini solus.* Sed cum ELIAS tunc non ignoraret centum ex his Prophetis Domini per Abdiam fuisse à nece præservatos; quomodò, salvâ à mendacio conscientiâ, poterat vir DEI populo dicere, *Ego remansi Propheta Domini solus?* Absit autem, vel suspicari quòd mentiretur tantus Propheta, cujus *verbum*, teste Sapiente, Eccli. 48. *ardebat quasi facula*; vel arbitrari quòd ignoraret tunc alios Prophetas Domini præter se vivere. Quomodo namque hos vivere ignoraret ELIAS; qui neque numerum Prophetarum Baal ignorabat, quos tunc revelabat, quadringentos quinquaginta, & prophetas lucorum 3. Reg. 18 quadringentos esse? Nonne etiam per Abdiam recenter certificatus erat, quòd centum Prophetas Domini Abdias ipse in speluncis absconderat, & à morte præservarat? Cum ergo hos Prophetas Domini vivere ELIAS non ignoraret; quomodò verum loquebatur populo dicens; *Ego remansi Propheta Domini solus?* Nisi ideò verum diceret, quia sciebat quòd nullus præter eum erat tunc in regno Israël *Propheta Domini* talis, qui futura prænosceret per spiritum Domini, vel prænunciaret; quamvis, eo sciente, essent tunc in Israël hi *Prophetæ Domini*, quos Abdias in speluncis abscondens à morte præservarat? Sed quia isti viri sunt in Scriptura divina *Prophetæ* appellati, eò quòd devotè cum instrumentis musicis DEO canebant, non autem eò quòd futura tunc præviderent, vel prænunciarent, sicut solus ELIAS in regno Israel tunc per spiritum Domini futura prævidebat & prænunciabat; propterea ad hunc sensum verè, & à sua mente procul mendacio, ELIAS dixit tunc populo: *Ego remansi Propheta Domini solus.* Nullus quippe præter eum Propheta, prænoscens per spiritum Domini futura, in regno Israël tunc remanserat; quoniam filij Israel eos omnes occiderant: Quemadmodum ELIAS, fugiens postmodùm in speluncam montis Oreb propter metum Reginæ Jezabel, volentis etiam eum occidere, conquerens de nece dictorum Prophetarum, Domino dixit: 3. Reg. 19. *Dereliquerunt pactum Domini filij Israel, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum ego solus.*

CAPUT XI.

Quo tempore ELIAS in monte CARMELO prima professionis monasticæ fundamenta jecerit; & quare ejus discipuli fuerint *Filij Prophetarum* nuncupati?

CUm autem de spelunca montis Oreb, in qua aliquandiu mansit, fuisset ELIAS jussu DEI reversus in terram Israel, recollectis ipse in unum suis discipulis in monte CARMELI, * prout inspiratus fuduit, secundùm formam à DEO sibi traditam, denuò inducere eos ad observandam vitam monasticam: quos etiam sollicitè docuit disciplinam propheticam, ordinans ut devotè in psalterio, & cithara, & cymbalis jubilationis DEUM laudarent. Cui officio priùs non potuerant perfectè intendere propter graves persecutiones, quas passi fuerant à rege Achab, & præcipuè à Jezabel uxore sua. Sedatis autem per DEUM persecutionibus illis, ex tunc quosdam horum monachorum excellentes viros, cæteris perfectius cum instrumentis musicis DEO in psalmis devotè jubilantes, constituit DEUS Prophetas: qui videl. sicut ELIAS ventura prophetarent.

*Nova forma vitæ filiorum prophetarum.

Per hunc quippe psalmorum jubilum aperiebant ita devotè Domino penetralia mentium, ut frequenter in eorum corda immitteret DEUS Prophetiæ spiritum. Propter quod, dum de occultis certificari à Domino volebant, ad hunc psalmorum jubilum devotissimè recurrebant. Hinc in libro Regnorum legimus quòd ELISEUS in hac disciplina eruditus, dum per regem Josaphat esset quadam vice de futuris consultus, & deesset sibi tunc Prophetiæ spiritus; psaltem ad se adduci fecit, in cujus cantu cor devotè Domino aperiens, Prophetiæ spiritum de quæsitis à DEO accepit. Divinâ itaque disponente sapientiâ, ex tunc factum fuit quòd ELIAS multiplicatis istis monachis per eum institutis, quosdam ex eis excellentes Prophetas, qui futura prævidebant, assumpsit ad hoc

Effectus jubili Psalmorum.

4. Reg. 3.

Elias Monachorum Institutor.

hoc officium; ut scil. cum eo, & post eum, dictos monachos sollicitè in vita monastica secundùm formam à DEO sibi traditam erudirent, & in disciplina prophetica, id est, in psalmis in psalterio canendis, eos instruerent; & ita diligenter eorum curam gererent, ac si filij eorum essent: & propterea hi monachi, qui priùs, ut prædiximus vocabantur *Prophetæ*, postmodum vocati sunt *Filij Prophetarum*: quia dictorum excellentium Prophetarum hujus Religionis erant discipuli, & in prophetica ac monastica disciplina, sub regimine ipsorum, quasi Patrum suorum, constituti; & inde imitatores sanctorum morum, & virtutum illorum Prophetarum. Et sub hoc titulo, quo dicebantur *Filij Prophetarum*, fit sæpè in libro Regnorum, de his monachis mentio.

Disciplina prophetica.

Ratio *novæ appellationis* Filiorum prophetarum.

CAPVT XII.

De discipulis magni ELIAE, & primò de S. Iona Propheta.

IGitur cùm eorum Religio esset jam tempore ELIÆ tam multiplicata, quòd, tàm in eremis, quam in civitatum suburbijs, erant plures eorum cunei; necesse fuit, ut præter ELIAM, quidam ex eis excellentes Prophetæ, discipuli ELIÆ, cuneos eorum regerent & gubernarent. Quos Prophetas Monachi prædicti vocabant Patres suos, & ipsi dicebantur filij dictorum Prophetarum. Et indè inolevit quòd rectores hujus Religionis semper appellati sunt à subditis *Patres*. Horum autem Prophetarum Eliæ discipulorum, non quidem omnium, sed paucorum, id est, quator ex præcipuis, decet hîc aliqua succinctè memorari.

Præpositi *Ordinis Carmelitarum* Patres *appellati*.

*Consentit traditioni Epiphanius libro de vita & morte Proph. itemque Hieron. in Prologo Jonæ.

†3. Reg. 17

‡3 Reg. 18.

Disciplina prophetica vitæ monasticæ.

3 Reg. 18

*Verendum erat *viri*, juxta lxx.

Inter hos Prophetas ELIÆ discipulos primus ordine temporis ad vitam Monasticam per ELIAM vocatus fuit sanctus **Jonas* de regione Gerh, quæ est in Offir, filius illius † *mulieris viduæ*, cui *ligna colligenti*, in Sarepta Sidoniorum ELIAS obviavit, & in cujus domo latuit dum Rex Achab ‡ *per omnes gentes & regna* eam ad mortem perquiri fecit. Hunc *Jonam* puerum ELIAS tunc resuscitavit à mortuis, cum sustentaretur in domo ejus matris: quem ob hoc mater, ex devotione, tradidit ELIÆ erudiendum in disciplina propheticæ vitæ monasticæ. Et factus ELIÆ discipulus, ministrabat ei. Cùm autem oraret DEUM ELIAS pro pluvia in monte CARMELI, misit semel hunc Jonam puerum, ut de monte prospiceret, si aliquid in mari appareret: *Qui cum contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursus dixit ei ELIAS, Revertere septem vicibus. Et in septima vice vidit* Jonas *nubeculam parvam quasi vestigium* *hominis ascendentem de mari. Quod cùm ELIÆ renunciasset, agnovit ELIAS pluviam grandem tunc descensuram super terram. Quam pluviam fore venturam Jonas per ELIAM missus regi Achab eam desideranti indicavit.

4. Reg. 9. *Etiam Prophetæ de quibus 3. Reg. 18 discipuli erant S. Elia.

‡Jonæ 1.

†Lectio apud Græcos controversa; multi enim hanc bene, stru-

Post raptum verò ELIÆ in cælum *Jonas* ab Eliseo in Ramoth Galaad missus unxit Jehu in regem Israel, ad * ulciscendum necem prophetarum, ELIÆ discipulorum. Demum monitus à DEO ‡ *Jonas*, ut Niniven pergens prædicaret, eam intra † quadraginta dies subvertendam, vidit, sancto revelante Spiritu, Ninivitas per suam prædicationem convertendos ad pœnitentiam, & consecuturos DEI misericordiam. Ideò, ne falsa videretur nuntiare, renuebat illuc ire, donec in mare projectus, & à bellua marina devoratus, post triduum à pisce in terram evomitur. Qui, sancto revelante Spiritu, sciens conversionem Gentium fore ruinam Hebræorum, prædicans Ninivitis ideò de eorum conversione dolebat; quia hâc occasione suum populum Israel ruiturum timebat. Sed Dominus ostendens ei tempus novissimæ ruinæ populi Israel nondum venisse, jussit eum ad terram Israel redire, & prophetare *terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis restituendos* per Jeroboam regem Israel.

versa; 4. Reg. 14

CAPVT XIII.

Vita S. Helisei, discipuli B. ELIAE.

ALius Prophetæ, & supremus ELIÆ discipulus, fuit sanctus ELISEUS, ex patre vocato Saphar, de urbe Abelmeula, sita in regione Zelmaan: & sicut in libro Regnorum legitur, dum de spelunca montis Oreb reverteretur ELIAS in terram Israel, inveniens hunc *Elisæum* in agro arantem, misit super eum pallium suum; & ita elegit eum in discipulum. Qui post impositionem pallij, par boum mactans convivium populo fecit: & inde, relictis patre & matre, ac terrenis omnibus, ELIAM sequens, & ei ministrans, eius monasticam & propheticam vitam imitatus est.

3. Reg. 19

Hoc sancto ELISEO nascente, magnum contigit prodigium: una quippe imago ex vitulis aureis, quos filij Israel adorabant, in ortu *Elisæi* acrè mugivit. Quod cùm sacerdos Domini in Jerusalem audisset, divino nutu ait: *Propheta natus est in Israel, qui sculptilia deorum destruet & fusilia.* Beatus quippe ELISEUS postquam discipulus ELIÆ fuit factus, Spiritum Prophetiæ accepit, per quem spiritum indicabat regi Israel omnes insidias, quas contra eum Rex Syriæ parabat. Qui vice quâdam exercitum regis Syriæ percussit cœcitate, & adduxit ad regem Israel in civitatem Samariæ. Hanc quoque civitatem obsessam à rege Syriæ, & oppressam fame, relevavit Elisæus à fame & obsidione.

Traditio apud Hebræos.

4. Reg. 6.

Ibidem.

Denique per signa & prodigia, quæ incessanter operabatur, revocabat populum Israel ad veri DEI cultum, destruens miraculis, & prædicatione, cultum falsorum Deorum. Quod perspicuè tunc monstravit, cùm unum ex religiosis filijs prophetarum, scilicet *Jonam*, in Ramoth Galaad misit, ut ungeret Jehu in regem Israel: qui mox ut fuit in regem unctus, jussu ELISEI omnes Prophetas Baal occidi fecit, & statuam de fano Baal proferens, combussit; ædemque destruens, de Israel Baal delevit. Mortuos autem ELISEUS sepultus fuit juxta sepulchrum *Abdiæ* Prophetæ, in civitate Samariæ. In cujus sepulchro cùm quidam posuissent cadaver unius hominis mortui, revixit homo ille, mox ut tetigit ossa ELISEI.

4. Reg. 9. & 10.

4. Reg. 8.

CAPVT XIV.

Res gestæ sancti Michææ, discipuli ELIAE.

MICHÆAS quoque Propheta, ex patre vocato Hyremla, fuit ELIÆ discipulus. Sed iste non est ille Michæas Morasthites, qui temporibus Joathan, Achaz, & Ezechiæ regum Juda prophetavit, & in duodecim Prophetarum numero includitur: Quoniam iste *Michæas*, ELIÆ discipulus, longè ante propheravit, scilicet in diebus Achab, Ochoziæ & Joram regem Israel. Qui adhæsit ELIÆ, cùm ELIAS de spelunca montis Oreb fuisset jussu Dei reversus ad terram Israel: Et eruditus Michæas iste per ELIAM in disciplina propheticæ vitæ monasticæ, cùm esset ipse ex filijs prophetarum, tandem accepit à DEO spiritum prophetiæ. In quo spiritu prædixit regi Achab duplicem belli victoriam, quam Achab obtinuit de Benadad rege Syriæ.

Sed

Sed quia Achab in secunda victoria regem Syriæ Benadad morte dignum, quem ceperat, permisit abire illæsum; ideò Michæas regi Achab in spiritu Domini dixit: *Hæc dicit Dominus: quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.* 3.Reg.20 Quod ei evenit. Nam dum ascendisset Achab cum Josaphat rege Juda in Ramoth-Galaad, & prœliaretur ibi contra Benadad regem Syriæ, unus de parte Benadad tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, casu percussit regem Achab inter pulmonem & stomachum: ex quo vulnere eâdem die Achab vespere obijt, juxta verbum quod locutus ei fuerat Michæas, dicens: *Audi sermonem Domini: Vidi Dominum super solium suum sedentem, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dexteris & à sinistris; & ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus à sinistris verba hujuscemodi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait, Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus, In quo? Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: decipies & prævalebis.* 3.Reg.22

Michæa martyrium.

Postea autem cùm regnaret Joram filius hujus Achab, redarguebat eum Michæas de cultura idolorum: quem rex Joram præcipitio interfecit. Et ita martyrio coronatus, sepultus est in Morasti solus, juxta sepulturam Senachim.

CAPVT XV.

Abdias Propheta, ac servus DEI, discipulus ELIAE.

Idem insinuat in *homil. super Ps.* 1.4. Consentiunt Joseph. *lib.9. Antiquit. cap.* 2. Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Stromat.* Euseb. in *Chron.* Hieron. & Theodoretus in *Commentario.* Epiphanius *lib. de vita & morte Prophetarum.* Abbas Dorotheus in *Synopsi.*

ALter verò Propheta discipulus ELIÆ fuit beatus ABDIAS, de terra Sichē, ortus in agro Bethacaran, qui ut in libro Regnorum legitur, * *Timuit ab infantia sua valde Dominum.* Et priùs quidem Abdias dispensator regis Achab existens, cùm regina Jezabel interficeret prophetas Domini, tulit ipse, sicut prædiximus, centum ex illis prophetis ELIÆ discipulis: quos, durante illa persecutione, quinquagenos in speluncis abscondens, pane & aqua pavit. Deinde mortuo Achab rege, cùm filius ejus † Ochozias Rex duos principes quinquagenarios ad ELIAM misisset, qui orante ELIA fuerunt cum suis ab igne de cælo descendente combusti; rursus misit rex hunc Abdiam cum quinquaginta viris, qui in monte Carmeli coram ELIA genua flectens pro anima sua, & pro animabus suorum quinquaginta, ELIAM humiliter exoravit. Potrò ELIAS cernens *Abdiæ* humilitatem, & recolens quòd centum suis discipulis vitam restaurasset; vicissitudinem ei rependit: quoniam sibi, & suis quinquaginta vitam clementer servavit. Hanc ergò gratiam ab ELIA obtentam *Abdias* recognoscens, relicto obsequio regis Ochoziæ, factus fuit discipulus ELIÆ, dimissis propijs filijs in domo cum sua uxore. Igitur quia centum prophetas ELIÆ discipulos paverat, accepit & ipse à DEO spiritum prophetiæ. In quo spiritu prævidit Idumæos adjuturos exercitum Assyriorum contra Hebræos: propter quod prophetavit dictos Idumæos tandem per exercitum Nabuchodonosor dissipandos.

* 3 *Reg.*18
† 4.*Reg.*1

Prophetia *Abdiæ*, quam & penè ad verbùm repetijt S. Hieremias *c.*49

CAPVT XVI.

ELIAS exemplar fuit perfectionis monasticæ suis discipulis. Carmelitæ successionem ab eo tenent hæreditariam, alij habent imitationem.

QUoniam autem, qui alijs seipsum præbet exemplar vivendi monasticè, necesse habet ut vitam suam ita rectè intra se componat, ne cæteros per malum exemplum offendat dicente Domino; *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Matth.18 Propterea vir DEI ELIAS sic vitam suam in se disposuit, quòd ab omni offendiculo eam tersit. Sed quia non sufficit magistro monasticæ vitæ propheticæ, ut stadeat sine offendiculo conscientiam habere ad DEUM & ad homines, nisi suo exemplo ad bonum provocet consortes, dicente Apostolo: *In omnibus temetipsum præbe exemplum bonorum operum:* Tit.2. ideò ELIAS, ut suo exemplo animos omnium prædictorum monachorum ejus discipulorum provocaret ad suæ Religionis exercitium, studuit secundùm formam per DEUM sibi traditam, pollere coram eis frugalitate paupertatis, uti abstinentia parcimoniæ, domare concupiscentias carnis, nitere candore castitatis, abnegare libertatem voluntatis, vitare tumultum plebis, & ardere fervore charitatis.

Institutum boni Carmelitæ.

Et quia in ejus imitatione decrevit DEUS consistere hujus Religionis monasticam perfectionem; propterea ELIAS ipse magna propheticæ disciplinæ & monasticæ vitæ exemplaria, scilicet gesta sua & merita, demonstravit in cordibus professorum hujus Religionis, per quæ ipsi ornarent penetralia mentis: ut videlicet ad imitationem ejus sæculo ac terrenis omnibus, ex totis præcordijs renuntiantes, & carnales concupiscentias per continentiam & abstinentiam crucifigentes, voluntatemque propriam abnegantes, & eam superiori humiliter submittentes, à conspectu etiam hominum absconsi, monachalem vitam eremiticam, quam ELIAS ipse in solitudinibus, & maximè in monte Carmeli, duxit, monachi prædicti in eodem monte, & in alijs eremis ac locis, ad hunc finem continuarent: quatenus eam accolentes liberiùs etiam mentes suas eum DEO per amorem perfectè unirent. Qui dum per legem disciplinæ propheticæ & vitæ monasticæ ab ELIA eis traditam pergunt, & ardenti amore dogmata ELIÆ tàm aure cordis, quàm exequutione operis audiunt; proculdubiò de animarum suarum salute securi sunt. Quemadmodum testatur Sapiens sanctum ELIAM ita alloquens: *Beati sunt qui te audierunt, & in amicitia tua decorati sunt.* Eccli.48.

Vita *Eliæ* ipsa est Regula vitæ monasticæ.

Ratio successionis vitæ monasticæ à S. *Elia.*

Quidquid ergo virtutis & perfectionis est in hac nostra Religione eremitica, ab hoc Propheta DEI ELIA, tamquam à primordiali & principali monachorum authore, exemplariter emanavit.

Et primò quidem in præmemoratos viros filios prophetarum, ejus discipulos; deinde ab illis, in cæteros Religionis nostræ professores, eis tàm in monastica eorum conversatione, quàm in locorum habitatione succedentes; & demum ab his in reliquos alibi degentes. Sed & omnium monachorum conversatio perfecta ab ELIA, & à dictis ejus discipulis filijs prophetarum, est derivata. Quamvis enim in diversis mundi partibus post ELIAM surrexerint in lege nova diversi monachorum principes, secundùm diversa instituta specialia suos discipulos in observantia vitæ monasticæ regulantes, ad nullum tamen alium finem, nec

Successio hæreditaria Carmelitarum. *Elias* parens Principum Monachorum, quatenus eum imitati sunt.

nec per alios gradus intenderunt suos discipulos principaliter perducere, quàm ad hunc finem, & per hos gradus, per quos ELIAS ad finem, & perfectionem vitæ monasticæ, secundùm formam per DEUM ei traditam, suos discipulos perduxit. Propter quod prædicti monachorum principes, in sana doctrina vitæ monasticæ, fuerunt velut quidam particulares rivuli ab ELIA, tamquàm à primordiali & universali omnium rivulorum fonte, derivati.

CAPVT XVII.

Cur S. ELIÆ Spirituales posteri à Carmelo potius quàm à Carith dicti sunt.

*Interpres loquitur more recepto sui temporis: *Carmelitæ*, pro, *à Carmelo*, Diceret potiùs *à Carith* quàm à *Carmelo*: Hoc enim agitur toto capite.

INterea scisciteris, dilecte Caprasi, quâ ratione monachi in hac religiosa disciplina conversantes appellantur Carmelitæ. *Cùm namque ELIAS conversationem hanc non in Carmelo, sed in Carith, jussu divino inchoaverit, videtur nonnullis, ut asseris, quòd deberent potiùs Carithæ appellari, quàm Carmelitæ. Verùm diligenter si advertas, perpendes voluisse DEUM quòd Elias conversationem, quam ab eo acceperat observandam, ideò in solitudine Carith inciperet, & ibi ad tempus à facie Regis Achab & reginæ Jezabel lateret, ut ad eum haberent facilem, licet occultum, accessum quidam viri timorati, quorum ipse in vita monastica Pater fieret. Tunc enim, ut jàm prædiximus, viri quidam DEUM timentes confugerunt illuc ad ELIAM, ne per Achab vel Jezabel compellerentur, sicut cæteri populares, adorare Baal.

S. Elias Pater monachorum

Hi pauco tempore in Carith cum ELIA monasticè conversantes, didicerunt ab eo illius loci significationem mysticam, conversationi monachali necessariam: quam suprà exposuimus. DEUS autem non jussit, quòd ELIAS ideò inchoaret hanc conversationem monasticam in Carith, ut illic eam plantaret, hoc est, ut diuturnam mansionem ipse & ejus discipuli in loco illo facerent, quoniam locus ille erat ineptus habitationi monasticæ, propter carentiam aquæ. Undè post dies

Mysterium in torrente *Carith*.

3. *Reg.* 17. aliquantos, quibus ELIAS in eo sedit, jussu divino ab eo discessit: quia torrens siccatus fuit. In diebus autem illis ELIAS, propter regis Achab, & Reginæ Jezabel idololatriam, & alia eorum ac populi peccata, ita continebat virtute divina cælum, quòd nec rorem, nec pluviam dabat super terram: sed erat fames vehemens in Samaria. De qua fame indignata valde contra ELIAM Regina Jezabel, procuravit ut Rex Achab faceret ad mortem perquiri eum per omnes gentes & regna. Propter quod ELIAS in nulla eremo poterat tunc securè religiosam vitam monasticam assiduè colere; sed vagus & profugus eam excolebat, modò in eremo torrentis Carith, modò in domo mulieris Sareptanæ, modò autem in deserto Bersabeæ, modò verò in spelunca montis Oreb. Quem cùm non reperirent, effudit Regina Jezabel ultionem famis in ejus discipulos, interficiens aliquantos quos deprehendit ex Prophetis Domini.

Juxta Apostolum *ad Hebr.* 11.

Quos & aliâ ratione usque ad mortem persequebatur: quia cum ipsa esset idololatra, moliebatur cultum Baal per totum regnum Israël extendere, & cultum veri DEI de Israël delere: ad quem jugiter restaurandum ELIAS noviter instituerat, ut dictum est, Religionem horum Prophetarum, DEO devotè psallentium. Qui in eremis latitantes in nulla solitudine regni Israel audebant tunc jugem moram trahere, propter metum Regis Achab, & prædictæ Jezabel uxoris suæ: Sed, sicut ait Apostolus, *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cavernis terræ.* Quamobrem cùm tunc in Carith, vel alibi jugiter non manserint, non potuerunt à Carith dici Carithæ, neque ab alio loco potuerunt denominari congruè: quoniam propter persecutiones quas patiebantur, nullius loci fuerunt tunc incolæ, qui teste Apostolo compellebantur hinc, & indè, & vagari, ac fugere.

Monasteria castellæ sunt ac munitio-nes cultus Dei. Nova institutio in eremis. *Hebr.* 11.

CAPVT XVIII.

Expositio Visionis S. ELIÆ in spelunca montis Oreb.

DEmum compatiens DEUS tribulationi eorũ, & finem debitum ei imponere volens, apparuit ELIÆ manenti in spelunca montis Oreb, & dixit ei: *Quid hic agis ELIA?* Quasi redarguens ipsum, eò quòd non manebat in regno Israel. ELIAS autem, de hoc se excusans, respondit Domino: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel. Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus: & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Sicut autem ait Sapiens, *audivit* tunc ELIAS *in Oreb, judicia defensionis.* Quoniam DEUS ostendit tunc illi in visione mirabili judicia, quibus se, & suos cultores * defendere decreverat de omnibus illis, qui de regno Israel cultum DEI veri abjecerant, & suos Prophetas occiderant, & ibi cultum Baal introduxerant, & observabant: Quorum quosdam per Azahelem, alios per Jehu, nonnullos verò per *Elisæum* occideret, & de regno Israel extirparet. Ad ELIÆ quoque consolationem revelavit tunc illi DEUS, adhuc in regno Israel plures ejus discipulos, & veri DEI cultores remansisse, qui pactum DEI non dereliquerant; quos secum ab inimicis eorum defenderet, & deinceps cum eo in regno Israel, in tranquillitate pacis, servaret. Unde dixit ei: *Egredere, & sta in monte coram Domino. Qui egressus stetit in ostio speluncæ. Et ecce spiritus grandis & fortis, subvertens montes & conterens petras, transit ante Dominum. Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* *Ibi Dominus. Spiritus quippè *grandis & fortis transiens*, prorendit Azahelem, quem DEUS, in prædicta visione, ostendit ELIÆ transiturum per regnum Israel, *subvertendo montes*, id est, majores, *& conterendo petras*, id est, fortes populi Israel. Hinc *Azahel* interpretatur *fortitudo Dei*: quia per eum † prævaluit DEUS subvertere majores, & conterere fortiores populi Israel, qui ab ejus cultu recesserant. Quemadmodum Eliseus Propheta Azaheli prædixit: *Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore, & scio quæ facturus sis filiis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succendes, & juvenes eorum interficies gladio, & parvulos eorum elides, & prægnantes divides.* Hæc autem omnia testatur liber Regnorum, manifestè per Azahelem postea in populo Israel completa fuisse.

3. *Reg.* 19. *Ibidem.* *Eccl.* 48. *Defendere, pro ulcisci. 3. *Reg.* 19. *Ibidem* * Sic 70. Complut. ac Regia alijque Codices, πνεῦμα κραταιὸν ἔρχεται: & ibi Dominus. † alludit ad πνεῦμα κραταιὸν *spiritus validus.* 4. *Reg.* 8.

Et quidem justè: Nam sequitur, *non in spiritu Dominus.* Meritò enim in Azahele populum *conterente* non erat Dominus, ad parcendum populo: quia

quia DEUM per idololatriam à se abjecerat. * *Commotio* verò transiens præmonstravit Jehu, quem Deus in prædicta visione ostendit ELIÆ, transiturum per regnum Israel, commovendo indè domum Achab. Hinc Jehu interpretatur *commotio*: quia per eum commovit Deus de regno Israel domum Achab, quæ cultum Baal in regno Israel introduxerat, & cultum veri DEI abjecerat, & DEI Prophetas occiderat: quemadmodùm Jonas Propheta ipsi Jehu prædixit: *Hæc dicit Dominus DEUS Israel: Unxi te in Regem super populum Domini Israel: & percuties domum Achab Domini tui, & ulciscar sanguinem servorum meorum Prophetarum, & sanguinem omnium servorum Domini, de manu Jezabel: perdamque domum Achab, & interficiam de domo Achab mingentem ad parietem, & clausum, & novissimum in Israel: Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrael, nec erit qui sepeliat eam.* Hæc autem omnia testatur liber Regnorum perspicuè, per Jehu in domo Achab posteà completa fuisse.

* Alij de Græco vertunt apud 70. *Concussio*, quod huic loco aptiùs conveniret. 4. *Reg.* 9.

Et quidem justè: Nam sequitur: *non in commotione Dominus*: quia in domo illa per Jehu, ut præmittitur, *commota*, non erat Dominus, à quo per idololattriam totaliter recesserat. Meritò enim in Jehu commovente domum Achab, non erat Dominus, ad indulgendum illi domui: quia à DEO per idololatriam totaliter recesserant. *Ignis* autem transiens, designavit ELISEUM, quem DEUS in prædicta visione ostendit ELIÆ transiturum per regnum Israel instar ignis, consumendo pueros idololatrarum. Hinc *Elisæus*, interpretatur, *Dei mei salus*: quia consumptis per eum filijs idololatrarum, quibus in nomine Domini maledixit, advenit *DEI salus* suis cultoribus.

Interpretatio nominis *Elisæi.*

Nec mirum si hoc pueris illis accidit: Nam sequitur: *non in igne Dominus.* Meritò enim in *Eliseo*, consumente instar ignis pueros, non erat Dominus ad propitiandum illis pueris: quoniam à parentibus nutriebantur ad cultum idolorum. *Sibilus* verò *auræ tenuis* transiens, significat ELIAM, cui Dominus in prædicta visione ostendit, quòd esset per regnum Israel transiturus instar *sibili auræ tenuis*: * *vocans* scilicet suos discipulos, & cæteros DEI servos ad refrigerium pacis, per sequutionibus eorum sedatis.

*Videtur alludere ad τὸ φωνὴ, *Vox* secundùm 70. pro *sibilus*, quòd habet Vulg.

Hinc *Elias* interpretatur *Deus Dominus*: quia *Deus* decrevit pro eis ostensurum se *Dominum* inimicis eorum, quibus per eum, ut præmittitur, consumendis, hos in regno Israel pacificè servaret: eò, quòd *ibi*, scilicet in his per quos transiit *sibilus auræ tenuis*, erat *Dominus*, à cujus cultu per idololattriam, ipso teste, non recesserant: † *Dereliqui mihi*, inquit Dominus, *in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoravit eum osculans manum.* His itaque omnibus ELIÆ in visione præostensis, exponens eam sibi DEUS dixit: *Vade, & revertere in viam tuam per desertum in Damascum: Cumque perveneris illuc*; scilicet in persona non quidem tui, sed Elisei; *unges Azahel regem super Syriam*, id est, ungendum seu promovendum à me prænunciabis Azahelem in regem Syriæ; *& Jehu unges*, id est, prænunciabis ungendum, & promovendum à me *in regem Israel*: *ELISEUM autem unges*, id est, ungendum sive promovendum prænunciabis, *prophetam pro te*: ut scilicet post tui raptum, prophetet Azaheli & Jehu, & prænunciet eis ipsos à me promovendos in reges. Hos quippe tres viros Azahelem, Jehu, & Eliseum, ad prædictas dignitates promovit DEUS, ut exequerentur *judicia*, quæ in prædicta visione ostenderat ipse ELIÆ. Et propterea dixi, DEUS rursum ELIÆ: *Et erit quicunque fugerit gladium Azahelis, occidet eum Jehu: & quicunque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus.* 3. *Reg.* 19.

Interpretatio nominis *Eliæ.*

† *Dereliqui mihi*: Conformiter. Complut. Regiisque ac Rom. 11. 3. *Reg.* 19

CAPVT XIX.

Religionem eremiticam plantat magnus ELIAS in monte CARMELO, tanquam loco commodissimo ad ejus perpetuationem.

REversus itaque jussu DEI ELIAS de spelunca montis Oreb in terram Israel, confestim instar *auræ tenuis sibilavit*, id est, * convocavit suos discipulos, & cæteros DEI servos, ad DEUM deinceps in regno Israel secum è colendum; nuncians sicut à † DEO acceperat, quòd eos in pace dimitteret *Dominus*, sedatis eorum persecutionibus. *Dereliqui mihi*, inquit Dominus, *in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, & omne os quod non adoravit eum osculans manum.* Quia ergo ex tunc, & non anteà, fuit ELIÆ, & suis discipulis, liberum in regno Israel securè conversari, studuit ipse deinceps Religionem quam inchoaverat, in loco idoneo plantare. *Anno quidem decimo regni Achab regis Israel, ad sui & suorum discipulorum jugem mansionem, elegit præ alijs eremis, CARMELI montem, tamquam commodiorem ad propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo melùs edocendam, & exercendam.

* Iterum alludit ad τὸ φωνὴ. † Alludit ad *ibi Dominus.*

*Tempus fundationis Ordinis Eremitarum montis Carmeli.

† Mons quippe Carmeli præbet eremitæ homini ex sua solitudine silentium & quietem; ex suis antris, congruam mansionem; ex suo saltu, jucunditatem; ex suo eminenti situ, aërem salubrem; ex suis herbis & fructibus, pastum uberem; ex suo fonte aquæ vivæ, haustum dulcem: propter quæ omnia ELIAS in monte isto nedum habitare elegit, verùm etiam * domum orationi consecratam, appellatam *Semnon*, in eo ædificavit. Quæ ideò *Semnon* dicta fuit, quoniam ELIAS, & ejus discipuli, de eorum tabernaculis, & speluncis egredientes, ad domum illam † *honestè* tribus vicibus quotidiè *convenichant*: non quidem ad refectionem corporalem, vel ad aliqua corporis ministeria peragenda; sed ad creatorem omnium likanijs & orationibus suppliciter placandam; & ut unusquisque eorum cum Propheta dicere: *Vespere, mane, & meridie, narrabo, & annuntiabo: & exaudiet vocem meam.*

† Carmeli montis commoditates.

*Sacra ædicula in monte Carmelo erecta ab ipso *Elia* Virgini parturæ

† Domus honestæ, sive religiosæ congregationis. *Psal.* 54. Alludit ad Philonis librum de vita contemplativa.

Conveniebant namque ibi in unum ad psalmos, cantica, & hymnos, corde & ore, ac cum instrumentis musicis in laudem DEI canendos: ad* volumina quoque legis & prophetarum à Patre eorum audienda pariterque legenda. In quorum disciplinis atque exercitijs instituti, ad perfectam, beatamque vitam, studijs jugibus, in eremo Carmeli, coalescebant secundùm formam vitæ monasticæ per DEUM creditam ELIÆ.

*Studium sacræ Scripturæ.

CAPVT XX.

Quibus de causis ELIAS montem Carmeli præ alijs montibus elegerit.

Ratio à loco spiritualis.

AD continuam autem residentiam in Carmelo semper faciendam, ELIAS montem hunc devotiorem suis discipulis reddidit, non solùm exemplo sui, qui ex tunc quamdiu in hoc mundo mansit, scilicet per XVI. *annos, montem istum incoluit; sed quia præ cæteris eremis in quibus habitavit, montem hunc quibusdam magnis miraculis specialiter insignivit, per quæ DEUM Israel esse verum DEUM manifestè idololatris monstravit. Cùm enim ante ELIÆ ortum fuisset de eo in Jerusalem patri suo dictum: *Puer hic judicabit Israel in gladio & igne*; non est dubium, vaticinium illud fuisse per ELIAM in monte Carmeli adimpletum. Testante namque sacrâ libri Regnorum historiâ, dum populus Israel simul cum Achab rege eorum, fuisset per prophetas Baal seductus, & DEO vero derelicto, ad colendum Baal deditus; tunc ELIAS zelum DEI in præcordijs gerens, & de populi transgressione dolens, congregato universo populo cum rege, in hoc monte Carmeli, mirum judicium eis proposuit: videlicet quòd Baal à populo Deus reputaretur, si suos prophetas ei in hoc monte sacrificaturos ita exaudiret, ut, ad votandum eorum sacrificium, de cælo ignem mitteret: alioquin quod Baal à populo prorsus respueretur, & DEUS Israel verus DEUS à populo firmissimè crederetur, si Baal non valente per ignem suos prophetas exaudire, DEUS Israel ignem de cælo mitteret ad votandum sacrificium, quod ELIAS in hoc monte sibi offerret. Cùmque propositio ELIÆ populo placuisset; sed Baal super sacrificio, per suos prophetas sibi oblato, ignem de cælo mittere non posset; tunc ELIAS in hoc monte Carmeli altare DEO ædificavit: ubi sacrificium offerens, cunctis videntibus, ignem de cælo descendentem, ad votandum suum holocaustum, à DEO Israel impetravit: sicque populum Israel, per prophetas, Baal, priùs in errore detentum, ad unius veri DEI cultum in monte Carmeli ELIAS tunc reduxit: prophetas verò Baal, qui populum seduxerant, ne iterum ipsum deciperent, omnes in torrente Cison gladio interfecit.

Hebraica traditio.

3. Reg. 18.

Elias sacrificium, quomodo & id vocat Liturgia Æthiopica in Canone, & Ordo Carmel. in Secreta Missæ, festo die S. Eliæ, *Holocaustum*.

Amplius verò cùm Rex Achab & populus Israel, per prophetas Baal decepti, tribus annis & sex mensibus, incessanter invocassent Baal pro pluvia, tamen Baal in diebus illis pluviam eis dare non poterat, nec solvere verbum ELIÆ, quod prædixerat: *Non erit annis his ros, neque pluvia, nisi juxta oris mei verba*: ideò ostensâ tanto tempore ipsius Baal impotentia, tandem claruit eis DEI Israel magna potentia. Quoniam ELIAS tunc fusâ, in hoc monte Carmeli, ad DEUM Israel oratione, mox ab ipso abundantem pluviam illi populo obtinuit.

3. Reg. 17.

4. Reg. 1.

Præterea cùm ELIAS Ochoziæ regi Israel ægrotanti suos legatos remisisset, nuncians ei quod ideò meritò moreretur, quia spreto DEO Israel, moliebatur super sua infirmitate consulere Beelzebub Deum Accaron; Rex de hac destinatione nimiùm commotus, in ELIÆ necem spirans, ad eum in monte Carmeli principem quendam quinquagenarium misit cum quinquaginta viris, ut si sponte venire ad regem renueret, eum invitum ducerent. Princeps ergo ille, criminis regis particeps, cum suis quinquaginta in ELIAM bachans, eum sedentem in vertice Carmeli, *hominem Dei*, irrisoriè appellavit: cui & superbè præcepit, ut de monte descendens, ad regem veniret. ELIAS autem intelligens in sua persona DEUM verum per illos satellites inhonorari, ignem de cælo super montem Carmeli descendere fecit, qui principem illum cum suis quinquaginta devoravit. Cumque rex magis irâ accensus alium principem cum quinquaginta viris rursum misisset; ELIAS ut priùs ignem de cælo descendere fecit, qui eum cum suis quinquaginta in monte Carmeli combussit.

His itaque evidentissimis ignis & gladij judicijs monstravit ELIAS hominibus incredulis, quòd ille esset verus DEUS, quem ipse in monte Carmeli colebat, & non Baal, quem perfidus rex Achab, cum filijs Israel, adorabat; neque Beelzebub, ad quem, DEO vero spreto, sacrilegus rex Ochozias mittebat.

CAPVT XXI.

Eremitarum montis Carmeli in veteri ac novo Testamento pietas & perfectio.

Iterum præfertur mons Carmelus cæteris Palestinæ eremis, * *supra cap. 19.* Montis Carmeli venerationis ob causas Spiritualis disciplinæ, Congregationis montis *Carmeli*, *Ad Heb.* 11. Fontis Eliæ a Vitæ sigillatim in modicis tabernaculis, & speluncis, ac eremiticavernis, atque cellis, continuè & incessanter excoluerunt juxta fontem ELIÆ, ob ejus sanctitatem, & loci devotionem, ac majorem servandæ vitæ eremiticæ opportunitatem: ibique passionibus animæ viriliter resistentes, peremerunt nequitiam, a & bonorum actuum exercitatione secuti sunt cordis munditiam. b

QUoniam ergo ELIAS præ cæteris eremis in quibus habitavit, montem Carmeli, tanquam commodiorem ad plantandam in eo propheticam Religionem vitæ monasticæ, & melius docendam, & exercendam, *ut dictum est, elegit; quem etiam montem præfatis miraculis clarissimè decoravit, quibus DEUM Israel esse verum DEUM palam populo ostendit; & Baal tanquam falsum Deum reprobavit; ideò Eliseus & cæteri ELIÆ spirituales discipuli religiosi viri, filij prophetarum, nec non eorum, tam veteris, quàm novæ Legis, successores, Montem Carmeli in veneratione speciali semper habentes, ipsum alijs eremis, eorum Religioni commodis, prætulerunt. Et propterea in eremo dicti montis præcipuè, ad exemplum & imitationem illius sancti viri & solitarij ELIÆ Prophetæ, prædicti Religiosi secundùm formam per DEUM ELIÆ traditam, in justitia propheticæ vitæ monasticæ, Domino DEO Israel devota mente jugiter servierunt: ubi religiosam vitam solitariam

Qui ad ministeria se divina disponentes, omnibus contentionibus & certaminibus privati, cum silentio, in unanimitate & communione animorum, quotidiè ad c Semnion horis statutis reverentia Creatoris, quæ ad cultum pertinent Divinitatis, & ad justitiam regni cælestis. Quemadmodùm prædicta de eis, & de eorum loco, d Isaias Propheta in persona Domini vaticinatus fuit, dicens: *Habitabit in solitudine judicium, & justitia in Carmelo sedebit: Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Ubi vide quàm pulchrè describit Propheta per Ordinem bonam

non contendere operit animorum, quotidiè ad c Semnion horis statutis militia. convenerunt, celebrantes in pace, cum d timore & *c Semnion* *d* Alludo ad limum Philonis supra annotatum. e Isai. 32. Prophetia de Ordine Carmelitano.

bonam eorum vitam à posteris Monachis Carmelitis imitabilem.

Primò quidem, ipsi sigillatim habitantes soli in cellis montis Carmeli, *f* citabant quotidiè semetipsos ad judicium discernendi in propria mente, si cogitationes accusarent, vel defenderent eos de aliquo iniquo, id est, deviante à rectitudine divinæ justitiæ. Ideò prædixit Propheta, *Habitabit in solitudine g judicium.*

Secundò, dum testimonium illis reddebat conscientia de quocunque iniquo; exercebant ipsi officium *h Monachi*: quoniam *sedebat* inter eos *justitia in Carmelo*, quâ illud iniquum *tristes & soli* puniebant per veram pœnitentiam, & emendabant illico. Ob hoc prædixit Propheta: Et *justitia in Charmel sedebit.*

Tertiò, cùm nil iniquum reperiebant in viribus animæ expiandum, tunc *opus* quo ipsi cæteras vires animæ perfectè consocvabant in concordia cum recta ratione, erat interna *pax justitiæ*: idcircò prædixit Propheta, Et *erit opus justitiæ pax.*

Quartò, quia, teste Sapiente, *In multiloquio non deerit peccatum*: *qui autem custodit os suum, custodit animam suam*: ideò ipsi, ut essent securi à peccato, *colebant* assiduè justitiam silentio: propteèa dixit Propheta: *Et cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum.* De his autem omnibus, commendans eorum vitam, Dominus prædixit: *Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis*, interne scilicet; *& in tabernaculis fiduciæ*: de obtinenda scilicet jucunditate supernæ gloriæ, *& in requie* mentis *opulenta*; videlicet ex gustu, & contemplatione deliciarum procedentium de torrente voluptatis meæ.

Quia ergo dicti Monachi, ad exemplum ELIÆ, coluerunt jugiter in Carmelo justitiam vitæ monasticæ, propterea appellati sunt Carmelitæ, à monte scilicet Carmeli: cujus fuerunt incolæ secundùm modum prædictum, residentes ibi in justitia assiduè, sicut Propheta prædixit: *Justitia in Carmelo sedebit.* Sed & cæteri hujus Religionis Monachi habitantes alibi, cupiunt etiam ideircò Carmelitæ appellari, quia eorum Religio, & sancta conversatio, est ab illis viris derivata, & sumpta; qui modo prædicto sategerunt in monte Carmeli assiduè religiosam vitam Propheræ ELIÆ, & usque nunc satagunt, humiliter imitari. Omnes quippe hujus Religionis veri sectatores, tàm in monte Carmeli, quàm alibi habitantes, proficentur se humiliter sequi illam sanctam & prophetiticam justitiam vitæ monasticæ, quam Propheta DEI ELIAS servavit, & instituit; & quam esse sequendam ipse, secundùm formam à DEO sibi creditam, verbo pariter & exemplo discipulis suis tradidit, & in eremo montis Carmeli residendo docuit maximè, ac demonstravit.

f Conscientiæ examen. *Rom. 2.*

g Descriptio Eremitarum montis Carmeli deducta à vocabulo τῆς ἐρήμου, quod est apud 70.

h Officium Monachi, sui punitio. *Prov. 10.*

Prov. 13.

Carmelitæ dicti à loco habitationis.

Alij monachorum extra Carmelum item dicti *Carmelitæ.*

Carmelus habitatus etiam tempore Auctoris.

CAPVT XXII.

Nonnulla Filiorum Prophetarum Collegia sita in locis suburbanis.

Licet autem ELIAS & ELiseus, cum cæteris ejusdem propositi* religiosis viris, filijs Prophetarum, manerent præcipuè in eremis, † jubente tamen DEO, propter utilitatem sui populi, civitates & villas interdum frequentabant, miracula in populis operantes, & futura eis prædicentes, vitiaque hominum castigantes, & eos ad DEUM revocantes, atque ad suam propheticam Religionem multos attrahentes. ‖ Unde in suburbanis quarumdam civitatum, & villarum terræ promissionis, maximè autem in Galgala, & in Bethel, & in Hiericho, & in Samaria, habuerunt cuneos filiorum Prophetarum, virorum religiosorum; sicut legitur in libro Regnorum; apud quos manebant, dum in civitates & villas veniebant. Et illos de populo, quos ad suam prophetieam Religionem trahere poterant, primò quidem in his conventibus faciebant eruditi, & in disciplina prophetica, & in rudimentis religiosæ vitæ monasticæ; ut eos paulatim à conversatione urbium distraherent; quos postmodum ad eremos transferebant.

* Allusio ad ἀπόρους ἰυλαβείας, Act. c. 2.

† Ratio ob quam *Elias* ac *Eliseus.*

‖ civitates interdum frequentabant.

‖ Etiam Philo testatur *libro de Contemplatione*, Judæorum Monachos egisse in villis & suburbanis locis. Ascensus è Noviciatu, & ulteriore probatione, ad eremos.

His enim Monachis filijs Prophetarum habitantibus *in urbibus, postquàm erant in rudimentis disciplinæ propheticæ, & vitæ monasticæ, eruditi; videbantur urbes quasi carceres, & solitudo eis paradisus apparebat. Salutem ergo suæ perfectius providere curantes, monasticam ac prophetalem vitam longè ab urbibus ducere malebant in solitudine; quàm appetentes, ad eam secedebant nutu Prophetarum, qui eos regebant. Hinc in libro Regnorum legimus, hos finos Propheratum dixisse ad Eliseum, *Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis: eamus usque ad Jordanem, & singuli tollant de silva materias singulas, ut ædificemus ibi locum nobis ad habitandum.* Erant autem ipsi tunc ita multiplicati, quòd jam non valebant omnes in solitudine montis Carmeli commodè recipi: propter quod ad nutum Prophetarum per quos regebantur, eligebant sibi non solùm montem Carmeli, sed & alia, præter montem hunc, loca eremitica proposito suo & devotioni oportuna, & præcipuè illa, quæ per ELIAM, vel Eliseum fuerant portentis decorata. Quoniam igitur ELIAS & Eliseus in Jordanis flumine magnis claruerant miraculis; nam aquæ Jordanis pallio ELIÆ percussæ in duas partes fuerant bis divisæ, præbentes iter siccum Prophetis præfatis: & Naaman leprosus in Jordane lotus à lepra fuerat per ELISEUM mundatus, & sanitati restitutus; ideo aliqui horum monachorum, filiorum Prophetarum, devotione prædictorum miraculorum permoti, & aquarum opportunitate tracti, faciebant sibi tabernacula in solitudine propè fluenta Jordanis, prout eis dictabat Propheta DEI Eliseus. Quemadmodum in libro Regnorum legimus Eliseum dixisse eis, Ite: scilicet ad Jordanem. Et *ait unus ex illis: Veni ergo & tu cum servis tuis. Respondit, Ego veniam. Et abijit cum eis. Cumque venissent ad Jordanem, cædebant ligna*, pro tabernaculis sibi ibidem ædificandis.*

* *In urbibus* pro *In suburbanis*, dixit. 4. *Reg.* 6.

Solitudines quædam à Filijs Prophetarum inhabitatæ, ex devotione miraculorum in eis à suis Fundatoribus patratorum. 3. *Reg.* 20. 4. *Reg.* 5. Solitudo Jordanis habitatio Carmelitarum. 4. *Reg.* 6.

Quidam autem dictorum monachorum filiorum Prophetarum in monte Ephraim suam mansionem elegerunt. Horum meminebat Giezi famulus ELISEI, dum dicebat Naaman Syro: † *Dominus meus misit me ad te dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filijs Prophetarum.* Isti quidem segregantes se à turbis, quas videbant colere vitulum aureum; quem Jeroboam posuerat ad adorandum in Bethel, secesserunt nutu Eliseï in solitudinem montis Ephraim, ne possent exemplo populi idololatriâ infici, sed vacarent in solitudine libetiùs divino cultui. Ab his itaque memoratis viris, filijs Prophetarum inolevit, quòd pletique nostri generis monachi, non solùm in monte Carmeli, sed in diversis solitudinibus terræ promissionis, sunt in disciplina Prophetica vitæ tempore

Mons quoque Ephraim habitatio eorundem monachorum.

† 4. *Reg.* 5

Loquitur auctor de suo item tempore

monasticæ, ad imitationem eorum, laudabiliter conversati.

Aliàs posterior pars cap. XXII.

CAPVT XXIII.

Cur Eremitæ Carmelitani interdum Anachoretæ nominati?

*Inde partem Regulæ mutuatus est S. Albertus de cogitationibus sanctis, & armis justitiæ.

PRædicti autem Monachi à plerisque fuerunt *Anachoretæ* idcirco appellati; quia corda sua angentes jejuniorum inedijs & cæteris corporis angustijs, non timuerunt, ut dictum est, ab imitatione ELIÆ incessanter & continuè penetrare vastos *secessus* solitudinis montis Carmeli, & aliarum eremorum terræ promissionis: ubi cogitationibus sanctis, *& intensione orationum, ac cæteris armis justitiæ muniti, non solùm occultas diaboli insidias vincebant; sed & apertos conflictus dæmonum calcantes, tanto conatu mentes suas, ad exemplum ELIÆ Principis eorum, sursùm in DEI contemplationem elevabant, * ut in cælestibus choris putarentur translati, & *revelatâ facie gloriam DEI speculari*, perfruentes colloquio DEI, cui puris mentibus inhærebant.

*Hyperbole. 2. Cor. 3.

Aliàs cap XXIII.

CAPVT XXIV.

Propheta Dei ELIAS in paradisum translatus, olim rediturus.

LEgitimè itaque ELIAS administratâ Religione per eum institutâ, agnovit per divinam revelationem, quòd DEUS volebat eum ab hoc mundo elevare per turbinem ignis in paradisum voluptatis. Pergens ergo ad locum undè assumendus erat in cælum: profectus est cum Eliseo ejus discipulo ad Jordanem, quem ELIAS pallio suo involuto percussit: &, sicut sacra libri Regnorum tradit historia, divisæ tunc fuerunt aquæ Jordanis in duas partes, cedentes illis DEI viris; qui transierunt per siccum alveum fluminis. Cumque pariter incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei eis apparuerunt, qui utrumque ab invicem diviserunt: quoniam remanente Eliseo in terra, ELIAS *receptus in curru equorum igneorum*, ascendit *per turbinem* ignis *in cælum*, id est, in paradisum voluptatis: qui, longo maris & terræ tractu à nostra habitabili secretus, adeò * est editus, ut penè usque ad cælum attingat. In quo loco unà cum Enoch, qui longè antè illic ELIAM præcesserat, vivet ipse ELIAS in magna quiete carnis & spiritus, usque ad tempus Antichristi: sed tunc in hunc mundum revertetur: quemadmodum testatur Dominus, dicens: ELIAS *quidem venturus est, & restituet omnia.*

4. Reg. 2.

Eccli. 48. 4. Reg. 2.

*Opinio de paradisi situ antiquata.

Matth. 17

Aliàs posterior pars cap. XXIII.

CAPVT XXV.

Successio Prophetæ Domini Elisei in spiritu & prælatura S. ELIÆ.

PRiusquam autem ELIAS de hoc mundo transferretur in paradisum voluptatis, fuit ei curæ, suâ imminente translatione, monachos discipulos suos, filios Prophetarum sigillatim visitare, & de patre idoneo eis providere; qui eos omnes generaliter loco ejus regeret & gubernaret. Propter quod descendentes ipse & Eliseus de monte Carmeli, venerunt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & deinde in Jericho. Nam, sicut prædiximus, in his locis habitabant viri religiosi filij Prophetarum, ELIÆ discipuli, quos ipse visitans commonuit, ut in proposito disciplinæ propheticæ & vitæ monasticæ perseverarent, & ut de imminenti ejus corporali absentia tristes non fierent. Quibus visitatis valefaciens, perrexit cum Eliseo ad Jordanem.

Sequebantur autem eos quinquaginta viri de filijs Propheterarum, qui steterunt è contra longè, quando ELIAS & Eliseus Jordanem transibant pede sicco. Quo pertransito, dixit ELIAS ad Eliseum: *Postula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te.* Habebat autem ELIAS duplicem Domini spiritum, videl. spiritum occulta, præsertim futura, prophetandi, & spiritum miracula faciendi. Quorum spirituum non unum solùm, sed duplicem prædictum postulans Eliseus, dixit: *Obsecro, ut fiat spiritus tuus duplex in me.* Prædixerat autem DEUS ELIÆ, dum manebat in monte Oreb in ostio speluncæ: *Eliseum filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges Prophetam pro te.* Per quæ Domini verba intellexerat ELIAS, non quidem quòd Eliseus esset ei successurus in spiritu signorum; sed solùm quòd post translationem ejus ab hoc mundo, esset ei Eliseus successurus in altero spiritu, scil. propheticò. Propter quod Eliseo, petenti suum duplicem spiritum, respondit: *Rem difficilem postulasti*: perpendens tamen à DEO, quòd si Eliseus esset dignus videre modum illum arcanum & mirabilem, quo DEUS sublevaret eum in cælum, impetraret quod ab eo postulaverat, confestim adjecit: *Veruntamen si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti.* Et quia Eliseus vidit eum tolli à se, idcò quod ab eo postulaverat obtinuit, succedens ELIÆ tam in spiritu signorum, quàm in spiritu prophetiæ, quemadmodum Sapiens testatur, dicens: ELIAS *in turbine tectus est, & in Eliseo completus est spiritus ejus.*

4. Reg. 2.

Eccli. 48.

Videns itaque ELIAS discipulum suum Eliseum suo spiritu plenum, novit à DEO eum factum perfectè idoneum ad regendum suos discipulos filios Propheterum: propter quod totius Religionis per eum institutæ commisit tunc sibi regimen & magisterium. Et in hujus signum tradidit tunc Eliseo suum insignem * Religionis habitum, relinquens ei pallium suum, dum ferebatur in cælum. Quo Eliseus se operiens abjecit à se vestimenta sua, in duas partes scindens ea, ut filij Prophetarum videntes eum habitu ELIÆ indutum, agnoscerent eum spiritu ELIÆ repletum, & sic reciperent eum promptiùs pro ELIA in Patrem eorum & magistrum. Et rediens indè percussit bis pallio ELIÆ Jordanem, videntibus viris religiosis, filijs Propheterum, qui è contra erant ejus regressum exspectantes. Et cum vice primâ non fuissent divisæ aquæ, in secunda tamen vice, divisis hinc inde aquis Jordanis, transijt Eliseus per siccum alveum fluminis.

*Fortitan insig-ne.

*Eliseus Pater & Magister Filiorum Prophetarum.

Cernentes ergo filij Propheterum, Jordanem miraculosè cessisse Eliseo, agnoverunt eum succedere ELIÆ in duplici spiritu prædicto. Propter quod ad invicem dixerunt: *Requievit spiritus ELIÆ super Eliseum. Et venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram*, recipientes eum pro ELIA in præcipuum eorum Patrem & magistrum, quem videbant habitu ELIÆ & spiritu dotatum. Præbuerunt autem ex hoc actu formam suis successoribus, ut quando ab eis erit ablatus Pater eorum præcipuus, illum loco ejus in Patrem humiliter suscipiant, qui exemplo Elisei erit ad eos per signa & prodigia à DEO missus. Signis verò non appa-

4. Reg. 2.

Praxis eligendi Superiorem tempore etiam Auctoris

apparentibus, omni sollicitudine unanimiter studeant illum ex eis in Patrem super se ponere, qui præcedat cæteros in spiritu & virtute ELIÆ, sicut Eliseus hos viros præcedebat, qui eum receperunt in Patrem super se.

Aliàs cap xxiv.

CAPVT XXVI.

Miracula quædam S. ELISEI, ipsiusque paterna sollicitudo pro commissis sibi filijs.

SVscepto itaque ELISEUS regimine propheticæ Religionis per ELIAM institutæ, sollicitus fuit cuneos monachorum, filiorum Prophetarum sigillatim visitare: quòd cupiens consolari, de absentia ELIÆ, operabatur coram eis signa & virtutes: tum, ne in vacuum videretur gratiam DEI recepisse; tum, ut per hoc eis ostenderet se gerere vices ELIÆ; tum etiam, ut sic eos solidaret in perseverantia vitæ monasticæ. Nam cum esset apud monachos, filios prophetarum habitantes in Iericho, *a* eis cernentibus dulcoravit Eliseus ad petitionem virorum Iericho amaras aquas civitatis, mittendo sal in aquam fontis. *b*

Miracula coram Filijs prophetarum.

a Distinguit viros Jericho, à Filijs Prophetarum.

b 4. Reg. 2 ibidem.

Cum autem indè ascenderet ad visitandos filios prophetarum habitantes in Bethel, viri civitatis illius, qui erant idololatræ, habebant ipsum propterea exosum, quia erat cultor veri DEI: in cujus contemptum provocaverunt tunc pueros eorum parvos, ut deriderent Eliseum. *Et egressi pueri de civitate, illudebant ei dicentes: Ascende calve, ascende calve. Eliseus autem* per hoc intelligens DEUM verum, cujus cultor erat, flocci pendi à viris civitatis, *cùm respexisset pueros, maledixit eis in nomine Domini*: ut sic magnificaret in civitate nomen veri DEI, quem contemnebant illi. *Et mox egressi de saltu duo ursi, laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros*: quod scientes viri civitatis timuerunt valde nomen DEI Elisei. Filij verò Prophetarum illic commorantes, viso hoc signo, cum gaudio & honore receperunt *c* Eliseum in Patrem eorum & magistrum. *d Abijt* autem *inde* Eliseus *in montem Carmeli*, *e* visitans & consolans filios prophetarum habitantes ibi; apud quos tunc non diu mansit: quia desiderabat priùs cæteros filios prophetarum visitare, & tandem in montem Carmeli redire. *f*

c Eliseus Pater ac Magister filiorum Prophetarum.

d 4. Reg. 2

e Visitat Filios Prophetarum in monte Carmelo

f 4. Reg. 4.

Pergens ergo indè *g* Samariam, visitavit filios prophetarum illic habitantes: ubi relictam prophetæ *h* Abdiæ oppressam alieno ære, propter alimoniam quam fecerat Abdias centum *i* ELIÆ discipulis, quos absconsos servaverat in speluncis, *k* Eliseus à debito relevavit, & victum sibi, & suis filiis ministravit, multiplicans miraculosè in magnam quantitatem parum olei, in domo mulieris inventi: quod ipsa vendens, & creditori satisfecit, & de reliquo pretij victum sibi & filiis suis procuravit.

g Itemque visitat apud Samariã.

h Josephus *libro nono Antiquitatum Judaicarum* c. 2 Theodoretus in *Commentario*, & ibi alij.

i 3. Reg. 18

k 4. Reg. 4

l ibidem.

Rediens ergo indè *l* Eliseus in montem Carmeli, transiit per civitatem Sunam; ubi erat mulier quædam magna, ad quam *m* Eliseus diverte-bat, quoties per Sunam transibat: quem mulier prædicta in suo hospitio honestè recipiebat, in quo cœnaculum sibi fecerat, & ei decenter de suis facultatibus ministrabat. Quæ cum filio careret, eò quòd haberet virum ineptum ad generandum, propter senium, promisit sibi Eliseus in remunerationem dictæ hospitalitatis, quod filium de viro suo conciperet, & haberet. Et cum ita ei evenisset, contigit processu temporis quòd postquam puer creverat, mortuus fuit. Indicavit ergo mulier viro suo, se velle ad Eliseum ascendere in Carmelum. Cui vir nesciens filium esse mortuum dixit: *Quam ob causam vadis ad eum: hodiè non sunt Kalendæ, nec Sabbatum*; quasi dicere vellet: si hodiè esset festum, causam haberes ascendendi ad eum.

l 4. Reg. 4.

Consueverant siquidem devotæ personæ, benedictionem secùm victualium afferentes, visitare diebus festis Eliseum, & cæteros monachos montis Carmeli: præcipuè autem devotione audiendi ab Eliseo, & ab alijs prophetis, verbum DEI. Cùm ergo venisset mulier illa ad Eliseum in montem Carmeli, corruens apprehendit pedes ejus, & dixit ei: *Nunquid petivi filium à te? Nunquid non dixi, ne illudas mei?* Illusam se reputabat, eò quòd filium, quem sine ejus petitione sibi Eliseus à DEO impetraverat, ità citò perdidisset. Cernens autem Eliseus eam in amaritudine magna positam, surgens secutus est eam in domum suam, & ingressus in cubiculum, ubi puer mortuus jacebat, fusâ ad DEUM oratione, suscitavit à mortuis puerum. Quem cum matri assignasset vivum, illa corruens ad pedes Elisei adoravit super terram, gratias reddens DEO & Eliseo. Per hæc itaque prædicta signa, & plura alia, manifestavit Eliseus religiosis vitis filijs Prophetarum ELIÆ discipulis duplicem ELIÆ spiritum esse in eo completum: & propterea prædicti omnes monachi receperunt eum pro ELIA in Patrem eorum præcipuum & magistrũ.

Monasteria frequentata audiendi verbi Dei causa. *Ibidem.*

Aliàs cap xxv.

CAPVT XXVII.

Admirabile institutum Rechabitarum ex imitatione instituti *Filiorum Prophetarum.*

ELISEUS etiam per signa & virtutes, quæ operabatur inter plebes, trahebat ad suam propheticam Religionem multos devotos homines. Inde est, quod vir Dei Jonadab filius Rechab, sciens Eliseum à mortuis resuscitasse Sunamitis filium, tractus fuit per hoc ad sequendum in prophetica disciplina vitæ monasticæ prophetam illum. Cinæi verò progenitores Rechab hominis Dei, qui ab inclyto Jabes legis doctore fuerant profundè in lege DEI eruditi, suos posteros legem DEI canere, & laudes ejus resonare docuerunt. Jonadab autem in his omnibus plenè instructus, ad majorem perfectionis cumulum, fuit, ut præmittitur, Eliseum Prophetam in monastica vita eremitica imitatus. Et quamvis in virginali castitate Eliseum sequutus non fuerit, volens propter fragilitatem carnis tàm se quàm suos uti conjugio, & prolem ad cultum DEI licitè procreare; tamen exemplo *Elisei, relictis omnibus extra urbes, cum Cinæis ab eo descendentibus, in tabernaculis habitavit: de quibus in libro Paralipomenon legimus: *Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore*, hoc est, de fervore vitæ religiosę, *domus Rechab, canentes atque resonantes, & in tabernaculo commorantes.*

Cinæi eruditi in lege Dei. *Jud.* 4. Fuit ex ven. pro, *sic*, quod erat in ms. Gãd.

* *Procreare*, elegimus ex Ven. pro *procurare*, quod habet ms Gand. Differentiã fecit ortographica cõtractio. 1. *Paral.* 2. 3. B. Hieronymus, & noster, Palæstin, aliam legerunt, 70. editionem librorum Paralip. ab ea quę nunc habetur.

* Cinæi itaque ab hoc Rechab descendentes, & cum Jonadab filio ejus Religionem Elisei eremiticam sequentes, dicti fuerunt Rechabitæ: quorum pater, scil. *Jonadab*, per Eliseum Prophetam in disciplina prophetica monasticæ vitæ eremiticæ benè edoctus, *injunxit* ipsis Rechabitis, & cunctis ejusdem propositi per affinitatem eis conjunctis, cætera præter continentiam in institutione Elisei consulta: ut videlicet † *Patri* eorum semper *obedirent*, † Hier. 35

* Quinâ Cinæorum priè Rechabitæ.

vent, & vinum in sempiternum non biberent, & domos non ædificarent, & sementem non sererent, & agros non possiderent, & vineas non plantarent nec haberent; sed in solitudine extra urbes *cunctis diebus in tabernaculis habitarent:* prout hæc, & alia, de ipsis plenius testatur Jeremias propheta.

Aliàs cap xxv.

CAPVT XXVIII.

Elisæus dulces reddit colocynthidas, ac panem multiplicat coram Filijs Prophetarum, juxta vitam verè communem.

DEnique ELISEUS summa cum diligentia creditos sibi monachos Filios Prophetarum regebat, quos suo exemplo & magisterio inducebat, propter regnum DEI meliùs consequendum, ad perfectionem inquirendam, secundùm formam disciplinæ vitæ monasticæ per DEUM traditam ELIÆ. Quibus etiam de crastino non sollicitis providebat in vitæ necessarijs, non solum per humanam industriam, imò interdum miraculosè supra naturalem potentiam. Legimus namque in 4. *Reg.* 4. libro Regnorum, quòd cùm esset fames in terra, & dicti filij Prophetarum habitarent coram Elisæo, compatiens ipse fami eorum, dixit quâdam vice uni de famulis suis: *Pone ollam grandem, & coque pulmentum Filijs Prophetarum. Egressus ille, ut colligeret herbas agrestes, inveniens quasi vitem silvestrem, collegit ex ea colocynthidas implens pallium suum, & nesciens quid esset, concidit in ollam pulmenti. Infuderunt ergo sociis, ut comederent. Cumque gustassent* Filij Prophetarum *de coctione* hac, *clamaverunt* ad Elisæum, *dicentes: Mors in olla vir Dei.* Mortiferum enim erat præ amaritudine colocynthidarum illud pulmentum. Non fuit autem Elisæus iratus coquo, lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat: sed dixit eis: *Afferte farinam. Et cum attulissent* sibi, *misit in ollam:* & statim dulcorata fuit esca, fugatâ omni amaritudine ab ea. Jussit ergo Elisæus iterum infundi Filijs Prophetarum, qui tunc de ea dulcifacta lautè comederunt.

Refectorium commune Monachorum.

4. *Reg.* 4. Alterâ quoque vice, cùm *vir quidam* ex devotione attulisset *de Baalsalisa* Elisæo *panes primitivos*, videlicet *viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera sua*; dixit Elisæus ministro suo, ut daret Filijs Prophetarum ad comedendum. Qui respondit: *Quantum est hoc, ut apponam coram centum viris?* Quasi diceret, Parum, aut nihil erit inter tantos. Cui dixit Elisæus, da eis: quoniam comedent, & supererit. *Posuit* itaque *coram eis, qui comederunt, & eis satiatis, superfuit juxta verbum* Elisæi, multiplicantis miraculosè prædictos panes, sine aliqua exterinseca additione. Decebat quippe, ut *hac omnia adjicientur eis, non sollicitu* indebitè *quid manducarent, aut quid biberent, aut quo operirentur:* quoniam *primùm* & ante omnia *quærebant regnum DEI & justitiam ejus; projicientes omnem sollicitudinem* suam in DEUM, *cui cura est de* hominibus.

Nullæ ibi mulieres.

Matth. 5.

1. *Petri* 5

CAPVT XXIX.

Aliàs cap xxvi.

Carmelitæ liberi manent à communi captivitate Israelitarum.

QUoniam ergo prædicti Monachi, dum regebantur per Elisæum, & etiam post ejus decessum, quærebant ex toris eorum præceptis DEI regnum; pro quo faciùs consequendo, terrenas divitias & carnales delicias respuebant, humanaque consortia, & turbarum tumultus vitabant; ideo præservavit eos DEUS à captivitatibus, ad quas ante incarnationem Christi JESU induxit populum Judæorum, propter peccata eorum. Quod tamen ad majorem Judaici populi cessit confusionem, ut ipse in fortissimis civitatibus & munitis salvari non posse; cum monachi Carmelitæ in aperta montis Carmeli eremo, & non munita, ab insultibus Assyriorum, & exercitus Chaldaici, per DEUM tunc protegerentur. Sed causa hujus diversitatis fuit, ex parte quidem illius populi, legis divinæ prævaricatio: è contra verò ex parte dictorum monachorum, ejusdem legis observatio.

Quod totum benè significavit propheta DEI Isaias, dum in persona Domini captivitatem, & terræ dissipationem, populo Judæorum venturam vaticinaretur, ita inter cætera dicens: *Plangite super regione desiderabili, super vinea fertili: super humum populi mei spinæ & vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudij civitatis exultantis? Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est.* Et paulò pòst de Monachis Carmelitis illius temporis contrariam sententiam subdens Propheta, in persona Domini, ait: *Et erit desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur. Et habitabit in solitudine judicium, & justitia in Charmel sedebit. Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Licet namque temporibus Judaicarum captivitatum *esset desertum in Carmelo, ita quòd Carmelus non in munitionem, vel ædificium, sed in saltum verè reputabatur; populus tamen monachorum illic habitantium faciebat in solitudine illa judicium DEI, & servabat in carmelo justitiam cælestis regni: sicut Propheta prædixerat. Habitabit,* inquit, *in solitudine judicium, & justitia in Carmelo sedebit.* Cujus *justitiæ opus* erat *pax,* qua ab invicem perimebant bellum: Et *cultus* prædictæ *justitiæ* erat *silentium,* quo in ore vitabant multiloquium. *Cultus* quoque dictæ *justitiæ* erat *securitas,* quâ à corde fugabant inimicorum metum.

Isaiæ 32.

Ibidem.

* Verè tendom erat ipse Carmelus

est totus desertum.

Operaju-

stitiæ pax,

silentium,

& securi-

tas.

Quippe monachi illi ita erant ad invicem per pacem dispositi, quòd inter eos nullum erat bellum. Et sic erant in ore per silentium muniti, quòd inter eos nullum erat multiloquium. Et ita erant in corde quieti & securi, quòd cor eorum non reprehendebat eos ante DEUM. Ideò *confidentes* in DEO eos protegente, cujus beneplacita faciebant semper, nullum habebant de inimicis metum. Teste enim Sapiente, *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Quia ergo ipsi studebant DEO per justitiam placere; ideò protexit eos DEUS à timore & insultibus inimicorum, & à captivitatibus Judæorum, sicut promiserat, dicens: *Sedebit populus meus * in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* scilicet virtutibus & pascuis doctrinæ ve-

Sept. *in habitaculis confidentes.*

Prover. 16 aliàs 15.

* Meliùs ad mentem auctoris, quàm est versio 70.

ræ

tæ Religionis uberibus: quemadmodum Michæas propheta concludendo terram Judæorum fore propter peccata eorum desolandam, dicens: *Terra erit in desolationem propter habitatores suos, & fructum cogitationum eorum*: subdit aliter de his monachis, inquiens: *Pasce Domine populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu: in medio Carmeli, pascentur Basan & Galaad juxta dies antiquos.* Ubi Propheta primò orat DEUM, ne populus monachorum montis Carmeli concludatur simili sententiâ desolationis cum Judæis: sed pascatur ut priùs doctrina * Religionis per DEUM sub virga, id est, regula suæ directionis: ideò ait, *Pasce Domine populum tuum in virga tua*, de qua Psalmista, *Virga directionis, virga regni tui.* Ne autem Propheta videretur pro toto populo Judaico orare, specificat hunc solum, dicens, *Gregem hereditatis tuæ habitantes solos in saltu*: scilicet Carmeli.

Secundò prævidens Michæas se esse exauditum, prophetat venturum quod oraverat, dicens: *In medio Carmeli pascentur Basan & Galaad.* *Intellexit autem per *Basan* & *Galaad* hos monachos montis Carmeli: tum primò, quia quam plures eorum erant tunc de regionibus *Galaad* & *Basan* oriundi: tum secundò, quia *Basan* interpretatur *pinguis*: & cœtus horum Religiosorum * fiebat *in medio Carmeli* pinguis pascuis divinis, scil. doctrinis veræ Religionis. *Galaad* quoque interpretatur *acervus testimonij*, & DEUS cœtum horum monachorum acervavit in medio Carmeli, in testimonium contra populum Judæorum; ut intelligeret populus, quòd propter prævaricationem Legis divinæ fuerit captivatus, & terra eorum desolata; cùm hi Religiosi, quia servaverunt legem DEI remanserint liberi in terra illa, *in medio Carmeli.* Deinde exponit Propheta qualiter *in medio Carmeli* * pascerentur, dicens: *Juxta dies antiquos*: in quibus, sc. sub *virga directionis regni Dei*, † pascebantur ab ELIA in monte Carmeli, doctrinâ prophetica vitæ monasticæ, secundùm formam institutionis hujus Religionis per DEUM creditam ELIÆ.

Pascentur, passivè, Videtur legendum, *Pascent* activè, *Rectè dicit, *Religionis*, quia præcedit in Prophetâ.

*Peryit pius de terra. *Psal. 44.* *Michæa 7.* * Verti debuerat *Basanitis & Galaaditis*, secundum 70. ac conformiter. *Intellexit autem per Basanitin, & Galaaditin.* *Fiebat pinguis, i. pascebatur.* *Pascerentur passivè, ergò in textu, *Pascent*, activè, *Psal. 44.* † Iterum passivè. Aliàs cap xxvii.

CAPVT XXX.

Rechabitæ item ab hostibus Chaldaicis liberi dimissi.

MOnachi etiam Rechabitæ quamvis essent in Hierusalem recluſi, dum exercitus Chaldaicus Jerusalem & ceteram terram Juda devastavit, ipsi tamen non fuerunt cum reliquo populo Judæorum in Babylonem translati; sed in terra promissionis derelicti; sicut & monachi Carmelitæ prædicti. Quoniam Nabuzardan princeps exercitus regis Nabuchodonosor, dum prædictam captivitatem Judæorum in Babylonem transferret, hos monachos Rechabitas cum Hieremia Prophetâ liberos abire concessit: quemadmodum Hieremias & populi captivitatem, & Rechabitarum liberationem, prophetaverat in persona Domini, dicens: *Firmaverunt filij Jonadab filij Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis: populus autem iste non obedivit mihi. Idcirò hæc dicit Dominus exercituum, DEUS Israel*: *Ecce ego adducam super Judam & Jerusalem universam afflictionem, quam locutus sum adversùm illos, eò quòd locutus sum ad illos, & non audierunt. Vocans illos & non respondernnt mihi. Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias: Pro eo quòd obedistis præcepto Jonadab patris vestri, & custodistis omnia mandata ejus, & fecistis universa quæ præcepit vobis, propterea dicit Dominus exercituum, DEUS Israel: Non deficiet vir de stirpe Jonadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.*

Jerem. 35 *Ibidem.*

Intellexit autem DEUS per *virum de stirpe Jonadab*, non quidem principaliter carnalem ipsius Jonadab generationem, sed potiùs Religionis nostræ eremiticæ genus. Neque enim filij carnales ipsius Jonadab, aut ab eis geniti, sed solùm monachi in hac Religione eremitica eis succedentes, steterunt in conspectu DEI cunctis diebus: quamvis carnalis stirps Rechabitarum perduraverit usque in ruinam civitatis Jerusalem, à Tito & Vespasiano patratam. Nam dum beatum Jacobum Alphæi, qui paulò ante ruinam prædictæ civitatis decessit, Judæi in dicta urbe lapidibus obruerunt; * sacerdos quidam ex his Rechabitis, nitebatur eum à morte eruere. Quoniam Apostolus Jacobus nunquam bibit vinum, & alias abstinentias grandes, similes Rechabitarum observantijs sequutus fuit.

Patris, *nomen* Jonadab toti posteritati suæ imposuit pro tissimè spirituali: Ex Hegesippo. *Hegesippus l. 5.* Rechabitæ etiam ex aliis tribubus. Aliàs cap xxviii.

CAPVT XXXI.

Monachi Carmelitæ Christiani ejusdem Religionis sunt cum Monachis in veteri Lege ab ELIA in Carmelo institutis.

INtuentes quidam viri, monachos montem Carmeli nunc habitantes esse Christianos; putaverunt, ut asseris, dilecte Caprasi, eos non esse ejusdem Religionis cum illis Monachis, qui olim per sanctum Prophetam DEI ELIAM fuerunt in eodem monte instituti: pro eo, quia illi non fuerunt Christiani, sed Judæi. Quàm autem erroneè istorum virorum opinio à veritate devieat, ex sequentibus manifestum tibi fiet. Antiqui namque hujus montis monachi, etsi non nomine, tamen rectà fide fuerunt Christiani veri, sicut sunt monachi moderni: quoniam illi fidem firmam in Christum habuerunt, à quo & animarum salutem speraverunt, pro qua consequenda mundum reliquerunt, & corpora ac animas suas DEO obtulerunt: de quibus Apostolus sic ait: *Circumierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati & afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis & in cavernis terræ: & hi omnes testimonio fidei probati fuerunt.* Si ergo teste Apostolo, *illi fuerunt probati testimonio fidei*; quis non videat, quòd ipsi non perfidi, quales sunt moderni Iudæi, sed veri fuerunt orthodoxi? Quorum tempore si Dominus noster Jesus Christus, quem cupiebant videre, & audire, venisset in hunc mundū, sicut in nostris venit tēporibus, non minùs facti fuissent, non solùm fide, sed & nomine Christiani, ejus doctrinam & Sacramenta suscipiendo, quàm sunt eorum successores. De illis enim Salvator noster loquens discipulis suis ait: *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ, & Iusti, cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.*

Idem argumentum inter Latinos tractat & definit B. Augustinus *lib. 3. contra 2. Epistolas Pelagianorum*

Hebr. 11.

Nomen, *moderni*, redolet aliquam primorum temporum vicinitatem, sicut & infra, *nostris temporibus.*

Matth. 13.

Sed quamvis Sacramenta gratiæ, quæ nos his diebus videmus in remissionem peccatorum à Christo Jesu instituta, illi non viderunt; & licet dogmata & miracula, quæ ad salutem animarum & confirmationem fidei diebus nostris audimus à Domino Jesu dicta & facta, illi non audierunt; hæc tamen omnia ipsi suis successoribus vaticinati fuerunt: Quemadmodum enim ait P. Petrus Apostolus: *Omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annunciaverunt dies istos.* Quāobrem nō est

Sacramenta gratiæ Christus ipse instituit.

Actor. 3.

existimandum successores illorum ad Religionem eorum ideò non pertinere, quia sunt Christiani; sed multo magis esset arbitrandum ipsos successores nihil religioni eorum attinere, si Christianitatis ritum ad animarum salutem consequendam non suscepissent; sicut eis illi Prophetæ vaticinati fuerant. Teste enim beato Petro Apostolo, *de animarum salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetaverunt, scrutantes quod vel quale tempus significaret eis spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias, quibus revelatum est, quia non sibi ipsis, nobis autem ministrabant ea, quæ nunc nunciata sunt.*

1. Petri 1.

Aliàs posterior pars cap. XXVIII.

CAPVT XXXII.

S. Ioannes Baptista monachus instituti S. ELIÆ.

SUccessores ergo illorum sanctorum Prophetarum, monachi filij Prophetarum, qui sicut dictum est, in eremo montis Carmeli, & in solitudinibus propè fluenta Jordanis, ac in alijs desertis, & in urbibus terræ promissionis habitabant, ab ipsis Prophetis incunctanter traditum, ut præmittitur,* tenebant, Christum pro humani generis redemptione incarnandum, moriturum, & gloriosè resurrecturum: quem ex totis eorum præcordijs desiderabant, & sperabant venturum. Quos sicut DEUS per ELIAM, & cæteros ejusdem propositi Prophetas, instruere de adventu Christi futuro dignatus fuit; ita etiam, ut de præsentia Christi in mundo per ejus Præcursorem eos doceret, disposuit, quòd prædictus præcursor sic ante JESUM Christum in spiritu & virtute ELIÆ præcederet, ut jam in sua pueritia monasticam eorum vitam eremiticam ab ELIA Propheta institutam assumeret: Quod nec Evangelista Lucas silet, de ipso præcursore dicēs: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in deserto.* Notanter autem ait Lucas, *In deserto*: quia Joannes tàm in desertis solitudinis Jordanis, sicut filij Prophetarum, quam in deserts montium latuit; sicut ELIAS & Eliseus.

* Filiorum Prophetarum distincta fides de mysterijs Christi.

Luc. 1.

Cùm ergo venit sacri plenitudo temporis, fuit ad dictos monachos in desertis missus *homo ille à DEO, cui nomen erat Joannes*: scil. Baptista, monasticæ vitæ eremiticæ, ab ELIA institutæ, cultor eximius. Ambo enim tàm ELIAS, quàm Joannes, fuerunt indumentis hispidis vestiti, luxu casti, victu frugi, conversatione solitarij, & deserta jugiter secuti. Fuerunt etiam electi per DEUM præcursores Christi: Joannes quidem adventus primi; ELIAS verò ultimi: dicente Domino: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.* Et propterea Sacerdotes & Levitæ ab Hierosolymis per Judæos ad Joannem missi, intuentes eum in omnibus, conversationem monasticæ vitæ eremiticæ, ELIÆ præcipuè, sequi, quærebant ab eo, si ipse erat ELIAS. Quoniam, sicut Angelus Gabriel de eo prædixerat, *venit ipse in spiritu, & virtute Eliæ*: ad exemplum cujus domo sui patris, & terrenis opibus derelictis, conversatus fuit jugiter in desertis, & ad instar illius vinum & siceram non bibens, habuit ad imitationem ejus vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, ut testatur Matthæus Evangelista. Ideò Christus, sciens Joannem expressam monasticæ vitæ Prophetæ ELIÆ imaginem gerere, dixit de eo turbis: *Si vultis accipere, ipse est Elias.*

Joan. 1.

Matth. 17

Joan. 1.

Matth. 3.

Matth. 11

Aliàs cap. XXX.

CAPVT XXXIII.

Monachi Eliani à Ioanne baptizati, ab eodem docentur de Baptismo Christi in spiritu.

HIc Joannes *venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de Lumine, ut omnes crederent per illum. Præivit enim ante faciem Domini parare vias ejus. Anno siquidem quindecimo imperij Tiberij Cæsaris, factum fuit verbum Domini super Joannem,* habitantem *in deserto,* juxta fluenta Jordanis, ubi prædicti Religiosi Filij Prophetarum manebant. *Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Tunc, sicuti testantur Evangelistæ, *exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.* Propterea Religiosi Filij Prophetarum montis Carmeli, & alij in tabernaculis propè fluenta Jordanis, & in cæteris eremis terræ promissionis habitantes, fuerunt tunc à sancto Joanne duce eorum, sicut & cæteri de populo baptizati. Præparabantur autem ipsi per hoc ad unigenitum DEI Filium dignè cognoscendum, qui tunc inter homines ignotus conversabatur: sicut ipse Baptista palàm revelavit tunc Judæis, dicens: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis: ipse est, qui post me venturus est, & ante me factus est; cujus non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus.*

Joan. 1.

Matth. 3.

Marci 1.

Luc. 3.

S. Joan. Baptista dux Monachorum monist Carmeli, cæterarumque eremorum.

Cum ergo prædicti Religiosi voce præconis intellexissent unigenitum DEI Filium esse præsentem in mundo, quem ex totis eorum præcordijs cupiebant videre, & à cæteris hominibus discernere, proposuerunt Baptistæ inseparabiliter assistere; scientes in ejus baptismo DEI filium esse manifestandum: sicut ipse Baptista testabatur, dicens, *Ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* Quemadmodum autem JESUM absentem Joannes eis evangelizaverat, ita postmodùm ipsum præsentem eis manifestavit. Venit enim JESUS à Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.

Joan. 1.

Videns autem Joannes JESUM venientem ad se, indice eum omnibus prodens, ait: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi, Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.* Ut autem hoc Præcursoris testimonium credibilius redderetur, baptizato JESU à Joanne *confestim aperti sunt cæli, & descendit Spiritus sanctus corporali specie in ipsum*: tanquàm digito quodam fidei omnibus demonstraret, hunc esse illum, qui eis à Joanne in baptismo manifestandus, prædicabatur.

Ibidem.

Luca 3.

Denique hunc, super quem colum ba mansit, verum esse DEI Filium, vox Patris de cælo tunc facta eos etiam docuit, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quamobrem Baptista, testimonium iterum perhibens Christo, extollebat ejus Baptismum dicens: *Vidi spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & manentem super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Ne itaque prædicti Religiosi spem salutis ponerent in Præcursoris Baptismo, ipse perfectiori Baptismo, scilicet Christi, eos fore baptizandos prophetaverat, dicens eis: *Ego baptizavi vos in aqua; ille verò* scilicet Christus, *baptizabit vos in Spiritu sancto & igne.* Quanquam, ut Joannes Evangelista testatur, JESUS non baptizaret, sed discipuli ejus.

Matth. 3.

Joan. 2.

Similia

Verum, quia ille dicitur præcipuè rem aliquam habet in

facere, Mat. 3.

facere, cujus authoritate & nomine eam alius faAct. 19 cit, & quia Apostoli post acceptum Spiritum sanctum baptizabant homines in nomine Domini JESU, sicut B. Lucas testatur; & sub invocatione hujus nominis descendebat super baptizatos Spiritus sanctus in specie ignis visibilis, ideò dixit Joannes Religiosis prædictis: *Ille*, scilicet Christus, Matth. 3. *baptizabit vos in Spiritu sancto, & igne* Innuebat au- Joan. 7. tem per hoc eis, quo tempore essent ipsi Baptismo Christi baptizandi: quia scil. tunc, quando Apostoli Baptismum conferrent in nomine Domini JESU Christi, & Spiritum sanctum, in specie ignis visibilis, acciperent illi, qui ab eis baptizarentur sub invocatione nominis Christi. Quod ante Christi resurrectionem, & gloriosam ejus in cælos ascensionem, factum non fuisse Joannes Evangelista evidenter testatur, dicens: *Nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus.*

CAPUT XXXIV.

Aliàs cap. xxx.

Religiosi in Hierosolymis ex dispersis Iudæorum.

TEmporibus autem Baptismum Joannis præcedentibus, gens Judæorum à diversis gentibus & regibus multas perpessa fuerat captivitates, & dispersa in diversas gentium regiones: maximè autem ab Antiocho Epiphane, rege Syriæ durissimas sustinuerat in lege persecutiones. Sicut namque refert sacra libri Machabæorum historia, Antiochus ad tantum Judæos deduxit opprobrium, ut legem DEI observare volentibus mortis infligeret tormentum. Quisque enim cogebatur idolis offerre sacrificium, vel necis pati supplicium. Propter quod multos promiscui sexus de populo Judæorum oppressiones has, & abominationes ferre non valentes, oportuit propriam patriam relinquere, & in alijs diversis mundi regionibus dispersos habitare, qui in dispersione genuerunt filios, loquentes idiomata & linguas gentium illarum regionum, in quibus nascebantur & educabantur.

Machabæorum historia sacra.

Causa dispersionis post reditum à captivitate.

Ex his autem Judæis, natis in regionibus illis, multi divotione tracti terræ promissionis, tempore imperij Tiberij Cæsaris, ad terram illam, cùm in pacis teneretur tranquillitate, remeantes, studebant religiosè illic vivere, copulantes se prædictis Religiosis habitantibus in terræ promissionis urbibus, & præsertim illis, qui manebant in Hierusalem: quorum memoratus fuit beatus Lucas in Act. 2. Actibus Apostolorum, dicens: *Erant autem in Hierusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est.* Habebant siquidem prædicti Religiosi tunc mansionem maximè in Hierusalem: quia cùm esset civitas insignis, & metropolis Judææorum, in qua cultus divinus præcipuè vigebat, reperiebant in ea plures devotos Judæos, qui se ad eorum Religionem convertebant. Quos postquàm prædicti Religiosi in rudimentis disciplinæ propheticæ & monasticæ vitæ erudierant, ad eremos transferebant.

Novitiatus in Hierosolymis; inde ducebantur ad eremos.

CAPUT XXXV.

Aliàs pars cap. xxx.

Situs Monasterij in Hierosolymis, eremitarumque Carmelitanorum ad id confluxus celebrandæ Pentecostes causâ.

PRæceperat autem in Lege veteri DEUS, tres festivitates peculiares, scilicet Paschæ, Pentecostes & Scenopegiæ, debere per Judæos solemniter celebrari: quas Judæis alibi celebrare non licebat, quàm in loco quem elegerat DEUS nomini suo, Deut. 16. sicut mandaverat Moyses in Deuteronomio. Et 2. Paral. 7 sicut ex libro Paralipomenon edocemur, templum quod erat in Hierusalem constructum, fuit locus ille, quem DEUS elegit nomini suo: in quo loco annuatim tribus vicibus, scil. in prædictis festivitatibus, omnes masculi plebis Judaicæ debebant ex præcepto Legis in conspectu Domini apparere. Quamobrem religiosi viri, filij Prophetarum eremitæ montis Carmeli, & alij juxta fluenta Iordanis, & in cæteris eremis, & suburbanis civitatum terræ promissionis, habitantes, ne præcepta Legis transgrederentur, annis singulis in Hierusalem ter venire consueverant, ut juxta Legis præceptum, tres festivitates peculiares, Paschæ Pentecostes, & Scenopegiæ, illic celebrarent. *Et ob hoc quàm maximè mansionem religiosi filij Prophetarum habebant in Hierusalem, ut in dictis festis convenirent ad eam.

*Causa constituti monasterij in Hierosolymis.

Anno ergo in quo Christus ascendit in cælum, omnes prædicti Religiosi mox post ejus ascensionem in Hierusalem convenerunt, ut ibi instans festum Pentecostes celebrarent. Habitabant autem tunc in Hierusalem Apostoli Domini nostri JESU Christi prope mansionem dictorum Religiosorum, scil. in illo *cœnaculo grandi & strato*, in quo Marci 14 Christus in die cœnæ fecit sibi *parari Pascha*, ubi sacramentum Eucharistiæ instituit, & corpus suum sub speciebus panis sumendum discipulis tradidit, *eosque sacerdotes ordinavit. Quod cœnaculum erat in monte Sion, in parte illa montis, quæ dicitur *mello*; ubi erat olim palatium, quod rex David sibi construxerat. Et ita prædicti Religiosi fuerunt in habitatione tunc Apostolorum vicini.

*Ubi & quando, Christus sacerdotes ordinârit.

CAPUT XXXVI.

Aliàs posterior pars cap. xxx. Act. 2.

Multorum è Filijs Prophetarum ad planum Christianismum conversio in die Pentecostes.

IN die itaque Pentecostes, sicut beatus Lucas refert, *factus fuit repentè de cælo sonus, tanquàm advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum* illius cœnaculi, *ubi erant* omnes Apostoli Christi, & discipuli, *sedentes: Et apparuerunt illis dispartitæ linguæ tamquàm ignis, sedítque supra singulos eorum: repletique sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Religiosi autem prædicti in monte Sion, non multum remotè à prædicto cœnaculo, ut præmittitur, habitantes, obstupuerunt audientes prædictum sonum insolitum resonare in cœnaculo Apostolorum. Et scire cupientes quidnam hoc esset, ad illud Apostolorum cœnaculum accesserunt. Qui cùm illuc perveniissent, stupebant omnes & mirabantur: quoniam non solùm illi ex Religiosis qui in terra promissionis, sed etiam omnes illi, ex eis, qui extra dictam terram in diversis regionibus fuerant nati, audiebant Apostolos linguis suarum regionum loquentes, & DEUM magnificantes. Et propterea Religiosi magis stupebant, scientes Apostolos esse Galilæos, qui nunquam exstiterant in eorum regionibus, neque à quoquam homine docti fuerant loqui eorum linguis seu idiomatibus.

Religiosi ex Judæis Apostolorum vicini.

Alij autem ex Judæis, qui supervenerunt, audientes Apostolos loqui diversis linguis, & eos minimè

Non omnes

audientes Apostolos eos intelligebant.

minimè intelligentes, irridebant, dicentes eos esse ebrios. Beatus verò Petrus Apostolus cernens Religiosos, & quosdam alios ex supervenientibus, esse scientes, incepit detrahentibus obviare, ostendens Apostolos non esse ebrios, & probans per scripturas Prophetarum eos Spiritu sancto repletos. Evangelizavit quoque Religiosis, JESUM à mortuis resurrexisse, & ipsum esse Deum, qui de cælo Apostolis sanctum effudit Spiritum, exhortans, ut à prava generatione Judæorum segregarentur.

Actor. 2.

Auditis ergo sermonibus Petri, Religiosi compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad cœtum Apostolorum: *Quid faciemus viri fratres?* Ad quos Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri JESU Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti:* aliisque pluribus verbis exhortatus est eos Petrus. Multi ergo ex prædictis Religiosis, videntes, quòd illi, quos Apostoli baptizabant in nomine JESU Christi, recipiebant in specie ignis visibilis Spiritum sanctum, recordati fuerunt advenisse tempus, de quo* dux eorum beatus Joannes Baptista Christum prophetans, eis prædixerat, *Ille*, scilicet Christus, *baptizabit vos in Spiritu sancto, & igne.* Quamobrem acceperunt sermones Apostoli Petri, & baptizati sunt ipsâ die in Christo, recipientes in signo ignis visibilis Spiritum sanctum.

*Dux eremitarum montis Carmeli S. Joan. Baptista.

Matth. 3.

Aliàs cap xxxi.

CAPVT XXXVII.

Ad miraculum claudi, ac sermonem S. Petri, reliqui è Filijs Prophetarum convertuntur.

ALtera autem die, cùm illi ex prædictis Religiosis, qui nondum ab Apostolis erant baptizati, essent causâ orandi in templo cum reliquis de populo ad horam orationis nonam; supplicitèr à Domino DEO postulabant, ut per signum eis ostenderet, si advenerat tempus illud, de quo* dux eorum Joannes Baptista eis prædixerat, quòd Christus JESUS eos *Spiritu sancto & igne baptizaret.* Titubabant enim de hoc nonnulli eorum, quia non viderant, neque audierant Christum JESUM manibus suis quemquam baptizasse. Ipsi tamen Joannis vaticinium non perfectè intelligentes, sperabant, quòd sicut Joannes suis manibus eos baptizaverat, ita Christus propriis manibus eos baptizaret. Exaudivit autem tunc DEUS orationem eorum, & ad rectum intellectum vaticinij Joannis eos perduxit.

*S. Joannes Bapt. dux Religiosorum Ord Carm.

Probabile dubium Filiorum Prophetarum.

Actor. 3.

Contigit enim eâdem hora, sancto instigante Spiritu, Apostolos Christi Petrum & Joannem ascendere in templum, & ad portam templi, quæ dicebatur *Speciosa*, obvium habere *hominem* quemdam, *annorum amplius quadraginta, ex utero matris claudum*, rogantem eos pro eleëmosyna: Quem intuens Petrus cum Joanne dixit: *In nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu ejus dexterâ levavit eum.* Qui *protinus exiliens ambulavit, & intravit cum illis in templum, laudans DEUM.* Videntes autem prædicti Religiosi, & *omnis populus, eum in templo ambulantem, & laudantem Deum; & cognoscentes quòd ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam templi portam, repleti sunt stupore & extasi in eo quod contigerat illi. Et cum viderent Petrum & Joannem in porticu, quæ appellabatur Salomonis, concurrerunt omnes ad eos:* quibus Petrus prædicavit JESUM, quem

Ibidem.

populus per ignorantiam interfecerat, à mortuis resurrexisse; *in fide* cujus *& nomine*, & non in propria Petri, vel Joannis, virtute, claudus curatus fuerat. Propter quod Petrus eis dicebat: *Nomen Christi, & fides, quæ per eum est, dedit isti integram sanitatem in conspectu omnium vestrum.* Exhortabatur quoque eos Petrus, quòd pœniterent & converterentur ad fidem Christi, ut delerentur eorum peccata, probans per Scripturas Prophetarum fidem Christi & doctrinam esse ab eis suscipiendam, & omnes eam renuentes fore exterminandos.

Nota quod non nostram ad scribat populo, non ejus Principibus.

Ibidem.

Ut autem vehementiùs Religiosos attraheret, cognominans eos proprio titulo, quem à Prophetis traxerant, dixit eis: *Vos estis filij Prophetarum, & testamenti quod disposuit DEUS ad patres nostros, dicens ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ: vobis primùm DEUS suscitans filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut convertat se unusquisque à nequitia sua.* Igitur Religiosi præfati viso miraculo claudi, & audito sermone Petri, intellexerunt quod sicut Christus, suo nomine per Petrum invocatò, dederat integram sanitatem claudo, ita illos baptizabat in igne & Spiritu sancto, super quos effundebant Apostoli aquam, nomen ejus sanctum invocando. Hinc ergo perpenderunt, quòd ideò Joannes Baptista dixerat eis propheticè: *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne:* quia super quos Apostoli aquam effundendo invocabant nomen Christi, JESUS illos baptizabat, tribuens eis Spiritum sanctum in specie ignis de cælo missi. Quamobrem crediderunt perfectè in JESUM, & cum eis multi eorum, qui audierant Petri verbum: quorum numerus fuit quinque mil lia hominum. Qui postmodùm ab Apostolis baptizati, receperunt in signo ignis visibilis Spiritum sanctum.

Ibidem.

Matth. 3.

CAPVT XXXVIII.

Eremitæ Carmelitani facti Apostolorum coadjutores, amantes allegoriam veterum scripturarum.

Aliàs posteriùs pars cap. xxxi.

ERant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis: quotidie quoque perdurantes in oratione unanimiter in templo cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes DEUM. Quibus* omne spatium diei in studiorum exercitijs, & eruditione sacri Evangelij, ducebatur. Habebant quoque tractatus sacrorum voluminum, leges Patrum in allegoricam intelligentiam deducentes. Quoniam omnis lex vetus eis videbatur animali esse similis, eò quòd extrinsecè velut corpus habeat ipsam literam, & ea quæ secundùm literam designantur; intrinsecus verò in litera, tamquàm anima lateat cujusdam profundi divinique mysterijs sensus invisibilis & spiritalis. Quem illi, ab Apostolis edocti, sublimiùs & nobiliùs velut per speculum inspicientes, & ex ipsis literæ nominibus admitandas quasdam species intelligentiæ concipientes, divinâ & profundiore sapientiâ sacrorum voluminum tamquam copiosis dapibus imbuebantur. Denique eorum multi ea, quæ ab Apostolis hauserant, cæteris effundentes, fidem Christi per Phœnicem & Palæstinam prædicarunt, dilatantes dogma fidei: & moribus vitæ, ac monasticâ conversatione, Ecclesiam DEI insignissimam demonstrantes.

Act. 2.

*Locus alludens ad Philonem lib. de vita contemplativa num. 10. ac 26. Nisi Josephus apud Serarium num. 35. satis jejunè. Ratio sensus Allegorici S. Scripturæ.

CA-

CAPVT XXXIX.

Aliàs Cap. xxxi.

Carmelitæ accepta Evangelij luce mysteria quondam ab ELIA revelata clariùs intuentur.

POstquam autem Professores hujus Religionis fuerunt per Apostolos baptizati, & in sacri Evangelij eloquijs eruditi, intellexerunt plenè illud mysterium esse implerum, quod per DEUM fuerat Prophetæ ELIÆ in monte Carmeli revelatum. Legimus quidem in libro Regnorum, quòd ELIAS *ascendit in montem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare. Qui cùm ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquàm. Et rursum ait illi: Revertere septem vicibus. In septima autem vice, Ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari* in Carmelum. Ab eo autem loco montis Carmeli, ubi puer ascendebat, usque ad summitatem montis, undè poterat mare prospici, erant decem gradus. Quos cùm semel puer ascendens, prospexisset contra mare, mandavit illi ELIAS, sicut dictum est, ut iterum alijs septem vicibus per eosdem gradus reverteretur contra mare prospiceret: Et *in septima vice* reversionis, quæ tamen fuit octava prospectionis, *vidit* puer *nubeculam* illam *quasi vestigium* **hominis de mari ascendentem* in Carmelum. Et dixit ei ELIAS *Ascende, & dic Achab: Junge currum tuum, & descende, ne occupet te pluvia. Cùmque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes & ventus, & facta est pluvia grandis.* Quid ergo sacramenti rerum futurarum præter historiam visio illa intrinsecùs contineret, & quid magni mysterij DEUS* ELIÆ, tunc *stanti prono*, per eam portenderet, dignatus fuit ELIAS aperire, non palam omnibus, sed secretè suis consortibus. A quibus traditum tenemus, DEUM sub figurata visione, revelasse tunc ELIÆ quatuor magna mysteria, quæ per Ordinem explicabo.

3. Reg. 18.

3. Reg. 18 *Elias pronus stetit, petens à Deo pluviam.

Traditio de B. Virgine per S. Eliam. Virgo Deipara exemplo Eliæ virginitatem perpetuam est amplexata.

Primò, quòd quædam infantula nasceretur, quæ ex utero matris suæ ab omni peccato munda egredieretur. *Secundò*, tempus in quo hoc adimpleretur. *Tertiò*, quod hæc infantula virginitatem perpetuam ad exemplum ELIÆ amplexaretur. *Quarto*, quòd DEUS jungens naturam suam humanæ, de Virgine illa homo nasceretur. Per hoc namque quòd ille puer ELIÆ vidit de mari nubeculam parvam oriri, revelavit DEUS ELIÆ, quòd quædam infantula, scilicet beata MARIA, per illam nubeculam significata, & instar illius nubeculæ per humilitatem parva, nasceretur de humana natura peccatrice, designata per mare; quæ infantula jam in suo * ortu esset munda omni peccatorum sorde, quemadmodùm nubecula illa fuit de mari amaro orta, sine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa esset originaliter ejusdem naturæ cum mari, alteriùs tamen fuit qualitatis, alteriusque proprietatis. Mare quippe ponderosum est, & amarum: sed nubecula illa levis fuit, & dulcis. Sic quamvis in quolibet alio homine natura humana instar maris sit in sua origine, ita amaritudine peccatorum & pondere vitiorum pressa, ut fateri cogatur *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me*; Beata tamen MARIA de hoc mari, id est, natura humana, aliter fuit orta: quoniam in suo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, sed instar illius nubeculæ fuit levis per immuniratem peccatorum, & dulcis per plenitudinem charismatum. Ipsa enim in suo ortu fuit nubes illa, de qua per Moysen figuratè est scriptum, *Ecce gloria Domini apparuit in nube.*

B. MARIA per nubeculam *significata.*

*Repete tecum, *de natura peccatrice*: ut sensus sit, *jam in ipso sui conceptu. MARIA* nunquàm ponderosa nunquam amara fuit *Psalm.* 37 Ipsa ab omni peccato immunis semper fuit. *Exod.* 16.

CAPVT XL.

Aliàs cap xxxii.

Allegoria temporis ortus Beatiss. MARIÆ Virginis, ex traditione per S. ELIAM.

SIgnificavit autem DEUS ELIÆ, in prædicta visione, quo tempore *Nubecula illa*, scil. B. MARIA, videretur à discipulis ELIÆ *de mari*, id est, de amara & vitiosa natura humana, oriri & *ascendere.* Nam ostensum fuit in eadem visione, quòd nullus eorum videret eam ascendere, antequam ipse semel per decem gradus ascendens, contra mare prospiceret, & iterum alijs septem vicibus per eosdem gradus ad contemplandum contra mare rediret. Dixit enim ELIAS ad puerum suum: *Ascende, & prospice contra mare: Qui cùm ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam.* 3. Reg. 18 *Ibidem.*

Quæro ergo, quid fuit, puerum ELIÆ semel per decem gradus ascendere ad prospiciendum contra mare, & tunc nihil ei apparere? Certè hoc nihil aliud fuit, nisi quòd puer, id est, cœtus discipulorum ELIÆ, contemplando ascendit, primò per illas decem generationes humanas à B. Luca in genealogia Christi positas, quæ fuerunt ante diluvium ab Adam usque ad Noë in prima mundi ætate, & per eas discurrendo totum tempus quod fuit à Noë usque ad Adam, puer prospexit, si fortè eo tempore, nubecula, id est, infantula aliqua esset nata contra mare, id est, contra solitam amaram & vitiosam propaginem naturæ humanæ. Et quia nubecula illa non fuit à puero visa nasci in illa prima ætate mundi; ideò puer dixit: *Non est quidquam.* Præcepto tamen ELIÆ redijt iterum puer septies per decem gradus ad prospiciendum contra mare: & rursum ait illi, *Revertere septem vicibus*: & in primis sex nihil sibi apparuit. Hoc autem, scilicet quòd iterum puer, id est, cœtus discipulorum ELIÆ, sexies per decem gradus rediens nihil vidit, denotat eum ulteriùs per alias sex decades humanarum generationum contemplando ascendisse, quas B. Lucas in genealogia Christi texit, à Sem filio Noë usque ad Jamne filium Joseph. Quarum generationum decas prima, incipiens à Sem filio Noë, terminata fuit in Thare filio Nachor. Secunda verò decas, incipiens ab Abraham filio Thare, terminata fuit in Salmon filio Naason. Tertia autem decas, incipiens à Booz filio Salmon, terminata fuit in Jona filio Eliachim. Quarta verò decas, incipiens à Joseph filio Jona, terminata fuit in Elmadan, filio Her. Quinta autem decas, incipiens à Chosan filio Elmadan, terminata fuit in Joseph, filio Juda. Sexta verò decas, incipiens à Semei filio Joseph, terminata fuit in Jamne, filio alterius Joseph. Per has quidem sex decades generationum, à B. Luca in genealogia Christi positarum, ascendit puer, id est, cœtus discipulorum ELIÆ, discurrendo scilicet totum tempus quod fuit à Jamne usque ad Sem, contemplando si fortè eo tempore nubecula, id est, infantula illa esset nata: & quia in toto illo tempore nata non fuit, ideò tunc discipulis ELIÆ minimè apparuit.

In

In septima autem reversionis vice nubecula eis apparuit: quia in tempore comprehenso intra septimam illarum generationum decadem, B. MARIA nata, & visa à discipulis ELIÆ fuit. *In septima*, inquit, *vice*, *Ecce nubecula parva*, *quasi vestigium* * *hominis ascendebat de mari.* Prædictus namque Jamne, in quo sexta illarum generationum decas terminatur, genuit filium nomine† Melchi, à quo incœpit harum generationum decas septima. Hic ergo Melchi genuit Levi, & iste Levi duos habuit filios, unum qui à B. Luca vocatur" Mathat, sed ab alijs dicitur Melchi, nomen avi sui retinens; & alium qui vocatus fuit Panthera. Iste verò Panthera genuit filium nomine Barpanthera: & hic Barpanthera genuit filium nomine Joachim, qui ex Anna uxore sua genuit B. MARIAM. Et ita *in septima reversionis vice*, hoc est, in illa generationum decade, quæ fuit septima, * ab illa in qua homines per DEI præceptum reversi fuerunt post diluvium ad multiplicandum genus humanum, nata fuit beata MARIA, in medio scilicet illius decadis septimæ: quæ etiam fuit defuncta antequàm prædicta generationum decas septima esset terminata. Sed priusquam beata DEI Genitrix ab hoc sæculo migraret, fuit in Nazareth, & in Hierusalem, & alibi multoties à Professoribus hujus Religionis visa.

*Vertendum fuerat viri ut est in Septuaginta, ἀνὴρ post,

† Decas 7. incipit à Melchi: cujus & generationem hic ponit "*Matthat.* binomius.

* Id est à Sem filio Noë. Beata Dei genitrix sæpè visa ab eremitis montis Carmeli. Alias cap xxxiv.

CAPVT XLI.

Significata eadem visione beatæ DEI-paræ Virginitas.

QUemadmodum autem hæc nubecula scilicet beata MARIA, in septima generationum prædictarum decade fuit nata; ita etiam in eadem septima decade fuit à discipulis ELIÆ visa in Carmelum spiritualiter ascendere. Nam antequam decem generationes descendissent à Melchi, à quo, sicut dictum est, decas septima incœpit, fuerunt docti professores hujus Religionis, in Hierusalem, à * summo templi Pontifice, quòd beata MARIA virginitatem DEO servare proposuerat ad exemplum ELIÆ, sicut præostensum fuit in prædicta visione: *In septima*, inquit, *vice*, *ecce nubecula parva*, scilicet beata MARIA, *quasi vestigium hominis ascendebat* in Carmelum: quæ ideò visa fuit quasi vestigium hominis ascendere in Carmelum, quia in hoc suo spirituali ascensu non *feminam* quam imitaretur, sed hominem habuit in exemplum.

* Convenit cum *libello de ortu* B. MARIÆ apud Hieronymum, & cum S. Greg. Nysseno.

Antè quidem quàm illa nubecula ascenderet in Carmelum, ascenderant utique ELIAS & puer suus ad montem illum: *Ascendit*, inquit, " ELIAS *in montem Carmeli.* Interpretatur autem *Carmelus*, *scientia circumcisionis*, ad quam scientiam ille præcipuè ascendit, qui ita scit præputium impudicitiæ à sua carne & mente circumcidere, ut non solùm se ab illicito carnalis contagionis cœno alienum per castitatem reddat; verùm etiã ab omni impudicæ voluptatis experimento se immunem per virginitatem DEO custodiat. Propterea quippe data fuit circumcisio in veteri lege, ut facta in virili membro, in quo libido solet dominari, castitatem mentis & corporis Deo servandam, & impudicitiam rescindendam indicaret.

" 3 Reg. 18.

ELIAS, & Filij Prophetarum per virginitatem

Nemo autem unquam ad hanc ascendit circumcisionis scientiam priùs quàm ELIAS, & puer suus, id est, cœtus Filiorum prophetarum, discipulorum ejus: ipsi namque primi virorum seipsos DEO per virginitatem perpetuam sponte dedicantes, castraverunt prorsus ab omnibus venereis voluptatibus mentes suas: & propterea appellat sunt *Carmelitæ*, quod est interpretatum, *scientes circumcisionem*: quia hoc quod circumcisio indicat sciverunt perfectè in se adimplere. Cupientes enim carnis & mentis impudicitiam à se omninò rescindere, elegerunt primi virorum in virginitate perpetua DEO sponte vivere.

perpetuam primi omnium se Deo consecrarunt.

Primò ergo ascenderunt verè ipsi *in montem Carmeli*, id est, in altitudinem scientiæ circumcisionis: quia altius cæteris præcedentibus hominibus inchoantes sciverunt præputium impudicitiæ ita penitus à se circumcidere, quòd elegerint primi hominum propter DEUM virgines permanere.

Sponte, id est, sponta-neâ lege vel voto. Samaria Prophetæ, sive Carmen compegeti.

Ad hunc quoque *Carmelum*, id est, ad hanc altam circumcisionis scientiam, *nubecula* illa, scilicet beata MARIA, ideò *quasi vestigium hominis ascendebat*, quia non femina, sed homo, id est, ELIAS exemplum ascendendi ei præbebat, quem ipsa imitari satagebat.

Nam sicut ELIAS priùs præputium impudicitiæ scivit à sua carne & mente prorsus circumcidere; dum primus inter homines studuit DEO virginitatem perpetuam sponte inchoare; ita postea beata DEI genitrix præputium impudicitiæ scivit exemplo ELIÆ à se penitus circumcidere, dum quasi vestigium hominis illius elegit prima feminarum propter DEUM in virginitate perpetua vivere. Hinc ejus sponsus in epithalamio sibi ait gratulabundus: *Caput tuum, ut* CARMELUS, Cant. 7. ubi per *caput* rectè intelligitur *mens anima*: quia sicut in corporis membris caput præeminet; ita in viribus animæ mens est dignior: & sicut à capite membra, ita à mente cæteræ vires animæ reguntur. *Carmelus* verò, *cognoscens circumcisionem*, interpretatur. Rectè igitur sponsus huic Virgini congratulans ait, *Caput tuum*, id est, mens tua, ô DEI genitrix, *est ut* CARMELUS, id est, verè cognoscens circumcisionem: quia prima feminarum per spontaneam virginitatem sciviſti à te prorsus circumcidere omnem veneream voluptatem.

Etymologia Carmeli.

CAPVT XLII.

Alias cap xxxv.

Veteris Testamenti Carmelitæ orant Deum, ut mittat Salvatorem significatum in pluvia.

TAndem demonstratum fuit discipulis ELIÆ in eadem visione, quo Ordine nasceretur DEI Filius de hac Virgine. Nam mox ut puer ELIÆ, scilicet cœtus discipulorum ejus, vidit nubeculam illam de mari quasi vestigium hominis in Carmelum ascendere, dixit ELIAS puero suo: *Ascende & dic Achab junge currum tuum, & descende ne occupet te pluvia.* Signum quippe expressum imminentis incarnationis Filij DEI fuit, quòd *puer*, scilicet cœtus discipulorum ELIÆ, vidit *nubeculam*, id est, infantulam illam quasi vestigium hominis *ascendere* per modum prædictum in Carmelum, hoc est, ad tantam circumcisionis scientiam, ut servare vellet virginalem continentiam. Unde cum cœtus Professorum hujus Religionis audisset in Hierusalem, * juvenculam illam vovisse factæ Deo virginalem continentiam, confestim perpendit quòd adventus filij DEI propè, & in januis erat. Et quemadmodum ELIAS præceperat, signum ita ascendit tunc cœtus discipulorum ejus per suæ orationem ad *Achab*, qui † *fraternitas paternitatis* interpretatur; significat enim DEI Filium, inter quem & genus humanum, antequàm ipse incarnaretur,

" 3. Reg. 18

* Virginitatis

juvenculæ votum

propinquantis Dei adventus.

naretur erat fraternitas tantùm paternitatis: quia à quo Patre Filius æternaliter genitus, ab eodem patre fuit creatum genus humanum: hinc DEI Filius non confunditur patrem suum appellare etiam patrem eorum, dicens: *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum.* Joan. 12.

Sed quia inter genus humanum & DEI filium antequam ipse incarnaretur non erat fraternitas maternitatis: quoniam DEI filius nondum erat ex matre natus. Ideò optans cœtus discipulorum ELIÆ, ut hæc fraternitas inter eos fieret, ascendit per orationem ad Achab, id est, ad DEI filium. Et sicut ELIAS præceperat, ita suppliciter DEI filio dicebat: *Iunge currum tuum.* Currus quidem à currendo est dictus: est enim vehiculum circularis figuræ, & habilis ad portãdum onus. Significat autem divinam filij DEI naturam, quæ est circularis, id est, æterna, carens, instar rotarum carri, principio & fine, per quam divinam naturam ipse *exultavit ut gigas ad currendam viam: portans,* ut Apostolus ait, *omnia verbo virtutis suæ.* Psal. 18. Hebr. 1.

Fratet fidelium Christus, Mater, Virgo Maria.

Dicebat ergo suppliciter tunc illi puer, id est, cœtus discipulorum ELIÆ, *Iunge* nostræ scilicet naturæ, *currum tuum*, id est, æternam naturam tuã, *& descende* ad nos: *nè te occupet*, id est, retardet, sed magis provocet *pluvia*: scilicet quòd *descendes sicut* pluvia. Decet enim te *sicut pluvia in vellus descendere.* Quoniam vellus pluviam in ipsum sine strepitu descendentem accipiendo vel reddendo non rumpitur, sed integrum servatur. Ita quoque te decet taliter absque strepitu operationis humanæ in *nubeculam*, id est, Virginem MARIAM placido illapsu descendere, & *currum tuum*, id est, æternam naturam tuam humanæ naturæ in utero Virginis *Iungere*: ut Virgo te DEUM simul & hominem concipiendo, deinde pariendo, non rumpatur; sed integra in sua virginitate conservetur. Psal. 71.

Fuerunt autem exaudiri ELIÆ discipuli in hac supplici eorum deprecatione, sicut sequitur in prædicta visione. *Cumque* inquit, **se verteret huc*, scilicet ad contemplandam in adolescentula spontaneam virginitatem, *atque illuc* scilicet ad deprecandam pro descensu filij Dei summam Deitatem; *Ecce cæli contenebrati sunt, & ventus, & nubes: & facta est pluvia grandis.* Per *cælos* honor, virtus, & celsitudo filij DEI intelligitur, cujus adventum præstolans Propheta dicebat: *Domine inclina cælos tuos & descende.* Per *nubem* Virgo MARIA, sicut dictum est, designatur. Per *ventum* verò Spiritus sanctus indicatur, quemadmodum per Prophetam dicitur, Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ. Ideo cæli, & nubes, & ventus fuerunt tunc contenebrari, quando virtus altissimi obumbravit ei: ideoque & quod natum est ex ea sanctum, vocabitur Filius Dei. Et tunc facta est pluvia gratiæ grandis: quoniam Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. De cujus plenitudine nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, ut ait Joannes Evangelista.

*Verteret, refert ad puerum significantem cœtum discipulorum S. Eliæ.

Psal. 143.

CAPVT XLIII.

Aliàs cap xxxvi.

Causæ, ob quas Carmelitæ dicti sint, *Fratres B. Virginis MARIÆ*: & de oratorio ab eis in monte Carmeli in laudem *ejusdem Deiparæ* Virginis erecto.

REcensentes ergo Religionis hujus professores, DEUM prædecessoribus eorum per visionem prædictam specialiter revelasse, infantulam quandam nascituram, quæ ex utero matris suæ munda ab omni peccati sorde egrederetur, & instar eorum, spontaneam virginitatem amplexaretur, de qua virgine DEUS Homo nasceretur: contemplantes etiam ipsi, hæc omnia postmodum fuisse adimpleta, & genus humanum per hanc Virginem accepisse à DEI Filio desideratum ab eis pluviæ (id est gratiæ divinæ) beneficium; curaverunt cum devotione assiduè deservire huic virgini, dictum eorum prædecessoribus revelatæ, ac desideratæ, & postea eis exhibitæ. Et studuerunt hanc specialiter virginem ideo sibi ipsis in patronam eligere, quia noverunt ipsam solam singulariter eis conformem in primitijs virginitatis spontaneæ. Quemadmodum enim virginitas spontanea fuit primò per priscos professores hujus Religionis inchoata, & in vitis introducta: ita eadem virginitas fuit postmodum per DEI genitricem primò in feminis introducta, & incepta, sicut suprà commemoravimus. Propter quod, sicut Religiosi Carmeliæ sunt primicerij virorum virginum: Ita B. MARIA est feminarum virginum voto primiceria.

Deipara electa patrona ab Eremitis montis Carmeli.

Quæ conformitas primitiarum spontaneæ virginitatis, singulariter inter DEI genitricem & religiosos Carmelitas dudum prophetata, & postea adimpleta, fuit causa, quòd Religiosi Carmelitæ Virginem MARIAM jam tempore Apostolorum dicebant sororem suam, & propter dictam conformitatem, seipsos Fratres beatæ MARIÆ Virginis appellabant.

Non arbitror autem, quod negare velis, quin, eâdem Religione salvâ, professores ejus, ex causis diversis possint in temporibus discretis designari variis titulis: alioquin in illum incideres errorem, quod Religio Christiana non esset eadem in nobis, quæ fuit in Apostolis, & Christi discipulis. Quoniam Christianæ Religionis professores in exordio prædicationis Christi, & Apostolorum, non eodem designabantur cognomine, quo nunc designantur. Testante namque beato Luca, cùm Christianitatis professores priùs dicerentur *Discipuli*, postmodum verò Antiochiæ primò cognominati sunt *Christiani.* Nunquid autem quia priùs alio, quàm nunc cognominabantur titulo, dices aliam fuisse in eis Religionem Christianitatis, quàm sit in nobis? Absit. Nec ergo debes absurdum reputare, monachos nunc montem Carmeli inhabitantes ejusdem non esse Religionis cum illis, qui in dicto monte conversabantur ante incarnationem Salvatoris: licet illi *Prophetæ*, & *Filij Prophetarum* dicerentur; & isti *Fratres Beatæ MARIÆ* cognominentur. Tunc enim, ut diximus, ipsi vocabantur *Prophetæ*, quando cum instrumentis musicis & Canticis, & Psalmis DEO psallebant. Adveniente autem nova lege, ritus psallendi DEO cum illis instrumentis musicis cessavit, & fuit

Unus & idem Ordo appellatus diversis nominibus. Probatur hoc exemplo Ecclesiæ Dei. Act. 11. Loquitur de tempore suo. Montis Carmeli, Eremitæ tunc Fratres B. M. virginis appellati.

Ephes. 5. fuit in aliqua immutatus, sicut ait Apostolus: *Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & Hymnis & Canticis spiritualibus, canentes, & psallentes in cordibus vestris Domino.* Et quia ritus ille antiquus DEO psallendi cum instrumentis musicis nunc in vestra Religione non observatur; ideo ejus professores modò Prophetæ non appellantur.

Tunc etiam ipsi rectè *Filij Prophetarum* dicebantur, quando per Prophetas regebantur, ut prædiximus: nunc autem nequaquam per Prophetas reguntur, ideo nec filij Prophetarum vocantur: sicut eos tunc appellatos *Fratres Beatæ MARIÆ, Virginis* nemo sanæ mentis diceret, cùm virgo MARIA nondum esset nata. Sed, sicut dictum est, postquam tam expressam, & propriam primitiarum spontaneæ virginitatis confraternitatem inter se, & DEI genitricem cognovêrunt adimpletam: ipsi ex tunc *Fratres Beatæ MARIÆ virginis* appellati fuerunt.

Legendum *quadragesimo tertio* de quo videndus Wastelius hoc loco, & alij. Observa, quàm sit antiquus cultus Deip. V. in Carmelo.

Et in memoriam visionis de ortu hujus virginis, præostensæ Sancto Prophetæ ELIÆ, sub specie nubeculæ ascendentis de mari in Carmelum, monachi prædicti anno Incarnationis filij DEI octogesimo tertio, diruentes eorum Seunion antiquum, ædificaverunt huic primæ Virgini DEO dicatæ capellam quandam in monte Carmeli, juxta fontem ELIÆ, in situ illo, in quo ELIAS orans viderat nubeculam illam, quasi vestigium hominis, de mari ascendere in Carmelum: ubi professores prædicti seipsos huic virgini commendantes, singulis diebus, ad effundendum dictæ virgini, & ejus Filio sedulas preces, & supplicationes atque laudes, ex tunc semper convenerunt: ibique de verbo divino, culpisq; vitandis, & animarum salute procuranda humili colloquio adinvicem contulerunt. Et propterea ceteri, etiam ab eorum Religione externi, eos deinceps *Fratres beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmeli* semper appellaverunt.

Alias XXXVII.

CAPVT XLIV.

De habitu monachorum montis Carmeli, & primum de zona, ejusque mystica significatione.

INvestigato in præcedendibus, & aliquantulum descripto Fundatorum, ac priscorum professorum nostræ Religionis cultu interiori, à nobis imitando, superest, tibi breviter exponere (ô dilecte Caprasi) exteriorem habitus ornatum, propositum vobis ad exemplum, per quem interioris dispositionis illorum Patrum, à vobis imitandæ, non modicam senties notitiam. Teste namque Sapiente, *Amictus hominis annuntiat de eo.* Quemadmodum & Fundator primus Religionis hujus fuit à Rege Ochozia cognitus, exposita Regi per nuntios qualitate vestis.

Eccli. 19.

4. Reg. 1.

Scisitabatur namque Rex à suis nuntijs, cujus figuræ, & habitus esset vir, qui eis occurrerat, & loquutus fuerat: cui respondentes nuntij dixerunt: *Vir pilosus erat, & zona pellicea accinctus renibus.* Ex quo habitu confestim perveniens Rex in Prophetæ notitiam, ait: ELIAS *Thesbites est.* Zonæ quippe indicio, & hirsuti, incultiq̃ corporis specie virum DEI indubitanter cognovit: quoniam zona pellicea (velut quoddam speciale signum impressum) suis renibus perpetuò cohærebat: qua accinctis lumbis, ELIAS dudum occurrerat à monte Carmeli usq̃ in Jezrael ante Regem Achab patrem Ochoziæ.

3. Reg. 18

Hoc ergo exemplo suo docuit ELIAS, monachum hujus professionis debere cinctis lumbis incedere. Nam & *Joannes Baptista*, qui *in spiritu, & virtute Eliæ venit*, eum in accinctione lumborum imitatus fuit; de quo Evangelista sic ait: *Erat Joannes vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus.* Hujus autem zonæ habitu non parvum est, quod à monacho exigitur sacramentum. Lumborum enim accinctio, & ambitus zonæ pellicea significat, monachum debere mortificationem illorum membrorum circumferre, in quibus luxuriæ seminaria continentur. Unita videlicet, sint lumbi ejus zona pellis emortuæ exteriùs præcincti, quatenus interiùs inveniantur seminaria coitus in eo prorsus extincta: & decanter dignè cum Propheta: *Factus sum sicut uter in pruina*; quia, scilicet, præditus gelu continentiæ ita stringo in lumbis concupiscentiæ carnalis ardorem, sicut pruina congelando perstringit utrem. Hinc in sacra scriptura legimus, ELIAM ideo primum omnium fuisse zona pellicea in lumbis cinctum, quia primus hominum hoc signo dedit monachis exemplum restringendi in lumbis, & mortificandi omnis luxoriosi motus incentivum, per modum, de quo Apostolus ait: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiscentiam malam.*

Mar. 1.

Zone monachi cæ sacramentum

col. 3.

CAPVT XLV.

Alias cap XXVIII.

De Melote, antiquo hujus Religionis habitu atque ejus mysterio.

MElores quoque gestasse fundatores primos hujus Religionis, ELIAM, scilicet, & ejus discipulos filios Prophetarum, Apostolus de eis loquens asseverat, dicens: *Circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.* Dicitur enim *Melota* propriè à melo animali, quod etiam Taxus appellatur: de cujus pilis, vel pelle facta vestis, quæ est valde hispida, *Melota* propriè vocatur. Quanquam quælibet vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta, Melota vulgariter dicatur: nam & indumentum de Camelorum pilis, vel de pilis caprinis, consuevit communiter Melota dici à multis. Quo etiam habitu in nova lege Joannem Baptistam fuisse indutum Evangelista testatur, qui ait: *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum.* Hujus autem Melotæ gestatio, succedentibus temporibus, derisum potiùs, quàm ædificationem eam videntibus comparabat.

Hebr. 11.

Matth. 3.

Idcirco vestem illam cilicinam despectam cunctis, & quæ ex hoc ipso nulla poterat spiritus emolumenta conferre, sed elationis potius vanitatem, professores hujus Religionis concordi sententia refutarunt. Loco autem ejus, tunicam lanæ non pretiosæ, sed mediocriter asperæ, ejusdem coloris, cujus existebat melota, subtus Scapulare gestare assumpserunt. Quoniam dictorum sanctorum Patrum nostrorum, tam veteris, quàm novæ legis, exemplis ostenditur, monacho hujus professionis convenire, vestem habere asperam, & magis conterentem corpus, quàm fovent em: & illi repugnare, vestem habere pretiosam, & delicatam, seu mollem, ad delectandum carnem. Si enim habitationi solitudinis conveniret, indumentis mollibus vestiri, concessisset utique Dominus, homi-

Tunica lanea melotæ locoà Religiosis usurpata.

Monastica vestis qualis esse debeat.

nem

nem *vestimentis mollibus indutum* ita in desertis esse videndum, sicut *in domibus Regum*. Hoc autem vigilanter abnuit, dicens: *Quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce, qui in veste pretiosa sunt, & in deliciis, in domibus Regum sunt.* Matth. 11. Luc. 7.

Hujus autem tam Melotæ, quàm vestis asperæ gestatio significat, Monachum, cujus officium est lugere se, & mundum, debere DEO exhibere sedulum pœnitentiæ fructum: in asperitate enim vestis, punctio peccatorum: in colore autem ejus, quæ atramentario, vel nigro est infecta, pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utrumque horum debet Monachus adhibere ad pœnitentiam, ut in punctione asperæ vestis recognoscat, quid per culpam fecit, de quo pungatur, & doleat: & in colore vestis atramentario, seu nigro, perpendat, quid per judicium meruit: quia mortem non modò temporalem, sed æternam quoque paveat. Quemadmodum Propheta ait: *Accingere cilicio, & conspergere: quasi luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Jerem. 6.

Alias cap. xxxix.

CAPVT XLVI.

De superhumerali, sive, ut alij vocant, Scapulari: & mystica ejus significatione.

SUperhumeralibus etiam prisci vestræ Religionis Professores tempore legis veteris utebantur. Præceperat enim Judæis lex, in quatuor angulis suarum vestium fimbrias, & in fimbrijs funiculos facere. Quas fimbrias cum funiculis dicti professores, juxta legis præceptum, in quatuor inferioribus angulis superhumeralium gestabant. Erat autem superhumerale, vestis sine manicis, usque ad renes descendens, in utroque latere aperta, brachijs etiam ea nudatis, cujus posterior pars in humeris copulabatur parti anteriori. Novæ autem legis tempore huic vesti in apertura colli junctum fuit caputium, tegens caput, & scapulas. Quam nostræ Religionis professores (fimbrijs, & funiculis ab ea resecatis) usque nunc summa cum diligentia diebus ac noctibus indesinenter gestabant.

Superhumerale secundum legem.

Monastice vestis genus, Isidori colobium. Orig. lib. 19. c. 22.

Per hoc autem, quod hæc vestis capite, & scapulis ea onustis, & opertis, jugiter à Monacho portatur, denotatur, Monachum debere semper jugum obedientiæ super se humiliter ferre, & superiori suo irrefragabiliter subjacere. Apostolo Paulo ita prædicante: *Obedite præpositis vestris, & subjacete illis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim expedit vobis.* Nam si eis non obediretis, Christum, qui eos posuit super capita vestra, sperneretis. In eo autem, quod hac veste, brachia, & latera corporis nudantur, ut expeditiora reddantur ad opus, significatur, quòd monachus eam gestans, debet esse semper promptus ad exercendum DEI opus: quemadmodum Apostolus præcipit, dicens: *Itaque fratres mei dilectissimi, stabiles estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Et propterea omnem negligentiam ab opere Domini sepellere debet Monachus: quoniam, sicut Propheta ait, *Maledictus est, qui opus Dei facit negligenter.* Hebr. 13. 1. Cor. 15

Tunica lanea melotæ loco Religiosis usitata.

CAPVT XLVII.

Alias xl.

De pallio albo ad imitationem ELIÆ ferendo: & illius mystica significatione.

PAllio quoque monastico indutum fuisse primum Fundatorem hujus Religionis, scilicet, ELIAM prophetam, sacræ scripturæ authoritate monstratur. Nempe hoc habitu operuit ELIAS vultum suum, cùm in monte Oreb transiret DEUS ante eum. Hoc quoque pallium misit ipse super *Eliseum*, quando accepit eum in discipulum. Pallium autem istud fuit vestis rotunda, à collo usque ad medias tibias totum corpus operiens, anteriùs aperta, sed alibi undique clausa, superius angusta, inferiùs amplitudine expansa. Hoc pallium ELIAS propheta *Eliseo* dimisit, dum ab eo in paradisum voluptatis ascendit. Docuit autem per hoc ELIAS, monachos hanc Religionem profitentes debere pallio supervestiri albo, quemadmodum eos albis indutos Dominus præostendit Sabachæ, patri ELIÆ. Ante quippe filij sui ELIÆ nativitatem, vidit Sabacha in somnis viros candidatos, qui ipsum salutabant. Quæ visio illi præsignavit, quales ejus filius ELIAS imitatores suæ vitæ monasticæ habiturus esset. Cernens namque Sabacha viros candidos, vidit in spiritu Religiosos per ELIAM instituendos: quos ideo candidatos vidit, quia ELIAM, velut monasticè vivendi exemplar, erant imitaturi in candore non tantùm mentali sinceræ puritatis, sed etiam corporalis habitus albi eos desuper tegentis.

Visio Sabachæ patris S. Eliæ, & & quid illa portenderit? Vide S. Dorotheum *in synopsi.*

Hujus autem pallij gestatio significat, Monachos istius professionis debere & puritatem mentis servare, & sanctimoniam quoque carnis custodire: quemadmodum Apostolus prædixit, dicens: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini: non enim vocavit nos DEUS in immunditiam, sed in sanctificationem.* Hinc ELIAS, qui primus usum hujus pallij albi in monachos introduxit, per hoc significavit, monachum pallio albo opertum, debere exemplo ejus, servare sanctimoniam, nedum in mente, sed etiam in carne: quatenus vestimenta illa, de quibus Beatus Job Domino loquens, ait: *Pelle, & carnibus vestisti me*, servet monachus per sanctimoniam semper munda, sicut scriptum est: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* 2. Cor. 7. 1. Thess. 4. Job. 10. Eccles. 9.

CAPVT XLVIII.

Alias cap. xli.

De baculo, & spirituali ejus significatione.

BAculum denique gestasse primos hujus Religionis professores, *Eliseus*, qui unus fuit ex ipsis, docet. Mittens enim Giezi puerum suum ad suscitandum mulieris Sunamitis filium, dixit ei: *Tolle baculum meum in manu tua, & vade, & pone baculum meum super faciem pueri.* Quem utique non dedisset ei Propheta gestandum, nisi eum manu sua solitus esset portare. Hoc autem suo exemplo docuit *Eliseus*, monachum hujus professionis debere baculum in manu sua circumferre. 4. Reg. 4.

Hujus verò baculi gestatio spiritualiter monet, Monachum nunquam debere inermem incedere inter tot obtrectantium concupiscentiarum & vitiorum

Mysterium baculi Eremitici.

tiorum canes, & inter tot inviſibiles ſpiritualium nequitiarum beſtias, de quibus Propheta poſtulans per DEUM liberari ait: *Ne tradas, Domine, beſtiis animas confitentes tibi.* Debet enim monachus fide munitus reſiſtendo eas longiùs propulſare, Apoſtolo Jacobo ita dicente: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.* Adverſum ſe etiam ſævientes concupiſcentiarum, & vitiorum canes debet Monachus retundere, imitatione Dominicæ paſſionis, & ejuſdem mortificationis exemplo, ita dicente Apoſtolo: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentiis.*

Pſal. 73. *Jacob. 4.* *Galat. 5.*

Vides ergo, quia ſicut accinctio zonæ pellicææ ſpecialiter denotat, Monachum debere omnem luxurioſum morum extinguere in membris, in quibus ſeminaria coitus continentur, & caſtitate in membris illis pollere: ita geſtatio pallij albi generaliter monſtrat, Monachum debere omnem culpabilem immunditiam à carne, & à ſpiritu ſuo repellere, & in utroque per virtuoſam puritatem fulgere. Et ſicut geſtatio ſcapularis ſignificat, debere Monachum ſuo Superiori propter DEUM obedire, & opera DEI prompte exercere: ita baculi geſtatio deſignat, monachum nullis Diaboli, aut mundi, vel carnis tentationibus debere parere, ſed longe à ſe eas propulſare. Meloræ autem, ſeu veſtis aſperæ geſtatio ſignificat, Monachum debere per dignam pœnitentiam emendare omne, quod ex ignorantia, vel ex infirmitate, contigerit eum circa præmiſſa peccare. Hæc de noſtræ Religionis habitu, & ejus ſignificatione à nobis præſcripta, breviter admonent hujus profeſſionis Monachum, ut reverentiam ſui habitus in opere, in locutione, & in cogitatione ſua ſemper circunſpiciat, atque ea, quæ mundi ſunt, perfectè deſerat: & quod oſtendit humanis oculis habitu, hoc ante DEI oculos moribus prætendat, *amictus* ſemper lumine vitæ, *ſicut veſtimento*, ſicut ſcriptum eſt: *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Quod nobis præſtare dignetur Dominus noſter JESUS CHRISTUS DEI Filius, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat benedictus, & glorioſus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Recapitulatio dictorum de exteriori habitu.

Apoc. 16.

FINIS

Libri de inſtitutione primorum monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perſeverantium,

Seu Regula JOAN. *Jeroſolymitani.*

SUb hac igitur JOANNIS exhortatione, ſive Regula, Carmelitæ ad perfectionem, & finem vitæ ſolitariæ, ſecundùm formam ibi præſcriptam, tendere conabantur. Deinde temporis ſucceſſu Aymericus Antiochenus Patriarcha, & ſedis Apoſtolicæ legatus, Eremitas ELIÆ ſucceſſores, per Carmeli ſaltus, & ſpeluncas diſperſos in unum coëgit, eòſque ſub obedientia Bertoldi, quem primum Priorem Generalem tunc agnoverunt, conſtituit. Et ob id Aymericus dicitur noſtrum Ordinem reformaſſe, ut docet Onuphrius Panvinius in Chronico Eccleſiaſtico, circa annum 1141. ubi ait: *Ordo Carmelitarum reſtitutus & reformatus ab Aymerico Malfayda Patriarcha Antiocheno, & Sedis Apoſtolicæ Legato.* Idem docet Guilielmus Tyrus, *lib. 5. continuationis, Cap. 3.* & alij, de quibus nos latius *lib. 1. Antiquitatis noſtri Ordinis, cap. 9.* diximus.

Onuph. Panvinius *Guil. Tyr.*

De tempore verò, quo Aymericus Ordinem Carmelitarum reformavit, ſatis non conſtat apud authores. Nos tamen ut veriorem ſententiam *loco citato* amplexari ſumus eam, quæ tenet, id contigiſſe circa annum 1141. In quibus autem Ordinem reformaverit, attigimus ſupra *in præfatione ad Regulam Joannis.*

Sed Aymerici labore non omnino Ordo fuit reſtitutus. Nam cùm commune ſit Religionibus omnibus, temporum diuturnitate ſeneſcere, tot ſæculis tranſactis non mirum, ſi ELIÆ, & Prophetarum inſtitutum indies à priori illa vivendi norma deviaret: tum, quia Regula *Joannis*, etſi miras inſtitutiones contineret, eas tamen in univerſali monendo potiùs quàm præcipiendo proponebat, & prolixius, quàm ſtylus Regulæ poſcebat, Regulas tradebat: tum, quia cùm jam Aymerici opera communiter vixiſſent, novis conſtitutionibus, novo vivendi modo accommodatis indigebant, quæ in Regula *Joannis* non inveniebatur. Quare tempore Brocardi, qui Bertholdo Priori generali ſucceſſit, ad Albertum Patriarcham Hieroſolymitanum, Regulam breviorem, clariorem, & ſuo vivendi modo magis accommodatam poſcentes, confugerunt: quam Albertus (ut infrà dicemus) compoſuit, eiſque tenore ſequenti obſervandam tradidit.

CAPVT III.

De Regula primitiva ab *Alberto* Carmelitis tradita.

ALBERTUS Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarcha, Eremitarum montis Carmeli ſuſpicatus incommoda, quæ ex Joannis Regulæ obſervatione illis contingere poterant, prævidens in futurum, ſuis Fratribus Carmelitis Regulam perfectione, diſcretione, brevitate, & claritate conſpicuam, partim ex Joannis Regula, partim ab experimento novi Ordinis ſtatus deſumptam confecit. Et quamvis hic proprius ſe offerat differendi locus de Authore hujus Regulæ, de tempore, de confirmatione, & de alij qualitatibus: majoris tamen claritatis gratia id prætermittimus, infrà idem latiùs oſtenſuri. Illud ſolùm hic addendum fuit, *Albertum* his inſtitutionibus labentem jam Religionem ad priſtinum ſtatum revocaſſe. Nam, ut Onuphrius Panvinius, *in Chronico Eccleſiaſtico*, circa annum Chriſti 1205. ſcripſit, *Regula Fratrum Carmelitarum ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano ſcribitur, Ordo reſtituitur, & reformatur*, &c. Idem affirmat Burdegalenſis, *lib. 2. Chronograph. circa annum 1198.* his verbis: *Sub Innocentio III. Ordo Carmelitarum ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano inſtauratur.* Quibus ſubſcribunt Naucleros *Tomo 2. Chronicor. generatione 41.* dicens: *Albertus Hieroſolymorum Patriarcha labentem in Syria Religionem reſtituere conatus eſt. Carmeli montis incolas fratres diſciplinâ, & Regulâ coërcuit, quæ Regula tunc Romæ probata eſt.* Hæc Nauclerus: & loquitur de tempore *Innocentij III.* Et *Chronicon Chronicorum in 6. ætate* fol. 207. *Ordo Carmelitarum in Syria apud Carmelum montem ab Alberto Hieroſolymorum Patriarcha excitatur, atque idem Regulam ſuo jure confectam obſervandam priſcò obtulit, & confirmavit.* Ex quibus colligere etſi obiter licet, primùm, *Albertum* non inſtituiſſe, ſed potiùs inſtauraſſe, excitaſſe, ac renovaſſe Carmelitarum Ordinem; ſecundùm, ſua authoritate, quam tunc à jure habebat, tradidiſſe, & confirmaſſe. De qua nos quoque infrà latiùs dicemus.

Onuphrius Burdegalen. *Naucl. tom.* *Chronicon Chronicorum.*

REGU-

REGULA PRIMITIVA FRATRUM BEATÆ MARIÆ V. DE MONTE CARMELI, AB ALBERTO Hierosolymitano Patriarchâ eis tradita.

§. I.

ALBERTVS DEI gratiâ Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis in Christo filijs Brocardo, & ceteris Eremitis, qui sub ejus obedientia juxta fontem ELIÆ, in monte Carmeli morantur, salutem in Domino, & sancti Spiritus benedictionem. Multifariè, multisque modis S. Patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcunque modum Religiosæ vitæ elegerit, in obsequio JESV Christi vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & bona conscientia deservire. Verùm quia requiritis à nobis, ut juxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis: Regulæ prologus

I. Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omnium assensu, vel majoris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare. De Priore & obedientia ei præstanda.

II. Præterea juxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis, eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ. De cellis Fratrum

III. Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentiâ Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi locum mutare, vel cum alio permutare.

IV. Cellula Prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio & dispositione ipsius postmodum quæ agenda sunt cuncta procedant. De cella, & gubernio Prioris.

V. Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi alijs justis occasionibus occupentur. De mansione in cellis.

VI. Hi qui litteras noverunt, & legere Psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione sanctorum Patrum, & Ecclesiæ approbata consuetudine ad horas singulas sunt deputati. Qui verò litteras non noverunt, viginti quinque vicibus dicant Pater noster, in Nocturnis vigilijs, exceptis Dominicis & solemnibus diebus, in quorum vigilijs prædictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis; in aliis quoque horis septies similiter eadem figillatim dicatur oratio, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis. De Horis Canonicis.

VII. Nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia. Et ex his, quæ vobis Dominus dederit, distribuatur unicuique per manum Prioris, id est per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout unicuique opus fuerit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum: ita tamen, ut sicut præmissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quæ sibi distributa fuerint singulariter vivant. De non habendo quid proprium.

VIII. Oratorium, prout commodiùs fieri poterit, construatur in medio cellularum: ubi manè per singulos dies ad audienda missarum solênia convenire debeatis, ubi hoc cõmodè fieri poterit. De Oratorio, & cultu divino.

IX. Dominicis quoque diebus vel alijs, ubi opus fuerit, de custodia Ordinis tractetis, ubi etiam excessus & culpæ fratrum, siqui de aliquo deprehensi fuerint, charitate media corrigantur. De Capitulo & correctione Fratrum.

X. Jejunium singulis diebus, exceptis Dominicis observetis à festo exaltationis S. Crucis, usque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat: quia necessitas non habet legem. De Jejunio.

XI. Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis, aut nimiæ debilitatis remedio sint sumendæ. De abstinentia à Carnibus

Quia verò militia est vita hominis, & omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur: adversarius quoque vester Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret, omni solicitudine studeatis indui armaturâ DEI, ut possitis stare adversus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo Castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus sanctis: scriptum est enim: Cogitatio sancta servabit te. Induenda est lorica justitiæ, ut Dominum DEVM vestrum ex toto corde, & tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tanquam vosmetipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis etiam tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim impossibile est placere DEO: & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Galea quoque salutis imponenda est capiti, ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum DEI, abundanter habitet in ore & in cordibus vestris. Et quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant. De armis spiritualibus

Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper vos Diabolus inveniat occupatos, ne exotitate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis in hoc beati Pauli magisterium pariter & exemplum, in cujus ore Christus loquebatur, qui positus est, & datus à DEO prædicator & doctor gentium in fide & veritate, quem si secuti fueris, De Otio vitando.

su, non poteritis aberrare. In labore (inquit) & fatigatione fuimus inter vos, nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quasi nos non habeamus potestatem; sed, ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hæc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes. His autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus & obsecramus in Domino IESV Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent. Hæc via sancta & bona: ambulate in ea.

De silentio & quomodo servandum.

Commendat autem Apostolus silentium, cùm in eo præcipit operandum: & quemadmodum Propheta testatur, Cultus justitiæ silentium est: & rursum: *in silentio & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, ut ab hora vespertina usque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi fortè necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat. Alio verò tempore licet silentij non habeatur observatio tanta, diligentius tamen à multiloquio caveatur: quoniam sicut scriptum est, & non minùs experientia docet, in multiloquio peccatum non deerit. Et qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item, qui multis utitur verbis, lædit animam suam. Et Dominus in Evangelio: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis, & frænos rectos oris suo, ne fortè labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus ejus ad mortem. Custodiens eum Propheta vias suas, ut non delinquat in lingua sua. Et silentium, in quo cultus justitiæ est, diligenter & cautè studeat observare.*

Exhortatio Prioris ad humilitatem.

Exhortatio Fratrum ut Priorem suum honorent.

Tu autem Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & servetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicunque voluerit inter vos major esse, frater, erit vester minister: & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

Vos quoque cæteri fratres Priorem vestrum humiliter honorate, Christum potius cogitantes, quàm ipsum, qui posuit illum super capita vestra. Et ecclesiarum præpositis ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit, ut non veniatur in judicium de contemptu, sed de obedientia mereaminivitæ æternæ mercedem.

Regulæ Epilogus commendatur discretioni.

Hæc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundùm quam vivere debeatis. Siquis autem supererogaverit, ipse Dominus cùm redierit, reddet ei. Utatur tamen in omnibus discretione, quæ Virtutum est moderatrix.

Hæc Regula *prima* à nobis dicitur: quia etsi alias fuisse Regulas ante hanc non dubitamus, tamen hæc merito *prima* sive *primitiva* dicitur, quia aliæ, vel scriptæ olim non erant, sed tantùm illis, ut traditionibus Majores nostri utebantur; vel si scriptæ, per modum tamen exhortationis, aut instructionis cujusdam ferebantur: ita enim Regula à *Joanne* Patriarcha Hierosolymitano conscripta, per modum cujusdam ideæ, sive exemplaris apparet. Sed quia teste Divo Hieronymo, nulla est tam sancta, tam justa, & diu provisa institutio, quæ in futurum plures non patiatur defectus, & aliquando correctione non indigeat: ideo non mirum alicui videri debet, si, quod prius maturè ab *Alberto* statutum fuit, postea ex seniorum consilio, ac experientia, id esse nocivum, testante, fuerit in aliquo immutatum. Nam & Ecclesia Sancta, cui divinum Spiritus sancti lumen adesse semper fatemur, plerumque (ut habetur in *Cap.* non debet *de consanguinitate & affinitate*) nonnulla rationabiliter præcipit, quæ suadente subditorum utilitate, postmodum consultius & rationabilius in melius commutat.

Cur hæc Regula *prima* dicatur, seu *primitiva*.

Nulla est tam sancta institutio, quæ non egeat aliquando mutatione aut correctione; quod scripturæ Sac. & sanctæ Ecclesiæ confirmatur exemplis

Imò & ipsum DEUM id fecisse 4. *Regum* 18. *Cap.* narrat historia, & refertur 63. *distinctione Cap.* Quia sancta Romana. §. *verum*: ubi exemplum Ezechiæ Regis adducitur, qui dissipavit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem Moyses jussu DEI constituxerat. Ideo autem destruxit ille, quod jubente DEO fecerat iste, quia populus jam serpente æneo, eum colendo, & venerando, abuti cœperat.

Sic multa à Prædecessoribus & Majoribus instituuntur, quæ illorum tempore optima, & proficua dignoscebantur, postea verò injuria temporum, sive alijs circumstantijs denuo renascentibus, aut in superstitionem, aut in multorum perniciem vertuntur, fiuntque Communitati nociva, quæ antea salubriter tenebantur.

Hæc attendentes regulæ *Alberti* observatores, cùm in illa quædam statuta gravia, quædam dubia conspicerent, illam mitigari, ac declarari oportere, pro majori Ordinis bono decreverunt. Quare duos Patres Reginaldum, & Petrum anno Domini 1248. ad sedem Apostolicam, hujusmodi mitigationem, ac declarationem postulaturos miserunt. INNOCENTIUS igitur Quartus, tunc magnus Ecclesiæ Pastor, Patrum supplicationibus annuens, hanc mitigationem, ac declarationem Hugoni Cardinali Sanctæ Sabinæ, & Guilielmo Anteradensi Episcopo, vice ipsius, faciendam commisit, qui prædictam Regulam *Alberti* correctam, & mitigatam Priori, & Fratribus Carmelitis hoc tenore conscriptã, fel. vandã tradiderunt.

REGULA ALBERTI PRIMITIVA FRATRUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO,

prout ab Innocentio IV. fuit declarata.

§. II.

INNOCENTIVS Episcopus, servus servorum DEI, dilectis filijs, Priori & Fratribus eremitis B. MARIÆ de monte Carmeli salutem & Apostolicam benedictionẽ.

Quæ honorem Conditoris omnium, & profectum continent animarum, roboris præsidio sunt fulcienda perpetui; sed illa præcipuè, super quibus Apostolicæ sedis authoritas salubris providentiæ studium noscitur habuisse. Cùm itaque nos ad vestræ

stræ supplicationis instantiam, per dilectum filium Hugonem tituli sanctæ Sabinæ presbyterum Cardinalem, & venerabilem fratrem nostrum Guilielmum Anteradensem Episcopum, quædam vestræ Regulæ dubia declarari ac corrigi, ac etiam ipsius quædam gravia misericorditer fecerimus mitigari, prout in litteris inde confectis plenius continetur: Nos, vestris pijs desiderijs annuentes, declarationem, ac mitigationem & correctionem hujusmodi, authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum fecimus præsentibus annotari, qui talis est:

Frater Hugo Divinâ miseratione tituli S. Sabinæ presbyter Cardinalis, & frater Guilielmus eâdem miseratione Anteradensis Episcopus, charissimis in Christo Religiosis, Priori Generali, & definitoribus Capituli generalis Ordinis Fratrum B. MARIÆ de monte Carmeli, salutem in omnium salutari. Accedentes ad Apostolicam sedem fratres Clerici, Reginaldus & Petrus Ordinis vestri, ex parte vestra à Domino Papâ humiliter postularunt, ut quædam, quæ in privilegio vestro ac Regula olim vobis à Felicis memoriæ Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita continentur, dubia declarare, corrigere, ac etiam quædam ipsius gravia mitigare misericorditer dignaretur. Cùm igitur Dominus Papa eorum devotis supplicationibus annuendo, nobis commiserit, ut declarationem, correctionem, & mitigationem hujusmodi faceremus vice ipsius, secundùm quod bono statui Ordinis, & Fratrum saluti expediens videremus: Religioni vestræ, qua fungimur authoritatè, mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam, ac mitigatam (prout expedire vidimus) devotè recipientes, eam firmiter observetis, & ad instar ejusdem alias vestras corrigatis: quam vobis per eosdem Fratres mittimus in hac forma.

TEXTVS REGVLÆ.

ALBERTUS DEI gratiâ Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, Dilectis in Christo filijs, Brocardo & ceteris Fratribus Eremitis, qui sub ejus obedientia juxta fontem ELIÆ in monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & Sancti Spiritus benedictionem.

Multifariè multisque modis sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcunque modum Religiosæ vitæ elegerit, in obsequio JESU Christi vivere debeat, & eidem fideliter, de corde puro, & conscientia bona deservire. Verùm quia requiritis à nobis, ut juxta propositum vestrum, tradamus vobis vitæ formulam, quam renere in posterum debeatis.

DE PRIORE HABENDO, ET TRIBUS SIBI PROMITTENDIS.

Illud inprimis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omniumque assensu, vel majoris & saniotis partis, ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare, cum castitate & abdicatione proprietatis.

DE RECEPTIONE LOCORUM.

Loca autem habere poteritis in Eremis, vel ubi donata vobis fuerint, ad vestræ Religionis observantiam apta, & commoda, secundùm quod priori, & Fratribus videbitur expedire.

DE CELLIS FRATRUM, ET DE COMMUNI MENSA.

Præterea juxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

Ita tamen, quòd in communi refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter, aliquam lectionem Sacræ Scripturæ audiendo (ubi commodè poterit observari) sumatis. Nec liceat alicui fratrum, nisi de licentia Prioris (qui pro tempore fuerit) deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad eundem locum primus occurrat, & de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum quæ agenda sunt cuncta procedant.

DE JUGI ORATIONE, ET CELLÆ INHABITATIONE.

Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes: nisi alijs justis occasionibus occupentur.

DE HORIS CANONICIS.

Hi, qui horas Canonicas cum clericis dicere norunt, eas dicant secundum constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesiæ approbatam. Qui eas non noverint, viginti quinque vicibus *Pater noster* dicant in nocturnis vigilijs: exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur *Pater noster* vicibus quinquaginta. septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis, in alijs quoque horis septies similiter eadem dicatur oratio sigillatim, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

DE ABDICATIONE PROPRIETATIS.

Nullus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat, sed sint vobis omnia cõmunia, & distribuantur unicuique per manum Prioris, id est, per fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuiq; opus fuerit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum. DE ORATORIO, ET CULTU DIVINO.

Oratorium (prout commodiùs fieri poterit) constructur in medio cellularum: ubi manè per singulos dies, ad audienda missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commodè fieri poterit.

DE CAPITULO ET CORRECTIONE FRATRUM.

Dominicis quoque diebus, vel alijs, ubi opus fuerit, de custodia Ordinis, & de animatum salute tractetis; ubi etiam excessus & culpæ Fratrum (si quæ in aliquo deprehensæ fuerint) charitate media corrigantur.

DE JEJUNIO.

Jejunium singulis diebus (exceptis Dominicis) observetis à festo exaltationis sanctæ Crucis, usque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat: quia necessitas non habet legem. DE ABSTINENTIA CARNIUM.

Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet

tet frequentius mendicare itinerantes, (ne sitis hospitibus onerosi) extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus; sed & carnibus supra mare vesci licebit.

DE SPIRITUALIBUS ARMIS.

Iob.7. *2.Tim.3.* *1.Petr.5.* *Marci 12.* *Ephes.6.* *Hebr.11.* *Ephes.6.* Quia verò *tentatio est vita hominis super terram*, & *qui piè volunt vivere in Christo, persequutionem patiuntur. Adversarius quoque vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, omni solicitudine studeatis indui armatura DEI, ut possitis stare adversus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus sanctis: scriptum est enim: *Cogitatio sancta servabit te.* Induenda est lorica justitiæ, *ut Dominum DEUM vestrum, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute diligatis, & proximum vestrum tanquam vos ipsos.* Sumendum est *in omnibus scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere: sine fide enim impossibile est placere DEO*, & *hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra.* Galea quoque salutis capiti imponenda est, ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum à peccatis eorum, *Gladius autem spiritus, quod est verbum* DEI, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris: & quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.

DE LABORE MANUUM.

Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper Diabolus inveniat vos occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis in hoc beati Pauli Apostoli magisterium, pariter & exemplum (in cujus ore Christus loquebatur) qui positus est & datus à DEO prædicator, & doctor gentium, in fide & veritate, quem si sequuti fueritis, non poteritis aberrare. *In labore* (inquit) *& fatigatione fuimus inter vos, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quasi nos non haberemus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos: nam cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: Quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes in quiete, nihil operantes: iis autem, qui hujusmodi sunt, denuntiamus & obsecramus in Domino* JESU *Christo, ut cum silentio operantes panem suum manducent.* Hæc via sancta est & bona, ambulate in ea. *2.Thessalon.3.*

DE SILENTIO.

Commendat autem Apostolus silentium, cùm in eo præcipit operandum, & quemadmodum Propheta testatur: *Cultus justitiæ silentium est*: & rursus: *in silentio & spe erit fortitudo vestra.* Ideoque statuimus, ut dicto Completorio silentium teneatis, usque ad Primam dictam sequentis diei. Alio verò tempore licet silentij non habeatur observatio tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caveatur. Quoniam, sicut scriptum est, & non minùs experientia docet, *in multiloquio peccatum non deerit, & qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Item, *qui multùm utitur verbis, lædit animam suam.* Et Dominus ait in Evangelio: *De quocunque verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicij.* Faciat ergo unusquisque statueram verbis suis, & frænos rectos ori suo, (ne fortè labatur, & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus ejus ad mortem,) custodiens cum Propheta vias suas, *ut non delinquat in lingua sua: & silentium*, in quo *cultus justitiæ est*, diligenter & cautè studeat observare. *Isai.32.* *Idem 30.* *Proverb. 10.&13.* *Eccli.20.* *Matth.12* *Psalm.38*

EXHORTATIO AD PRIOREM.

Tu autem frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & observetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, erit minister vester, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* *Matth 20*

EXHORTATIO AD FRATRES.

Vos quoque cæteri Fratres Priorem vestrum honorate humiliter, Christum potiùs cogitantes, quàm illum, qui posuit ipsum super capita vestra: & Ecclesiæ Præpositis ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*: ut non veniatis in judicium de contempto, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. *Luc.10.*

CONCLUSIO REGULÆ.

Hæc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundùm quam vivere debeatis. Si quis autem supererogavit, ipse Dominus cùm redierit, reddet ei: utatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

Actum Lugduni anno Domini Millesimo Ducentesimo Quadragesimo septimo, Domini Papæ Innocentij IV. anno quinto, Kalendis Septembris.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Dat. Lugduni Kalend. Decembris. Pontificatus nostri anno quinto.

quænam ab Innocentio Regulæ Alberti addita fuerint, aut mutata?

Ex his, quæ in hac Regulæ correctione descripta sunt, facile constare poterit, in quibus hæc Regula mitigata ac declarata sit. In primis *Cap. primum* prioris Regulæ Alberti in hac nova correctione magis apertiùr ac declaratur. Continebatur enim olim in illo, ut Fratres obedientiam promitterent, ob quod dubitatum fuit, an simul tenerentur ex vi regulæ ad observandam castitatem, & paupertatem. Ad extinguendos ergo similes dubitationes, in hac posteriori correctione additum fuit: *Cum castitate, & abdicatione proprietatis.*

Præterea, quia inter Fratres exorta fuit dubitatio, an illis Alberti verbis: *Nullus Fratrum aliquid sibi proprium esse dicat, sed sint vobis omnia communia, &c.* interdiceretur proprium in particulari tantùm, an verò etiam in communi. Hanc dubitationem ut declaret & solvat *Innocentius quartus*, in prædicto Regulæ capite addidit, non posse Fratres aliquid aliud in communi possidere, præter asinos, & mulos, sive aliquot animalium, sive volatilium ad nutrimentum: & sic eos teneri ad paupertatem, tam in particulari, quàm in communi, servandã. Et ideo adjecit, *asinos autẽ sive mulos, &c.*

Deinde cùm multa incommoda in vita omnino eremitica, & singulari Fratres experirentur: (secundùm enim Regulam Alberti omnes in cellulis separatis singulariter viventes, communi refectorio, & mensa non utebantur) denuo *Innocentius* præcepit, ut communi cibo in communi refectorio vescerentur simul. Hæc sunt, quæ circa priorẽ Alberti Regulam *Innocentius IV.* declarat, & augẽdo statuit.

Tandem in tota Regula duo tantum ejus præcepta mitigata reperiuntur. Primum est de esu carniũ. Nam in Alberti Regula ita erat scriptum: *Abesu carnium abstineatis semper, nisi ratione ultima debilitatis sumantur.* In mitigatione verò dicitur: *Ab esu carniũ abstineatis, nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio sumantur.* Secundum præceptum, quod lenitum, ac tẽperatũ ab *Innocentio* accepimus, circa silentiũ vertatur. In Regula enim Alberti olim præcipiebatur, ut ab hora vespertina usq; in horam tertiã sequentis diei silentiũ servaretur: in hac verò, à Cõpletorio

usque ad Primam dictam sequentis diei silentium statuitur. Hæc sunt, & non alia, in quibus illa prior Alberti institutio in hac Innocentij mitigatione temperata invenitur. Quæ cùm levissima sit moderatio, & de levissimis etiam rebus: meritò usque nunc Regula Innocentij primitiva à summis Pontificibus passim nuncupatur.

Hæc verò Alberti Regula successu temporis plures alias mitigationes, ac dispensationes passa est, de quibus statim dicemus. In Hispania vero à Fratribus Discalceatis anno 1568. cœpit feliciter observari, & nunc pluribus alijs novis constitutionibus firmata custoditur. Contigit autem hæc Regulæ mitigatio (ut ex ipsa constat) anno 1247. anno quinto Pontificatus *Innocentij IV.* Floruitque in Ordine hujus Regulæ observatio absque ulla alia mitigatione, usque ad tempora *Eugenij quarti*, quem circa annum Domini 1431. existente in Ordine Magistro Joanne Facio Priore Generali, Fratres adeuntes, aliam Regulæ novam mitigationem, ac moderationem humiliter ab eo postularunt: quam *Eugenius* in hac forma concessit:

REGULA ALBERTI, PROUT MITIGATA FVIT AB EVGENIO IV.

ANNO DOMINI M. CCCC. XXXI.

§. III.

BVLLA EVGENII IV. IN QVA MITIGANTVR CAPITVLA DE ABstinentia carnium, de jejunio, & de mansione in cellulis: atque conceditur Fratribus indulgentia plenaria in articulo mortis.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, ad perpetuam rei memoriam.

ROMANI Pontificis providentia circumspecta nonnunquam ea, quæ ad propagationem Religionum quarumcunque, & in divinis obsequijs mancipatarum personarum prosperum statum conservandum, ac animarum salutem earundem salubriter instituta fuerant, ut fructum afferant exoptatum reformat & moderatur: & ut Religiones ipsæ, præsertim à Sede Apostolica approbatæ in suo vigore perdurent, prout temporis pensata dilectorum filiorum Ioannis Facci Magistri Generalis, ac provincialium, & claustralium Priorum, & universorum Fratrum Ordinis B. MARIÆ de monte Carmeli nuper expositum, quòd in certis capitulis Regula, Fratribus dicti Ordinis per bonæ memoriæ Albertum Patriarcham Hierosolymitanum tradita, inter cetera cavetur expressè: Quòd Fratres prædicti Ordinis ab esu carnium abstineant, nisi pro infirmitate, vel debilitatis remedio sumantur: eisdem etiam, quòd singulis diebus (Dominicis duntaxat exceptis) à festo exaltationis sanctæ Crucis usque ad festivitatem Resurrectionis Domini nostri IESV Christi jejunare teneantur: quodque singuli eorum manere debeant in cellis suis, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes præcipitur. Et propterea nonnulli ipsius Ordinis professores propter arctitudinem, & rigorositatem Regulæ hujusmodi, tam ex fragilitate humana, quàm ex debilitate corporea nequeuntes eandem Regulam observare, dispendium suæ salutis incurrant, quodque plures etiam asperitatem hujusmodi pertimescentes ab ingressu ejusdem Ordinis retrahantur.

Nos verò qui plantare Religionem sacram, & plantatam modis omnibus fovere, intensis desiderijs affectamus, super hoc quantum nobis est possibile, providere salubriter cupientes, & rigorem hujusmodi quadam temperie mitigantes, ac Regulam ipsam moderantes, Apostolica authoritate tenore præsentium statuimus, ordinamus, & concedimus, quòd dicti Ordinis professores, qui nunc sunt, & pro tempore erunt, tribus duntaxat diebus singularum septimanarum, etiam quibus (ut præfertur) jejunare juxta eandem Regulam sunt adstricti, præterquam in Adventu, & in Quadragesima, & aliis generalibus prohibitis diebus, carnibus vesci, ac horis congruis in eorum Ecclesijs, & illorum claustris, ac per eorum ambitus manere, & deambulare licitè & liberè valeant. Decernentes, eos, & eorum singulos circa præmissa ad arctiorem observantiam, quàm supra præmittitur, occasione professionis in dicto Ordine emissæ, vel in posterum emittenda minimè teneri.

Et nihilominus Fratribus eisdem, qui Regulam ipsam ita, ut præmittitur, moderatam observaverint, quòd eis proficiat in remissionem peccatorum. In omnibus & singulis privilegijs, indulgentijs, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, protectionibus, & prærogativis eidem Ordini per antea concessis, uti & gaudere possint, eadem auctoritate concedimus per præsentes: constitutionibus Apostolicis, & statutis, consuetudinibus etiam prædictis, & aliis Ordinis & Regulæ prædictis capitulis juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate vallatis, ceterisque contrarijs non obstantibus quibuscunque.

Et ut ipsi Fratres in humilitatis, & paupertatis spiritu, ac castimonia virtutum Domino famulantes ad hujusmodi mitigatam Regulam ferventius animentur: omnibus, & singulis Fratribus dicti Ordinis præsentibus & futuris duntaxat, qui Regulam istam sicut præmittitur moderatam observaverint, seu in observantia ipsius vixerint, ut superiores ipsorum dicti Ordinis, vel alius quicunque idoneus ejusdem Ordinis sacerdos omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem in statu & sinceritate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac obedientia vel devotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium, nec non observantiæ prædictæ persistente, auctoritate Apostolica concedere valeant, devotioni ipsorum tenore præsentium, indulgemus.

Sic tamen, quod iidem superiores, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eisdem Fratribus si supervixerint, vel per alios, si fortè transierint, faciendam injungant, quam ipsi Fratres facere teneantur, ut præfertur. Et ne (quod absit) propter hujusmodi gratiam Fratres prædicti reddantur proclíviores ad illicita in posterum committenda, volumus quòd si ex confidentia remissionis hujusmodi, prædicti Fratres aliquando forte committerent, quòd illa prædicta remissio nullatenus suffragetur.

Et insuper quòd per unum annum, ex quo nostra præsens concessio ad eorundem Fratrum pro tempore existentium notitiam pervenerit, computando, singulis sextis feriis, impedimento legitimo cessante jejunent. Quòd si prædictis sextis feriis ex præcepto Ecclesiæ, regulari observantia, injuncta pœnitentia, voto vel aliàs jejunare teneantur, una alia die singularum septimanarum ejusdem anni, quæ ad jejunandum non sint astricti, jejunent. Etsi indicto anno, vel aliqua ejus parte essent legitimè impediti, anno sequenti, vel alias quàm primum potuerint modo simili supplere jejunium teneantur. Porro, si alias forsan prælibatum jejunium in toto vel in parte adimplere commodè non potuerint, eo casu superiores ipsorum jejunium ipsum in alia pietatis opera, prout saluti animarum ipsorum viderint expedire, commutare valeant, quæ ipsi pari modo debeant adimplere. Alioquin nostra præsens concessio, quo ad non observantes duntaxat nullius esset roboris vel momenti. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, concessionis, & voluntatis infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ Millesimo, Quadringentesimo, Trigesimo primo, Quinto decimo Kalendas Martij. Pontificatus nostri anno primo.

Nec sistit hic Regulæ mitigatio: postea enim Magister Soreth totius Ordinis Prior Generalis aliam Regulæ mitigationem in jejunijs feriarum tertiæ, & quintæ post exaltationem sanctæ Crucis *à Pio II.* anno Domini 1459. petijt, & obtinuit.

Pius 2.

Sixtus IV.

Ac tandem anno 1476. *Sixtus Quartus* circa Regulam ab Eugenio prædictis modis mitigatam concessit Priori generali, pro tempore existenti, facultatem, ut quo ad jejunia, & carnium abstinentiam (temporum, locorum, ac personarum qualitate pensata) cum dicti Ordinis professoribus juxta fuæ conscientiæ arbitrium posset dispensare. Et sic in Capitulo generali Rupecularæ celebrato anno 1584. virtute hujus *Sixti Quarti* concessionis sancitum fuit, ut Priores Provinciales, & eorum vicarij cum Fratribus Provinciarum, super esum carnium feria secunda possent leniter agere: feria autem quarta esus carnium tam publicus, quàm privatus, omnibus fuit interdictus. Et hæc de Regula Alberti cum suis mitigationibus.

FINIS PARTIS PRIMÆ. SECUN.

SECUNDA PARS
DE TITULO, ET ALIIS PRÆFATIONIBUS REGULÆ,
NOBIS AB ALBERTO PATRIARCHA HIEROSOLYMITANO TRADITÆ.

Argumentum secundæ partis.

PRÆMISSIS *Regulis, aliisque majorum nostrorum institutionibus, antequam Alberti Regulam commentariis exponamus; operæ pretium existimavi, quædam alia in hac secunda parte prælibare, quæ sunt veluti præfationes eorum, quæ in hoc opere tractanda sunt. Decrevi igitur à titulo sive inscriptione Regulæ initium sumere.*

Titulus autem hic initio Regulæ præfixus habetur:

Regula Fratrum beatæ MARIÆ Virginis de monte Carmeli.

SVnt autem hæc verba non Regulæ pars, sed potiùs superscriptio, sive rubrica eorum, quæ in Regula continentur. Quare sicut prudenter jurisperiti, qui aliquem juris titulum explanare aggrediuntur, priùs rubricam, sive inscriptionem, veluti primam januam ad ceterorum cognitionem aperire consueverunt: ita nos non absque à regulæ titulo, & inscriptione ordiemur: ut ceteris rebus, quæ in Regula continentur, majorem lucem, ac claritatem afferamus. Igitur circa hunc titulum tota hæc introductio conversabitur primò de etymologia hujus nominis *Regula*, de Authore, & tempore, deinde de titulo beatæ MARIÆ Virginis, quo insigitur, de ejus (supra alias Regulas) perfectione, de scopo sive fine (quem logici objectum appellant,) ac tandem de ejus obligatione differemus. Hæc enim sunt, quæ circa nostram Regulam, antequam ejus litteram exponamus, præcognosci debent.

DVBIVM I.

De etymologia hujus nominis *Regula*, & de definitione nostræ Regulæ.

NOmen hoc quàm latissimè patet, & varijs acceptionibus apud variarum artium professores gaudere solet. Quare æquivocum, & multiplex illud appellat Archidiaconus *distinct. 3. Cap. Regula.* Omissis verò alijs significationibus, de quibus latè tractant juris interpretes in *l. 1. de reg. jur.* & dict. *Cap. Regula*, eas tantùm hoc loco adducam, quæ in aliquo sensu adaptari possunt Regulis Religionum.

Archidiac

Isidor. Ca. canon. & c. Regul. d. 3

Primò igitur, ut Isidorus *lib. 6. etymologiarum cap. 16.* & refertur *dist. 3. Cap. canon*, & c. *Regula*, affirmat, id quod Latinè *regula* dicitur, Græcè *canon* nuncupatur. Est autem regula ab eo dicta, quòd rectè ducit, neque aliquem aliorsum trahit. Alij verò, quorum Isidorus *ibidem* meminit, regulam dictam existimant, vel ab eo, quod regat; vel eo, quod formam benè vivendi præbeat: vel quòd distortum, pravumque corrigat. Hæc Isidorus.

Variæ nominis Regulæ acceptiones exponuntur.

Sumitur præterea regula pro brevi, & compendiosa præceptione rerum, ut colligitur ex *Cap.* quæro 11. *q. 1.* & sentit Archidiaconus, ut supra: qua acceptione omnes artes proprijs funguntur regulis: habent enim Grammatici, Medici, Jurisperiti, ac alij in suis facultatibus proprias regulas, quibus, veluti quibusdam suæ artis dogmatibus, instruuntur, ac informantur.

Cap. quar. 11. q. 1.

Juxta has Regulæ acceptiones non incommodè Religiosorum Regula usurpari potest. Et ut à prima, qua *Regula* pro *Canone* sumitur, incipiam, non est dubium, ob hanc Regulæ cum Canone affinitatem, sive, ut propriùs loquar, identitatem, olim Canonicos Regulares fuisse appellatos à *Canone* sive *Regula*: quia communem quandam vitæ Regulam, institutumque observabant. Ideoque Canonici Regulares sunt nuncupati: in quo etiam sensu canonicè vivere dicuntur à Gregorio *Cap. quoniam 12. quæstione 1.* qui communem, & Regularem vitam profitentur. Cui etiam nominis appellationi adhæsit Justinianus *novella 59.* ubi quasdam mulieres, quia communem vitam, & Regu-

Cap. quoniam 12. q. 1. Justinian.

Regulam tenebant, Canonicas appellavit. Et quamvis Ludovicus Vives (teste Navar. *Cap. cui portio num. 2.*) in hac Canonicorum Regularium nomenclatura battologiam, (hoc est, inutilem ejusdem nominis repetitionem) committi asserat: & ob Græci sermonis imperitiam, hanc fuisse in vulgo introductam etymologiam contendat, ignorante, utriusque nominis eandem esse significationem: à qua sententia non abhorret Duarenus *de beneficijs lib. 1. Cap. 18.* quare ibi Canonicos potius fuisse dictos à Canone, hoc est, à pensione, sive annona, quæ ipsis pro stipendio, & mercede distribuebatur, existimat. Canonicam enim, ac certam, ut ipse asserit, ordinariamque pensionem ij tantùm in Ecclesia accipiebant, cùm ceteris clericis non certa portio ex incertis, & contingentibus oblationibus, quæ fiebant in Ecclesia, contingeret: quare illi Regulares Canonici sunt dicti, hi verò minimè: tamen à communi sententia, & recepta Canonicorum regularium etymologia non esse recedendum existimo, præsertim cùm œcumenica concilia, & summi Pontifices sic passim eos appellent. Ea verò, quæ opponunt prædicti Authores, non satis cautè fuisse objecta, graviter demonstrant Covarruvias, Joannes de Miravelle, Joannes Trullo, & alij apud Navarrum, ubi supra; qui facilè eorum argumenta diluunt.

Ludo. Vivis. Navarrus. *Duarenus* Canonici Regulares inde dicti. *Covarruv. Joan. Mira. Joã. Trull Navarrus*

Primò, quia censendum non est, tot ac tantos vitos, tam ejusdem, quàm aliorum Ordinum, Græcè ac Latinè peritissimos ignorasse, *canon* Græcè idem esse, quod Latinè *Regula*. Quod quidem, ut Navar. ait, auditor canonum annotatos novit. Secundò solvunt, quia quando vocabula sunt diversarum linguarum, aptè fieri solet ejusdem verbi congeminatio, ut in illo *Marci* 4. Abba Pater, & *ad Rom.* 8. Clamamus *Abba Pater*: imò in eâdem lingua ejusdem verbi repetitio non semper Battologiam redolet, cum fiat non raro, ut excitetur affectus: ut illud Psalmi, *Deus Deus meus*: & quod Christus in cruce clamavit: *Holoi, Heloi Lamasabathani*. Quare in præposito duplicata forte fuit nomenclatura, ut *Regularis Canonicus*, dum audit, bis se regularem appellari, magis suæ Regulæ, & professionis obligationem expendat. Ac tandem ultimò, dicti sunt *Canonici Regulares* ad distinctionem aliorum Canonicorum, qui etsi simul, & Regulariter suo modo ex Ecclesiæ patrimonio vivant; *Regulares* tamen propriè non sunt: quia professionem monasticam non emittunt. Prædicti verò, *Canonici Regulares* propriè appellantur, quia astricti sunt professionis vinculo, ut optimè notat Navarrus, ut supra.

Marc. 4. *Ad Rom. 8* *Psalm. 62*

Ceteras Regulæ acceptiones, quomodo Religionis Regulæ conveniant ostenditur. *Umbertus.*

Cæteræ verò acceptiones, quæ huic voci *Regula* conveniunt, optimè quoque Religionis regulis quadrant. Nam sive *Regula* dicatur à rectitudine, qualis est illa, qua utuntur scriptores, lignarij, vel cæmentarij, sive dicatur à regendo, quo sensu diximus usurpari pro brevi in qualibet arte traditione documentorum; utroque sensu, ut egregiè notavit Umbertus in *Exordio suarum enarrationum in Regulam Divi Augustini Cap. 7.* monachorum institutum congruè Regula dicitur: Primò, quia sicut per regulam distorta diriguntur, ita etiam per hanc normam vivendi distorti mores diriguntur. Item, sicut per illam gibbi removentur, ut patet in cæmentario: sic per istam gibbi superbi, & superfluitates complanantur. Item, per regulam res quadrantur, ut lapides reddantur quaterni opere quadro. Sic per Religionis regulam fiunt homines quadrati virtutibus Cardinalibus, ut sint aptiores ædificio cælesti. Item, habilitantur res diversæ, ut fiant aptæ conjunctioni in unum, ut patet in cæmentarijs. Sic per regulam monasticam fiunt diversi unum in Domino. Item, sicut scriptor, qui de Regula non curat, frequenter distortè scribit: sic discipuli propriam regulam negligentes distortè vivunt. Qui autem secundùm eam, rectissimè vivunt. Et quemadmodum ex applicatione regulæ quandoque res, quæ videbatur recta, apparet distorta, vel gibbosa, quæ apparebat plana: sic procul dubio si diligenter vita multorum sub regula degentium ipsi regulæ comparetur, apparebit distorta plus, quàm antea credebatur. Secundo etiam modo potest dici Regula, quia sicut regula in artibus docet artem sciendi: sic ista artem vivendi. Et sicut per regulam regit se quis in scientia: ita per hanc in vita. Hæc Umbertus, *Ubi supra*. Quibus aptè declarat etymologiam & officium Regulæ Monasticæ ex comparatione ad alias regulas.

Umbertus.

Propriè tamen, & in rigore, Regula, de qua in præsenti præfari intendimus, definiri sic rectè posset: *Regula monastica est quædam Evangelica vivendi norma ab Ecclesia approbata, qua tradit viam tendendi ad perfectionem secundum tria substantialia vota, & alias observantias propria Religionis.* Hæc est propria definitio Regulæ: aliæ verò superiùs assignatæ potiùs sunt descriptiones quædam secundum hujus nominis, *Regulæ*, etymologiam, & variam ejus acceptionem. In specie verò, adæquata nostræ Regulæ definitio fortè sic tradi posset: *Religionis Carmelitarum Regula ist quadam norma vivendi ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita, ab ipso, & à sede Apostolica approbata, dirigens ad charitatis perfectionem acquirendam*, potissimum oratione ac meditatione continua, quæ est veluti immediatus ejus finis: deinde cellulæ clausura, manuum labore, arctissima abstinentia, & silentio, tanquam medijs ad prædictum finem destinatis.

Definitio propria Regulæ Carmelitarum.

DVBIVM II.

Circa illa verba, *Fratrum* B. MARIÆ *de monte* CARMELO: ubi differitur, quare Religio Carmelitarum titulo B. MARIÆ Virginis insigniatur.

RELIGIOSI omnes Patronum aliquem, sui status, & Regulæ proprium Authorem cognoscunt. Alij enim *Antonium*, alij *Basilium*, alij *Benedictum*, alij *Franciscum*, aut *Dominicum*, ut institutorem, & Patrem venerantur; Carmelitæ verò etsi *Eliam* magnum DEI propheram suæ Regulæ authorem, propriique instituti Fundatorem habeant (ut latiùs infrà prosequemur) præter hunc tamen Patronum, illud habet Religio hæc, ut speciale privilegium, ut sit sub patrocinio, & tutela beatissimæ Virginis MARIÆ. Nam ut in magna domo, præter Patrem familias, matrem etiam aliquam esse necesse est, non solùm ad ginnendos liberos, sed ad eos deinde lactandos, & alendos: quæ si mulier sit fortis, qualem depinxit Sapiens, sæpe familiæ virum excellit, & domestici ejus ope, & auxilio majorem utilitatem, ac solatium sentire solent: sic in hac nostra Religionis domo, etsi primi Parentes *Elias* & *Eliseus* fuerint, oportebat tamen propriam esse matrem, quæ ad spiritualem hanc Religiosorum familiam producendam, & eandem nutriendam, & propagandam, suis virtutibus, officijs, ac meritis concurreret.

Consulend. Joan. à JESU MARIA 2. part. *disciplina monastica cap. 2. & comment. in Regul. Carmel.* ad hæc verba Francisci à S. Elia.

curreret. Hæc autem est gloriosissima, virgo DEI-para, omnium mulierum, ac virorum fortissima, quæ in domesticis suis vitam hanc producere & conservare, omnèmque eis lætitiam & opem impartiri solet. Et quamvis hæc mundi Regina in omnes Ecclesiæ status, ac in Religiones specialius lumen & auxilium suum diffundat; verum circa Carmeli incolas, eorùmque successores potissimum suum studium, ac patrocinium, eos ubique defendendo, propriòque suo nomine, & titulo honorando, demonstravit.

Religio igitur nostra sub tantæ Virginis patrocinio, tanquam sub amœnissima umbra, ac sub præsidio tutissimo, DEO militat. Quomodo autem beatissima virgo Religionem istam præcipuo amore, & singulari cura fuerit prosequuta, & ob quam rationem specialis Patrona, & tutrix illius constituta fuerit, & quo titulo Fratres Carmelitæ Virginis MARIÆ præ aliis nomen assumpserint, jam pergimus explicare, si priùs id omnibus notum sit, nullam esse in Ecclesia Regulam, quæ titulo tam honorifico insigniatur. Quia quamvis sint ordines alii, qui simili inscriptione gaudeant, eorum tamen Regula non Virginis MARIÆ, sed sub aliorum Patrum nomine traditur. Est enim peculiariter is titulus nostræ Religioni, & Regulæ à temporibus antiquis attributus, eumque Summi Pontifices jam diu confirmaverunt: simulque hunc Ordinem à virgine editum tradiderunt. Sic SIXTVS IV. in quodam diplomate nobis concesso id sequentibus verbis testatur: *Dum attenta* (inquit) *meditatione pensamus, quod virgo venustissima, quæ florem speciosissimum Dominum nostrum JESUM Christum ineffabili sancti Spiritus cooperante virtute genuit, produxitque sacrum Ordinem B. MARIÆ de monte Carmelo à sede Apostolicâ, pluribusque Romanis Pontificibus approbatum, quem ejusdem gloriosissima DEI genitricis semperque Virginis MARIÆ speciali titulo voluit insigniri* &c. Eodem fermè modo loquuntur Pontifices SIXTI IV. successores, & novissimè GREGORIUS XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ut laudes gloriosissimæ* eisdem ferè, ac SIXTUS IV. utitur verbis. Imò omnibus Fidelibus Ordinem nostrum sub tit. B. MARIÆ Virginis nominantibus INNOCENTIUS IV. decem dies indulgentiarum contulit: URBANUS verò VI. tres annos, & totidem quadragenas indulsit.

Sixtus IV.

Sit igitur prima ratio, quare Carmelitæ meritò nuncupari debeant *Fratres B. MARIÆ Virginis de monte Carmeli.* Desumitur autem hæc ratio ex Joanne Patriarcha Hierosolymitano, *ex libro de institut. monachorum in veteri lege exortorum, & in nova perseverantium*, qui habetur 9. *Tom. Bibliothecæ SS.* ubi is *Cap. 36. & sequentibus* aliquas colligit rationes, ob quas hic Ordo hoc B. MARIÆ Virginis titulo fuerit honoratus.

Joannes Patriarcha Hierosolymit.

Rationes producuntur cur Carmelitæ *Fratres B. M. V.* dicuntur Nubeculam à S. *Elia* in monte Carmelo visa quid portenderit?

Prima, propter primariam Ordinis Carmelitarum in laudem Virginis MARIÆ institutionem. Nam ELIAS hujus instituti monarcha in Carmeli monte orationi incumbens, dum septima vice de mari nubecula conscenderet (ut 3. *Reg.* 18. nar. historia) septima ætate Virginem nascituram, & filium DEI parituram præcognovit, ex tunc, in virginitate perpetua ad honorem ejusdem virginis in Carmelo Religionem fundavit. Curaveruntque (ut verbis prædicti *Joannis* utar) ex tunc successores ELIÆ cum devotione assiduè huic virgini deservire, dudum eorum antecessoribus revelatæ, ac desideratæ, & postea eis exhibitæ, & studuerunt specialiter hanc virginem ideo sibi ipsis in Patronam eligere, quia noverunt ipsam solam singulariter eis conformem in primitiis virginitatis spontaneæ. Quemadmodum enim virginitas spontanea fuit primò per priscos professores hujus Religionis inchoata, & in viris introducta: ita eadem virginitas fuit postmodum per DEI genitricem primò in feminis introducta, & incepta. Propter dictam ergo conformitatem seipsos *Fratres B. MARIÆ Virginis* appellarunt. Hæc Joannes Patriarcha, ubi supra.

Secunda ratio, eaque potissima, quare nostri fratres dicti sint *Virginis MARIÆ*, desumitur ex variis, & gravissimis Authoribus. Nempe, quia Carmelitæ fuerunt primi, qui in Ecclesia DEI templum, sive sacellum in honorem B. MARIÆ Virginis erexerunt. Ita in primis testatur *Joannes* Patriarcha, ut *sup. c. 36.* qui in loco illius præclaræ visionis, ubi ELIAS nubeculam ascendentem vidit, in qua sibi ortus virginis fuit præostensus, asserit, monachos Carmelitas an. incarnat. Filij Dei 83. ædificasse virgini capellam quandam in monte Carmeli juxta fontem ELIÆ: ubi professores præfati seipsos huic virgini commendantes, singulis diebus in septem horis Canonicis ad effundendum dictæ Virgini, & ejus Filio sedulas preces ac laudes, etiam tunc semper conveniebant; & propter hanc causam ceteri, etiam eorum, qui à religione externi erant, eos deinceps *Fratres B. MARIÆ Virginis de monte Carmeli* appellaverunt. Hæc Joannes Hierosolymitanus. Cui authorum turba subscribit. Et in primis (ut alios ex nostris præteream) Waldensis de *Sacramentalib. tit. 9.* contra Wicleph, & in *doctrinali fidei art. 3.* docet ex testimonio Joannis præfato, & ex Armachano Ecclesiæ Hiberniæ Præsule, Carmelitas ob hanc rationem, quia sacellum virgini primi dicarunt, *Fratres virginis MARIÆ* fuisse appellatos. Ait igitur Armachanus apud Waldensem in *sermone de conceptione B. Virginis MARIÆ*, quem prædicavit anno Domini 1342. in conventu Carmelitarum Avinnione: *Quoniam ut dicunt fide dignæ historia, à tempore Eliæ & Elisæi, qui sæpius morabantur in monte Carmelo, juxta Nazareth civitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria, solebant homines devoti secretiùs habitare usque ad tempora Salvatoris. Et tunc illi Eremitæ, prædicantibus Apostolis, inter ceteros sunt conversi: & in uno latere montis ipsius primi Ecclesiam in honorem B. Virginis construxerunt: & ob hoc nimirum inter Religiosos Dominæ nostræ primitus sunt adscripti, ut vocarentur FRATRES B. MARIÆ DE MONTE CARMELO.* Hæc Armachanus. Hujus Armachani testimonij post Waldensem ut supra, meminit Navar. *c. 21. n. 27.* de Horis Canonicis: ubi in hujus veritatis comprobationem quædam carmina affert ex Mantuano, qui Parthenices Mariæ *l. 3. fol. 88.* sic MARIÆ Virginis circa Carmeli montis incolas amorem, vicissimque eorum obsequium post ejus mortem in erigendo ei oratorio, sive sacello, aptè (ut solet) describit his versibus:

Waldens. *Armachl.* *Navar.* *Mantuan.*

Huc igitur si quando quies, vacuumque negotî
Tempus erat, veniens curas lenibat, & ipsa
Majestate loci largè oblectata, redibat.
Propterea montana viri spelæa colentes
Audito illius fato, sublime sacellum
Aprici posuêre jugù primi, atque quotannis
Sacra instaurantes, hymnos, & thura ferebant.
Namque ipsi sese, mox ut vulgata salutis
Fama fuit, Christi magnis junxêre ministris,
Fautores operis sancti, socioque laborum.
Propterea istorum longos servata per annos
Posteritas jungit MARIÆ cum nomine, Montis
Nomina Carmeli, &c.

Deipara montem Carmelum nonnunquam adire solebat.

Idem

Idem cum Mantuano sentit Navarrus, ut supra. Commentator Vaddius in hujus veritatis comprobationem, adducit Josephum Antiochenum vetustissimum historiographum, qui in speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ *cap.* 12. his verbis adstipulatur prædictis: *Perfectorum militum (inquit) Christi coadjutores surrexerunt strenuissimi viri solitariæ contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum ELIÆ, & Elisei imitatores, qui de monte Carmeli descendentes, per Galilæam, Samariam, & Palæstinam fidem Christi constantissimè sparserunt: quique in virginis MARIÆ honorem in Carmeli monte declivio Oratorium fabricantes, Salvatoris matri specialissimè servierunt.* Ecce quomodo Josephus, Carmelitas non solùm oratorium virgini struxisse, sed ipsos specialissimè, ut ipse ait, virgini inservisse, testatur. Igitur, quid mirum, si primi Carmeliæ Virginis MARIÆ titulum ac patrocinium fuerint consequuti?

Carmeli montis incolæ Deiparæ cultui, & obsequiis singulariter dediti.

Accedit etiam Joannes Trithemius Abbas Spanheimensis, scholæque Heidelbergensis quondam clarissimum lumen, qui in *libr. de laudibus Carmelitarum cap.* 7. ita scripsit: *Sicut ex veterum lectione didicimus, titulum B. MARIÆ semper Virginis Carmelitæ convenire maximè scimus. Nam ij ab exordio suæ institutionis DEI genitricem semper maximo honore, & reverentia sunt prosequuti. Enimverò non diu post Domini passionem, fratres montis Carmeli capellam in ejusdem montis latere in DEI genitricis honorem construxerunt, eamque in Ordinis sui advocatam ac patronam elegerunt, & FRATRES ejus dein ceps appellati sunt. Sicut ergo à CARMELO Carmelita: ita à capella, quam ædificarunt, usque in hodiernum diem FRATRES Beatissimæ DEI genitricis, & Virginis appellantur. Et digna quidem Carmelitis denominatio, ut, qui DEI Matrem specialis semper amore venerantur, etiam illius sint titulo clariores.* Et infrà, mutuum erga Carmelitas Virginis amorem his verbis demonstrat: *Nec dubium mihi est, quin DEI parens MARIA hunc Ordinem speciali favore prosequatur: quem, & loco victum, & tempore primum sibi & Filio in obsequium exortum recognoscit. Digni profectò sunt fratres Carmelitæ sacratissima Virginis titulo insigniri.* Prædicta Trithemius.

Ante omnes verò authores prædictos, docuit id historia, quæ *Romana* dicitur: in qua de templo à Carmelitis Virgini dicato sic scriptum invenies: *A tempore* (inquit) *ELIÆ & Elisei Prophetarum, Religiosi de numero eorum, qui morabantur in monte Carmelo, juxta civitatem Domina nostræ Nazareth, secretiùs solebant inhabitare usque ad tempora Salvatoris: qui tandem, prædicantibus Apostolis, in fide confirmati, in uno latere ipsius montis primò Ecclesiam in honorem Virginis Mariæ construxerunt.* Meminit etiam hujus oratorii in obsequium Virginis à Carmelitis constructi Hieronymus Plato, de *bono status Religiosi lib.* 2. *cap.* 22. ubi nomen ab eo fatetur Carmelitas accepisse, quia prima omnium B. Virgini in terrarum orbe dicata Ecclesia, ab eis fuerit erecta.

Hier. Plato.

Tenuit etiam id nostra ætate Paulus Morigia Ordinis Jesuatorum, qui in *lib. de origine Religionum lib.* 2. *cap.* 30. aperte fatetur, Carmelitas gloriosum Virginis nomen, & patrocinium præ ceteris, & meruisse, & accepisse; quia primi sacellum, sive Ecclesiam in Virginis MARIÆ honorem in Carmeli monte fundaverunt.

Paul. Mor.

Si verò ad Authores Ordinis gradum facere liceret, innumerabilem ferè eorum multitudinem possemus adducere, qui uno ore, & sententia hanc veritatem, ut certam, ut firmissimam, & ut in Ordine à vetustis temporibus à majoribus traditam vetè & piè fatentur. Opus tamen non est proprios testes in medium proferre, ubi tot extranei abundè suppetunt.

Luculenter igitur ex præcedentibus constat, præclarum Virginis MARIÆ cognomen, ac titulum, Ordinem Carmelitarum meritò sibi præ ceteris Ordinibus vendicasse: quia hujus instituti professores primi fuerunt, qui virgini MARIÆ in primo Ecclesiæ sæculo oratorium construxerunt: primi etiam, qui ejus obsequio, & amori inter cereros Religiosos addicti fuêre: primi itidem, qui tantæ Virginis conversationem, & familiare colloquium meruêre. Nam (ut piè Mantuanus sentit) MARIA non rarò Carmeli incolas invisere solebat, eorumque colloquio, & familiaritate oblectari. Quod ex eo opinor maximè credibile, quia cum Nazareth (ut authores supra adducti affirmant) tribus miliaribus tantum distaret ab Eliæ fonte, sive Carmeli vertice, quid mirum, si sanctissima virgo Eremitæ Carmeli, cujus sanctitas & religio totam Palæstinam, & Alexandriam illustraverat, non sæpe adiret, eorumque colloquiis & necessitudine frueretur? Maximè cum post passionem Christi eos ad fidem, & Evangelii prædicationem conversos videret.

Mantuanus. Carmeli incolæ Deiparæ colloquio ac familiaritate dignati fuêre.

Nec ignoro, quosdam etiam hoc Ecclesiæ nascentis tempore alia Virgini MARIÆ templa constructa referre. In primis enim Vincentius Belvacensis *lib.* 8. *in Speculo hist. cap.* 92. testatur, Martha, Mariæ sororis hortatu, postquam in Galliam ex Palæstina mirabiliter (Lazaro, & Maximo comitata) pervenit, post novam Evangelicæ doctrinæ lucem Massilienfibus demonstratam, demum factum esse, ut duo templa, alterum Christo Domino, alterum verò ejus Genitrici constructa fuerint. Nec me latet, memoriæ esse proditum, Apostolorum sæculo templum aliud virgini fuisse dicatum. Scribit enim Raphaël Volaterran. *lib.* 11. *Geographiæ*, Antaradi (quæ & Anteradus dicitur, nunc autem Tortosa appellatur, antiqua & egregia Phœniciæ urbs in litore maris sita, (ut ex B. Hieronymo in *Ezechielem cap.* 27. & ex Guilielmo Tyr. 7. *belli sacri cap.* 15. colligitur) sacellum stare, quod primus omnium divæ Genitrici Petrus Apostolorum princeps excitaverit: & in quo primum ipse quoque sacrificarit.

Vinc. Bel. *Volaterr.* *Hieron.* *Guil. Tyr.*

Imò qui Hispaniam, & res gestas illic à Jacobo Apostolo describunt, constanter affirmant, sanctissimam Virginem in civitate Cæsar augusta eidem Apostolo apparuisse, & post apparitionem, templum vel sacellum, quod nunc etiam est celeberrimum, & vulgari Hispanico *Nuestra Senora del Pilar* appellatur, eodem Apostolo authore erectum fuisse. Hanc verò primam in toto orbe Christianorum Ecclesiam variis modis, tabulis, & testimoniis, perpetua gentis Aragoniæ fama, simul & traditio clamant. Quæ de re etiam, post Beutherium, meminit Joannes Basseus in *Chronico rerum Hispanicarum.* Vetustissimum autem, & omnibus prius templum à Carmelitis fuisse constructum, gravissimorum virorum authoritas, quos supra retulimus, luculenter confirmat, quidquid Vincentius, Volaterranus, Beutherius, aut Basseus, scribant. Nam cùm historiæ fides ex numero & testium gravitate crescat, tot sunt pro nostra sententia testimonia, simul cum antiquissima Religionis traditione, ut minimè vinci, ac superari ab authoritate paucorum, ac singularium testium queat. Alias insuper rationes in hujus tituli confirmationem congesserunt Waldensis, Joannes Patriarcha Hierosolymitanus, Paleonidorus, & alii, quibus meritò, ac jure,

Beuther. *Joã. Bass.* *Paleonid.*

Hoc Festum & officium à *Clemente X.* extensum fuit ann. 1674. ad omnia regna & Provincias Hispaniarū Regi subjectas, & an. 1675. ab eodē Pontifice ad omnes ditiones ac Provincias hæreditarias Domus Austriacæ, pro omnibus utriusque sexus, tā sæcularibus, quā Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur.

nos fratres B. Virginis fuisse nuncupatos adnituntur probare. Eas tamen brevitatis causa, ad alia properantes omittimus.

Verum prætereundum non est sacræ Rituum Congregationis eximium testimonium, quod præbuit approbando Lectiones secundi Nocturni *Festi Commemorationis solennis Beatissimæ Mariæ V. de monte Carmelo*, quas Eminentiss. Card. Bellarminus recognovit, & approbavit; imo, ut quidam volunt, composuit, quæ sic habent:

Cum sacra Pentecostes die Apostoli cælitus afflati variis linguis loquerentur, & invocato augustissimo JESU nomine mira multa patrarent, viri plurimi, qui vestigiis sanctorum Prophetarum Eliæ ac Elisei insistierant, & Joannis Baptistæ præconio ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspecta atque probata, Evangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu beatissimam Virginem (cujus colloquio & familiaritate feliciter frui potuêre) adeo venerari cœperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem Nubeculam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissimæ Virgini sacellum construxerint.

Ad novum ergo sacellum sæpè quotidie convenientes, ritibus piis, precationibus ac laudibus beatissimam Virginem velut singularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres beatæ Mariæ de monte Carmelo passim ab omnibus appellari cœperunt; eumque titulum Summi Pontifices non modo confirmarunt, sed & indulgentias peculiares iis, qui eo titulo vel Ordinem, vel Fratres singulos nuncuparent, concessere. Hactenus Lectiones illius sacri Officii, sub & à PAULO V. etiam approbatæ.

Et hæc de *titulo & superscriptione Regulæ.*

DVBIVM III.

De Regulæ, quam primitivam vocant, Authore, tempore, & confirmatione.

APpello Regulam *primitivam*, eam, quam *Albertus* Patriarcha Fratribus suis Eremitis in Carmeli monte, & aliis Syriæ partibus degentibus tradidit. Non quia hæc fuerit omnino prima, sed quia potissima sit inter alias regulas, quas nostra Religio agnoverit. Fuerunt enim in Carmelitarum Ordine à tempore ELIÆ, familiæque Prophetarum, variæ vivendi regulæ, variaque instituta, ut supra retulimus. Sed ea, quæ ab Alberto condita fuit, etsi tempore fuerit ultima, à nulla alia perfectione superatur. Ejus igitur in 2. *part.* hujus operis Authorem inquitimus, simul & tempus, in quo condita, & majoribus nostris tradita, ac tandem quando, & à quibus Pontificibus fuerit confirmata.

S. Albertus Patriarcha Author Regulæ Carmel.

Primò de Authore ex ipsa Regulæ inscriptione constat, in cujus limine habetur, ALBERTUS DEI *gratiâ Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha dilectis filiis.* Num de hoc unquam quis dubitavit? Is enim Patriarcha (ut nos supra probavimus) datas à *Joanne* Patriarcha leges, & utiliter admodum auxit, & eas ad commodiorem vitæ formulam redegit. Illud tamen apud omnes non constat, an *Albertus* hic, qui Regulam condidit, fuerit montis Carmeli incola, & Elianæ familiæ alumnus. Id verò mihi compertum videtur, quod in primis probo, ex *Martyrologio Molani*, qui octava die Aprilis illum inter nostros Sanctos annumerat, & Erardus Carthusianus in suo *temporum Fasciculo* circa annum 1293. idem censet: olimque de eo in Ordine eodem die celebrati consueverat. Hoc ideo prænotavi, quia ex utroque (nempe ex sanctitate vitæ morumque integritate, & ex professione una cum Carmelitis) magna Regulæ ab ipso traditæ dignitas accrescit. Nam ex hoc, quòd ipse quid Fratribus expediret, quidve illis imperari oporteret, prius experimento didicerit, Regulam discretione conspicuam condidit: ex vitæ verò perfectione salutaria præcepta emanarunt.

Martyrol. Molan. Erard. Carth. An ipse fuerit Carmelita?

De tempore verò, quo Albertus Regulam hanc Fratribus suis Carmelitis dederit, non satis liquet apud Authores. Trithemius *libr. de laudibus Carmelit. cap.* 4. existimat, illam anno Domini 1122. sub Henrico, & Calixto Papa II. fuisse scriptam. Polydorus de inventoribus rerum *libr. 6. cap. 3.* circa annum Domini 1210. Sabellicus anno 1220. Pontacus Burdegalensis 1198. Chronica mundi *sexta ætate fol.* 207. & Supplementum historiarum *lib. 13. anno* 1200. Rebardus Florentinus in *Chronica universali* anno 1205. Nos verò omissis illorum sententiis, ut certam & veram statuamus, *Albertum* Regulam dedisse circa annum Domini 1205. Ideo autem prædicti Historiographi variarunt, quia cum hæc Regula tempore, quo Carmelitæ in oriente degebant, data fuerit, non mirum, quod Scriptores ipsos lateret.

Tempus datæ Regulæ. Trithem. Polydorus. Sabellicus. Pontacus Burdegal. Chron. mundi. Suppl. Hist. Rebar. Fl.

Quando hæc Regula *Alberti*, & à quibus Pontificibus fuerit approbata, restat, ut aperiamus. In primis communis Scriptorum sententia tenet, illam ab HONORIO III. fuisse confirmatam. Sic docuerunt Antoninus 3. *Parte hist. titul.* 20. *cap.* 5. Vincentius in *historiali lib.* 31. *cap.* 123. Philippus Bergomen. in *supplemento historiarum lib.* 13. in enarratione anni Christi 1200. Trithemius de laudibus Carmelitarum *cap.* 4. Cassaneus in *Catalogo glor. mund. 4. parte, consideratione* 70. Paulus Moriga de *origine Religionum, cap.* 30. Imò inter authores ferè non est, qui ab hoc dissentiat. Quo verò anno HONORIUS III. id præstiterit, aperire etiam oportet. In qua etiam re Philippus Bergomensis, Chronica mundi, & Paulus Morigia, ut supra, & inter juniores Hieronymus Plato de bono statu *lib. 2. cap.* 22. Garibay *Tomo 1. lib. 1. cap.* 28. & Manuel Rodriguez *in quæstionibus Regularibus quæstione 1. in articulo* de origine Carmelitarum, Carolus Tapia in authentica *Ingressi.* verbo *monasteria. cap.* 17. de antiquitate Ordinis Carmelitarum, ac omnes Ordinis Scriptores censent, HONORIUM III. anno 1. sui Pontificatus Regulam Alberti confirmasse. Idque expresse patet ex bulla HONORII III. cujus verba sunt: *HONORIUS Episcopus Dilectis filiis Priori, & fratribus Eremitis de monte Carmeli. Nos normam vestram vivendi regulariter ab Alberto Patriarcha traditam, quam ante concilium generale vos discretis humiliter suscepisse, in posterum vos, & successores vestri, quantum cum* DEI *adjutorio poteritis, observetis. Et in remissionem vobis injungimus peccatorum. Nulli ergo hominum liceat, &c. Datum Romæ anno Domini* 1216. 3. *Kalend. Januar. Pontificatus nostri anno primo.*

Quando & à quibus Pontificibus confirmata fuerit. Antoninus. Vincentius. Philippus Bergomen. Trithemius. Cassaneus. Paulus Morig. Hier. Plat. Garibay. F. Manuel Rodrig. Carolus Tapia. Legend. noster Fratris Elia in Comment. super. Regul. Carmel. Pa. 43. & Antonius à Spiritu S.

Postea *part. 2. Directorij Regul. Tract. 3. disp. 6. sect. 2.* & ab illo *ibid.* laudati Authores.

Greg. IX. Postea GREGORIUS IX. referens hanc confirmationem HONORII III. denuo ipse *Alberti* Regulam approbavit, ut constat ex Bulla, quæ incipit, *Ex officij nostri debito.* Hæc etiam eadem *Alberti* Regula ante HONORIUM III. fuit confirmata ab INNOCENTIO III. Sic expresse asserit Nauclerus *Tom. 2. Chronic generatione* 41. ubi sic habet: *Tempore Innocentij III. Albertus Patriarcha Lebentem in Syria religionem restituere conatus, Carmeli montis incolas Fratres disciplina regula coërcuit. Quæ regula tunc Romæ probata est.* Quibus docet, statim nostram Regulam tempore INNOCENTII III. fuisse Romæ approbatam.

Innocentius III. Nauclerus.

Trithem. Sentit idem Trithemius *de laudibus Carmelitarum cap. 5.* his verbis: *Postquam Fratres hujus Religionis in Europam venerunt, multi summi Pontifices Ordinem hunc confirmarunt: de quibus ALEXANDER Papa III. post quem INNOCENTIUS III. idem fecit: amborumque vestigiis inhærens HONORIUS III. multis adjunctis privilegiis, qui Ordinem & Regulam denuo comprobavit.* Hæc Trithemius. Illescas in *historia & vitis Pontificum*, in vita INNOCENTII III. expresse affirmat, Regulam nostram confirmasse. Idem novissimè etiam tradit

Carol. Tap. Carolus *in Commentario ad authenticam*, Ingressi, *verbo* (monasteria) ubi Religionum origines investigans, nostram ab INNOCENTIO III. receptam, confirmatamque, asserit. Hanc INNOCENTII III. confirmationem fuisse factam in Concilio Lateranensi, asserunt Romanus in nova, correctaque editione *Rerum publicarum 3. p. lib. 6 cap. 10.* & Bernardinus Corius in *Historia Mediolanensi 2. p. fol. 339.* illudque addit, approbationem hanc B. Joannis Evangelistæ contigisse.

Bern. Corius.

Ceterùm ne his plus immoremur, illud nunc probare contendam, Ordinem nostrum (si non expresè, saltem tacitè) in prædicto Concilio Lateranensi fuisse approbatum. Verba prius Concilii referam, quæ habentur *cap. 13.* ubi dicitur: *Ne nimia Religiosorum diversitas gravem in Ecclesia DEI offensionem inducat; firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveniat, sed quicumque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis sumat. Similiter qui voluerit domum de novo fundare, Regulam & institutionem accipiat de approbatis.* Hactenus Concilium.

Cõc. Lat.

Circa hoc decretum considerandum est, ante ipsum Concilium licere, saltem authoritate Episcopi, novam Religionem invenire, quod infra latiùs probabimus. Nunc verò ex decisione Concilii prædicta confirmatur. Quia Concilium hic non prohibet, nec prohibere debebat, novum ordinem authoritate Apostolica fundare: sed tantum in authoritate propria vel Episcoporum prohibetur. Imò nec Concilium Lugdunense, quod (ut infra) districtiori decreto rem hanc interdixit, quicquam de Ordine authoritate Pontificis adinvento decrevit, aut cogitavit.

Præterea, quia, post ipsum Concilium Lateranense, institutæ fuerunt authoritate Apostolica beatorum *Francisci.* & *Dominici* Religiones, & plures aliæ, de quibus mentio fit in *Cap.* ne nimia, *de religiosis domibus, in sexto.*

Cap. ne nimia, de religios. Dom. in 6

Quod verò ante ipsum Concilium liceret, saltem authoritate Episcoporum, Religionem novam adinvenire, hoc in primis patet ex principio in jure notissimo, quo cavetur, id, quod non est superiori reservatum, nec inferiori ordinario prohibitum, præsumi à jure, inferiori esse concessum: ut patet ex *cap.* nuper. *de sententia excommunic. cap.* cum apud. *de sponsalibus.* Quare cum in toto jure hoc non inveniatur expresè, nec tacitè Episcopis prohibitum, ex consequenti illis concessum fuisse videtur. Quod similiter confirmat usus praxisque in Ecclesia à tempore Apostolorum receptissima, qua observatum legimus, Religiones ferè omnes, vel authoritate propria fundatorum fuisse erectas, vel solum ab Episcopis confirmatas. *Nam quis unquam Pontifex*, (ut Trithemius *cap. 5.* de laudibus Carmelitarum ait) *confirmavit veteres Ordines Pachomij, Basilij, Augustini, & Benedicti? Dic mihi detractor, legistine Bullas veterum ordines approbantes? nusquam invenies, hos ordines litteris confirmatos à principio.* Hæc Trithemius.

Ante Cõciliũ Later. licebat Episcopis novas Religiones fundare.

Cap. Nuper, de sent. excõ. Cod. cum apud. de sponsal. Trithem.

Et quamvis Religiones olim fundatæ sedis Apostolicæ probatione non indigerent, ab Episcopis tamen, ordinariisque propriis probabantur. Sic Regulam Augustini olim confirmavit Valerius Episcopus, ut tradit Romanus *centuria* 1. anno Domini 329. Carthusiensium verò institutum Hugo Episcopus, ut Genebrardus docet *lib. 4. circa annum* 1070. Sigebertus in *Chronica mundi.* Platina in *Gregorio VIII.* Polydorus *de inventoribus rerum lib. 7. cap. 3.* & Volaterranus *lib. 21.* & Divum Ambrosium propria authoritate monasterium Mediolani erexisse, Regulamque ei dedisse fertur. Cujus meminit D. Augustinus *libro 8. confessionum*: nostrique Ordinis regulam ab *Alberto* traditam, dum Historiographi referunt, addunt, illam suo jure observandam *Albertum* tradidisse: quasi dicant, propria authoritate, proprioque Patriarchatus fungens munere Regulam confecit. Ita loquuntur Æneas Sylvius in *Chronica mundi* loco superiùs adducto, Bergomensis & Garibay, ut supra.

Romanus. Genebrar. Sigebertus Platina. Polydorus Volaterr. Augustin. Æneas Syl. Bergomens. Garibay. Bellarm.

Imò inter Authores nostri temporis gravissimos id docent. Bellarminus *lib. de Monachis cap. 4.* tradit, Basilium, Augustinum, & Benedictum approbationem ullam à Pontifice non quæsivisse, propterea quòd nondum extaret tunc jus Ecclesiasticum id præcipiens.

Ratione etiam efficaci probatur: quia cùm ante Lateranense Concilium non legatur, Religiones expresse fuisse approbatas à Sede Apostolica, fieret Religiones incepisse post Concil. Lateranense, quòd hæretici maximè concedunt, ut probent novum esse adinventum. Imò neque etiam ante Concilium Lateranense expressum in jure textum aliquem potui invenire, quo decernatur, requiri ad erectionem novi Ordinis, aut Regulæ approbationem, Episcopi authoritate: licet id colligi possit ex Concilio Chalcedonensi, *cap. 4.* Et refertur in *cap.* Quidam monachorum *18. quæstio 2.* ubi decernitur. Primùm, ne monachi monasteria sine authoritate Episcopi erigant. Secundum, ut illi obediant: ex quibus consequi videtur, nec Religionem fundare sine conscientia, & authoritate Episcopi posse.

Cõc. Calc. cap. quidam monachorũ 18. q. 2.

Edito hoc Lateranensis Concilii decreto, cùm postea & importuna aliquorum supplicatione, & aliorum præsumptuosa temeritate, diversorum Ordinum mendicantium effrenata multitudo resurgeret, reperita Lateranensis Concilii constitutione, Lugdunense Concilium districtiùs prohibuit: primùm, ne deinceps aliquis novum Ordinem adinveniat (nempe sine authoritate summi Pontificis) deinde omnes Ordines mendicantes post dictum Lateranense Concilium adinventos, eos scilicet, qui approbationem Apostolicæ sedis non meruerint, de medio tollit, ac omnino revocat: eos verò, qui per eandem sedem fuerant confirmati, permittit subsistere, dummodo deinceps nullum ad eorum professionem admittant, novumque locum non acquirant: ut latiùs refer-

Concil. Lugd.

Cap. unicum, de Religiosis domibus in 6.

refertur in *capit. unico* de religiosis domibus *in 6.* Huic vero rigidioni Concilii decreto ea exceptio data est, nempe, ut ad Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum sancti Augustini, nec non & Carmelitarum Ordines decisio hæc non extenderetur, ut patet ex §. *sanè*, ubi sic dicitur: *Sanè ad Prædicatorum, & Minorum Ordines, propter eorum evidentem Eccl. sia utilitatem, præsentem non patimur constitutionem extendi. Ceterum Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum generale Concilium præcessit, in solido statu volumus permanere.* Hactenus Concilium. In quibus satis apertè indicat, supradictam constitutionem ad Carmelitas non extendi, quia illorum institutum dictum Concilium generale Lateranense præcessit. Quare decernit, illorum Ordinem *in solido statu permanere.*

Ex Lugdunensi constat Concilio Religionem Carmelitarū ante Lateranēse Conciliū fuisse institutam & approbatam.

Si verò Carmelitarum Ordo ante prædictum Concilium Lateranense non fuisset approbatus, sine dubio Lugdunensis Concilii decreto extingueretur. Nam si illæ Religiones etiam à Sede Apostolica post Concilium Lateranense approbatæ, rejectæ sunt, nec ultra progredi permittuntur, à fortiori, si nostra ex approbatis non censeretur, Concilio Lugdunensi perimeretur. Quare cum hoc censeat, nostrum Ordinem fuisse institutum ante concilium Lateranense, illasque Religiones, quæ illud præcessere, censeat approbatas (maximè quia Episcoporum vel Patriarcharum authoritate fulcirentur:) rectè sequitur ex vi decreti Concilii Lateranensis, nostram Religionem in ipso, & ante ipsum Lateranense fuisse confirmatam.

Quod argumentum breviter hac ratione firmum fiet. Ait Concilium Lateranense: *Qui voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis* (an e ipsum scilicet Concilium) *assumat*: & postea Concilium Lugdunense volens de medio tollere omnes Religiones post Lateranense ortas, declarat, Carmelitarum Ordinem non esse extinguendum: quia ejus institutio Lateranense præcessit. Igitur cum Concilium Lateranense ait, *Unam ex approbatis assumat*, tacitè censet, esse approbatam Carmelitarum familiam, quam ipsum præcessisse, & antea legitimè fuisse institutam, declaravit postea Lugdunense.

Sed contra hæc objiciunt aliqui, in *dicto* §. *ceterum* non esse legendum, *in solido statu*, sed potiùs, *in suo statu manere concedimus, donec de ipsis aliter fuerit ordinatum: intendimus enim tam de ipsis quam de aliis non mendicantibus providere, prout animarum saluti, & eorum statui videbitur expedire.* Sic enim in Concilio Lugdunensi olim legebatur. Unde in dicto §. *Ceterum*, dicunt BONIFACIUM VIII. loco horum verborum adjecisse, illa, *in solido statu*. Quare contendunt hi nostrum Ordinem neque in Lateranensi, neque in Lugdunensi Concilio fuisse approbatum.

Huic objectioni respondeo, verum esse, ut glossa in dicto §. *ceterum* asserit, prædicta verba, *in solido statu*, non haberi in Lugdunensi Concilio, sed tantum ea, quæ adversarii opponunt. Non tamen ex his sequitur, nostram Religionem non fuisse approbatam in prædictis Conciliis. Primò, quia clausula illa (*donec de ipsis aliter fuerit ordinatum*) non auferet Carmelitis approbationem sui Ordinis: nam pari etiam ratione auferret à Religionibus non mendicantibus confirmationem, quia de Carmelitis, & de aliis non mendicantibus intendebat Concilium aliter ordinare. Quare si illa verba tollerent à Carmelitis, & aliis non mendicantibus confirmationem: manifestè fieret, quod, ante ipsum Concilium Lateranense, nullus esset in Ecclesia DEI Ordo approbatus: quod est contra ipsum Concilium Lateranense, ut patet ex verbis supra adductis. Tum etiam, quia multo ante Concilium Lugdunense, quod sub GREGORIO X. fuit celebratum, Carmelitarum Religio fuit approbata ab HONORIO III. INNOCENTIO III. ut supra monstravimus. Quare dum Concilium, nostrum Ordinem in *suo statu* manere, permittit: certè non aliud intendit, quam ut ipse (dum aliud Pontifici non placuit) approbatus permaneat. Quare hoc non obstat, quò minùs ante Concilium Lateranense Carmelitarum Religio fuerit approbata, sive *in solido*, sive *in soluto*, sive *in suo statu* legatur. Et hæc de INNOCENTII III. Lateranensis Concilii approbatione.

Ex quibus sequitur *Alberti* Regulam ab anno 1205. aut, ut alii volunt, anno 1209. in quo ab ipso tradita fuit, approbatam fuisse, tum ob rationes dictas (nempe, quia Episcopi ante Lateranense Concilium hac potestate Religiones confirmandi gaudebant: & potiori jure Patriarchæ, quorum jurisdictio, & authoritas superior majorque est:) tum etiam (quod in hac re valde considerandum est) quia *Albertus* tunc non solum Patriarchæ munere, sed & legationis Apostolicæ sedis officio fungebatur, ut expressè docet Guilielmus Tyrius *lib. 5. continuationis belli sacri cap. 3.* his verbis: *Albertus postea Hierosolymitanum sub Innocentio III. Patriarcha, & legatus, certas observationum Regulas Carmelitis præcepit.* Idem Sabellicus *ubi supra*. Et Christianus Masseus author Theatri vitæ humanæ, *Volumine 21. lib. 3.* Quare etsi ratione officii Patriarchatus (quod abundè sufficiebat) Regulam propria authoritate confirmare non posset: præstare tamen sine dubio potuit ratione muneris Legati, quo fungebatur. Imò ob hanc rationem censendum est, ab hoc tempore Regulam fuisse à Sede Apostolica approbatam, cum extunc fuerit ab ejusdem sedis Legato confirmata, ex regula juris, quæ habet: *Ea nostra fiunt, quibus authoritatem nostram impertimur.*

Guil. Tyr. Sabellic. Chris. Mas.

Ex his secundò colligo, antequam *Albertus* hanc Regulam concederet, nostrum Ordinem à Sede Apostolica, ob rationem nuper adductam, etiam fuisse approbatum. Cum Aymericus Patriarcha Antiochenus, & Sedis Apostolicæ Legatus circa annum Domini 1141. montis Carmeli Eremitas in unum coëgerit, eisque vivendi formulam more Latinorum Monachorum tradiderit, ut testantur Polydorus, Sabellicus, atque Guilielmus Tyrius, ut supra Genebrardus *lib. 4. Chronica* circa annum 1180. Onuphrius Panvinus in *Chronico Ecclesiastico* circa annum 1141. Theatrum vitæ humanæ *ubi supra*, & inter junior. Hieronymus Romanus, qui ut supra ob hanc rationem antiquitatem nostri Ordinis ab Aymerico censet computandam.

Polydor. Sabell. u. Guil. Tyr. Genebra. Onuphr. Panvin. Theatri vita humana. Romanus

Tertio infertur, Ordinis approbationem verè judicandam esse ab anno circiter 400. in quo JOANNES Patriarcha Hierosolymitanus Carmelitis suo jure Regulam confecit, ut *supra 1. parte cap. 2.* latius adnotavimus. Quare ab illa ætate Ordo Carmelitarum in Ecclesia Patriarcharum approbatione floret. Quòd si eorum sententiam amplectamur, qui existimant, Carmelitas olim sub *B. Basilij* Regula militasse, ab eoque vivendi monasticè normam accepisse, (ut post Antoninum *3. part. historialis titulo 20. cap. 5.* multi alii tradiderunt, de quibus nos, eorumque senten-

Antonin.

tia infra judicabimus) ab eodem quoque tempore, vel paulò an ea Ordinis confirmatio judicanda erit. Et hæc de approbatione à Patriarchis facta.

Si verò ad Apostolicam Sedem convertamur, ante INNOCENTIUM III. Regulam *Alberti* Alex. III. approbatam ab ALEXANDRO III. facilè comperiemus, ut docent non contemnendi Authores. Trithemius de *laudibus Carmelitarum cap.* Trithem. 5. ait: *Postquam Fratres hujus Religionis in Europam venerunt, multi summi Pontifices Ordinem ipsum confirmarunt: de quibus Alexander Papa III. unus extitit.* Idem sentit Buchinguerius in *sua Chronica*, Buching. & Genebrardus in *methodo ad Chronologiam*, & *historiam universam*, nostrique Ordinis historiographi passim id tradunt, præcipue Petrus Raymundus, & Joannes Grossi Ordinis nostri quondam præpositi Generales. Petrus Raymun. Joannes Grossi.

Demum, cum ante Concilium Lateranense opus non esset Apostolicæ Sedis expressa approbatione, non video, quæ major confirmatio alicui Ordini tunc contingere poterat, quam multorum Pontificum privilegiis ornari. Constat autem Carmelitarum Ordinem à tempore LEONIS IV. ADRIANI II. STEPHANI V. aliorumque Pontificum, qui propè annum 850. floruêre, varia privilegia accepisse, de quibus mentio Bul. Six. 4 fit in Bullis à SIXTO IV. concessis, maximè in Bul. Greg. illa, quæ incipit: *Dum attenta meditatione*: & in 13. Bulla GREGORII XIII. cujus initium est: *Ut Laudes sanctissimæ* &c. in quibus commemorantur hi, & alii antiquissimi Pontifices, qui Carmelitis ab anno 815. in terra sancta oppressis varios favores concesserunt. Quæ etiam privilegia referuntur in compendio privilegiorum, *verbo* Indulgentia, quoad sæculares.

DVBIVM IV.

Qualis sit finis, sive scopus hujus Regulæ, ac ex consequenti nostræ Religionis.

Cassianus OMnes artes, ac disciplinæ (ut Cassianus loquitur *collatione* 1.) *scopum* quendam, id est destinationem, & *telos*, hoc est, finem proprium habent, ad quem respiciens uniuscujusque artis sectator industrius cuncta ordinat, & dirigit, & oblatos labores, pericula, & dispendia universa æquanimiter, atque libenter tolerat, sicut agricola finem habens, securè, copioseque vivendi ex proventu segetum fœcundarum, scopum (id est destinationem) gerit, agrum suum cunctis sentibus expurgare, eumque universis infructuosis vacuare graminibus: sine quo se adepturum finem propositum non confidit. Similiter, qui certis quibusque dignitatibus mundi hujus cupiunt honorari, cui se officio, vel ordini debeant mancipare, antea proponunt: ut per legitimum spei tramitem, finem quoque valeant desideratæ dignitatis attingere. Hæc & alia Cassianus, *ubi supra*. Nostræ igitur professionis, sive Regulæ finem oportet ante omnia hujus Religionis athletis fixum hærere menti: scopumque proprium præ oculis habere, ut in ipsum rotis nervis, ac viribus jaculentur. Hujus enim cognitio, nostræ directionis, ac vitæ caput est, atque principium. Nam cum in quavis arte, ac disciplina, ut eam rectè exequamur, ejus finis consideratio maximè necessaria sit: proculdubio in professione monastica (quæ ars artium est) multò magis hæc cogitatio & cura finem suum inquirendi, suscipienda est: ut & sic viam destinare, eligere, ac parare media ad finis consequutionem unicuique in promptu sit. *Ignoranti enim quem portum petat* (ut etiam teste Seneca loquamur) *nullus suus proprius ventus* Seneca. *est. Ac proinde errant consilia nostra, nisi sciamus, quò dirigantur.*

Finis communis omnium Religionum & Christianorum quis sit.

Eam ob rem in hoc opere cum primis constituendum nobis est, quam ad metam nostræ Regulæ sive instituti cursus dirigatur, ut viæ, rationesque omnes facilius ineantur, quibus eo perveniri possit: & ut cetera, quæ in Regula continentur, ex commensuratione ad proprium finem melius percipiantur. Omnis igitur monastica disciplina duplici fine gaudere solet. Primus finis est ille omnium Christianorum, omniumque Ordinum communissimus, nempe charitas, sive gloria DEI. Alter verò proprius est, qui telos, sive finis proximus appellari consuevit, Qui quidem finis, si cum illo superiori conferatur, medium potius ad illum perveniendi existimari potest. Nobis in præsenti consilium ullum non est, de priori illo fine disserere, sed de posteriori tantum: in hoc enim fine unaquæque Religio suæ directionis figit obturum, ad hunc suos principaliter dirigit conatus, hunc si ejus professores attingant, voto rum suorum ac instituti compotes evadent: sunt autem ii varii, pro varietate etiam & diversitate Religionum: omnes tamen ad tria genera reducuntur, secundum quod ab omnibus Theologis, tria esse potissimè Religionum genera, traditur: quorum aliud est in agendo, aliud in contemplando versatur, tertium verò tam actionem, quam contemplationem complectitur. Quod adhuc in alia duo membra subdividi potest. Nam vel est mixtum ex æqualibus partibus, ita, ut æqualiter & actioni, & contemplationi vacet: vel plus habet de uno, quam de alio: verbi gratia, minus de contemplatione, & plus de actione, vel è contra. Hoc ergo est, quod nunc investigamus, quisnam horum sit hujus Religionis scopus, sive finis verus, proprius, legitimus, ac immediatus.

Quis proprius omnium Religiosorum.

Proprius ac præcipuus Religion. Carmel. finis est contemplatio.

Pro cujus resolutione primò (idque certò) statuendum est, proximum, & potissimum nostræ Religionis finem esse, contemplationi vacare. Quod & fuisse olim monachorum omnium primævam institutionem constat ex his, quæ Cassianus *Collatione 9. cap. 1.* luculenter docet: *Omnis, inquit, monachi finis, cordisque perfectio ad jugem, atque indirutam orationis perseverantiam tendit: & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem. Ob quam omnem, tam laborem corporis, quam contritionem spiritus indefessè quærimus, & jugiter exercemus: & est inter alterutrum reciproca quædam, inseparabilisque conjunctio.* ita Cassianus. Cassianus

Et hunc fuisse antiquum monachorum morem, ac beatissimi Marci tempore, qui primus Alexandriæ Monachis normam dedit vivendi, observatum, à Nicephoro Calixto *lib. 2. cap. 15.* & à Sozomeno *eodem lib. cap. 17.* & sequentibus, & à Cassiano *lib. 2. de institutis renuntiantium cap. 5.* memoriæ proditum est: de quibus ipse ita scripsit: *In primordiis enim fidei, probatissimi illi Marci amulatores, ac discipuli eo fervore scripturarum divinarum lectionibus, orationique, & operi manuum diebus, ac noctibus ita incumbebant, ut neque escarum quidem appetitus, vel memoria, nisi alio, tertiove die corporis interpellaret inediam. Scripsit autem horum exercitia, studia, atque philosophiam, institutum, mores, vitam, rationemque conversationis omnem celeberrimus Philo-*

Nicephor. Calixtus. Sozomē.

Vid. Joan. à JESU-MARIA Scholam oration. Tract. 1. Notab. 5. & discipl.

Vid. Joā. à Jesu Maria part. 1. disciplinæ Monast. cap. 3. & Commēt. in Reg. Carm. Francisci à S. Elia pag. 44.

Monast. c. 3. pars. 1. Francisci à S. Elia Cōment. in Reg. Carmel. pag. 45. & Emmanuelis à JESU MARIA Tomo 2. Fructuū Carmeli seu Discurs. Moralis. in Regul. Carmel. Disc. 39. Waldēsis.

Hieron. Isidorus.

Joannes Hierosol.

HOC probatur & confirmatur exemplo S. Eliæ, & successorum ejus

Josephus Antiochenus.

Armach.

Jacobus de Vitr.

Joannes Hierosol.

natione Judæus, professione verò Pythagoricus, quem ad colloquium Petri Romæ divinum verbum concionantis, fama est, pervenisse, ut Ecclesiastica narrat historia. Hæc autem forsan alicui longè repetita videantur, cùm tamen vi propriâ nostri instituti adduci meritò debeant. Fuerunt enim Monachi illi ex Essenis, ELIÆ successoribus, ut *supra part. 1. cap. 1.* plenius tradidimus. Quare hanc Ægyptiorum monachorum in primitiva Ecclesia vivendi normam, instituti puritatem Regula nostra protrahere usque ad nostra tempora, ac conservare nititur.

Propius verò ad Regulam nostram accedentes, propositam veritatem efficaciter comprobemus. Ita primum non sit leve argumentum, quia nostræ Religionis Dux, & author ELIAS, totum ferè vitæ suæ tempus in oratione consumpsit. Sic enim de eo Waldensis *tit. 1.* de *Sacramentalibus cap. 6. n. 7.* scripsit. *Lege* (inquit) *librum Regum 3. & 4. si non noster sanctus Patriarcha Elias, non dico per plures vices, sed pene totam vitam in orando consumpsit.* Post ELIAM verò filii Prophetarum, qui in solitudine juxta flumen Jordanis (ut authores sunt Hieronymus ad *Paulinum*, & Isidorus *lib. 2. de officiis cap. 16.*) habitarunt, hi die ac nocte, hymnis, & orationibus studebant. De his enim ait *Joannes Hierosolymitanus*, in libro *de institutione monachorum*, de filiis Prophetarum, eorumque successoribus, instituroque agens, quod *ad imitationem ELIÆ, incessanter, & continuè penetrare vastos secessus solitudinis montis Carmeli, & aliarum Eremorum terræ promissionis solebant: ubi cogitationibus sanctis, & intentione, oratione, ac ceteris armis justitiæ muniti, tanto conatu mentes suas ad exemplum ELIÆ Principis eorum sursum in DEI contemplationem elevabant, ut in cælestibus chorus putarentur translati, & revelata facie gloriam DEI speculari, perfruentes colloquio DEI, cui puris mentibus inhærebant.* Hæc Joannes.

Deinde in Evangelica lege (ut nunc illos probatissimos monachos Marci discipulos præteream, de quibus supra,) nostri Ordinis primævos in lege nova cultores orationi maximè studuisse reperiemus. Josephus enim Antiochenus, *lib. de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ cap. 12.* inquit: *Perfectorum militum Christi Apostolorum coadjutores surrexerunt strenuissimi viri solitarij, contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum ELIÆ, & Elisei sequaces, qui de monte Carmeli descendentes, &c.* Et Armachanus apud Waldensem *tit. 9. cap. 89.* in *sermone de Conceptione beatissimæ Virginis MARIÆ* inter alia sic ait: *Ut dicunt fide dignæ historiæ, à tempore ELIÆ & Elisei, qui sæpius morabantur in monte Carmeli, solebant homines contemplativi secretiùs inhabitare, usque ad tempora Salvatoris: & tunc illi Eremitæ, prædicantibus Apostolis, inter ceteros sunt conversi.* Et *infra* docet, eos *Fratres beatissimæ MARIÆ Virginis de monte Carmeli* fuisse vocatos. Jacobus quoque de Vitriaco, in libro, qui dicitur *Memoriale cap. 22.* inquit: *Quidam viri sæculo renuntiantes, ad imitationem sancti Viri, & solitarij ELIÆ, vitam solitariam agebant in alveariis modicarum cellularum, tanquam apes Domini dulcedinem mellificantes.* Et verè JOANNES 44. Patriarcha Hierosolymitanus, qui primam nobis in scriptis Regulam tradidit, ferè per totam, nos ad imitationem ELIÆ, & vitæ solitariæ finem (assiduam nempe contemplationem) dirigere conatur.

Secundò, quia omni tempore, & sæculo promulgata fuit, & ex textu Regulæ, ut proprium nostri Ordinis institutum, assidua divinæ legis meditatio. Et in primis, de temporibus ante Christi adventum, & de his, quæ post ejus adventum immediatè successerunt, nec non de Regula Divi JOANNIS, jam dictum est. Postea Religio, quæ sub Regula ALBERTI militavit (ut nunc etiam militat) idem profitetur institutum, ut constat ex *cap. 6. Regulæ*, ubi præcipit, *die ac nocte orare, & meditationi vacare.* Et quia domestici testes in hac re certius reddunt testimonium, prodeat noster Ven. P. Thomas Waldensis, de *Sacramentalibus*, *Waldens. tit. 9. cap. 84. n. 7.* ubi Religiones distinguens penes ordinem ad proprios fines, nostrum designat his verbis: *Veniat Benedictus, & crescat in assidua custodia claustri: succedat Albertus cum Carmelitis suis, & crescat in silentio, & meditatione continua legis DEI, in secretis cellis, cum labore manuum, & penuria victus. Sic Dominicus ferveat in doctrina cælesti, & Franciscus in nuditate, & dispectu mundi, &c.*

Tertiò accedunt aliquorum summorum Pontificum testimonia, quæ rem propositam clarè, & indubitabiliter reddunt. GREGORIUS IX. (ut habetur in regestro anni tertii sui Pontificatus, & refertur in Speculo Ordinis) Fratribus in monte Carmeli commorantibus ita rescripsit: *Dilectis filiis, Priori, & Fratribus Eremitis montis Carmeli salutem, &c. Ex offi. ij nostri circunspectione, tenemur solicitam adhibere cautelam, ne hi, qui, ascendentes in montem orare cum Domino, pedes suos laverunt, iterum eos coinquinent à contemplationis speculæ descendendo.* & infra: *Hinc est, quod cum totis pedibus speculam Domini ascendatis, vacaturi contemplationibus cælestium, & assumpsertis contra malignos luctamen, terrenis omnibus abdicatis, ideo, &c.* Eisdem quoque utitur verbis INNOCENTIUS Papa IV. qui anno Domini 1245. Regulam nostram confirmavit: quibus subscripsit ALEXANDER IV. (ut in Speculo Ordinis refertur.) Imo ex Bulla mitigationis ab EUGENIO IV. concessa constat, Fratres, dum mitigationem postularent, id potissimum pro causa mitigationis justa allegasse, valde scilicet onerosum, ac difficile esse, noctu diuque in lege Domini meditari.

Greg. IX. Ex Bullis Pontif. *Innoc. IV. Alex. IV. Eugē. IV.*

Quarto, quia semper nostri Ordinis Fratres Eremos coluerunt, & Eremitæ à summis Pontificibus, (ut ferè ex innumeris Bullis, & privilegiis patet) sunt appellati. Imò hoc præ foribus in ipso Regulæ titulo legitur. At proprius Eremitarum finis est, DEO, orationibus, ac meditationibus divinis vacare: ergo iste est nostri muneris scopus. Neque contra hoc urget, quod in civitatibus, aut villis nunc habitemus: quia consulto nostra Regula addit, ut hæc loca nobis concessa in Eremis, vel alibi, non aliter recipiantur, nisi apta sint ad nostræ Religionis observantiam.

Et alia ratiocinia.

Quintò, quia nostra Regula aliquem finem, & scopum habere debet: & tamen non habet pro fine vitam merè activam (ut constat) neque mixtam ex contemplatione, & actione, nempè, cura proximorum: nam nullum nec minimum de hac actione in Regula verbum reperitur. Habet ergo pro scopo potissimo vitam contemplativam; hic enim verus est finis, qui in Regula exprimitur, & ab ea potissimum intenditur.

Sextò, & efficacissimè probatur. Nam ille est verus Religionis finis, quem cetera religionis exercitia respiciunt, & ad quem diriguntur: sed omnia Regulæ exercitia ad orationem præcipuè destinantur: hæc igitur finis erit. Major hujus argumentationis certa est ex ipsa natura finis. Minor verò probanda est, per singula Regulæ mandata, & exercitia discurrendo.

Et (ut à principaliori incipiam,) cellæ stabilis custo-

custodia, & jugis commoratio ad hunc finem præcipuè destinatur, & à Regula in id ipsum eligitur. Probabimus enim infra *cap. 6.* quantum cellæ assidua inhabitatio ad orationem, ac meditationem conducat: nec ulli dubium est, ad orationem secretum, & solitarium locum potissimum requiri, ut constat ex illo Matth. 6. *Tu autem cum oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, &c.* Hac ratione oravit noster ELISEUS 4. *Reg.* 4. qui puerum à morte suscitaturus, domum ingreditur, & clauso ostio oravit ad Dominum. *Matth. 6.* *4. Reg. 4.*

Quibus adde, quod non utcunque in cellis manere Regula præcipit: sed singulos singulas, & separatas cellulas inhabitare constituit, ut commodius divinis meditationibus & orationibus vacare, sine alterius offendiculo possimus: quod latius prosequemur *infra* in *Expositione cap.* 3. Præterea, cum hoc medium ad obtinendam puritatem, & indisruptam orationem, & meditationem principalius sit; ideo in Regula tanquam fini proximius, & magis ei proportionatum, simul cum ipso fine in 6. *cap.* præcipitur. Et insuper, ad hujus medii firmitatem, & consistentiam aliud quoque medium à Regula inculcatur, nempe, labor manuum, qui, ut infra in *capite de labore manuum* dicetur, ob id tantopere nobis commendatur, ut intra cellam occupati, manus in opere & mentem in DEO fixam teneamus, & utrique studium pariter impendamus. Nam, ut optimè Cassianus, *lib.* 10. *institut. cap.* 24. ob has duas causas inter alias, labor manuum exterior ab Ægyptiis monachis exercebatur. Primò, ne ab eis otium admitteretur. Secundò, ne meditationi spirituali finis imponeretur, *ut sic* (ait) *pariter exercentes corporis, animaque virtutes, exteriores hominis stipendia cum emolumentis interioris exequantur: & sic lubricis moribus cordis, & fluctuationi cogitationum instabili, operum pondere, velut quandam tenacem, atque immobilem anchoram præfigentes: cui volubilitas ac pervagatio cordis innexa, intra cellæ claustra veluti in portu fidissimo, valeat contineri: atque ita spirituali meditationi, & custodiæ cogitationum intentæ, ab omni superflua, & otiosa cogitatione, se custodiat: ita ut quid ex quo pendeat, haud facilè possit in quoquam discerni, id est, utrum propter meditationem spiritualem manuum opus exerceant: an propter operis jugitatem tam præclarum spiritus profectus scientiæque lumen acquirant.* Hæc Cassianus. Qui *ibidem* etiam docet, PAULUM primum Eremi cultorem pro sola purgatione cordis, & cogitationum soliditate, ac cellæ perseverantia, manuum laborem elegisse. Et denique idem Cassianus *libro* 2. *institutionum cap.* 14. pulchrè (ut solet) docet, quantum ad orationem labor manuum conducat. Idem sentit Bernardus in *Epistola ad Fratres de monte DEI*: ubi monet, intra cellam manibus aliquid operandum, ad nutriendum, & conservandum spiritum. Constat igitur ex dictis, tam cellæ assiduam commorationem, quàm laboris manuum exercitium, ad orationem, & meditationem à Regula prudenter ordinari, ac præcipi. *Cassianus* *Bernard.*

Oportet igitur, ut ad reliqua capita Regulæ descendentes, idem de unoquoque probemus. Post Regulæ articulum, qui de cellulæ habitatione tractat, sequitur præcipuum de Horis Canonicis, quæ mentem in DEUM elevant, & intentiorem animæ devotionem in ejus honorem, & laudem excitant. Hæc verò non tam media ad orationem, quam ipsa oratio dici possunt.

Traditur deinde caput de non habendo proprium, tam in particulari, quam in communi. Hæc verò strictissima paupertas (ut author est GREGORIUS IX. ibi adducendus) ideo à regula præcipitur, quia maximè oportet, viros contemplationi addictos, nudos ab omnium terrenorum possessione pedes habere. Et (ut omittam alia Regulæ statuta, quæ etiam huic fini deserviunt,) ad præcipua gradum faciam: ad ea nimirum, quæ de jejunio, de carnium abstinentia, & de silentio loquuntur. *Greg. IX.*

Et (ut à jejunio incipiam) in primis ipsi Hæretici, jejuniorum, & abstinentiæ acerrimi hostes, quales sunt nostræ ætatis Lutherani, & Calvinistæ, etsi alias à jejunio utilitates omnes, & fructus secludant, hunc negare non sunt ausi, nempe, ad orationem, & contemplationem maximè adjuvare: ut videre est apud Bellarminum *lib.* 2. *de bonis operibus* in particulari *cap.* 11. *in principio.* Quod & nos hîc breviter exemplo antiquorum Patriarcharum & sanctorum Patrum comprobabimus. Hi enim jejunio animam ad orationem, & cælestium rerum contemplationem disponebant. Sic de Moyse *Exod.* 34. qui quadraginta dierum jejunio animam præparavit, antequam ad DEI colloquium auderet accedere. Sic sanctus noster Patriarcha ELIAS per quadraginta dierum spatium jejunium observat, ut DEUM in monte Oreb sub specie auræ tenuis videre posset. Daniel quoque trium hebdomadarum jejunio disponitur ad revelationes Domini suscipiendas. Et ob eandem rationem Ecclesia Catholica in profestis magnarum solennitatum jejunia decernit, ut his animi aptiores reddantur ad vacandum tali celebritati; ut docet Divus Bernardus in *vigilia S. Andreæ.* Quare rectè illud dictum est à Chrysostomo *homil.* 1. in Genesin: *Jejunium est animæ nostræ alimentum, leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat.* Basilius quoque *Sermone* 1. de jejunio: *jejunium* (inquit) *orationem ad cælum transmittit instar alæ ipsi existens ad profectionem sursum versus.* Neque est, cur in hoc diutius immoremur, cum passim id Patres apertissimè doceant. *Bellarm.* *Exod 34.* *Bernard.* *Chrysost.* *Basilius.*

De carnium verò abstinentia illud est certum, maximè conducere ad corporis, & passionum ejusdem mortificationem. Nam cùm carnes sint quasi quoddam seminarium libidinis (ut *infra de esu carnium* probabimus,) passiones pacatiores redduntur per earum carentiam. Iis autem sedatis, animus promptior est ad divina speculanda. Quare hæc carnium abstinentia à Regula commendatur, quasi removens prohibens mortificationem passionum, ac proinde inducens mentis elevationem in DEUM.

Denique de silentio non est, qui ignorer, quàm fidus sit orationis comes: & ob eam causam tantopere à Patribus, & à nostra Regula commendatur, & non utcunque, vel simplici præcepto, sicut & alia; sed pluribus verbis, & variis Scripturæ authoritatibus persuadetur, & præcipitur.

Septimò, & ultimò, orationem, ac meditationem finem esse Regulæ, non levis conjectura suadet. Nam sicut finis est id, quod primò intendimus, & quod in animo ante omnia alia præfigitur, ad cujus postea consequutionem reliqua destinantur: ita Regula inter eas constitutiones, quæ ad subditorum directionem spectant (*ut initio capite* 6. *infra* docebimus) primò loco telos, sive scopum ante oculos objicit, ut ad illum reliqua, quæ in Regula continentur, ordinemus. Hoc itaque in mente fine propositio, omnes actus nostri ad ejus consequutionem dirigendi sunt. Hic nobis principalis debet esse conatus. Hæc immobilis destinatio cordibus nostris firmanda est,

ut divinis rebus, ac DEO mens semper inhæreat. Pro hoc fine cellæ solitudo & clausura sectanda est; jejunia, vigiliæ, corporis nuditas, silentium, carnium abstinentia, & reliquæ asperitates suscipiendæ sunt. Et denique quidquid ab hoc diversum est, quamvis aliàs magnum videatur; importunum tamen, aut etiam infirmum, seu noixum judicandum est.

Patet igitur ex dictis, post orationem, & meditationem, in nostra Regula & professione secundum locum obtinere vitæ asperitatem: in qua etiam potissima pars est, cellæ, sive monasterii clausura. Ita, ad hæc duo, nempe ad vitæ asperitatem, & clausuram, veluti ad duos orationis pedes, &, firmissimas nostri instituti columnas cetera reducantur. Quare studiosus quisque nostræ professionis sectator, post orationem, colat pœnitentias, sive vitæ asperitatem, & clausuram.

Qualiter vitam mixtam Religio Carmel. amplectatur.

Secundò existimo, secundariò studendum esse nobis animarum saluti, sine detrimento tamen (quantum fieri potest) principalioris finis. Et (ut clarius loquar,) hac secunda assertione constituo, nostræ Religionis institutum mixtum esse contemplatione, & actione; non tamen ex æquo, sed principaliter ex contemplatione, secundariò autem, & minùs principaliter, ex actione.

Duo continet probanda. Primum principale objectum & adæquatum nostri Ordinis esse divinæ legis meditationem, ac contemplationem; quod satis constat ex dictis. Secundum objectum, secundarium & principaliori annexum, esse studium salutis animarum: quod nobis restat probandum, idque serio DEO favente jam in sequentibus latius probabimus, repetitis iis, quæ aliquando diximus in *Stimulo missionum*, sive in *libello de propaganda à Religiosis per universum orbem fide.*

DVBIVM V.

An Religioni nostræ conveniat studium conversionis animarum.

REligiosis omnibus, quantumvis solitudini ac contemplationi deditis, valde esse consentaneum, imò expedientissimum Ecclesiæ conatus in animarum conversione adjuvare, latissimè in 2. *parte Stimuli missionum*, & *in 2. part. lib. 2. de Conversione omnium Gentium*, tam ex Regulis sive institutis Religiosorum omnium, quam ex multis aliis argumentis; imò verò Religiosos omnes præ aliis huic functioni esse aptissimos, cùm ex fructu à Religiosis Ordinibus in Ecclesia DEI percepto, tum ex aliis capitibus plenissimè ostendimus. Inter Religiosos verò ad tantam gloriam à DEO fuisse Ordines mendicantes veluti coadjutores fidelissimos electos *in 3. part. prædictis operis*, & ex antiqua horum sanctissimorum Ordinum in Ecclesia institutione, & ex fructu, qui tanquam ex ubertimis fontibus in Ecclesiæ arva emanavit, conati sumus demonstrare. Ex quibus in 4. *parte Stimuli Missionum* manifestè, ut puto, deducebamus proximorum curam, ac de propaganda fide sollicitudinem, tantum abesse, ut cum nostro instituto pugnet, quin potiùs maximè sit illi consentaneum: & quod ad illius finem scopumque specialem reducatur, illumque mirificè perficiat.

Varius hujus quæstiõ.

Præmittendum autem illud erit inprimis, quod quantum ad præsens attinet propositum, multiplex potest esse sensus hujus asserti. Primò, an sit contra nostrum Institutum salutí proximorum studere. Secundò, an sit conforme. Tertiò, an etiam pars principalis nostri instituti, ut-pote quæ ad finem nostri instituti pertineat. sensus aperitur.

Secundò præmittendum, institutum Religionis duo includere: primum Regulam ipsam à summis Pontificibus comprobatam, deinde finem sive scopum, ad quem omnia alia tam in Regula, quam in Constitutionibus præscripta destinantur. Regula igitur præcisè sumpta non constituit institutum, neque Religionem peculiarem, sed est veluti materia, ac generica quædam institutio, quæ specificatur, & contrahitur ad varios fines, quos sibi, ac posteris Religionum Fundatores præfixerunt: ut patet ex Regula D. Augustini, sub qua innumeræ militant Religiones inter se distinctissimæ, ac in suis functionibus ferè contrariæ. Quare non tam ex Regula, vel saltem non ex ea potissimum, quam ex Fundatorum Religionum fine in Constitutionibus præfixo, institutum Religionis est judicandum: & à fortiori vis & latitudo instituti pensanda erit, præcipuè ex declarationibus, ac Bullis summorum Pontificum; quia cum Regula sit jus quoddam humanum, & (ut nuper dicebamus) velut materia quædam, à summis Pontificibus, à quibus confirmationem, vimque obligandi accipit, explicatur, declaratur, extenditur, ac pro temporum, & locorum mutatione limitatur, corrigitur, aut ad altiorem finem, sive scopum sublimatur. Unde instituti Religionis appellatione, vel possumus intelligere finem particularem illius Ordinis, ut Prædicatorum prædicare, Monachalium contemplari; aut ipsam Regulam præcisè sumptam: Ac denique instituti nomine comprehenditur tam Regula, & Constitutiones, quam finis specialis Religionis: quare quicquid in Constitutionibus præcipitur, vel alio modo ad Religionem pertinet, solemus dicere, ad Religionis pertinere institutum. De instituto igitur, in hac triplici acceptione erit sermo, an in aliqua illarum Ordinis nostri instituto, præcipuè Regulæ, Constitutionibus, aut speciali ejus fini pugnent, vel consentaneæ sint Missiones. Duo explicabuntur Religionis instituta.

Tertiò tanquam certum indubitatumque supponimus (latius inferius probandum) nomine, sive titulo salutis proximorum contineri tam fidelium, quam infidelium curam: id enim apertissimè probant rationes infra adducendæ, ac allatæ supra. Quare si probaverimus nostræ professioni valde esse consentaneum, de salute proximorum procuranda tractare; non erit dubium, quin idem censendum sit de infidelium conversione.

Quatuor igitur, aut quinque capitibus rem totam comprehendam. Primò, ex Regula. Secundò, ex summorum Pontificum testimoniis. Tertiò, ex authore ejusdem Instituti, ac ex nostrorum majorum exemplis. Quartò, ex mediis, hoc est, ex legibus scriptis. Denique quintò, ex fine speciali, quem nos communiter scopum nostræ vocationis appellamus. Ex his ergo principiis apertè deducam, ad nostram familiam curam hanc, & solicitudinem, pro juvandis proximis potissimum spectare: dicturus deinde de eximia illa functione, quæ in infidelium salute procuranda versatur.

Ex

Ex vi Regulæ, quam nos primitivam appellamus, proximorum saluti incumbere tenemur.

§. I.

PRæmitto primò tanquam indubitatum, nullam esse in Ecclesia DEI Religiosorum Regulam, cum qua pugnet studium salutis animarum; quod probat D. Thomas, 2.2.q.187.art.1. ex decreto BONIFACII Papæ VIII. c.nullam 16. in quo expressè stabilivit, à nulla Regula id esse vetitum. Quocirca universis Religiosorum institutis & Regulis, (ut ibi ex *Bonifacij* sententia infert D. Thomas) congruit, proximorum animas adjuvare, ut latiùs in 2. *parte cap.* 1. *Stimuli missionum, & libro* 2. *de Conversione omnium Gentium procurandæ part.* 2. demonstravimus. Quod vero Regula nostra illiud ipsum minimè interdicat, ex *Bonifacij* Papæ authoritate constat. Is enim optimè instituti nostri formam, ac Regulæ normam callebat, cum tempore primitivi ejusdem vigoris floruerit, ipsamque ab *Innocentio IV.* mitigatam & elucidatam declaraverit, nec non amplissima & multiformia Religioni indulserit privilegia, relata in Speculo Ordinis, quorum nonnulla proximè *subjecto* §. in medium proferemus. Igitur cum decreverit, in nulla regula prohiberi animarum curam, & nostram unà cum aliis sub hoc decreto comprehendi, manifestum est.

Legend. *Joan. à JESU-MARIA Tom.* 4. *Tract.* cui titulus, *Assertio Missionū, & orationū adversarum resolutio.*

Præmitto II. Regulæ nostræ hanc animarum salutis functionem non modò non adversari, quin potius eidem apprimè convenire. Enim verò cum cellæ recessus & solitudinis custodia præcipitur, id absolutè nequaquam, sed cum hac limitatione, (nisi aliis justis occasionibus impediamur) commendatur. Ad hæc, in fine Regulæ subjungitur: *Si quis verò supererogaverit, Dominus cum redierit, reddet ei.* Quibus verbis apertum est ostium permagnum, ad omnia divina consilia, quæ Regulæ non contrariantur. Docere autem vel annunciare verbum DEI, cum Evangelicum consilium sit, vel potius præceptum, ut voluit D. Thomas *opusc.* 19. alicui Religiosorum instituto repugnare nequit.

Et Ven. P. Hieronymi Gratiani liber *de zelo propagationis Fidei.*

Tertio ceu indubitatum constituo, in Regula nostra apertissimum contineri præceptum de tuenda, sive procuranda proximorum salute, idque hisce verbis: *Dominicis quoque diebus de custodia Ordinis, & de animarum salute tractetur, ubi excessus & culpæ fratrum, si quæ in aliquo deprehensa fuerint, charitate mediâ corrigantur.* Quorsum enim INNOCENTIUS ista verba (*de animarum salute*) adderet, si dumtaxat de Religiosorum profectu ageret? Annon illis verbis (*de custodia Ordinis*) & similibus aliis, ubi agit de culparum animadversione, satis superque consultum foret? num peculiaria ac certa tempora requiret Pontifex, quibus Religiosorum spirituali emolumento invigiletur, cum id omni tempore à Prælatis inquiri debeat? Verum quo clarius horum verborum genuinus sensus innotescat, recolendum est, in Regula olim ab Alberto primitus tradita, illa verba (*de animarum salute*) non haberi, ut videre est in ipso textu Regulæ apud Paleonidorum *lib.*3.*cap.*2. & in præfationibus expositionis Regulæ, quam nos præteritis annis in lucem edidimus, sed eadem postmodum in correctione ac declaratione Regulæ *Alberti*, ab *Innocentio IV.* facta, ac postulantibus ipsis Religiosis fuisse adjecta, uti & reliqua, quæ in Regula prudenter inserta fuerunt. Itaque Regula circa prædictum locum sic olim habebat: *Dominicis quoque diebus vel aliis, de custodia Ordinis tractetis, ubi excessus & culpæ Fratrum, si quæ in aliquo deprehensa fuerint, charitate media corrigantur*, nulla facta mentione de animarum salute.

Oportet igitur, ut quænam ac quanta fuerit occasio addendi illa verba (*Et de animarum salute tractetis*) aperiamus, quo sic de mente Regulæ & sensu, dubitandi locus non supersit. Quapropter breviter attingam. Olim invadentibus terram sanctam Saracenis (ut latius prosequuntur Ordinis historiographi, præcipuè Guilielmus de Sanvico, Eremita montis Carmeli, in Chronic. de multipl. Religionis Carmelitarum, per provincias Syriæ, & Europæ, & Paleonidorus *lib.*3.*cap.* 5. & 6.) non sine DEI nutu, ope, ac revelatione, majores nostri Syriam, Palæstinam, & alia terræ sanctæ loca deserere sunt coacti, & in Europam transmigrare. Quare anno Domini 238. supra millesimum nonnulli natione Cypri in Famagustam, alii vero Siculi in Siciliam, in Massiliam alii, ac in provincias & regiones Europæ varias, varii transfretarunt, qui in prædictis regnis, Ordinis Monasteria divina freti gratia erexerunt. Cum igitur in Eremis Syriæ ob crebras Paganorum infestationes, sine periculo degere non possent, in Europa vero utpote ignoti, à Prælatis aliisque personis supra modum vexarentur, nec possent facile, ut olim in Eremis singuli seipsos servare, statuerunt coire in unum, & civitates villasque conjunctim inhabitando, suæ & proximorum saluti attendere. Testatur ipsum INNOC. IV. qui Europæ Prælatis IV. Pontificatus sui anno, (ut refert Paleonid. *lib.* 3. *cap.* 6. & *lib.* 9. *cap.* 5. Speculi) in hunc modum rescripsit: *Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem, & Apostolicam benedictionem. Paganorum incursus dilectis filiis Fratribus Eremitis S. MARIÆ de monte CARMELI, necessitatem indixisse dignoscitur, quod se ad has marinas partes, non sine afflictione multa spiritus contulerunt, cùm iis contemplationis dulcedine recreari soliti, ex hujusmodi transitu turbata non modicum fuerit quies mentis. Cum itaque ipsorum ad hoc aspiret affectio, ut per Apostolicæ pietatis auxilium, statum consequi valeant, in quo sibi & proximis, DEO propitio, ad salutem proficere hilarescant, fraternitatem vestram rogandam duximus, & monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsos, dum ad vos pervenerint, benigno suscipientes affectu &c.*

In quo rescripto primo animadvertendum est, ipsius litteras expeditas fuisse ante mitigationem Regulæ, quam sequenti tunc anno præstitit INNOCENTIUS.

Secundo ante ipsam *Innocentij* correctionem Fratres prudenter mutasse consilium, ut qui antea in Eremis contemplationis tantum dulcedine renebantur, mox in villis degere compulsi, non contemplationi tantum, sed & proximorum saluti vacare destinabant, ut clarè innuunt hæc verba: *Cum itaque ipsorum ad hoc aspiraret affectio, ut Apostolicæ pietatis auxilio statum consequi valeant, in quo sibi & proximis, Deo propitio, ad salutem proficere hilarescant*; expendenda sunt illa verba *statum consequi valeant*. Intendebant enim non perfunctoriè, sicut & Eremitis permittebatur proximos juvare, sed ad illud ex vi status teneri. Eum in finem, sequenti anno (ut ex Regula constat) Regulam *Alberti* corrigi, mitigari, ac declarari, præsertim circa prohibitionem habitandi in villis & civitatibus, ab *Innocentio* postularunt.

Quo-

Quocirca paulo post annexit *Innocent. IV.* illa verba, *de animarum salute tractetis*; quæ declaratio postquam à Sede Apostolica dimanavit, statum, quem ardentibus votis exoptârant, nacti sunt, in quo & suæ & proximorum saluti impensè indagandæ, conatus suos exerere possent.

Religio Carmel. perstitit in Carmelo annis 2221

Ab hac igitur *Innocent. IV.* Regulæ correctione ac declaratione, arcta illa eremiticè vivendi consuetudo, in alteram nempe Cœnobialis vitæ methodum mutata est: quæ enim divinæ tantum contemplationi prius insistebat, cœpit exinde proximorum curam ac vigilantiam in se suscipere: quod & expresè docuit *Specul. Ordinis lib. 9. cap. 8. in fin.* his verbis: Professores hujus Religionis, qui in monte Carmeli tempore ELIÆ & ELISEI Prophetarum continuè & incessanter in contemplatione DEi perstiterunt *per* annos circiter bis mille ducentos viginti unum, in hac persecutione montem illum ex toto amiserunt, quod ideo totum factum puto, ut adimpleretur, quod vaticinatum fuerat per Jeremiam Prophetâ dicentem: *Aspexi, & ecce Carmelus desertus*; jam enim lætitiam & exultationem, quibus, contemplationis dulcedine, in eodem monte Professores hujus Religionis recreabantur, non esse perpetuo ibidem permansuros, Isaias dudum prophetaverat, dicens: *Auferetur lætitia & exultatio de Carmelo.*

Vaticinia de Carmeli desolatione *Jerem. 4. Isai. 16. c.*

Ab illo tamen monte dilatati fuerunt professores hujus Religionis in diversas mundi partes. Qui etiam novissimè, scilicet à diebus D. Papæ Innocentij IV. & sanctissimi Regis Ludovici, ab eodem monte Carmeli, in partibus Occidentalibus multiplicati sunt in multas provincias provinciasque in domos; domus in personas multas sufficientes & idoneas, per orbem virescendo florent, & florendo multum fructum adferunt, ad fidei Catholicæ augmentum.

A monte Carmeli Ordo propagatus per diversas mundi partes.

Ab *Innocentij* etiam IV. temporibus, cum Fratres ad procurandam salutem proximorum jam ex Regulæ præscripto sese adstringi intelligerent, Prælati eorundem, opportuna capessere media, ac de ratione studiorum Theologiæ cogitare cœperunt, eaque Religiosis injungere, eosdem Confessionibus excipiendis, verboque DEi disseminando exponere non neglexerunt. Constat hoc apertissimè ex verbis ipsis *Innocentij* IV. apud Speculum Ordinis *fol. 96.* ubi hic habetur:

INNOCENTIUS Episcopus, Servus servorum DEI, dilectis filiis Priori, & Generali, & Fratribus Eremitis S. MARIÆ de monte Carmeli, salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis augmentum vobis DEO propitio provenire confidimus, si super iis, quæ piè cupitis, nos benignos ad gratiam habeatis. Cum itaque, sicut ex tenore vestræ petitionis accepimus, plures vestri Ordinis in Theologica facultate instructi competenter existant, nos vestris supplicationibus annuentes, tibi fili Prior, præsentium auctoritate concedimus, ut illis ex prædictis Fratribus, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, proponendi Fidelibus verbum DEI, & audiendi confessiones eorum, de Diœcesanorum tamen locorum assensu, licentiam largiaris, sine juris præjudicio alieni. Dat. Assisij 7. Kalen. Septemb. Pontificatus nostri Anno XI.

Ubi *Innocentius* Fratribus ipsis Eremitis, adhuc in monte Carmeli habitantibus, concedens, ut Prælati Religiosos idoneos Confessionibus excipiendis exponant, supponit apertè, id ipsum institutio ac Regulæ eorum notmæ congruere, quia in illa animarum salus expresè erat commendata. Ipse etiam *Innocentius* Episcopo Leodiensi, in Religionis favorem rescribens (ut in *Speculo Ordinis, fol. 74.* refertur) rem hanc non minus apertè confirmat dicens: *Cum itaque dilecti Filij, Prior & Fratres Eremitæ de monte Carmeli in Anglia commorantes, ad tuam diœcesim divertere cupiant, ut ibidem insistant divinis legibus, & sibi ac aliis gloriam perpetuæ claritatis acquirant.*

Denique ab hoc tempore, omnes ferè Pontifices, qui Ordinem privilegiis gratiisque innumeris condecorarunt, uno ore loquentes, vel institutum Ordinis ex eo commendant, quia bifarium, scilicet activæ & contemplativæ vitæ studium amplectatur, vel id ceu certum supponunt, uti latiùs *sequenti* §. ostendemus.

Illud tamen obiter considerandum, tam INNOCENTIUM IV. quàm alios Pontifices in suis Bullis, dum Fratres nostros DEO & saluti proximorum addictos referunt, simul eos Eremitas appellare, ut ostendant cum Eremitarum nomine, curam proximorum salutem propagandi, non pugnare, ut clarè constat exemplo Fratrum Augustinensium, qui adhuc Eremitarum nomine gaudent.

Cæterùm etsi nullum esset in Regula, hac de re expressum præceptum, sufficeret, ut initio prosequuti sumus, quòd in ea non prohiberetur. Neque enim D. Augustinus in Regula meminit salutis proximorum, & tamen sub eo diversæ Christo famulantur congregationes, quæ licet habitu diversæ sint, variæ in constitutionibus, discretæ in Cæremoniis; unâ tamen contentione glorificant DEUM, & proximum eidem lucrifaciendi, se exercendo in piis operibus, desudant.

Summorum Pontificum testimoniis, animarum curam nostro Instituto inesse comprobatur.

§. II.

NOstrum Institutum mixtum esse ex actione spirituali, & divinorum contemplatione, ex summorum Pontificum testimoniis, ad quos spectat proprium uniuscujusque Ordinis institutum declarare, ita clarè convincitur, ut non opus sit pluribus uti argumentis. Eorum igitur tantum litteras, ac testimonia proferam, qui tempore Regulæ (quam nos primitivam appellamus) floruêre. Quare omnes *infrà* adducendi, authoritate Pontificia functi, ante *Eugenium* IV. (qui anno Domini 1431. regulam omnino mitigavit, ut ex temporum computatione clarissimè conspicere licebit) claruerunt.

In ipso Carmelo cum contemplatione lect. litterarû studium & animarû curam conjunxerunt.

A tempore igitur INNOCENTII IV. ut in fine *præcedentis* §. 1. leviter attigeram, omnes ferè Pontifices, per varia sæcula, continua suarum litterarum serie, nostro instituto curam animarum salutem promovendi consentaneam esse, vel supponunt, vel clarissimis exponunt verbis. Et ut nunc omittam INNOCENTII IV. *præcedenti* §. allata testimonia, (quæ si attentè expendantur, efficacissima sunt, ut credamus etiam illa felicissima ætate, majores nostros in montis Carmeli vasta solitudine, cum Eremiticæ vitæ observantia, litterarum palæstram, ac animarum curam conjunxisse) adducam & alia aliorum Pontificum gravissima effata, qui INNOC. IV. vestigia, ac mentem secuti sunt, quorum Apostolicæ litteræ habentur in *Speculo Ordinis* prope finem, loco, & pagina à nobis adducendis.

Sûmor. Pôtificû testimo-

URBANUS IV. in Bulla, quæ incipit: *Pietatis opus &c.* in Speculo *fol. 73.* *Maximè* (inquit) *cum ipsi* (loquitur de nostris Religiosis) *studeant sub extrema paupertate vivere, ipsorum ergo ad hoc fer-*

ventur

nia de copioso fructu, quem in animarũ salute promovenda produxit semper Carmel. Ordo.

venter spiret affectio, ut per eorum ministerium salus DEO proveniat gratissima animarum, &c. Idem etiam *Urbanus* in Bulla incipiente, *Vobis ad hoc* (in Speculo *fol.* 69.) concedit Fratribus licentiam Fidelium omnium ad se venientium audire confessiones, illamque reddit rationem: *Quia quæ animarum salutem paritura credimus, benigno concedere favore debemus.*

URBANUS IV. in alia Bulla: *Sacer* (ait) *Ordo vester in agro Dominico, divina dispensatione plantatus, Dominicum gregem illuminat, & currentibus in stadio iter insinuat, quo ad salutis bravium facilius perveniatur.* (Et infra) *Hæc sacra Religio virtutum fecunditate referta, ex sua institutionis exordio, per insignium meritorum gratiam, & exemplaris vitæ doctrinam uberes hactenus in universali Ecclesia honestatis fructus protulit, & salutis &c.* in Speculo *fol.* 72.

CLEMENS IV. *Præclara Ordinis vestri Religio, quæ in agro Ecclesiæ hactenus uberes fructus produxit, & producit.* Et infra etiam repetit prædicta verba *Urbani IV.* nimirum, *Hæc sacra Religio virtutum fecunditate &c.* in Speculo *fol.* 72. Idem colligitur ex alia ejusdem *Clementis IV.* Bulla apud Specul. *fol.* 62. *p.* 2.

BONIFACIUS VIII. in Bulla, quæ incipit, *Religionis vestræ meretur honestas, ut petitionibus vestris præsertim animarum salutem concernentibus favorabiliter annuamus, &c.* in Speculo *fol.* 69. *p.* 2. Ubi concedit Pontifex Ordinis Prælatis, ut possint Religiosos exponere ad prædicandum, & Confessiones audiendas. Omnes hi Pontifices clarè supponunt animarum curam, ad nostræ professionis scopum, & finem reduci. Sed & clarius, ita ut nullus relinquatur dubitandi locus, JOAN. XXII. in Bulla: *Sacer.* (inquit *fol.* 67. *Specul.*)

Ordo vester in agro Dominico Divina dispensatione plantatus &c. Cujus professores mundanis à se relegatis illecebris, cælestium contemplationi vacantes insistunt jugiter, & profectibus animarum. Et infra: *Ad ea libenter intendimus, per quæ Professores jam dicti nullum interna pacis patiantur excidium, nullumque sui status perferant detrimentum, ut eo devotius divino cultui, ac salutis animarum insistant operibus, quo quietior eorum status fuerit* &c. *Datum id. Martij, Pontificatus sui* Anno I. Quæ verba CLEMENS VI. in alia Bulla, apud *Specul. fol.* 67. quæ etiam incipit: *Sacer ordo vester*, anno VI. sui Pontificatus, ad litteram repetit & confirmavit.

Ac deinde JOANNES ipse XXII. Anno XI. sui Pontificatus in Bulla quæ incipit, *Inter ceteros Ordines*, quæ habetur in dicto Speculo, *fol.* 69. *p.* 2. inter alia ita Ordinis Fratribus rescripsit: *Sane pro parte vestra fuit in Consistorio propositum coram nobis, quod Ordo vester, cujus institutio Concilium generale præcessit, ab antiquo per sedem Apostolicam approbatus, in diversis mundi partibus, in sacra pagina Magistris, Baccalaureis, Lectoribus, Scholaribus, & quam plurimis Sacerdotibus eruditis, ac sufficienter instructis, in prædicationis officio verbi Dei, nititur reflorere, ac in ijsdem partibus Fratres sufficientes, & utiles ad irrigandum agrum fidelium rore verbi Divini, & excolendum eorumdem Fidelium mentes, non solum eruditione sermonis, sed Confessionum auditione, & pœnitentiarum impositione salutarium existere dignoscantur*, &c. In hac Bulla idem summus Pontifex Joannes auctoritate Apostolica Constitutionem *Bonifacij* VIII. relatam in *Clement.* Dudum, de sepulturis, & in *Extravaganti*, super Cathedram, quæ loquitur expresse tantum de duobus Ordinibus Mendicantibus, Prædicatoribus scilicet & Minoribus, (ubi eos coadjutores Episcoporum constituit, aliaque privilegia indulget) plenissimè extendit, ad nostri Ordinis professores. Illud quoque obiter considerandum, ante ipsum *Joan.* XXII. à tempore *Innoc.* IV. ut clarè ex superioribus constat, nostri Ordinis professores addictos fuisse animarum ministerio, sicut & Fratres Prædicatores à sua institutione, qui tamen à *Bonifacio* VIII. & nos à *Joanne* XXII. ceteique Ordines Mendicantes Episcoporum effecti sunt coadjutores.

Hæc sunt Pontificum testimonia, omni exceptione majora, quibus regulæ primitivæ, (omnes enim ante *Eugenij* IV. mitigationem clarucrunt) ac institutionis nostræ mens apertissime declaratur.

Ex constitutionibus idem demonstratur.

§. III.

Animarũ zelus quantopere semper viguerit in utraque Congregatione Carmelitarum Discalceatorũ docent cõplures earum leges ac constitutiones.

UNiversæ ferè utriusque Congregationis, tam Hispaniæ, quam Italiæ conditæ ab initio leges, hunc animarum zelum, tamquam nobis consentaneum, nostri instituti athletis injungunt; quod validissimum est argumentum, quo animarum zelum semper fuisse Religioni proprium confirmatur. Neque enim efficacius Religionis alicujus spiritus aliunde probari potest, quam ex Regulis in eadem scriptis, ac observatis: Nam leges ipsæ, & instituta, clarè vivendi modum, & semitam cujusque Religionis edocent. Quod ut clarius liqueat, breviter perstringam Constitutiones de hoc argumento hactenus in Religione factas: in iis enim apertè animarum zelus commendatur, & quibus id potissimum fieri debeat mediis, demonstratur: Unde ad oculum videre licebit, zelum animarum semper in Religione viguisse, nec non conjunctionem illam vitæ activæ, & contemplativæ, quæ adæquatus status nostri finis existit.

Præsupponendum itaque est Reformationem nostram initium sumpsisse Anno 1568. prima Dominica Adventus, & ab illa die usque ad quartam Martii 1582. qua Capitulum Complutense celebratum fuit, factaque separatio à Patribus mitigatis, undecim anni cucurrêre. Quo tempore scriptis Legibus, ac Constitutionibus carentes, factis ipsis atque exemplis primi illi Patres hujus novæ Reformationis institutum posteris apertè demonstrarunt. Æstuabat tunc apud illos Patres, & contemplationis studium, & ardens animarum zelus: crebræ, ut beata Virgo THERESIA in suis *Fundationibus cap.* 13. recensct, & nos *infra* latius dicemus, erant ad populum prædicationes, Confessionum exceptiones: crebri pro juvandis proximis per vicos, & castella excursus.

Præterea hoc etiam spiritu, & intentione conditæ fuerunt primæ Constitutiones in Capitulo Complutensi Apostolica auctoritate interveniente, in quibus clarè, & apertè pluries animarum zelus commendatur. In *prima* namque *parte cap.* 2. *num.* 1. dicitur, in Ordine nostro tria Conventuum genera distinguenda: Unum pro novitiis, alterum pro studentibus, tertium pro professis, & in eorum quolibet diversa studia, & exercitia secundum cujusque scopum esse stabilienda. Et postea additur: *In primo enim præcipuè de educatione spirituali, in II. de litterarum studio, in III. verò de spirituali Monachorum profectu, & animarum aliarum salute est habenda ratio.* Ecce primis

primis hujus reformationis legibus animarum zelus non obiter, aut perfunctoriè, sed seriò, & quasi scopus manifestè præfixus: Ecce Religiosorum nostrorum statum in duas divisum partes: alteram, quæ de educatione spirituali, & animarum nostrarum profectu agit, (quæ ad *Ordinis custodiam* spectant;) alteram, quæ de litterarum studiis, & proximis juvandis, quæ ad illa verba Regulæ, *Et animarum salute tractetis*, referenda sunt. In hac igitur Constitutione, (quæ etiam continuata est usque ad nostra tempora) Regulæ nostræ mens, & ferè ipsa verba, de quibus *cap.* 2. agebamus, nempe de *custodia Ordinis, & de animarum salute tractatu*, expressa, declarata, ac ut observentur in Ordine præfixa, non sine divino consilio exponuntur. Et in eadem *prima parte Constitutionum, cap.* 17. de studiis, & studentibus, *num.* 2. sic habetur: *Quia verò Religiosos decet, ut hæreses & vitia exirpentur, eaque legere quæ sibi, & proximis, in fide, & moribus profesſe dignoscuntur* &c. Atque hic etiam animarum zelum præcipi manifestè constat, cum in eum finem studiorum exercitia sint ordinata. Constitutiones hæ decem annis continuis, in viridi observantia fuerunt, atque iis durantibus animarum zelum in Religione floruisse, nemo est qui negare possit.

Post quas Constitutiones aliæ introductæ sunt, & ut verius dicam continuatæ eædem fuêre, in Capitulo Madriti celebrato, Anno Domini 1590. in quo præsidente Religiosissimo viro Patre Nicolao de Oria, statuta omnia, quæ animarum salutem concernebant, auctoritate Apostolica denuo fuerunt stabilita, seu potius confirmata, & ex consequenti eundem Religionis spiritum Apostolica auctoritate firmatum. In *prima* enim *parte cap.* 9. *num.* 6. sic dicitur: *Et quia convenit Religiosos studere vitiorum ac hæresum exstirpationi, atque ea legere, quæ ad fidei promotionem, bonorumque operum incrementum, ac proximorum salutem conducunt.* Et in 2. parte cap. 12. *Erunt in Religione nostra tria domorum genera, unum in quo Novitij instituantur, alterum collegiorum pro studentibus, tertium pro Professu.* Et post pauca, *In primo præcipuè de educatione spirituali* &c. eisdem enim omnino verbis ac in Constitutionibus Compluti editis, ut nuper retulimus. Potestne clarius, & expressius commendari animarum cura? Faciunt etiam ad hujus veritatis confirmationem ea, quæ in dictis etiam legibus caventur in *prima parte cap.* 4. *num.* 2. Quod scilicet in Conventibus, in quibus generalia studia non existunt, (qui videlicet de numero eorum sunt, quibus cura, & zelus aliarum animarum injunctus atque commissus est) sint duo Regentes, qui sacras litteras legant, eo scilicet fine, ut in Scripturis Religiosi edocti, populo possint prædicare, *quia utile est ad docendum.* Deinde *parte* 2. *cap.* 14. *num* 8. habetur: *Et quia doctrinam Christianam populum edocere obsequium est Deo acceptissimum, ideo quilibet Provincialis in Conventibus suæ Provinciæ, prout sibi magis expediens visum fuerit, vel in Conventu, vel extra hoc ipsum præstabit.* Hæ leges, & spiritus fervor in Religione perseveravit decem annorum spatio ad annum usque 1600.

Deinde Anno 1600. in Capitulo celebrato Pastranæ, sive Toleti aliæ leges publicatæ sunt, quas delegati cum auctoritate Apostolica sicuti priores sanxerunt: in quibus uti & in ceteris nobis injunctus atque commendatus fuit zelus animarum. In *prima* enim *parte capite* 1. *numer.* 2. dicitur: *Prima nostra obligatio est, qua nos ante omnia Divino obsequio, deinde nobismetipsis, atque ultimo proximorum saluti studere tenemur.* Ac in eadem *prima parte cap.* 19. *num.* 24. scriptum est: *Et quia non solum in Collegiis, sed etiam Religionis nostræ Conventibus litterarum exercitia esse oportet, ut aptiores reddantur, qui animarum salutem incumbunt.* Et eodem cap. num. 28. *Procurent diligenter Prælati Religionis nostræ, ut Bibliotheca Conventuum nostrorum probè instructa sint omnibus libris necessarijs ad profectum proximorum promovendum.* Viguerunt leges hæ ad annum usque 1604. in quo Constitutiones novæ conditæ sunt, ac in novam formam redactæ. In his demum legibus quid clarius, quam animarum zelus in ipsarum vestibulo præscribitur? in *cap.* enim *primo* ita scriptum invenitur: *Præterea cùm sacer Ordo noster ad excolendam vineam Domini ab Ecclesia sancta vocatus, ad Sanctorum Patrum Prophetarum* ELIÆ, & ELISÆI, *aliorumque vestigijs inhærendo, non solum cœlestis contemplationi insistat, sed & profectibus jugiter vacet animarum, tam contemplationem quam actionem complectitur.* Quibus verbis clarè satis exprimitur, finem nostrum mixtum esse ex contemplatione, & actione: Et in 2. *parte* dicitur cap. 1. num. 3. *Quatuor sunt apud nos monasteriorum genera. Primum in quo recipiuntur, & instruuntur Novitij: Secundum in quo recepti, & in virtutibus radicati in sacrarum litterarum doctrina, & scientia eruditur, hujusmodi sunt Collegia: In tertio verò de spirituali Monachorum profectu, & animarum salute est habenda ratio.* Plenius id confirmatur ex his, quæ in *secunda parte capite* 4. *num.* 19. scripta reperies: *Studeant Prælati, ut in librorum officina omnes libri necessarij, tam ad Religiosorum profectum, quam ad proximorum salutem reperiantur.*

Similes in omnibus ferè conditæ sunt à nostra Congregatione Italiæ Constitutiones, quæ etiam *cap.* 16. *part.* 2. Missionum Seminarium Romæ, & in aliis Provinciis, erigendum esse decernunt. Quare cum in utriusque Congregationis scopo de juvandis proximis sermo fiat, ac præfigatur forma Prædicatoribus, Confessoribus, Collegijs, Rectoribus, Lectoribus, Scholasticis, ac aliis functionibus animarum saluti destinatis: & quod fortius est, major & optima Religionis pars in his exercitijs occupetur (& fortè nulla est Religio in Hispania sive Italia, servata proportione, quæ pluribus Prædicatoribus ac Confessoribus gaudeat) magnam Religioni irrogaret injuriam, qui diceret tot viros, inter quos maxima & præcipua est Ordinis pars, contra vel extra proprium finem, & institutum à Religione occupari.

Hæ sunt à novæ reformationis Patribus ab initio sancitæ, & constitutæ leges, & ut ita loquar, voces DEI scriptæ. Quare quemadmodum fontium aquæ, quò longius à genuina scaturigine dilabuntur, eò amplius confluentium hinc inde aquarum commixtione inficiuntur, & primam sinceritatem amittunt; ita etiam Reformationis nostræ status, quantum à florentissimo sui principio recesserit, tantum amittet puritatis.

Ab

Ab Authore nostri instituti, & ab exemplo majorum, animarum zelus nobis maximè commendatur.

§. IV.

58. Elias & Eliseus eorúque successores animarum zelo mirificè addicti fuêre.

MAjores nostri eam vitæ institutionem coluerunt, quæ & contemplationi divinarum rerum vacaret, & proximorum saluti, maximè cùm eorum necessitas exigebat, consuleret. Sic olim Patres nostri, ac primi instituti monastici propagatores, ELIAS, & ELISEUS, non scripto sed rebus gestis, ut scripturæ sacræ narrant historiæ, instituerunt, & posteris observandam tradiderunt. Quare magnus ille Athanasius in *Epistola ad Dracontium* Monachum Eremitam, contentiosè renitentem animarum curam suscipere, ELIÆ, & ELISEI exemplo urget relictæ solitudine, ad animarum ministerium amplectendum. Recolenda sunt Athanasii verba à nobis *Stimuli missionum 2. part. Cap. 5.* in opere *de Conversione omnium Gentium* &c. *lib. 2. part. 2. Cap. 5.* allata. Eodem quoque Magni ELIÆ Prophetæ exemplo Ammianus Eusebio Monacho, ut Theodoretus narrat in vita Eusebii, idem persuasit.

Coadjutores Apostolorum in Evangelii prædicatione.

Hanc etiam vivendi normam erumpente Evangelii luce Carmelitæ magna cum animi contentione imitati sunt. Nam à monte Carmeli discedentes ab Apostolis primum baptizati, postea eorum coadjutores in prædicatione sancti Evangelii effecti sunt, ut Josephus Antiochenus *libr. 12. Speculi perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ* scripsit, noique late retulimus *Stimuli missionum 2. parte cap. 4. & lib. 2. part. 2. Cap. 4. de Conversione omnium Gentium procuranda.*

Sed si ad alia tempora, statumque Religionis descendamus, eandem inveniemus institutionem, vitæque rationem servatam. Nam & illi Patres primitivæ nostræ Regulæ olim professores, etiam antequam Religio nostra Ordinibus Mendicantibus annumeraretur, ita Regulam in praxi observarunt. Nam cum tunc Eremiticam vitam in monte Carmelo in singulis, & separatis cellulis commorantes profiterentur, convenientissimum judicarunt sanctiores illius temporis viri ex solitudine ad imitationem Patris nostri ELIÆ Prophetæ pro animarum salute prodire.

Refertur quid præstiterit S. Cyrillus

Quare B. Pater *Cyrillus*, qui inter Latinos fuit tertius Ordinis Generalis, vir alias sanctissimus, spiritu prophetiæ illustris, claruque miraculis, in Armeniam prædicandi Evangelii causa à D. Basilio in visione monitus, se contulit, majoremque illius Provinciæ partem ad Ecclesiæ Romanæ unionem reduxit.

Quid S. Angelus Martyr.

Quid de sancto *Angelo*, qui ardore martyrii, animatumque zelo flagrans, *tanquam nubes imbrifera* (ut Erardus Carthusianus in *Fasciculo temporum* scribit) *prædicando circumquaque discurrens, innumeras Christo lucrifecit animas*? Quid

Quid S. Albertus.

verò de sancto *Alberto*, qui antiquorum Patrum vestigia secutus est, referam? Nonne multos ex Judæis ad veritatem fidei adduxit?

Quid S. Simon Stock.

Quid demum de beatissimo viro *Simone Anglico*, cujus gesta breviter Paleonid. *lib. 3. cap. 8.* referens ait: *Eloquentissimus erat, ac tam vehemens, tamque efficax divinorum eloquiorum enucleator, ut Anglorum animos à vitiis ad virtutes mirabiliter commutaret.* Nonne isti aliique Patres strenuam operam dederunt, ut populos Christo conciliarent? De his ergo viris sanctitate præstantissimis inquiro, an fuerint Carmelitæ? an institutum Regulamque primitivam observarint? si observarunt (quod omnino asserendum est, nec aliter sancti esse potuissent) affirmandum etiam est, omnino eos, qui animarum zelum meditantur, ne lato quidem ungue ab instituto discedere, sed potius illud perficere, atque observare: sicut latissimè ex *infra* dicendis apparebit.

Quid S. Theresia

Nec minùs urget B. Virg. THERESIÆ, novæ Reformationis erectricis exemplum, quam ardens DEI & proximorum charitas monasterio expulit, ut animarum salutem, quas perire cernebat, solicitè procuraret: eoque studio sic efferbuit, ut totam ferè Hispaniam viginti annorum spatio, pro animabus DEO lucrandis, magno cum labore peragrarit; sæpeque dicere solebat, se potius viris Apostolicis animarum zelum invidere, quo Christo animarum lucrum reportant, quàm sanctorum martyria, quibus tantum sibi gloriam parabant.

Et ut nullum argumenti genus prætermittam, eadem Seraphica Virgo, ac nostræ Reformationis Mater THERESIA, in *libro Fundationis suorum monasteriorum, cap. 13.* agens de prima illa Religionis ætate, maximè commendat illos duos pissimos Patres, à se pro erigendo primo Monasterio electos, quod eo tempore, quo prima Ordinis fundamenta in oppido illo Durvelo jaciebant, & orationi instantes, & Verbo DEI per vicinas villas disseminando non sine magno animarum fructu studuissent. Hæc fuerunt nostræ Reformationis primordia; his duobus sponsi uberibus, oratione, & animarum salute ab infantia lactatus est Ordo noster: in hæc tanquam in scopum tendunt actiones nostræ, ut jam latius ostendam.

Scopum, sive finem specialem vocationis nostræ tam contemplationem quam actionem complecti.

§. V.

INstituto nostro non tantum conforme consentaneumque esse, sicut & ceteris Monachorum Ordinibus, sed & propriissimum, tanquam uni ex Mendicantibus, opem proximis ferre satis superque constat ex superioribus. Illud restat examinandum, an munus hoc, proximos juvandi, ita ad vitæ nostræ rationem pertineat, ut finis sit & scopus vocationis nostræ, &, ut ita loquar, intret rationem finis essentialis, constituentis & distinguentis institutum nostrum ab aliis aliorum Ordinum: sunt enim veluti gradus quidam eorum, quæ ad Religiosum statum spectare, vel eidem advertari possunt.

Quadruplex gradus eorũ quæ ad

Primus est eorum, quæ sunt omnino contraria, quia cum votis, fine, regula, aut constitutionibus pugnant. *Secundus* eorum, quæ instituto nec contrariantur, nec tamen ad illud etiam

Religiosum statum spectare, aut eidem adversari queunt.

pertinere dignoscuntur, quæ propriè præter institutionem appellari solent: Ut si Prælatus injungeret jejunia, vel asperitates alias ab his, quæ in Regula aut Constitutionibus, præscribuntur. *Tertius* eorum, quæ sunt professioni consentanea, qualia sunt ea omnia, quæ sunt media ad finem universalem, vel specialem illius Religionis; ut sunt in nostro Ordine Jejunia, clausura, scientiarum studia, verbi Dei prædicatio, quorum alia ad contemplationem, alia in proximorum dilectionem, & curam diriguntur. *Quartus* gradus est eorum, quæ sunt de substantia instituti, & veluti bases & fundamenta monasticæ disciplinæ, qualia sunt substantialia vota, & finis, sive scopus illius Religionis, ad quem omnia alia destinantur. Inspiciamus ergo, an animarum zelus sit specialis finis à Patribus præfixus nobis, & veluti scopus, per quem ad Dei amorem, & proximi pervenire debemus.

Tria sunt Religionum genera, juxta finis proprii diversitatem.

Sciendum deinde est, quod, quamvis finis, pro varietate, & diversitate Religionum varius sit, omnia tamen ad tria genera reducantur, secundum quod ab omnibus Theologis, tria esse potissimum Religionum genera traditur: quorum aliud in agendo, aliud in contemplando versatur; tertium verò tam actionem, quam contemplationem complectitur. Quod adhuc in alia duo membra subdividi potest. Nam vel est mixtum ex æqualibus partibus, ita ut æqualiter & contemplationi, & actioni vacet; vel plus habet de uno, quam de alio: verbi gratia, minus de contemplatione, & plus de actione, vel è contra.

Institutū nost. mixtum est ex contēplatione & actione, cujus potior pars est contemplatio.

Nostræ igitur Religionis institutum mixtum esse ex contemplatione, & actione, non tamen ex æquo, sed principaliter ex contemplatione, minùs principaliter ex actione, omnino est certum. Primò ex declaratione summorum Pontificum, qui tempore primitivæ Regulæ floruerunt, ut patet ex his, quæ *Cap. 3. 4. partis Stimuli missionum* attulimus, præcipuè verò ex verbis illis JOANNIS XXII. & CLEMENT. VI. *Cujus professores cælestium contemplationi vacantes insistunt jugiter, & profectibus animarum.* Id etiam manifestè constat ex Bull. INNOC. IV. aliorumque Pontificum.

Probatur ex Pontific. Bullis

Item Ratione.

Tum etiam ratione demonstratur, quia scopus sive finis nostræ Religionis non est solum oratio, aut contemplatio, ut constat, tum ex prædictis Pontificum Bullis, tum etiam ex fine, quem habent sibi præfixum Ordines Mendicantes, qui, in quantum tales, instituti sunt ad activam vitam spiritualem in proximos exercendam, summum Pontificem, Episcopos, & Parochos adjuvando: igitur finis ex contemplativa, & activa vita coalescit.

Tertiò hunc finem ex contemplatione, & actione compositum in ipso proœmio, Cōstitutiones utriusque Congregationis tam Hispanicæ, quam Italicæ athletis suis præfixêre; & primò Hispanicæ de fine sibi constituo differentes inquiunt: *Præterea cum sacer Ordo noster, ad excolendam vineam Domini, ab Ecclesia vocatus, ac sanctorum Patrum ELIÆ, & Elisæi, aliorumque vestigiis inhærendo non solùm cælestium contemplationi insistat, sed & profectibus jugiter vacet animarum; tam contemplationem, quàm actionem (licet non ex æquo) complectitur: nam illam ut finem proximum; hanc verò, ut illi annexam respicit.* Et infra: *Et licet Regula nostra apertè tradiderit media ad hos fines consequendos &c.* Ecce qua ratione Patres Ordinis nostri clarè, & aptissimè, duos hos fines agnoscunt; sive ut Theologi dicunt, unum mixtum ex contemplatione, & actione.

Similiter in proœmio Constitutionum Congregationis Italicæ, idem designatur scopus, cum in eis ita cavetur: *Nostra verò Religioni duplex hoc bonum* (nempe vacare DEO, & proximorum saluti) *ordine servato, divinitus collatum est: ut potior ejus pars esset arcana unio, qua per amorem, & contemplationem DEO anima sociatur; posterior autem proximis impenderetur: quam vitæ rationem amore utroque flagrantem Patres nostri ELIAS, & ELISEUS non scripto, sed rebus gestis instituerunt, & posteris observandam tradiderunt.* Quid igitur opus est in his immorari, cùm ex antiquis Pontificum traditionibus, ex novis, & apertissimis ipsius Ordinis decretis, ac Constitutionibus, ex Ordinum Mendicantium institutione, ex ratione ipsa constet, Religionem nostram hoc altissimo fine gaudere, qui illam perfectiorem reddit, quam si solùm contemplationem amplecteretur, ut 2. *part. Cap. 6. Stimuli missionum* ex D. Thomæ doctrina latius tradidimus.

Confirmatur auctoritate & exemplo S. Mariæ Tarsen.

Et ut nullum argumenti genus pro hujus veritatis confirmatione desideraretur, sufficeret B. Virginis THERESIÆ, novæ hujus reformationis erectricis auctoritas & exemplum, cujus præcipuus scopus in nova suæ familiæ restauratione ille fuit, (ut notissimum est apud omnes, magisque ex sequenti capite constabit) ut oratione, exemplo, & doctrina suorum Monasteriorum quamplurimas Christo animas lucraretur, ac omnibus modis sibi possibilibus Ecclesiæ, fidei propagationi, & conversioni Hæreticorum ac infidelium opem ferret.

Habemus igitur ex dictis, animarum zelum, non solum instituto nostro non adversari (stultum enim censuit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 187. *art.* 1. & *opusc.* 19. imò & erroneum, quod & nos ejus præcipuis argumentis demonstravimus *Stimul miss. part.* 2. *Cap.* 1. & *lib.* 2. *de Conversione omnium Gentium*, *part.* 2. *Cap.* 1. affirmare animarum salutis studium contrarium esse alicui Monachorum instituto;) sed & omnino esse consentaneum, utpote à Regula præceptum, Pontificum decretis declaratum, Constitutionibus quamplurimis firmarum, ab institutoribus ac majoribus nostris eorum vitæ exemplis commendatum: ac demum (quod & gravissimum & maximum est) non tam pertinere ad nostrum institutum, quam esse ipsissimum scopum finemque instituti.

Quibus positis illud etiam videtur consequens, omnes nostras actiones, omnesque regularis disciplinæ profectus, tantò amplius utilitatis & perfectionis continere, quantò huic scopo plus fuerint affines, nihilque salutarius, & ad omnem spiritualem profectum aptius posse excogitari, quàm proprio fine assequendo omnem operam ac studium impendere. Deinde etiam fit, in dignoscenda ac judicanda instituti nostri ratione, non esse investigandam antiquam illam Eremitarum in Palæstina degentium vivendi formam & regulam: cum jam illa

illa penè exoleverit, & summorum Pontificum decretis, correcta, mitigata, & declarata fuerit; sed inspicienda ea est, quæ post *Innocentij IV.* correctionem, in præsenti & olim fuerit observata.

Satisfit cuidam evasioni.

Sed forsan aliquis harum rationum vim se evasisse arbitretur, dicens, Religionem nostram huic animarum curæ, sibi tot titulis incumbenti satisfacere, si Religiosi intra suorum Conventuum claustra, suis prædicationibus, & Confessionibus audiendis, huic studeant animarum ministerio, salva tamen manente optima instituti nostri parte, quæ in rerum divinarum contemplatione sita est. Sed etsi daremus probabilem esse hanc sententiam (maximè si secludamus, vel obedientiam Summi Pontificis Missiones injungentis; vel extremam aut gravem salutis parvulorum necessitatem, doctrinæ Evangelicæ panem postulantium, in quo forsan eventu nulla Ordinum Mendicantium Religio ultra id teneretur; quod adhuc durissimum videtur, si Mendicantium Ordinum institutionem, de qua latè *Parte 3. Stimuli missionum & lib. 2. de Conversione omnium Gentium parte 3.* disservimus, attendamus:) tamen ex hac sententia, etsi vera esset; non sequitur, cum instituto nostro missionum opus pugnare. Unde igitur colligis, ponendam esse metam Evangelio inter privatos parietes; num à Constitutionibus formam Missionibus præscribentibus? num à spiritu Fundatricis? num à factis; & exemplis majorum? & ut ad altiora, & firmiora argumenta perveniam, num ab ipso Christi Evangelio, aut ab Apostolorum, aliorumque Patrum doctrina, & exemplo? Si enim non pugnat, Romæ Evangelium in propria, vel aliena Ecclesia prædicare; cur id in Perside, vel Japone pugnabit? frivola sunt hæc, & sine fundamento ullo excogitata.

Et alteri etiá objectioni.

Diversam verò esse, inquiunt, utriusque rationem: quia Missionum studio, illæsa servari nequit præcipua instituti nostri pars, quæ post vitæ asperitatem, DEO, & rebus divinis contemplando adhæret. Sed & in hoc primo falluntur. Nam clausura, vitæ asperitas, aut similia alia, licet media sint, vel à Regula, vel à Constitutionibus præscripta, valdeque conducant ad Monachorum profectum, minimè tamen comprehenduntur sub præcipuo nostræ vocationis scopo: solum enim optimâ illâ parte (quam Mariam elegisse Evangelica narrat historia) rerum cælestium theoria sive contemplatio comprehenditur: Contemplativæ verò vitæ tantum abest, quod noceat activæ spiritualis studium, ut potius illam compleat atque perficiat. Quare Divus Thomas, ut nos latius *2. part. Cap. 6. Stimuli missionum, & lib. 2. de Conversione omnium Gentium part. 2. Cap. 6.* ostendimus, sequutus D. Gregorium aliosque Patres, verè docuit, perfectiorem esse vitam ex contemplatione, & actione mixtam, illâ, quæ sola contemplatione delectatur. Cujus etiam sententiam, ex Patrum doctrina à nobis 2. etiam *part. cap. 5. Stimuli missionum, & Cap. 5. operis citati* allata, & quod firmius est, ipsorum gestis, & exemplis roboratur. Hi enim, etsi se totos vitæ contemplativæ addixerunt, omnem tamen quietem ob proximorum salutem uti Christi strenui milites à se amovebant, ut in vinea Domini strenuissimè laborarent.

Præterea, quia cum his, qui in conversione gentium aliorumve infidelium laborant, opus sit, ut Apostolorum fungantur officio, oportet, ut & Apostolorum sequantur vestigia. Apostoli verò alia aliis omnia demandantes, duo tantum sibi sumpserunt, ut nimirum orationi, & verbi ministerio instantes essent. His enim duobus functionibus, oratione ad DEUM, & spirituali solicitudine ad homines Apostolica functio continetur: non igitur unum pugnat cum altero, sed potius inseparabili vinculo inter se annectuntur: aliàs Christus Dominus, qui Apostolis præceperat, ut sine intermissione orarent, non præciperet, ut euntes in mundum universum Evangelium omni creaturæ annunciarent.

Quod si alicujus negligentia, & incuria hæc ita disjungantur, ut oratione aut contemplatione prætermissa, ac proprio neglecto profectu, totum se tradat verbi ministerio; vel quod deterius est, missa ad aratrum manu retro deinde aspiciat, ac labatur in vitia, non propterea damnandum est Missionum consilium; neque horum inertia tantum & talem instituti splendorem obscurare debet. Num Apostoli, num Ecclesiæ totius sanctissimi Prælati, num tot sanctorum Monachorum agmina, qui lucrandis animabus insudarunt, divinorum contemplationi damnum aliquod attulerunt? Quòd si Religiosis Monachalibus, quorum instituti ratio tota in cælestium contemplatione sita est, non obesse, sed & quamplurimum profuisse Missionum opus, experientia ipsa, fructusque in Ecclesia ubertimi percepti testantur; nobis quibus simul cum oratione injuncta est animarum cura, ut ex superioribus liquet, harum cultura, si debitè assumatur, afferat detrimentum?

Denique nostri finis esse præcipuam partem, orationis studium, nemo est qui possit dubitare: oportet tamen advertere adhuc optimam tantum partem esse, & non totam instituti rationem. Restat igitur altera pars, cui suus etiam locus in Religione debetur: & sicut qui hanc à priori separat, scopum sive finem suæ vocationis non attingeret; ita qui primam à secunda distraheret, partem instituti teneret, non totum: igitur utraque necessariò tenenda est, ut debite finem assequamur. Quare contemplationem præcipuam esse finis nostri portionem, ita accipiendum est, ut nulla ratione actiones nostræ, quibus in DEUM tanquam in universalissimum omnium finem medio contemplationis scopo tendimus, in ipsa contemplatione ejus allecti dulcedine sistant; sed potius ex ipsa, tanquam ex fonte animarum zelus derivetur, ita ut ex contemplatione ad proximorum curam descendentes, iterum ad interiora revertamur, ut sic ingredientes, & egredientes, charitate DEI & proximi pascamur.

Vid. *Joan. à JESU MARIA Tract. 1. Scholæ oration. Not. ab. 7.* nostri Francisci à S. Elia *Comment. in Regul. Carmel. pag. 45. & seqq.* & nost. Emmanuelis à *JESU MARIA Discurs. moral. 39. supra Regul. eandem.*

MISSIONES NON SOLVM esse nostro instituto consentaneas, sed & ad finem specialem nostræ Religionis pertinere.

§. VI.

PRæmisimus §. præcedenti, & antecedentibus aliis, nostram Religionem unam esse de Mendicantium numero; tum etiam nobis finem, sive scopum mixtum ex contemplatione, & actione spirituali fuisse à majoribus nostris, à summisque Pontificibus, à regula ipsa, à nostris denique novissimis legibus præfixum. His jam in genere constitutis, nunc reliquum est, ut in specie ostendamus, proximorum curam tam Fidelium quam Infidelium suscipi à nobis debere, si nostro instituto perfectè satisfacere velimus, ac à nobis susceptæ professioni correspondere: ac proinde Missiones etiam non solum consentaneas, sed & expedientissimas nobis esse, juvareque quamplurimum ad nostri instituti finis perfectam adeptionem. Potissimum vero hujus asserti illud sit argumentum, quia cum ex speciali nostri Ordinis fine charitatis vinculo teneamur etiam infidelium procurare salutem, & Missionum studia in hunc finem dirigantur, rectè fit eas juvare, atque ut perfectius finem & scopum nobis propositum attingamus.

Mendicantes Ordines à Sede Apostolica in Episcoporum auxilium destinati.

Prima igitur ratio inter alias, qua ducimur, ut teneamus Missiones ad finem specialem Religionis nostræ pertinere, ea sit: quod cum constet Ordines Mendicantes in Episcoporum auxilium ab Apostolica Sede designatos, ac ideo multis privilegiis auctos fuisse, manifestissimum erit, nos juxta Ordinis nostri institutum ab Apostolica sede confirmatum, ad populos etudiendos, Episcopis opem ferre non modo posse, verum etiam debere: Si autem cæteris Episcopis auxiliares milites esse debemus, cur non summo Episcopo, hoc est summo ipsi Pontifici, qui de universo terrarum orbe, ac præsertim de reducendis ad ovile Christi infidelibus, curam gerere arctissimè obligatur? Profecto nihil rationi huic firmum opponi valet: Quicquid enim de primæva illa Religionis forma dicendum esset, post institutionem tamen Pontificiam, qua inter Mendicantes recensiti sumus, nihil objici potest. Per quod aperte confutatur, quod ab Eremitarum nomine nobis opponi posset: quicquid enim vocemur, inter Mendicantes à summis Pontificibus relati sumus.

Augetur rationis pondus. Nemo est inter nos, qui Missiones intra idem regnum improbet, ut *præcedenti §.* breviter attigeramus: quis enim neget, cum de condendo, Verbi gratia, Cœnobio aliquo agitur, eo destinare Patres aliquos, qui omnia tentent, concionentur, hortentur, sacras Confessiones audiant. Provinciam lustrent, antequam locum exruendo Cœnobio seligant? si ergo id intra Italiam liceat, cur non extra? Cur ex eadem propagandæ Religionis causa in Germaniam, Moscoviam, Persidem, Angliam, Congum, ac in universum orbem Fratres migrare non possint, imo cur non debent, cum Episcopum summum, cui hæc legatio cordi est, id optare facile perspiciant?

Secundo, quia etsi rationes aliæ minimè supperterent, quis non videat à ratione alienissimum esse, asserere Missiones instituto nostro minimè consentaneas esse, cum, nemine excepto, omnes fateantur munus inter Christianos concionandi instituto nostro nequaquam repugnare: si enim non repugnat Christianis prædicare, cur repugnet Infidelibus: Si autem non repugnat, hoc est ipsissimum Missionibus opus, præterquam quod Missiones pensatis omnibus circumstantiis DEO acceptiores sunt, quia plus emolumenti referunt.

Tertiò à Regula nostra nobis injungitur animarum cura, illis verbis, *de animarum salute tractetis*, ut clarè ostendimus supra, nec distinguit inter curam juvandi Fideles, vel infideles, quo ergo jure nos distinguemus? Præterea Regula ait disertè, *oportere nos frequentius mendicare itinerantes:* quæ certe verba ab *Innocentio IV.* Pontifice de novo, non sine magno consilio fuerunt inserta, quorsum igitur addita? nisi ut Majores nostri, qui jam tunc proximorum saluti invigilabant, possent tutius ab Eremo egredi, ac cum opus esset, per varia loca peregrinantes animarum salutis studio insudare? Vix de re alia, quam de Missionibus Apostolorum more, sine baculo, & sine pera, verba illa interpretari valemus: quorsum enim frequenter peregrinentur, qui dies, nocteque in cellis jubentur permanere, nisi ut spiritualia bona multa, & perfectissima, ac DEO gratissima, quæ in Cellis patrari nequeunt, peregrinando patrentur? hoc certè modo peregrinatio frequens cum illa permansione non pugnat, cum discretis temporibus utrumque fieri possit, permanere scilicet in Cellis, ubi causa justa exeundi non subest; hoc enim sibi vult illa Regulæ ipsius moderatio, *nisi aliis justis occasionibus occupentur.* Quas autem occasiones justiores, vel æquè justas excogitare possumus, quam eam, quæ tot Monachos, & Eremitas relictis claustro, & solitudine, pro animarum infidelium conversione prodire coëgit, & quæ DEI Filio, ut exiret ex æterni Patris sinu, occasio justa visa est? Profecto aut asserendum est causam omnino nullam exeundi inveniri posse; aut Missionum, sive animarum juvandi causam justam esse; nam quod responderi potest, justas occupationes à regula appellari, quæ ad ministeria Eremitis necessaria tantum requiruntur, palam rejici debet: nam neque sacras externorum confessiones audire, neque concionari, præsertim extra Ecclesias nostras, liceret: & Sancti, qui diutius peregrinati sunt, regulæ violatæ accusandi essent.

Quartò, exemplis tam externorum, quam nostrorum Monachorum confirmatur: nam Ordines Monachales, quorum est proprium contemplationi vacare, & intra claustrorum sepia contineri, tam ipsi, quam sui instituti Authores, ferè per universum Orbem fidem propagarunt, Evangeliique lumen primi innumeris Regnis, ac nationibus intulerunt, & hoc tunc præcipuè, cum regularis observantia vigebat. Nec unquam quis ausus est affirmare prædictos viros animarum conversioni studentes, sui instituti munus excessisse, sed potius eos laude, & gloria dignos commendat Ecclesia, cum multorum præcipuè ex his, qui Sanctorum numero fuerunt adscripti, animarum zelum laudet, & sacræ etiam historiæ usque ad cælum extollant. Quis ergo sanæ mentis similem animarum zelum, quantumvis ferventis-

ventissimum, in Ordinibus Mendicantibus damnabit, & præcipuè in nostro Ordine, in quo quatuor ætates recensere possumus, è quibus, quid de Missionibus censendum sit, judicemus?

Quatuor Ordinis Carmel. ætates, & quid in singulis præstiterint circa salutem proximorum.

Ætas *prima*, Prophetis, *secunda*, Patribus, qui Christo primi nomen dedere: *tertia*, propriis Religiosis Carmelitis primævæ regulæ cultoribus constat: *quarta*, à tempore quo cæpta est nova hæc reformatio, meritò computatur. Quod ad antiquissimos Patres nostros ELIAM, & ELISÆUM, à quibus originem ducimus, attinet; nemo est, qui sacram Regum historiam legerit, qui non animadvertat hic eos contemplationi deditos fuisse, ut sæpè ad Reges ungendos, ad populos erudiendos, ad miracula patranda, ad protervos objurgandos è locis, quæ orationi dicaverant, fuerint evocati. Porrò res tam comperta est, Prophetas illos ad opus Missionum, sæpè fuisse destinatos, cum è sacro textu pateat, ut hic probare, vel exponere supervacaneum sit: præterquam quam ELIAS ipse ad Missionem quandam contra sævissimos Christi hostes, Antichristum, ejusque satellites adhuc vivus armatur, quem ejus posteros decet imitari.

Ætas *secunda*, complectitur Patres illos, Apostolis coævos, qui Evangelii sementem primam exceperunt, & serendæ Christianæ veritati egregiam operam navarunt: de quibus (ut jam dixi supra) à Josepho Antiocheno, aliisque auctoribus multa memoriæ prodita sunt: hos verò de Missionibus serio egisse, convincitur ex ipsa Evangelii prædicatione.

Ætas *tertia*, ad eos pertinet, qui jam extra controversiam constituti monasticam methodum imbiberunt, è quibus, qui præ cæteris sanctitate claruerunt, quicquid de aliis, ac proinde de ipso instituto sentiendum sit, judicabunt. Missos faciamus eos, qui ob temporum clades in varias velut formas mutati sunt, & eos, quos in sanctorum Catalogo adscriptos veneramur, observemus. Quis unquam de Missionibus tam ardenter, ac præclarissimus Martyr, & sanctissimus Pater noster *Angelus* cogitavit? Quis nisi aliquis instituti nostri cultor Carmelum, non in Italiam solum, sed in Angliam ultra quam nihil in Orbe terrarum antiquitus innotuerat invexit? Quomodo sine Missionibus ex professo susceptis Carmelus Europam totam pervasit? Quid de Patre nostro *Cyrillo*, nonne ut jam diximus, totam Armeniam peragravit, eamque summo Ecclesiæ Capiti reconciliavit? Ut nunc omittam D. *Albertum Siculum*, sanctum *Simonem Anglum*, qui non semper in antris latitantes, strenuam operam dederunt, ut Christo animas lucrifacerent.

Nonnulli è plurimis Carmel. animarum zelo præstantes.

Quid in hoc genere præstiterit S. M. *Teresia*.

Denique, ut propius ad Reformationis nostræ tempora, quæ *quartam* complectitur ætatem, accedamus, luce clarius reperimus primum B. Virginem TERESIAM Fundatricem nostram Missionum opus, hoc est, tam Fidelium, quam Infidelium animas DEO reconciliare, ardentius quam ipsum martyrium desiderasse, & ad eum finem suos, suæque familiæ labores, orationes, & exempla, ac doctrinam direxisse. Nam in initio fundationis suorum monasteriorum, antequam de erigenda Religiosorum virorum Congregatione nedum cogitasset; Monialibus eam vocationem, & finem præfixit, ut assiduis orationibus Infidelium conversiones juvarent. Quis igitur neget in erigenda virorum Congregatione ejus mentem fuisse (quod & ipsa verbis expressit, ac manifestavit) per Fratres nostros ejus filios præstare, quod per filias nequiret? Quis enim dicat, Virginem animarum zelo ardentissimam, & ut ipsa fatetur, in hanc rem propensissimam, ipsam tantummodo eandem sibi optasse, à suis verò Religiosis exerceri noluisse? maxime cum ipsa vivente, tempore, quo nova reformatio hujus sanctissimæ Virginis, & consilio, & providentia regebatur, statim à primo Capitulo Compluti celebrato Missiones à prælatis in Regna Congi, & Angolæ, & in alias Æthiopum Provincias fuerunt destinatæ, ac decretæ: Ac demum missi Religiosi aliqui pro illorum Infidelium conversione, ut *infra* dicam.

Missiones ipsa vivente factæ Carmel. Discalceatorũ ad varia Regna pro Infidelium Conversione.

Sed ut ad beatam Virginem TERESIAM erectricem nostram redeat argumentatio, quid opus est in re manifesta conjecturis? Nonne certum est, non tam ipsam, quam DEUM per ipsam Ordinem nostrum, præcipuè pro juvandis Infidelibus in Ecclesia restitui, ac in pristinum statum, decorem Carmeli revocari voluisse? nam cum Virgo ipsa post institutum primum Abulæ feminarum Monasterium, ejus eam voluit esse vocationem (ut ipsa recenset) assiduis precibus hos, qui Infidelium conversioni studeant, ut feliciter agant, juvare: nec quicquam de aliis erigendis cogitarat, cum fortè ad ejus notitiam pervenisset innumeras Indorum, & aliorum Infidelium animas, ministrorum inopia in æternum damnari, tanto fuit affecta dolore, & anxietate, ac si sagitta cor ejus transfigeretur. Quare cum Dominum anxiè deprecaretur, ut ipsi concederet gratiam has animas juvandi, ipsam Dominus volens consolari, ita est alloquutus: *Expecta filia, & videbis magna.* Quæ verba, licet ipsa tunc non intellexisset, (dependent enim sæpè verus, & genuinus prophetiæ sensus ex eventu) postea rei exitus prophetiæ sensum luce clarius aperuit: nam, ut ipsa refert, post brevissimum tempus à Generali Ordinis fundandi alia Monasteria, tam fœminarum, quam virorum, ac perinde novam Congregationem erigendi facultatem accepit: Ecce jam res planè mirabilis à DEO promissa: Ecce qua ratione ab ista Christi revelatione Congregatio nostra ducat originem.

Revelatur divinitus S. *Theresiæ* futura Carmel. Discalceatorũ institutio

Quod luculentius constabit, si breviter in revelatione prædicta expendamus, primo eam fuisse factam tempore, quo serva DEI pro conversione infidelium lachrymis, & suspiriis DEUM anxie deprecabatur, ut sibi concederet esse instrumentum aliquam DEO animam lucrandi. Secundo illa verba à Domino illi fuisse dicta eo fine, ut ipsam consolaretur, ut expressè ipsamet Virgo testatur. Tertiò, brevissimo transacto tempore de aliis fundandis Monasteriis tractasse, cum id neque antea cogitasset. Quartò, nullam rem majorem, excellentioremve præstitisse beatam hanc Virginem, etiam per totum vitæ spatium, hac novæ reformationis erectione. Ex his evidenter colligitur, reformationem hanc nostram esse fœtum ex zelo illius Virginis pro salute infidelium conceptum, ac in lucem editum, & in conversionem infidelium Christi consilio destinatum: alias si res illas miras Christus ad infidelium conversionem non direxisset, profecto non respondisset sufficienter votis Virginis pro infidelium spirituali salute deprecantis.

Quem ob finem ea facta videatur.

Quæ sint illa magna, quæ visuram S. Theresiam Dominus prænuntiaverat?

Deinde, quia cum Dominus magna ipsam visuram virgini promittebat, aut hæc magna intelligenda erant in conversione animarum, vel in aliis rebus: & hoc non, quia alias Dominus Virginis votis postulationique non satisfaciebat: si primum, ergo magna, quæ in conversione animarum DEUS videnda promiserat, à filiis beatæ Virginis exequenda erant; cum ipsa per se ipsam pro juvandis infidelibus nihil aliud præstiterit, quod huic functioni posset deservire: igitur ne prophetica evacuetur loquutio, necessario interpretanda erit de erectione novæ Congregationis per manus Virginis plantatæ, à qua ubertimi fructus DEO irrigante ex infidelitatis vinea colligentur. Et quamvis B. Mater TERESIA morte præventa, fructus magnos à suis Religiosis in Ecclesia perceptos non gustaverit; vidit tamen, antequam è vivis decessisset, ut ita dicam, in virtute, ac in radice, cum ante ejus mortem multa erecta essent virorum Monasteria, studiorum collegia, ac Missiones aliquæ exequutioni mandatæ, ut supra dictum est.

Deinde speciatim Missiones in Hispanicis constitutionibus, ut nostro instituto propriæ, asseruntur: nam *lib. 3. cap. 8.* dicitur: *Ad definitorium pertinet mittere ad Missiones, sive conversiones Infidelium*: ad definitorium autem non pertinet exequi illa, quæ sunt contra finem, & Religionis institutum, sed potius ea, quæ ipsum perficiunt, & augent.

In Constitutionibus verò Italicæ Congregationis varia, ac charitate flagrantia edita sunt decreta: in primis *secunda parte Constit. cap. 16.* cujus inscriptio est, *de Conventu Missionum*, in hac forma præcipitur: *Sit in Congregatione nostra Missionum Conventus Romæ conditus, qui sit tanquam Seminarium, quò de Præpositi venia conveniant Religiosi ituri ad disseminandum inter Infideles Evangelium.*

Fratres nostri, qui de Præpositi venia in eo Conventu moraturi sunt, instituantur linguarum peritia, controversiarum doctrina, & aliis, quæ ad errores Infidelium refellendos, & Catholicam veritatem confirmandam, & mores etiam componendos, oportuna videbuntur.

Exibunt fratres nostri è Conventu Missionum de Priorū venia, ad vicina oppida, Dei verbum pauperibus, ac derelictis prædicaturi: & licet eis aliunde victus suppetat, ut veri paupertatis cultores, mendicabunt.

Præter Romanum autem Missionum Conventum, in aliis quoque Provinciis de venia Definitoris, alij Conventus Missionum poterunt ædificari.

Ac demum eisdem legibus constituitur, ut constat ex *tertia parte Cap. 8.* ut in Capitulo Generali eligatur Procurator Generalis Missionum, qui sit eisdem qualitatibus, ac totius Ordinis Procurator, & præsertim conversionis Infidelium zelo præditus.

Nec legibus tantum, quæ sunt velut Regulæ emortuæ Missiones nobis, ut nostræ professioni consentaneæ offeruntur, sed & factis ipsis ab initio nostræ reformationis, usque ad tempora nostra Missionum studium nobis à majoribus cernimus commendatum. Nam statim ferè à primo Capitulo Compluti celebrato, superstite adhuc B. Virgine, nostræ Congregationis piissima erectrice, Anno 1582. Missionum opus inceptum per aliquot annos fuit continuatum.

De his Missionibus,

In primis hoc anno missi sunt in Regna Congi, & Angolæ Pater *Antonius à Matre Dei*, P. *Franciscus à Cruce*, P. *Joan. ab Angelo*, simul cum duobus aliis fratribus, *Francisco* nempè *ab Ascensione*, & *Didaco à sancto Brunone*. Anno verò sequenti 1583. Patres *Petrus ab Apostolis*, P. *Sebastianus à sancto Andrea*, associati duobus aliis fratribus, *Bartholomæo à sancto Michaële*, & *Ludovico à sancto Paulo*. Deinde Missionum studium fuit continuatum: nam & Anno 1584. pro Regnorum prædictorum conversione, missi sunt tres viri Religiosissimi Pater *Didacus à Sacramento*, P. *Franciscus à JESU*, (alio nomine *Indignus*, nuncupatus,) vir alias admirandæ, & excellentissimæ sanctitatis, & Pater *Didacus ab Incarnatione*, qui brevi tempore ex vinea illa inculta maximos fructus percepertunt.

Anno etiam immediatè sequenti versus Occidentales Indias in Mexicana Regna destinati sunt Religiosi alii, ut in illo immenso tractu animarum conversioni studerent. Demum in Capulo Generali Vallisoletano Præsidente Patre *Nicolao à* JESU MARIA primo hujus Reformationis Generali, Missionum ardor non fuit extinctus. In eo enim actum est de Missionibus pro Sinarum Regno promovendis, deputatique sunt duodecim Religiosi pro hac functione obeunda, licet postea ob certa impedimenta non fuerint executioni mandatæ. Nec ullus unquam tunc ne cogitavit quidem præclarum Missionum opus alienum esse à nostræ professionis studio. Et hic ardens Missionum zelus, qui eo tempore, tantopere in Congregatione Hispanica vigebat, postmodum in Italica, à *Clemente VIII.* erecta non minus viguit; nam mox sub ejus vix erectæ primordia, missi sunt ab eodem Pontifice in Persarum Regna An. 1604. viri Religiosissimi, pro illorum conversione, & quotidie in alias hæreticorum atque infidelium regiones à prælatis hujus Congregationis destinantur, ut suis conatibus Ecclesiam DEI adjuvent, animarumque salutem promoveant. Et ut nullum argumenti genus omittamus, mitas, ac fide dignissimas circa hanc rem prædictiones afferam.

Olim cum Patres nostri intra Carmeli Montis claustra continebantur, congregato Generali Capitulo actum est (ut Paleonid. *libro tertio, cap. 5. & 6.* aliique Ordinis Historiographi referunt) an oporteret in alias Orbis partes religionem propagari. Orantibus verò illis Capituli Præsidi beata Virgo visa est, illumque sic affata dicitur: *Hic sermo filij mei est, ut non solum Palæstinam, & Syriam, sed etiam universum Orbem Carmeli Ordo illustret.* Statim absoluto Capitulo Religiosi in varias Orbis partes missi universam Europam peragrantes, alii martyrii palam, alii verò Ecclesiæ fructus magnos perceperunt.

Nec desunt revelationes aliæ, quibus præsentis ætatis Religiosi ad insistendum Prædecessorum vestigiis inflammari debeant. Fuit quippe persona quædam, raræ sanctitatis, divina fruitione insignis, *Catharina de Cordona* nuncupata, in universa Hispania ob præclaram vitæ sanctimoniam celeberrima, cui supra Montem quendam ingens spelunca apparuit, quam frequens multitudo Religiosorum nostrorum inhabitabat, qui pro fidei Christianæ prædicatione ferro occumbebant. Alius insuper Religiosus

inter

cta de futuris Martyribus Ord. Carmel. Discalc. Item nonnullis aliis, & ipsi S. M. Teresiæ.

inter audiendum sacrum, supra altari globum quendam velut cristallinum conspexit, ac in eo quamplures Discalceatos Carmelitas Martyrio coronatos. Hujus viri visionem refert, & approbat beata Mater *Theresia* in libro *suarum Fundationum.*

Demum Mater ipsa, *Cap.* 40. suæ vitæ, scribit sibi, de quadam Religione (quæ à sua primæva institutione declinaverat) à DEO fuisse revelatum, futuris temporibus Ordinem illum fidei veritatem acerrimè propugnaturum, magnumque Ecclesiæ emolumentum allaturum: Ac iterum refert, sibi ejusdem familiæ sanctum è cælo apparuisse, apertoque libro, quem præ manibus ferebat, ut legeret, præcepisse: erat autem in eo hæc scriptura, *Temporibus futuris, florebit Religio hæc, multosque producet Martyres.* & licet beata Virgo *Teresia* hujus Ordinis nomen, prudens, & sciens silentio præterierit, constans tamen sententia est, idque circumstantiæ ipsæ revelationis confirmant, de nostro Ordine prædicationem esse accipiendam.

Vaticinium S. Hildegardis de futuro Ordine Carmel. statu. declarantur verba hujus prophetiæ.

Quæ certè meo judicio comprobari videntur alia antiquiori (nec tamen minus vera) prophetia B. Virg. *Hildegardis*, cujus etiam meminit Paleonid. *lib.* 3. *Cap.* 9. Hæc igitur *lib.* de novissima Christianæ fidei persecutione, *Cap.* filiæ Sion, *Venient* (inquit) *equi varij coloris, quorum egressio ab Oriente in Occidentem: sed mutato vellere paulatim incedent, horum progressio ab Occidente in Orientem, hi primi, & novissimi.* Hæc illa: & ut non incongruè Paleonyd. interpretatur, varii coloris equi sunt nostri Ordinis Religiosi, qui olim in Palæstina coacti à Saracenis, dimissis cappis albis, eas assumpserunt varii, & mixti coloris. Postea verò in Europam descendentes tempore *Honorij IV.* reassumpserunt cappas albas, quibus à tempore ELIÆ, & ELISÆI Prophetarum, usi fuerant: ac ob id in prophetiæ verbis additur: *sed mutato vellere paulatim incedent. Horum* (deinde ait) *progressio ab Occidente in Orientem*, forsan significans hujus Ordinis profectum versus Orientem futurum, ac aliquando ad patrias sedes, pristinaque Carmeli Montis, totiusque Syriæ loca magna cum gloria rediturum.

Hi demum (ait) *primi, & novissimi*: *Primi* tanquam, qui in lege veteri, Authore ELIA Propheta, Monasticæ vitæ jecerunt fundamenta, ac ex Monachis primi, qui Apostolorum vestigia sequuti per Ægyptum, & Palæstinam, aliasque Asiæ provincias Evangelium disseminarunt; *novissimi* vero, quia in novissimis etiam temporibus pro fide Christi strenuissimè certabunt, ac magno ELIÆ Prophetæ contra Antichristum dimicanti associati, quamplurimi martyrii palmam consequentur: & ob id non immerito B. *Hildegardis* novissimam hanc Ecclesiæ persecutionem, ipsosque fore novissimos, qui pro Ecclesia dimicabunt prædixit.

Consulend. Hieron. Gratian. *lib. de zelo propaga-*

Hæ visiones, ac revelationes aliæ quamplures multoties exhibitæ, non ita animum meum percellunt, quam quod in hac Congregatione, ex quo fundata fuit, adverterim maximam animi propensionem, ac desiderium, quo omnes Religiosi nostri pro Christi nomine in animarum conversione, nullo mortis metu perculsi inflammantur.

tione fidei in prologo & dedicatoria.

Igitur cum Congregatio nostra à DEO, atque à summis Pontificibus, à nostris primis fundatoribus, à Regula ipsa, à Capitulis etiam Generalibus multis editis Constitutionibus, à divinis demum inspirationibus, ad hanc animarum culturam, serius tamen evocata sit; tamen de benignissima Domini providentia certum mihi persuasum habeo, nullo unquam tempore ab hac functione cessaturam, cum tot, ac tantis rationibus procurandæ, tam fidelium, quam infidelium saluti teneamur: quare militiæ desertores, penè etiam proditores habebimur necesse est, si non omnes nervos in hoc opus Domini explicemus.

QVÆ MISSIONVM FORMA nostro Instituto magis congruat.

§. VII.

CUm in libris supra non semel citatis Missiones Religiosis omnibus expedientissimas esse probaverimus, illas tamen judicamus omnibus commodiores, quæ magis proprii instituti observantiam cum animarum zelo conjungunt: hæc enim Missionum forma non enervat proprii instituti vires, ac ideo expedientissima omnibus Religiosis meritò judicatur. Hanc enim juvandi proximos curam constat viros sanctissimos cum proprii instituti observantia, quantum fert charitas, conjungere solicitè procurasse: neque enim pugnat proximorum etiam infidelium cura cum propriæ professionis arcta custodia, ut eleganter *S. Athanasius* Dracontio Monacho nolenti Episcopatum suscipere rescripsit, objiciens illi quamplura Monachorum exempla, qui ad Episcopalem dignitatem promoti, nihil ferè de proprii instituti observantia remisêre, imò vitæ asperitatem cum Pontificio munere, humilitatem cum dignitate, Rachelem cum Lia mitè conjunxêre; & hanc quidem gregi sibi commisso, illam verò sibi, ac DEO impendêre. De Archivio ad Episcopatum tracto, eadem fermè refert Cassianus *Coll.* 11. *Cap.* 2. Idem certè de *B. Anselmo*, *S. Andrea Corsino*, *S. Antonino*, ac aliis sanctissimis viris legimus, qui ita curam susceperê animarum, ut Religiosam vitam non abjicerent.

Nec opus est Episcoporum mendicare vestigia, cum exempla nobis expressissima suppetant multa in eadem re, de qua agimus: nam & hodie apud Patres Dominicanos, qui per totum Orbem, maximè per Philippinas Insulas prædicandi Evangelium infidelibus causa discurrunt, nullibi æquè, ac in his Insulis, regularem vigere observantiam comperimus: nam & rudioribus vestibus, cibo parciori, ac majori orationis studio, aliisque asperioris, & perfectioris vitæ institutis spontaneè student. Idemque de Augustinensibus apud Persas in Evangelio laborantibus testes oculati fatentur. Quare Missiones si debitè assumantur, mirificè regulare institutum perficiunt.

PP. Prædicatores & Augustiniani commendatur.

Sed & illud meo judicio efficax est argumentum: nam quis Religiosorum Ordinum colla-

Vid. nost. Joan. à

JESU MARIA *Tom. 4. lib. inscripto, Assertio Missionū, &c.*

ipsus unquam fuit, aut ubi Regularis disciplina fuit extenuata eo præcisè, quod in ministerio propagationis fidei per varias Orbis Religiones excurrens Ecclesiæ deserviret? Quantum vero quotidie delabantur, ac corruant monastica instituta propter Religiosorum tepiditatem, aut otium, sentiunt, ac gemunt viri optimi, & prudentissimi Religionum. Ego certè non dubito, quin majori providentia, ac cura illos Ordines Dominus JESUS prosequatur, qui se totos, studiaque sua huic animarum ministerio consecrarunt, quod eo charius, jucundiusque est DEO nostro, quo per se insuavius, difficilius, ac ab hominibus otio torpentibus neglectum: Quare ad eandem etiam spectat providentiam illorum conatus, non solum ad juvandam, procurandamque proximorum salutem, sed ad propriam instituti perfectionem tuendam juvare; res est experientia ipsa comperta ferè in omnibus Ordinibus Mendicantibus.

Quę Missionum forma magis cōveniat Carmel. Discalc.

Ex his inferendum, nostro Carmelitarum instituto, quod in contemplativam potissimum vitam dirigitur, & in actionem, prout ex contemplatione derivatur, illas congruere Missiones, in quibus contemplativæ vitæ exercitia illæsa servantur: Quare vitandæ sunt Missiones illæ vagæ, & quæ oppidatim sine certis sedibus excurrunt, maximè si id fiat per diuturnum tempus: nam brevi aliquo temporis spatio oppidatim Missionum studio vacare, ac postea domum, sive ad Conventum redire ad reficienda retia, spiritumque renovandum nullatenus sunt damnandæ: cum in Europa tempore Quadragesimæ, pro habendis ad populum concionibus, aut ætatis, pro re temporali à Mendicantibus, quantumvis reformatis, idem fieri soleat.

Deinde etiam existimo illas Missiones, in quibus præcipua nostræ regulæ capita, aut regularis observantia servari nequeunt, statui nostro non omnino expedire: quare nullatenus sunt propria electione à Prælatis assumendæ, nisi vel extrema, aut gravi urgente necessitate, aut summo Pontifice mandante, qui scienter præcipiens justissimè dispensat, ut minora bona propter majora omittantur, & tunc sine hæsitatione parendum erit. Quare illæ Missiones consentaneæ nobis censentur, quæ ad eas infidelium Regiones instituuntur, ubi sine detrimento principalium austeritatis nostræ capitum Cœnobia condantur, ubi exercitia observantiæ frequentari possint, quantum fert tempus, & loci occasio, & quod reliquum est proximorum saluti erogatur.

ARGVMENTA IN CONTRARIUM adducta diluuntur.

§. VIII.

NOn desunt, qui strictioris observantiæ zelo ducti, multa excogitaverunt argumenta, ut probent nostro instituto salutis proximorum solicitudinem, ac curam (multo magis Missiones) pro infidelium conversione ex diametro pugnare. *Primò*, quia nostra Regula hac inscriptione, & titulo gaudet, *Fratribus Eremitis*, qui in Monte Carmelo juxta fontem ELIÆ morantur: Eremitis autem non convenit prædicare &c. *Secundò*, quia potissimus nostræ Religionis finis est divinorum contemplatio: at, ut sancti Patres passim affirmant, rebus exterioribus implicata mens, à studio contemplationis retardatur, de qua Ecclesiasti Cap. 38. (*Qui minoratur actu, percipiet eam:*) quare cum spiritus Missionum in exteriora impellat contemplationi, quæ ad interiora fertur, videtur adversari: non licet ergo cum periculo principalis instituti persequi id, quod ad nos vel non pertinet, vel saltem minus principaliter. *Tertiò*, quia Missiones à multis desiderantur, vel ædio Divinæ contemplationis affectis; vel ut fugiant regularem observantiam, majorique fruantur libertate: ab aliis vero ex quadam quasi naturali inclinatione vagandi, ac curiositate videndi, & discurrendi &c. *Quartò*, quia nobis strictissimè, ita in regula illis verbis: *maneant singuli in cellulis*, &c. recessus, & clausura cōmendatur: si ergo à Cella egredi non liceat, quomodo licebit maria sulcare, peregrinas, & longinquas regiones prædicationis gratia adire? *Quintò*, quia finis principalis exuitur, & evacuatur ex continua cum proximis conversatione, ex variis discursibus, ex longinquitate itineris, quæ distrahit animum, & pericula creat, ac ex aliis impedimentis, quæ in procuranda proximorum salute occurrunt. *Sextò*, quia pars nostri instituti præcipua est vitæ asperitas, quæ necessariò videtur laxanda, si proximorum saluti, maximè si Missionibus, linguarum externarum studio, & aliis exercitiis operam demus. *Septimum*, ducitur ex paucitate Religiosorum, cum vix sufficiant Conventibus jam erectis. *Octavum*, ex periculo, & occasionibus conversandi, & agendi inter infideles, inter milites, & mercatores: inter quos sæpè accidit, ut hi, qui in initio Missionum fervere videbantur, brevi tempore retro aspiciant, & cadant. *Nonò*, quia nostræ novæ Reformationis sanctissima Patrona Mater *Theresia* à JESU, inter alia, quæ à DEO divinitus ei fuerant revelata pro nostræ reformationis augmento, & conversatione, illud fuit potissimum, ut hujus Ordinis professores, non tam verbis, quam exemplis prædicarent: quid clarius? *Decimò*, ab effectu, quia cum tribus, aut quatuor vicibus Religio nostra infidelium conversionem fuerit aggressa, mittens ad Congi Regna aliquos Religiosos, omnes prædictæ Missiones infælici exitu sunt terminatæ. Ultimo, quia Prælati Superiores, quibus DEUS soler suæ voluntatis sinum aperire, & à quorum ore divinum beneplacitum, & leges, eorumque ratio requirenda est, censent Missionum studium nostro instituto penitus contrarium, Ordinis ruinam, imperfectorum, ac inquietorum subterfugium, ut regularem observantiam evadant.

Quæ omnia argumenta ferè ad duo capita reducuntur. Primum Missiones, sive alias animarum curam pugnare cum nostro instituto in fine, vel in observantiis, in quem etiam scopum omnia Guilielmi argumenta jaculabantur, ut ex superioribus patet. Secundum, ex effectibus in Missionibus non ita feliciter sequutis, illas non esse DEO acceptas colligi, quare argumenta, quæ ad primum caput spectant D. Thomæ solutionibus *supra Cap. 2.* relatis diluun-

diluuntur, alia vero non minus fœliciter dissolventur.

Ad *primum* de Eremitarum titulo Regulæ præfixo nobis cum Augustinianis communi, respondeo *primo*, rem hanc non ex scripto, sed ex veritate pensandam esse, quare cum nunc nos non Eremitarum, sed Mendicantium professione Eremitis omnino contraria gaudeamus, parum refert antiquum illud vestigium nostræ professionis in Regula relictum.

Secundo, quia expressè Eremitica vita, sive Innocentii mitigatione, sive ipso facto in nova reformatione, in Cœnobiticam vitam est translata: quid ergo refert Eremitarum nomine gloriari? forsan nunc Eremitæ, an Carmelitæ tantum, vulgo, & à Pontificibus, & à nostris Constitutionibus, exterorumque historiis nuncupamur? *Tertio*, quod etsi Eremiticam vitam, & re, & nomine profiteremur, adhuc huic instituto Missiones minimè adversarentur, ut exemplis sanctorum Patrum, tam aliarum, quam nostræ Religionis, qui Eremiticam vitam coluerunt, supra demonstravimus.

Ad *secundum*, patet solutio ex his, quæ supra docuimus, contemplationis dulcedinem sæpè derelinquendam esse ob proximorum salutem.

Ad *tertium*, ex mente D. Thomæ *Opusc.* 18. *cap.* 23. respondetur, *quod etsi perfectio charitatis in plerisque proximorum utilitati vacantibus, non invenitur, quos magis contemplativa vita tedium ad exteriora deducit, quam in desiderio habeatur, ut sic in eis ad perfectionem dilectionis pertineat, quam tam tanquam bonum dilectum ad tempus postponat. sed quorundam defectus statui, vel officio præjudicium adferre non potest.* Hæc D. Thom. Ex quibus satis clare colligitur, quod etsi hoc fiat ab aliquibus imperfectis, non esse desumendum argumentum ex his, quæ per accidens eveniunt: nam & Judas Apostolatu fuit abusus, nec propterea à functionibus Apostolicis cessandum est.

Ad *quartum*, invenies solutionem 3. *part. cap.* 5. *Stimuli Missionum*, & in opere *de conversione omnium Gentium procuranda lib.* 2. *part.* 3. *cap.* 5. in responsione ad secundum, tertium, & 4. Guilielmi, ubi D. Thom. respondet *primo* non esse inconveniens propter utilitatem communem aliquas observantias à Monachis prætermitti: nam & in clausto manentes sæpè in talibus dispensationem accipiunt propter aliquas causas; quare non est inconveniens, ut Monachus Claustrum, Cellamque deserat, ut bono communi consulat, etsi id non necessitas, sed utilitas major animarum exposcat: ut idem D. Thom. *ubi supra*, clarissimè docet: & idem (quod de clausura) censendum est de aliis observantiis, ut D. Thom. scribit. *Secundo* respondetur, quod si Missiones debitè assumantur, non solum observantiæ regulari non obesse, sed & illam mirificè perficere, ut ratione, & exemplis supra comprobavimus. *Tertio* respondetur nobis absolutè in regula non præcipi Cellæ clausuram, sed potius ibidem à consilio excepto illa addita est. Quid autem justius quam Christo ad salutem animarum cooperari, ac finem nostrum adipisci valeamus: alioquin injustè Fratres nostri è Cella ad Conciones, vel ad alia charitatis officia, etiam inter Christianos prodirent.

Ad *quintum*, jam diximus in solutione ad secundum ex mente D. Thom.

Ad *sextum* dictum est jam, vitæ asperitatem, aliaque exercitia Missionibus perfici, quod non speculativè tantum, sed & praxi diuturna compertum est: nam verè, ut supra attigimus, unà cum spiritu Missionum virtutes omnes mirum capiunt incrementum: nam ibi oratio purior, corporis castigatio severior, fides fortior, pro qua tuenda pugnatur; spes firmior, quæ inter pericula roboratur; charitas ardentior, quæ pro salute proximorum propriam contemnit vitam; paupertas major; obedientia perfectior, & ne prolixior sim, eminentiori forma ibi virtutes exercentur, ut latissimè supra demonstravimus.

Ad *septimum*, respondetur, non debere obstare virorum paucitatem, quæ Religionibus nascentibus communis est; frivolam enim continet excusationem; nam si sacrarum Religionum authores, qui Divina fuerunt providentia ornati, conspiciamus, facilè inveniemus tempore, quo erant numero pauciores, majori animi magnitudine, ac in DEUM fiducia socios in diversas Orbis Provincias pro anima tum lucro sparsisse: ac in primis Christus Dominus pusillo congregato Apostolorum gregi præcepit per universum Orbem Evangelii propagare semina, D. Benedictus Maurum in Galliam, & D. Franciscus, cum primi sui instituti socii senarium numerum non excederent, ac B. Ignatius, cum ad denarium suæ Societatis alumni vix pertingerent, illos in diversas mundi partes, ut saluti animarum consulerent, destinarunt: existimantes nullum tempus Missionibus oportunius, quàm nascentis Religionis exordium: Ac ita experientia compertum est, ut hæ Religiones fœlicius, ac cum majori animarum fructu propagarentur, cum numerus esset minor, quia tunc pietas erat major, & ex pauciissimis seminis granis plurima seges interdum collecta est. Videnda. noſt. *Joannes à JESU-MARIA Tom.* 4. *Tract. supra laudato cap.* 4.

Ad *octavum*, etsi inficiari nequeam occasiones in Missionum studio, esse majores, quæ duriora bella militibus Christi interdum excitare solent: sed *fidelis est DEUS, qui non patietur* quemquam *tentari supra id quod potest: quinimò faciet cum tentatione proventum*: ex alia etiam parte gratia est uberior, ita ut ubi abundaverit pugna, superabundet Divina protectio, ut sa is ex innumeris sanctorum Martyrum, & Confessorum patet exemplis. 1. *Cor.* 10. *cap.*

Ad *nonum*, Resp. illa verba B Matris THERESIÆ, ante ipsam esse ab Evangelistis commendata, cum dicunt: *Cœpit JESUS facere, & docere*: quare Apostolis etiam dictum illud convenientissimè poterat adaptari, ut magis exemplo, quam verbis prædicent.

Decimum Argumentum sumptum ab effectu contingenti nihil probat; nunquid Dominus vineæ, cum misisset servos, occisis illis, dixit, deseramus vineam. Imò misit alios, quibus iterum interfectis, num dereliquit vineam? misit & Filium suum, quo mortuo misit Apostolos, & adhuc Prædicatores quamplurimos Judæis, qui erant vineæ cultores, mittit, ut relicta perfidia, & cæcitate Dominum vineæ agnoscant, & revereantur. Non ergo deserendæ sunt animæ, quia Evangelio resistunt, & multo minus si aliunde fructus non impediatur: neque ex impedimentis licebit conjecturare voluntatem DEI esse, ut opus relinquatur. Secundo respondetur, Religiosos in Congum missos, quamplurimos fecisse in animabus illis fructus, clarissimis miraculis confirmatos, quare cum ipsi Consuled. noſt. Hieronymus Gratianus *Tract. de zelo propagationis Fidei.*

ipsi copiosam messem conspicerent; ac cum paucitate ministrorum comparatent, quasi invento thesauro in Hispaniam redierunt auxiliatores operarios à Prælatis postulaturi. Quis ergo ex his non inferat Missiones esse nostro Instituto convenientissimas? siquidem tempore quo inceptæ fuerunt, mirabiles progressus sancti Evangelii prædicatio egit, Domino etiam cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis: ita ut usque in hodiernum diem Carmeliarum Discalceatorum memoria, & desiderium apud Regem, procereſque alios iterum eos videndi, eorumque fruendi doctrina permaneat: quæ omnia signa manifesta sunt Divinæ voluntatis. Quod si semel, aut iterum in illas Provincias missi Religiosi, vel in mare submersi, vel ob alia impedimenta re infecta redierunt, quid inde? num quia Divus Franciscus ad Soldanum profectus, eum ad fidem non perduxit, aut quia innumeri alii Religiosi Divino judicio ab incepto itinere sunt impediti, Franciscani, aut Religiosi alii ab incepto desistent, & Missiones sibi non convenire prudenter judicabunt.

Et Francisc. à S. MARIA Tom. 2. Annalium Congreg. Hispan. Carmel. Discalc. lib. 6. cap. 29. & 30

Ad *ultimum* respondetur, voluntatem Divinam per Superiores in inferiores derivari, illisque hac via, & non alia certiori, aut æquè certa innotescere: ad rem igitur accedamus. Nobis de voluntate Divina ex duobus capitibus clarè constat; *primo* ex constitutionibus ipsis, in quibus Missiones, ut nostro instituto consentaneæ asseruntur, cum dicitur ad Definitorium spectare mittere ad Missiones, sive conversiones infidelium. *Secundo*, de eadem Divina voluntate etiam constat, quia Summi Pontifices, & Capitula Generalia pro speciali nostri instituti scopo, DEO vacare jugiter, & profectibus animarum præfixerunt. Quid expressius de voluntate Divina requirimus? Sed ut nullus restaret circa Divinæ voluntatis beneplacitum dubitandi locus, Summus Pontifex PAULUS V. sæpissimè vivæ vocis oraculo patribus Congregationis Italiæ, ac deinde Patri Generali Congregationis Hispaniæ suam, ac perinde Divinam tribus expeditis Bullis patefecit voluntatem: in quibus etiam in Regna Æthiopiæ Missiones promovendas monebar, deprecabatur, ac tacitè compellebar. *Durissimum est* enim *imperandi genus*, ut quidam dixit, *deprecari, qui jubere potest.* Et quod vulgare est, *preces Principis æquivalent præcepto.* Ac denique ipsum summum Pontificem, non semel dixisse certissimè accepimus, se habere pro comperto nullam Religionem in Ecclesia DEI aptiorem esse nostra, ad opus Missionum; quare ipse Indulgentiam plenariam omnibus Religiosis concessit, qui publicè bis in anno suam renovantes professionem, Missionibus juvandis se offerrent.

Quid Paulus V. circa hoc senserit, & fecerit

DVBIVM VI.

Ad quam ex quatuor Regulis hæc Alberti Regula reducatur.

Quatuor sunt in Ecclesia approbatæ Regulæ

QUatuor esse in Ecclesia DEI approbatas Regulas, quæ veluti quatuor perfectionis elementa sunt: & sub his quatuor omnes Ordines Ecclesiæ militare, communis tenet Authorum sententia. Ceteræ verò Regulæ (si quæ sint) quasi harum quatuor appendices, & quasi corollaria appellantur, ut videre est apud Volaterranum *lib. 21. Geographiæ*. Polydorum *lib. 7. de inventione cap. 4.* Genebrar. *lib. 4. circa annum Incarnationis* 1285. Inter quatuor igitur prædictas Regulas prima fuit *Basilij*. Basilius enim in Orientali Ecclesia normam, ac vivendi Regulam Monachis Syriæ constituit. Docet id Antoninus *2. part suæ historiæ tit. 15. cap. 12.* & esse hanc communem omnium Scribentium sententiam, retulit Cassaneus in *Catal. glo. mun. 54. consideratione.* Basilio successisse *Augustinum* in Occidente, omnes etiam sine controversia tradunt. Post hanc sequitur *Benedicti* Regula, quæ tertium jure occupat locum. Ultimò Regula à B. *Francisco* non sine magna utilitate Ecclesiæ edita est.

4. prob. Ordin. Religiosæ duas; & quatuor sunt illæ?

Carthusienses tamen sub Regula aliqua non militant; sed propria habent statuta, quæ mutari possunt per prælatos sui Ordinis, ac proinde non reducuntur ad aliquam ex prædictis Regulis, sed proprio ordine, inter aliosque perfectissimo, & sub Constitutionibus instituto gaudent.

Carthusiani propria sua tuitio. Regulæ ratio

De Regula verò Fratrum Carmelitarum vel Authores plurimi non meminêre, vel ii, qui de ea sermonem instituunt, appendicem ejus, quæ D. Basilii est, non verentur fateri: licet alii ex Paulino, & Basilio; alii ex Joanne Hierosolymitano, & Basilio extractam tradant. Prioris sententiæ, nempe, quod Carmelitæ sub Regula Basilii quondam in Occidentali Ecclesia militaverint, author est Antoninus *3. parte suæ summæ tit. 16. cap. 1. §. 8.* prope finem, ubi sic ait: *Sub Regula Basilij (quæ prima fuit) Fratres Carmelitæ aliquando fuerunt: quibus anno Domini* 1247. *Dominus Innocentius IV. addidit quasdam ordinationes per modum Regulæ, traditas eis à quodam Patriarcha Hierosolymitano, dicto Albertus, extractas à Regula Basilij cum quibusdam additis, &c.* Hæc Antoninus: quem sequuntur plures alii gravissimi Scriptores, ut sunt Cassaneus, in *Catal. gloriæ mun. 4. part. consideratione 70.* qui de Carmelitis loquens, ita ait: *Carmelitæ præferendi sunt fratribus Prædicatoribus, sancti Augustini & Minoribus: quia primò fuerunt instituti: cùm fuerint sub Regula B. Francisci, quæ fuit solum anno Domini* 1218. Sentit idem Sylvester *verbo* (Religio 1.) *num. 7.* & Armilla *eodem verbo*; & Antoninum sequuntur turba Canonistarum, & aliorum Authorum: & præcipuè quantum ad id, quod asserit, Albertum dedisse Regulam mutuatam ex Basilio, cum eo sentiunt Polydorus *lib. 7. cap. 3. de rerum inventoribus*, Sabellic. *libr. 5. Ænead. 9.* & Plarina: quorum etiam sententiam probat Author Theatri vitæ humanæ *volumine 21. libro 3. folio 41.*

Curpassi Authores viderint Regulæ Carmel.

An Carmelitæ viverint aliquando sub Regula S. Basilii?

Alii verò alia via procedunt, asserentes, Carmelitas non immediatè sub Regula D. Basilii fuisse, sed eam accepisse circa annum Domini 412. à Joanne Patriarcha Hierosolymitano, de quo supra mentionem fecimus. Hunc tradunt Regulam Carmelitis dedisse, extractam verò ex doctrina D. Basilii. Ita affirmat noster venerabilis ac celebertimus Thomas Waldensis de *Sacramentalibus titulo 9. cap. 89.* Pio qua sententia affert ibi Armacanum Hiberniæ Primatem. Censet idem Paleonydorus *lib. 2. cap. 5.* Plato de *bono status Relig. lib. 2. cap. 22.* Morigia *lib. 1. de Origine Relig. cap. 30.* & denique inter juniores Emmanuel Rodriguez *in quæstionibus Regular. quæstion. 1. de Origine Religionum, art. 5.* & alii ordinis Historiographi.

An eius Regula desumpta à S. Basilio?

Nobis vero in hac parte primum videtur, Carme-

Carmelitas nunquam sub Regula Basilii militasse, & D. Antoninus sine fundamento loquutus fuisse videtur. Nam in primis excogitari non potest ullum tempus, in quo Carmelitæ sub Regula Basilii fuerunt. Regula enim Joannis Hierosolymitani, (ut supra part. 1. docuimus) tradita fuit Carmelitis circa annum Domini 412. & hæc perduravit usque ad Aymerici tempora, qui (ut supra etiam retulimus) institutionem à Joanne Hierosolymitano Carmelitis datam, & idiomate Græco conscriptam, Latine verti, propter Latinos ibi monte Carmeli commorantes jussit. Floruit autem Aymericus (ut præcedenti dubio tradidimus) circa annum Domini 1141. Cui ferè immediatè successit Albertus, qui anno 1205. Regulam nobis concessit. Quo ergo tempore sub Basilii Regula Carmelitæ vivere potuerunt? Et minus etiam probabile apparet id, quod idem Antoninus, & alii censent, Regulam Alberti extractam, ac desumptam fuisse ex ea, quam Basilius condidit. Cùm potius, si nostra Regula cum Basilii, & aliorum Regulis conferatur, in nullo ferè eam, quæ Basilii est, referre videatur: cum ceteris vero frequenter concordet. Nam si per singula Regulæ nostræ capita discurramus, nullum ex Basilio desumptum facilè inveniemus.

Carmelitas nunquam sub Regula S. Basilii vixisse probatur

Nec Regulam Carmel. ex illius desumptam fuisse.

Nam primum, quod est de Priore habendo, ac de tribus votis servandis, (in quibus Regularis disciplina consistit,) non mirum, quod in Basilii Regula inveniatur: cum hoc commune sit omnibus Religionum institutis. Differt tamen in diversis. Nam quem Basilius in sua Regula *Præpositum*, sive *Abbatem* nominat, Albertus *Priorem* appellat.

Secundum & tertium Caput in quo de Eremi situ, de cellularum singularitate, distantia & dispositione agitur, non solum à Basilii Regula petita non sunt, verum ei omnino contraria apparent. Basilius enim cœnobialem, ac communem vitam in uno monasterio, sine hac cellularum separatione, in suis Regulis sæpe instituit. Albertus verò eremiticam vitam, ac solitariam decernit.

Quartum verò Caput de communi refectione traditur. An igitur quia idem in Regula S. Augustini & Benedicti invenitur, nostra Regula ex Augustini & Benedicti Regulis desumpta est? Aut fortè, quia Basilius communem mensam statuit, & hanc suis Regulis Augustinus & Benedictus confirmarunt, Regula Augustini & Benedicti à Basilio emanasse dicenda erit? Sed quid moror in hoc? cum Regula Alberti communis refectionis mensam Eremitis non sternat, sed hoc ab Innocentio IV. additum fuisse constet?

Præterea Caput 5. nostræ Regulæ, quod de situ cellulæ Prioris agit, eam esse constituendam juxta vestibulum monasterii tradens, nusquam in Regulis Basilii reperies.

Sextum verò de oratione ac meditatione continua nec apud Basilium, nec apud alios Religionum institutores sub præcepto cautum invenitur.

Septimum, quod circa Horas Canonicas, & Officium divinum persolvendum versatur, potius Benedictum quam Basilium redolet.

Octavum, quod de abdicando rerum usu, ac proprietate tractat, fortè Basilii est, quia omnium commune esse debet. Nam cum paupertatis votum, à quo hæc abdicatio provenit, Religionibus omnibus commune sit, quid mirum, si in Regula Basilii inveniatur?

Nonum verò Caput de oratorio in medio cellularum erigendo, neque in Basilii, neque Augustini, neque alia cœnobitica Regula scriptum reperies. Hujus verò quod in eodem Capite statuitur, ut ad audienda missarum solemnia Fratres conveniant, etiam non meminit Basilius.

Caput verò decimum de Capitulo & correctione Fratrum agit, ubi autem in Basilio Capitulum, aut aliquid, quod illud sapiat legitur? Et ut omnia concludam, ubi Basilius jejunium ab exaltatione sanctæ Crucis usque ad Dominicam Resurrectionis suis monachis commendavit? ubi abstinentiam à carnibus decrevit? Certè nec de jejunio in Regula Basilii aliquod peculiare statutum invenio: & carnium esum non solum non interdici, verum & expresè concedi video, ut patet in Regulis fusior. *Interrogatione* 19. & 20. ubi Basilius aperte monachis, se nolle carnium esum negare, fatetur.

De silentio quoque nocturno in Basilii Regula sermo non fit. Quod si de labore manuum in ea tractatur (quod quidem non inficior) hoc tamen laborandi studium ita fuit monachis Syriæ & Ægypti commune, ut nullus ad eorum consortium admitteretur, qui alicujus artis mechanicæ munere non fungeretur. Nec solum in Orientalibus Religionibus id receptum comperies, sed in Occidentalibus apud Benedictum, Augustinum, & Franciscum idem statutum videbis. Quid ergo commercii, societatis, aut similitudinis Alberti Regulæ, cum Basilii institutionibus? ut prædicti Authores ausi sint affirmare, nostram Regulam ex Basilio extractam, ejusque appendicem esse? cum tam latè, longeque inter se distent.

Et certè inter hæc duo dicta Antonini, nempe, quod Religio nostra fuerit aliquando sub Regula B. Basilii, & præterea, quod Regula Alberti sit extracta ex institutionibus Basilii, hoc secundum magis cum ratione ac experientia pugnat. Nam de priori non miror, quod, cum Religio nostra in remotis Syriæ partibus commoraretur, ejus initia, ac progressus ab Antonino, & aliis Latinis Scriptoribus ignorarentur, & sic falli potuisse, existimantes sub Regula Basilii Carmelitas famulatum DEO præstitisse.

Non parum prædictis obstare videtur nostri Ordinis Authorum sententia. Nam Waldensis *ubi supra* & Paleonydorus & Mantuanus in *Apologia de antiquitate Ordinis* affirmant, Regulam nostram extractam fuisse ex Regulis Basilii. Huic objectioni respondetur, quod (ut ex Amphil. Iconii Episcopo, & ex aliis docet Paleonydorus *lib.* 2. *Cap.* 5.) Eusebius Cæsareæ Episcopus, cum primùm Basilium agnovit, admirans profundissimæ sapientiæ ejus pelagus, vocatis quibusdam montis Carmeli Fratribus, in monte Didymi eis Monasterium constituit, cum quibus Basilius omni humilitate conversando, post mortem Eusebii meruit provehi ad summum Cæsareæ sacerdotii gradum. Et insuper addit Paleonydorus: Iste est Basilius, qui Monachorum institutum duplici sub forma composuit: unam per modum dialogi, & hanc ejus confratres Carmelitæ in monte Didymi assumpserunt: & eundem in Patronum eligentes, de Ordine S. Basilii vocati sunt: aliam per modum commu-

communis admonitionis, quam S. Joannes 44. Hierosolymorum Episcopus suo libro inseruit, & Carmelitis tradidit. Sub hac Carmelitæ vixerunt quousque ab Alberto compendiosam regulam acceperunt. Hæc Paleonydorus.

Id mihi in hac re magis probatur (quod latius sum prosecutus libro 1. Cap. 10. de ordinis antiquitate) D. Basilium, præter regulas, quas monachis communiter in cœnobiis degentibus composuit (quæ etiam inter sua opera habentur) aliam Regulam tradidisse his, qui solitariam vitam in Ponto Euxino agebant, quorum ipse simul cum D. Gregorio Nazianzeno collega fuit, ut sæpe tam ipse, quam Nazianzenus Epistolis suis repetunt. Consulendus de re hac Baronius, qui hæc & alia D. Basilii gesta *Tomo 4. circa annum 362.* plena oratione scripsit. Et quantum mihi fas est colligere, has institutiones Basilius simul cum Nazianzeno composuit: ut apertè ipse Nazianzeno *Epistola 9.* demonstrat. Ab his fortè regulis, Eremitis illis Euxinum colentibus, impositis Joannes Hierosolymitanus partem aliquam suæ um institutionum est mutuatus: à quo Albertus Patriarcha (ut infra dicam) suam Regulam accepit, & ideo Albertus dicitur suas institutiones à Basilio mutuasse. Quibus benè consonant ea, quæ nostri Ordinis Historiographi de Basilio dicunt: nempe, Regulam Joannis extractam fuisse ex Regula Basilii, non ex his, quæ inter scripta Basilii circumferuntur, sed de aliis Institutionibus, quas ipse Eremitis Ponti sive voce, sive scripto tradidit. Et ex hoc communis Authorum sententia occasionem sumpsit affirmandi, Carmelitas in Occidenti sub Regula S.B. stitit militasse.

Cur tam variè & ambiguè sæpe Authores de rebus Ordin. Carmeli loquantur?

Sed certè (quod verius existimo) horum authorum errandi occasio non alia fuit, quam, quod cum ipsi solum in Europa quatuor prædictas Regulas agnovissent, & Carmelitas neque sub Augustini, neque Benedicti aut Francisci Regulis viderent, statim suspicati sunt, sub Regula Basilii originem sumpsisse. Maximè, cum eorum initia, utpote in Syria, & aliis remotissimis Regionibus peracta ignoraterit. Nec mirum est, quod Historiographi Latini ea, quæ in tam dissitis partibus contigêre, non cognoverint. Et hæc causa est, ut tam variè, tam incertè, & frequenter tam longè à veritate deviantes de hujus Religionis gestis loquantur.

Ex prædictis igitur luculenter patet, Carmelitarum Regulam à Patriarcha Alberto eis traditam, non esse appendicem Regulæ Basilii, neque ad aliquam aliam ex quatuor superius allatis reduci. Quare cùm omnino diversa sit ab illis, non jam tantum quatuor Regulæ, sed quinque inter approbatas erunt annumerandæ: præcipuè, cum Regula Alberti nec tempore (ut dictum est supra,) nec perfectione, ut jam pergimus explicare, aliis posterior sit. Patet etiam secundò, Albertum in sua Regula nulla ferè inseruisse, quæ antea in institutionibus Joannis Hierosolymitani non essent apposita. Quod facile esset ostendere, per singula Alberti capita discurrendo, ut probatur in *Speculo Ordinis libr. 8. Capit. 4.* ubi fusius demonstratur, prædictam Regulam ferè in omnibus, eam, quæ Joannis est, æmulari: præcipuè verò legenti *Cap. 21.* Joannis Regulæ, constabit, ab eodem circa oratorium, cellarum separationem, & silentium, idem quod ab Alberto fuisse stabilitum. Quare Albertus in sua Regula id solum præstitit, ut, quod Joannes in dictis institutionibus suadendo in generali dixerat, Albertus statuendo in speciali determinaret. Ita expressè sentit Waldensis, de *Sacramental. tit. 9. Cap. 89.* dum ait, *Ordo Carmelitarum à Joanne Patriarcha Hierosolymitano Regulam vivendi Græcè conscriptam accepit, quam pleniori post sub Alberto Patriarcha forma digestam inspexit.* Sentit ergo Waldensis in hac re nobiscum.

DVBIVM VII.

De perfectione Regulæ Alberti, nostræquæ Religionis.

VAria sunt in Ecclesia Religionum genera, quibus DEUS variis hominum conditionibus consultum esse voluit. Nam cum diversa sint hominum ingenia, variæ propensiones, nec pares omnibus vires insint; unus enim dilegit solitudinem, alius frequentiâ gaudet, alius libentius legit, alius operatur, vel orat: non sine divino consilio, Religionum institutum in multas professiones, studiaque dividitur: &, ut rectè Nestorius Abbas apud Cassianum *Collatione 14.* loquitur, *Quidam summam intentionis suæ erga Eremi secreta, & cordis constituunt puritatem: ut in præteritis ELIAM, & ELISEUM, nostrisque temporibus beatum Antonium familiarissimè DEO per solitudinis silentium cohæsisse cognoscimus. Quidam erga institutionem Fratrum, & pervigilem cœnobiorum curam, omnem studij sui solicitudinem dedi-derunt. Quosdam Xenodochij, & susceptionis pium delectat obsequium. Quidam eligentes agrotantium curam, alij intercessionem, quæ pro miseris ac oppressis impenditur, exequentes, aut doctrina instantes, aut eleemosynas pauperibus largientes, inter magnos, ac summos viros viguerunt.* Hæc Nestorius ut supra. Hoc autem singulis uniuscujusque artis ac vitæ professoribus innatum cernimus, ut illam omnibus aliis excellentiorem existiment, ac variis laudibus efferant: quod multis exemplis in artium professoribus relucet. Laudant enim *jurisperiti* ita suam artem, ut cum eorum disciplina nihil putent conferendum: ab hac enim totius mundi administrationem ac practicam disciplinam pendere putant. *Medici* vero nihil humano generi eorum facultate utilius esse cognoscunt. *Philosophi* hæc omnia, tanquam vilia & caduca, aspernantur: nihilque sublimius ea disciplina exclamant, quæ à terrenis his rebus homines abductos, ad cælestium contemplationem convertit. *Theologi* denique (ut alios interim omittam) tanquam cum DEO versantes, ejusque arcana penetrantes, scientiarum omnium famulatum Theologiæ deberi contendunt. Adeo enim unicuique pulchrum, ac excellens suum institutum videtur, ut omnibus aliis præferendum merito censeat. In quo, de propria facultate & instituto, à nobis lato judicio nescio quid proprietatis ac philautiæ latet: nam, dum de professione propria quis gloriatur, in sui laudem ac commendationem, suæ artis gloriam rerotquer.

Vid. notata Joannem à JESU-MARIA Tom. 2. oper. sum. part. 2. disciplinæ Monasticæ Cap. 4.

Aristoteles in 1. Ethic. quidem magnificus laudator.

Idem quoque in suscipiendis religiosæ vitæ institutis plerumque accidere videmus, ut quod sibi quisque magis accommodatum videtur, id solum ut præstantissimum jactet: cetera verò pro nihilo ducat. Ex quo variæ sunt inter Religiones

Uti & propriæ Religionis.

nes exortæ quæstiones, & controversiæ magnæ de excellentia, ac perfectione uniuscujusque Regulæ seu instituti: ita, ut ferè nulla sit, quæ aliis etiam perfectissimis palmam concedere velit: cùm tamen verè & absque ulla dubitatione, multæ sint aliis digniores, ac perfectiores. Ex quo autem hæc perfectio pensanda sit, non est locus hîc exactius examinandi, cum de hac materia latius in *Tractatu de professione* simus dicturi.

Tamen ut ad propositi dubii resolutionem descendamus, aliqua circa hæc præfari oportet: ut, præmissis his, nostræ Regulæ, ac Religionis arctitudo, ac perfectio luculentius pateat. Consulto addidi (& *Religionis*:) nam ex sola Regula, Religionis perfectio mensuranda non est: cum plures Religiones perfectione inæquales, sæpe sub eâdem Regula militent. Quare ab alio principio, præter Regulam, pensanda est in Religionibus perfectio, ex utroque tamen complete: nempe, tam ex Regula, quàm ex aliis Religionis statutis, fine, & exercitiis, religiosi status perfectio consideratur. In hac dubitatione nostræ intentionis non est, sanctissimis aliarum Religionum institutis quicquam derogare, sed tantum nostræ Regulæ, ac instituti perfectionem ejus athletis, ac professoribus ostendere: ut sic ad bravium suæ vocationis alacrius, ac velocius ab omnibus expediti currant, eique tenacius inhæreant, non ut de altissima professione glorientur, sed ut cum timore, & tremore suam salutem operantes, potius reddendam DEO rationem pertimescant.

Unde desumenda sit Religionis alicujus præstantia ac perfectio?

Primùm igitur ad resolutionem hujus difficultatis notandum est, veram perfectionem Christiani in charitate consistere. Nam cum uniuscujusque rei perfectio in eo sita sit, ut suo ultimo fini quàm arctissimè conjungatur, & finis hominis sit DEUS, cum quo eum charitas sive dilectio maximè unit, juxta illud Joan. 4. *Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo*: & ad Colossenses 3. *Charitas est vinculum perfectionis*, id est, vinculum, quod ligans hominem cum DEO, illum reddit perfectum: fit ex consequenti, quod in charitate & dilectione DEI, omnis perfectionis Christianæ summa sita sit.

Hominis Christiani perfectio in charitate consistit.

Joan. 4. Colossens. 3.

Secundò notandum est, quòd quamvis in charitate perfecta, essentialis perfectio consistat: est tamen præter hanc alia perfectio, quæ perfectio status, sive status perfectionis dicitur: de quo D. Thom. 2. 2. *q.* 183. *art.* 1. & *q.* 184. & *alibi* sæpe; & communiter Theologi, qui dividunt perfectionem in absolutam, quæ in charitate consistit, & in statum perfectionis, qui est modus vivendi, certis legibus & consuetudinibus obnoxius, quibus perfectio adquiritur, vel exercetur. Qui perfectionis status adhuc subdividi solet, nempe in statum perfectionis jam adeptæ, sive exercendæ, (qualis est status Prælatorum, utpote Episcoporum.) & in statum adipiscendæ, sive acquirendæ perfectionis, qualis est status Religiosorum. Hoc enim interest inter Episcopos, & Religiosos, quod ii non tenentur continuo esse perfecti, sed tantum ad perfectionem aspirare: versantur enim in palæstra, & exercitatione virtutum, & remotione impedimentorum: illi verò tenentur esse perfecti, & in eo gradu charitatis inveniri, ad quem Religiosi per sua vota, & exercitia tendunt. Quare Episcopi debent esse perfecti, ac perfectionis veluti Doctores, & Magistri, qui eam exercere, & docere tenentur. Religiosis vero tantum convenit discipulorum perfectio, quibus expedit addiscere, & profectum in disciplina curare. Tend ut igitur Religiosi ad perfectionem, & eorum status est via charitatis, sive perfectionis acquirendæ.

Quis sit status perfectionis, & ejus divisio ac subdivisio.

Quomodo inter se differat, quoad statû perfectionis, Episcopi & Religiosi?

Tertiò observandum est, in statu Religiosorum, ad perfectionem parandam duplex esse instrumentorum genus. Aliud est communissimum, qualia sunt tria illa substantialia vota, obedientiæ, castitatis, & paupertatis: aliud verò solet esse proprium uniuscujusque Religionis instrumentum, qualis est finis, sive proprius scopus illius Religionis: ac deinde peculiares uniuscujusque ordinis observantiæ, ut vigiliæ, jejunia, meditatio scripturarum, oratio, nuditas, solitudo, & similia, quæ propriis Religionum Regulis, ac Constitutionibus decernuntur.

In statu Religioso duplex datur instrumentorû genus pro adipiscenda perfectione: aliud cõmune omnib⁹, aliud propriũ cujusque Religionis.

Inter hæc verò instrumenta, potissimum est, & omnino necessarium illud primum, quod tria substantialia vota complectitur, in quo substantia Religionis salvatur, ac sine quo Religio perfecta esse non potest. Nam hæc sunt, quæ à Christo Domino, ut potissima ad perfectionem media, in Religione sunt instituta: cùm certè, ut quis perfectè DEUM diligat, debeat & se totum DEO tradere, & omnia impedimenta removere. Utrumque verò consequimur per virtutes obedientiæ, castitatis, & paupertatis. Tradimus enim DEO nos totos, quando tradimus animam, sive ejus libertatem, corpus, & res externas. Nihil enim habemus aliud. Animus verò per obedientiam, corpus per continentiam, res externæ per paupertatem à nobis in Religione DEO traduntur. Ac proinde hæ virtutes cumprimis in Religione sunt necessariæ ad perfectionem acquirendam. Nec solum ad hanc juvant prædicto modo, sed insuper illis removentur omnia impedimenta divini amoris.

Tria substantialia Religionis vota sunt potissimum & necessarium perfectionis assequendæ medium.

Nam cùm *radix omnium malorum sit cupiditas*, teste Paulo *ad Timoth.* 6. sic è contrario radix omnium bonorum est charitas, teste D. Augustino, *sermone* 12. *de verbis Domini*. Omnis verò mala cupiditas ad tria capita reducitur: ad luxuriam, avaritiam, & superbiam, ut habetur 1. *Joan.* 2. *Quidquid est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Hos igitur tres impedimentorum fontes obtinent tres illæ prædictæ virtutes. Nam & concupiscentiam carnis, continentia: superbiam vitæ, obedientia: oculorum denique concupiscentiam, sive avaritiam, vitæ paupertas destruit. De quibus latius D. Thom. 2. 2. *quæstione* 185 & 186. & docti̇ssimè inter juniores Plato *libr.* 1. *de bono status Religiosi* per plura capita, præcipuè à *Cap.* 4. *usque ad* 11.

Ad Tim. 6

1. Joan. 4

Secundum genus instrumentorum, quod in Religione reperitur ad parandam perfectionem, est duplex. Vel enim est finis particularis Religionis, vel sunt exercitia, quæ in tali Religione sunt instituta. Hoc autem discrimen inter utrumque versatur. *Primò* quia finis semper debet esse aliquis actus virtutis: vel misericordiæ, (teste D. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 1. & Cajet. *ibi*,) ut sunt prædicare, docere, xenodochiis inservire, &c. vel Religionis, ut est oratio, sive contemplatio. Exercitia verò non semper sunt ex se actus virtutum, ut sunt corporis maceratio, vigiliæ, cæmeniæ, solitudo, &c. Quæ licet intrinsecè actus virtutum non sint: si tamen debitè

bitè assumantur, sunt actus virtutis, ut D. Thom. 2.2. q. 88. art. 2. ad 3. docet: & perfectionis instrumenta, ut idem ipse *quæst.* 188. *art.* 7. *in corpore* fatetur: imò & media non solum opportuna, verum (suppositâ communi hominum fragilitate) ferè omnino necessaria, ut experientia ipsa, & Sanctorum innumera exempla testantur, ad perfectionem Christianam acquirendam, & conservandam. De quo nos fortè *alibi* latius dicemus.

Secundò differunt finis particularis, & exercitia Religionum, quod hæc semper ordinantur ad majorem observantiam trium votorum (ut docet D. Thom. 2.2 *q.* 186. *art.* 9.) Itaque omnes istæ observantiæ habent pro scopo immediato perfectiorem trium votorum observationem, mediatè verò ipsam charitatem: finis verò peculiaris non semper ordinatur, nec respicit majorem, vel minorem votorum observantiam, ut patet de fine prædicandi, docendi, &c. Ex se enim nullam ordinationem habent cum obedientia, castitate, & paupertate: sed immediatè respiciunt charitatem ipsam, qui est universalissimus finis Christianæ Religionis. Ac denique inter exercitia particularia, alia ordinantur ad observantiam trium votorum, ut dictum est: alia ad consequutionem finis particularis, ut studium litterarum ad prædicandum.

Religiones omnes in duobus conveniunt, & in duobus differunt

Ex his clarè constat, in quo conveniant, & distinguantur Religiones: in duobus enim omnes conveniunt, & in duobus aliis omnes ferè distinguuntur. Conveniunt enim in universalissimo, & potissimo fine, nempe, dilectione DEI, in communissimis deinde instrumentis, & mediis, in tribus scilicet votis. Differunt verò frequenter in fine particulari, vel exercitiis, aut instrumentis particularibus, tam in ordinatis ad observantiam trium votorum, quàm ad assequutionem illius finis particularis.

Religionis unius super aliâ excellentia tripliciter attenditur: primo ex fine perfectiori: secundo ex actu magis perfecto intra eũdem finẽ: tertio ex mediis ejusmodi fini proportionatis.

His præmissis breviter, nunc constituo primũ, quod excellentia unius Religionis supra aliam potest attendi tripliciter, ut ex D. Thom. constat 2.2. *q.* 188. *art.* 1. & *art.* 6. Uno modo ex parte finis: & sic illa dicitur perfectior Religio, quæ ordinatur ad perfectiorem finem. Secundò attenditur excellentia unius Religionis ad aliam, secundùm quod in eodem genere finis una ordinatur ad altiorem actum, quàm altera: ut inter Religiones, quæ ordinantur ad contemplativam vitam, perfectior erit illa, quæ ad contemplandum, quàm ea, quæ ad legendum ordinatur: & inter opera vitæ activæ, potior finis est, redimere captivos, quàm recipere. Et ideo Religio, quæ ordinatur ad redimendum captivos, erit excellẽtior eâ, quæ ad hospites suscipiendos ordinatur, cæteris paribus. Attenditur etiam ex parte finis excellentia, quando ad plures fines una, quàm alia ordinatur: ut, quæ ordinatur ad contemplãdum & prædicandum, perfectior erit, eâ, quæ ad unum istorum tantum designatur. Tertiò judicatur de præeminentia unius Religionis ad aliã, ex parte exercitii, non quidem quantum ad quantitatem, sed quantum ad propotionem ejus ad finem intentum. Hæc sunt, quæ ex doctrina D. Thom. communiter observant Theologi, qui perfectionem omnem ex fine particulari, & mediis, sive exercitiis ad illum assequendum proportionatis, desumendam esse decernunt.

Theologi.

Canonistæ

Canonistæ verò, non ponderatis his subtilitatibus non à fine, sed ab exercitiis potius, Religionis perfectionem judicant. In quo solum considerare solent, in qua Religione sit arctior, strictior, durior, vel fortior vivendi modus: solumque attendunt in omnibus communissimum charitatis finem, non inspectis aliis particularibus, sed tantum districtiorem vivendi rationem. Quibus favet Innocentius Papa in *c. licet* de Regul. ubi *sanctior vita* dicitur *arctior*. *Cap. licet de Regul.*

Non est locus hic differendi, quæ harum opinionum verior, ac magis juri consona sit: parum enim ad propositum dubium spectat, an hanc, vel illam amplectamur. Et ideo hujus controversiæ ad alium locum rejecto examine, secundum utramque opinionem placet nunc de excellentia, & perfectione nostræ Regulæ, ac Religionis philosophari: & prius de Regula in comparatione ad alias Religionum Regulas: postea verò de Religione respectivè ad alias dicemus.

Secundò constituo, quòd nostra Regula primitiva, tam secundum Theologorum, quàm Canonistarum sententiam perfectior est quibuscunque aliis Religionum Regulis. Primò ex sententia Patrum, & Theologorum probatur. Nam eremiticæ vitæ institutum est culmen, & fastigium Religiosæ vitæ, ac proinde eremitica vita perfectior est omnibus aliis. Testatur id apertè D. Thom. 2.2. *quæst.* 188. *art.* 8. & nullus est, qui ab hac sententia dissentiat, in quam omnes ferè Patres conveniunt, dum docent, non debere quenquam transire ad vitam eremiticam, nisi prius diligenter in cœnobio se exercuerit, propterea quod hic modus vivendi non adferat perfectionem, sed præsupponat, ut Hieronym. docet in *Epistola ad Rusticum*, Cassianus *collatione* 10. *Ca.* 3. Augustinus *libro* 1. *de moribus Eccliæ Cap.* 3. Benedictus in *Regula Ca.* 1. Bernardus *sermone* 3. *de circuncisione*, & sic eremitica vita est perfectorum, similis (suo modo) Episcoporum statui. *Sic ergo* (ut verbis D. Thom. utar) *id, quod jam perfectum est, præminet ei, quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum præeminet vitæ sociali.* Et hæc est potissima causa, quare Pontifices, omnium aliarum Religionum monachis ad Carthusienses, vel Camaldulenses, qui eremiticam vitam profitentur, transitum permittunt. *Regula Carmel. primitiva juxta Theologor. ac Canonist. sententiam perfectior quibuscunque aliis Religionum Regulis. Hoc probatur. Cœlest. P. Dicit in Fine Caradum. 31. & ab illo Laurea Tom. 4. Anal. Ord. Camal. ann. 1203.*

Imò inter hos duos Ordines, quia Camaldulenses vitæ Eremiticæ institutum perfectius exequuntur, utpote qui singulariter in cellulis separatis degunt, concessum est à *Leone X.* ut Carthusienses licitè ad Camaldulensium Ordinem transire possint. Cùm ergo in nostra Regula, eremitica vita in rigore perfectissima instituta appareat, (ut patet ex *Cap.* 2. 3. 4. & aliis Regulæ *capitibus*, in quibus, ut singuli separatim in cellulis divisis ac separatis vivant, statuitur, & solum præcipitur, ut Dominicis diebus in capitulo, & singulis aliis ad audiendum Missarum solennia convenire debeant, ut patet ex his, quæ in *Cap.* 2. & 3. dicemus, cujus verba sunt: *Præterea juxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum eadem cellula cuique fuerint assignatæ*; ita, ut quamvis *Innocentius* VI. in mitigatione addiderit, ut in Reformatorio quotidie omnes conveniant, tamen nihil aliud circa rigorem, ac perfectionem Eremiticæ vitæ temperaverit: rectè fit, ut ex hac

parte

parte sine ulla controversia aliis omnium Religionum Regulis præmineat. Nam neque Basilius, nec Benedictus, nec Augustinus aut Franciscus de vita eremitica in sua Regula meminêre. Nam etsi Augustinus Fratribus Eremitis Regulam dedit: tamen de eremitica vivendi forma ac institutio nihil Augustini Regula tractat. Neque sufficit in eremo vivere, nisi solitariè, & separatim vivatur, ut jure Eremitæ dici possint.

De Carthusiensium verò & Camaldulensium Religionibus etiam censeo, cum nostra Regula non esse eas conferendas: eo tamen modo, quo hæc propositio inferius explicanda, & temperanda est. Primò quia Carthusienses non ita strictam vitæ eremiticæ formam, sicut nostra Regula præcipit, observant, cum in claustris simultaneè degant. Et præterea, cum id habeant ex Constitutionibus, quæ quotidie mutari possunt aut solent, non sunt comparandi cum eo eremiticæ vitæ instituto, quod in aliqua Regula constituitur. Camandulensium verò Religio D. Benedicti Regulam observat: & sic, quamvis perfectior sit aliis in solitudine, modus tamen eorum, & vitæ institutio adhuc si cum eo, qui à nostra Regula decernitur, conferatur, excellentior illo non est: imò ab eo in multis superatur, potissimum verò in hoc, quod illeà Regula, hic verò à constitutionibus statuitur.

Et fortè minus propriè utrumque institutum atque eremiticè vivendi modum comparamus: cùm hîc sermo non sit, nec controversia, nisi inter ea, quæ in Regulis Religionum constituuntur. Quare, cum illi vel Regulam eremiticam non habeant, (nempe Carthusiani,) vel qui habent, ut Camandulenses, in ea de eremitica vita nihil agatur: manifestè fit, ut nostra Regula non solum perfectior sit ex hac parte omnibus aliis Religionum Regulis, sed potius sola sit, & unica ex Regulis ab Ecclesia approbatis, quæ eremiticam vitam decernat.

Tertiò dico, quod nostra Regula ex parte exercitii, non solum quantum ad quantitatem, sed quantum ad proportionem, est perfectior aliis. Quod ex eo manifestè probatur, quia austeritas & solitudo sunt optima media, & magis proportionata ad finem eremiticæ vitæ. Nam finis austeræ & solitariæ vitæ, est contemplatio DEI rerumque cælestium, ut patet ex Cassiano *Collat.* 19. quæ est de fine vitæ eremiticæ: quia medium ad contemplationem omnium optimum est, habere animum collectum, & intentum: cui rei valdè deservit solitudo, quæ omnem strepitum rerum, quæ animum distrahere possunt, procul arcet. Idem quoque de jejunio, & reliqua vitæ severitate dici potest: & nos supra, dum de fine nostræ Regulæ ageremus, diximus. Cùm igitur in nostra Regula cellas distinctas, ac omnino separatas Albertus constituat, ac præterea jejunium, silentium, manuum laborem districtè commendet, fit, ut simul eremitica vita, proportionata ac convenientia media pro ejus perfecta exequutione decernantur, ac proinde, quod, ex parte exercitii ad finem proportionati, perfectior sit aliis Religionum regulis.

Imò, quamvis nostra Regula vitam eremiticam non amplecteretur, adhuc ex parte finis perfectior est aliis Religionum Regulis. Nam, ut ex præcedentibus constat, finis, & scopus ejus est oratio, ac meditatio continua: quod in nulla Religione ex vi Regulæ statutum invenitur. Legat, ac revolvat Lector Basilii, Benedicti, Augustini, aut Francisci normas, quas tradidêre vivendi, & præceptum simile de mentali, ac jugi oratione non inveniet. Quod si quis dicat, in aliis Regulis actus docendi, aut prædicandi præcipi, qui contemplationi præstant: respondeo, quod adhuc nostræ Regulæ perfectioni non derogat. Primò, quia in Augustini, Basilii, aut Benedicti Regula vix de prædicatione mentio fit: solum Francisci Regulam prædicationis munus ejus professoribus injunxisse invenio. Quod tamen parum prædictis obest, quia tunc prædicationis munus præferendum est contemplationi, quando simul est cum illa, & ab ea derivatur. Nam præcisè si contemplatio, & prædicatio sumantur, contemplatio prædicationi præfertur, ut ex D. Thom. patet, ut supra *articulo 6. in corpore.* Quare, licet finis Regulæ beati Francisci sit prædicatio, quia tamen illa non conjungitur cum contemplatione (nullum enim est in Regula Francisci de contemplatione statutum) apertè sequitur, finem nostræ Regulæ præferendum esse ei, qui in Regula Francisci præfigitur.

Ex Canonistarum sententia probatur ejus supra alias Regulas perfectio

Dico quartò. Si vitæ perfectio ex arctiori vivendi modo (ut Canonistæ non immeritò volunt) pensetur: nostra Regula perfectissima est inter alias, cum inter omnes sit strictissima. Probatur. Quia etsi sola ea, quæ ex solitudine oritur, austeritas sufficeret, ut eam actiorem redderet, habet præterea continuam in cellis clausuram, simul cum assidua, & jugi oratione. Deinde ab exaltatione sanctæ Crucis usque ad Dominicam Resurrectionis prolongata jejunia. Quæ omnia (imò nec singula) apud ullam aliam Religionis Regulam præscripta inveniuntur. Quibus si addas paupertatem in communi, à carnibus (nisi pro infirmitatibus) abstinentiam, manuum labores, ac ita arctum silentium, ut in nulla Regula ei æquale proponatur, proculdubio hæc Regula aliis omnibus severior, ac districtior apparebit: & quamvis in ea aliud non esset, nisi vitæ eremiticæ institutum, omnibus in vitæ severitate præmineret.

Hæc dicta sunt de nostra Regula secundum se considerata. Quæ proculdubio, si, quantum ad eremiticæ vitæ formam attinet, in eo rigore, in quo condita est, servaretur: nec Camandulensium, nec Carthusiensium institutum ei esset conferendum.

Nunc verò de nostra Regula, prout à nobis servatur, adjunctis aliis à Religione excogitatis ad majorem observantiam exercitiis, differamus: & nostram Religionem cum aliis tum ex parte finis, tum ex parte exercitiorum comparemus. Loquor autem nunc de Religione, prout complectitur tam Regulam, quam statuta à Capitulis generalibus condita: & suppono, nostram Regulam in omnibus ad unguem servari exceptis his, quæ de separatis cellulis, & commoratione in eremis statuit, ut videre est in nostris Constitutionibus.

Probatur Religionem Carmel. Discal. nulli cedere in perfectione.

Dico quintò. Religio B. MARIÆ Virginis de monte Carmeli, prout à Carmelitis Discalceatis servatur, aliis Religionibus in perfectione inferior non est. Loquor nunc de Religionibus illorum, qui eremiticam vitam non profitentur. Nam Carthusiani, & Camandulenses, nobis, & aliis cœnobiticam vitam degentibus, ratione vitæ solitariæ, in perfectione sunt præstantiores. Quare omnibus cœnobitis ad eo-

rum consortium transitus est permissus. Probatur id efficacissima ratione: quia ex duplici capite, ut ex dictis constat, attendi potest in Religione perfectio: primò ex parte finis, & constat inter omnes, finem mixtum ex contemplatione, & actione, sive prædicatione perfectiorem esse alio quolibet. Præterea, constare debet, inter mixtos fines, præferendum esse eum, qui plus habet de contemplatione, illis, qui ex æquo vel ex contemplatione & actione, vel minus ex contemplatione, & magis ex actione constat: quia plus participat de contemplatione, quæ perfectior est aliis finibus: sed nostra Religio, ut ex dictis patet, habet hunc finem mixtum; ita tamen, ut principaliter constet ex contemplatione, minùs verò principaliter ex actione: ergo ex hac parte nulli Religioni posterior est.

Secundò hæc perfectio considerari potest ex parte mediorum, & constat in Religione nostra de mediis ad contemplationem ordinatis, abundè provisum esse, de quibus latè diximus difficultate tertia. Patet etiam de illis, quæ ad prædicationem conferunt: qualia sunt studia, & exercitia litterarum, quæ in nostris Constitutionibus districtè præcipiuntur. Ergo neque ex hac parte inferior est aliis. Quod si in sensu Canonistarum de perfectione loquamur, qui eam tantum ex arctitudine vitæ conjiciunt, si hæc in nostra Religione consideretur, etiam non est minor aliis: nam tam ex Regula, quam ex Constitutionibus, ut videre erit in ultimo Dubio nostræ Regulæ, plures habet, & non contemnendas asperitates, in quibus à nulla superatur.

Solet etiam una Religio alterâ excellentior ac dignior dici ratione antiquitatis: quoniam, qui prior est tempore, potior est jure, ut patet ex *Cap.* Antiqua, *de privileg. & Regul.* Qui prior. *de Regul. jur. in 6.* ut tradit Cassaneus in *Catalogo glor. mun. quarta part. consideratione 52.* Præterea excellentia, & præeminentia considerantur ex parte instituentium, ita, ut omnes illi, qui à majori, vel digniori sunt instituti, præferantur ex parte hac eis, qui à minus digno originem habent: ut patet ex *capite* quia sæpè. *capit. si eum de prab. in 6.* & tradit idem Cassan. *Ubi supra.* Ultimò consideratur, quod una Religio sit excellentior altera ex approbatione: & ita illa Religio dignior erit, quæ ptius fuerit approbata, ut notatur in *Cap. finali* de Religiosis domibus, & hæc tria potius ad dignitatem quam ad perfectionem substantialem pertinent. Adhuc tamen in his, quæ accidentalia sunt, hæc Religio indignior non est: nam de antiquitate patet ex dictis: de dignitate, & excellentia institutoris (nempe sanctissimi prophetæ ELIÆ) tacere potius, quàm loqui par est: de approbatione verò superius visum est, nostram Religionem saltem omnibus aliis, quæ Mendicantes sunt, prius fuisse approbatam: quod ex Genebrardo, & aliis gravissimis viris, & veritate ipsa confirmabamus.

Cap. Antiqua, priv.

Cap. quia sæpe c. si eũ de Præbẽ. in 6.

Cap. finali de religios. domibus.

Hæc sunt, quæ de nostræ Regulæ, ac instituti perfectione breviter attigimus.

DVBIVM VIII.

De obligatione Regulæ: an scilicet obliget ad mortale, an verò ad veniale peccatum, sive potius ad nullum.

HUjus dubii resolutio adeò gravis & difficilis authoribus visa est, ut Cajet. 2.2.q.198. *articulo 9. in fin.* dubii magni summum Pontificem adeundum pro ejus declaratione puter. Angelus verbo *(præceptum)* eandem, circa D. Augustini regulam, declarationem desiderat. Navarrar. verò, vir aliàs rebus moralibus aptissimus, hanc investigationem *Cap. 23. n. 48.* ita difficilem, & abstrusam arbitratur, ut ibi asserat præoptasse se, ut à Concilio Tridentino diffiniretur. Quod & expectasse Henricum & Cajetanum, *ibidem* asserit ille. Et tandem Sylvester verbo *(lex)* nihil se potuisse in hac re explotatum, & certum habere, confitetur.

Authori circa præsentem dubii resolutionem difficultatem.

Hæc enim est illa difficultas, quæ adeò olim Fratres Ordinis Minorum vexavit, ut tunc Clementem, Ecclesiæ summum Pastorem suis precibus coëgerint, illam celebrem Clementinam, *Exivit de Paradiso*, occasione suæ Regulæ in lucem edere. Et utinam hujus Pontificis, & aliorum circa suam Regulam declarationibus postea factis, adhuc eorum conscientiæ sedarentur. Adeò arduum, & difficile est Institutoris, sive legislatoris Regulæ mentem dignoscere, aut aperire. Sed quia pendet hujus dubii solutio ex notione alterius æquè ignoti, ac difficilis, penes quid inquam conjici possit, quando lex in conscientia obliget, & præceptiva sit; quando verò directiva tantum, aut pœnalis solùm: ideo præsens difficultas in duas secabitur partes. In prima de dignoscenda legis obligatione, in secunda de hujus regulæ obligatione differemus.

PRIMA PARS.

Penesquid dignosci debeat, an lex sit præceptiva, & obligans in conscientia.

PRæmittendum est, præceptum dupliciter sumi. Primò strictè, & propriè, sive antonomasticè pro illo præcepto, cujus transgressio est mortalis. Secundò sumitur latiùs, prout solùm ejus transgressiones venialis culpæ reos constituit: in quo sensu ab aliquibus præceptum mandatum appellatur, ut ab Archid. post Hugonem 14. q. 1. *c. Quisquis*: ubi affirmat, hac ratione sumptum præceptum esse mandatum, medians inter præceptum obligans ad mortale, & consilium, sive exhortationem: quia inter obligationem ad mortale, & libertatem ad opera consiliorum, mediare debet hæc obligatio ad veniale. Quæ licet mandatum sive statutum ab aliquibus appelletur, (in quo modo non moror) tamen tam hæc, quàm illa obligatio ad mortale, cadit sub nomine præcepti genericè sumpto, de cujus ratione est obligatio ad culpam, abstrahendo à mortali, & veniali. Docent hoc Antoninus *3. p. tit. 16. §. 7.* Gerson *alphabeto 63. lit. G.* Cajet. *22. q. 186. art. 9. opusc. 21. art. 1.* Nav. *de pœn. dist. 5. c.* Negotiũ *n. 7.*

Præcepti descriptio tertiæ partis.

Cordu-

Corduba in Regulam beati Francisci *Cap.* 10. *quæstione* 3. *puncto* 1. Et ratio est manifesta: quia peccatum veniale est etiam prohibitum, ut constat de mendacio, aut verbo jocoso: ergo est contra præceptum, quia prohibitio inter reliquos actus legis connumeratur à D. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 2. Tenentque id Doctores in materia de peccato veniali, illud esse in hoc sensu contra præceptum. Igitur præceptum in generica & latiori sui significatione utramque obligationem comprehendit.

Restat nunc, ut aliquibus conclusionibus, sive regulis aperiamus, quibus signis, aut conjecturis sit investigandum, quando lex, sive præceptum imponat venialem, quando verò lethalem obligationem. Oportet tamen prius de lege distinguere. Nam aut loqui possumus de lege secundum se, antequam usu, & consuetudine recipientium interpretetur, verbi gratia, de lege nuperrimè edita, aut promulgata: vel potest esse sermo de illa, prout jam usu & consuetudine recepta est: multum enim interest, an hoc, vel illo modo loquamur. Nam in priori sensu ferendum est judicium de lege secundum se inspecta, antequam consensu populi ejus vis minuatur, augeatur, obscuretur, aut omnino extinguatur. Posteriori verò compellimur, de lege consuetudine declarata aliter sentire: quia tanta est consensus recipientium legem vis, ac potestas, ut variè ejus obligationem immutare possit. In utroque sensu aperienda est difficultas, & investiganda sunt certiora signa, ex quibus institutoris, aut legislatoris mens, obligandi hoc, vel illo modo intelligatur.

Legem considerare, prout nuper promulgata est, vel prout illam jã usus recepit, plurimũ refert.

Prima Regula. Quoties legislator apertè suam intentionem obligandi declarat, per quæcumque verba, aut signa id faciat, tunc sine dubio talis lex obligat secundum voluntatem, & intentionem legislatoris, dummodo qualitas materiæ id ferat. Hæc regula certissima est. Nam si legislator potestatem habet obligandi ad culpam, tum maximè credendum est, eum obligare, quando ipse suam intentionem obligandi aperte signis, aut verbis manifestat. Dixi, *si materia id ferat*: nam si hæc levis, & parvi momenti sit, non potest (quantumvis legislator velit) gravem obligationem inferre, *ut infra* dicemus.

Legislator mentem suã aperte declarãs, per quæcunque id faciat verba, aut signa obligat, si qualitas materiæ id ferat.

Ex qua regula colligo contra Soto *libr.* 1. *de justitia quæst.* 6. *art.* 4. & alios, legislatorem, si legem absolutè ferat, neque ullo verbo aut signo declaret suam intentionem obligandi ad mortale, minimè tunc ad id obligare, quamvis aliàs materia sit gravis. Ita sentit Navarr. *Cap.* 23. *numero* 50. Imò etiam si addat verba præceptiva, sentit, in dubio præsumendum esse de culpa veniali, non verò de mortali. Ratio est, quia in dubiis præsumendum est de mente legislatoris, (maxim è Ecclesiastici, & potiori jure de Institutoribus & Patribus Religionum,) noluisse conscientias subditorum illaqueare, nec oneribus importabilibus filios suos gravare, ut rectè docet D. Thom. *quodl.* 1. *quæst.* 9. *art.* 4. Si enim id voluissent, aliquo signo, sive nota suam expressissent voluntatem. Præterea, quia cum in *Clementina* Exivi, *de verborum significatione*, definiatur, obligationem legis ad culpam, colligendam esse ex verbis præceptivis, aut æquipollentibus, si hæc deficiant, (nisi alias evidenter constet de Conditoris voluntate) non est, cur suspicari similem obligationem teneamur, nisi quis velit (ut dicitur) nodum in scirpo quærere.

Quid si non declaret se intendere obligare ad mortale.

Secunda Regula: Quoties legislator in ferendis legibus verbis præceptivis utitur, tunc signum est, eum voluisse ad culpam obligare: loquimur autem in hac regula de culpa, prout abstrahit à mortali, & veniali: nam de his ita tim in specie differemus. Verba autem præceptiva sunt: *præcipimus*, *mandamus*, *prohibemus*, *inhibemus*, *vetamus*, *interdicimus*, *jubemus*, & similia: & à fortiori, cum aliquid præcipitur *districtè*, vel *in virtute sanctæ obedientiæ*, sub *obtestatione divini judicij*, sub *indignatione Apostolorum Petri, & Pauli*, vel aliis æquipollentibus verbis, quæ mandantis animum magis declarant. Hæc regula, ut magistralis & certa, traditur in dicta *Clementina* Exivit, ubi Pontifex explicans B. Francisci Regulam, tunc docet illam ad culpam obligare, cum per similia verba præceptiva aliquid decernit: & ex ejus mente colligitur, eandem Regulam observari debere ad leges omnes Ecclesiasticas, imò & civiles dignoscendas: præcipuè verò ad Regulas aliarum Religionum, quarum occasione prædicta *Clementina* edita est. Fatetur hoc maxima Theologorum & Canonistarum pars, saltem loquendo de Ecclesiasticis legibus: & constat, quod decisio dictæ Clementinæ sit etiam pro regula habenda, ad civiles leges interpretandas: quia ibi Pontifex ex generali principio, scilicet, quod verba præceptiva habeant hanc obligandi vim, infert & concludit, id specialiter esse servandum in aperienda mente B. Francisci. Ecce quomodo *Clemens* ibi tradat quasi generale juris principium, quod omnibus Constitutionibus, tam Ecclesiasticis, quàm civilibus adaptari, & convenire potest, & debet.

Legislator verbis præceptivis utens præsumitur voluisse ad culpam obligare.

Verba præceptiva, quæ sint

Proponi am igitur regulam, ut universalem, & veram amplectuntur Joannes de Medina *C. de jejunio q.* 7. & Castro *lib. de lege pœn. Cap.* 5. *documento* 4. Sylvester *verbo* (præceptum) *q.* 2. Armilla *eod. tit. n.* 7. Cajet. *dicta q.* 186. *art.* 9. *dub. penult.* Nav. *ut supra n.* 50. *& seq.* Cova. *regula peccatum* 2. *p.* §. 5. *n.* 2. *&* 3. Sot. *ubi sup.* Med. 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. & communiter Canonistæ, in *dicta Clementina* Exivit & c. quod præcipitur 14. *q.* 1. c. *Concupiscentiam*, de constitutionibus.

Quamvis Sylvester, & Armilla *ubi supra* de verbo *Mandamus*, asserant, non denuntiare præceptum, nisi dicatur, *præcipiendo mandamus*: immerito tamen. Nam licet aliquando extra Constitutiones & leges hoc verbum positum non inducat præceptum, ut patet ex *Ca.* Mandastis 2. *q.* 5. ubi Sixtus Papa quibusdam Episcopis rescribens, sic ait: *Mandastis, ut scriberem vobis*: nunquam tamen verbum (*mando*) in lege ponitur, quin vim præceptivam præ se ferat *præ se ferat* (inquam) ex propria natura, & significatione, nisi alias ob aliquam circumstantiam, aut aliã specialem rationem, hæc præcipiendi vis impediatur. Et idem sentiendum est de ceteris verbis præceptivis. Quod eo argumento probari potest: quia similia verba ex vi suæ significationis connotant decretum voluntatis, alicujus Superioris, subditis intimatum & impositum, ut illud exequantur: quod pertinet ad virtutem obedientiæ, quæ pro objecto habet præceptum Superioris. Quare, cùm talis intimatio fiat per præceptiva verba, consequens est, ut quoties illa ponuntur in legibus, semper inducant obligationem obe-

Cap. mãdastis 2. q. 5.

diendi. Loquimur autem nunc de obligatione, prout abstrahit à mortali, & veniali.

Idem, quod de verbis expressè præceptivis dictum est, extendi debet, ex mente prædictæ Clementinæ, & ferè omnium prædictorum Authorum, ad verba præceptis æquipollentia, qualia sunt: *debeant, teneantur, necesse*, aut *necessarium, non licet, non potest.* Et addit Joannes Medina, quem sequitur Navarrus, *numero* 53. verbum (*oportet*) saltem quo ad leges Ecclesiasticas, significare etiam obligationem præcepti. Et quamvis oppositum verius existimet Castro *ut supra*, asserens, verbum hoc solam decentiam & honestatem sæpe significare: opinio tamen Navarri communior, & probabilior videtur. Cæterùm, quicquid sit de verbo (*oportet*) illud sine controversia est apud viros doctos, verba imperativi modi esse præceptiva: ut manifestè traditur in dicta Clementina §. *Nam etsi.* Quem textum ut mirabilem & singularem in hoc proposito, commendat Abb. *dicto* Cap. *Concupiscentiam* (& cum eo communiter Canonistæ) de Constitutionibus.

Ex hac regula primò observandum est, quòd, cùm prædicta verba ex vi sua habeant hanc vim obligandi, sive illa in lege civili, sive in Ecclesiastica reperiantur, eandem vim retinere necesse est. Et sic eodem modo de lege civili, & de Ecclesiastica judicandum est. Quare non rectè limitavit Navarr. ea tantùm deservire legibus Ecclesiasticis: quia Pontifex in dicta *Clementina* nihil declarat aut decernit circa jus canonicum, quod non possit commodè juri civili adaptari.

Secundò colligo, per hæc verba, *ordinamus, stabilimus, sancimus, volumus, decernimus*, si in legibus ponantur, nullam colligi posse obligationem ad mortalem culpam, quamvis materia aliàs gravis sit. Affirmat Navarrus *dicto Cap.* 23. *numero* 49. & *praludio* 9. *numero* 16. ubi hanc dicit esse communem tum Cajetano *dicta quæstione* 186. *art.* 9. & Castro *ut supra*, & videtur expressa sententia D. Thomæ *quodlib.* 1. *quæstione* 9. *articulo* 4. Ratio hujus est, quia tunc, cùm lex simili verborum tenore fertur, potiùs directiva, quàm præceptiva videtur: &, ut rectè notat Navarrus, illis verbis significari videtur, quod legislator quamvis habuerit animum, quod actus transgrediendi, qui antea erat indifferens, sit deinceps vitiosus, & consequenter voluerit obligare ad veniale; quia tamen non præcipit, neque prohibet, videtur noluisse obligare ad mortale. Hucusque de verbis, quæ obligationem in conscientia transgressoribus imponunt, dictum est: nunc de qualitate hujus obligationis disseramus.

Ut lex ex se obliget ad mortale, non sufficiunt verba præceptiva, sed requiritur etiam, ut materia præcepta sit gravis.

Tertia Regula. Non sufficiunt prædicta verba præceptiva, ut lex ex se obliget ad mortale, sed amplius requiritur, ut materia præcepta sit gravis, & alicujus momenti. Hanc regulam ita certam, & veram existimant Authores, ut inter eos nullus sit ex his, quos ego viderim, qui eam neget, aut jure negare possit. Nullus enim affirmare ausus est, in materia levi legislatorem imponere posse culpam gravem, quantumvis verbis clarè præceptivis utatur. Quare ad dignoscendum, quando lex gravem & lethalem imponit transgressoribus censuram, præter præceptiva verba, spectanda est gravitas materiæ. Ratio hujus ea est, quia, cùm ex dictis, verba præceptiva abstrahant ab obligatione veniali vel mortali, fit, ut ex se non sufficiant ad inducendam potius unam, quam alteram obligationem. Quare ea conjicienda est ex gravitate materiæ. Tantæ enim considerationis est gravitas, aut levitas materiæ, ut non sit in potestate legislatoris, circa leviorem aut parvam materiam, gravem culpam indicere. Quod mihi ex eo evidenter constat.

Primò, quia ferè omnia præcepta naturalia & divina, aut saltem aliqua, traduntur per verba clarè præceptiva, quæ tamen in materia levi non obligant transgressores ad mortale peccatum: quia contra naturam est, ut pro rei levis transgressione æterno supplicio quis puniatur: ergo à fortiori in lege positiva talis obligandi vis inesse non potest.

Confirmatur: quia, ut legislatoris voluntas obliget, debet esse justa, & rationabilis: nam si nulla, aut levis est causa præcipiendi, & Prælatus velit subditos gravibus onerare præceptis, quædam species tyrannidis erit. Nam, sicut *quinto Ethic.* docuit Aristotel. non sinimus Principem dominari, sed rationem: quia cum sibi hoc agit, tyrannus efficitur: ergo Prælatus præcipiens sine utili, vel necessaria causa, (si graviter transgressores punire velit,) tyrannicè & injustè ageret, & sic ejus lex non obligaret. Dices, in materia gravi potest legislator levem obligationem indicere: ergo in materia levi potest imponere gravem, & lethalem: quia non videtur ulla discriminis ratio.

Aliqui ex junioribus Theologis censent, non esse in potestate legislatoris, (suppositâ materia gravi) obligare ad culpam venialem, & levem. Ita docent Bellarm. *Tom.* 1. *de laicis lib.* 3. *Cap.* 11. *prope finem.* Medina 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. & alii volunt, esse sententiam Driedonis *ubi supra.* Qui eo nituntur fundamento: quia, quamvis in potestate legislatoris sit, præcipere, vel non præcipere rem gravem, tamen non est in ejus facultate, ut præcepto indicto in re gravi, malum grave non sit, ei non obedire: & ita existimant, in præcepto posito in materia gravi, quasi ex opere operato, consequi obligationem gravem.

Contrarium tamen verius & probabilius videtur: nempe, quòd possit legislator, ferens legem circa gravem materiam, suam intentionem non obligandi, nisi tantum ad culpam venialem declarare, ac proinde, quòd lex ab eo lata in ejusdem transgressores tantum præ se ferat hanc culpam. In primis id mihi sentire videtur D. Thom. *quodl.* 1. *q.* 9. *art.* 4. ubi docet, quòd neque ea, quæ traduntur in Regula per modum statuti, sive ordinationis, nec similiter Prælatus (qui est Regula animata) obligat semper ad peccatum mortale in suis mandatis. Et supponere videtur D. Thom. id etiam contingere, suppositâ quacunque materia adhuc gravi: nam loquitur de esu carnium, & aliis observantiis, quæ utiles & graves in Ordinibus reputantur: & in quibus inest capacitas & pondus, ut possint sub gravi præcepto imponi: imò & passim sub tali onere præcipiuntur. Quod fieri non posset, nisi alias esset gravis materia.

Imò expressè ipse Divus Thomas ait, esum carnium non esse peccatum mortale, quia in Regula Divi Benedicti non est sub præcepto (nempe

pe districtè sumpto:) & idem affirmat de fractione silentii. Sentit ergo, quod si hæc essent sub præcepto, obligarent ad culpam mortalem: & tamen tradita per modum statuti obligant solum ad veniale: ergo sentit Divus Thomas, quod potest fieri statutum in materia gravi, cum sola obligatione culpæ venialis. Et hoc in sensu intelligit Navarr. *Cap. 23. n. 49.* hunc locum D. Thomæ, & communiter Canonistæ.

Præterea adhuc clariùs fatetur id D. Thomas *1. 2. quæst. 105. articulo 2.* ubi gravitatem præceptorum & eorum obligationem, docet, desumendam esse ex voluntate præcipientium. Ex quo infert, aliter esse dignoscendam gravitatem divini præcepti, aliter verò humani. Nam illud quanto datur de meliori materia, tanto ejus inobedientia & transgressio gravior est. Quia, cùm voluntas legislatoris (nempe DEI) semper feratur in bonum: quanto aliquid est melius, tanto magis DEUS vult, illud impleri. Unde, qui inobediens est præcepto de dilectione DEI, magis peccat, quam qui transgreditur præceptum de non furando. Voluntas verò humani legislatoris non semper fertur in melius: & ideo ubi obligamur ex solo hominis præcepto, non est majus peccatum ex eo, quod majus bonum prætermittatur; sed ex eo, quod præteritur id, quod est magis de intentione præcipientis. Apparet ergo, D. Thom. gravitatem transgressionis humanæ legis non pensare ex gravitate materiæ solùm, sed etiam ex intentione præcipientis.

Ex quo fit, secundùm mentem Divi Thomæ, posse subditum minus peccare, si præceptum circa materiam graviorem ab homine latum prætermittat, dummodo sibi constet, intentionem præcipientis non fuisse in illo ita arctè obligandi, ac si transgrediatur aliud præceptum sibi impositum circa materiam minus gravem, dum constet in eo strictius prælatum obligare voluisse. Si ergo ex mente Divi Thomæ omnis obligatio legis tanquam ex principali & potissima radice, à voluntate legislatoris dimanat, ita, ut legislator possit in materia gravi, ut octo, imponere obligationem gravem, ut unum: cur etiam non erit in ejus potestate (supposita materia gravi) obligare tantum ad culpam levem? cum par sit utriusque ratio. Nec video, cur possit intra limites culpæ mortalis, ejus gravitatem, stante eâdem materia, augere, aut diminuere, & non possit hanc gravem obligationem auferre, & solum levem imponere: cum certè difficilius primum, quam secundum appareat.

Tenet præterea hanc sententiam expressè D. Bernardus qui *lib. de præcepto & dispensatione* sic ait: *Majora, minoraque mandata dixerim, secundum quod majus minusve velle constituerit ipsum, qui præcipit, sive hominem, sive DEUM.* Et *infra* loquens de præceptis politivis in sua Regula traditis, & ut condistinguuntur contra præcepta naturalia, & contra alia præcepta positiva leviora, (ex quo clarè constat loqui de illis in materia gravi,) ait: *Præceptum superiorii obnoxium facere subditum suo mandato, mandatumque peccato, non tamen magno, si contemptu defuerit.* & infra: *Hæc ergo generalis regula sit: si universorum, quæ per se nec bona, nec mala sunt: aut divina institutione, aut propria cujusque professione fixa non sunt: ut non jussa quidem, licitè utrumlibet vel admittantur, vel omittantur: jussa verò, sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur.* Hæc Bernardus. Intelligit tamen ibi nomine culpæ, non mortalem, sed venialem, ut distinguitur contra crimen lethale, ut ipse sæpius clarè innuit, & patet ex illis verbis antecedentibus, in quibus loquens de risu, vel silentio interdicto ait: *In peccatum reputantur, non tamen in crimen.* Ubi distinguit crimen, quasi mortalem culpam, contra peccatum, quod accipitur ibi pro veniali culpa.

Præterea hujus sententiæ fautores sunt omnes illi, qui docent, posse fieri vorum in materia gravi, quod solum obliget ad venialem culpam: in quo expressè eam amplectuntur omnes Doctores, qui docent, civilem legem solum obligare sub veniali, ut Richard. *quodl. 1. quæst. 19.* Angelus *verbo* obedientia §. 1. & alii Canonistæ apud Sylvest. verbo (*lex*) §. 8. expressius tamen omnibus Navarr. *d. Cap. 23. n. 49.* absolutè docens, omnes leges, etiam Canonicas, quæ non habent expressa verba præceptiva, sed solum constitutiva, aut ordinativa, non obligare ad peccatum mortale, sed tantum ad veniale, dummodo ferantur de materia, quæ de se aliàs non sit præcepta, nec obliget ad peccatum mortale. Solum enim apponit hanc expositionem Nav. quia loquitur ibi universaliter, etiam de his legibus, quæ in materia gravi feruntur. Hancque censet fuisse D. Thom. sententiam *d. artic. 9.* & communiter approbatam à Panormitano, & ceteris Canonistis in C. *Nam concupiscentiam* de constitut. quam novissime amplexi sunt Gutier. *C. 7. n. 20.* asserens, quod lex humana justa, & de re gravi obligat illius transgressorem ad culpam mortalem, aut venialem, juxta variam legislatoris voluntatem: Henriquez *libro 4. cap. 7. numer. 1.* & *Cap. 8. numer. 2. in 3. Tomo* suorum operum, qui licet publicè editus non sit, eum tamen jam typis excusum Salmanticæ vidi. Inclinat apertè Cajetanus *d. quæstione 186. articulo 9. dubio penultimo*, & clarius colligi potest ex *opusculo 25.* & probat Navarr. *ubi supra.*

Angelus. *Sylvester.* *Navarrus*

Primò, quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. Secundò probatur, quia potest legislator in materia gravi transgressoribus majorem vel minorem pœnam infligere: ergo & culpam, quia major est connexio pœnæ ad culpam, quàm sit obligatio culpæ mortalis cum materia gravi præcepta: sed potest legislator pœnam sine culpa transgressoribus inferre, vel minorem pœnam, quam sit culpa, & causa in transgressione legis: ergo similiter, supposita materia gravi, potest imponere solum levem, & venialem culpam. Antecedens probatur, quia pœna semper includit relationem ad culpam, saltem præsumptam: culpa verò gravis nullam habet connexionem cum materia gravi, cum hæc præcipiatur sæpius sine impositione ullius culpæ.

Tertiò, quia si non est in potestate præcipientis, in materia gravi transgressorem sub levi culpa ligare, maximè, quia non est in ejus potestate, ut tunc subditus grave mandatum prætermittens graviter non peccet, ei non obediendo (ut assertores contrariæ sententiæ prædicant:) sed tunc adhuc est in ejus potestate, ut hæc gravis transgressio, inobedientia non sit: ergo & ut sub levi culpa ligare possit. Minor probatur: quia inobedientia formaliter sumit specificationem à transgressione rei præceptæ, in

quantum procedit à voluntate superioris : & sic, cum tunc voluntas superioris non sit, graviter subditum obligare , nec velit subditum ita arctè obedire, sit, ut in ejus potestate sit, ut inobedientia hæc gravis non sit.

Ultimò , quia communis consensus tenet, multa juris præcepta, ut sunt ea, quæ traduntur in *Cap.* Cùm ad monasterium, *de statu Monachorum*, & in aliis juribus , quæ disponunt circa Religiosorum vestes , silentium , refectorium, & alia, tantum esse obligatoria ad veniale ; de quo videndus est Antoninus *3. parte titulo 16. §. 7.* Verè igitur affirmari potest , in materia gravi posse ferri præceptum , quod tantum obliget sub culpa levi. Quæ autem sit materia gravis , vel levis, non est hujus loci determinare. Sufficiat ex alibi disputandis supponere, materiam gravem non posse definitione aut Regula certa comprehendi , sed potius relinquendam esse prudentis arbitrio. Quando verò , vel quibus circumstantiis consideratis , prudens arbiter id pensare debeat, latius in *materia de obedientia* dicemus.

Cap. Cũ ad monasterium de statu Monach

Legislator exponens suâ voluntatem non esse obligare ad culpam, licet verbis præceptivis in materia gravi utatur, lex ejus nullatenus in materia gravi ad culpam obligat.

Ad objectionem contrariæ sententiæ dicendum est, quòd eo ipso, quod legislator declarat, suæ intentionis non esse , graviter obligare , ex consequenti aufert à subdito onus gravioris transgressionis, sive inobedientiæ.

Quarta Regula. Dum legislator explicat, suam voluntatem non esse obligandi ad culpam, etiam si verbis præceptivis in materia gravi utatur , ejus constitutio nullatenus etiam in materia gravi ad culpam ullam obligat. Hæc regula constat clarè ex communi omnium fere Religionum consensu , in quibus Constitutiones variæ verbis præceptivis, & in materia gravi traduntur : & tamen , quia ab eorum Conditoribus declaratum est , suæ intentionis non esse, subditos ligare in conscientia, fit , ut ab hac obligatione omnino liberi maneant.

Quando legis obligatio, nec ex verbis præceptivis, nec ex alio signo innotescit, recurrendum ad pœnam trãgressoribus impositã.

Quinta Regula. Quando neque ex verbis præceptivis , neque ex alio signo colligi potest obligatio legis , recurrendum est ad pœnam, quam legislator transgressoribus imponit : ex gravitate enim hujus non incongruè legislatoris voluntatem conjectamus. Hæc regula, ut jacet, communis est ; sed quia à nobis pro nunc ad unguem examinanda non est, quia parum conducit ad præsens propositum ; ideo ea , quæ de lege pœnali tam temporali , quam spirituali pœnam infligente adduci hic possent, consulto prætermittimus. Hactenus de Regulis ad investigandam & dignoscendam legis obligationem secundum se sumptæ disputavimus : restat, ut jam de lege , prout usu & consuetudine recepta est, disseramus.

Communis populi consensus ac cõsuetudo piorum, aut majoris partis communitatis est legitima legis promulgatæ interpretatio.

Ideo sit ultima regula. Vera, & potissima interpretatio obligationis cujusliber legis jam promulgatæ & receptæ est communis populi consensus , communisque usus , & consuetudo piorum , aut majoris partis Communitatis. Nullus est enim alius legis fidior interpres, nec securior, ac certior glossa, quam consensus populi consuetudine firmatus. Hanc regulam ita perspicuam , & notam judicat Cajetanus, ubi *supra d. art. 9.* ut existimet , nulla probatione indigere. Probari tamen potest ex *Cap.* Dilectus *de consuetudine* , ubi Innocentius: *Consuetudo* (ait) *est optima legum interpres.* Idem docet D. Thomas *1. 2. quæstione 97. art. 3. in corpore*, & communiter Summistæ verbo (*consuetudo*) & Canonistæ *dicto* Cap. *Dilectus.*

Cap. Dilect. de consuet. Innocent. Summist. Canonist.

Et ratione confirmatur : primò, quia si consuetudo vim habet abrogandi legem , & auferendi ab ea omnem obligationem : cur non & interpretandi ? Consuetudo autem in hoc proposito dicitur communis consensus eorum , qui sub tali lege vivunt. Nec in hac consuetudine, sicut in aliis , requiritur temporis diuturnitas, sive præscriptio, sicut eruditè docent Castrensis, Aretin. Socinus senior, & alii relati à Menochio, *de arbitrariis Tom. 1. lib. 2. Cap. 399. n. 11.*

Secundò probatur, quia in Regula D. Augustini, & Benedicti, multa antonomasticè præcipiuntur, & tamen neminem obligant ad mortale : cum tamen professores Regulæ B. Francisci variis implicentur præceptis. Cujus diversimodæ obligationis non invenio aliam causam, nisi quod, consuetudine interpretante, in Ordine Minorum ab ipso Religionis primordio apud omnes ejus proceres , & litteratos receptissimum semper fuerit , universa suæ Regulæ mandata prævaricantes lethalis criminis fuisse participes : cujus contrarium in Ordine D. Benedicti, Augustini, aut aliis, contrario etiam consensu , & consuetudine introductum est. Quare, cum neque utrobique deficiant præceptiva verba, & subsit materia gravis, fi , ut rota obligandi, vel non obligandi ratio à consuetudine derivata sit.

A quo autem accipiat consuetudo hanc interpretandi potestatem, primò affirmari potest, eam ex vi legis naturæ , consuetudini innatam esse : lex enim naturalis dictat, singulas Communitatis partes debere obedire, & conformare se cum voluntate totius Communitatis : ex quo fit , ut securè sequantur consensum totius Communitatis. Vel præterea alia ratio reddi potest non minus certa aut firma, nempe, legislatores tacitè velle obligare Communitatem, sicut ipsa pro majoris suæ partis consensu se voluerit obligare.

SECVNDA PARS.

De obligatione nostræ Regulæ.

His igitur præmissis , ad principalem quæstionem accedamus, & nostræ Regulæ obligandi vim ex dictis conjiciamus : est enim hæc difficultas jam pridem inter nos simul cum Reformatione exorta : & tam inter nostri Ordinis professores , quam inter alios extra Ordinem Authores pios, & doctos, sæpe exagitata : quorum alii rigidissimam censuram , alii mitiorem, alii verò nullam de hac Regula proferentes , in varios sensus , & opiniones divisi sunt. Nam ex his Authoribus plerique ad mortale , alii ad veniale peccatum , nonnulli vero neutro modo obligare censebant.

Proponuntur argumẽta, quæ videntur probare Regulam Carmel. ad culpã mortalẽ obligare.

Priorum sententia, quod Regula ad mortalem culpam obliget , sequentibus rationibus probari potest. Prima , quia (ut author est D. Thomas, *2. 2. quæstione 186. articulo 9*, communiter ab omnibus in hac parte receptus) in Regula, præter tria vota, quodcumque aliud præceptum positum obligat sub mortali , & res est evidens

evidens ex superioribus dictis: sed in nostra Regula omnia, quæ in ea continentur (exceptis his, quæ per modum monitionis, & exhortationis traduntur) cadunt sub præcepto: ergo omnia in ea contenta cadunt sub mortali. Minor hujus rationis ex eo constat, quia quotiescumque in aliqua Constitutione ponuntur similia verba: *Præcipimus, mandamus*; sine dubio Constitutio est præceptiva, maximè verò, si eis adjungantur alia verba, quæ horum vim augere solent, ut: districtè præcipimus, &c. quod supra etiam latius ostendimus. Cùm ergo in nostræ Regulæ vestibulo stabiliatur quoddam generale præceptum, extendens se ad omnia, quæ in ea continentur, ut patet ex illis verbis, quibus utitur INNOCENTIUS Pontifex, nempe: *Religioni vestræ quæ fungimur authoritate mandamus, ut eam firmiter observetis*: imò & in fine ejusdem Regulæ simile huic apponatur universale præceptum, totam regulam respiciens, illamque comprehendens illis verbis: *Hæc breviter scripsimus vobis, religioni vestræ formulam statuentes, secundùm quam in posterum vivere debeatis*: verbum enim (*debere*) (præcipuè si de imperativo loquatur) inducit præceptum, ut supra ostendimus: fit profectò, manifeste omnia, quæ in Regula decernuntur, obligare ad mortale, cùm ea omnia sub his duobus præceptis in initio & regulæ fine appositis includantur.

Nec valet, si quis vim argumenti conetur evadere, dicens, simile præceptum reperiri in Regula D. Benedicti. Is enim suam Regulam sic exorsus est: *Ausculta, ô fili, præcepta magistri, & efficaciter comple, &c.* & præterea D. quoque Augustinus in sua Regula ait: *Hæc sunt, quæ ut observetis, præcipimus.* Et tamen, quamvis horum Patrum prædicta verba præceptum sonare videantur, adhuc eorum Regulæ statura ex communi consensu Doctorum (exceptis his, quæ de tribus votis feruntur) non obligant ad mortale.

Reg. Benedicti.

Reg. Aug.

Nam contra hoc in primis militat, non esse ita certum, prædictas Augustini & Benedicti Regulas non obligare sub mortali. Nam in primis de Augustini Regula expresse id sentiunt Henriques de Gandavo, & Joannes de Neapoli, & alii, quorum meminêre Umbertus in expositione ejusdem Regulæ, & D. Antoninus 3. *parte, titul.* 16. §. 6. qui non multum ab hac sententia dissentire videtur. Præterea de Regula D. Benedicti D. Bernardus in libro de dispensatione & præcepto, sic ait: *Omnia contenta in Regula Divi Benedicti, non profitentibus (id est Novitiis) monita, seu consilia sunt censenda, nec gravant non servata: cùm tamen professionis præcepta, prævaricantibus in crimina fiant.* Insuper, quia, quicquid sit de verbis præceptivis prædictorum Patrum Regulis insertis: & quamvis in eis fateamur, non inesse vim præceptivam, in nostra tamen Regula est omnino diversa ratio. Tum primò, quia in illis jam communi consensu & recepta consuetudine enervata est vis & robur obligandi horum verborum: in nostra verò non constat de tali consensu. Tum secundò, quia verbis præcipiendi in nostra Regula addita sunt alia, quæ eorum vim, & legislatoris intentionem fuisse obligandi, magis declarant, ut sunt: *Quæ fungimur auctoritate*; & illa, *Firmiter observetis.*

Secunda ratio. Olim, ante mitigationem ab *Eugenio* factam, hæc eadem Regula obligabat sub mortali: quod ex eo maximè licet colligere, quia antiqui nostri Ordinis scriptores textum hujus Regulæ tradentes, & ejus singula capita distinguentes, ea sub præcepti tit. narrant. Sic Paleonydorus, qui, vigenti nondum elapsis annis post mitigationem, scripsit, hanc nostram Regulam referens, singulis capitibus hoc ordine præcepta conjungit, ut primum Cap. primum præceptum, & deinde secundum Cap. secundum præceptum appellet, & sic usque ad 12. præcepta recenseat.

Et confirmatur: quia pristini Ordinis professores à summis Ecclesiæ Pastoribus hujus Regulæ mitigationem, instanter postularunt, quæ non levis mihi conjectura est, ea ætate Regulam, ut obligatoriam fuisse receptam; cùm nulla Regula in Ecclesia DEI à sua primæva institutione & rigore fuerit relaxata, aut declarata, nisi illæ tantum, in quibus obligatio culpæ agnoscebatur. Imò nullam aliam invenio, nisi D. Francisci regulam, ob hanc eandem causam à *Clemente V.* mitigatam, seu (ut proprius loquar) declaratam: & nostram, quæ non semel, aut bis, sed quater, aut quinquies correcta, declarata, ac mitigata est. Signum ergo est, professores Regulæ ad hujusmodi mitigationem postulandam, metu gravioris culpæ fuisse coactos.

Tertia ratio. Quia verba imperativi modi, suppositâ aliâs materiâ gravi, obligant ad culpam gravem, & præcepto stricto æquivalent, ut ex dicta *Clementina* Exivit, §. *Nam etsi*, ex mente Panormitani, & communi supra ostenest. At in multis nostræ Regulæ articulis (imò ferè in omnibus usque ad exhortationes) omnia sub tenore verborum imperativi modi traduntur: nec dubitari potest, materiam omnem his articulis comprehensam, utilem, necessariam, & cujuslibet obligationis capacem esse: ergo prædicta omnia cadunt sub præcepto lethalis culpæ. Quòd verò in his materia sit gravis, à posteriori demonstratur: quia similes materiæ in aliis Regulis, sive Ecclesiasticis legibus, ac Religionum Constitutionibus, strictè obligant, & non est, qui possit dubitare, supra quemlibet Regulæ articulum ferri posse à Prælatis præceptum strictè obligans ad mortale: quod evidens signum est, materiam cujuslibet esse gravem.

D. Clem. Exivit. par. Nam etsi.

Quarta ratio. Quia hoc quasi evidenter ipsius Regulæ processus demonstrat. Quid enim aliud sibi vult illa manifesta distinctio, quæ in Regula fit, in qua post tradita priora, & præceptiva ejus capita, distinguuntur exhortationes, & separatim sub titulo exhortationum traduntur? nisi clarè & apertè secernere præcepta, & potissima mandata à consiliis, & ab iis, quæ præcepta non sunt. Et confirmatur: quia ex ipso etiam processu literæ manifestè cognoscitur, omnia, quæ in Regula ponuntur ante exhortationes, esse verè leges, & præcepta. Traduntur enim breviter, succinctè, ac per modum Canonis, sive Regulæ, authoritativè statuendo, ac imperando absque ulla probatione, aut corroboratione. Postea verò cum ad exhortationes pervenitur, omnino stylus in alterum mutatur: qui magis accedit ad suadendum, vel dissuadendum, quam ad statuendum, vel imperandum.

Ultimò,

Ultimò. Quia saltem si nostra Regula exactè consideretur, & rationes quæ pro hac, & alia parte urgent, appendantur: certè reddunt dubiam propositam quæstionem, & sufficientem causam scrupuli præbent. Sed cum dubitatio oritur, an Regula obliget, necne, tutior pars est amplectenda, ea nempe, quæ obligationem tuetur, ac docet: ut in simili specie loquens de Regula beati Francisci, docuit *Clemens V.* in dicta *Clementina Exivit*, §. Item quia, & facit Cap. *consilium*, & ibi glossa de observatione jejunii, & C. *juvenis de sponsalibus*, cum similibus; & latè probat Felinus in C. *auditis*, penultimo *de præca. juvenis scripts.* & Castro *libro 1. de lege pœn. docum. 4. in fin.* Ergo saltem ob hanc rationem reputanda est Regula ut obligatoria ad levialem culpam.

Clemēs V. Cap. cōsil. & ibi gloss. de observ. jejunij, & de præca. juvenis scripts. de Spōsal.

Contraria sententia efficaci probatur argumento.

Pro contraria verò parte, quod Regula nostra tam gravem (ut superior tenet opinio) non præ se ferat obligationem, est efficax argumentum. Quia ex acceptatione legis, & communi consuetudine eam recipientium, tanquam ex evidentiori signo, & certiori conjectura, pensanda, ac conjicienda est ejus obligatio, ut supra ex communi omnium sententia præscripsimus. Ubi etiam docebamus, omnes alias conjecturas ac regulas, ad cognoscendam legis obligationem, aliquando esse incertas, ac fallibiles: hanc verò, (nempe, recipientium consensum) solam ut magistralem, ut certam, ut infallibilem, ac ut superiorem omni exceptione tradidimus. Quare, cum in nostra Religione nunquam fuerit receptus talis Regulæ sensus, aut obligatio, neca majori, neca minima ejus parte, à primo limine approbatus: sed potius contrarium Religionem profitentibus prædicere, ac de nostra Regula commendare soleant Prælati pii, ac docti, nimirum nihil in ea, præter tria vota, transgressorem, reum constituere culpæ mortalis: evidens signum est, Regulæ mandata sive præcepta nullam similem suis professoribus obligationem imponere.

Hoc manifestè constat ex Constitutionibus Congregat. nostræ Italicæ, quæ *1. part. Cap. 1. n. 4.* de Regulæ obligatione sic loquuntur: *Regula excepto voto, & officio divino, ibi contento, ad culpam tantum venialem obligat.* Idem tradunt Constitutiones Congreg. nost. Hispanicæ *1. part. Cap. 1. num. 6.*

Pro certiori resolutione recolendum est, ex D. Thoma *2.2. quæstione 186. articulo 9. ad primum*, triplicem esse profitendi formam, ac modum. Primus est, quando quis absolutè profitetur Regulam: & tunc non tenetur sub mortali servare omnia, quæ sunt in Regula, sed tantum vovet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus votis. Secundus modus est, quo (teste D. Thom.) in aliquibus Religionibus cautius aliqui profitentur, non quidem Regulam, sed vivere secundum Regulam, id est, tendere ad hoc, ut aliquis conformet actus suos secundum Regulam, sicut secundum quoddam exemplar. Tertius est, quo adhuc in quibusdam aliis Religionibus cautius emittitur professio, dum Novitii tantum profitentur obedientiam secundum Regulam: & tunc professioni non contrariantur, nisi ea, quæ sunt contra præceptum Regulæ. Transgressio verò vel omissio aliorum solum obligat ad peccatum veniale. In hoc verò triplici profitendi modo, quantum ad obligationem majorem, vel minorem, nullum est discrimen: & idem censeo de aliis profitendi formulis, quibus hodie variæ Religiones utuntur, de quibus in *Tractatu de professione* dicemus.

Triplex profitendi forma ac modus ex sancto Thoma traditur & exponitur.

Omnes igitur, qui prædictis modis profitentur, non tenentur ex vi professionis servare sub mortali omnia, quæ in Regula continentur; quia cum isti tantum profiteantur servare Regulam, ut ipsa proponitur servanda, nimirum præcepta, ut præcepta, & consilia, ut consilia: non est cur ad omnia sub mortali obligati dicantur, ut expressè decernitur in dicta Clementina *Exivit*. Et ex eo apertè probari potest. Nam qui profiteretur servare legem Evangelicam, certum est, non intendere se velle in omnibus æqualiter obligari, sed potius pro qualitate rerum, & diversorum præceptorum, & consiliorum. Quare, cum Populus Israëliticus *Exod. 24.* & *Josue ultimo*, juramento & anathemate se obligaret *ad præstanda ea, quæ Dominus fuerat loquutus*: non est credendum, obligasse se ad omnia legis servanda sub mortali: alias juramentum esset valdè temerarium. Idem igitur censendum est de eo, qui profiteretur servare totam Regulam.

D. Clem. Exivit.

Exod. 24. Josue ult.

An verò is, qui profitetur servare Regulam, transgrediens præcepta Regulæ, sit reus voti solennis, ac teneatur vota Regulæ præcepta; an verò tantum dicendus sit præcepti prævaricator, latius, dum de voto obedientiæ tractaremus, à nobis elucidatum est.

Prima conclusio. Si nostra Regula in se consideretur, omnino præceptiva (etiam sub reatu culpæ gravis) videtur: de facto tamen jad mortale nullatenus obligat. Prima pars hujus conclusionis sufficienter confirmatur argumentis ac fundamentis superius pro contraria parte adductis. Secunda etiam ex dictis constat: quia cum hæc Regula non sit recepta, ut obligatoria ad mortale, non est dubium, de facto ad talem culpam non ligare: est enim contensus, & consuetudo recipientium legem, tantæ vis, ac roboris, ut ab ea omnis potestas obligandi in lege dependeat. Neque alia efficax ratio reddi potest, quare Regulæ Benedicti, Basilii, & Augustini, aliorumque Patrum suos professores strictè non obligent, D. verò Francisci ita arctè gravet, nisi quia illæ usu & moribus eas profitentium sub gravi obligatione non sunt receptæ: ista vero à principio apud omnes ejus familiæ Fratres, ut præ se ferens contra transgressores levialem culpam habita est.

Secunda conclusio. Omnia, quæ sunt in nostra Regula per modum præcepti exposita, ad minus obligant ad peccatum veniale. Hæc conclusio est D. Thom. *ubi supra*, qui in solutione ad primum ait, quod omnia, quæ sunt contra præcepta Regulæ, (nempe contra præcepta strictè sumpta) obligant ad mortale: transgressio verò aliorum ad veniale tantum. Et probat D. Thom. quia omnia alia præter tria vota, sunt dispositiones ad principalia vota servanda, tanquam media ad finem; & cum peccatum veniale tantum sit dispositio ad mortale, & de se non tollat finem, sed impediat aliquo modo, ideo transgressio eorum, quæ sunt in Regula, de se obligat ad veniale.

Secundò probatur ex eodem D. Thoma *quodlib. 1. articulo 20.* ubi expressè innuit hanc eandem sententiam, nimirum, omnia, quæ sunt in Regula, ad minus obligare ad culpam venialem. Et clarè ibi docet D. Thomas, quod, præter

præter præcepta Regulæ, ea omnia, quæ traduntur in ea per modum cujusdam ordinationis ac statuti, obligant ad culpam venialem. Igitur à fortiori obligare debent ea, quæ per modum præcepti statuuntur, ut in nostra Regula fit.

Præterea de Regula Divi Augustini, quod saltem ex se obliget ad culpam venialem, docet idem D. Thomas *dicta quæstione 186. articulo 9. ad primum*, in his verbis: *In aliquæ tamen Religione (scilicet Ordinis Prædicatorum) talis Regulæ transgressio non obligat, neque ad culpam venialem, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam: quia per hunc modum professores hujus Regulæ ad eam observandam obligantur.* Sentit ergo D. Thomas Regulam D. Augustini in aliis Religionibus ex se saltem obligare ad venialem culpam, quamvis in Ordine Prædicatorum per accidens (quia professores non intenderunt se ad culpam, sed tantum ad pœnam obligare) non obliget. Sicut posset quis in voto, quod alias de se obligat in conscientia, obligari tantum ad pœnam à se constitutam. Et idem de Regula D. Augustini, quod obliget saltem ad veniale, fatetur Cajetanus *Tom. 1. opusc. 25. articulo 1.* & non minus expresse in *dicto articulo 9.* circa responsionem *ad secundum prope fin.* Imò & D. Antoninus *ubi supra* §. 6. affirmat, esse aliqua præcepta, præter tria vota: licet non explicet in specie, an præcipiatur sub veniali, vel mortali. Et idem videtur sentire Umbertus, & Joannes Dominicus in *Exceptione ejusdem Regulæ* apud eundem Antoninum §. 5. & 6. Loquuntur tamen hi de Regula secundum se.

De Regula quoque D. Benedicti non obscurè affirmat idem D. Thomas *dicto quodlib. 1.* fusius tamen & clarius D. Bernardus, *de præcepto & dispensatione*, ferè per totum: ubi, si attentè legatur, in Regula D. Benedicti, secluso contemptu, tantum obligationem ad veniale docet & probat. Idem sentit Turrecremata, in *Exceptione ejus Regulæ*, circa principium: & illum sequitur D. Antoninus, *ubi supra* §. 7. Qui in Regula D. Benedicti, præter tria vota, & ea, quæ alias lege DEI sunt præcepta, tantum in ceteris statutis & ordinationibus prædictæ Regulæ agnoscunt obligationem ad venialem culpam.

De nostra verò Regula in specie, quod obliget solum ad veniale, videtur colligi ex eodem Antonino, *ubi supra* §. 8. *prope fin.* dum docet, esse ordinationes quasdam per modum Regulæ traditas. Appellat autem consulto eas ordinationes, potius, quam præcepta. Quare æquo pede, ac in aliis, fatendum est, in nostra Regula hanc solum venialis offensæ obligationem latere.

Hanc D. Thomæ sententiam, qua docet, omnia, quæ sunt in Regula, ad minus continere contra transgressores culpam venialem, communiter sequuntur Canonistæ, ut videre est apud *Abbatem* Cap. *relatum*, Ne clerici vel monachi, Archid. *Cap. 1. 27. quæstione 1.* Immolam, & Felin. in *Cap.* Nam concupiscentiam *de Constitution.* Tenet idem Antoninus *3. parte titul. 16. §. 5.* & communiter Summistæ, qui omnes cum D. Thoma sentiunt, omnia quæ traduntur in Regula, quæ consilia non sunt, obligare ad minus ad veniale.

Legend. Monst. Antonius à Spiritu S. *part. 2. Directorij Regul. Tract. 3. disp. 6 sect.* 2. qui ibidē è nostris hos citat Authores: Alphonsum à JESU MARIA in suo opere inscripto *doctrina Religiosorum* &c. Joan. à JESU MARIA *Tract. 1.* Scholæ orationis *Notab. 8.* Francisc. à S. Elia in Comment. Regul. supra illa verb *Fratrum B. MARIÆ* Hieron. Gratian. *in disciplina Regul. Cap. 1.* Joā Pintum de Victoria in *Hierarchia Carmelitana Tract. 2. Cap. 23.* Lazarā *Tom. 1. q. Regul. c. 7 num. 6. & seqq.* & *Tom. 5.* scribens in Mare magnum Carmel. his præter alios addēdus Daniel à Virgine MARIA in *Vinea Carmeli nu. 33.* & in *speculo Ordinis Carmel. n. 2796*

Probatur deinde ratione. Quia in nostra Regula satis apertè constat, multa tradi sub forma præceptiva, ut 1. & 3. *argumento* pro contraria parte adducto probatum est. Præceptum autem ex se vel obligat ad mortale (si strictè feratur, & contraria consuetudine non temperetur, & hoc in nostra Regula locum non habet ob rationem dictam,) vel obligat ad veniale: de se enim præceptum saltem hanc obligationem præferre debet, maximè, si contraria consuetudine non abrogetur: ergo in nostra Religione, ea, quæ in Regula traduntur, obligant ad venialem culpam. Nec potest quis verè affirmare, communi consensu hanc vim obligandi etiam ad veniale esse extinctam: quia potius ferè omnium Religiosorum nostrorum consensus & sententia in hanc partem semper inclinavit: & ita hodie passim tam Prælati, quam subditi, tam docti, quam indocti, una mente, & ore fatentur.

Quod si aliqui contrarium aliquando conati sunt persuadere, hi vel pauci, vel minus periti, aut docti fuerunt. Imò si idem aliqua magna pars Communitatis sentiret, parum certè obstaret. Tum primò, quia contrarium majori parti semper, ut verius & probabilius, placuit, & modò omnibus ferè placet. Tum secundo, quia posito, quod Religio in studia contraria divideretur, tunc sentiendum esset de Regula secundum se, & non prout est consensu recipientium declarata: & sic manerent Regula & ejus præcepta in sua vi, & ad minus obligarent ad veniale. Et fortè, si consensum recipientium excludamus, timeri potest de lethali obligatione.

Tertiò probatur, Quia vel loquimur de Regula secundum se, aut de illa, ut est jam usu & consuetudine declarata: utroque autem modo obligat ad veniale: nam de se cundo certum est ex dictis; de primo verò probant prædicta testimonia Divi Thomæ, & rationes nuper adductæ: constat enim manifestè, Divum Thomam loqui de Regula secundum se.

Dixi *ad minus obligare ad veniale*, quia ad mortale minimè obligat, tum ob rationem in prima conclusione allatam; tum etiam, quia dum apertissimè non constat de mente Institutoris Religionis, voluisse, scilicet, lethalem obligationem subditis imponere, non est præsumendum de tali obligatione. Quia sancti Patres (ut rectè Divus Thomas *dicto quodlibeto* ait,) qui Religiones instituerunt, noluerunt hominibus injicere damnationis laqueum, sed potius viam salutis aperire. Quia alias forte majus periculum esset in Religione, quàm in sæculo. Ac proinde censendum est, omnes alias observantias, (præter tria vota,) nisi aliàs evidentissimè constet de mente legislatoris, tantum ad venialem culpam, minimè ad lethalem obligare.

Observandum tamen est, Regulæ transgressionem, licet non pertingat usque ad lethale crimen, intra limites vero venialis offensæ, esse certè gravissimam inobedientiam. Quæ gravitas primo sumitur ex parte præcipientis, quia gravior inobedientia est, prætermittere præceptū Superioris, quam inferioris Prælati: & sic gravius est, Regulæ, quam Constitutionum ac alio.um

aliorum Prælatorum mandata frangere. Tum etiam, quia tunc gravior est transgressio, quando præsumitur id, quod est magis de voluntate legislatoris, ut supra ex D. Thoma docebamus. Constat autem, omnia, quæ in Regula constituuntur, esse magis à legislatore volita. Nam cum posset (exceptis votis) alia consulendo, aut ordinando, & stabiliendo tradere: his non contentus, suam obligandi voluntatem verbis præceptivis, non utcumque, sed aliis, quæ eis firmitatem & vim adferrent, adjunctis, ut sunt, *Quæ fungimur authoritate, firmiter, &c.* & non solum præceptis generalibus, sed specialibus, manifestavit.

Jam argumenta in contrarium facta facilè ex dictis solvuntur. Nam primum tantum probat, in Regula reperiri aliquot præcepta, & ea fortè, si secundum se spectentur, obligare ad mortale: quia tamen non sub hac obligatione, sed tantum sub veniali recepta sunt, ideo eorum transgressores excusantur à mortali culpa.

Præter argumẽta pro prima sẽtentia supra proposita adducit alia Francisc. à S. Elia *loco citato pag 49. & seqq.* atque uberius illis respondendo, plenè dissolvit.

Ad replicam respondeo, Regulam Augustini & Benedicti tantum obligare ad veniale, ut *supra* probatum est: & illud testimonium Bernardi exponunt Divus Antoninus, & Turrecremata *dicto* §. 6. dicentes, ibi beatum Bernardum non accipere præceptum propriè & strictè, sed large pro quacunque jussione, vel ordinatione: quæ, licet non constituat transgressorem reum lethalis culpæ, constituit tamen prævaricatorem cum solâ veniali offensa.

Mihi verò hæc oppositio non placet: graviorem enim culpam, quàm venialem, sonare videntur illa verba, *Cùm tamen profitentibus præcepta, prævaricantibus in crimina fiant.* Quare dicendum est, Divum Bernardum loqui ibi indefinitè de aliquibus præceptis, quæ tangunt tria substantialia vota, quæ obligant sub graviori culpa; de reliquis verò in Regula contentis apertè tradit Divus Bervardus in *dicto libro*, solum ligare ad veniale. Ceterùm, quicquid sit de Regula Augustini, aut Benedicti, de nostra indubitatè tenendum est, sub tanto onere, (nempe lethalis offensæ) non gravare ejus transgressores, propter rationes ibi adductas.

Ad secundam rationem responderi potest, quod licet ab antiquis Ordinis Scriptoribus Regula tradatur sub formâ præceptivâ, non ideo sequitur, quòd imponat nunc transgressoribus culpam mortalem: tum quia præceptum (ut superius annotavimus) communem rationem obligandi, tam ad veniale, quàm ad mortale, includit: tum etiam, quia etsi solum ad mortale obligaret, non sufficeret hoc, nisi nunc inter nos communi consensu ita esset approbatum: tum tertiò, quia, etsi fortè apud primos Regulæ professores major obligatio, quàm nunc est in Regula, agnita sit; apud posteros verò potuit contraria consuetudine prædicta obligatio extingui, aut mitigari.

Ad confirmationem, fateor libenter, eos vel agnovisse in Regula majorem, quàm nunc est, obligationem, (quod parum obstat ex dictis,) aut si eam non agnoverunt, satis fuisse arduum viris aliàs timoratis, venialem offensam suspicari, ut hoc scrupulo compellerentur ad moderationem & mitigationem Regulæ petendam.

Tertia ratio, imò & quarta eodem modo ac prima, solvuntur.

Ad ultimam verò, quicquid sit de majore argumenti, adhuc tamen nihil infertur contra nostram sententiam, cùm apud nos nemo rationabiliter dubitare possit, loquendo in rigore de dubitatione, an Regula obliget ad mortale, necne: cùm satis jam in Ordine compertum sit, minimè ad mortale obligare.

TERTIA

TERTIA PARS,

QUÆ CONTINET EXPLICATIONEM OMNIUM CAPITVM REGVLÆ ALBERTI, VSQVE AD EXHORTATIONES.

CAPUT PRIMUM.

De electione Prioris.

TEXTVS.

ILLVD in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omniumque assensu, vel majoris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur: cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare, cum castitate, & abdicatione proprietatis.

GLOSSA I.

CAPUT hoc duas continet partes: prima de Priore habendo, & de modo in ejus electione servando: secunda verò de obedientia ei promittenda, & de alijs votis, ex quibus professio regularis constat, breviter tractat.

Circa primam hujus Capitis partem in primis annotare oportet, olim apud nostri Ordinis professores Anachoreticum institutum multorum annorum spatio usque ad Aymerici Antiocheni Patriarchæ tempora floruisse: ut constat ex iis, quæ superiùs de antiquitate Ordinis tractavimus. Cùm verò Hierosolymis prædictus Aymericus Apostolicæ Sedis legatione fungeretur, & nostrorum Fratrum tunc verè Anachoretarum, juxta ELIÆ fontem in latere Carmeli commorantium, laudabilem vitam ac conversationem conspiceret, eos speciali favore, & dilectione fuit prosequutus. Quare deinceps Ordinis profectui, ac utilitati consulere volens, eos decrevit ab illo arcto & strictissimo vivendi ritu ad communem vitam ac cœnobialem reducere. Nam licet solitariæ vitæ institutum sublimioris sit perfectionis (nam eam meritò Basilius in *Epistola ad Chilonem* martyrio comparat, Nazianzen. in *Apologia pro fuga sua, cælestem vitam*, Chrysost. verò *Hom. 8. in Mat paradiso digniorem*, & *Angelicis choris* comparandam prædicant; Hier. verò *ad Eliodorum*, & *ad Eustochium*, non solitudinem, sed *Paradisum* eam vocat, & alij Patres, ut Epiphanius in *Compendiaria doctrina*, & Cassianus in *Collationibus*, multa de hujus vitæ dignitate, austeritate, & perfectione tradiderunt:) noverat tamen vir ille, esse hanc altissimam professionem paucorum, cùm sit periculis ac laboribus plena, ut passim prædicti Patres, & alij testātur: econtra verò communem vitam ac socialem magna emolumenta ac commoda ejus Athletis conferre. Complures hujus vitæ utilitates, ac Anachoreticæ incommoda & pericula D. Basilius in *regulis fus. quæst. 7.* enumeravit.

Qua in re utriusque vitæ oculatum testem Abbatem illum Joannem producamus, quem Cassianus *Coll. 9. Cap. 3.* triginta annos in cœnobij congregatione, deinde alios viginti in solitudine egisse; utrosque verò summa sanctitate ac perfectione: ac demum in illa ætate provecta ad priorem vitæ communitatem se se ultrò retulisse commemorat. Et, ut omittam alia, quæ Basilius *ubi sup.* & hic Joannes apud Cassianum de solitariæ vitæ periculis docent, hoc unum adjiciam; quòd in hac assidua nostræ vitæ super terram militia, ac incessabili pugna, & quidem de tanta re, quanta est vita æterna, nihil periculosius esse potest (ut Bernardus *serm. 3. circumcisionis* ait) quàm solum luctare velle; nihil verò tutius, quàm multorum unà pugnantium manibus adjuvari.

Confirmant hoc multorum solitariè degentium tristes exitus, qui cum multos annos in solitudine, jejunijs, vigilijs, ac summo vitæ rigore peregissent, tandem à callido & versuto hoste decepti, miserè perierunt. Nec opus est hic ampliùs in describendis cœnobialis vitæ emolumentis, ac solitariæ periculis detegendis immorari: quia de hoc (favente DEO) in *Tractatu de professione monastica* latiorem sermonem instituemus. Sufficiat nunc lectori novisse, solitariam istam vitam sociali in perfectione, ac puritate eminere: hanc verò securitate, jucunditate, facultate, ac alijs perfectionis fructibus solitariam vincere. *Aymericus* igitur his & alijs vitæ communis utilitatibus accensus, Fratres nostros ex anachoretarum vivendi norma ad cœnobiale institutum redegit, ita tamen, quòd Eremiticam vitam ad formam communem redactam, (ut nunc est apud Camandulenses; strictiorem tamen, quàm apud Carthusianos) servarent. Et sic ab eo prudenter illa strictissima nostrorum Anachoresis fuit temperata, & ad initiorem, veréque commodio-

De election. Prioris 2. p. statutorum Carthus. c. 2. De elect. Generalis & obdientia ei præstanda, ac de professione trium votorum agit Reg. B. Francis. c. 1. & 8. De obed. & paupert. Reg. Societ. Jesu p. 3. constitutionum c. 1 De obed. item, castitate & pauper. Reg. monachorum ex scriptis D. Hier. extracta, cap. 1. 3. & 4. & Regul. Monacharum D. Hier. ad scripta cap. 2. & 3. & 9.

Vitam Eremiticam SS. Patres commendant, & magnis extollunt laudibus.

Non caret multis incommodis & periculis.

A quibus immunis vita cœnobialis.

Comparatio inter vitam solitariam & cœnobialem.

diorem Eremitarum vitam, ut in Regula *Alberti* depingitur, revocata.

Quando Carmelitæ ex Anachoretica ad cœnobialem vitam transierint.

Hoc igitur tempore postquam *Aymericus* Carmeli Anachoretas sub prædicto vivendi modo coëgit, statim *Bertholdum* ejusdem Aymerici consanguineum eis præposuit, & Latinorum more, Priorem nuncupavit. Olim namque etsi omnibus Fratribus unus præesset, qui Abba Syriacâ linguâ, & Latinâ Pater dicebatur; voluit tamen, Fratres nostros, qui jam more Latinæ Ecclesiæ monachorum in communitate degebant, etiam hanc Latinæ Ecclesiæ consuetudinem tenentes, Prælatos Priorum nomine nuncupatos habere. Quare *Bertholdum* hunc ob prædictam rationem primum Priorem Generalem Ordinis monumenta recensent.

Quando eorum superior ceperit, appellari Prior?

Ex quo factum fuit, quòd, cùm Fratres novum vivendi modum ab *Aymerico* traditum libenter assumerent, novam sibi vivendi regulam fore necessariam conspicientes, (neque enim Regula *Joannis Patriarchæ* ab eis jam pridem suscepta tunc eis sufficere poterat, cum anachoreticæ vitæ institutum, de quo ipsa ferebatur, jam esset extinctum,) *Albertum Patriarcham* adierunt, ut sibi juxta novum vitæ propositum novam vivendi normam traderet. Quod satis indicant illa priora *Alberti* in Regula verba: *Multifariam multisque modis Sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocunque ordine sit, &c. vivere debeat. Verùm quia requisitis à nobis, ut juxta propositum vestrum, tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis, &c.* Propositum igitur, de quo fit hîc mentio, non est aliud, quàm illud, quod Majores nostri habuerunt vivendi in Communitate secundum formulam ab *Aymerico* descriptam: & juxta hoc sibi dari Regulam postularunt, quam Albertus tunc Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha suo jure & potestate tradidit: in qua inter cetera statuta *Cap. primum* & potissimum fuit de electione Prioris, & de modo in professione servando. Et ideo ab electione Prioris *Albertus* suæ Regulæ dedit initium dicens: *Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi omniumque assensu, vel majoris & sanioris partis, ad hoc officium eligatur.*

De quo loquatur Regula Priore, an de Generali, an de Conventuali?

Circa illa verò priora verba, *unum ex vobis habeatis Priorem*, forsan aliquis hic hæsitare poterit, de quo Priore, an de Generali, vel Conventuali illa accipienda sint? Cujus dubitationis solutio facilis est ex his, quæ Ordinis historiæ repetunt. Omnes enim affirmant (ut videre est apud Paleonydorum, *libro 3 Cap. 1.* & in *Speculo Ordinis*, & nos nuper attingebamus) *Bertholdum* fuisse primum Præpositum, sive Priorem Generalem, cui *Brocardus* in Generalis ministerio successit. Hic ab *Alberto* Regulam hanc popposcit: & hunc in Regulæ initio & fine *Albertus* alloquitur, & Priorem appellat. Quare cum hic tunc esset Generalis Prior, & Regula mentionem faciat, de Priore eligendo, fit, ut de Generali sit intelligenda. Quod ex eo confirmari potest, quia tunc licet plura essent, in Syria, & fortè per totam Ægyptum dispersa monasteria, Prior tamen Conventualis montis Carmeli simul erat omnium Generalis, sicut nunc contingit in pluribus monachalibus, ubi Prior certæ ac peculiaris domus simul ut Generalis toti Ordini præsidet; quamvis non incongruè secundò interpretari possumus prædicta verba, tam de electione Prioris Generalis, quàm Conventualis, cùm utrique possint commodè adaptari.

Ex quo fit, ea omnia, quæ in Regula nostra de Priore absolutè proferuntur, tam ad Priorem Generalem, quàm ad Conventualem spectare, dummodo singula singulis debitè accommodentur: ita, ut ea, quæ ad monasterij administrationem reducuntur, ad Priorem Conventualem referantur: illa verò, quæ ad totius Ordinis regimen spectant, ut sunt, domos recipere, & similia, Generali Priori convenire omnino asserendum sit.

Secundo circa illud verbum, *Unum ex vobis, &c.* locus erat examinandi, qualis regendi forma in Religionibus commodior sit; anne Monarchiæ, quæ ad unius principatum & dominationem reducitur, solaque unius nititur voluntate & imperio: an Aristocratiæ, in qua sceptrum optimates teneant: vel forsan Democratiæ, quæ à totius populi, sive Communitatis suffragijs, tanquam à potissimo principio dimanat? At quia nos breviter his commentarijs ea, quæ utiliora, & selectiora sunt, tradere festinamus: omissis aliis, quæ hinc inde adducta longiorem hanc tractationem redderent: id primum in hoc dubio absque controversia ex omnium fere Philosophorum sententia constituo: ex natura rei, seclusis aliis circunstantijs (de quibus infra,) Monarchiam omnes alias regendi species antecellere. Probat id inter alios doctissimè Angelicus Doctor, *opusculo de Regimine Principum lib. 1. Cap. 3.*

Secundum est, (idque ut certum multi gravissimi authores tradidêre) quòd hominum fragilitate inspecta (sumus enim omnes natura nostra in vitia proni, estque humana conditio majoribus quotidie corruptelis infesta,) utilius est & convenientius imperium ex Monarchia & Aristocratia mixtum: ita Divus Thom. *1. 2. quæstione 95. art. 4. & ibi* omnes ejus Expositores. Tradit quoque id ipsum ex sua & aliorum sententia Bellarminus, *Tomo 1. tractatu de Romano Pontifice*, statim post initium. Hæc autem mixta regendi forma tunc consurgit, cùm unus qui aliorum existit Princeps, sive Prælatus, de eorum consilio decisivo universa moderatur. Dixi, *decisivo*. Nam si aliorum suffragia tantum sint consultiva, potiùs Monarchiæ, quàm Aristocratiæ speciem retinet: utuntur enim omnes Principes, qui Monarchiæ imperio fruuntur, multorum consilio, & prudentia. Et quia istorum consensus necessario non est requisitus, ideo absoluti Principes & Monarchæ dicuntur.

Nostræ verò Religionis gubernandi forma magis ad Aristocratiam accedit, sive (ut verius dicam) ad Monarchiam mixtam. In ea enim Generalis, ex sententia & consensu Definitorum, omnia graviora disponit, gubernat, & præcipit: quamvis hodie Generalis authoritas non sine rationabili causa fuerit amplius extensa, Definitorumque coarctata: ita ut non nisi in gravissimis rationibusque casibus, eorum consensus requiratur. Hujusmodi autem regendi formulam, nostris temporibus, Religionibus bene institutis maximè convenire, pulchrè ostendit Navarrus, in *cap. Nullam 18.* quæstione *2. numero 10.* & præcipuè *numero 15.* cujus verba libuit hîc referre: Concedimus (inquit) absolute quidem & simpliciter optimam regendi speciem esse Monarchiam, qua Reges utuntur, in qua unus solus gubernat, secundùm Aristotelem receptum à D. Thom. *libro 1. de regimine Principum capitulo 3. 4. & 5.* licet soleat in Tyrannidem degenerare, quæ est pessima species mali regiminis secundùm eosdem. Concedimus item, Patrem nostrum Augustinum per suam regulam significas-

Vid. Commentat. nost. Francisci *supra citat. in hunc Reg. cum.* & Anton. à Spiritu S. *2. part. directorij Regul. Tract. 3. disput. 6. sect. 2. in Cap. 1. Reg.* & alibi citatorum Alphons. à Fossa Maria, monarchia omnes alias regiminis species antecellit. In Religionibus gubernium est monarchia & Aristocratia mixtum: utilius est in nostra Religione tale nost. constitutiones regimen decernunt, consulend. nost. Francis. à S. Elia in hunc Regul. textum.

se,

se, quod potiùs Monarchia, quàm Aristocratia, vel Democratia in suo Ordine servaretur, veriusque esse id, quod antea diximus, nempe, sanctiùs commodiusque monasteria gubernari per unum, quàm per multos, si Prælati essent Augustini, & subditi Possidonij. Atquia Prælati longe ab Augustino, & subditi à Possidonio degeneraverunt, & Monarchiæ absolutæ omnium ferè non mendicantium in tyrannidem degeneraverunt: ideo in quamplurimis Religionibus loco Monarchiæ instituta est Aristocratia, aut certè Monarchia stricta, qua unus de consensu multorum ad idem designatorum gubernat. Hæc Navarrus, *ubi supra*.

Præterea hujus regiminis, quod nunc in nostra floret Religione, vestigia quædam, etsi non valde expressa, adumbrata tamen in nostra Regula traduntur. Nam *Cap. 2. & 3.* statuitur, ut in domorum receptione, & cellarum assignatione Prior Fratrum consensum requirat, & sequatur. Quæ verba de Priore Generali intelligi, jam supra à nobis probatum manet.

Tertiò circa prædicta verba, *Unum ex vobis habeatis Priorem*, observandum est, nostræ Regulæ mentem fuisse, ut ille, qui in Priorem eligendus fuerit, sit ex nostris, & Regulæ primitivæ professor, ut constat ex istis verbis, *Ex vobis*. Quod etiam jure Canonico cautum esse video, ut constat ex *Cap.* nullus *de electione in 6.* ubi decernitur, in Abbatem non debere eligi nisi illum, qui expressè professus sit Regulam eorum, quibus præesse debet. Quod novissimè *Sessione 25. cap. 22. de reformatione Regular.* Concil. Tridentinum approbavit. Confidimus (inquit) Romanum Pontificem curaturum, ut his, qui suos conventus habent, Regulares personæ ejusdem Ordinis expressè professæ præficiantur. Quibus juribus addicti Romani Pontifices, *Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII.* à Prælatis Fratrum nostrorum, qui Regulam mitigatam observant, & eorum jurisdictione omnino nos separari, & ex ipsis Discalceatis, ac Regulæ primitivæ professoribus Generalem in nova hac Reformatione assumi, sanxerunt.

Cap. Nullus *de electione in 6.*

Vid. Antonij à Spiritu S. directorij Regular. *part. 2 Tract. 3. disp 6. sect. 2. num. 258*

Qui ex unanimi, omniumque assensu, vel majoris ac saniorispartis, ad hoc officium eligatur. His verbis brevis formula in electione Prioris Generalis servanda, à Regula describitur, statuendo, electionem fieri debere ex consensu omnium Fratrum, vel majoris, & saniorispartis. Circa hoc, illud scire oportet, Capitulum generale, quod nunc in usu est apud omnes fere Religiones, olim non viguisse, sed mortuo Priore Generali, qui per totius vitæ spatium perdurabat, alter à majori parte omnium Religiosorum eligebatur. Nunc tamen, sicut in alijs Religiosorum congregationibus, à majori parte capituli Generalis, ut jura & canonicæ sanctiones disponunt, nominatur, qui tantùm in Ordine per sexennium durat, ut in Bulla Sanctissimi Domini nostri *Clementis* Papæ VIII. decernitur. De forma autem in electione (juxta Concilij Tridentini decretum) servanda, non est hic disserendi proprius locus: videndi sunt Summistæ *verbo*, electio.

Cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeant operis veritate servare, cum castitate, & abdicatione proprietatis.

Hæc est secunda *hujus Capitis pars*, in qua de professione & ejus forma agitur, statuendo, ut omnes, dum profitentur, Priori Generali obedientiam cum castitate, & abdicatione proprietatis expressè promittant. Et quamvis ad stabilitatem professionis sufficiat, ut quis tantùm obedientiam promittat, aut conversionem vitæ, aut Regulam absolutè, nec requiratur ad ejus solemnitatem, quòd exprimatur paupertas, vel castitas: imò nec obedientia, ut latius in *Tractatu de professione* dicemus: olim tamen hæc veritas non erat ita constans, & recepta, ut nunc est apud Authores. Quare Majores nostri, cùm in Regula *Alberti* nulla mentio fieret de paupertate & castitate, apud *Innocentium IV.* qui prædictam Regulam declaravit & mitigavit, dubitare cœperunt, an ad observantiam paupertatis & castitatis ex vi Regulæ tenerentur? seu potiùs, (ut propriùs, & verùs loquar,) ad tollendas scrupulorum occasiones, ab ipso postularunt, ut castitatis, & paupertatis expressa mentio in hoc Cap. traderetur: & sic *Innocentius IV.* in hoc Cap. illa verba adjecit, *cum castitate, & abdicatione proprietatis*. Quæ olim in Regula *Alberti* non exstabant. Circa hanc igitur *hujus Cap. partem*, utilis valde & omnino necessaria *Tractatio de professione, & tribus votis*, quæ fundamenta sunt, in quibus totius Religionis ædificium superstruitur, suscipienda à nobis esset, nisi de his nos alibi longam & peculiarem disputationem susceptu-ros speraremus.

De his votis diffusius & egregiè differit in *sua in Regul. Commentar.* supra laudatus. Franciscus, Joan. à JESU MARIA *part. 2: disciplinæ Monasticæ cap. 5. 6. & 7.* Et Emmanuel à JESU MARIA *part. 1. Fruct. Carmeli, sive discurs. moral. in Regul. Carmelit. discursu 55. & 21. subseq.* sive *à pag. 203. usque ad p. 630.*

De consil. à Fratribus exspectando Basilius in brevior. Reg. 48. & optime Bened. c. 5 suæ Regulæ. statuta Carthusi. 2. p. ca. 4. & regula Monachorum c. 7.

CAPUT SECUNDUM.

De Receptione locorum.

TEXTVS.

Loca autem habere poteritis in eremis, vel ubi donata vobis fuerint, ad vestræ Religionis observantiam apta, & commoda, secundùm quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

GLOSSA II.

CUM Carmeli grex & devota virginis Familia in dies magis augeretur: tum ob loci angustiam, tum etiam ut carmeli vinea versus omnes terræ partes suas mitteret radices, ac palmites extenderet, alias adire regiones, & nova experiri loca, Fratres ad id usque temporis in Provincia Syriæ commorantes decreverunt. Quare ab *Innocentio IV.* dispensationem petierunt, ut sibi liceret ubique terrarum monasteria erigere: nam ex vi Regulæ *Alberti* tantùm in eremis hoc eis videbatur permissum. Unde totum hoc *Cap.* 2. additum est ab *Innocentio IV.* in quo duo potissimum statuit. Primum, habitationem nostram in solitudine, vel eremo, vel in alijs locis ad nostræ professionis observantiam aptis esse debere. Secundum, quod prædicta loca arbitrio Prioris, & aliorum Fratrum ad nostrum propositum, sive institutum judicentur idonea.

Tria ex hoc Reg. textu necessario observanda deducuntur, & declarantur. Consulend. circa hunc Reg. textum Joã. à JESU MARIA *part. 2. disciplin. monast. c. 8. & 9.* nost. supra citat. Antonius: Franciscus à S. Elia *à pag. 135 usque ad p. 161.* & Emmanuel *discurs. 77. & 5. subseqq.* in

Ex *hoc* igitur Cap. tria licet manifestè deducere. Primum, non solùm in eremis, sed alijs quoque locis nostras domos construi posse. Secundum: non quælibet loca ad nostrarum domorum constructionem admitti posse, sed ea tantum, quæ ad Regulæ observantiam visa fuerint convenire. Tertium, nullum locum recipi posse, nec debere, nisi ex arbitrio Prioris Generalis, & aliorum Fratrum (nempe Definitorum.)

Circa primum horum, illud se offert animadversione dignum, quod hic præreundum non est, quantum (scilicet) nostræ Regulæ & professioni solitudo & eremus conveniant. Id enim est proprium, & potissimum, quod Regula intendit, dum ait, *Loca autem habere poteritis in eremis.* Imò, quod alibi licitè erigant, id potiùs extensio quædam, sive Regulæ indulgentia videtur. Nec mirum est, quod Fratribus, quos Eremitas Regula appellat, eremi habitatio magis, quàm urbium quadret.

Circa secundum verò, statim obvia est dubitatio, quæ (scilicet) loca possint dici ad nostræ Religionis observantiam apta, & commoda? Cujus solutio ex Regula patet: nempe, ea esse, quæ Prior Generalis & alij Fratres apta & convenientia judicaverint. Sed quæ sint circunstantiæ & conditiones, quæ debeant concurrere, ut prior Generalis & ceteri Fratres debitè id arbitrentur, & sine periculo Ordinis discernant, id non facile erit unicuique explicare.

Pro cujus declaratione primò certum est, hoc arbitrium sive judicium pensandum esse ex commoditate loci recipiendi. Quæ autem dici possint, & verè sint commoditates loci ad nostræ Regulæ observantiam? Hæ sine dubio regulandæ, & desumendæ sunt ex fine, & speciali nostri Ordinis scopo sive instituto. Ex fine enim, & non aliunde, mediorum proportio major vel minor mensuratur. Quare, cum finis specialis, & primarius nostræ Religionis sit (ut ex dictis in Regulæ præfationibus constat) assidua divinæ legis meditatio, sive frequens, & sine intermissione ad DEUM oratio (hic enim ante omnes alios scopus est, in quem omnia nostræ militiæ tela diriguntur) secundarius verò & veluti minùs intentus sit verbi divini prædicatio, & salutis proximorum cura (ut superiori loco dicebamus:) fit, ea loca à Prælatis, ut aptiora præ alijs eligenda esse, quæ ad hos consequendos fines, servata uniuscujusque dignitate & principalitate, magis proportionata judicaverint. Ea nimirum, quæ ad contemplationis quietem & aliqualem proximorum curam utiliora repererint. Ita tamen, ut licet potissimum illud attendatur, hoc tamen nequaquam prætermittatur.

quibus uberius expositionis & commodi.

Similia loca ad suorum monasteriorum constructionem D. Basilium elegisse, ex Nazianzeno in ejus vita accepimus. *Cùm enim* (inquit Nazianzen.) *animadvertisset, eos, qui in communi vita* (id est, *monachos, qui degunt inter seculares*) *monasticam licet abstinentiam servent, alijs quidem utiles, sibi verò nequaquam existere, cùm in multis eos necesse sit versari malis, quæ vitæ perfectæ, ac planè quieti contraria videntur: eos verò qui in solitudine procul ab his agunt, firmiores quidem proposito, magisque DEO conjunctos, quàm supradictos vidit, tamen sibi tantùm utiles, utrumque vitæ genus conjungere conatus est. Quamobrem Monachorum cœnobia haud procul ab his, qui in hominum societate vivunt, ædificari jussit, nec omnino separavit, ut & propinquitate, cùm opus charitatis exposceret, adesse possent: distantes alioqui propriis terminis, ne quies eorum, aut pax interrumpi per multitudinem posset: ut & sic nec ipsi Monachi actionis merito, quod ex impendenda alijs pietate esset, privarentur; neque rursum eorum actio per tumultus inutilis efficeretur.* Hæc Gregorius, *ubi supra.*

Quæ attendenda in monasteriorum nostrorum erectione?

Ex quibus colligere licet, duo potissimum in domorum nostrarum erectione esse consideranda. Primum, ut earum situs contemplationi aptus, & congruus sit; & ita à secularium conversatione & cohabitatione aliquantulum distet. Nam, ut optimè Bern. *Epist. 78. ad Suggerium Abbatem* rescripsit, *Fuge silentium, & ab omni strepitu secularium perpetua quies cogit cælestia meditari. Nam multum quidem* (ut ajebat Gregor.) *deorsum ducimur, dum loquutione continua secularibus admiscemur.* Confirmat hoc Cassianus *Collatione* 19. ubi per totam solitariæ vitæ finem esse contemplationem, & illam ad hanc medium esse aptissimum demonstrat. Nam cùm medium optimum ad contemplationem

nem sit, habere animum collectum, & à rebus omnibus abstractum: huic rei mirum in modum solitudo deservit, quæ omnem strepitum rerum, quæ mentem distrahere possint, procul arcet. Quod adeò esse verum scribit D. Hier. *lib. 2. contra Jovinianum*, ut etiam multi Philosophi solo naturæ ductu in desertis habitaverint, imò & quidam sibi oculos eruerint, ut sine distractione contemplari possent.

Secundum est, ut construenda monasteria ab hominum convictu & vicinitate procul non eriganturtum propter opera charitatis, prædicationibus, & confessionibus à nobis concivibus exhibenda; tum etiam propter eleemosynarum retributionem, quam nos pauperes & mendici à secularibus ad nostrum quotidianum victum exspectamus: nec non ob alias varias necessitates, quibus pauperes frequentiùs urgeri solent. Quare, sicut mendicus homo, qui aliorum misericordiâ viveret, ab hominum omnino separari consortio non posset, aliàs magna pateretur incommoda: ita nec pauperum Conventus longè ab urbibus construi, nec oportet, nec debent: sin minùs, majora incommoda sentient. Medium igitur inter duo extrema sumendum est, ita ut nec in mediis urbibus, nec procul ab eis, loca ad monasteriorum fabricam recipiantur: ut sic utrumque finem, scilicet, orationi vacare, & proximorum saluti studere, possimus amplecti. Hunc verò esse oportuniorem nostris domibus situm, experientia ipsa (optima rerum magistra) edocemur. In illis enim domibus, quæ simili situ & distantia gaudent, ut sunt oppidorum Pastranæ, Granatæ, & Vallisoleti, Religiosos majori perfrui quiete, ferventiori oratione, & spiritu ambulare compertum est. Et utinam, si id fieri commodè posset, in secretioribus remotioribusque locis monasteria nostra erigerentur: ubi DEO tantum vacandi ejusque consortio fruendi locus esset.

Satis fit contrariæ objectioni.

At dicet quis: Proximorum saluti commodius consulitur, si in urbibus nostræ domus erigantur. Nam cum ibi secularium sit major frequentia, & concursus, plus nostro exemplo ædificabuntur, & confessionibus nostris, ac prædicationibus proficient. Hæc tamen evasio fortè dæmonis est versutia, qui sub specie recti, à nostro instituto & proposito nos revocare nititur: ut ex æquo utrumque finem amplecti cupientes utriusque fructu privemur, & neutrum consequamur. Nam cum finis noster situs non sit in proximorum cura, sed in assidua oratione, vel meditatione: quæ lex quoque consilium postulat, ut prætermisso principaliori scopo, vel eo saltem minimum periclitante, minus principalem summo studio, & diligentia curemus? Ubi quæso in nostra Regula de proximorum salute perquirenda, aut de concionibus ad populum habendis mentio fit? Ubi confessionum aut prædicationum ministerium præcipitur, consulitur, aut saltem indicatur? At, ut intra cellulas nostras manentes frequenter oremus, & noctu diuque legem divinam meditemur, id nostræ regulæ centrum, & fundamentum est. Oportet igitur, illud ita facere & præstare, ut hæc, quæ potissima sunt, nequaquam aut pereant, aut in aliquo minuantur.

Secundò ex dictis infero, quantum in hac parte circumspectos esse oporteat Ordinis prælatos, curantes, extra urbes & hominum frequentiam Conventus erigere. Nam aliàs Ordinis puritatem & primitivum rigorem magno (sine dubio) relaxationis periculo exponunt. Quia, quantum in se est, occasionem præbent, ut in his domibus Religiosi nunc, vel successu temporis secularibus negotiis occupati, variis distrahantur curis, hisque implicati devotionis spiritum amittant, orationis fervorem extinguant, & denique omnia alia spiritualia illis in nauseam & tædium vertantur.

Tertiò adhuc licet inferre, nostræ intentionis non esse hîc, damnare eremi domos, quas longè ab hominum conspectu secretissimis in locis in unaquâque Provincia construi, à nostro admodum Religioso Patre Generali Elia à S. Martino, simul cum Capitulo Generali, nuper sancitum est. Hoc enim potiùs laudandum, ac viis omnibus commendandum est: cùm monasteria hæc columen sint, ac Ordinis decus, ac Regularis observantiæ fundamentum: & denique veluti ossa ac nervi, quibus hoc spirituale Religionis ædificium sustentari debet. Loquor igitur nunc non de his eremitorijs, in quibus eremiticæ vitæ puritas ac perfectio omnino servatur, sed de illis tantùm Monasterijs, quæ frequentius in Ordine eriguntur, in quorum fundatione prædictum modum observandum dixi. Quia per illum Regulæ menti, & Ordinis utilitati, ac Religiosorum profectui satis consulitur.

Circa tertium, quod Regula præcipit, nempe loca recipi debere de arbitrio & dispositione Prioris, & de assensu aliorum Fratrum, suppositò, quòd hîc Regula de Priore Generali loquatur, ut *sup. capite præcedenti* statuimus, restat nunc examinandum, quo jure Prior Generalis authoritatem habeat ad novas domos in Ordine fundandas, vel ad deferendum jam antè fundatas.

Pro cujus resolutione primò constituendum est, Ordinis Prælatos, etiam si de Generali loquamur, ex vi juris communis non posse sine authoritate Apostolica Conventum aliquem erigere: quia hoc expressè cavetur *Cap.* Unico *de excessibus Prælatorum in sexto.* Imò & præter authoritatem Pontificis prædictam, requiritur Episcopi diœcesani licentia, ut decretum fuit à Tridentino *Sessione 25. de reformat. regul. cap. 3. in fi.* in quo statuitur, ut prædicta loca minimè erigantur sine authoritate Episcopi diœcesis, &c. in qua erigenda sunt. Quare utraque & Summi Pontificis & Episcopi facultas ad nova monasteria construenda præcedere debet. Nec decipiatur quis existimans, nunc, post editum Concilium, authoritatem Apostolicam de jure non prærequiri, cùm de illa Tridentinum non meminerit: nam ab illustrissima Cardinalium congregatione declaratum fuit, adhuc post concilium, authoritatem Apostolicam esse necessariam, per hæc verba: *Monachi non possunt ædificare monasterium in Parochia, in qua id non habent sine cognitione, & licentia Papæ.* Quæ declaratio maximè videtur juri consentanea: nam in prædicto Tridentini decreto minimè abrogatur dispositio juris communis antiqui, secundum quam licentia Papæ prærequirebatur, ut patet in *dicto Cap.* unico *de excessibus Prælatorum libro 6.*

Cap. unico, *de excessibus Prælat in 6.*

Dict. cap. unic. de excessib. Prælator.

Quæri tamen merito potest, post prædictam Cardinalium declarationem, quæ licentia Papæ prærequiratur, & an uti liceat Religionibus suis privilegijs, quibus eis indulgetur, ut possint sine nova Papæ licentia monasteria erigere? Quod concessum fuit Ordini nostro à *Sixto IV.* & novissimè à *Sixto V.* & idem Minoribus *Julius II.* & *Urbanus IV.* concesserunt, ut in compendio Mendican-

Post hujus Operis primam editionem revocata sunt hæc Regula-

rium privilegia à fac. congreg. sub *Gregorio XV.* & *Urbano VIII.* ac proinde nunc aliter loquendum est, legendus de his noster Andreas à Matre Dei *Tom. 4. curs. Theolog. moralis Tract. 18. cap. 3. punct. 4. §. 1.* qui tria his temporibus progerendis novis monasteriis necessario servanda esse tradit, quæ apud illum videri poterunt. *Cap.* unico *de religios. domibus. Cap.* unico *de excessibus Prælatorum.* De hac etiam quæstione consulendus jam laudatus Andreas à Matre Dei *loco citato punct. 4. §. 3.* qui doctissimè has, similesque difficultates resolvit: & docet in translatione monasteriorum si fiat intra eandem civitatem, aut oppidum, &c non esse necessarium aut Ordinarij, aut aliorum Religiosorum consensum. *in l. sicendum ff. Qui satisdare cogan. & in Authen. offeratur, C. de lite contest.*

dicantium habetur verbo (*ædificare*) Respondetur, hujusmodi privilegia non esse abrogata, neque à Tridentino, cùm nihil contrarium ejus decretis contineant similia privilegia, neque à congregatione Cardinalium, quia hæc tantùm declaravit mentem concilij, attento communis juris rigore: unde licet ex vi juris sine licentia Papæ non possint Religionum Prælati nova recipere monasteria, possunt tamen ex vi privilegij illis concessi, vel ab alijs Ordinibus participati.

Extendenda tamen aliqui ex junioribus volunt hactenus de fundatione novorum monasteriorum dicta ad translationem monasterij de uno ad alium locum, etiam intra eandem diœcesim vel civitatem, in quo requiri, præter Papæ licentiam, etiam Episcopi fatentur. Quia (ut ipsi ajunt) non videtur major ratio de uno, quàm de alio: & jam hoc usu Religionum videtur fuisse receptum: tenetque Emmanuel Rodriguez, in Summa *verbo* (Prælados) *Cap. 29. Conclus. 10.* & sic isti censent, ex vi Concilij Tridentini, Episcopi licentiam esse necessariam. In hac re illud mihi videtur certum, ex vi juris non requiri licentiam, neque Pontificis, neque Episcopi ad transferenda Monasteria de uno loco ad alium: loquor nunc de illis monasteriis, quæ post decretum Bonifacij VIII. in *dicto Cap.* unico *de excessibus prælatorum* sunt erecta. Probatur apertè: quia si id in aliqua juris parte esset stabilitum, maximè vel in *Cap.* unico *de Religiosis domibus*, vel *dicto capite* etiam unico *de excessibus Prælat.* Nullibi enim nisi his locis fit mentio de hoc. Sed in primis id nulla ratione colligitur ex *Cap.* unico *de Religiosis domibus.* Nam quamvis ibi, in, *(confirmatos.)* Religiosis Medicantibus interdicatur, novam domum adquirere, vel antiquam mutare: tamen ibi loquitur de illis Ordinibus Mendicantibus, qui per decretum Concilij Lugdunensis extincti sunt. Et expresè ab hac decisione ibi excipiuntur sacri Carmelitarum, Eremitarum sancti Augustini, Dominicanorum, ac Franciscanorum Ordines. Quare textus ille nullatenus comprehendit has Religiones, nec ullas alias Mendicantes, quæ post dictum Concilium approbationem à Sede Apostolica meruêre.

Præterea in *d. Cap. unico* de excessibus Prælatorum, quamvis ibi expresè caveatur, ne Religiosi Ordinum Mendicantium denuo ad habitandum domos recipiant, vel eas absque Sedis Apostolicæ licentia mutare præsumant: adhuc tamen hæc decisio non extenditur ad domos, quæ post illam ediram fundatæ sunt. Nam quamvis quantum ad hoc, quod est, novum erigere monasterium, semper requiratur ex vi illius juris, summi Pontificis authoritas, quia id sine ulla limitatione, *prædicto Cap.* statuitur; quantum verò ad illud, quod decernitur de transferendis, aut mutandis domibus jam receptis, expresè in *d. Cap.* declaratur, intelligendum esse tantùm de domibus ante prædictum decretum receptis, non verò de recipiendis, ut ibi expresè observat *Glossa* fere in principio: imò id concessum est ad majorem firmitatem Ordinibus Mendicantibus, ut patet in compendio, verbo (*ædificare.*) ubi *Leo X.* id concessit monialibus sanctæ Claræ: & ex consequenti per communicationem omnibus alijs.

Porrò supposito, quòd Religiosi habeant à Sede Apostolica hanc transferendi sua monasteria ad alia loca facultatem, non video, quo jure teneantur Episcopi licentiam exspectare. Nam certè Tridentini decisio, loquens de nova monasteriorum fundatione, non est, cur extendi debeat ad translationem intra eandem diœcesim. Primò, quia cùm ista constitutio sit odiosa, ac juris communis correctoria, minimè extendi debet ad casum in ipsa non comprehensum. Imò limitati debet ejus decisio, per *tex. in d. Cap.* unico *de excessibus Prælatorum.* Nam leges generales, etiam posteriores, intelliguntur & limitantur per leges speciales priores. Cujus exemplum quotidianum est in lege *Stiendum*, ff. qui satisdare cogantur, & in *authen.* offeratur, *Cap. de lite contestat.* Ubi Glossæ communiter receptæ idem asserunt. Ex quibus fit, mentem Concilij exponendam, & intelligendam esse juxta *dictum Cap.* ita ut non extendatur ad translationem: sed tantùm ad novam Conventus erectionem. Tum secundò, quia minimè in jure idem sunt, fundare, & transferre monasterium, ut patet expresè ex *d. Cap.* unico *de exc. præl.* ubi *Bonifacius* prohibet non solùm novam loci erectionem sine Pontificis licentia, verùm & quamcumque ejusdem mutationem: ubi annotavit *Glossa*, minimè unam comprehendi sub alio, & expresè in casu, de quo loquimur, nobiscum sentit. Tum tertiò quia cùm Patres Concilij non ignorarent prædicta jura, quæ Religiosis Mendicantibus interdicunt erectionem novam, vel translationem, sive aliam quamcunque mutationem suorum monasteriorum, mirum est, ipsorum mentem fuisse (ut contrarij asserunt) comprehendere etiam domorum translationem, & id non expressisse, cùm id in simili casu exprimere, antea necessarium visum sit, & Concilio Lugdunensi, & Bonifacio Pontifici, ut refertur juribus supra adductis. Tum etiam quartò, quòd authores contrariæ sententiæ affirmant, non requiri Episcopi licentiam ad desertionem monasteriorum. Et certè, si res attentè perpendatur, magis includitur sub mente Concilij Trid. desertio, quàm translatio: quia res per easdem causas nasci, & dissolvi debet: ac proinde eadem videbatur utriusque ratio. Unde non video, qua ratione ducti fateantur, requiri Episcopi licentiam ad translationem, minimè verò ad desertionem.

Ex his ergo constat, Religionis Prælatos, licet ex vi juris ad erectionem novæ domus habere debeant tam Papæ, quàm Episcopi licentiam: tamen ex vi privilegiorum suorum nunc tantum obtinere debere Episcopi licentiam, quam fatemur ex vi Tridentini ad fundationem novam esse necessariam, non verò ad translationem domus jam constructæ, quando intra eandem diœcesim hæc translatio fit.

Secundò & principaliter statuo, quòd quamvis ex vi juris communis non sit specialiter decretum, ad quem facultas hæc recipiendi novos conventus pertineat; an ad Generalem, an verò ad Provincialem, ac proinde ad utrumque spectare videatur: tamen ex vi nostræ Regulæ, imò & nostrarum constitutionum, in nostro Ordine ad Generalem spectat, non utcumque, sed simul cum consilio Definitorum: ut sic hoc Regulæ mandatum meliùs adimpleatur, in quo præcipitur, ut nova loca ab Ordine non aliter recipiantur, quàm si Priori Generali, & alijs Fratribus visa sint professioni nostræ expedire.

Quod & novissimè authoritate *Sixti V.* in Bulla, quæ incipit, *Cùm de statu, ac bono regimine*, fuit confirmatum: ubi sic dicitur: *Ita tamen, ut Priores Provinciales, aut alij Fratres novas domos aut monasteria recipere, erigere, aut construere minimè audeant.*

Tertiò

Tertiò constituo, quod licet ad novos erigendos Conventus sufficiat ex vi juris, Generalis, vel Provincialis authoritas, tamen novam Provinciam erigere, & fundare, vel erectam dividere, aut unam Provinciam alteri subiicere, sine licentia Papæ, Prælati Regulares non possunt. Ratio hujus est, quia cùm de similibus idem servandum sit jus, fit, quòd prohibitio, quæ facta est à jure, ne fiat nova constitutio Sedis Episcopalis, nec ejus divisio, nec subjectio absque facultate Papæ, ut patet ex *Cap. felix*, 16. q. 1. & *Cap. locorum* de consecratione d. 1. & tradit Sylvest. verbo (*casus*) casu 9. & 10. accommodari debeat & extendi ad erectionem, divisionem, & unionem Provinciarum Religiosorum. In qua re consulenda sunt propria unius cujusque Ordinis privilegia.

Cap. felix. 16. q. 1 cap. locorum de consecrat. d. 1.

Quartò & ultimò circa desertionem monasteriorum dicendum est, attento juris rigore, non posse Prælatos Ordinum Mendicantium deserere Conventus jam in suo Ordine erectos sine licentia Papæ. Ita expressè habetur *dicto Cap.* unico *de excessibus prælatorum in 6.* Habent tamen Mendicantes à summis Pontificibus impetrata privilegia, ut absque nova licentia Sedis Apostolicæ, possint proprias domus, cùm expedire viderint, derelinquere. Sic *Sixtus IV.* concessit Generali Minorum, ut habetur in *Cõpendio*, verbo) *ædificare*,) & *Sixtus V.* nostræ Reformationi, ut ea loca, quæ Fratribus suis minùs commoda esse cognovit, possit dimittere in manibus Ordinariorum, illa licitè deserendo, prout eis visum fuerit expedire.

Quando monasterium aliquod deserendum est, planius exponit jam citato loco, noster Andreas *punct. 4. §. 4.*

Ubi nota Provincialem, imò nec totam Provinciam sine licentia prædicti Generalis id posse facere; aliàs incurreret Excommunicationem contra Religiosos, proprtiorum locorum desertores latam, cujus meminit Sylvester *verbo* (casus) *casu* 8. & *verbo* (excommunicatio) 8. §. 20. Et hæc de desertione, translatione, ac erectione locorum dicta sufficiant.

CAPUT TERTIUM.

De Cellis Fratrum.

TEXTUS.

Camaldulen. Constit. Et Carthus. cap. 14. Reg. Monach. c. 2. in nulla Relig. reg. simile statutum

De eremitica vita reperitur. De assensu fratrum requirendo Basil. & Bened. ut in c. præced.

PRÆTEREA juxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum fratrum eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

GLOSSA III.

PRæcedenti capite postquam à Regula de situ loci recipiendi dictum est, jam ab hoc Cap. de dispositione, & forma Conventus incipit agere. Circa quod duo in illo connotantur, sive præcipiuntur. Alterum est, ut Eremitarum cellulæ adinvicem separentur, ut unusquisque sibi designatam singulariter inhabiter: alterum verò, ut hæc cellula unicuique de Prioris, & aliorum Fratrum consensu designetur.

Vid. Ioan à JESU MARIA in hoc Reg. cap. part. 2. discipl. monastic. Cap. 10. & 11. & Anton à Spiritu S. loco sup citato in Annotat. ad hoc Cap. num. 300. & seqq.

Circa primam hujus Capitis partem recolendum est, quòd olim, ut ex ijs, quæ in Regulæ introductione adducebamus constat, Religiosorum habitacula potius eremiticam, quàm cœnobiticam conversationem, imitabantur: & sic ad illius vitæ & conversationis normam Fratrum tabernacula ædificabantur. Quare tunc non intra cœnobij clausuram Religiosi continebantur, sed intra alicujus magni spatij terminos, disiunctas, ac separatas cellulas, sub unius tamen Prioris obedientia incolebant. Et sic sensus prioris partis hujus capitis patet, dum inquit: *Præterea juxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas.* Hoc est, ut secundùm capacitatem loci cellulæ distent inter se. Vel sensus sit: *juxta situm loci*, id est, prope locum, quem inhabitare proposueritis, & non longè ab eo (ut antea fieri solebat,) cellulæ adinvicem separentur, & solitariè, sive sigillatim ab unoquoque habitentur.

Notandum præterea est, quod non solùm præcipit Regula, singulos singulas habere cellulas, sicut nunc inter nos, & in multis alijs Religionibus servatur: sed addit, separatas, ita, ut & unusquisque solus in cellula vivat, & insuper cellula quæque aliqua distantia loci ab altera separetur, ut nunc in nostris eremi domibus, & apud Camaldulenses consuetudine & usu receptum est.

Hujus igitur statuti eam rationem veram & fundamentalem reddimus, quia, cùm ferè omnis nostra institutio ad contemplationem dirigatur, & tendat ea media, quæ ad hoc propositum magis conferunt, à Regula commendantur. Medium autem potissimum est solitudinis quies, quæ in nullo alio, quàm in separatione ab aliorum cohabitatione, & consortio, sita est. Et præterquam quòd ratio id manifestat, & ex his, quæ in superioribus tradidimus convincitur, id expressè de nostra Regula tractans tradit noster Waldensis *de Sacramentalibus tit. 9. Cap. 76.* In *Carmelitarum* (inquit) *Regula singuli habent cellulas seperatas. Hoc autem ordinatum est propter orationes clandestinas. Unde in Epistola ad Eustochium de monachorum conversatione loquens Hieronymus, sic ait: Et quia nocte, extra orationes publicas, in suo cubili unusquisque vigilat, circumeunt cellulas singulorum, & aure posita, quid faciant diligenter explorant. Antiquior igitur usus hoc habet in usu, quod habet modo, juxta quem habuit Christus in usu, solus orare, ut ex illo Matthæi constat, ubi dimisso discipulis secessit solus orare. In quem locum Chrysostomus Homil. 83 ad populum: Hoc enim (ait) faciebat, erudiens nos in orationibus quietem construere nobumetipsis in solitudine multa.* Hucusque Waldensis.

Ex hac igitur prima capitis parte duo inferenda sunt: alterum, ut omnes solitariè absque ulla societate in designata sibi cellula habitent: alterum verò, cellulas adinvicem separatas, & loco distantes construendas esse: ita, ut cellulæ quoque solitariæ & singulares sint ad eam normam, & modum, quem Camaldulenses servare diximus.

Cur non observetur hoc tempore, hic Regulæ articulus

Quæret tamen aliquis, quæ sit causa, cur nos hunc Regulæ articulum ad unguem, non servemus? Respondetur, id ita fortè contingere, quia forsan in hac parte (imò & id valde probabiliter apparet) antiquitùs correcta Regula fuit. Et licet id nobis expresso testimonio non constet: ex eo tamen

men conjici potest, quòd quando ab *Eugenio IV.* hæc Regula fuit mitigata, inter alia, quæ summus Ecclesiæ Pastor tunc temperavit, illud potissimum fuit, ut Fratres extra suas cellulas per monasterij claustra deambulare liberè possent. Ex quo non obscurè infertur, jam tunc antiquam illam Eremitarum vivendi normam ad communem cœnobiticam, sive claustralem vitam redactam fuisse.

Circa secundam verò hujus capitis partem, nempe, quod Prior de aliorum Fratrum assensu unicuique suam cellulam designet, maximè, expendendum est, quanta cura & studio Majores nostri ea, quæ spiritualem Fratrum & Religionis profectum concernebant, soliti sint examinare, ut in una cellula assignanda, non solùm prioris, sed & aliorum Fratrum assensus exspectaretur. Quod non sine admirabili & divino illorum Seniorum consilio factum esse existimemus. Sciebat enim ipsi, quantum ex sinistra vicinitate aut consortio detrimenti unicuique, etiam optimo Athletæ, provenire poterat. Et ideo inspecta uniuscujusque complexione, ac spirituali profectu, alijsque pensatis circunstantijs, (quod maturiùs fit multorum, quàm unius consilio,) cuique cellula propria arbitrio tàm Prioris quàm Fratrum designabatur. Et insuper hoc ea causa fuisse sancitum credamus, ut inspectis ætatibus & necessitatibus, senioribus & inferioribus commodior cellula concederetur. Obiter tamen sciendum est, quòd cùm jam hic separatim vivendi modus cessaverit, etiam cesset hoc Regulæ decretum, saltem quantum ad illam partem, quòd Prior in concedendis cellulis teneatur aliorum consensum requirere.

Cur in Reg. Fratrum habitatio *cellula* & non *cella* nuncupetur?

Ultimo tandem circa hoc cap. illud occurrit addendum, in Regula nostra tam in hoc cap. quàm in alijs, dum habitationis Fratrum mentio fit, eam *cellularum* potiùs, quàm *cellarum* nomine appellari: ut insinuetur, habitacula arcta & stricta, parum exculta & expolita, & ex consequenti paupertima ac simplicissima fuisse, & demum talis conditionis, ut non *cellæ* nomen, sed *cellulæ* tantùm sibi possent vendicare. Hujus enim altissimæ Regulæ professoribus non congruere sumptuosa, aut magnifica domorum, aut cellularum constructio, nostróque paupertatis, humilitatis, ac simplicitatis instituto minimè convenire dignoscitur. Nam ædificiorum superfluitatem nobis repræsentat, & reprehendit Bernar. in *Epistola ad Fratres de monte Dei*; si verum est id, quod Paleonydorus noster docuit, epistolam illam Divi Bernardi *ad Fratres de monte Dei*, fuisse ad Carmelitas, qui tunc eo in monte degebant, rescriptam; quamvis contrarium verius existimem: constat enim ex ipso epistolæ contextu, eam ad Carthusienses, quibus tunc familiariter utebatur Bernardus fuisse missam. sive ergo nostri Ordinis Fratribus, sive alijs quibusvis missa sit: ejus tamen doctrina Religiosis omnibus quadrat. *Jam* (inquit ille) *de are alieno subintravit sumptuosa, & quantùm pudor sinit, ambitiosa cellularum ædificatio: & abjecta sancta simplicitate, & rusticitate, quasi religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates, dimissam nobis à Patribus nostris jure hæreditario formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, & verum decorem* DEI *alienantes à nobis* &c. Et paucis interjectis, ubi admonet, ut unusquisque sibi propriam cellulam ædificet, addit: *Ergo obsecro in peregrinatione hujus seculi, in militia hac super terram, ædificemus non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum, utpote citò inde vocandi & migraturi in patriam.* Et infrà: *Credite Fratres, quia pulchritudines istæ, & forenses honestates citò virile propositum enervant, & masculinum animum effeminant. Idcirco Patres nostri in Ægypto & Thebaide, sanctæ hujus vitæ ardentissimi æmulatores, in solitudinibus degentes, sibi cellulas ædificabant, in quibus recti tantummodo, & circumsepti à turbine & pluvia tutabantur* Hæc Bernar. Quibus antiquorum monachorum habitacula, cellulas appellat, & eorum paupertatem demonstrat. Plura alia his addici possent, quæ nos latiùs in *Tractatu Paupertatis* addidimus.

Lectu sunt dignissima, quæ in hoc Reg. Capite SS. Patribus ad decretoria. Francis. in suis Commentar. pag. 147. & seqq. & Emmanuel. dis. cursal. 14.

CAPUT QUARTUM.

De communi refectione.

TEXTVS.

De commu. Refect. Aug. c. 8. Reg. Bened. c. 39. 40. & 41. Pacchom. in Regul. sibi ab Angelis tradita num. 51. usque ad 18. & Reg. societat. 3. p. constit. c. 1. n. 5. Regul. monachor.

Ita tamen, quòd in communi Refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacræ scripturæ audiendo, ubi commodè poterit observari, sumatis. Nec liceat alicui Fratrum (nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit) deputatum sibi locum mutare, vel cum alio permutare.

c. 2. Monachor. c. 35. Statut. Carthus. c. 9. De lectio. in mensa concordat Aug. c. 8. & Bened. c. 38. Basil. in brevior. Reg. 180. & Reg. societ. ut sup. Reg. Monachar. c. 37.

GLOSSA IV.

HÆc Regulæ pars, sive articulus uno contextu eum præcedenti legendus est; illi enim annectitur, & jungitur: & ita ejus interpretatio ex *antecedenti*, ut vidimus, singulos Fratres singulas habere cellulas præceptum erat: hæc tamen distincta cellularum habitatio ita statuitur, ut ad commune Refectorium omnes simul convenire teneantur. Unde verba posita in initio hujus capitis, scilicet, *Ita tamen, quòd in communi Refectorio*, usque *sumatis*, legenda sunt per modum Parenthesis: & subsequentia verba, nempe, *Nec liceat alicui Fratrum &c.* continuanda sunt cum ultimis verbis præteriti capitis. Et sic sensus utriusque capitis erit, quòd Religiosi, sicut per assensum Prioris eis fuerint cellulæ assignatæ, singulariter separatas inhabitent cellulas: (ita tamen, quòd in communi refectorio omnes jungantur:) nec alicui liceat (sine ejusdem Prioris placito) deputatam sibi mutare vel permutare mansionem. Quo præmisso fundamento, ad majorem hujus Capitis explanationem accedamus.

Ita tamen, quòd in communi Refectorio, ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter sumatis. Olim in Regula

Regula Alberti communis mensa Anachoretis nostris omnino erat interdicta, ut pater exillis verbis: *Ita tamen, ut in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quæ sibi distributa fuerint, singulariter vivant.* INNOCENTIUS verò præcavens in commoda, quæ in futurum exhac tam singulari vita possent oriri, vel fortè quia jam Fratres tam arctam vitæ eremiticæ semitam, tepescente spiritus fervore, perficere non sufficiebant, prædictis verbis commune refectorium indixit. Quibus tria præcipuè commendantur.

Tria præsertim hic Regulæ textus observanda proponit

Primum, ne quis aliquid extra Refectorium comedat: sed id tantùm fiat in Refectorio communi Monasterij omnibus ad id deputato. *Secundum*, quòd omnes simul tempore comestionis conveniant: id enim exprimitur illo verbo (*communiter.*) Nam non sulùm dicit, ut in communi Refectorio cibaria sumantur: sed insuper consultò additur (*communiter,*) ut denotetur communis omnium & simultanea mensa. *Tertium*, quòd in Refectorio peculiaris cibus extra id, quod communiter omnibus erogatur, à nemine vel sumatur vel postuletur: quod colligitur ex illis verbis: *Ea quæ vobis erogata fuerint, communiter sumatis.* Quæ tria communem mensam constituunt: ad quam maximè spectat, ut omnes simul illic assistant, & eidem & communibus reficiantur cibis. Quæ omnia, quia non parum ad communem vitam, & ex consequenti ad perfectam Religionis observantiam conducunt, Patrum testimonijs, & ratione ipsa confirmanda & ornanda erunt.

Primum, ne quis Religiosorum aliquid extra Refectorium comedat, præcipitur in quodam *decreto Oxoniensis Concilij numero* 45. ubi sic decernitur: *Quoniam inter alia vitia, impetus gulæ viros Religiosos præcipuè non mediocriter infestat: decernimus, ut nec Monachi, nec Canonici Regulares, nisi statutis locis* (scilicet in Refectorio) *& horis comedant aut bibant.* Et insuper addit: *Siquis verò sitiverit, impetratalicentia, Refectorium regulariter intret, ut sic necessitati subveniat.* Idem docent Cassianus *lib. 4. instit. c.* 18. summa diligentia servari apud Ægypti Monachos: Anteqeam (inquit) vel postquam legitimam refectionem percipiant, summa cautione servatur, ne extra mensam quicquam cibi penitus ori suo quisquam indulgere præsumat: ut incedentibus per hortos & pomaria cum passim blandéque per arbores poma pendentia, non solùm se objiciant pectoribus transeuntium, verum etiam strata per terram conculcanda pedibus se offerant, sacrilegium ducatur, non solùm quicquam ex eis degustare, verùm etiam manu contingere, absque eo, quod palam cunctis in communi se reficientibus exhibetur. Idem quoque Cassianus *Cap.* 16, *ejusdem libri* inter monachos illos, extra ordinariam ac furtivam cibi refectionem plagis emendari, & purgari testatur.

Quæ SS. PP. testimonijs confirmantur.

Unde inter alia, quæ monachus ad perfectionem festinans, observare debet, illud potissimum hic sanctus commendat, ut non potus quisquam, non esus voluptate devictus, ante stationem legitimam communemque refectionis horam, extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat: sed, nec refectione transacta, ex his præsumere sibi quantumcumque permittat. Huic observationi Sanctus etiam Benedictus in sua *Regula Cap.* 43. subscripsit, dum præcipit, ne quisquam præsumat, ante statutam horam vel postea quicquam cibi vel potus percipere. Rectè igitur nostra Regula, Patrum sanctionibus adhærens, statuit, ut in communi refectorio ea, quæ Religiosis erogata fuerint, sumantur. Quod insuper & Constitutionibus Ordinis roboratum, & confirmatum, in *prima earum parte, capite quinto reperies.*

Plura SS. PP. assertа hoc confirmantia producunt hoc loco nostri Francisc. in suis *comment. pag.* 451. *& seqq.* & Emmanuel *discurs.* 85.

Secundum verò, quòd omnes tempore comestionis conveniant, ita, ut nullus à communi mensa, & refectione deficiat: & insuper, quòd peculiaris portio, sive ferculum præter id, quod omnibus erogatur, nemini sit conferenda, ratio vitæ communis id maximè postulare videtur. Nam vitæ communis æqualitas potissimum in communi mensa relucet, quæ minimè servari poterit, si plures diversis locis sternantur mensæ, ac proinde non simul eodemque loco religiosi reficiantur. Quare magna est in monasterijs abusio, gravisque & non contemnenda transgressio, si plures partiales mensæ parentur, aut alijs, quàm communibus, in eâdem cibis quis reficiatur. Per hæc enim destruitur & corruit, aut certè magna ex parte debilitatur præcipuum Religionis fundamentum, in communi vita consistens. Et ideo hanc communem, & æqualem vitam, omnes Religionum fundatores passim clamant, dicentes: *Sint vobis omnia communia.* Communia autem esse non possunt, quæ divisa, & propria facta sunt, ac non æquè omnibus impertiuntur. Ex quo & innumera mala, plus quàm dici queat, in Religionibus resultant.

Vid. annotat. in hunc reg. textum nost. Antonij *loco supracit. num.* 306 *& seqq.* & Joan. à JESU MARIA *Cap.* 12. *disciplin. monastica*

In primis enim, ex eo, quòd non omnes simul conveniant, magna præbetur Religiosis occasio, ut alijs à communitate utantur ferculis, & ea avidè procurantes, proprietarij tandem evadant. Similiter monasteriorum ministri his partialibus ac distinctis mensis valdè gravantur. Fit etiam, & non rarò, ut abstinentiæ quoque termini facilè contemnantur, ac silentium in Refectorio, & aliæ Religionum à Majoribus inductæ consuetudines relaxentur: & denique ex privatis & separatis Religiosorum refectionibus multa & magna ac periculosa vitia oriantur, ut rectè annotavit Carthusianus *de reformatione claustr. articulo* 18. his verbis: *Ingurgitatio, sive loquacitas, dissolutio, saturitas, delectatio sensualis, consolatio carnalis, ex quibus sequitur concupiscentia, & inflammatio corporis, fastidium divinorum, somnolentia, scurrilitas, levitas, perditio temporis, infructuosa atque indevota & negligens divini operis persolutio.*

Ob dicta incommoda (etsi quæ sunt alia, & erunt non pauca) jam sacra concilia, quàm Religionum Patres has peculiares mensas, & privilegiatas ac singulares portiones in suis monasterijs detestantur, & communem refectionem districtè præcipiunt. In primis, vetus quoddam Concilium Colonense, *titulo de monachis, & eorum conversione & vita*, sic ait: *Statuimus, quòd omnes monachi in communi refectorio comedant, nisi infirmitas vel alia legitima causa excuset.* Idem habetur in Concilio Moguntino, anno Domini 813. celebrato, *Cap.* 9. cujus titul. est: *De regulari observantiâ Canonicorum.* Simul (inquit) *manducent & dormiant: ubi his id faciendi facultas suppetit.* Et Concilium Oxoniense *numero* 48. circa Canonicorum Regularium Refectorium commune sic statuit: *Et in uno Refectorio simul edent: nec per se cuilibet, sed communiter omnibus victualia præparentur,* & numero 42. præ-dixerat: *Omnem singularitatem interdicimus in refectorio, ut cibus aliter uni, quàm alteri præparetur: sed qui præst videat, ut scilicet interdum alia præparentur de quibus aliorum debilitas vel infirmitas valeat relevari.* Hoc etiã admonet Concilũ Cameracẽse,

titulo

titulo de monasteriis Cap. 3. & 4. his verbis: *Quia mensa communio charitatis unionem designat, & à patribus antiquis statutum observatumque fuit in benè moratis cœnobiis, ut omnes eodem loco cibum simul caperent, statuit sancta Synodus, ut superiores severè prohibeant privatas mensas, coganturque omnes, qui legitimè non fuerint impediti, ad unũ convenire Refectoriũ, communis Refectionis gratia.* Et denique Synodus Provincialis Hydruntina, *titulo de monasteriis, capitulo 4.* id quoque decernit: *Privatæ*, inquit, *mensæ prohibeantur, cogantque superiores omnes, qui legitimè non fuerint impediti, ad unum convenire Refectorium, in eodem loco, eademque mensa cibum capere: cùm mensæ communio charitatis unionem designet.*

Præterea S. Joannes Chrysostomus, *homilia 58. ad populum*, sui temporis monachos his & aliis verbis commendat: *Una* (inquit) *mensa & ministerium suscipientibus, & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita, &c.* Hanc verò communem mensam in suis monasterijs servandam supponit Divus Augustinus, cùm in sua *Regula cap. 8.* ait: *Dum accedis ad mensam, &c.* Idem evidenter colligitur ex Cassiano *libro 4. Cap. 18. superiùs relato.* Basilius quoque in *regulis brevioribus, interrogatione 136.* maximo rigore præcipit communem refectionem. Inquirit enim *prædicta interrogatione* hoc modo: *Num necesse est omnes hora prandij congregari? & eum, qui reliquerit, ac post prandium venerit, quomodo tractabimus?* Respondet idem Basilius: *Si, cùm venire potuisset, non festinavit, veluti qui negligentia crimen incurrit, impransus maneat usque ad horam constitutam sequentis diei.* Hæc Basilius. Qui etiam *interrogatione 131.* valde eos reprehendit, qui cibos Communitatis, quibus ceteri monachi reficiri solent, stomachantur, ac fastidiunt, & alios delicatiores quærunt.

Advertendum, quanto opere Religion. legislatoris inculcent accessum omnium ad communem mensam, & qualiter sint puniendi in hoc negligentes.

Accedat denique Archipater Monachorum Benedictus, qui *cap. 43. sua Regula* ita circa commune refectorium scriptum reliquit: *Ad horam veræ refectionis, qui ante versum non occurrerit, ut simul omnes dicant versum, & orent, & sub uno omnes accedant ad mensam: qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit usque ad secundam vicem, pro hoc corripiatur: si denuo non emendaverit, non admittatur ad mensæ communis participationem: sed sequestratus à consortio ceterorum, reficiatur solus sublata ei portione vini, usque ad emendationem.* Idem etiam supplicium contra discedentes à communi mensa ante gratiarum actionem *eodem capite* decernit.

In hac tamen communis refectionis regula nolumus legitimè impeditos, aut infirmitate oppressos comprehendere: nam & illi occupatione legitima à communi refectionis hora excusantur; his verò propter ægritudinem, neque ad communem mensam accedere, neque eisdem cum alijs uti cibis permissum est. De his nec Concilia, nec Patres loquuntur: imò expresse eos à prædicta generali Regula excipiunt. Unde Basilius dicta interrogatione 139. *Eos* (ait) *qui, ob ægritudinem aliquam, vel aliam necessitatem, alijs cibis utuntur, & scriptura sacra, in qua legimus Act. 4. distribuebatur unicuique prout opus habebat, salvat.* Videndi etiam erunt idem Basilius *dicta interrogatione 131*, Benedictus *Cap. 34 & 37. sua Regula*, Augustinus *Cap. 8. sua regula.* Qui omnes nuper adducto scripturæ testimonio, ita volunt in suis monasterijs omnia esse communia, ut tamen unicuique juxta propriam necessitatem & indigentiam, distributio fiat: quod & in nostra Regula, eâdem cautione, *infra Cap. de non habendo proprium*, commendatur.

Unde eos tantùm communis mensæ observatores esse Patres voluerunt, qui nec obedientia tunc sint occupati, nec morbo aliquo gravati. Contra hos enim, qui optima corporis valetudine præstant, si alia, præter communia condimenta, requirant; aut communia, quia vilia vel fortè suo palato insipida, rejiciant; aut ob aliam rationem de appositis cibis murmurent aut contristentur, acriter sancto Religionis zelo & fervore præfati Patres insurgunt. Divus Basilius, ut *supra interrogatione 132: Qui dicit* (ait) *nocet mihi hoc, & contristatur si aliud datum non fuerit, quid est? Responsio apparet, quod non novit dilectionem ejus, cui omnium, & ipsius cura concredita est. In summa autem, neque de nocente, neque de adjuvante cibo aliquis sibi ipsi probationem permittere debet, sed prælato ad probandum quod unicuique utile est, qui principaliter utilitatem animæ requirit: atque ita secundaria ratione, ea quæ ad corporis usum necessarium pertinent, dispensat.* Et immediatè *interrogatione 133.* addit: *Si verò murmuraverit propter cibum? Respondeo: Judicium eorum, qui in deserto murmuraverunt, habet.* Dicit enim Apostolus: *Nolite murmurare, quemadmodum quidam illorum murmuraverunt, & interempti sunt ab exterminatore.* Quibus accedit Bernardus, qui *Serm. 30. in Cantica prope fin.* molles ac delicatos monachos his verbis carpit: *Qui voluerit* (inquit) *animam suam salvam facere, perdet eam. Quid hîc vos dicitis, observatores ciborum, morum negligentes? Hippocrates & sequaces ejus docent, animas suas salvas facere in hoc mundo: Christus & ejus discipuli, perdere. Quemnam vos è duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat: hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori, vel stomacho nocet. Profectò quod unusquisque à suo Magistro didicit, hoc in medium profert: Caro & sanguis revelavit tibi hanc sapientiam, non spiritus Patris.*

Et infrà: *Epicurus atque Hippocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem profert: meus magister* (nempe *Christus*) *utriusque rei contemptum prædicat.* Et paucis interjectis, addit: Quid verò prodest temperare à voluptatibus, & investigandis diversitatibus complexionum, ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina (inquit) ventosa sunt: Caseus stomachum gravat: lac capiti nocet: potum aquæ non sustinet pectus: caules nutriunt melancholiam: choleram porri accendunt: pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Quale est hoc, ut in totis fluvijs, agris, hortis, cellarijsve reperiri vix possit, quod comedas? Puta re, quæso, monachum esse, non medicum: nec de complexione judicandum, sed de professione: parce obsecro primùm quieti tuæ: parce deinde labori ministrantium: parce gravamini domus; scandalizatur enim in tua singularitate frater, judicans te superstitiosum, tanquam superflua quærentem; aut certè me durum causans, qui non perquiram victui tuo necessaria. Frustra sibi quidam blandiuntur de exemplo Pauli, hortantis discipulum non bibere aquam, sed modico uti vino, propter stomachum, & frequentes suas infirmitates. Qui attendere debent primùm quidem, Apostolum minimè sibi ipsi rem istiusmodi suadere: sed nec discipulum æque exposcere sibi. Deinde non Monacho hoc intimari, sed Episcopo, cujus vita teneræ adhuc & pernascenti Ecclesiæ perneccessaria erat. Da mihi alterum Timotheum, & ego cibabo eum (si vis) etiam auro, & potabo balsamo. Ceterùm tu tibimetipsi dispensas, misertus tui: suspecta est mihi frater, tui ipsius in re dispensatio, & vereor tibi illudi, sub regimine

Doctri. na imperant obser. vanda. Vid. noſt. Emmanuelem Diſcurſ. 86. Et Franciſc. loco citato pag. 154. & ſeqq.

Benedict. in Reg. cap 38. Aug. c. 8. Baſil. in brevior. Reg. 180, & alij ut ſupr. de commun. Refect.

&

& nomine discretionis, à carnis prudentia. Quibus Bernardus optimè, ut solet, monachorum delicatorum mores depinxit. Sed quod in majorem me admirationem trahit, illud est, quòd Patres tantam voluerint hujus communis mensæ in suis monasterijs haberi rationem, ut non obscurè indicaverint, ad infimos & valetudinarios fratres suo modo extendendam fore, saltem in eo sensu, ut ipsi nihil de cibis sibi necessarijs soliciti sint, neque extraordinaria condimenta plùs, quàm status pauperatis exigit, anxiè sibi procurent. Quod clarè colligitur ex Divo Bernardo, ex ultimis verbis nuper adductis: clarius tamen monet id *epistola* 322. ad Fratres de Sancto Anastasio. Quod ex Basilio & alijs *infra* à nobis adducendis in *Capitulo* 12. manifestius fiet.

Et denique his omnibus de communi mensa allatis tandem accedat, prædicta omnia de communi mensa districtè in nostris Constitutionibus præcipi, & districtius forsan à Prælatis & subditis cum DEI adjutorio observari. Quòd omnes ad Refectorium simul accedant, *libro* 1. *cap.* 5. *Constitutionum* cavetur. Alterum verò, quòd aliquid singulare nemini (etiam Generali) apponatur, *eodem Cap. numero* 1. & 3. summo rigore decernitur. Et denique, quòd extra Refectorium nihil cibi vel potus assumatur, *eodem* quoque *cap.* admonemur.

Priusquam ulterius progrediamur, juvat seraphicæ M. TERESIÆ cælica documenta, quæ suis tradidit alumnis, hic subjungere, per quæ suprædicta confirmari videntur *Non nisi*, inquit, *horis solitis & statutis edito ac bibito, actum quoque Domino singulariter gratias ages. Nunquam de cibo, sive ut bene, sive malè coctus sit, conquereris, JESU Christi sel & acetur recogitando. In mensa neminem alloquaris, neque oculos ad aliquem alium aspicendum attollas: sed considerabis mensam cælestem, ejusque cibum, qui est DEUS Opt. Max. nec non invitatos, qui sunt Angeli, ad illam mensam oculos sustolle, ad ei aspiciendum & accumbendum anhelans.*

Aliquam lectionem sacræ scripturæ audiendo. Antiquissimus est Religionū mos, reficientibus se Fratribus sacras aliquas, aut devotas lectiones in Refectorijs recitari, quem morem non de Ægyptiorum typo, sed ex Cappadocum Monachorum instituto dimanasse, docet Cassianus *lib.* 4. *institutionum cap.* 17. Hanc verò lectionem, tum ob spiritualem animæ refectionē, tūm (idque præcipuè) ob compescendam superfluam, otiosamque inter edendū confabulationem, à Patribus fuisse statutam, *ibid.* Cassianus tradit. Quod autem ob duos prædictos fines sit lectionis inter edendum introductus usus, ex Conciliis, & Patribus comprobabimus. Primò synodus Hydruntina *titulo de monasteriis* capitulo 4. *Servato* (inquit) *silentio, in communi mensa sacra lectio adhibeatur, ut una cum corpore sumat quoque mens cibum.* Et infra: *nulli sermones irreligiosi immisceantur, &* S. Benedictus in *Regul. c.* 38. *Mensis* (ait) *Fratrum edentium lectio deesse non debet. Summum silentium fiat ad mensam, ut nullius musitatio vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur.* Hieronymus, de virginitate servanda, *Unaquæque* (ait) *Monachorum decuria cum suo parente pergit ad mensam: nullus ibi in cibo strepitus est, nemo comedentis loquitur.* Et D. Augustinus in sua *Regula cap.* 8. *Cum accedetis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite: ne sola vobis fauces cibum sumant, sed & aures esuriant verbum DEI.*

Cassianus, *ubi supra*, Apud Ægyptios (ait) tantum silentium exhibetur, ut cùm in unum tanta numerositas Fratrum refectionis obtentu consederit, nullus nec mutire quidem audeat præter eum, qui suæ Decaniæ præest. Tantaque silentij hujus disciplina servatur, ut, cucullis ultra oculorum palpebras demissis, nihil amplius intueantur, quàm mensam & appositos cibos: ita, ut quemadmodum, vel quantum se reficiat alius, nullus invicem noverit. Ob quæ *Innocentius* III. Cap. *Cùm ad monasterium*, de statu Monachorum præcipit, in Refectorio semper silentium observari. Silentij etiam apud Ethnicos tanta observantia fuit, ut Persarum, ac Medorum, atque Chaldæorum Regna (ut Origenes refert *libro* 3. *in Job, Tomo* 2.) & gentes omnes, pariter pusilli & magni, cùm manducaverint, non loquantur: cum biberint, non se moveant, maximam notam irrationabilitatis hanc esse æstimantes, si manducans quis loquatur, vel bibens concionetur. Idcirco in escis ac potibus os non aperiunt ad loquendum, neque qui ministrat, neque quibus ministratur: sed nutibus omnibus ministrantibus præcipiunt, hanc consuetudinem pro mandato à prioribus accipientes, & velut legem hanc cum solicitudine observantes: & qui hanc violaverit, tanquam maxima transgrediens jura torquetur. Vid. noſt. Emmanuelem *discurs.* 88. & Francisc. *comment. pag.* 155. *& seqq.*

Hujus præterea in mensa lectionis D. Basilius in *Regulis brevioribus* meminit, dum *interrogatione* 180. quærit. Quæ animi attentione, & affectione ea debeamus audire, quæ ad mensam accubantibus nobis leguntur? respondet, *Majori multò cum delectatione, quàm cum quanta, aut edimus, aut bibimus.* Idque, ut appareat, mentem nequaquam distrahi ad corporis voluptatem, sed majorem se in modum in verbis Domini oblectare. Quod ille faciebat, qui dixit, *Dulciora super mel & favum.* Quibus omnibus *Conc. Tolet. tertium*, ut refertur *d.* 44. *Cap. pro reverentia*, meritò adjungi potest: ubi de sacerdotali convivio agens, sic ait: In convivio sacerdotali, divinarum scripturarum lectio semper habeatur: primò, ut non solùm homo exterior, sed etiam interior, DEI verbo pascatur. Secundò, ut anima divinæ lectioni intenta à delectatione ciborum utcumque trahatur. Tertiò, ut nociva verba & contentiosa, quæ in convivijs oriri solent, evitentur. Quibus Concilium breviter explicuit rationes, ob quas à Patribus inter edendum lectio sacra est introducta. *Conc. Tolet. c.* pro reverentia *d.* 44.

Sed antequam ab hac communi mensa discedamus, non erit abs re, nostri Ordinis laudabilem, ne dicam, necessariam consuetudinem, referre ac commendare simul. Præcipitur enim 1. *p. Const. cap.* 5. *in fi.* ut post prandium, cœnamve, aut collationem, omnes Fratres in aliquem communem locum convenientes, ibi per unam horam de rebus spiritualibus, sive honestis confabulentur. Hæc autem confabulatio, sive animi quies, aut recreatio, ut facilius diuturni Ordinis labores sufferantur, ab initio reformationis statura est. Nam sicut homo corporali quiete ad corporis sustentationem indiget (continuè enim laborare nemo potest:) ita etiam (ut eleganter monet D. Thom. 2. 2. *q.* 168. *ar.* 2.) ex parte animæ, cujus operationes etiam laboriosæ sunt (præcipuè si contemplationi vacet) aliqua requie uti necesse. Adducitque D. Tho. in hujus confirmationem illud, quod in *Collationibus Patrum* legitur de B. Joanne Evangelista, qui, cum quidam scandalizarentur, videntes, eum cum discipulis ludere, mandasse fertur uni eorum, qui arcum ferebat, ut sagittam mitteret: quod cùm pluries fecisset, quæsivit, ut cùm hoc continuè face-

Benedict. in Reg. cap 38. *Aug. c.* 8. *Basil in brevior. Reg.* 180. *& alij ut supr. de commun. Refect.*

re

re posset. Respondit, quòd si hoc continuè faceret, arcus frangeretur. Cui B. Joannes subintuli: similiter anima hominis frangitur, si nunquam à sua intentione relaxetur. Hæc autem animi relaxatio dicitur *jucunditas*, sive *Eutrapelia*, quæ est virtus consistens in dictis vel factis ludicris, in quibus tantùm quæritur delectatio animalis, eo tamen fine & intentione, ut postmodum strenuè & viriliter ad spiritualia reditri possit.

Hunc etiam esse antiquorum monachorum morem, facilè in primis ex D. Hieron. ad Eustochium colliges: ubi de monachis sui temporis, postquam de eorum prandendi modo scripsit, sic ait: Hinc consurgunt, (nempe à mensa) patriter, & hymno dicto, ad præsepia redeunt: ibi usque ad vesperam cum suis unusquisque loquitur, & dicunt: Vidistis illum & illum, quanta in ipso sit gratia? quantum silentium? quàm moderatus incessus? Si infirmum viderint, consolantur: si in DEI amore ferventem, cohortantur ad studium, &c.

Præterea Cassianus *Collat.* 24. *Cap.* 20. loquens de remissione in abstinentia, & jejuniis, quam Eremitæ in hospitum adventu charitatis causa servare consueverant, sic inquit: *Licet molesta vobis, ac fugienda hæc remissio videatur: tamen quàm sit utilis ac salubris, tam corpori, quàm spiritui vestro, patienter attendite. Sæpe accidit, (non dicam Novitiis, & infirmis, sed etiam expertissimis, atque perfectis,) ut nisi mentis eorum directio atque censura quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis: aut in teporem spiritus, aut certè in perniciosam corporis valetudinem collabatur.*

Et infra, hujus interdum necessariæ remissionis causam reddit: *Primùm* (ait,) *quia provocat nos avidiùs semper solitudinis desiderare secreta: nam quodammodo cursum nostrum, dum interpolare creditur, insatigabilem jugemque conservat. Qui, si nullo interdum obice tardaretur, usque ad finem contendere indefessa pernicitate non posset.* Hæc Cassianus.

Cujus sententiæ fundamentum maximè pensandum est: ex eo enim clarè colligitur, nostras interdum remissiones, si debitè assumantur, ad spiritus profectum maximè conducere. Nam, ut optimè Seneca *lib.* 1. *de tranquillitate prope finem*; Nec in eâdem intentione æqualiter retinenda mens est. *Et infra*: Danda est remissio animis: meliores acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agris non est semper imperandum: citò enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit: vires recipient paululum resoluti, & remissi. Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quædam & languor. Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur: tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. *Et infra*: Indulgendum est animo, dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit. Hactenus Seneca.

Hæc tamen ideò adducta sunt, quia aliqui, fortè sancto & laudabili Religionis zelo, hanc animi post communem mensam relaxationem, quam nos Recreationem vocamus, è medio tollere, tanquam omnino spiritum extinguentem, non parum conati sunt. Quorum in hac re judicium non alienum à veritate videretur, si in his recreationibus notabilis aliquis excessus, ut putà, si verba nociva, si rixæ, nugæ, contentiones, vel saltem verba omnino otiosa intervenirent: aut si aliàs animi gravitas vel religiosa modestia totaliter resolveretur: vel saltem, si secundùm decentiam nostræ professionis & status, aliæ circunstantiæ vel temporis vel loci non adessent. Ob quæ S. Tho. *ubi supra*, virtutem *jucunditatis* sive *Eutrapelia*, in vitium verti meritò affirmat. In hoc enim casu similis animi remissio non parum esset Religioni nociva. Nam, ut refert Thauletus in *lib. institut.* inter alia, de quibus Christus Dominus apud quendam virum perfectum, de suis amicis querebatur, illud etiam erat, quòd simul congregati de rebus vanis vanissimè loquerentur, nec de suo nomine ullam mentionem facerent. Quare Christus Dominus (teste Ludov. Blos. in *spirituali mundi*, *Cap.* 8.) præscribens B. Birgittæ ac familiæ ejus quasi regulam quendam vivendi modum, concedit, ut post horas silentio, orationi, & alijs spiritualibus exercitiis deputatas, liberiùs inter se colloquantur, de honestis tamen, minimeque DEO contrarijs rebus. Imò eidem Birgittæ beatissima virgo MARIA in spiritu dixit, Amicos DEI posse quandoque, seu certo diei tempore consolationem externam recipere, verba tamen ædificatoria proferendo, & honestè moderateque se recreando, ad honorem, & laudem DEI. Si enim pugnus semper tenetur clausus, contrahuntur nervi, & manus debilitatur. Idcirco moderata lætitia propter carnis infirmitatem placet DEO.

Observa Christa Doctrinam.

Ubi commodè poterit observari. Hæc verba non ad lectionem Scripturæ referenda sunt: sed potiùs ad id, quod jam dictum est, nempe, quòd in communi Refectorio omnes conveniant (*ubi commodè id poterit observari.*) Quod ideo additum est, quia, cùm cellulæ aliquæ à communi Refectorio distarent, fortè ob temporis importunitatem & injuriam, aut ob alias justas causas, non ita facilis Fratribus hora solita ad Refectionem accessus contingeret: & ideo ponitur, (*ubi commodè poterit observari.*) Similia verba invenies, quoties Regula præcipit, ut omnes simul conveniant.

Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris &c. Hoc intelligendum non est de loco Refectorij, sed potiùs de cellula unicuique designata: ut in principio hujus capitis adnotavimus. Nam cùm ex *Cap. præcedenti* constet, Priorem unicuique propriam cellulam assignare debere: hoc caput, quod præcedenti annectitur, de hac loci seu cellulæ mutatione apertissimè loquitur procul dubio.

CAP.

De arbit. & cum obedien. Prælati omnia in Monasterio peragenda esse, Benedict. cap. 49. & 67. sua Reg. & concor. Cap. Nullam. 18. q. 2.

CAPUT QUINTUM.

De situ cellulæ Prioris, & de ejus gubernatione circa res Monasterij.

TEXTVS.

CEllula Prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad eundem locum primus occurrat: & de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum quæ agenda sunt cuncta procedant.

GLOSSA V.

IN duobus Capitibus præcedentibus actum est in Regula de situ & forma monasterij, de cellis Fratrum, & qualiter unicuique assignanda sit: in hoc Cap. in *prima ejus parte* de cellula Prioris Regula tractat, & decernit, eam juxta vestibulum Monasterii constituendam esse. In *secunda* verò *parte*, quasi constituto, & diviso jam Monasterio, & cellulis ad habitationem, tam Priori, quàm Fratribus deputatis: incipit jam de regimine monasterij, & de iis, quæ in eo observanda sunt, determinate: ut patet ex illis verbis, *De arbitrio & dispositione ipsius, quæ agenda sunt, cuncta procedant.*

Cellula Prioris sit juxta introitum loci &c. Circa hanc primam capitis partem duo se offerunt potissimùm consideranda. Primum est, cellulam Prioris juxta Introitum loci eo fine præcipuè erigendam decerni, ut Prior sæcularibus ad eremi domus accedentibus primus occurrat; & ipse solus cum illis res & negotia tractet: ne cuilibet advenienti facilis ad Fratres pateat accessus, præcavens in hoc, ne Fratres à contemplationis quiete, & à dulci orationis somno turbentur. Solent enim sæpissime advenientes hospites rumores varios & novitates perferre: & sic mundum ipsum in monasterium utrumque inducunt, Religiososque cogunt, aut certè invitant, ut rerum mundanarum, quas oblivioni tradiderant, denuo recordentur, & eorum menti imprimantur, quibus speciebus eorum animi depicti & informati, orationis fervorem devotionemque facilè remittunt.

Vid. post Antonium *loc. cit.* in hunc Reg textum *num.* 314 & seqq.

Quare sanctus Benedictus in sua Regula cautè præcipit, ne hospites novarum rerum nuntia in monasterium referant. *Cap.* enim 67. *sua Regula* sic ait: Nec præsumat quisque alijs referre, quæcumque foris monasterium viderit, aut audierit; quia plurima destructio est: quòd si quis præsumpserit, vindictæ Regulari subjaceat. Quod & in veteri *Pachomij Regula*, ei ab Angelo tradita *num.* 48. decernitur: *Cavendum est autem, ne quis de domo in alteram domum verba transferat, nec de monasterio in agrum, nec de monasterio in monasterium.* Et *num* 49. *Si quis ambulaverit in via, vel navigaverit, non loquatur in monasterio, quæ ibi geri viderit.* Hæc Pachomius, sive potiùs Angelus Pachomio tradidit. Et fortè ob hanc rationem, in admittendis his extraneorum sive sæcularium hominum congressibus aut confabulationibus magnam adhiberi à monachis cautionem, Basilius vult, ut late prosequitur ipse in *Constitutionibus monasticis*, Cap. 6.

Secundò certum est, Prælatum non constitui à Regula domus janitorem: tantùm enim præcipit, quòd ejus cellula sit juxta introitum eremi. Et fortè ideo non dixit juxta januam Monasterij, quia tunc, cùm Religiosorum habitacula per eremum dispersa essent, non erant aliqua sæpe circumclusa: sicut & modò contingit in Camaldulensium eremo. Quare faciè sæculares illas cellulas, quæ juxta primum introitum erectæ erant, adire poterant & ob id decernit Regula, ut ea, quæ Prioris est, in primo loco construatur. Ex quo etiam inferre licet, cùm nostrarum domorum jam nunc diversa sit forma & dispositio, non teneri Priorem suam habitationem juxta Monasterij ingressum habere.

Et de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedat. Statuit jam ab hoc loco de Prioris potestate, præcipitque, ut omnis Monasterij dispositio & gubernatio Priori relinquatur, ita, ut omnia ejus voluntate & judicio decernantur & fiant.

Circa hanc Regulæ partem oportet examinare, an omnia monasterii negotia tantùm Prioris arbitrio & consensu peragenda sint, an verò in aliquibus spectandus sit aliorum Fratrum, vel saltem majoris partis Capituli consensus? In qua dubitatione pro parte affirmativa, nempe, voluntatem Prioris solam sufficere, expresiè militant Regulæ verba nuper adducta. Authoritas igitur Prioris sola sufficit. Nec difficultatem evadet, si quis dicat, in nostra Religione prædictam Prioris potestatem Constitutionibus nostris restrictam ac limitatam esse: cavetur enim in 2. *parte earum cap.* 5. & 8. ne Prior circa bona Conventus, neque circa alia majoris ponderis, disponat absque interventu & voto trium Clavariorum, aut in defectu, vel discordia istorum sine majoris partis Capituli assensu. Nam nulla Constitutio fieri potest Regulæ contraria: ut præcipitur in Bullis *Gregorij XIII. Sixti V.* & *Clementis VIII.* Non igitur obstant constitutiones, quò minùs Prior Conventualis plenaria potestate fungatur.

Legend. Comment. nost. Franc. Sol in hæc verba, qui plura observanda documenta *pag.* 162. & *seqq.* circa hæc tradit.

Secundò, quia de jure communi tota potestas gubernandi monasterium, tàm quoad temporalia, quàm quoad spiritualia, ad Priorem sive alium quemcumque immediatum Prælatum spectat: ita expresiè docetur in *Cap.* Nullam 18. *quæstione* 2. ubi Pelagius Papa scriptum reliquit: De cetero universa, quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel utilitatem ejusdem Monasterij pertinent, Abbatis solicitudo (ad quem potestas tota pertinere convenit) debet adimplere. Ex quo loco hanc partem

Cap. Nullam 18. q. 2.

efficaciter probari, docet Navarrus *d. Cap.* nullam *num. 4. & consilio 76. de Regularibus*: à quo nullus Canonistarum dissentit.

In hac disputatione primò certum est, jure communi attento probabilius esse, Abbatem sive Priorem Monasterij per se solum hanc potestatem habere, & exercere posse: ita, ut ipse solus omnia ferè, tam quæ ad personas, quàm quæ ad res monasterij spectant, gubernet, & ordinet. Ita expressè habetur in *dicto Cap.* nullam. Dixi (*ferè omnia*) nam aliqua sunt, quæ, utpote nimis ardua, solus Prælatus absque consilio & consensu Conventus expedire non potest: qualis est alienatio bonorum Monasterij, quæ Capituli consensum prærequirit: alia verò sunt, quæ licet non consensum Capituli, ejus tamen consilium desiderant, ut optimè adnotavit Navarrus in *d. Cap.* nullam *num.* 11. pro cujus confirmatione adducit *Cap.* sine cessatione. 12. *quæst. 2. Cap* Nolli *de rebus eccles. non alienan.* Cap. Novit, & *Cap.* Quanto, & *Cap.* Ea noscitur, de his, quæ fiunt à Prælato.

Cap. sine cessat. 12 *q. 2. 6.* Nulli *de rebus eccles. non alien. cap.* Novit. *& cap. Quanto, &c.* Ea noscitur, *de his, quæ fiunt à Pral.*

Secundò certum est jure noviori, seu (ut clarius loquar) communi omnium ferè Religionum consuetudine, teste Navarro *dict. conf. 76. numero 1.* hanc Prælatorum potestatem maximæ ex parte fuisse restrictam, ita, ut bonam partem eorum, quæ ad Conventus regimen spectant, teneantur facere Capituli, aut Consiliatorum, vel Discretorum consilio, sive consensu. Idque expresè in nostris Constitutionibus *dicta 2. parte cap.* 5. notatur. Caveturque enim ibi, ut Prior ex consensu trium Consiliatorum, quos nos Clavarios vocamus, ea, quæ ad regimen Conventus spectant (præcipuè circa bonorum custodiam) expediat: & in casu, quo prædicti Clavarij dissentiant, teneatur Capitulum consulere, & majorem & saniorem partem sequi. Imò & ea, quæ ardua & majoris ponderis sunt, cum solis Clavarijs determinare non potest: sed convocare tenetur omnes Patres, vel saniorem partem Conventus consulere, ut *ibidem* præcipitur.

Quare magni illi monachorum Patres Basilius ac Benedictus in suis monasterijs, Abbatibus, ut aliorum Fratrum requirant consilia, commendarunt. Basilius enim in *brevioribus quæstion.* 48. præcipit, ut Abbas seniores monasterij ad consilium ac considerationem de rebus communibus necessariò adhibeat, persuasus ab admonitione ejus, qui dixit, Cum consilijs omnia facito. Hæc Basilius. Et Benedictus *Capit. 3. suæ Regulæ. Quoties aliqua* (ait) *præcipua agenda sunt in monasterio, Convocet Abbas omnem congregationem, & audiens consilium fratrum, tractet apud se prudenter, & quod utilius judicaverit, faciat.* Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpe juniori DEUS revelat quod melius est. Et infra: Si qua verò minora agenda sunt, seniorum tantùm utatur consilio: sicut scriptum est: *omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebit.* Et hoc est quod in nostra Regula bis aut ter repetitur, quod Prior de assensu aliorum fratrum aliqua expediat. Nec est cur immoremur in investigandis utilitatibus, quæ ex multorum adhibito consilio sequuntur.

In quibus sit coarctata Prioris potestas?

Tertiò constat, Prioris potestatem, etiam quantum ad electionem aliquorum officiorum monasterij, in nostra Religione esse coarctatam: nam Prior solus Suppriorem & Clavarios constituere non potest: sed eorum electio vel ad Provincialem simul cum ipso, vel ad Conventum spectat. Alios verò Monasterij officiales ad nutum creare & amovere potest: ad hoc enim ejus jurisdictio diminuta non est. Pertinet etiam ad ipsum, utpote quod ad regimen Conventus spectat, ordinare ea officia designare, quæ administrationi tam domus, quàm Chori deserviunt. Et quamvis id Suppriori (ne Prior multis gravetur) commissum sit: proprium tamen munus & jurisdictio Prioris est. De cujus arbitrio & dispositione, quæ ad optimam Monasterij administrationem conducunt, gerenda sunt.

Officia verò minora hebdomadibus singulis denuo religiosis injunguntur, vel injuncta confirmantur: & sic quolibet Sabbato Tabula communis legitur, qua uniemique illius hebdomadæ exercendum munus denunciatur. Quæ majori ex parte tantùm per septimanam in nostra Religione perdurant, ut nemo ab eis excusari ullo modo possit: idque valde usitatum fuit apud antiquos monachos. Namur author est Cassianus *libro 4. institut. capitulo* 19. Per cunctam Palæstinam, & Mesopotamiam, & Cappadociam, ac totum Orientem singulis hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt: ita, ut secundum Cœnobij multitudinem ministrorum quoque numerus deputetur. Et Hieronymus in *Epistola de custodia virginitatis*, de monachis sui temporis loquens, *Per singulas* (inquit) *hebdomadas vicissim ministrant.* Idque D. Benedictus sæpissimè in sua Regula monet: præcipuè *Cap* 37. *Fratres* (ait) *sibi invicem serviant:* & loquitur, ut ex sequentibus patet, de obsequio per septimanam durante. Hujus ministerij, per septimanas vicissim inter Monachos impensi, rationem reddit D. Basilius *serm.* 4. ubi postquam docuit, hujusmodi munera & obsequia debere ab omnibus per hebdomadarum circuitum exerceri, rationem assignans, inquit, *Ut humilitatis merces communis sit*, & non liceat alicui, ne in bono quidem superare congregationem, & requiet ex æquo omnibus contingat: nam partim defatigari, partim verò quiescere, insensibilem laborem facit.

Denique attenta nostra Regula, clarè etiam colligitur, Prioris potestatem esse restrictam, & limitatam, ita, ut ea, quæ graviora videntur, ex aliorum Fratrum consensu disponat. Idque ex eo præcipuè probatur, quia in duobus antecedentibus capitulis (nempe *in secundo de receptione locorum*, & in alio *de cellis Fratrum*,) Prioris facultas non extenditur sine Fratrum assensu, neque ad recipiendas domos, neque ad cellulas deputandas. Qua ergo ratione credi potest, in hoc Cap. ita ampiam ei concedi facultatem, ut omnia ipse solus gubernet, solus tractet, aut solus perficiat. Cert è limitanda sunt *hujus Cap.* verba per ea, quæ superius dicta sunt, nempe ut omnia, præcipuè si gravia sint, Fratrum consilio disponat: & monasterij regimen exerceat, ut in nostris Constitutionibus decernitur. In qua re etiam si Regula obstaret, sufficeret nostræ, & aliarum Religionum in contrarium communis, & recepta consuetudo, authoritate Pontificum comprobata.

Neque obstant in contrarium adducta. Nam prioris argumenti solutio facilis est, si attendas, tum communi consuetudine, tum nostris Constitutionibus à Summis Pontificibus confirmatis, in hac parte Regulæ derogari: imò (ut melius dicam) illam exponi & declarari.

Ad secundum simillima est responsio: juri communi derogari contraria Religionum consuetudine rationabili, & usu recepta.

Ex

Præclarè de hoc argumento discurrit noſt. Emmanuel. *Inſtit. diſc. 89.* variis adductis SS. PP. Sententijs.

Ex prædictis autem Regulæ verbis aliud ultimum conſectarium elicitur, quòd ſine Prioris obedientia, & voluntate, nihil ſive magnum, ſive parvum in monaſterio agere liceat: id enim clariſſimè ſonant illa verba: *Et de arbitrio & diſpoſitione ipſius poſtmodum, quæ agenda ſunt, cuncta procedant.* Et quidem in monaſterio tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus, tam in internis, quam in externis operationibus nihil eſſe aggrediendum ſine prævia Prælati authoritate ac obedientia, ubique Patres docent. Iſidorus enim *libro 2. de officiis cap. 15.* laudans Religioſorum vitam, inter alia ſic ait: *Neque aliquid ab eis ſine nutu Paternæ juriſdictionis aſſumitur*: & Divus Benedictus in *Regula Cap. 49.* Ergo *cum voluntate Abbatis omnia agenda ſunt*: & *Cap. 67.* ait: *Similiter correctioni Regulari ſubjaceat, qui aliquid quamvis parvum ſine juſſione Abbatis facere præſumpſerit.* Plura de hoc, eaque huic propoſito aptiſſima, infra in *Epilogo Regulæ, dubitatione ſecunda*, à nobis adducentur.

CAPUT SEXTUM.

De manſione in cellulis, & de iugi ac continua oratione.

TEXTVS.

De manſione in cellula 2. p. ſtatutorum Carthuſ. c. 1. 4. n. 2 Simile præceptū de jugi & continua orat. apud ullam Reg nou inge nies. Conſulit tamen B. Franc. c. 10. & Aug. c. 6. Et Hieron. in Reg. Monacha c. 26. & habetur in Reg. Monachorum c. 14. Vid. ſupra laudatum 2. part. directorij Reg. Tract 3. diſp. 6. ſect. 2. n. 321.

MAneant ſinguli in cellulis ſuis, vel juxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes: niſi aliis juſtis occaſionibus occupentur.

GLOSSA VI.

HUcuſque in noſtra Regula tantùm, vel ſaltem præcipuè actum eſt de Eremi loco, & ſitu, ac de poteſtate Prælati, & diſpoſitione monaſterij: jam ab *hoc Cap.* ſubditorum obligationes, & noſtrum inſtitutum, ſive ſcopum incipit aperire. In primis igitur *hoc Capite* præcipitur, ut ſinguli die ac nocte in noſtris cellulis maneamus, niſi alias ab eis aliqua juſta cauſa cogamur recedere. Præterea, quòd in eiſdem cellulis, die ac nocte, divinæ legis meditationi & aſſiduæ orationi ſtudeamus. Juxta hæc igitur duo præcepta, hujus capitis commentaria in duas dividemus partes. In quarum *prima* de manſione in cella: in *ſecunda* de meditatione & oratione, DEO dante, dicemus.

Maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel juxta eas, die ac nocte, &c.

Ex his primùm collige, non utcunque præcipi à Regula in cellis manere, ſed & præterea conſultò addi (*ſinguli*) ut denoretur, unumquemque ſingulariter & ſolum in propria cellula habitare debere, ut melius orationi vacet, juxta ea, quæ *ſuperius Cap. 3.* adnotavimus.

Secundò collige, prædictis verbis denotari & præcipi, unumquemque omni tempore in cellula commorari debere: quod ſignificant illa verba (*die ac nocte:*) idque *niſi aliis juſtis occupationibus* ab eis compellatur exire. Ex quo obiter nota, non quamlibet occaſionem ſive cauſam ſufficere, ſed eam tantùm, quam *juſtam* vel obedientia, vel neceſſitas, aut alia rationabilis cauſa reddat.

DVBIVM I.

DUbitabit tamen aliquis primò, an illa verba (*die ac nocte*) referenda ſint ad anteriorem Capitis partem, ſcilicet, ad manſionem in cellula, an fortè ad ſecundam, hoc eſt, ad meditationem, & orationem aſſiduam? Reſpondetur, ſine dubio prædicta verba ad utramque Capitis partem referri debere: utramque enim apertè copulant, & connectunt: & ita ad utramque relata optimum reddunt ſenſum, nempe: *Maneant die ac nocte in cellulis meditantes in lege Domini, ita, ut die ac nocte tam ad unum, quàm ad aliud referatur.* Et hoc primò conſtat ex communi conſenſu & interpretatione Ordinis. Ita enim ab initio ab omnibus receptum eſt, non ſolùm ad continuam orationem, ſed etiam ad perpetuam cellæ commorationem, omnes ex inſtituto noſtro teneri.

Præterea, ex ipſo Regulæ contextu non obſcurè hoc ipſum patet: nam his verbis, *Maneant ſinguli in cellulis ſuis die ac nocte*, quæ eſt prima *hujus Cap.* pars, rectè junguntur, & correſpondent ſequentia verba: *In legis Domini meditantes, & in orationibus vigilantes*: ita, ut die meditentur, nocte verò, in qua vigiliæ præcipuè exercentur, in orationibus vigilent. Tum etiam, quia prioribus Capitis verbis quaſi ipſa materialis clauſura præcipitur: poſterioribus verò modus, quo in cellis manere & exerceri debeant, deſcribitur, nempe *meditando, &c.* Unde illa determinatio, *die ac nocte*, pariformiter utrumque reſpicit, & determinat. Nam in jure receptum eſt, quòd una determinatio reſpiciens plura determinabilia, pariformiter ea debeat determinare. Legend. *Comment noſt. Franciſc. in hac Regul. verba pag. 170*

Præterea tertiò, quia quando hæc Regula mitigata fuit, inter cauſas mitigationis ea præcipuè fuit *Eugenio IV.* ob oculos poſita, quòd fratres tenebantur ad orationem, & meditationem continuam: & inſuper ad commorationem cellularum perpetuam, ut patet ex Bulla mitigationis in præfationibus addducta.

DVBIVM II.

CIrca illa verba, *juxta eas*, multos dubitaſſe vidi, an Religioſus abſque Superioris permiſſu & licentia poſſit extra ſuam cellulam, prope eam tamen, manere. Cujus dubij negativam partem non parum urget mitigationis Bulla, in qua indulgetur, ut poſſint Fratres liberè & licitè exire ad clauſtra: ergo id non erat antea ex vi Regulæ permiſſum; & ex conſequenti neque hoc tempore,

quo nos regulæ puritatem, & primitivum rigorem in hoc observamus.

Secundò pro hac eâdem parte facit: quia cum olim diversa esset Monasteriorum dispositio & situs, ut constat ex *Cap.* 2. & 3. ita, ut cellulæ adinvicem distantes, & separatæ essent: oportebat tunc, ut Fratres extra proprias cellulas per aliquod spatium parum ab eis distans, possent exire & deambulare. Hoc enim maximè ad orationem & conremplationem illos sæpe juvaret. At nunc alia est Monasteriorum forma, & dispositio, cum omnes cellæ simul in uno dormitorio jungantur, & sic qui antea Eremum, nunc cœnobium repræsentent. Quare cum immutata sit Monasterij forma, non mirum, imò necesse est, ut & jus & regula in hoc etiam immuterur. Ita enim superius sumus philosophati de cellula Priotis. Et confirmatur, quia hæc licentia propè cellulas exeundi, modò suppositia cœnobiali disciplina, contra Regulæ intentionem pugnare videtur: nam certè si unicuique liberè liceat juxta cellulam manere, facilè inutilibus confabulationibus ansam alijs præbebit: & sic finis Regulæ aut extinguetur, aut valdè immi-
325 juxta editionem Colon. quibus. nuetur, cùm fermè impossibile sit in multiloquio orationem conservari.

Confirmatur secundò, quia ferè omnes Prælati, præcipuè timorati, subditos cùm extra cellulam vagantes conspiciunt, eos increpare solent, & ad cellas redire præcipiunt: neque in hoc Prælati animadvertunt, an subditi propè an longè sint à cellulis, neque unquam subditi ibi neque alibi excusantur: quæ à posteriori magna est conjectura, prædictam Regulæ exceptionem sive indulgentiam jam inter nos ex communi interpretatione cessasse.

Ultimò, si Religiosi possent prope cellulam existere, & omnibus hoc permissum foret, & ita de facto fieret, ut omnes in dormitorio extra cellulas manerent, aut per alia monasterij loca deambularent: quid in Religione nostra absurdius fingi aut excogitari posset? Manifesto ergo constat, dictam limitationem nunc, sine magna Religionis deformitate, & relaxationis periculo, locum habere non posse.

Pro parte verò affirmativa in primis urgent ipsius Regulæ clara & indubitabilia verba, à quibus minimè licet recedere. Secundò, quia etiam aliqui Prælati, viri pij & prudentes, non multum in hoc existunt scrupulosi. Tertiò, quia in 1. *par. constitut. Cap.* 7. ita dicitur: *Ut melius servetur regula nostra, quæ præcipit, Fratres nostros manere in cellulis vel juxta eas, præcipimus, &c.* Ergo Capitulum Generale, in quo ea Constitutio edita fuit, eam Regulæ limitationem admittit & approbat.

In hac dubitatione, quæ non parvi ponderis videtur, illud in primis constituo, Religiosos non posse absque necessitate ad claustra pergere, aut per ea deambulare. Ita evidenter colligitur ex prima ratione pro contraria parte adducta; aliàs enim nos Regulam in hac parte mitigatam servaremus. Nam si ambulare per claustra relaxatio Regulæ est, non potest id nobis sine relaxatione licere. Et idem seriendum est de deambulatione & progressu ad monasterij hortum: id enim sine superioris licentia minime fieri potest, quia hoc non est juxta cellulam manere, sed longè ab illa discedere. Præterea, quia si nobis licet libere hortum adire, cur etiam non liceat ad quæcumque alia Monasterij loca pergere, & per omnia vagari? cum frequenter hortus magis à cellula, quàm alia loca, distent. Unde ad omnia, quæ intra Monasterij ambitum continentur, accessus non prohibebitur. Quid igitur est quod Regula præcipit? an, ne exeamus per plateas & vicos sine licentia? Optima certè erit cellulæ clausura, si per totum monasterium, aut per majorem ejus partem licet discurrere. Quare, aut dicendum est, nos non teneri aliqua strictiori obligatione ad manendum in cellulis, quàm ceteros Religiosos; aut restringenda est hæc facultas à cellula exeundi eo modo quo dixi, nempe, ut non liceat claustra, hortos, aut alia Monasterij loca adire, nec per ea sine licentia discurrere.

Secundò mihi valde probabile videtur, posse nos aliquando juxta cellulæ januam exire, & prope eam manere, dummodo alia incommoda non sequantur, quale esset, si omnes cellulæ simul essent in uno dormitorio: nam tunc turpe esset & valde irreligiosum, si omnes vel aliqui juxta proprias cellulas considerent. Ubi verò prædictum inconveniens cessat, vel aliud simile, (scilicet, quando Prælatus ob alias justas rationes juxta cellulas esse prohiberet,) possunt licitè Religiosi in mediocri distantia ex ea cellam, vel ad fruendum sole, vel ad commodiùs studendum, vel ob aliam rationabilem causam egredi.

Neque contra hanc resolutionem utriusque partis argumenta obstant. Nam ad primum pro parte negativa nos libere fatemur, non esse licitum ambulare per claustra, vel ad alia loca similia exire. Ad secundum respondetur, quòd etsi mutata sit domorum dispositio, servari tamen debet Regula in eo, quod commode potest, præcipue quando nullum incommodum sequitur.

Ad confirmationem Respondetur, quod in casu, quo Regularis disciplina & silentij custodia periclitetur, tunc justa est causa, ut Prælatus possit & debeat hujusmodi egressus impedire.

Ad secundam confirmationem respondetur, Prælatos justè præcipere id, quando prædicta experiantur incommoda.

Ad ultimum jam dictum est, quod (licet in dormitorio considere inconveniens sit) tamen quando cellula non est in dormitorio, tunc prædictum inconveniens cessat: imò quando dormitorium esset prope aliquod solarium, rectè possent eò accedere, si non esset periculum confabulandi, aut alias commiscendi inutiles contentiones.

Ad ea verò, quæ pro parte affirmativa objiciuntur, Respondeo ad primum, quòd Regula intelligenda est, quando nullum sequitur inconvenient: & sic pij Prælati id absque scrupulo permittunt. Et sic patet ad secundum, & tertium, quòd constitutio Ordinis non est contra nostram sententiam. Nam nos etiam concedimus eam indulgentiam non esse ablatam, sed potiùs nunc permanere, ea tamen moderatione, qua *supra dicto Cap.* 1. & 2. explicata est.

Ex his infertur verus intellectus, & genuina & litteralis expositio prioris partis hujus capitis. Ultra verò progredi & inquirere libet causam, ob quam à Regula tam stricta cellulæ clausura præcipiatur. Et ideo sit tertium dubium.

Negativam hujus quæstionem nostri Franciscus. *loc. cit.* Emmanuel *disc.* 91. & Anton. *ubi supra* num.

Confirmatur nostri constitutionum verba, & eximij P. N. *Ferdinandi à S. Maria* testimonium.

Hoc Capitulum nostri opinionem adversari videtur decretum confirmationum Congregationis posterius hujus Capitis licentiam promulgatum, quod tamen 1. *part. Cap.* 12. num. 5 ejusque hujusmodi quia eadem Regula ad utrumque egressum datur, quæ declarans ea verba, (juxta eas) præcipit singulis cellis, vel juxta eas manere, de illo cellulæ ejus cellis, & nunc alibi separata constituuntur, juxta descriptionem habitationis Eremiticæ possimodum tradendam: non vero de claustri cellis, inter quas nihil est intervalli.

DU-

DVBIVM III.

Quæ sit ratio, cur in nostra Regula ita strictè cellulæ custodia præcipiatur.

IN hoc dubio præmittenda sunt ea, quæ de jugi cellulæ habitatione Patres docent, ut ex his clausuræ fructus unicuique pateat: simulque animadvertendum, quam nostra institutio, antiquorum Monachorum, seu (ut verè loquamur) Majorum nostrorum vivendi ritui conformis sit. Deinde in secunda hujus dubij parte rationem & causas colligemus, ob quas nobis tantopere cellæ custodia commendetur.

Quantum ad primum, Ægyptijs Monachis (quos nos non immeritò ut Patres, & majores colimus) ex Cassiano, qui eorum instituta expertus, ea optimè novit, constat, magnam die ac nocte in suis cellulis jugiter perseverandi fuisse curam. Nam ut hîc *lib. 2. inst. Cap. 15.* scribit, *Nullus audet & quidem per totum diei spatium è cella sua progredi, aut deserere opus in ea solitus exercere: nisi fortè cùm fuerint ad officium necessarij cujuscunque operis evocati.* Et *lib. 4. Cap. 10.* docet, eos sine licentia minimè è cella progredi audere. Et insuper *16. Cap. ejusdem lib.* sic inquit: *Si finita Synaxi non revertebatur quis statim ad suam cellam, punitebatur.* Plura alia de hac continua cellæ habitatione passim idem tradit Cassianus, præsertim *lib. 2. 3. 4. & 10.* & alijs etiam locis infra citandis. Hæc igitur Majorum nostrorum commorandi in cellula cura, ad unguem, ut ab ipsis custodiebatur, à nostra Regula commendatur.

Basilius etiam hanc cellulæ mansionem, *sermone secundo* exercitationis, his verbis commendat. *Si itaque contigerit*, te juxta circunstantiam negotiorum aliquam, è cella proficisci, armatus in pectore timore DEI, & inserta in manu charitate Christi, devictisque per omnem continentiam voluptatum incursibus, statim necessitate expleta resili, ne immoreris: seu velocibus alis utere ad reditum, velut innocens quædam columba ad arcam, quæ te emisit, transfugiens, sicque persuadens tuis cogitatibus, contingere tibi non posse in ullo alio loco salutarem requiem. Et in fine ejusdem sermonis. *Persevera* (inquit) *in cella, non dies, neque menses, sed multorum annorum circuitus, Hymnis celestibus Dominum celebrans in nocte, & in die, imitans opera Cherubim.* Recolendus est idem Basilius in *constit. Monast. Cap. 7. & 8.* ubi stabilitatem cellæ monacho amplectendam, vagationesque sine justa causa fugiendas præcipit.

Mirum etiam est, quàm frequens sit D. Bernard. in hoc propositio consulèdo: hic enim ad *Fratres de monte Dei* (nempe ad Carthusienses sive (ut alij volunt) ad nostri Ordinis Fratres) scribens, sic monet: Propter hoc, secundùm formam propositi vestri habitantes in cælis, potiùs quàm in cellis, exclusò à vobis toto seculo, totos vos inclusistis cum DEO. Et infra: *Omnium bonorum officina est cella, & stabilis perseverantia in ea.* Et paucis interjectis *Regat sancta obedientia Regula, bonam voluntatem, illa verò corpus, & doceat illud posse consistere in loco, cellam pati, secumque morari. Impossibile est, hominem fideliter figere in uno animum suum, qui non priùs alicui loco perseveranter affixerit corpus suum.* Et denique inf. addit: *Alia cella tua exterior alia interior: exterior est, domus, in qua anima tua cum corpore tuo habitat: interior est, conscientia tua, quam inhabitare debet omnium interiorum tuorum interior DEUS cum spiritu tuo: dilige ergo interiorem cellam tuam, dilige exteriorem, & unicuique suum impende cultum.* Hæc Bernardus. Qua verò de causa, cellæ commoratio tam arcta & assidua antiquis Monachis fuerit injuncta, varijs in locis explicat Cassianus, præcipuè tamen *lib. 3. 4. & 10.* institutionum *c. 3.* ubi hanc ostendit: quia Spiritus acediæ maximè solet Monachos infestare, ut paulatim protracti è cella, actus suæ professionis incipiant obliviscì, qui non est aliud, quam intuitus & contemplatio divinæ puritatis; quæ non alibi potest, nisi in silentio, & jugi cellæ perseverantia, ac meditatione conquiri. Quo quid aptius nostro proposito dici posset? tum, ut cellæ utilitas appareat: tum, ut constet, nostrum institutum, & professionem ab antiquis illis Ægypti, & Palæstinæ monachis deducta fuisse.

Præterea idem Cassianus, *Collatione 24. cap. 3.* latè docet, ad interiorem hominis puritatem, pervigilem cellæ solitudinem maximè conducere. Nam variæ ac effusæ cogitationes à nemine prorsus, quamvis solicito, ac vigilanti, vel caveri poterunt, vel videri, nisi qui corpus atque animum jugiter intra parietum septa concluserit: ut ita quis velut piscator egregius victum sibi Apostolica arte prospiciens, in tranquillissimo cordis sui profundo agmina cogitationum natantia, intentus, atque immobilis capiat: & tanquam è prominenti scopulo curiosè profunda prospectans, quas ad se hamo trahere debeat salutari; quas verò tanquam malos ac noxios pisces negligat, ac refuret, sagaci discretione dijudicet. Et *Cap. 4.* prosequitur: *In hac ergò unusquisque custodia perseverans efficaciter illud implebit, quod per Habacuc Prophetam satis evidenter exprimitur: Super custodiam meam stabo, & ascendam super petram, & speculabor, ut videam, quid loquatur in me, & quid respondeam ad arguentem me.* Hucusque Cassianus.

D. Bernardus hanc cellæ commorationem ad cordis puritatem & orationem, latè prosequitur, ut sup. *Cella*, inquit, *& cæli habitatio cognata sunt: quia sicut cælum & cella adinvicem videntur alis quam habere cognationem nominis, sic & pietatis. Nam à celando cælum & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cælis, hoc & in cellis: quod geritur in cælo, hoc & in cellis. Quidnam est hoc? Vacare DEO, frui DEO. A cella enim in cælum sæpe ascenditur: vix autem unquam à cella in infernum descenditur, nisi sicut dixit Psalmista, Descendant in infernum viventes: videlicet, ne descendant morientes. Moriens autem vix aut nunquam aliquis à cella in infernum descendit: quia vix unquam nisi cælo prædestinatus in ea usque ad mortem perstitit.* Et infra: *Cella, terra sancta est, & locus sanctus, in qua Dominus & servus ejus sæpe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum: in qua crebrò fidelis anima verbo DEI conjungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis cælestia, humana divinis uniuntur. Siquidem sicut templum sanctum est DEI, sic cella est servi DEI: & in templo, & in cella divina tractantur, sed crebrius in cella.* Et aliquibus interpositis addit: *Otiosum non est vacare DEO, imò negotium negotiorum hoc est, quòd quicunque in cella non agit fideliter & ferventer quodcunque agit, quod propter hoc non agit, scilicet, ut DEO serviatur, in eo quod agit, otiatur.* Hæc & plura alia *ibidem*, ut optimè solet, tractat Bernardus. Ac denique Basilius 7. *suarum Constitutionum*, cellæ quietem, ac diuturnam cohabitationem ad mentis puritatem obtinendam ordinari, testatur.

Mirifica custodiæ cellæ bona & commoda.

Nec hanc solam, verum permultas alias hic sanctiss. Pater commorationis in cella utilitates & commoda producit *opusc. de laud. vit. solitar.* his verbis: *O cella negotiorum cælestium apotheca, in qua videlicet illarum mercium summa reconditur, quibus terra viventium possessio reparatur. O cella spiritualis exercitij mirabilis officina, in qua certè humana anima Creatoris imaginem in se restaurat, & ad sua originis redit puritatem: ubi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt, & pro vitiata natura sinceritatis azyma reperitur! ô cella spirituale prorsus habitaculum! namque de superbis facis humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de otiosis reddis in divina charitate ferventes! Tuo diose lingua frænum: tu luxuriosis rerum nitida castitatis adhibes cingulum: tu facis ut leves quique ad gravitatem redeant, ut jocosi scurrilitatibus parcant, ut vaniloqui & procaces se sub districti silentij censura castigent.*

Neque hæc duntaxat commoda, & bona in cella reperiuntur, verum & plurima alia, inter quæ non infima, quod per illius custodiam à multis & magnis periculis liberemur. Nam ut jam laudatus Basilius, *serm. 2 suppacit.* inquit: *Egressus es è cella tua, reliquisti continentiam, oculos transmisisti in mundum.* Quare admonet (ut suprà retulimus) ut exeat quis, quando necesse fuerit, de cella Dei timore armatus, & ad eam quàm citissimè redeat. Unde Theodorus Abbas apud Cassianum Collat. 6. Cap. 15. hoc ipsum monet: *Fugis cellæ commoratio retinenda est. Toties enim etiam reversus quis, velut novus in ea & incipiens habitator titubabit, atque turbabitur, quoties ab eâdem fuerit evagatus. Illam namque, quam in cella residens acquisierat intentionem animi, si fuerit relaxata, recuperare rursus non sine labore poterit, ac dolore. Et per hoc reductus retrò, non de amisso cogitabit profectu, quem superadjicere potuit, si cellâ non fuisset excussus: sed gaudebit potiùs, si illum statum, de quo recidit, semetipsum senserit recepisse.* Quod & ipsa experientia compertum est: hoc ipsum scilicet quod Abbas præfatus docet; varias enim perturbationes, contentiones, judicia, innumerasque alias labendi occasiones cellæ inclusione vitamus.

Quomodo è cella egrediendum.

Legend. noss. Emmanuel *loc. cit.* qui optimè è SS. PP. hæc omnia pertractat.

Ex his jam patet propositæ dubitationis resolutio, quare (scilicet) in nostra Regula in cellula, nocte dieque persistere moneamur. Nam cum nostræ Regulæ peculiaris finis, assidua sit divinæ legis, nocte dieque meditatio: nullum aliud medium efficacius, & ad hujus finis consequutionem convenientius, ac proximius excogitari potuit, quam diuturna, & stabilis cellæ commoratio: ut ita, intrantes cubiculum nostrum, ut Dominus docuit *Matth. 6. Cap.* clauso ostio, ad cælestem Patrem orationes fundamus. Ibi enim cùm omnium cogitationum sive solicitudinum strepitu cor nostrum careat, purè & familiariter DEO colloquimur. Undè non incommodè *cella, domus orationis* dici potest: tum, quia juge orandi studium exigit: tum etiam, quia commoditatem tribuit id optimè exequendi: cùm curas omnes tam internas, quam externas removeat. Quæ cum ita sint, sine dubio cellæ habitatio ad continuam meditationem maximè confert.

Matth. 6.

Hanc verò cellæ indefatigabilem custodiam ut rectiùs servaremus, nostra Regula potissimum medium adinvenit, laborem magnum, qui ad hoc propositum maximè conducit, ut latè Cassianus *lib. 10. institut.* per totum, ac varijs alijs in locis: de quo nos quoque *infrà* latissimè dicemus.

Die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes. Hæc est hujus Cap. secunda pars, in qua continua divinæ legis meditatio nobis imponitur. Hic est potissimus nostræ Regulæ scopus, ut *suprà* latiùs fumus prosequuti: quem nostræ militiæ tela veluti scopum respiciunt. Quæri tamen hìc potest, quare nostra Religio inter alias, hunc finem à nulla alia Regula intentum ita arctè profiteatur? Responderur, eam potissimùm fuisse causam, quia cùm in nostra Regula vita eremitica, ac suo modo solitaria instituatur, & hæc respiciat veluti finem, DEI & cælestium rerum contemplationem (ut ex Cassiano patet *Collation 19.* idem quæ est de fine vitæ Eremiticæ) fit, ut austeræ & solitariæ vitæ, quæ in Regula decernitur, nullus alius finis congruentior esse possit.

Quare ad hunc finem, (ut *suprà* dicebamus,) noster principalis debet tendere conatus: & quidquid ab hoc diversum est, quamvis aliàs magnum, importunum tamen aut certè noxium judicandum est. Omissis igitur alijs, quæ de hoc fine, nempe de oratione, ac meditatione, ac de ejus utilitate & fructibus, à Patribus & varijs alijs Authoribus scripta sunt, (nam hæc, & similia, quæ dictè ad nostræ Regulæ expositionem non conduxerint, prætermittenda decrevimus:) tria in hoc capite erunt investiganda. *Primum*, quid intelligatur nomine orationis, & meditationis. *Secundum*, an sit homini possibile, die ac nocte in lege Domini meditari, & orationi assiduæ vacare. *Tertium*, quæ sint, quæ facere, quis teneatur, ut huic nostro fini, & scopo satisfaciat: & an forte quis ob aliquam justam causam ab ejus adimpletione excusetur.

DVBIVM I.

Quid significetur his verbis, in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes?

CUm duo in nostra Regula distinctè præcipiantur, *meditari* scilicet *in lege Domini, & in orationibus vigilare:* oportet primo loco, quid oratio, & quid meditatio sit, explicare, ut sic Regulæ mens clariùs ab omnibus percipiatur. Et, ut ab oratione incipiam, licet oratio multas habeat acceptiones, propriè tamen & in rigore accipitur pro deprecatione sive petitione. Qua ratione ex mente Damasceni eam definit S. Tho. 2 2. *q. 83. art. 1.* dicens, *Oratio est petitio decentium à Deo.* Cui consonat D. Basilius, oratione in Julitam. *Oratio* (inquit) *est boni cujusdam petitio, quæ à pijs ad* DEUM *effunditur.* Gregorius Nyssenus oratione secunda de oratione Dominica, *Oratio est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione effertur:* & Divus Augustinus, *Oratio* (ait) *quædam petitio est.* In prædicta igitur Damasceni definitione *petitio* ponitur loco generis; *Decentium* verò, loco differentiæ: ut excludantur petitiones inutiles à ratione veræ orationis deficientes.

Definitio orationis.

Unde

Unde oratio in hac acceptione usurpata pertinet ad intellectum practicum, estque illius actus & operatio: quod & testatur idem S. Thom. *ubi sup.* Nam orare nihil aliud est, quàm exprimere mentem nostram, illamque DEO dicere ac manifestare, & ab eo aliquid petere, sive postulare. Petitio autem, cùm sit intimatio ac loquutio, ad orationem necessariò pertinet. Nam cùm intellectus & voluntas ad orandum simul concurrant; voluntas concurrit desiderando id bonum, quo caret; intellectus verò illud desiderium explicando, & proponendo, eiusque adimpletionem postulando: & in hoc consistit formaliter oratio: quemadmodum in rebus corporalibus, cùm re aliqua indigemus, per appetitum priùs rem illam desideramus; per linguam verò, (quæ est appetitus interpres) necessitatem alteri aperimus, & rem illam ab eo efflagitamus: & in hoc secundo consistit petitio.

Quid sit orare?

Præterea oratio, quantum ad præsens attinet, alia est mentalis, quæ mente tantùm concipitur: alia verò vocalis, quæ ultra hanc mentis conceptionem, vocem addit. Mentalis utilissima est, præcipuè cùm quis privatim orat; quia tunc ferventior solet esse, quàm si vox corporalis addatur, ut Concilium provinciale Mediolanense *parte 3. Cap. de divino officio* docuit: ubi sic scripsit: Quia mentis oratio tantò præstantior est eâ, quæ solùm ore exprimitur, quantò animus est excellentior corpore; plis incredibile solatium affert, & fructum. Hujus autem excellentiæ supra vocalem ea est ratio: quia per mentalem nos sæpe toto cordis ictu DEI aures meliùs attingimus, cùm ab omni strepitu corporali vacamus, quàm si voce simul & corde orare velimus. Quamvis interdum vocalis etiam utilissima sit, Idque pluribus de causis, quas adducit S. Thom. *ubi sup. ar.* 12. De oratione igitur tam mentali, quàm vocali, Regula accipienda est, cùm universaliter loquatur: ita, ut huic præcepto fiat satis, sive vocaliter, sive mentaliter oretur. Et hæc de Oratione.

Est autem meditatio, Authore S. Thoma, 2. 2. *quæstione* 180. *artic.* 3. processus sive discursus intellectus, in veritatis inquisitione occupati: & idem est (secundum Divum Bernardum in *libro de consideratione*) ac consideratio: imò (secundùm Aristotelem) omnis actus intellectus, *consideratio* dicitur. Et in hoc sensu loquimur etiam nos de meditatione, prout comprehendit quemcunque actum intellectus speculativi, circa inquisitionem & indagationem veritatis.

Quid sit meditatio?

Quo supposito, meditatio differt ab oratione: primò, quia meditatio est alicujus veritatis consideratio: oratio verò est petitio à Deo: præterea meditatio est actus intellectus speculativi; oratio verò est actus intellectus practici.

In quo differat meditatio ab oratione

Meditatio est duplex. Alia est generalis, quæ est circa quamlibet veritatem consideratio: & sic Philosophi naturales meditari dicuntur: & omnis, qui aliquam veritatem proprio labore cupit adipisci, circa illam meditari dicitur. Alia est specialis, quæ tantùm est circa divinam legem, secundùm illud Psal. 1. *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur*: & illud: *In lege ejus meditabitur die ac nocte.*

Meditatio alia generalis, alia specialis.

Psal. 1.

Quibus prænotatis, primò constituendum est, Regulam nostram illis verbis, *die ac nocte in lege Domini meditantes*, præcipere ac velle, mentem nostram debere esse occupatam ferè semper in divinæ legis consideratione. Per divinam autem legem duo intelligi possunt. Primum, quæcunque ad DEUM & divina beneficia pertinent, ut sunt bonitas, charitas, misericordia, ceteraque DEI attributa, & præterea ejus erga homines beneficia, ut sunt creationis, Redemptionis, Fidei, inspirationum, vocationum per se vel per alios, expectationis ad pœnitentiam, præservationis à tot periculis animæ & corporis: & denique plura alia unicuique propria & maxima beneficia. Secundum, defectuum & culpæ propriæ consideratio: ad quod etiam pertinet labilitas ad peccandum, dissipatio propriæ substantiæ, nuditas à virtutibus, vulnera ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, & concupiscentiæ, & alia quæ exactè licet breviter prosequitur Cajetanus, 2. 2. *quæst.* 82. *articulo* 2. Quæ omnia considerans, ideo dicitur in lege DEI meditari, quia ista per legem divinam & sactas scripturas nobis innotescunt, & ex earum meditatione, veluti ex intrinseca causa, in nobis gignitur vera devotio; quæ reddit promptam voluntatem ad divinum obsequium, ut docet S. Tho. *dicto art.* 2.

Quid per divinam legem intelligitur

Præterea, ad meditationem divinæ legis reduci potest quodcumque Theologiæ & scripturæ sacræ studium, imò & Logicæ ac Philosophiæ, si eo fine talibus scientijs vacamus, ut meliùs divinas scripturas & legem DEI cognoscamus.

Secundò existimo, quòd nomine *orationis* in Regula positio intelligantur postulationes, sive obsecrationes, aut gratiarum actiones: hæ enim sunt partes orationis, ut constat ex Apostolo 1. *ad Timoth.* 2. ubi quatuor constituit quasi species sive partes orationis, cùm ait: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Per *obsecrationes* enim Theodor. in *Commentario hujus loci*, & Augustinus *Epist.* 59. ad Paulinum *quæstione* 5. intelligi dicunt deprecationem malorum, nempe, remissionis peccatorum; per *orationes* verò exponunt petitionem bonorum, ut gratiæ, & gloriæ: at per postulationes (teste Augustino *ibidem*) quæcunque postulatio significatur: & denique per *gratiarum actiones*, id quod sonat: ita ut sensus Divi Pauli sit, orandum esse DEUM pro malis avertendis, & bonis accipiendis: & quidem utraque postulanda esse in futurum, & pro jam impetratis gratias esse exhibendas. Quicunque igitur hoc vel illo modo oraverit, in orationibus vigilabit, & Regulæ satisfaciet.

1. ad Tima.

Tertiò certum existimo, ex vi Regulæ omnes nos teneri non solùm ad meditandum, sed etiam ad orandum die ac nocte in sensu, quo in sequenti dubio declarabimus. Hoc dictum probatur: quia id expressè in Regula cavetur illis verbis, *In lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.* Non ergo unum aut alterum sufficit, sed utrumque ad perfectam adimpletionem requiritur: præcipuè cùm ex dictis constet, aliud esse meditari in lege Domini, aliud verò in oratione persistere, ac vigilare.

DVBIVM II.

An sit possibile id, quod Regula præcipit, ut die ac nocte in lege Domini meditemur, ac in orationibus vigilemus.

PRo parte negativa hujus dubij in primis appareret, de hac frequenti ac jugi oratione minimè posse ferri præceptum. Primò, quia hoc est impossibile. Nam, ut Cassianus loquitur *Collatione* 1. *Cap.* 3. Inhærere quidem DEO jugiter, & contemplationi ejus inseparabiliter copulari, impossibile est homini, ista carnis fragilitate circundato. *Nam quis unquam* (ut ejusdem Cassiani *Collatione* 23. *Cap.* 5. verbis utar) *quamvis præcipuus omnium justorum atque sanctorum, hujus corporis vinculo colligatus, summum hoc bonum ita possidere potuisse credendus est, ut nunquam à divina contemplatione discedens, nec parvo quidem tempore ab eo, qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur abstractus?* Et infra: *Ipsum illum Apostolum Paulum, qui omnium Sanctorum laborem, passionum numerositate transcenderat, nequaquam hoc implere potuisse confidenter adstruimus.* Hæc Cassianus. Quæ ergo ratione credi potest, Regulam nos ad hanc plusquam humanam contemplationem voluisse ligare? præcipuè cùm hoc sanctissimis viris fuerit in observabile, & impossibile.

Secundò, quia Regula non potest ferre præceptum de re purè interiori, cùm neque ecclesia, secundùm receptam omnium sententiam, id possit. Sed oratio & meditatio, de quibus hîc loquimur, actiones sunt immanentes, & operationes animæ omnino interiores: ergo hoc non est Regulæ præceptum; sed potiùs putandum est consilium, sive directio quædam.

Tertiò & ultimò: quia in nulla Religionis Regula simile præceptum invenies. Quare signum est, rem adeo necessariam à Patribus prætermissam ideò fuisse, quia de ea in suis Regulis præcepta edere non poterant.

In hac difficultate, quæ circa diuturnitatem orationis potissimùm versatur, in primis ex jure divino tanquam certum supponimus, nobis non esse aliquod determinatum tempus ad orandum. Ita docet S. Thom. in 4. *dist.* 15. *quæstion.* 4. *ar.* 1. *quæstiuncula* 3. & communiter alij. Quamvis autem nullus certo & præfixo tempore teneatur orare; omnes tamen, quando ad usum rationis pervenerint, præcepto naturali & divino obligantur aliquo tempore orare. Ita sentire videtur S. Thom. *ubi supra*: quia oratio medium quoddam est præcipuum ad obtinendam spiritualem salutem, quam tenentur omnes procurare: quamvis difficile sit, ut ex Paludano docuit Navarrus *Cap.* 3. *de oratione, num.* 9. determinare, quando quis peccet mortaliter non orando, sistendo solùm in prædicto jure naturali, & divino.

Secundò suppono, nos per Spiritum Sanctum sæpe ad jugem, & continuam orationem vocari: quod Dominus verbis & parabolis sæpe persuadere studuit. Nam *Luc.* 11. parabolam narrat illius, qui, ob importunitatem assiduè petendi
Luc. 18. impetravit, quod voluit, & *Luc.* 18. expressis verbis ait: *oportet semper orare, & nunquam deficere.* Et
Luc. 21. continuò adjecit parabolam viduæ, quæ sola precum perseverantia, à judice ferè inexorabili sententiam, judicium que extorsit. Et *Luc.* 21. *Vigilate itaque, omni tempore orantes.* Quam doctrinam apud Ecclesiast. legimus *capite* 8. *Ne impediaris orare semper*; & apud Apostolum primæ ad Thessalonicen. ultimo: *Sine intermissione orate.* Ecclesiast. 1. Thess. fal. ult.

His præmissis, hujus dubitationis nodus in eo consistit, quid velit Scriptura, quando nos semper vel sine intermissione excitat ad orandum: ex hujus enim solutione facilè erit perspicere, quid etiam nostra Regula illis verbis significet, *Die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes?*

Prima est aliquorum sententia, qui sentiunt eos *semper orare*, qui *semper bene operantur & vivunt*: & videtur esse de mente Gl. ossiæ, & Cajetani *ibidem*, & Navarr. *ubi supra numero* 7. At quamvis aliquia ratione, opera bona genus quoddam orationis dici possint, his enim à DEO sæpe misericordiam impetramus: tamen si propriè & in rigore loquamur, hic sensus longè distat à vero & literali sensu illorum Christi verborum: *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* Nam ex adjunctis parabolis de vidua, & de judice evidenter colligitur, ibi sermonem esse de oratione, prout petitio quædam est. Prima et positio illorum verbor. *oportet semper orare.*

Alij verò exponunt, ut *semper orare* nihil aliud sit, quàm mentem cum DEO per amorem, & desiderium assiduè conjungere. Hujus sententiæ inprimis est Divus Augustinus *Epistola* 121. ad Probam, *Capite* 9. & in *Psalmum* 37. in illa verba: *Domine ante te omne desiderium meum*; ubi sic ait: *Ipsum desiderium tuum, oratio tua est, & si continuum desiderium contemplativa oratio: non enim dicit frustra Apostolus sine intermissione orantes. Nunquid sine intermissione genu flectimus, aut manus levamus! Orare hoc pacto sine intermissione, non possumus facere. Est alia interior oratio sine intermissione, oratio, quæ est desiderium. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox est. Tacebis si amare desistas. Flagrantia charitatis, clamor cordis est: si semper manet Charitas, semper clamas: si semper clamas: semper desideras.* Hæc Augustinus. In quem locum noster Waldensis, *de Sacramentalibus titulo* 1. *Cap.* 2. intelligit per hoc desiderium continuum, orationem mentalem, & continuum affectum placendi DEO. A quibus nec dissentire videtur magnus Basilius in *oratione ad Julitam*, quo loco probat, non esse impossibile præceptum semper orandi: *Quia non est* (inquit) *impossibile, rem vehementer dilectam semper desiderare.* Nam amatores hujus sæculi, sive comedant sive bibant, rem amatam cum desiderio cogitant, & etiam inter dormiendum cum ea somniando versantur. Et in hanc quoque sententiam inclinat S. Thomas 2. 2. q. 83. *art.* 14. Altera illorum verborum expositio.

Sed certè, quamvis hæc utilis & congrua sit expositio, adhuc tamen non videtur propriè sensum litteralem explicare ejus, quod ad literam Christus Dominus significare voluit. Parabolæ enim ab ipso adductæ, propriè sumptæ orationi adaptantur: qua ratione oratio non est simplex desiderium, sed potiùs expressio, & manifestatio desiderij per verba interiora vel exteriora.

Tertia expositio commodior, & verior alijs videtur, quam sequuntur Chrysostomus, & Theophylact. in illa verba Pauli, *Sine intermissione orate*, & Cassianus *Collatione* 9. & *Collatione* 23. docentes, illis scripturæ sententijs, quibus edocemur, vel *semper*, vel *sine intermissione orandum*, nihil aliud commendari, nisi perseverantiam, & assiduitatem orandi quàm maximam habere possimus. Id enim propriè declarant Parabolæ de vidua Expositio 3. quæ melior ac verior videtur. Legend. Annotation in hoc Reg. Cap.

dua apud judicem instante,& de amico tres panes importunè postulante. Quorum exemplo, non solùm certis horis, sed omni tempore, oblata occasione, tum noctu, tum interdiu orationi vacare debemus. Et fortè Divus Augustinus & Basilius hoc ipsum volunt, per continuum desiderium. Nam quantum ex ipsis colligi potest, non loquuntur de desiderio ita metaphysicè & strictè, ut excludant loquutionem, sive clamorem, & petitionem. Et sic Augustinus intelligit per desiderium, continuam orationem mentalem. De quo omnino videndus, & attentè legendus Waldensis, *ubi supra*.

noſt. Antonij 2. *part. diſcurſ. Regul. Tract. 3. diſput. 6. ſect. 2. num. 329*

Jam ex dictis sit prima propositio. *Non est impossibile in lege Domini meditari, & die ac nocte semper orare, dummodo hoc intelligatur secundo aut tertio modo ex dictis.* Hæc conclusio constat ex authoritate & testimonio Patrum, & præcipuè eorum, quos nuper citavimus. Et maximè confirmatur: quia Regula nostra non ita strictè loquitur, ac Scriptura sacra: nam hæc tantùm de *oratione*, Regula verò, *de oratione & meditatione* vicissim faciendo loquitur: multò autem facilius est, aliquando meditari, & aliquando orare, quàm semper orare, cùm meditatio sit quædam speculativa consideratio, quæ in nobis plus perdurare & faciliùs exerceri potest, quàm oratio, quæ est quædam petitio. Igitur si Scripturæ, & Christi Domini consilium, sive præceptum de oratione non est impossibile in eo sensu, quo prædicti Patres exponunt, multò minùs credendum est, impossibilem esse jugem meditationem vel orationem: quamvis, si mathematicè loquamur, neutrum semper exerceri possit. Nam, ut rectè Cassianus dicta *Collatione 23. c. 5. Quis unquam inventus est, qui nunquam ullam cibi, ullam indumenti, aliarumve rerum carnalium gesserit curam? nunquam de fratrum susceptione, de loci commutatione, de cellulæ exstructione solicitus, opem aliquam humani concupierit adjumenti?* Et in hoc sensu loquitur primum argumentum, quo probatur, impossibile esse, nobis hac corporis fragilitate circundatis, ab hac cœlesti theoria sive contemplatione aliquando non divelli.

Vid. Commentar. in Regul. noſt. Franciſc. *pag.* 170. Erab hac pag. uſque ad 190. de eximia excellentia exercitij orationis, ejſque maximis innumeriſque fructibus atque effectibus ex SS. PP prolixius accuratiuſque deſcrit. idem præſtat noſt. Emmanuel & multo diffuſius *Tom. 1. Fructuum Carmeli à diſcurſ. 92. uſque ad 100. ſex à pag. 931. uſque ad pag. 1090.*

Secunda propositio. *Id quod Regula præcipit de meditatione & oratione continua, intelligendum est de continuatione & perpetuitate morali, in eo sensu, quo loquuntur Chrysostomus, Cassianus, & Theophylactus; non verò de mathematica & physica continuatione.* Ita expressè hunc Regulæ nostræ articulum interpretatur noster pientissimus eruditissimusque Thom. Waldens. de *Sacramentalibus, titulo 9. Cap. 76. numero 3.* Et patet primò: quia cùm Regula semper præcipiat orare, neque ullum tempus speciale designet, manifestè pro omni tempore, tam diurno, quàm nocturno, nos ad orationem hortatur. Secundò, quia Ægyptij Monachi, ex quorum instituto nostram regulam promanasse non dubito, (ut ex Cassiano pluribus locis constat) omni tempore orationi vacabant. Tertiò, quia in hoc sensu nostra Regula ante mitigationem, (ut ex Waldensi constat) fuit intellecta, & post reformationem (ut omnes nos testes sumus) in eodem sensu semper recepta est. Et denique ex mediis, quæ in Regula apponuntur, præcipuè verò ex continua & jugi cellulæ custodia, quam ad assiduam quoque orationem præcedenti dubio ordinari probavimus, apertè colligitur, mentem ipsam Regulæ fuisse, sine intermissione eo modo, quo possibile est, ad orationem & meditationem nos excitare.

Ad primum in oppositum Respondetur, id non esse impossibile, si in elligatur de assiduitate morali: Patres verò, quando censent esse impossibile semper orare, loquuntur de continuatione mathematica, qua ratione præceptum est omnino impossibile: non verò primo modo, quia sic possibile est, variis modis adimpleri, vel meditando, vel orando, aut divinæ scripturæ, vel aliis scientiis ei deservientibus studendo. Modus tamen aptior & compendiosior, quo Patres utebantur, ut huic præcepto satisfacerent, erat frequens, & crebberrimus brevium orationum, quæ jaculatoriæ vocantur, usus. Huncque fuisse morem antiquorum Monachorum, D. Augustinus *dicta Epistol. ad Probam*, & Cassianus *lib. 2. institutionum Cap. 20.* docent. *Quam ob rem*, ait Cassianus, *utilius censent, breves quidem, sed crebberrimas orationes fieri. Hoc quidem, ut frequentius Dominum deprecantes, jugiter ei cohærere possimus: illud verò, ut insidiantis jacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè cùm oramus insistit, succincta brevitate vitemus.* In quem Cassiani locum præfatus Waldensis de *Sacramental. titulo 1. Cap. 12. num. 5.* advertit, omnes istas orationes, non obstante intermissione ista frequenti, posse unam constituere orationem per se: quemadmodum ponunt Logici unam speciem quantitatis discretæ simpliciter per se unam.

Solvuntur argumenta contraria.

¶ Ad secundum argumentum sufficiebat Ecclesiæ & tot summorum Pontificum authoritas, qui nostram Regulam confirmarunt. Sed, ut omni scrupulus auferatur, facilius illud solvamus, dicentes, quòd quamvis actus interiores non possint nobis absolutè præcipi, neque aliqua lege mandari: possumus tamen nos libere aliquo voto ad eos obligari, & aliquam legem amplecti, ubi hi præcipiantur: & utrumque horum contingit in professione nostræ Regulæ, in qua ex duplici capite ad ea, quæ in ipsa præcipiuntur, sive interiora, sive exteriora sint, obligamur. Primò quia profitemur obedientiam secundum Regulam. Ex hoc capite tenemur ad omnia Regulæ præcepta, ut communiter Doctores docent. Secundò, quia etiam si votum non intervenisset, nos liberè sub hac lege & Regula cùm vivere decrevimus, ex consequenti etiam voluimus, omnes ejus leges & mandata in suo robore, & ut in ipsa jacent, acceptare.

An & quomodo actus interni præcipi valeant?

¶ Ad tertium dicimus, novum non esse inter monachos institutum semper orandi: imò, Cassiano teste *Collatione 9. Cap. 1.* Omnis Monachi finis, cordisque perfectio ad jugem atque indisruptam orationis perseverantiam tendit: & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem. Unde Chrysostomus seu potius noster Joannes Hierosolymitanus opere perfecto in Matthæum *Homilia 8. Non est ita* (inquit) *fulgidum cælum vario stellarum choro, ut Eremus.* Et infra loquens de assidua illorum Monachorum oratione ait: *Neque enim quando jejunant & vigilant, vacare post diem dignum existimant, sed noctes quoque sacris Hymnis & Vigiliis, dies autem in orationibus & manuum operationibus consumunt.* Et Gregorius Nazianzenus *lib. 7. de reconciliatione*: *Desiderabam* (inquit) *videre sanctum illum psallentium chorum, gloriam offerentium* DEO *in Ecclesia, cupiens aspicere illos, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & exultationes* DEI *sunt in gutture eorum, qui ad exemplum, & communionem melioris vitæ cæteris omnibus vivunt, legi Dei, atque Evangelij Christi*

Christi taciti prædicatores. Ex quibus fit, curam hanc, pervigilemque solicitudinem Divinis orationibus, meditationibusque vacandi, noviter ab Authore nostræ Regulæ non fuisse excogitatam, sed olim fuisse adinventam, simulque cum monastico instituto ortam: quamvis libenter fatear, nullibi nisi in Ordine nostro (saltem cum rigore & per modum præcepti) permansisse.

DVBIVM III.

Quæ sint, ad quæ quis teneatur, ut huic Regulæ præcepto satisfaciat.

CUm ex dictis constet, orationem ac meditationem potissimum esse nostræ Regulæ finem, non est dubium, quin ad ejus observantiam majori obligatione, quàm ad alia media vel præcepta Regulæ, teneamur: & sic majori conatu ad illum nitendum est diligenter, quantum fuerit ex parte nostra curantes, ne incapaces & inhabiles reddamur ad hujus finis assequutionem. Unde præsens dubium inquirit, quæ & quanta erit hæc obligatio.

Finis præcepti non cadat sub præcepto.

Pro parte negativa in primis urget commune illud Theologorum axioma, quòd finis præcepti non cadit sub præcepto, ac proinde videtur, quòd finis Regulæ non cadat sub illa, neque sub aliqua alia obligatione.

Finis præcepti alius generalis, alius specialis.

Pro hujus resolutione sciendum est, finem alicujus præcepti duplicem esse: alium specialem, alium verò generalem, qui communis est omnibus præceptis, qualis est charitas. Et quidem finis hic posterior non continetur sub præcepto quolibet, quamvis omnium sit finis: quia licet actus omnium virtutum ordinentur ad charitatem, hic tamen finis non comprehenditur in quolibet speciali præcepto, nec legis divinæ nec humanæ. Etenim neque ab homine, nec à Deo punitur, tanquam præcepti transgressor, qui parentibus debitum honorem impendit, licet hoc facit absque charitate, & DEI dilectione, ut notavit D. Tho. præcipuè 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. Finis verò præcepti specialis sub præcepto continetur, ut in præcepto peculiari & speciali diligendi DEUM, explicat idem D. Tho. in *dicta quæst.* 100. *art.* 10. Et hoc est, quod communiter dicitur, præceptum continere finem proximum, non tamen remotum, ut ex D. Tho. manifestè deducitur, & præcipuè probatur ex *q.* 44 *art.* 4. *ad primum* 2. 2. ubi ita scribit: *Sub præcepto, quod datur de actu alicujus virtutis, non cadit modus quem habet ille actus ex alia superiori voluntate: cadit tamen sub præcepto modus ille, qui pertinet ad rem propriæ virtutis.* Ibi D. Tho. per modum actus intelligit ejus circunstantias, quarum præcipua est circunstantia finis, sive objecti, quæ in moralibus coincidunt & in specie, quod finis proximus Religionis sive Regulæ, etiam si neque Regula ipsa, neque statuta Religionis obligent ad culpam mortalem, cadat sub gravi obligatione, docuerunt Antoninus 3. *p. Summæ ti.* 16. §. 7. Turrecrem in *proœmio Regulæ D. Benedicti* & D. Tho. non obscurè significat, 2. 2. *q.* 147. *art.* 3. *ad secundum*, & manifestè *ibi* Cajetanus: & inter juniores, doctissimus Bannez 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 3. *dubio* 3. docet, in suo Ordine eum Religiosum peccare mortaliter, qui fit incapax, vel non conatur, cùm possit, ad prædicandum: quia hic est suæ Religionis finis. Si hæc igitur vera sunt, aperte colligitur non esse tutum in conscientia, qui in nostro Ordine non contenderit se expeditum & habilem reddere ad meditationem & orationem.

Anim. adverte tenda doctrina

Sed quia hæc prima facie, & scrupulosiùs dicta videntur, oportet, ad sedandas conscientias, ea nos ampliùs explicare, docentes, qua ratione facienda sit hæc expeditio. Tunc igitur nos habiles & expeditos reddidisse dicemur, quando, quantum in nobis fuerit, ea impedimenta tollamus, quæ nos ab oratione & meditatione præpediunt: ea (inquam) quibus spontaneè, non bis aut iterum, sed jam quasi innata consuetudine retinemur. Nam de illis, quæ ex obedientia contingunt, impedimentis non est multum curandum, ut *infra* dicam.

Præterea, etiam quis, (quantum ad præsens attinet) ad orationem habilis dicetur, si prædictis adhuc ligatus vinculis sive impedimentis, ad meditationem & orationem quoquo modo aspiret, eam (scilicet) desiderando, & aliqua ex sua parte adhibendo media, ut est lectioni devotè vacare, aut horas à Constitutionibus orationi deputatas non intermittere. Ex quo infero, eum, qui ab aliqua passione ita se vinci & superari permittit, ut deinceps animum demittat meditandi & orandi, saltem eo modo, quo nunc dixi, in periculoso statu versari: quia quantum est ex sua parte, desistit ab intentione consequendi proprium finem.

Quando, & quomodo in periculoso statu versentur boni Religiosi alumni

Sed quæret aliquis, an satisfaciat quis huic obligationi, si tempora ad mentalem orationem determinata cum alijs adimpleat, alijs verò temporibus nullam de meditatione rationem, aut curam gerat?

D. Augustin. in *lib. de hæresibus Cap.* 57. & Beda in *Commentariis in Cap.* 18. *Luc.* D. Anselmus, & alij in C. 5. 1. *ad Thessalonicenses* docent, eum semper orare juxta Christi & Apostoli præceptum, qui statutas, & certas orandi horas non prætermittit: & ita exponunt illud, *Oportet semper orare.* Sed certè hæc expositio non multum litteræ quadrat. Nam (ut *dubio* 2. probavimus) Christus Dominus illis parabolis, quibus confirmavit hoc dictum, nempe, de vidua instante apud Judicem, & de amico media nocte petente tres panes, non solùm certis horis, verùm etiam omni oblata occasione, die ac nocte orationi vacandum esse ostendit.

Deinde quia nostra Regula non certas determinat horas, cùm id facilè posset: sed indiscriminatim die ac nocte præcipit orare. Præterea etiam, quia prædicti Patres loquuntur de oratione vocali, quæ non potest esse perpetua: non verò de mentali; ut rectè annotavit nost. sapientissimus Waldensis de *Sacramentalibus tit.* 1. *Cap.* 3. Nam mentalem posse esse continuam docuerunt Augustinus, & alij patres, *ubi* supra. Nos verò hìc loquimur de mentali.

Quid dicendum sit juxta meliorem sententiam

Quare aliter & meliùs dicendum est, eum, qui horis designatis orationi cum ceteris assistit animo, & intentione orandi, etiam si aliis temporibus orationis vel meditationis non recordetur, nostro Regulæ scopo & fini quoquo modo, licet non plenè satisfacere: quia hic non se reddit inhabilem ad Regulæ finem consequendum, licet ad eum non tendat perfectiori modo, quo potest. Sicut cui ex proprio instituto competit prædicare, si ille intentionem habeat prædicandi, & aliqualiter se ad hoc disponendi, licet non ita ut posset, vel ut alij studeat, literis vacet: non ideo se reddit inhabilem,

lem, sed potiùs aliqua ratione sit aptus & capax. Ita in nostro proposito dicendum est de eo, qui intentionem habet, si posset, semper orandi, & aliquando orat.

Notandum est tamen, quòd hic, licet non esset transgressor finis Regulæ, quia ad ejus adimpletionem sufficit intentio exequendi illum, sine dubio peccaret venialiter, in quantum transgreditur Regulæ præceptum, quo statuitur, ut omni tempore Orationi, & meditationi vacemus.

Quid de Fratribus laicis?

¶ Dico secundò, probabile esse, Fratres laicos non ita strictè ad orationem continuam teneri, sicut Clericos & Choristas. Ratio est: quia officium laicorum & eorum destinatio potius est laboribus manuum, vel exercitiis corporalibus deservire, quàm orare aut contemplari: & hoc omnium Religionum consuetudine servatur, ut in ad ministeria vitæ activæ præcipuè recipiantur. Et ob hanc rationem alibi nos docebimus, non posse ad arctiorem Religionem intuitu majoris perfectionis transire: quia in unaquaque Religione eundem scopum habere debent, scilicèt, opera vitæ activæ, quæ eorum est finis principalis. Et ob id docuit Sylvest. verbo (*Hor. Canon.*) Fratres laicos peccare mortaliter, si in ministeriis vitæ activæ negligenter se gerant. ¶ Verùm (quicquid sit de hac re & opinione Sylvestri) adhuc probabilius existimo, eos ex vi nostræ Regulæ æquè ac ceteros Choristas ad orationem teneri. Tum quia in Regula æquè omnibus indicitur labor manuum, & Oratio mentalis. Tum etiam, quia inter nos communi interpretatione receptum est, eos æquè ac reliquos ad orationem obligari.

Unde ad rationem in oppositum adductam respondetur, eam procedere de fine mediato, & remoto, non verò de proximo ac immediato. Tum etiam argumentum non urget: quia illud Theologorum Axioma intelligendum est de fine actuum moralium. Nos verò hic non loquimur de fine actuum, sed de fine status ac professionis monasticæ: de quo noster sermo procedit.

CAPUT SEPTIMUM.

De Horis Canonicis.

TEXTVS.

De offic. div. Aug. Reg. c. 6. Bene. d. c. 8. sua Reg. usque ad 20. Franc. c. 30. & 2. par. stat. Carthus. cap. 1. Reg. Mon. bar. c. 23. 724 B. Franc. c. 3. Reg. agit de of. laicorum.

HI qui Horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundùm constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesiæ approbatam. Qui eas non noverint, XXV. vicibus Pater noster *dicant in nocturnis vigiliis, exceptis* Dominicis *& solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum* numerum *statuimus duplicari: ut dicatur* Pater noster *vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus Matutinis: in aliis quoque Horis septies similiter eadem dicatur oratio sigillatim, præter officia vespertina, in quibus eam quindecies dicere debeatis.*

GLOSSA VII.

POST orationem mentalem, de vocali sermonem Regula instituit, utpote de re maximè ad illam conducente. Nam ut author est D. Augustinus in *Epistola ad Probam*, *Ne desiderium tepescat, inflammandum est crebrò aliquibus certis verbis.* Et in *eâdem Epistola Cap. 9.* ait: *Interdum voce nos ipsos ad devotionem acrius excitamus.* Et ob id docuit etiam Cassianus, (ut *Cap.* præcedenti adnotavimus,) fuisse morem antiquorum monachorum, breves quidem & crebrissimas orationes jaculatorias fundere: nam non solùm interiori mente, sed etiam corpore, & linguâ debitæ servitutis obsequium DEO reddendum est. Quare oratio vocalis valdè utilis ad exercitium mentalis, imò & necessaria & obligatoria est, quando ex præcepto Ecclesiæ, vel aliorum Superiorum, certas preces recitare jubemur, ut in præsenti *Capite* Regulæ præcipit.

Ex *hoc Cap.* tria elicitur. *Primum*, quòd tam Clerici, quàm reliqui, qui ut Horarum officium noverunt, ad ejus recitationem tenentur. *Secundum*, quòd officium divinum in Ordine recitandum est secundum Constitutionem sanctorum Patrum. *Tertium*, quòd Fratres Laici, vel hi, qui Horas Canonicas nondum recitare noverunt, tenentur earum loco certas orationes vocales in hoc *Cap.* assignatas dicere.

Hi qui horas Canonicas cum Clericis dicere noverunt. Circa prima verba, nempe, *Horas Canonicas*, notandum est: primò certas preces, quæ in septem partes principales dividi solent, nempe in Nocturnas, & Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, Vesperas, & Completorium, appellari *Horas Canonicas*, & *divinum Officium*. Ideo autem *Horæ Canonicæ* dicuntur, quia certis horis præscripta Canonum sanctiones recitandæ sunt. Dicitur præterea *officium Divinum*, quoniam proprium est munus Clericorum & Monachorum, DEUM per certa & statuta tempora orare: & quia in eo continentur id, quod facere erga DEUM debemus, ob id appellatur *officium*: & insuper additur *Divinum*, quia in eo divinæ laudes continentur. Et hoc est, quod Regula intelligi per *Horas Canonicas*.

D. hij

Secundò in illis verbis, *cum Clericis dicere norunt*, Dubium se offert circa eorum sensum literalem. Videtur enim ex his verbis colligi, quòd qui officium divinum recitare noverit, sive clericus sive laicus, ad illud teneatur. Nam absolutè Regula inquit, *Qui noverit*. Ergo si Laicus noverit, obligabitur.

incidentis solutio.

Respon-

Respondetur, olim in nostro Ordine, neque in alijs Religionibus (loquor nunc de illis, quæ à multis retrò sæculis floruerunt) non fuisse inter Monachos, laicorum & Choristarum (ut nunc) adinventam distinctionem. Neque enim aliquis ex antiquis rerum Monachalium Scriptor, hujus rei mentionem aliquam facit: sed omnes indifferenter ad Religionem admittebantur. Et inter hos, qui legere aut intelligere Horas noverat, ad earum recitationem tenebatur: qui verò literas nesciebant, excusabantur, & ita credi potest, quòd si quis literarum ignarus admitteretur, & is postea temporis decursu litteras didicisset; licet eo tempore, quo eas ignorabat, ab officii persolutione excusaretur, postea verò de officio divino instructus, ex vi Regulæ ad illud tenebatur. Jam verò in Religionibus omnibus inducta est consuetudo, ab admissione & tempore probationis monachorum, alios Choro, (& hi *Choristæ* sive *Clerici*) alios verò monasterij obsequijs corporalibus (& hi *laici* nuncupantur) deputari. Illi ad Horarum persolutionem, hi verò ad certas vocales preces earum loco tantùm adstricti sunt, Secundum ergo hunc Religionum morem interpretanda, & observanda Regula est.

De Horis canonicis plura à nobis dici possent: sed quia tantùm quæ ad nostrum propositum necessaria sunt, in hac Tractatione edere curamus; ideo his prætermissis, ad ea, quæ potissimùm Regulæ expositioni conducunt, deveniamus.

DVBIVM I.

Qualiter à Regula Fratres professi obligentur ad officium Divinum.

PRIMO certum est, maximè fuisse rationi consentaneum, & ad Ecclesiæ sacram politiam conducens, aliquas instituere & designare personas, quibus proprio munere incumberet, ut quotidie DEO totius populi nomine psalmos, & laudes, orationésque offerrent. Nam si Respublica temporalis homines habet militiæ manciparos, qui noctu diuque ad civitatis custodiam excubant; cur etiam Ecclesia, quæ spiritualis Respublica est, non habebit suos milites deputatos qui eâdem ratione vigilent contra spirituales inimicos, eòsque clamando ab Ecclesiæ finibus arceant? secundùm illud Esai. 26. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes: tota die & nocte in perpetuum non tacebunt.* Qui locus eo modo, quo Hieronymus intelligit, applicari etiam potest Ecclesiæ militibus, qui nec diebus, nec noctibus tacere debent, sed semper Domini clementiam deprecari. Isai. 26.

Secundò certum est, has personas deputatas, sive hos strenuos milites & custodes esse tam clericos (sive dicantur Clerici ratione Ordinis sacri, sive ratione beneficij Ecclesiastici) quàm Monachos. Et primò quòd ad Clericos pertineat officij divini recitatio, plura extant, tam Conciliorum, quàm sacrorum Canonum testimonia: de quibus videndi sunt Doctores Scholastici. Ad Monachos verò quando, & qua ratione hæc obligatio fuerit derivata, non satis constat. Cajetanus in *Summa* verbo (*Horæ Canonicæ*) fatetur, se nullo modo videre, qua ratione ad hæc Religiosi teneantur, nisi consuetudine, de qua utrum obliget nècne, multum se dubitare ait Medina C. *de oratione*, c. *de necessitate vocaliter orandi*, oratione publica, absolutè negat, eos teneri. Loquuntur autem hi Authores, & nos etiam nunc loquimur de obligatione ex vi professionis: nam si aliàs per suam Regulam & statuta Monachi obligentur, nulla tunc erit controversia.

Communis sententia est affirmativa, quæ docet, Monachos omnes teneri ex præcepto Ecclesiastico ad divinum officium. Ita ferè omnes sentiunt tam Theologi, quàm Canonistæ, ut videre est apud Sylvestrum verbo (*Hora*) & alios Summistas: docet D. Antoninus. 3 *par. tit.* 13. *Cap.* 4. Soto *lib.* 10. *de Justitia q.* 5. *art.* 3. Quorum, & aliorum testimonia adducit, & amplificat Navar. in *Enchirid. Cap.* 7. *num.* 4. & *cap.* 21. *n.* 19. Cujus sententiæ fundamentum est, quia communi, & generali Ecclesiæ consuetudine, quæ legis habet vim, ita est declaratum. Sed præcipuè, teste D. Antonino 3. *par. ubi suprà*, ad officium divinum tenentur Religiosi, quorum institutum est vita contemplativa: quia hujusmodi (inquit) Religiones nos solùm institutæ sunt ad orandum pro se, sed etiam pro universali utilitate Fidelium. Ad hujusmodi autem faciendam orationem in persona totius populi Christiani, sunt institutæ Horæ canonicæ specialiter. Vid. noster Andreas à Matre Dei Tom. 4. curs. Theolog. Moral. Tract. 15. cap. 1. punct. 1.

Sed certè, quamvis hæc sententia, quantum ad monachos sacris non initiatos vera sit, horum enim obligatio sola consuetudine nititur: tamen quantum ad Monachos jam sacris initiatos, ut certiùs judico, eorum obligationem in jure Ecclesiastico fundari. Nam cùm Monachorum, qui olim majori ex parte laici erant (ut colligitur ex S. Thom. 2. 2. *quæstione* 199. *ar.* 8. *ad* 2.) temporum successu fors fuerit immutata, & eorum major numerus Clerici essent, & olim esset à jure determinatum, ut Clerici sacris initiati in Ecclesia publicis vigiliis, & precationibus adessent, ut patet ex *Cap.* Clericos, & *duobus sequentibus*, 91. *distinctione*, fiebat, quòd cùm clerici monachi commodè Ecclesias sæcularium non possent adire, necesse esset, ut ipsi monachi in suis monasterijs publicè divinum officium peragerent. Et ob hanc causam in singulis monasterijs propriæ erectæ sunt Ecclesiæ: & ex tunc Monasteria in duo Monachorum genera dividi cœperunt: alterum eorum, qui choro & divinis laudibus vacarent; quod ex illis Monachis constabat, qui sacris erant initiati: alterum verò eorum, qui (ut dictum est) aliis obsequijs deputabantur, qui Laici sunt appellati. Cap. Cleric. & duo sequ. 91. dist.

Dico primò, sive ratione consuetudinis, sive ob fundamentum nuper adductum, Religiosi omnes Choristæ, sive sacris initiati sint, sive non, ad officium divinum tenentur: inter hos autem strictiori vinculo tenentur, qui jam sunt sacris initiati, quàm reliqui Choristæ, qui ad sacros Ordines nondum promoti sunt: Quia illi & consuetudine, & lege Ecclesiæ obliganturi hi verò tantùm consuetudine, quæ non semper obligat ad mortale. Imò non deficiunt docti Neoterici, qui meros Choristas semel aut iterum divinum officium omittentes, à culpa mortali excusent. Et eorum fundamentum est: quia valde durum videtur, & à pietate Christiana alienum, mittere aliquem in infernum sine evidenti ac certa ratione. Quare, cùm non constet certò de obligatione talis consuetudinis, impium videtur eos ita facilè condemnare. Consulend. de reli. Ingolst. par. 2. Tract. 3. disp. 6. sect. 2. n. 339. Ubi citantur è nostris Joan Sotereth, Hieronym. Granatus, Jo. Bapt. Lezana, Francisc. à S. Elia, Francisc. Bonæ Spei, & Stephan. à S. Paulo

Pro hac sententia, cujus modò examinandæ non est locus, videndus est Arag. 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. *dub.* 4. *con.* 3. cui maximè favet Soto *lib.* 10. *de justit.* 9. 5.

q. 5. ar. 3 Pro ipsius tamen quasi confirmatione addiderim, Choristas jam professos nondum promotos, qui in monasteriorum officijs occupantur, ideòque Choro interesse non possunt, aut qui aliàs non docti sunt, aut minùs experti, ut officium divinum commodè dicere possint, ex privilegio summorum Pontificum ad persolvendum integrè prædictum officium non teneri: sed Prælati habita consideratione subditorum, ultra officium B. Virginis, ad quod obligatos remansisse Pontifex voluit, aliquid aliud dicendum illis imponere possunt. Ita concesserunt *Eugenius IV.* Congregationi Sanctæ Justinæ, & *Julius II.* Congregationi Montis Oliveti: & *Leo X.* Ordini Camandulensium. Imò & prædictis Religiosis ob aliquam utilem, & honestam causam, officium præfatum omittentibus posse Prælatum aliquas orationes injungere, quibus satisfaciant, indulsit *Eugenius Quartus* Congregationi Sancti Benedicti Hispaniæ, ut habetur in *Compendio privilegiorum dicti Ordinis num.* 55. ubi nullam eis imponit obligationem, neque ad officium Beatissimæ Virginis. Ex quo colligi potest, quòd, cùm tam facilè in hac re dispensent Pontifices, non est credendum, ita arctam & strictam esse hanc obligationem. Cetertùm (quicquid de hoc sit) illud inter omnes constat, eos, licet semel, aut iterum excusari possint, ratione tamen consuetudinis in universum omnes obligati.

Dico, Secundò, nostri Ordinis Religiosi ex vi Regulæ tenentur ad persolvendum divinum officium. Ita constat, & decernitur expresse in *hoc Cap.* dum dicitur, *Hi qui horas canonicas cum clericis dicere norunt, eas dicant.*

Sed dices, An choro deputati nondum sacris initiati, qui ex vi nostræ Regulæ ad persolutionem divini officij tenentur, obligentur ad illud sub reatu mortali? Et ratio dubij est: quia Regula ex se tantùm obligat ad culpam venialem, neque aliunde obligantur. Nam consuetudo, quæ in alijs Religionibus obligat, inter nos locum habere non potest. Quoniam nunquam nostri Religiosi, sicut alij, ratione consuetudinis compulsi sunt divinum officium recitare. Quare tantùm hæc obligatio orta est in Religione ex hoc Regulæ præcepto.

Vid. Emanuel. à Jesu Maria *discurs.* 101. *Tom.* 1. *fruct. Carm.*

Respondeo. Mihi probabile, videtur ob prædictam rationem, eos, qui choro deputantur, solùm teneri sub culpa veniali Horas canonicas recitare, quamvis probabilius & certius credam, adhuc eos, sicut & reliquos Religionum Choristas, sub culpa mortali teneri. Nam quamvis in Regula primùm fundata sit hæc obligatio: tamen ejus qualitas & modus obligandi, etiam in nostra Religione, ortum habuit à Consuetudine, qua communiter apud omnes inductum est, Choristas, etiam sacris non initiatos, Horas prætermittentes peccare mortaliter. Et hic communis omnium consensus vim habet consuetudinis. Ac proinde certissimum judico, nostros Religiosos adhuc sub mortali obligari.

Dico tertiò, Religiosos laicos, neque jure aliquo communi, neque consuetudine aliqua teneri divinum officium recitare. Hæc est tum communis Religionum consuetudo, quæ eos ab hoc onere liberat, tum etiam est communis Doctorum sententia; quicquid Paludanus, & Augustinus de Ancona relati ab Antonino *ubi supra*, in contrarium dicant, eo fundamento adducti, quia eo ipso, quòd applicati sunt ad cultum divinum, habent quasi beneficium Ecclesiasticum interpretantium, scilicet, vivendi ex eleemosynis vel redditibus Monasterij, qui Monachis conceduntur ratione applicationis ad cultum divinum: & ex consequenti censent, eos teneri ad Horas, sicut & ceteros Choristas.

Contrariam tamen sententiam, ut communem, omnes amplectuntur. Cujus potissimum fundamentum est: quia laici in Monasteriis, corporalibus exercitijs, & in obsequium Choristarum, ut ij liberiùs DEO vacent, mancipantur, & sic eorum principale institutum est, activam vitam exercere. Et quemadmodum possent in Ecclesia institui Religiones absque Choro, ad vitam activam tantùm ordinatæ, ut testatur Sanctus Thomas *secunda secundæ quæstione* 188. *articul.* 2. ita intra easdem Religiones potuit, & debuit duplex monachorum genus institui: quorum unum contemplationi tantùm, vel contemplationi & actioni simul; alterum verò vitæ activæ tantùm, vel saltem principaliter astringeretur.

Vid. Ant. à Spiritu S. *Director. Regul. loc. supracit. n.* 340. *& seq.*

Præterea, quia loco divini & Canonici officii, in omnibus ferè Religionibus, laicis imponitur certus orationum numerus, quem explere tenentur, & quod suo modo divinum officium dici potest: quod solet brevius & facilius esse, ut illi non impediantur à debitis obsequijs Monasterio exhibendis, ad hoc tamen officium persolvendum, non est cur mortaliter obligentur, cum neque ex consuetudine, neque ex jure, neque aliqua alia lege eos mortaliter obligari, constet.

Neque in contrarium adducta ratio pro Paludano & Ancona urget. Quia etsi Fratres laici ex eleemosynis vivant: suo tamen modo pro populo Christiano orare censentur, in quantum alios orantes adjuvant, eos à curis alijs, & solicitudinibus excusando, ut rectiùs, & attentiùs DEO vacent. Quod sufficit, etiamsi aliàs ipsi non orarent, ut justè monasterij eleemosynis sive redditibus vivant. Tenentur tamen Fratres laici ad officium divinum à Regula taxatum sub veniali tantùm: nam non est aliunde, à quo obligentur, nisi à Regula. Hæc autem tantùm obligat sub veniali.

Dico quartò, Religiosos teneri ad officium divinum, publicè & in communi in suis monasterijs peragendum. Hanc conclusionem docet Soto de *justitia & jure art.* 4. *ubi suprà*. Navarrus *de oratione Cap.* 5. *nu.* 11. Sylvest. verbo (*Hora*) *num.* 10. & colligitur ex Clementina prima §. *ne igitur*, de celebratione missarum, & ex *Cap.* 1. *adjuncta glossa* verbo (*persolvat*) eodem titulo: ubi decernitur, Horas canonicas publicè in Ecclesia dici debere. Et ratione etiam constat: quia Monachi magna ex parte sunt sacris initiati; sed non est licitum, secundùm jura (ut constat ex *d. Cap.* clericos, *& duobus sequentibus*) ut Clericorum conventus expers sit divini officij: ergo tenentur in communi Monasterio divinum officium recitare.

Cle. 1. parag. *Ne igitur, de celebra. Miss. &* c. 1. adjuncta glo. *eod. titul.*

Ex quo infertur, Prælatos Religionum teneri sub reatu mortali (si opportunitas adsit) divinum officium in suis monasterijs publicè & in communi persolvi curare. Dixi, *Prælatos ad hoc teneri*, quia hæc obligatio ad subditos non pertinet: imò neque ut horis publicè intersint, nisi aliàs ex aliquo alio statuto sub reatu mortali obligentur. Quamvis Sylvester (*ubi supra*) quem sequutus est Angelus verbo (*Hora*) existimet, eum, qui in consuetudinem duxerit Horis canonicis non adesse, vel si ob ejus absentiam, quando est sine rationabili causa, Ecclesia in celebratione divini officij magnam jacturam pateretur, ut pùtà, quia non sunt alij illud potentes competenter celebrare,

Legend. Andreas noct. *loco supra cit.*

peccare mortaliter. Cujus in hac re opinio, quantum ad primum membrum, nempe quantum ad eum, qui ex consuetudine abest, mihi non probatur: quia consuetudo absque contemptu non inducit culpam mortalem, ut alibi latiùs diximus: licet de illis, ob quorum absentiam Chorus magnum & notabile patitur detrimentum, Sylvestri sententia probabilis appareat, quam sequutus est Cajet. verbo (*Hora.*) Nam quamvis subditi, aliqua lege eos graviter obligante, adesse Horis non teneantur: tamen ex vi legalis justitiæ eorum absentia erit peccatum mortale: quia ex eorum negligentia Monasterium, notabile & magnum subit detrimentum, quando in ipso publicè divinum officium non recitatur, aut cum notabili irreverentia persolvitur.

Illud tamen est certum, Religiosum legitimè non occupatum si choro non interfit, peccare venialiter: tum primò, quia hæc est peculiaris Choristarum professio: tum secundò, quia ex vi juris & consuetudinis omnes tenentur publicè Horas persolvere: tum tertiò & urgentius, quia id nostra Regula præcipit illis verbis, *Eas dicant secundùm constitutionem sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesiæ approbatam*: Consuetudo autem Ecclesiæ est, ut publicè omnes in Choro conveniant: ergo ad minus ad veniale ex hac consuetudine obligantur: tum ultimò, quia non caret culpa gravi, aliquem esse alicui muneri vel ministerio deputatum, & tale ministerium non adimplere.

Sed circa prædicta quæret aliquis, quæ opportunitas adesse debeat, ut Prælatus id curare teneatur? Respondeo, de hoc satis apud Authores non constare; colligi tamen posse hanc opportunitatem, & judicandum fore de ea arbitrio boni viri ex pluribus circunstantijs, existimo: nempe, ex numero Religiosorum, ex temporis opportunitate, ex loci commoditate, ex populi scandalo, & alijs occasionibus. Quibus pensatis, prudens Prælatus arbitrabitur, an expediat nè ne, pro tunc divinum officium solvere. Sed quia præcipua pars chori ex Religiosorum numero constat: merito quis dubitabit, qualis numerus sufficiat, ut Prælatus teneatur cum eis persolvere?

Respondeo, difficile esse etiam in hoc certam mensuram aut Regulam tradere, cùm pendeat ex varia in Religionibus Chori qualitate. Unde numerus, qui in una sufficeret, in alia esset minimè conveniens. Ceterum quamvis existimem, certam regulam constitui non posse omnibus Religionibus communem: hoc tamen intelligo procedere in persolutione divini officij, quando cum cantu celebratur: sic enim in Religionibus taxari solet numerus eorum, qui ad minus adesse debent in choro, ut divinæ laudes cum cantu persolvantur. Tamen ut saltem recitentur publicè & in communi, sufficiunt quatuor, licet quidam duos sufficere velint, qui chorum componunt, & tantùm ipsis assistentibus, chorus propriè dici potest. Testatur enim D. Isidorus chorum, in lege nova certo ac determinato numero non constare: ait enim *lib.* 1. de Chotis Cap. 3. *Chorus propriè multitudo canentium est, quique apud Judæos non minùs à decem constat canentibus: apud nos autem incerto numero à paucioribus pluribusve sine ullo discrimine constat.* Hæc Isidorus.

Dico quintò, Non solùm tenentur Prælati, ut publica officij divini in suis monasterijs recitatio fiat: verùm etiam, ut divinum officium debitis horis, & statutis temporibus persolvatur: ita, ut mortaliter peccent, si extra statura tempora recitentur. Ita docent Cajet. Verbo (*Hora*) §. 4. Silvest. §. 9. Medin. *Cap. de oratione quæstione de Horis Canonicis recitandis dubio* 1. Navar. *lib de oratione Cap.* 3. *num.* 49. 56. & 78. Quod ita intelligendum est, non quòd uno aut altero die tempus non observetur: sed quòd sæpe mutetur, vel taliter mutetur, ut gravis perversitas in recitandis Horis contingat. Hæc autem conclusio colligi videtur ex Clementina prima *de celebratione missarum*: ubi concilium Viennens. sic ait: *Ne igitur transgressiones invalescant hujusmodi, aliisque veniant in exemplum: sancimus, ut illi, ad quos id pertinet, omni negligentia vel injuriæ penitus relegata, circa reformanda præmissa, & eorum singula corrigenda, nec non ut cathedralibus, & Regularibus, & Collegiatis Ecclesijs, horis debitis persolvatur, solicitè curent diligentiam adhibere.* Hactenus Concilium. Quæ autem sint horæ debitæ, agunt Summistæ verbo (*Hora*) & inter juniores doctè Bellarmin. *to.* 3 *lib.* 1. *de bonis operibus Cap.* 21.

Ultimò dico. Ex vi nostræ Regulæ tenentur Religiosi chorum pro divino officio recitando adire. Id in primis colligo ex illis Regulæ verbis: *Hi qui horas Canonicas cum Clericis discere norunt.* Quæ verba significant, simul cum clericis alios etiam Horas Canonicas persolvere, ac proinde omnes simul recitare. *Secundò* colligo ex *Cap. desilentio*, ubi dicitur: *Statuimus, ut dicto Completorio silentium teneatis, usque ad Primam dictam sequentis diei:* constat autem hoc non esse intelligendum de Completorio, nec de Prima singulariter dictis: nam sic posset quisquam Completorium usque ad undecimam horam differre, & Primam simili modo. Quare supponit Regula tam Completorium, quàm Primam communiter ab omnibus recitari: & idem censendum est de alijs Horis. *Tertiò*, quia etsi expresè in Regula non caveretur, ut horæ canonicæ persolverentur ab omnibus simul: tamen, etiam si olim ad omnes Horas non convenirent, nunc verò tenentur ex vi illorum verborum. *Eas dicant secundùm constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesiæ approbatam.* Quam suprà esse diximus, ut in choro publicè divinum officium certis horis ab omnibus recitetur.

Eas dicant secundum constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesia approbatam &c. Text.

DVBIVM II.

Quid intelligat Regula per Constitutionem Sanctorum Patrum, & consuetudinem Ecclesiæ approbatam?

UT aperiamus Regulæ sensum, sciendum est, olim inter Monachos maximum dissidium fuisse circa modum Canonicis orationibus statuendum, ut patet ex Cassiano, præcipuè ex *cap.* 2. *lib.* 2. *institutionum.* Per universam enim Ægyptum & Thebaidam certus & legitimus orationum modus ex Majorum constitutionibus (eodem teste Cassiano *Cap.* 3. *ubi suprà*) observabatur. De hac ergo circa divinum officium Sanctorum Patrum constitutione fortè Regula loquitur, vel certè de ea, quæ apud Palæstinæ & Syriæ cœnobia receptissima erat, de qua idem Cassian. *lib.* 3. *ferè per*

totum

totum loquitur. Et hoc mihi magis probatur. Nam cùm Majores nostri per multa sæcula in Palæstinæ cœnobijs habitassent, credendum est, eos à Palæstinis, & non ab Ægyptijs monachis constitutionem hanc accepisse. Qualis autem fuerit Palæstinorum in orando mos sive constitutio, latiùs tractat idem Cassianus *lib. 3. per totum.*

Secundò oportet etiam declarare, quid significet Regula illis verbis: *Consuetudinem Ecclesiæ approbatam.* Cujus resolutio facilis est, si advertas id, quod nuper dicebamus: Ordinem nostrum initium in Palæstinæ partibus sumpsisse. Unde Majores nostri semper Patriarchas Hierosolymitanos coluerunt, & Ecclesiam Hierosolymitanam, ejusque institura, & præcepta in eo, in quo tenebantur, amplexi sunt. Quare etsi in recitandis Horis antiquam Patrum Constitutionem amplecterentur: eam tamen secundùm consuetudinem & formam Hierosolymitanæ Ecclesiæ observabant. Unde usque ad nostra tempora, nempe, usque ad annum 1586. in quo *Sixtus quintus* nobis Breviarium Romanum indulsit, perduravit. Regula igitur, cùm præcipit dicere divinum officium secundùm consuetudinem Ecclesiæ approbatam, sine dubio de consuetudine Hierosolymitanæ Ecclesiæ est accipienda.

Sed cùm jam prædictum Breviarium Hierosolymitanum non sit apud nos in usu, non est cur modò immoremur ampliùs in investigandis illis Patrum Constitutionibus, & Hierosolymitanæ Ecclesiæ usu, & orandi consuetudine: cùm jam, loco istorum, Constitutiones Romanæ Ecclesiæ, ejusque ritus in recitandis Horis Canonicis sequi teneamur. Qui verò sint hujusmodi ritus, & constitutiones, non est nostrum in hoc loco latiùs explicare: sufficiet tamen, si brevitèr aliqua attingamus de his, quæ requiruntur ad officium divinum debitè persolvendum.

Vid. noster Andreæ à Matre Dei *Tom. 4. curs. Theolog. moral. Tract. 16. Cap. 3.* & noster Antonium *2. part. direct. Regul. Tract. 3. disp. 6. sect. 11. §. 8. & 9.*

Ea, quæ ad officium divinum, secundùm Ecclesiæ Romanæ Canones, necessaria sunt, ad septem capita reduci possunt, nempe, ad integritatem, Ordinem, qualitatem, locum, tempus, attentionem, & devotionem: de quibus latè *Summistæ.* Primò ad integritatem divini officij spectat, ut nulla prætermittatur ex principalibus Horis, tam illarum, quæ ad diurnum, quàm earum quæ ad nocturnum spectant officium. Præterea ad hanc reducitur, ut nulla ex minoribus partibus, ex quibus Horæ componuntur, prætermittatur: ut sunt Psalmi, Hymni, Lectiones, Orationes &c. nec non & aliæ minimæ partes, ex quibus hæ minores partes coalescunt, ut sunt versus, vel verba: in quibus omnibus, secundùm majorem vel minorem quantitatem materiæ, magis aut minus delinquitur.

Secundò ut rectè officium persolvatur, ordo requiritur, qui in eo consistit, ut singula propris & debitis locis recitentur, ita, ut officia priorum Horarum priùs, & posteriorum posteriùs persolvantur. Si autem hic ordo ab aliquo in particulari prætermittatur, non erit nisi veniale, si aliàs justa causa non adsit: nam si ob rationabilem causam fiat, nullum erit peccatum. Si verò à Communitate hic ordo non servetur, grave erit peccatum, nisi id aliqua urgens causa postulaverit.

Tertiò, de loco, in quo divinæ laudes recitandæ sunt, diximus dubio præcedenti: dum loquebamur de Horis publicè persolvendis. Privatim verò peragenti officium non est certus designatus locus; ubique enim id perfici potest: quamvis ut loca turpia vitemus, consilium sit D. Ambrosij in illa verba 1. ad Timoth. 2. *Volo vos orare omni loco.*

De tempore verò officia divina persolvendi, cum distinctione loquendum est. Nam si loquimur de his, qui publicè officium dicunt, ut debitè absque ullo peccato suo muneri satisfaciant, debent officia sive partes totius officij statutis horis celebrare, de quibus diximus difficultate præcedenti. Orantes autem privatim, si sine justa causa tempora debita omittant, solùm venialiter peccant.

Notandum est tamen, ex privilegio posse Generalem Ordinis cum Capitulo, vel saltem cum seniorum consilio, circa recitationem officij statutas horas determinare. Sic concessit *Eugenius IV.* Ordini beati Bernardi, ut in Compendio eorum habetur *verbo* Divinum officium §. 1. & *Martinus V.* Cap. Generali Ordinis beati Hieronymi, ut habetur in eorum Compendio, *verbo* officium divinum, §. 3.

Quintò requiritur attentio, quæ ab Authoribus triplex distinguitur: alia ad verba, alia ad sensum, tertia ad ipsum DEUM, qui oratur; de quibus latè Summistæ, *ubi supra.*

Sextò Concilium Generale Lateranense requirit devotionem, ut divinum officium rectè persolvatur: ut patet ex *Cap.* dolentes *de celebratione Missarum.* Nomine autem (*devotionis*) intelligitur & interna mentis promptitudo ad DEUM laudandum, & externa promptitudo ad exteriores actus Religionis exercendos: ut ad genu flectendum, inclinandum, prostrandumve corpus. Hæc tamen devotio non cadit sub præcepto mortalis peccati.

Videnda. Joan. à Jesu Maria *disciplina Monast. 2. part. cap. 15. & 16.* ubi disserit de modo divinum officium persolvendi, ejusque dignitate & fructu. & *Comment* noster. Franciscus *pag. 193. usque ad* p. 203. item noster Emmanuel. *Tom 1. discurs. 101. & seqq.*

Ad devotionem externam revocari potest, ut cum cantu divinum officium celebretur: hoc enim infirmorum animi excitantur ad laudes DEI, & tædium expellendum, quod ex prolixitate officij non rarò oriri soler. Est autem cantus in Ecclesia utilissimus, ut latiùs contra hæreticos probat noster sapientissimus Walden. *Tom. 3. de Sacramental. tit. 2.* & latissimè ferè omnes nostri tempotis Controversarij.

Advertit tamen Waldensis *Cap. 18. ubi supra*, quòd, quamvis communi populo prosit cantus, perfectis tamen viris interdum magis prodesse potest vox summissa, quàm alta, ut ipse Augustinus *libro 10. confessionum cap. 34.* fatetur: ubi ait: *Tutius mihi videtur, quòd Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quàm canenti* &c. Unde D. Isidorus *lib. 1. de officiis cap. primo*, Primitiva (inquit) Ecclesia ita psallebat, ut modico flexu vocis faceret resonare psallentem, ita, ut pronuntianti vicinior esset, quàm canenti. Propter carnales in Ecclesia, non propter spirituales consuetudo cantandi instituta est, ut qui verbis non compungitur, suavitate modulaminis moveatur.

Ultimò, qualitas quoque officij observanda est, ita, ut Clerici formam Breviarij Romani sequantur: aliæ verò Religiones sive Congregationes, quæ ex speciali privilegio specialem habent modum recitandi, illum sequantur. Ita enim cavetur in Bulla *Pij quinti* in initio Breviarij posita. Et ad hoc reducitur, ut festivitates propriæ alicujus loci, Congregationis, aut Religionis, etiam si in Calendario Romano non sint appositæ, dummodo

modo aliàs in prædictis Congregationibus vel Religionibus consuetudo fuerit, eas solemniter celebrandi, debeant juxta formam & tenorem Breviarij Romani recitari, ut habetur in principio Rubricarum Breviarij Romani. Sed quia nos noviter Romanum officium, Carmelitano relicto, suscepimus: congruum erit examinare hanc novam in Ordine subortam difficultatem de Sanctis, ac Solemnitatibus olim in Carmelitano receptis, & ex consuetudine antiqua recitatis, an possint nunc etiam sine Breviarij Romani præjudicio recitari.

DVBIVM III.

An festa omnia sanctorum, aliæque solemnitates sint celebrandæ, quæ olim Ordo celebrabat, & officia sint recitanda, licet in Romano Breviario non habeantur?

SUppono primò in Ordine nostro proprium fuisse orandi modum ac Breviarium: quod etiam adhuc inter antiquos carmelitas perdurat. Nam cùm *Pius V.* in Bulla, quam de receptione Breviarij Romani edidit, exceperit à Romani Breviarij usu omnes illas Congregationes, quarum institutio dictum Breviarium decentos annos antecesserat, dummodo constaret, illas alijs certis Breviarijs usas fuisse: factum est, ut Carmelitarum Ordo proprium & antiquum Breviarium (etiam post editionem Romani) retinuerit: quod apud nos in reformatione etiam in usu fuit usque ad annum 1586. in quo à *Sixto V.* Romanum impetravimus.

Secundò præmittendum est, facultatem esse cuicunque Congregationi à *Pio V.* in dicta Bulla concessam, proprium omittendi Breviarium, & ad Romanum transeundi. Nam liberum est unicuique, proprio favori ac privilegio renunciare, & jus commune ac universale amplecti. Hoc tamen in Religione fieri debet, ut ibi præscribit *Pius V.* de consensu Capituli generalis, quod cùm tunc habere non possent Fratres Discalceati, nec possibile esset talem facultatem à totius Ordinis Capitulo obtinere, à summo Pontifice similis facultas utendi Breviario Romano impetrata est.

Hac igitur facultate consequuta, statim exortum est in Ordine dubium, an Festa Sanctorum ac aliæ solemnitates, quæ in Carmelitano celebrabantur, quæ tamen non erant in Kalendario Breviarij Romani, deberent Romano Kalendario inseri, & secundùm ejus modum ac formam celebrari?

Cujus quidem dubij solutio satis facilis videtur. Nam sub initium ipsius Romani Breviarij in *Rubrica prima*, qua declarat Pontifex, de quibus festivitatibus in Breviario Romano officium fieri debeat, habetur: *Officium fit duplex in festu, in quibus in Kalendario apponitur vox (duplex) & in festu Sanctorum, qui apud quasdam Religiones consueverunt solemniter celebrari cùm eorum octavis consuetis, & officijs propriis à sede Apostolica approbatis, aut ex ejusdem sedis auctoritate receptis, aut recipiendis, servata tamen forma hujus Breviarij: alioquin de communi, etiamsi prædicta festa in Kalendario Romano non sint apposita.* Eadem etiam verba repetit infrà Rubrica secunda de officio semiduplici. Hæc Breviarium Rom. ut suprà.

Quibus verbis quinque clarè & manifestè indicantur. Primum est, Ecclesiam non solùm præbere facultatem prædictis Congregationibus, propria Sanctorum festa celebrandi: verùm & id præcipere. Patet hoc ex ipsis Rubricæ verbis, in qua eodem tenore præcipitur, festa in Calendario apposita, ac propria cujuscunque Congregationis recitare. *Officium* enim (inquit) *fit duplex in festu, in quibus in Calendario ponitur vox (duplex) & in festu Sanctorum, qui apud quasdam Religiones consueverunt solemniter celebrari &c.*

Secundò ex supradictis verbis dicendum est, posse in Religionibus recitari officia propria de his Sanctis, etiamsi hæc officia à sede Apost. non sint approbata: dummodo digna sint officia, ut approbentur, vel Religio eis utatur, animo à Sede Apostolica confirmationem impetrandi: quod patet ex illis verbis: *Cum eorum officijs propriis, sedis Apostolicæ authoritate receptis aut recipiendis.* Quòd si ista festa proprijs officijs non gaudeant, recitanda sunt secundùm Commune, ut constat ex illis verbis, *Alioqui de Communi.* Quare existimo, si de communi officium fiat, non requiri aliam Apostolicæ Sedis approbationem, cùm jam sit approbatum.

Tertiò licet colligere, tàm in officio proprio, quàm in alijs servandam esse formam à Breviario Romano præscriptam: quod indicant illa verba: *Servata tamen forma hujus Breviarij Romani.* Forma autem Breviarij Romani nihil aliud est, quàm quòd servetur modus in divino officio celebrando in Rubricis assignatus: nempe, ut si festum sit duplex, officium verbi gratia maturinum novem habeat lectiones, & post quamlibet Responsoria apponantur: Antiphonæ ante Psalmos, & post illos integræ repetantur: & alia quæ in dictis Rubricis præcipiuntur.

¶ Quartò in his verbis considerandum est, illa procedere de festis proprijs cujusque Congregationis, quæ apud illas consueverunt celebrari, etiamsi in Kalendario Breviarij Romani apposita non sint, ut ex ipso verborum contextu plusquam manifestè paret.

¶ Exquibus ultimò fit, quòd quamvis Ecclesia non velit laudabilem Religionum propria Sanctorum officia recitandi consuetudinem de medio tollere: vult tamen, omnes Congregationes formam ac modum Breviarij Romani in recitandis officijs servare. Ex quo etiam infertur (quod est maximè in nostro proposito considerandum) aliud esse in recitatione officij numerum Sanctorum, de quibus officium fieri debet; aliud verò formam, quæ in tali persolvendo officio servanda est. Quare liberum erat Ordinis Prælatis, (imò & necessarium, ut infra demonstrabimus) post facultatem à *Sixto V.* recitandi Romanum concessam, propria Ordinis festivitates, sicut & antea (servata tamen forma hujus Breviarij) cum officio proprio vel communi celebrare. At quia tutius visum fuit, Apostolicam sedem de re tam gravi consulere, à *Sixto V.* postularunt, ut hanc sibi aliàs à jure concessam facultatem confirmare dignaretur. Sæpe enim contingere solet, rem aliquam aliàs communi jure concessam in specie à Sede Apostolica impetrari, ut patet ex *Cap. 1. de rescript. & c. quamquam 23.* distinctione cum similibus. Et certè si quid aliud petitum fuit, hoc præcipuum esse videbatur, ut officia Sanctorum propria authoritate

Cap. 1. de rescript. Cap. quamquam 23. dist.

Ponti-

Pontificia approbarentur : quod diximus suprà prærequiri in officijs proprijs Sanctorum, quæ in Kalendario Romano non reperiebantur. Quòd autem hoc contineret Ordinis petitio Romano Pontifici facta, patet ex Bulla ejusdem *Sixti Quinti* in initio Quinterni Sanctorum Ordinis posita : ubi sic inquit:

Sed quia jam diu vetus viget in vestro Ordine laudabilis consuetudo, dies festos in honorem Beatæ MARIÆ, & quorundam Sanctorum solenniter celebrandi: ideo nobis humiliter supplicari fecisti, ut Religiosum istud institutum auctoritate Apostolica comprobare dignaremur. Ex quibus constat, à Sede Apostolica non fuisse postulatum, ut aliquid de novo concederet; sed potiùs, ut comprobaret, id est, approbaret sive confirmaret id, quod antea jure communi concessum erat. Concessit igitur, & approbavit *Sixtus Quintus* antiquam Ordinis recitandi de proprijs festis consuetudinem, ut patet ex prædicta Bulla : & insuper adjecit; *Dummodo tàm in Missa, quàm in recitandis Horis canonicis diurnis ac nocturnis, modum ac formam descriptam in Quinterno seu libello per dilectos filios nostros, Antonium Sanctorum Joannis & Pauli, Caraffam, & Vincentium, Sanctæ MARIÆ in via titulorum, Presbyteros Cardinales Montis Regalis nuncupatos, de mandato nostro revisso, correcto, & approbato, in hoc servetis, & nihil penitus addatis vel minuatis &c.* Prædicti igitur Cardinales in dicto libello seu Quinterno Beatæ MARIÆ Virgini ac quibusdam alijs, paucissimis tamen Ordinis festivitatibus officia propria designarunt : & plures alias ab Ordine consuetudine receptas omittentes, ullam de eis mentionem non fecêre.

Modò igitur præsens difficultas in eo sita est, an præter dictas festivitates in Quinterno à Cardinalibus designatas liceat in Ordine de alijs, quæ olim consuetudine erant receptæ, in Quinterno verò novo non sunt appositæ, propria aut communia officia recitare.

Pro parte negativa in primis urgent verba illa in prædicta Bulla apposita *Modum ac formam descriptam per dilectos filios Cardinales &c. observetis, & nihil penitus addatis, aut minuatis.* Quare cum prædicti Cardinales numerum ac formam Sanctorum designaverint, minimè licere videtur, eis quidquam penitus addere vel detrahere.

Secundò, quia tempore *Gregorij XIII.* Romani pontificis, dum tota Religio reformaret Carmelitanum officium, ab eo petiit, ut aliquas festivitates, de quibus fieri officium in Ordine consueverat, simul cum novo Carmelitano Breviario approbaret. Et quamvis Pontifex prædictum Breviarium confirmavit, festivitates verò alias, præter illas, quæ in illius kalendario continentur, comprobare noluit. Igitur cum recitandi de his expressè sit à Sede Apost. denegata licentia, non videtur id nunc quoquo modo licere.

Tertiò, quia Ordinis Generalis Procurator fatetur, se alias festivitates, præter eas, quæ in Quinterno continentur, enixè procurasse, & obtinere à prædictis Cardinalibus non potuisse.

Quartò, quia olim celebrabantur festivitates plurimorum Sanctorum, qui nondum ab Ecclesia erant canonizati: quod secundum formam Breviarij Romani nunquam fit.

Quintò, quia illa Ordinis consuetudo fundamento ullo non innitebatur, ac ideo potiùs corruptela dicenda erit.

Ultimò, quia fortè, si de omnibus, de quibus olim erat consuetum, officium fieret, non esset locus festas ullas recitandi, atque adeò non servaretur forma Breviarij Romani.

Prima conclusio. *In Ordine licitè fieri officium potest de illis festivitatibus, de quibus antea in ea officium fieri consueverat.* Primò probatur ex jure communi Rubricarum : nam hoc in *Rubrica prima & secunda* (ut initio hujus difficultatis dicebamus) clarissimè decernitur: nec aliter exponi ullo modo illa verba possunt: nec credendum est, *Sixtum V.* in Bulla prædicta eis ullo modo contradicere voluisse: nec juris communis decisio abrogatur, nisi ei fuerit specialiter derogatum. At *Sixtus V.* in relata Bulla non solùm non derogavit communis Ecclesiæ Rubricis : verum eas expressè confirmavit. Nam postquam retulit Ordinis sibi factam supplicationem, ut laudabilem consuetudinem, dies festos beatæ MARIÆ, & quorumdam Sanctorum solemniter celebrandi, comprobaret, postea ait: *Nos itaque vestris inclinati supplicationibus &c. ut officium prædictorum festorum ubique recitare liberè & licitè possitis, auctoritate Apostolica indulgemus.* Ubi illa verba, *Prædictorum festorum*, referenda sunt ad illa, quæ in supplicatione continebantur, nempe: *Sed quia jam diu vetus viget in vestro ordine laudabilis consuetudo, dies Beatæ MARIÆ & quorundam Sanctorum solemniter celebrandi &c.* Quare cùm in hac Ordinis petitione non fuerit Sanctorum numerus restrictus, nec limitatus; sed eorum omnium, de quibus consueverant officia celebrari, mentio fiat : manifestè colligitur, quòd illa verba, *Prædictorum Sanctorum*, quæ de his relationem faciunt, non sint limitanda, sed potiùs referenda ad omnes illas festivitates, de quibus in Ordine consuetudo erat, divina officia recitandi. Et sic summus Pontifex in hac Bulla approbat consuetudinem Ordinis absque ulla restrictione.

Secundò quia rescripta Pontificum exponi debent, juxta juris communis regulas, ut constat ex *Cap. Cùm causam, de rescript. Cap. licet de præb.* ubi communiter Doctores. Quare hæc Bulla interpretari debet juxta communes Rubricarum Ecclesiæ universalis regulas. Præcipuè, quia fere semper vitari debet juris communis correctio, nisi hoc expressè intendatur, *Cap. cùm expediat de electione.* Quare in nostro casu, absque dubio *Sixti Quinti* Bulla juxta communes Rubricas intelligenda, atque interpretanda est.

Cap. cum causam *de Rescri.* *c.* licet *de Præben.* *Cap.* cùm expediat *de Electione.*

Tertiò, quia secundum receptam juris regulam, Quod in gratiam alicujus conceditur, non debet in ejus odium retorqueri. *Cap.* quod in gratiam *de reg. jur. lib. 6.* juncta lege *Quod in favorem* Cap. *de legibus.* Ergo si summus Pontifex hanc Bullam, quantum ad officia Sanctorum, in favorem & privilegium Religionis edidit, ut patet ex illis Bullæ verbis, *Auctoritate Apostolica indulgemus*, quæ gratiam ac privilegium sonant *Cap.* cum Ordine *de rescript. Cap.* in his, *Cap.* dudum *de privilegijs*, tradiderunt que Abb. Innocen. Hostien. Felin. & Decius *Cap. primo de rescriptis*, cum alijs relatis à Menochio *cons. 39. volumine primo*: non est cur quis credere debeat, ab Ordine nunc per hanc Bullam fuisse ablatam facultatem, quæ antea illi jure communi Rubricarum competebat : quia jam non hoc privilegium, sed potiùs odium & Religionis damnum videretur, cùm non solùm favorem aliquem specialem non præ se ferat, verum & id, quod aliàs jure erat concessum, de medio tollat, ac perimat: quod minimè in simili casu secundùm juris Regulas præsumendum est.

Cap. Quod in gratia *de Reg. juris. l. 6.* juncta lege, Quod in favorem, *C. de legibus Cap.* cum ordine *de rescript. c.* in his. *cap.* dudum *de privil.*

Ultimò: quia si ob aliquam rationem nunc non liceret hæc festa recitare, maximè ob illa verba Bullæ, nempe: *Modum ac formam descriptam in hoc Quinterno observetis, & nihil penitus addatis vel minuatis.* Sed certè si prædicta Bulla, & omnia ejus verba attentè considerentur, expresiè in ea nihil aliud cavetur, quàm ut officium fiat de omnibus Sanctis, de quibus antea erat in Ordine consuetum, servata forma à Cardinalibus præscripta. Et ita potiùs videtur quædam declaratio sive confirmatio primæ Rubricæ Breviarij Romani, in qua decernitur, ut ea officia celebrentur etiam nunc post receptum Romanum, quæ consueverunt in Religionibus celebrari, servata tamen forma Breviarij Romani, in sensu, quo supra hoc nomen (*forma*) exposuimus. Et ut hoc rectiùs & tutiùs fiat, in dicta Rubrica præcipitur, ut officia Sanctorum propria à Sede Apostolica approbentur. Hoc igitur omnino est, & non aliud, quod *Sixtus Quintus* in hac Bulla decernit: in qua primò quidem approbat consuetudinem Ordinis antiquam; deinde tamen vult, ut in earum Festivitatum forma assignanda, sive in officio proprio (quod idem est,) servemus modum à dictis Cardinalibus auctoritate Pontificia præceptum. Modum (inquam) ac formam, non numerum festivitatum. Nam hæ saltem, quæ in consuetudine erant, jam erant approbatæ, tum à *Sixto quinto* in dicta Bulla, tum à generalibus Rubricis. Solùm igitur vult, servari formam ac modum recitandi à Cardinalibus designatum.

Et confirmatur, seu potiùs ampliùs declaratur. Nam hæc sunt verba generalis Rubricæ: *Officium fit duplex in festis Sanctorum, qui apud quasdam Religiones consueverunt solenniter celebrari cum eorum officiis propriis à sede Apostolica receptis, aut recipiendis: servata tamen forma hujus Breviarij, alioqui de communi &c.* Ecce, quomodo etiamsi consuetudinem Religionum proprias festivitates celebrandi approbet, reservat tamen soli Sedi Apostolicæ potestatem, officia propria & eorum formam examinandi. Quid ergo est aliud, quod hîc *Sixtus Quintus* statuit, quàm primis nostri Ordinis consuetudinem confirmat, & postea formam in officijs proprijs Sanctorum servandam, Cardinalibus prædictis examinandam ac constituendam reservat? cui neque addendum, neque diminuendum præcipit.

Secunda conclusio, *Prædicti Cardinales à Sixto V. designati, nulla ratione limitarunt festivitates olim in Ordine consuetas celebrari.* Patet primò, quia in toto illo libello, sive Quinterno talis limitatio, aut restrictio non invenitur. Neque est argumentum sufficiens, imò neque apparens, illas festivitates tantùm designasse & non alias: quia illic tantùm egerunt de illis festivitatibus, quæ officium proprium habebant, ceteras verò prætermiserunt, ut de illis fieri possit in Ordine officium de communi, juxta prædictam Rubricam in illis verbis: *Alioqui officium de communi fiat.*

Et confirmatur, quia quando in aliqua dispositione, seu constitutione aliquis casus omittitur, de eo judicandum est secundùm regulas juris communis, ut tritum jurisperitorum proverbium habet. Quare, cùm iste casus prætermissus sit à Cardinalibus, de eo ferendum est judicium secundùm communes Rubricarum Regulas: ac proinde, licet de his festivitatibus propria officia non dentur, communia verò eis minimè debent denegari.

Secundò, Quia, etsi Cardinales vellent, fortè non possent sine speciali à Summo Pontifice ad hoc eis concessa facultate, consuetas in Ordine olim festivitates limitare: quia Summus Pontifex eas in initio Bullæ confirmat, & tantùm Cardinalibus relinquit ac delegat modum ac formam, proprium officium examinandi: quod valdè diversum est, ut ex superioribus patet, ab hoc quod est, denuò festivitates aliquas concedere, aut ex concessis detrahere. Quare ipsi non possent, ultra hanc facultatem sibi concessam, quicquam prædictarum festivitatum numero addere, vel minuere. Et confirmatur: quia Cardinales à sede Apostolica non habuêre facultatem addendi aliquas festivitates, præter eas, quæ in Ordine erant in usu: ergo nec potestatem acceperunt aliquam auferendi. Antecedens ex Bulla patet, ac proinde & consequens.

Tertia Conclusio: *Non solùm in Ordine nunc est facultas, consueta olim officia celebrandi, verùm ad id tenemur eo modo, quo obligamur celebrare ceteras festivitates in Kalendario Romano annumeratas.* Hæc conclusio patet ex Rubrica prima, in qua utrumque eodem verborum tenore præcipitur, ut patet ex his, quæ superiùs diximus.

Hæc tria à nobis dicta, cum alijs, quæ de proprijs Ordinis festivitatibus supra attulimus, in Academia Complutensi, communi Doctorum calculo ac subscriptione propria, ut vera & certa anno 1592. confirmata sunt. Subscripserunt enim huic nostræ sententiæ ex Theologis, Doctor Franciscus Martinez, Primarius Cathedræ Theologiæ, & nunc meritissimus Canariensis Episcopus, ac doctissimus Pater Vazquez Societatis Jesu; & ex Canonistis, Doctor Salzedo, in priori Canonum Cathedra Regens, ac Felicianus, Cathedraticus Decret. & alij inferioris notæ.

Quarta Conclusio: *Hæc festa, de quibus in superioribus conclusionibus actum est, non est necessarium, quòd sint propria*, id est, *de Sanctis proprijs alicujus Religionis: sed sufficit, quòd de eis in tali Religione consueverit officium recitari.* Hæc conclusio patet ex verbis tam Rubricæ primæ, quàm Bullæ *Sixti V.* ubi tantùm præcipitur, ut sint festivitates, consuetæ in Religione aliqua celebrari. Quare non est opus, ampliùs in hujus conclusionis confirmatione immorari.

Ad argumenta in contrarium posita, Respondetur. Ad primum evidenter patet solutio ex dictis, nempe, quòd formæ à Cardinalibus præscriptæ nihil addatur vel minuatur. Ex hoc tamen non sequitur, (ut sæpius jam adnotavimus) non posse fieri officium de alijs festivitatibus in Quinterno à Cardinalibus prætermissis, dummodo fiat de communi.

Secundum Argumentum non urget. I. Quia id, quod *Gregorius* observantiæ Fratribus Breviarium Carmelitanum retinentibus negavit, potuit concedere, imò debuit *Sixtus V.* novæ Discalceatorum Reformationi: quia in ea ceptus jam erat usus Breviarij Romani, in quo cavetur, ut Religiones eo utentes recitent festivitates proprias, secundùm consuetudines receptas.

Ad Tertium dico, quòd dictum vel confessio Procuratoris Generalis nihil obest: tum primò, quia standum est juri scripto, ex quo constat, nobis concessam fuisse hanc facultatem: tum secundò quia potuit Procurator in hoc decipi, & fortè non percipere mentem Bullæ, nec Summi Pontificis. Quod viris sapientibus nonnumquam etiam contingere solet.

Ad

Ad Quartum Respondetur, parum interesse, quòd in Ordine esset usus receptus recitandi officia aliquorum Sanctorum, qui nondum erant canonizati: quia hoc nonnunquam fit, & conceditur ab Ecclesia aliquibus Congregationibus: imò & olim antequam Sanctorum Canonizatio esset introducta, omnia officia fiebant de Sanctis non Canonizatis.

Ad Quintum Respondetur, judicandum esse pro Religione quantum ad hoc, quod maximum habuerit fundamentum recipiendi plura Sanctorum officia. Nam cùm olim Ordinum Prælati potestatem haberent in suo Ordine proprium condendi Breviarium; non mirum est, si pij Sanctorum cultores proprijs officijs eos voluissent venerari: maximè quia cùm Religio nostra, tum in Ecclesia Hierosolymitana, tum in Romana, pluribus annis floruisset, necesse erat, ex utrâque plures Sanctorum festivitates recepisse. Et ut appareat hæc antiquissima Ordinis consuetudo aliquorum Sanctorum solemnitates recitandi, infra narrabimus, à quo tempore hæ festivitates in Ordine consueverint celebrari.

Ad ultimum Respondetur. Adhuc, etiamsi prædictæ festivitates recitentur, locum feriis relinqui. Imò etsi non relinquatur, parum interest, dummodo servetur forma Breviarij Romani. Imò hæc est mens ipsius Breviarij, ut dum officium duplex, vel semiduplex occurrerit, de feria minimè fiat. Sed oportet in hoc modum aliquem in Ordine servari, & non ita amplè, ut fieri potest, hac uti facultate. Quare hîc annumerare decrevi, quæ sint festivitates, quæ potissimùm (eo modo quo antea) debeant observari: & similiter tempora recensere, ex quibus in Ordine recitantur. Quamvis de omnibus ferè festivitatibus, de quibus olim consuetum erat, nunc liceat officia celebrare: tamen oportet in hoc modum præfigere. Quia, etsi ut in plurimum vera sint, quæ superiùs probavimus: fateri tamen compellimur, amplam olim in Ordine fuisse licentiam, festa plura celebrandi. Quare oportet hîc inter festivitates discernere, & eas, quæ maturè, & habito in capitulis Generalibus consilio olim fiebant, proponere, quibus absque ulla hæsitatione aut scrupulo nunc uti liceat.

In primis, festivitates omnes, quæ ad DEI*param* Virginem MARIAM spectant, illis diebus & solemnitatibus, cum eorum octavis, quibus antea recitabantur, etiam modò recitandæ sunt. Nam cùm sub sanctissimæ Virginis hujus tutela Religio nostra militet; eam semper speciali devotione & honore est prosequuta. Quoniam, ut rectè Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, antiquus & gravis author, in oratione de Virgine DEI parente scripsit: *Quemadmodum continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa: sic sanctissimum MARIÆ nomen, quod in DEI servorum ore assiduè versatur, simul est argumentum, quòd sit vera vita.* Hæc ille. Quare hujus Virginis laudes semper in ore Fratrum nostrorum tam publicè quàm privatim versabantur. Et, ut nunc alia Ordinis statuta omittam, illud notare par est cum Paleonydoro *lib.* 3. *Cap.* 10. ab hinc annis ferè trecentis festum Conceptionis in Ordine solemniter celebrari, Tholosæ Anno 1306. statutum fuisse. Deinde aliæ etiam festivitates Virginis semper fuerunt in usu, & debent nunc observari: de quibus in Breviario antiquo Carmelitano constat. Solùm restat aperire, quando officium, quod semel in hebdomadâ de Domina nostra fieri solet, in Ordine fuerit introductum. Pro quo sciendum est, quòd in Capitulo Generali in monte Pessulano, anno Domini 1369. celebrato ordinatum fuit, (teste Paleonydoro ut *supra Cap.* 12.) ut in Adventu semel in hebdomada fiat officium plenum de Beata Virgine: in quo capitulo fuit etiam designata forma officij. Idemque officium fieri in Quadragesima, statutum fuit in Capitulo Generali Podiensi, anno Domini 1375. præterquam in ultima hebdomada Quadragesimæ, ut idem author *Cap.* 12. narrat. Quando verò hæc immemorialis, & laudabilis Ordinis consuetudo, ut per totum annum semel qualibet hebdomada fiat officium DEIparæ, originem sumpserit, certè scriptum non invenio: fortè ita vetus est consuetudo, ut potiùs antiqua traditione, quàm scriptura aliqua nitatur.

Præterea anno Domini 1342. in Capitulo Generali Lugduni celebrato decretum fuit, ut octavo fieret de Sancto Michaële. Paleonyd. *lib.* 3. *Cap.* 11.

Anno 1321. in die Pentecostes, celebrato Capitulo in monte Pessulano, statuerunt Ordinis Patres, fieri officium Novem lectionum de Sanctis, quorum nomina habentur in Canone Missæ; ac de sanctis Apollonia, & Barbara. Paleonydorus *ubi supra.*

Anno Domini 1339. in conventu Lemovicensi, Capitulo Generali habito, decretum fuit, ut de sancto Martiali, & Timotheo fieret festum duplex, sicut de uno Apostolo, & duplex festum etiam de sancta Ursula: insuper & novem lectionum de Sancto Mauro, & Saturnino. Paleonyd. *ubi supra.*

Anno Domini 1456. in Capitulo Generali Parisijs celebrato sancitum fuit, quòd de Sancto Lazaro fieret officium, sicut de uno Martyre & Pontifice. Paleonydorus *lib.* 3. *Cap.* 14.

Anno 1478. in Conventu Bixiensi statutum fuit, quòd fieret festum duplex, vel totum duplex de omnibus illis sanctis, & octavis, in quibus diebus & octavis concessa est indulgentia in Sixtina, hoc est, in Bulla *Sixti IV.* Et insuper quòd fieret festum 9. lectionum de Sancto Faustino & Jovita: de Sancto Honorato Episcopo & Confessore 24. Aprilis: de Sancto Erasmo Episcopo & Martyre 3. die Junij. Paleonydorus *Cap.* 15.

Præterea anno 1482. in Capitulo Generali Avenione habito ordinatum fuit, ut festum decem millium Martyrum esset duplex. Paleonyd. *lib.* 3. *Cap.* 14.

De alijs nonnullis festis de quibus officium recitabatur à Carmelitis antiquitus vidend. est Petrus Thomas in *Menologio Carmelit. part.* 2. & *director. Regul. part.* 2. *Tract* 3. *Disp.* 6. *num.* 248

Hæc festa sunt, quæ usque ad sua tempora Paleonydorus scripsit. In quo quidem nescio, cui possit esse ambigendi locus, an possint nunc, sicut & antea, secundùm formam Breviarij Romani de eis fieri officia: cùm per tot annorum spatia in Religione horum Sanctorum festivitates receptæ sint. Tum etiam omnes ferè in Kalendario Romano annumerantur, licet non eisdem solemnitatibus, ac in ordine, celebrentur.

Præterea in secundo loco & gradu certitudinis recensere licet proprias Sanctorum Ordinis solemnitates, de quibus absque ulla hæsitatione, etiam si canonizati non sint, dummodo in Ordine jam pridem sint recepti, eorumque festivitates celebrandi viguerit consuetudo officium fieri potest.

In Tertio loco apponi debent omnes aliæ festivitates Sanctorum, qui ab Ecclesia approbati seu canonizati sunt, quamvis in Kalendario Romano non numerentur, dummodo eorum officia consueverint celebrari. Quæ autem sint hæ festivi-

tates in Ordine, & quando institutæ, videndi sunt Ordinis Historiographi, qui à tempore Paleonydori acta & gesta in Capitulis Generalibus recensuerunt: quos ego neque invenire, neque videre potui. Possunt tamen hæ festivitates elici ex Kalendario antiquo Carmelitano. Præter has festivitates, licet in rigore juris aliæ possent recitari, omittendæ tamen meritò sunt: tùm, quia ad eorum officia peragenda non est ita certum fundamentum, ac in festivitatibus prædictis: tùm, quia nullus relinqueretur locus officium parvum B. MARIÆ recitandi: quod certè alienum à ratione, & indecorum Religioni, quæ sub patrocinio Virginis militat, videtur.

DVBIVM IV.

An post Breviarij Romani usum, in Ordine dici debeat Officium B. Virginis, sicut in Carmelitano consueverat?

HÆc difficultas expediram ac facilem habet solutionem. Nam *Pius V.* in Bulla, quam circa Breviarij Romani officium edidit, in primis licet ademerit omnibus recipientibus Breviarium Romanum obligationem recitandi in particulari officium B. Virginis: hoc tamen ita fieri voluit, ut in illis Congregationibus, in quibus antea in choro prædictum officium persolvebatur, adhuc hæc laudabilis consuetudo permaneret: ut patet ex illis verbis: *Hoc autem concedimus sine præjudicio sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium B. MARIÆ Virginis in Choro dici consueverat, ita ut in ipsis servetur ipsa laudabilis consuetudo celebrandi more solito.* Hæc *Pius V.* satisque colligitur ex prædictis verbis contra Navarrum, qui *Miscellan. 70. de oratione* censet, olim fuisse juris communis præceptum recitandi officium B. MARIÆ: nam *Pius V.* solùm hanc consuetudinem vocat, ac proinde in jure de tali præcepto non constat, licet jure particulari Religionum, aut Congregationum esset de hoc præceptum. Et certè in nostra Religione dum Carmelitanum retineremus, officium B. Virginis non aliter, ac modò officium Romanum, Religiosos omnes, tam in particulari, quàm in communi obligabat.

Navarr.

Post hanc igitur Bullam *Pij V.* suppositò, quòd in nostra Religione esset præceptum, sive consuetudo in Choro officium B. Virginis recitandi, non est dubium, quin modò eadem maneat obligatio: quamvis ab illa in particulari & extra Chorum omnes excepti sint. Difficultas ergo superest, quem comprehendat, sive astringat hæc obligatio in Choro recitandi: & an ad omnes in particulari, an verò ad Communitatem, sine hoc quod ad singulos derivetur, vel denique ad Prælatum solum extendatur?

Vid. supra citat. Andreæ noſt. *cap. 1. punct. 3. num. 21.*

Primus dicendi modus est aliquorum, qui existimant, omnes existentes in choro, dum officium B. MARIÆ persolvitur, obligari sub mortali ad attentionem, & ad ceteras circunstantias, quæ in officio divino majori obligant. Quæ sententia his argumentis niti potest.

Primò, Quia cùm obliget Chorum, ex consequenti manifestum videtur, quod omnes etiam existentes in choro obligare debeat. Nam cùm certum sit, quòd non obliget Chorum in abstracto & universali, fatendum erit, obligare membra & partes chori, quales sunt ibi existentes.

Secundò, Quia si non obligaret singulos, sæpe contingeret, ut officium divinum in Choro absque attentione & intentione celebraretur: & sic idem esset, ac si non persolveretur. Antec. patet. Quia ea est hominum conditio, ut in his, in quibus arctè non obligantur, facilè deficiant: & sic fieri posset, omnes non attendere. Tertiò, videtur pro hac parte pugnare etiam communis Religionis consensus.

Hic tamen modus dicendi inprimis non placet. Quia cùm omnes in particulari ab hac conditione à Sede Apostolica excepti sint; durum videtur, eo ipso, quòd choro assistant, eos tam strictè & arctè obligare: quia jam essent melioris conditionis non assistentes Choro, neque officium Virginis recitantes, cùm ab his periculis & laqueis liberentur.

Secundò, Quia per hanc sententiam à Choro viri timorati, & præcipuè scrupulosi arcerentur. Et præterea laquei conscientijs injiciendi non sunt, dum salva veritate ac DEI honore fieri potest.

Secundus modus dicendi circa hanc difficultatem esse potest, officium B. Virginis obligare in Choro totam Communitatem, neminem verò in particulari: sicut in simili casu, de illo præcepto Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*, Divus Tho. *22. q. 152. art. 2. ad primum* censet. Qui asserit, hoc præceptum Domini non obligasse omnes, & singulos homines: sed tantùm ipsam multitudinem. Ubi distinguit inter debitum, & obligationem præceptorum: quòd aliud est debitum non à singulis, sed à tota multitudine adimplendum, & tunc non quilibet de multitudine tenetur: aliud verò, quod à singulis impleri debet. Eodem modo videtur philosophandum esse in præsenti, nempe, quòd illud præceptum, ut officium in Choro persolvatur, non obligat singulos, sed tantùm totam Communitatem, neminem verò in particulari.

Sed objicies: quia prædictum præceptum, *Crescite &c.* licet neminem determinatè obliget, obligat tamen indeterminatè omnes, ita, ut tempore necessitatis tenerentur illud homines adimplere. Igitur simili modo, saltem tempore, quo pauci Choro assistunt, omnes ad attentionem tenebuntur: aliàs periculum esset, ut officium divinum in Choro sine attentione celebraretur.

Respondeo, Quòd licet verum sit, illud præceptum obligare singulos tempore necessitatis, ut bona, & major pars Theologorum fatetur, quia illud omnes ex vi sua, licet non determinatè, obligat tamen indeterminatè: tamen præceptum recitandi officium B. MARIÆ neminem, neque determinate, neque indeterminatè in particulari obligat sub mortali: imò expresse voluit *Pius V.* singulos ab hac obligatione eximere: & ideò tempore etiam necessitatis non obligantur sub mortali ad attentionem: sed satis est, quòd obligentur sub incursione culpæ venialis ad eam attentionem, quæ ex natura rei annexa est officio divino.

Vel secundò Respondeo, quod tempore necessitatis obligat existentes in choro, ut illud persolvatur, non verò obligat ad attentionem: quod est dicere, quòd hoc præceptum, ut officium hujusmodi fiat in Choro, obligat totam Communitatem in Choro assistentem, ut recitet illud: non tamen obligat singulos in particulari, sicut præceptum, *Crescite &c.* Ac si ita pauci adessent Choro, ut sine illis commodè non posset recitari, tunc tenerentur illi omnes ad recitandum, licet non ad attentionem sub culpa mortali. Et hæc solutio secunda melior videtur.

Quòd

Quod si quis adhuc urgeat, quòd *Pius V.* licet in particulari omnes ab hac obligatione absolvat, loqui tamen ibi videtur de illis, qui particulariter extra Chorum recitant, non verò de eis, qui Choro assistunt. Respondendum est, absolutè ablatam fuisse à *Pio V.* omnibus in particulari prædictam obligationem, ut ex ipsa Bulla patet: & solum constat, voluisse hoc concedere sine præjudicio earum Ecclesiarum, in quibus prædictum officium dici consueverat. Et sic dicendum est, per illa verba noluisse Summum Pontificem singulos in Choro obligare, ut infra patebit.

Tertiò objicies: si Papa relinquit Congregationibus antiquum morem & consuetudinem ab eis in choro servatam; ergo in illis Congregationibus, in quibus antea officium DEIP. Virginis singulos Chori obligabat, ut dictum est de nostra Religione, etiam nunc cùm retinenda sit eadem consuetudo, eodem modo obligabit.

Adhuc prædictæ objectioni respondeo: etiam si olim omnes in Choro præsentes ad officium sanctissimæ Virginis obligarentur; tamen post prædictam Bullam *Pij V.* hanc obligationem cessasse videri: quia cùm olim ad omnes pertineret obligatio recitandi in particulari, ex ea fiebat, ut in Choro omnes tenerentur. Quare cùm à *Pio V.* illa obligatio recitandi in particulari, quæ hujus obligationis in communi erat principium, & quasi radix, quantum ad singulos sublata sit, ex consequenti etiam in Choro cessare debet.

Potest etiam alia tertia via hujus difficultatis nodus dissolvi, nempe, quòd illa obligatio recitandi officium B. Virginis in Choro nec comprehendat singulos, ut primus modus asserebat; nec Communitatem, ut præcedens affirmabat: sed tantùm ipsum Prælatum. Pro quo oportet notare, Præceptum verbi gratia recitandi officium divinum, triplici via posse obligare Communitatem. Primò, ita, ut singulos comprehendat & obliget, quemadmodum fit nunc in Officio majori. Secundò, ut obliget tantùm Prælatum ipsum, non solum ut recitet ipse, sicut & alij; sed etiam ut faciat Officium Divinum publicè in Choro sive Ecclesia recitari: quo sensu verè potest dici, quòd obligatio persolvendi publicè Officium in Choro spectat ad Prælatum. Tertiò potest præceptum Communitatem non pro singulis, sed tantùm pro tota Communitate obligare, ut suprà in secundo modo dicendi asserebamus: in quo sensu dicere possumus, Communitatem jam existentem in Choro teneri ad canendum vel recitandum publicè Officium, licet nemo in particulari teneatur cum alijs recitare aut canere.

Juxta hanc triplicem obligationem, distinximus hunc triplicem dicendi modum: inter quos 2. & 3. probabiliores, & veriores videntur, præcipuè tertius, qui omnem obligationem in Prælatum refundit, quantum ad hoc, quòd teneatur curare, ut Officium beatissimæ Virginis in Choro persolvatur.

Ad argumenta pro primo modo adducta facilis est solutio. Ad primum, quod non obligat Chorum, sed tantum Prælatum: vel si Chorum, tantùm obligat ipsam Communitatem, neminem verò in particulari. Neque in hoc est, cur timendum sit de periculo defectus attentionis: nam licet tunc singuli non obligentur ad eam sub mortali, obligantur tamen sub veniali: quod sufficit, ut omnes debitè persolvant. Quòd si periculum sit, ut aliquando omnes huic debitæ attentioni deficiant; hoc parum refert: nam simile periculum posset inveniri, quamvis obligaret sub mortali. Et ex hoc patet solutio ad secundum Argumentum.

Ad tertium respondeo, hunc non esse communem Religionis consensum, sed potiùs multos de hac re hæsitasse comperi: quorum scrupulis cupiens satisfacere, hanc addidi difficultatem, de qua perpauca, aut nulla apud Auctores, qui post Bullam *Pij V.* scripserunt, inveniuntur.

IN TEXTV

ibidem.

Qui eas non noverint, XXV. vicibus Pater noster *&c.*

Circa hanc Regulæ partem primò ex superius allatis constat, Fratres laicos non teneri ad Horas Canonicas, sive Officium Divinum: sed tantum ad illas orationes, quæ hîc in Regula imponuntur, quæ breviores, ac faciliores sunt. Quia cùm eorum munus & destinatio sit corporalibus exercitijs studere, (ut rectè observat Corduba *in Reg. B. Francisci Cap. 3. & ibi* omnes Expositores, & nos *infrà latiùs in Cap. de labore manuum* prosequemur:) non oportuit, eos graviori orationum sive officij onere gravari. Constat etiam ex dictis, sub veniali eos obligari ad prædictum numerum orationum à Regula statutum.

Antonij à Spiritu Sancto vid. Annotat. in hunc textum Regul. nost. *Loc. citat. n.* 341. & Francisci *comment. p.* 191. *num.* 4.

Dubitari tamen posset, an etiam sub culpa veniali teneantur prædictas orationes persolvere temporibus determinatis? Respondeo, id probabile videri: quia hæc officia à Regula eis imponuntur divisim sub nomine *Primæ, Tertiæ, &c.* ex quo apparet, voluisse Regulam eos prædictis temporibus has orationes adimplere. Tum etiam, quia cùm hæc officia instituta sint, ut animi devotio non extinguatur, sed subinde orationibus ac precationibus per determinata intervalla excitetur: non satisfacient huic intentioni, si id debitis horis non faciant. At cùm occupati fratres laici fuerint, non debent in hoc nimis esse soliciti, neque scrupulosi: nam eorum potissimum munus circa laborem corporalem exercendum versatur. Et hæc de Horis Canonicis.

CA-

Basilius in Brevior. q 85. Bened. c. 33 sua regul. Et reg. monacho. c. 2. & 3. D. Franci. c. 6. reg. Augustin. c. 3 statu. Caribus. 2 p. c. 19. De distributione infirmis facienda. Reg. Franciscan. c. 4. & 6 in fi. Augustin. ca. 4 & 17. De infirmorum necessitate sublevanda. Augu. regula c. 9. & cap. 18 Reg. Monachorum c. 49 De infirmu Benedic. c. 36. & c. 37. De Senibus, & infantibus. Et regula Societa. Jesu 3. p. constitut. c. 1. nu. 17 Regula Monachorum prope finem. De distributione per fratrem facienda, c. 16. Item agit Basil. in brevioribus, reg. 87. & 91. Benedict. c. 31. & 33. Regu. Monacharum, c. 2. & 3. De modo servando in distributione.

Benedict. c. 34. sua regula, Et Regula Monachorum, ut supra.

CAPUT VIII.

De abdicatione proprietatis.

TEXTVS.

NVllus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat: sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus fuerit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum.

Asinos autem sive Mulos prout vestra expostulaverit necessitas, vobis habere liceat, & aliquot animalium, sive volatilium ad nutrimentum.

GLOSSA VIII.

EX hoc Capite nonnullæ deducuntur conclusiones. *Prima*, nullum Regularem ex rebus Monasterij aliquid sibi proprium nec habere, nec verbo appellare posse Secunda, omnia Monasterij bona esse omnibus communia. *Tertia*, ut hæc ita intelligantur communia, ut non sit uniuscujusque, ea sibi propria auctoritate vendicare: sed omnibus omnia per manum Prioris, vel per alium Fratrem ab eo designatum distribuantur. *Quarta* docet, hanc distributionem faciendam esse inspectis singulorum ætatibus, & necessitatibus, ita, ut Regula & mensura distributionis sit major vel minor necessitas. *Quinta*, licitum nobis esse asinos, sive mulos in communi possidere, & insuper aliquot animalium, sive volatilium ad nostrum nutrimentum.

Ex qua *sexta* & *ultima* elicitur conclusio: præter asinos, & mulos, aut prædicta animalia ad nutrimentum, non licere nobis in communi reditus, aut possessiones, aut aliquid aliud immobile possidere.

Hæc sunt, quæ Regula hîc brevi sermone complectitur. Quæ omnia ad votum paupertatis spectant: & sic à nobis alibi discutienda, hîc tamen breviter attingenda erunt: & potissimum ea, sine quibus littera *hujus Capitu* nequit commodè intelligi.

Circa *hoc Cap.* præmittendum est illud ab *Innoc. IV.* in aliquibus fuisse correctum & declaratum. Nam olim in Regula B. *Alberti* sic erat scriptum: *Nullus fratrum sibi dicat aliquid esse proprium: sed sint vobis omnia communia, & ex his, qua vobu Dominus dederit, distribuatur unicuique per manum Prioris, id est, per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout unicuique opus fuerit, inspectis ætatibus & necessitatibus singulorum: ita tamen, ut sicut præmissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, & ex his, quæ sibi distributa fuerint, singulariter vivant.* Hæc *Albertus* in hoc Capite.

Innocentius igitur hic in primis correxit Regulam in illis ultimis verbis: *Ita tamen, ut sicut præmissum est in deputatis cellulis, &c.* Nam. *Innocentius* non singulariter eos in omnibus vivere permisit, sed ad commune refectorium convenire præcepit. Quare ablata sunt in ejus mitigatione hæc ultima verba, & loco illorum alia posita sunt in *hoc Cap.* (quæ prima facie fortè alicui minus apta, aut frivola videbuntur,) nempe, *Asinos autem sive mulos vobis habere liceat. &c.* Cujus licentiæ aut permissionis *Albertus* non meminit. Quorsum ergo (dicet quis) *Innoc.* prædicta verba in *hoc Cap.* præfixit? aut quæ magna facultas vel permissio est hæc, Asinos sive mulos, & aliquot animalium sive volatilium possidendi?

Quæ innocentius in hoc Capite addiderit.

Illud tamen certum est, *Innocentium* non abs re, neque sine consilio illa verba, *Asinos autem sive mulos &c.* addidisse. Per illa enim amplius hoc Regulæ caput declarare intendit: nam (ut ex præfatione ejusdem *Innocentij* constat) Ordinis Professores ab eo inter alia postularunt, ut quædam dubia, quæ in Regula ab *Alberto* tradita continebantur, declarare ac corrigere dignaretur. Nam inter fratres, (ut in speculo Ordinis dicitur,) circa *hoc cap.* prout in *Alberti* Regula jacebat, magna dubitatio exorta fuit, an per illa verba, *Nullus fratrum sibi dicat aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia, & ex his quæ vobis Dominus dederit &c.* tenerentur non solùm ad paupertatem in particulari, sed etiam in communi servandam. Quæ certè dubitatio ante *Innocentium IV.* tempore *Gregorij IX.* pullulavit.

Cujus causa Fratres *Gregorium IX.* pro ejus solutione adisse fertur: qui postquam Regulam ab *Alberto* traditam anno Domini 1230. Pontificatus verò sui anno 3. confirmavit, sic circa paupertatis articulum servandum decrevit. *Ex officij nostri debita circunspectione tenemur solicitam exhibere cautelam, ne ij, qui lotis pedibus ascenderunt orare cum Domino, sterum eos coinquinent, & contemplationis speculum descendendo: & ne resumendo terrenas facultati paupertatis abjectas, quasi quadam indumenta corporis habeant, ratione unde teneantur, incassum cum spiritualibus nequitiis pugnaturi. Hinc est, quòd cùm lotis pedibus montem Domini ascenderitis, vacantes contemplationibus celestium, & assumpseritis contra malignos spiritus luctamen, terrenis omnibus abdicatis: nos profectui vestro aspirantes, auctoritate præsentium districtiùs prohibemus, ne in proprietatem de cetero eremi vestræ loca, vel possessiones, sive domos, aut redditus alios recipiatis ullo modo, vel præsumatis habere, præter asinos, mulos aut aliquot animalium, sive volatilium ad nutrimentum.* Hanc Gregorij declarationem eisdem verbis fecit *Innocentius Quartus* anno secundo sui Pontificatus, antequam Regulam confirmaret: qui eandem *Gregorij* Bullam eisdem verbis repetit, ut videre est apud Paleonydorum *libr. 3. Cap 5. & 6. & in Speculo Ordinis*, ubi etiam prædictæ Bullæ recensentur.

Bulla Gregorij IX. circa paupertatis articulum.

Cùm verò Fratres anno 4. Pontificatus ejusdem *Innocentij*, ab eo Regulæ correctionem, declara-

clarationem, & mitigationem peterent, inter alia, quæ *Innocentius IV.* declaravit, illud potissimum dubium fuit, quod ad paupertatem spectabat: & hoc fuit in causa, ut paupertatem in communi, & omnium reddituum, & possessionum exspoliationem, præter asinos, & aliquot volatilium, *Innocentius IV.* in Regula, à nobis habenda, decreverit. Quod illis verbis satis declaravit: *Asinos autem sive mulos &c.*

Ex Regula Carmelitæ ad arctissimam obligantur paupertatem, tam in particulari quam in communi.

Ex quo clarè constat, ex vi Regulæ nos, tam in particulari, quam in communi, arctissimam paupertatem profiteri: cujus etiam paupertatis idem *Innocentius IV.* post hujus Regulæ confirmationem, eodem mense & anno, quo Regulam confirmavit, in quadam Bulla mentionem facit, dicens: *Hinc est, quòd cùm dilecti filij, Prior, & Fratres Eremitæ de monte Carmeli abdicatis sæculi opibus, titulum paupertatis sibi elegerint, ut mente & corpore expediti, liberam & acceptam valeant impendere Domino servitutem: nullas possessiones neque proprium, quo sustentari valeant, possidentes* &c. In qua Bulla, nostram etiam proponens Fidelibus paupertatem, eos ad elargitionem eleemosynarum Ordini faciendam allicere intendit. Nec non idem *Innocentius* anno II. sui Pontificatus, ratione hujus paupertatis Ordinem exemit à decimarum solutione, ut in quadam Bulla, quæ in *Speculo Ordinis* refertur, ait: *Cùm itaque ex tenore petitionis vestræ percepimus, quòd Ordo vester nullas possessiones habeat: sed vos de fidelium eleemosynis duntaxat elargitis sub regulari habitu sustentari: Nos paupertati vestræ &c.* Hæc autem Bulla annis 6. post mitigationem concessa fuit.

Patet igitur ex dictis, quid significent illa verba, *Asinos autem &c.* & quorsum apposita sint in hoc Cap. Nam per illa expresse declaratur, nos nullas possessiones, neque redditus, neque quidquam aliud in communi habere posse, præter asinos, sive mulos, & aliquot animalium &c. Quæ altissima paupertas licet ex allatis Bullis Pontificum non constaret, sufficientissimè tamen his verbis (*Asinos sive mulos*) probaretur. Nam quorsum, ut in initio dicebamus, si nobis possessiones, redditus, domos, aut alia bona possidere liberum est, in specie conceditur, ut *asinos* aut *mulos* licitè possideamus? Certè ridicula esset hæc concessio, nisi aliàs esset singularis exceptio, qua nobis, quibus quidquam in communi ex Regula possidere non licet, conceditur, ut asinos sive mulos habeamus. Et hæc exceptio, secundum juris axioma, Regulam firmat in contrarium.

At quamvis ex Regula, prout fuit ab *Innocentio* mitigata, de hac paupertate constet: adhuc restat dubium, an hæc eadem in communi paupertas ex Reg. priori B. Alberti quoquo modo colligi possit?

incidenti satisfit dubitationi.

Respondeo, hanc paupertatem collegisse *Innocentium* ex illis verbis Regulæ *Alberti*, quæ in hoc Cap. referuntur, nempe, *Sint vobis omnia communia, & ex his, quæ vobis Dominus dederit, distribuatur unicuique &c.* Quibus verbis satis indicatur, Fratres ex eleemosynis debere vivere. Et sive ex hoc Cap. Regulæ B. *Alberti*, sive ex alio id *Innocentius* desumpserit, id omnino certum videtur, hanc declarationem eum secundùm *Alberti* mentem fecisse. Quod mihi illud argumentum efficaciter suadet, quia Innocentius in hac Regula tantum intendit, vel declarare dubia, vel gravia Regulæ onera moderari: at si ipse ex suo marte B. *Alberti* Regulæ strictissimam hanc paupertatem addidisset; non mitigare, sed augere Regulam *Alberti* diceretur. Quare si tantùm in hoc declaravit, ejus declaratio elicienda erat ex prioris Regulæ mente. Patet igitur ex dictis in *hoc Capite*, tam de paupertate in communi, quàm in particulari sermonem fieri. Quare breviter de utrâque agendum erit: & prius de paupertate in particulari, ut litteræ ordinem sequamur.

Paupertas duplex, alia privata, alia in communi.

Nullus fratrum sibi aliquid proprium esse dicat. Recolendum est in primis, paupertatem, quam Religiosi colunt, esse in duplici differentia. Altera est privata tantùm, quæ est de essentia voti paupertatis, per quam quilibet Religiosus abdicat à se capacitatem dominij, & alterius cujuslibet juris ad exteriora bona: potest tamen in communi possidere, in quantum in sua Religione redditus & possessiones habentur, ut contingit in Ordine Carthusianorum, Benedictinorum, &c.

Altera paupertas in communi dicitur, per quàm nihil omnino neque in communi, neque in particulari possidetur: quæ non solùm ad personas, sed etiam ad Conventus, quantum ad redditus & immobilia bona extenditur: quam Sanctus Franciscus, & ejus ductus exemplo Dominicus suo Ordini servandam reliquerunt, & ante ipsos (ut supra demonstravimus) nostri Ordinis professores ab *Alberto* Patriarcha Hierosolymitano simul cum Regula acceperunt. Prædicta igitur verba, *Nullus fratrum sibi aliquid proprium dicat*, an ad paupertatem in communi, an verò in particulari pertineant, opus est ut explicemus.

DVBIVM I.

An illa verba, Nullus Fratrum sibi aliquid proprium &c. *intelligantur de paupertate in particulari?*

IN hoc dubio nulla dissentiendi occasio est, cùm clarè constet, prædicta verba, *Nullus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat*, de paupertate in particulari esse accipienda. Quod ut manifestius fiat, annotare in primis oportet, Religiosum nulla ratione posse dominium aut proprietatem ullius rei possidere, ut diffinitum est in Lateranensi Concilio sub *Alexandro Tertio, parte prima, cap. decimo* & novissimè in Tridentino *sessione 25. Capite 2.* Constat etiam ex variis Patrum testimonijs. *Urbanus Primus* in Epistola, seu Decretali de paupertate loquens, sic ait: *Quicumque vestrum vitam communem susceperit, & vovit, se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem suam irritam faciat.* Cassianus *libro de institutis renuntiantium, capite 3.* de Ægypti Monachorum paupertate loquens, *Nulli* (inquit) *cistellam, nulli peculiarem sportellam licebat possidere, nec tale aliquid, quod ut proprium retinens, suo debeat communire signaculo.* Divus Basilius in *Constitutionibus monasticis Capite 35. Debet* (ait) *pietatis cultor, qui vitam communem amplexus est, ab omni privata rerum possessione liber esse.* D. Benedict. in *sua Regula cap. 33. Neque aliquid quis præsumat habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino.* D. Augustinus in tribus Regulis, quas condidit, idem latè prohibet.

Conc. Lateran. *Con. Trid.* *Vrbanus. I*

Omnes

Omnes denique Religionum institutores hoc perpetua traditione senserunt, ut omnes monasticæ vitæ professores nihil omnino proprium possiderent. Imò hanc proprietatis abrenuntiationem intrinsecam esse Religionis statui, satis ubique constat: ac proinde omnes Religiosi speciali voto, omnium rerum dominio ac possessioni renuntiant. Quod & necessariò debere ita fieri, alibi ex eo principio ac fundamento colligebamus, quia, cùm Religiosi sui juris non sint, ac suæ libertatis dominium non habeant, sed illud in Prælatorum potestatem per traditionem, quæ in professione fit, transferant: necessariò sequitur, eos nihil habere, neque possidere posse, non aliter ac si servi essent.

Cujus rationis sive fundamenti Benedictus *Cap.* 33. suæ Regulæ meminit: ubi cùm docuisset, nihil omnino proprium à monachis esse possidendum, rationem sic reddit: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates suas licet habere in sua propria potestate. Eodem ferme modo in hoc proposito arguit D. Aug. in *sermone de communi vita clericorum*, relato in Cap. *non dicatis*, 12. *q.* 1. dicens: *Cùm hujus Congregationis Fratres se per obedientiam penitus aliorum potestati subdiderint: certum est, eos nihil habere posse.* Quasi dicat, ex eo, quòd quis est sub alterius potestate constitutus, necessariò sequitur, quòd nihil in sua potestate possidere, neque habere possit: sicut contingit in servo ac in filio familias: sed quia de hoc latiùs, dum de Paupertatis voto ageremus, disseruimus, ne eadem sæpius repetamus, ab his supersedendum duximus.

Ex his factum est, quòd, cùm Religiosi per votum paupertatis ab omni possessione & proprietate, imò & habendi capacitate denudentur, non solùm nihil proprij illis habere conceditur, verùm nec quicquam oretenus proprium appellare Patres, ac Religionum institutores permittunt. Quam consuetudinem in Ecclesia Primitiva fuisse accuratè observatam, ex *Actibus Apostolorum capite 4.* accepimus, ubi dicitur: *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, suum aliquid esse dicebat.* Unde Basilius in *Regula brevior.* hanc (etsi rigidam) protulit sententiam: *quæst.* enim 85. sic ait: *Qui dicit, suum aliquid esse, seipsum alienum reddit ab Ecclesia Dei, & Charitate Domini.* D. Augustinus *sermone* 1. de vita communi clericorum, *Quantum* (inquit) *possumus, imitemur sanctos, de quibus loquitur lib. Act. Apostol. Nemo dicebat aliquid proprium.* Idem docet in *Epist.* 109 *ad Monachos*, & clarius in sua regula præcipit, dicens: *Non dicatis vobis aliquid proprium.* A quo mendicavit Gratianus celebrem illum textum Cap. *Non dicatis* 12. *q.* 1.

Act. Apostol. cap. 4.

Cap. dilis. 12. q. 1.

Chrysostomus suæ ætatis Monachos commendans, ait: *Non est ibi meum ac tuum: sed hoc verbum penitus eliminatum est, multorum causa malorum.* Et Conc. Milanense *part.* 1. *Cap.* 7. quod habetur in 5. *Tomo Conciliorum*, de Religiosorum paupertate tractans, ait: *Tuum, & meum, atque omnis possessio, re & verbo omnino tollatur.* Sed & illud magis mirandum est, ita hunc ritum inter antiquos Monachos fuisse observatum, (Cassiano teste *ubi supra*) ut etiam, qui inconsideratè proprium aliquid appellabat, illo tempore puniretur. Ac denique hanc observationem in suis Monasterijs ita florere, Magnus ille Basilius præoptavit, ut etiam Religiosorum proprios parentes communi nomine appellandos decerneret.

Horum igitur Patrum, imò & potiùs Scripturæ vestigijs nostra inhærens Regula, meritò in *hoc Cap.* decernit, ut *nullus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat*, quasi à fortiori sumens argumentum. Si enim aliquid proprium vobis etiam nominare prohibeo: quantò magis neque habere neque retinere concedam? Quare in *hoc Cap.* utrumque horum prohibetur: & possidere aliquid proprium, insuper & proprium aliquid dicere: licet illud tanquam intrinsecum voto paupertatis præsupponatur; hoc verò tanquam utile ad ejus observationem expresse decernatur. Sic enim Gerson in *opus. contra proprietarios* in similibus verbis circa Regulam Augustini consideravit, dicens: *Si ergo expresse prohibet Augustinus verbum proprietatis, à fortiori & factum.*

Inquiret aliquis, an proprium aliquid dicere, in nostro Ordine peccatum sit? Navarr. d. Cap. *Non dicatis n.* 1. tunc hoc existimat esse peccatum, quando quis non solùm voce, sed re appellaret, & crederet sibi aliquid proprium: minimè verò peccatum censet, si quis sibi rem usui à Prælato concessam, propriam appeller. Alij verò Canonistæ, ut sunt Archidiaconus, Cardinalis, & Alexander, in Commentarijs *dicti Capitis Non dicatis*, & alij Expositores Regulæ D. Augustini sentiunt, Religiosum peccare saltem venialiter, qui absolutè libros, cellam, aut vestes, aut quid aliud proprium appellat. Quod etiam nobis videtur necessariò affirmandum: quia cùm nostra Regula ad majorem paupertatis observantiam id clarè præcipiat, & hæc obliget ad peccatum veniale, non video, qua ratione ij possint excusari, nisi ignorantia, aut inconsideratione faciant.

Legend. Navarr. supra cit. Antonius noster. in Annotat. in hoc 12. gul. cap. num. 3.

Secundò Quæret aliquis, quando peccabit quis contra votum paupertatis, aliquid proprium sibi retinendo?

Vid. Doctores dicendi Matre Dei Tom. 4. cap. Thomas. moral. Tract. 17. cap. 6. punct. 2. & 2.

Hæc difficultas longiorem petit disputationem, quam nos latè prosequuti sumus in *Tractatu de voto paupertatis.* Breviter tamen respondeo. Quoties cujuscunque rei dominium, proprietas, sive possessio, jus, vel administratio, usus fructus, vel usus possideretur, sive quilibet alius actus dominij exercetur, sine Prælati tacita vel expressa licentia, toties peccatum est proprietatis ex suo genere, majus vel minus secundùm majorem vel minorem gravitatem materiæ. Ad quæ reducitur, quidquid Religiosus sine Prælati authoritate donat, accipit, retinet, vendit, emit, commutat, vel alienat, aut mutat, vel alio modo administrat: quæ omnia per singulas partes prædicto libro probavimus. Quare ampliùs in his non oportet immorari.

IN TEXTV

ibidem.

Sed sint vobis omnia communia.

DVBIVM II.

In quo consistat ratio vitæ communis: ac de ejus utilitatibus.

VItæ communis modus ac forma in eo maximè sita videtur, ut nullus Religiosorum aliquid proprium sibi vendicet. Quia cùm proprium

&

De hac vitæ ratione, ejusque maximis commodis ac bonis præclare disserit noster. Joan. à Jesu Maria 2. part. disciplinæ monasticæ cap. 17. Act. Apost. c. 4.

& commune inter se invicem pugnent, communia omnia sibi esse non possunt, ubi proprium aliquid retinetur. Pertinet etiam ad hanc vitæ communis rationem & essentiam, ut ea omnia, quæ ad Religiosorum victum & vestitum sunt necessaria, æqualiter eis, inspectis eorum necessitatibus, ex bonis monasterij communibus administrentur. Et sic tunc in Religione omnia communia esse dicuntur, quando una mensa, unus cibus, eædem vestes, eadem habitatio, eadem suppellex, & denique omnia, quæ ad victum & vestitum pertinent, æqualiter omnibus distribuuntur.

Hanc esse communis vitæ rationem ac modum, in primis probatur ex *Actis Apost. ubi cap. 4.* dicitur: *Nemo aliquid suum proprium dicebat, sed erant illis omnia communia, & distribuebantur unicuique sicut cuique opus erat.* In quæ verba Aug. *ser. 25. de verbis Apost.* sic ait: *Sed jure fraternitatis erant illis omnia communia, scilicet, ut qui eodem consortio Religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & vitæ, hoc est, ut quibus erat una fides, esset una substantia: & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus.* Et idem Aug. in *Reg. Cap. 3. Et distribuatur unicuique à præposito vestro victus, & vestimentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: sed potiùs unicuique, sicut cuique opus fuerit.* Sic enim legimus in Actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia. Quibus verbis satis perspicuè docet Aug. communem vitam maximè in hac rerum proportionata distributione consistere.

D. Basil. *serm. 4.* exercitationis prumpt. *Porrò* (ait) *unum commune omnibus sit, & nihil proprium unicuique hominetur: sed in potestate Præfecti positus sit usus, ut ex communibus id, quod conveniens est, unusquisque usurpet, juxtà Præfecti voluntatem.* D. Benedictus in *Reg. Cap. 33.* hanc rerum communitatem in eo consistere decernit, ut nullus aliquid proprium habeat: & quòd omnia distribuantur ab Abbate singulis, prout opus habent: hanc enim ibi docet esse rationem communis vitæ D. Joan. Chrys. *hom. 58. ad populum Antiochenum*, de toi sæculi monachis narrans ait: *Una mensa, unum ministerium suscipientibus, & exhibentibus eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, vita eadem: non est ibi meum, ac tuum, sed hoc verbum penitus eliminatum est, multorum causa malorum.* In quorum Patrum testimoniis id licet considerare, omnes vitam communem ad hæc duo reducere, & ad carendum proprio, & ad distributionem communium bonorum, servata subditorum necessitate, faciendam.

Conc. Trid.

Quibus etiam accedat Conc. Trid. *sess. 25. Cap. 2.* ubi volens quæ ad communem vitam in victu & vestitu conservandam pertinent, fideliter observari, Religionum Prælatis præcipit, ut de bonis Monasterij necessaria subditis provideant. Et in

Conc. Colon.

Conc. Colonienſi sub Conrado Archiepisc. ann. 1260. celebrato *titul. de Monachis, & de eorum conversatione & vita Cap. 3.* sic decernitur. *Statuimus, quòd Monachi proprium non habeant: & quòd pariter victum aut vestitum percipiant de communi per administrationem sui Abbatis.*

Conc. Medi.

Celebre quoque Concilium Mediolanense, sub Carolo Borromæo Cardinali post Tridentinum celebratum, *parte 3. titulo de communi vita usu*, sic inquit: *In omnibus monasterijs quoad cibum, potum, somnum, vestitum, cetera que res attinet, omnes communiter vivant, ut sacro Concilio Tridentino decretum est: nec quidquam inter eas differat* (loquitur enim de monialibus) *aut alia aliis præferatur, aut posthabeatur, quemadmodum votum paupertatis postulat: ut TUUM & MEUM, ac omnis privata possessio & re & verbo omnino tollatur.* Quibus verbis clarè hoc Concilium decernit, quantum ad votum paupertatis accuratè servandum conducat hujus vitæ communis ratio. Nam ex ea oritur, ut à Monachis omnis privata possessio procul arceatur: sicut è contrario, ex defectu vitæ communis ac distributionis necessariorum magna illis proprietatis præbetur occasio.

Et denique prædictis consonat Concil. Provinciale Camera. *tit. de Monachis Cap. 9. 10. & 11.* dicens: Cùm sacrosancta Synodus Trid. præcepe- Conc. Came.
rit, ea quæ ad communem vitam, victum, & vestitum pertinent, fideliter observari: mandat hæc Synodus omnibus Religiosis, ut diligentissimè paupertatis votum, tanquam ineffabilis cujusdam & dulcissimæ quietis causam, custodiant: neque proprietatis vitio violent. Caveant igitur, ne quid sibi ita retineant, vel retinere desiderent, ut Communitati nolint esse communem: néve ad peculiares usus eo utantur sine Superioris consensu. Et *infrà* præcipit, ut Prælati omnibus necessaria tribuant.

Quid per illa Regulæ verba *sint vobis omnia communia* significetur.

Ex his facilè conjici potest, illa Regulæ verba, *Omnia esse communia*, nihil aliud significare, quam quòd nemo quidquam sibi proprium habeat: sed potiùs ut omnia sint omnium, & illis in communi, & in necessarios usus auctoritate Prælati omnibus dispensentur. Quare commune bonum non erit illud, quod, quamvis quis à Prælato sibi permissum habeat, tamen ita mordicus & tenaciter retinet, ut vix ab eo etiam auctoritate Prælati separari possit. De quo memini me dixisse in *Tractatu de Paupertate*: ubi bonum commune illud appellabamus, quod incorporatum est aliis bonis communibus monasterii, & subest liberæ administrationi Prælati, ita, ut Prælatus libere & absque impedimento possit necessarijs Fratrum, aut Conventuum usibus applicare.

Variæ verò sunt rationes, ob quas Concilia ac Patres tantopere hanc vitæ communis rationem commendarunt. D. Basilius Serm. 5. exercitationis, eam rationem hujus adinvenit, ut id factum esse existimet ob Religiosorum pacem & unitatem. *Cum igitur* (ait) *plures ad eundem salutis scopum respicientes, communem inter se vitam susceperint, oportet, hoc præ omnibus in ipsis obtinere, ut unum in omnibus sit cor, & voluntas una, & desiderium unum: & quemadmodum Apostolus sancit, ut unum corpus fiat, ex diversis membris coaptatum, totus ille Congregationis acervus. Hoc autem aliter fieri non potest, nisi illud obtinuerit, ut non designetur nominatim alicui, neque vestimentum, neque vas, neque aliud quid ex his, quæ ad communem vitam conducunt, quo singula ex his usus sint necessitatis, & non possidentis.* Hæc Basilius, quibus luculenter probat, maximè ad unitatem & pacem, hanc communem vitam conducere, quam etiam ad ineffabilem & dulcissimam quietem custodiendam juvare, suprà ex Concilio Cameracensi retulimus.

A Basilio non dissentit Chrysostomus in *Apologia vitæ monasticæ*: in qua dum conversationem hanc cælestem commendat, ejusque gaudia, quietem, gloriam aliaque commoda recenset, statim subjicit, hoc provenire, quia inde duo illa, quæ omnia pervertunt & perturbant, *Meum*, & *Tuum*, penitus eliminata sunt. Cuncta quippe illis com-

munia sunt, mensa, domus, indumentum: & quod sane mirabilius est, unus etiam idemque animus est. Horum Patrum sententia manifesto testimonio comprobatur. Nam tunc in Ecclesia primitiva Fidelibus omnibus erat cor unum & anima una, quando omnia bona illis erant communia: cessante verò hac communitate & distributione bonorum, orræ sunt in fidelibus lites & contentiones multæ. Ex quo colligitur, hanc vitam communem multorum bonorum esse parentem.

Vita communis multorum bonorum parens.

Præterea hæc bonorum distributio in monasterijs à Religionum institutoribus introducta est, tum, ut monachis nulla detur proprietatis occasio (ut supra ex Concilio Mediolanensi adducebamus,) quia cum se communibus Monasterij auxilijs destitutos conspiciunt, proprium victum, supellectilem, vestitum, ac alia quærere compelluntur: ob quam causam Concilia, & præcipuè Tridentinum, & Religionum Patres tanto studio ac diligentia vitam communem in suis monasterijs observari voluerunt, ferè impossibile arbitrantes, sine hac vitæ ratione, paupertatis votum diu posse consistere: rum etiam, ut à Religiosis omnibus omnis solicitudo ac rerum temporalium cura penitus resecaretur.

Nam in hac cælesti Religionis Philosophia, externæ terrenæque occupationes maximè impediunt, ita, ut rectè à D. Gregorio illud dictum sit 12. *moral. Cap.* 22. Cura multiplex terrenarum rerum quia occupat, excæcat. Nam ut terrena omnia sunt corporea & crassa: sic animus in his tractandis occupatus, fit crassior & concretior. Ex quo illud provenire necesse est, ut ea curarum mole impeditus, ad cælestia contemplanda nequaquam possit ascendere. De quo bene idem D. Gregorius 5. *moral. Cap.* 8. Nequaquam ad superna attollitur, si curarum tumultibus continuè occupetur. Uberiùs autem, quantum hæ solicitudines rerum temporalium profectum nostrum impediant, disserit D. Thomas 2. 2 *q.* 186. *art.* 6. Ne igitur his solicitudinibus mens impediretur, in procurandis sibi necessarijs occupata, fuit in Religionibus hæc vitæ communis Philosophia introducta. Ex qua magna felicitas ac quies Religionis statui accrescit, ut testis est venerabilis Beda in *lib. retract. super act. Apost.* in illa verba, *Erant illis omnia communia. Communia* (inquit) *idem est, quod Græcè cœna, à quo nomine constat perfectos DEI famulos cœnobitas Græcè, & communiter viventes Latinè dici. Qui ergo sta vivunt, ut sint eis omnia communia in Domino rectè, composito ex duobus uno nomine, vocantur cœnobitæ: qua quidem vita tanto terrena seculi hujus conversationibus felicior est, quanto magis statum futuri seculi etiam in præsenti imitatur: ubi sunt communia omnia omnibus beatis, cernentibus ejus gloriam, à quo sunt omnia bona.* Hæc Beda. Quare hanc conversationem planè cælestem, nihilque Angelis deteriorem appellat D. Chrysostomus in *apologia*, *ubi supra. Nam sicut Angeli* (inquit) *omnes pariter in gaudio, & quiete, summaque illa cælesti gloria exultant: ita fieri quoque perspicuas in monasterijs.* Loquiturque ibi D. Chrysostomus de vita communi Religiosorum: & propter hanc, eos cum Angelis comparandos censet.

Et (ut plura uno verbo concludamus) illud prætereundum non erit, ipsos adhuc Philosophos ethnicos, cùm Rempublicam ingenio suo ita perfectam & absolutam fingere vellent, ut animo magis optari, quàm re ipsa perfici posset; nullam aliam formam commodiorem, & præstantiorem reperire potuerunt, quàm illam, in qua hæc vitæ communis regula servaretur. Sic enim Plato *dial. 5. de Republica* suam illam Rempublicam ita instituit, ut priscum illud proverbium, *Amicorum omnia communia*, quàm maximè vigeret. In eoque existimavit, tam virtutis quàm felicitatis summam in civitate esse collocandam, ut quicquid proprium dicitur, omni studio ab ea removeatur: neque solùm agri, aut pecuniæ, aut domus cum omnibus communicentur; sed illa etiam omnia, quæ ita propria sunt, ut cum alijs communicari non posse videantur. Hanc ergo (ait Plato) Civitatem sive Dij alicubi, sive Deorum filij unà plures incolant, certè beatos, omnique gaudio cumulatos fore. Hæc Plato. Quanta igitur communis vitæ felicitas est ac præstantia, ut non solum Christiani cælestem illam, verùm & Ethnici reputaverint!

IN TEXTV

ibidem.

Et distribuatur unicuique per manum Prioris, vel, per fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout unicuique opus fuerit, inspectis ætatibus & necessitatibus singulorum.

HUcusque in *hoc Capite* de proprietate abdicanda, ita, ut communia sint omnia monasterij bona, Regula decreverat. Nunc ultrà progrediens statuit, quibus, à quo, & qualiter sit hæc distributio facienda. Primum horum illis verbis, *Distribuatur unicuique*, scilicet Religiosorum: secundum ibi, Per *manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem munus designatum*: tertium verò, quod ad modum spectat, illis claudi tur verbis, *Inspectis ætatibus & necessitatibus singulorum.* Quæ omnia, ut supra adducebamus, ex Actibus Apostolorum desumpta videntur. Hæc igitur tria à nobis in præsenti ampliùs declaranda & confirmanda sunt.

DVBIVM III.

Quibus, & à quo bonorum communium distributio facienda sit.

PRima fronte dubitare posset quis hac ratione. Si bona Monasterij communia sunt, liberum unicuique erit, de eis sibi necessaria propriâ auctoritate providere; id enim ad rationem communis boni spectare videtur, ut de eo liberè unusquisque vindicet, saltem quod sibi necessarium est. Ergo non est exspectanda Prælati, neque alterius distributio. Vid. mentem Franciſci Regis. tum pag. 205.

Pro hujus dubij resolutione sit prima propositio. *In Religione nullus potest auctoritate propria aliquid ex communibus Monasterij bonis sibi in proprietatem, vel usum applicare.* Hæc conclusio adeo est certa, ut à nullo unquam fuerit de ejus certitudine dubitatum. Et patet primò. Quia omnes ferè Religionum institutores, horum bonorum dispensationem sive distributionem ad Prælatos pertine- num. 7.

re,

re, decernunt: Ergo absque eorum auctoritate non potest subditus quicquam sibi appropriare. Aug. in *Reg. Cap. 4.* ait, *Distribuatur unicuique à Præposito vestro*: ubi omnes Expositores docent, illa verba, *A Præposito vestro*, esse apposita, ne quispiam falsò sibi persuadeat, licere sibi propria auctoritate res communes accipere, vel in alios dispensare.

Consonat Augustino Benedictus *Cap. 33.* ubi de paupertate tractans docet, Monachum nihil habere posse, sed omnia necessaria à Patre Monasterij speranda debere. *Nec quicquam* (addit) *liceat habere, quod Abbas non dederit aut permiserit, sicut scriptum est: Dividebatur singulis, prout cuique opus erat.*

D. Basilius idem docet *Serm. 4.* exercitationis, & in *reg. brevior. interrog. 87.* & adhuc clarius *interrog 91.* ubi inquirit: *Si frater nudus petat ab alio vestem, quid hic facere debeat?* Et solvit dicens: *sive nudus, sive pravus, sive ex necessitate, sive ex avaritia petat, semel dictum est, quod dare, aut accipere non cujusvis est, sed ejus, cui talis dispensatio commissa est.* Et *q. 93.* in simili proposito adducit illud Act. Apost. *dividebatur singulis.* *Act. 4.*

Confirmat prædicta omnia optimè Trid. *Con. Trid sess. 25. Cap. 2.* & post. Trid. Conc. Mediol. & Camerac. quæ omnia concilia, nulli Religiosorum licitum esse aliquid sine concessione Prælati possidere, decernunt. Nec velim hîc multum immorari, cùm alibi de hoc sæpius me tractaturum promiserim. Quare una vel altera ratione hanc conclusionem breviter confirmabo. *Conc. Mediolan. Conc. Camerac.*

Prima est. Quia si licitum esset unicuique, de bonis conventus sibi necessaria usurpare, maximum incommodum, & inevitabilis ruina in Religione sequeretur. Primò, quia dum unusquisque sua auctoritate quippiam præsumit accipere, & omnes proni sunt uti melioribus rebus, inde rixæ & contentiones maximæ orirentur: ob quas vitandas, bonorum communitas introducta fuit, ut dubio præcedenti dictum est. Secundò, quia cùm homines, supposita naturæ corruptione, plures necessitates fingant, plura etiam, quàm necessaria sibi essent, ex bonis Communitatis vendicarent: & sic vel facilè Religionis bona perirent, vel omnes superflua possiderent: ac proinde tam votum paupertatis, quam temporalia Monasterij bona omnino corruerent.

Secunda & principalis ratio. Quia Prælatus, ut ex dictis constat, maximè ex Concilio Tridentino *sess. 25. Cap. 2.* ex officio hanc distribuendi facultatem habet, & nullus est, qui unquam subdito eam concesserit, neque ad proprios usus; sed potiùs omnes illi eam expresse denegant, ut ex Patribus allatis, & præcipuè ex Tridentino suprà constat: ergo illicitè subditus facit, cùm hac abutitur potestate.

Ex quibus primò licet colligere, maximè ad votum paupertatis spectare, non solùm ut quis proprium non habeat, verùm etiam ut ne spontaneam sibi quidem de bonis Conventus dispensationem faciat. Omnia enim tam Conciliorum quàm Patrum testimonia, hîc & alibi relata, eum contra paupertatem delinquere, luculenter docent.

Secundò infertur, quòd neque ea, quæ quis proprio usui deputata habet, valet alteri donare vel conferre, etiam ad usum. Quod ex D. Basil. suprà interr. 29. evidenter monstratur. Tum etiam, quia hæc bona, quæ quis habet ad usum, sunt etiam Communitatis, ac proinde non poterit ea dispensare.

Tertiò, quia nostra Regula, & Regula etiam D. Augustini, Benedicti & Basil. aperte docent, hanc administrationem vel fieri debere à Prælato, vel fratre ab eodem ad idem munus assignato. Quod expressis verbis docuit Trid. ubi suprà: ergo qui non est designatus à Prælato, eam non potest exercere, & sic recipiens ab eo illam rem, non esset tutus in conscientia. Quia subditus omnia, quæ ad victum & vestitum pertinent, debet à suo Prælato expectare, ut patet ex dictis, & ex hoc Cap. Regulæ, *distribuatur unicuique per manum Prioris, vel per fratrem &c.* Unde nullius rei licitus erit usus, quam Prælatus vel expresse vel tacitè alicui non concesserit.

Secunda conclusio. *Prælati tenentur de bonis monasterij subditis necessaria, tam quæ ad victum, quàm quæ vestitum attinent, prompte charitativeque distribuere.* De hoc plura in *Tractatu de paupertate* diximus: ibi enim egimus de cura, quam circa subditorum ministerium Prælati adhibere tenentur.

Tertia conclusio. *Hæc administratio non solùm potest fieri à Prælato, sed etiam à quocumque alio ad id munus designato.* Hæc Conclusio consta ex regulis Basilij, Benedicti, Augustini ut suprà. & ex nostra Regul. ibi, *vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum.* Et est communis Religionum Praxis, ut Prælatus non omnia per seipsum immediatè dispenset, sed per ministros ad suum nutum amobiles, ut Trident. *d. Cap. 2.* statuit. Hic autem dispensator, qui Fratribus necessaria distribuit, apud varias Religiones varijs etiam nominibus gauder. Apud D. Benedict. ut ex ejus Regula constat *Cap. 31.* & apud August. *Cap. 16. Cellarius* nuncupatur: apud Basil. *interr. 149. Dispensator* dicitur: quamvis sæpe etiam *cellarius* nominetur: apud antiquos Ægypti monachos, *œconomus* appellabatur, ut videre est apud Cassianum *lib. 4. institution. Cap. 20.* apud nos verò absolutè frater in Regula nuncupatur. *Tridentin* Dispensatores bonorum Monasterij in varijs Religionibus diversis nuncupantur nominibus. Facultates eorũ mensurandæ juxta varias Religionum praxes, ac potissimum juxta Prælati voluntatem.

Quæ autem sit hujus dispensatoris sive œconomi facultas, non est facilè id in communi discernere: cùm mensuranda sit ex varijs Religionum consuetudinibus. Et possimùm, cùm ejus facultas à Prælati voluntate dependeat, dicenda erit major vel minor, secundum quod Prælatus majorem vel minorem potestatem, ac jurisdictionem concesserit. Quòd autem omnino à Prælato pendere debeat, præcipit Benedictus in sua *Regul.* ubi de Cellario loquens, ait: *Curam gerat de omnibus, & sine jussione Abbatis nihil faciat.* Et infra: *Omnia mensurate faciat secundùm jussionem Abbatis.* Et iterum: *A quibus enim prohibuerit, non præsumat.* Hæc Benedictus. Basilius de cellario loquens *interrogatione 148.* talem potestatem eum habere sentit, qualem ei dederit, qui talem ei curam commisit, Prælati nempe, Præfectus. Et ratione ipsa monstratur: Quia si Prælatus administrationem & gubernationem habet Monasterij, & subditus solùm ex commissione & delegatione, fit, quòd ad plura se extendere non possit, quam ei sit permissum, & subdelegatum. Concessionem ac voluntatem.

Circa hanc conclusionem duo oportet advertenda Duo impense animadnotare. Alterum, quid debeat Prælatus in eligendis his ministris observare. Alterum, quid ipsi, ut injuncto sibi muneri satisfaciant, teneantur præstare. De primo extat celebre *Innoc. III.* Responsum in Cap. *Cùm ad monasterium*, de stat. Monach. *Cap* cùm ad monast. *de statu mon.*

Quales à prælato sint dispensatores constituendi?

Tales autem (ait) *ad agenda officia Monasterij officiales deputentur, qui fideles sint & discreti.* Quibus verbis in dispensatore duo præcipuè desiderari fatetur: fidelitatem nempe, & prudentiam. Nam si infidelis sit, alteri Judæ similis factus, substantiam Monasterij deprædabitur, vel alijs destruet vijs. Si verò imprudens, minimè damna vel commoda Monasterij opportuno tempore considerabit, ut illa vitare, hæc verò consequi monasterium possit. Quare Basil. *interrog.* 104. magnam vult haberi rationem in administratoribus Monasterij eligendis, ita, ut velit Præfectum id cum consilio facere. Quæ Benedictus considerans *d. Cap.* 31. multa ad Cellarium statuendum prærequirit. Ait enim: *Cellarius Monasterij eligatur de congregatione, sapiens, maturis moribus, sobrius, non multùm edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens DEUM, qui omni Congregationi sit sicut Pater, & curam gerat de omnibus.* Hæc Benedictus. plura ne obsecro ad eligendum Abbatem posset postulare?

Quid his agendum, ut injuncto sibi muneri satisfaciant?

Circa secundum, nempe, quale œconomi sive dispensatoris officium debeat esse, attentè audiendus est D. Basilius in *regul. fusiùs disputatis, interrogatione* 34. Primùm (inquit) oportet œconomos Monasterij eos esse, qui illios possint imitari, de quibus *in Act. Cap. 4.* legimus, solitos eos fuisse singulis distribuere, prout unicuique opus erat, ita, ut multam misericordiæ & longanimitatis erga omnes providentiam faciant: ut neque suspicionem præbeant alicui affectionis, favoris aut invitationis: neque è contrario elationis, ob quæ ijs, quibus infensiores sunt, necessarias res subtrahant: aut his, erga quos affecti sunt, amplius quàm opus sit largiantur. Est autem illud fraterni odij; hoc verò favoris, sive amoris maximè vitiosi. Itaque à favoris affectu, itémque contentionis, ad summam putos esse necesse est eos, qui fraternitatis res ad usum necessarias distribuunt.

Grave imminet judicium ijs, qui Fratribus necessaria subtrahunt.

Et idem Basilius in *Regul. brevior. interrogatione* 149. inquirit, quæ sit pœna dispensatoris, si quid amore vel odio fecerit? & ait: *Quòd talis alienus ab Ecclesia DEI decernatur, donec correctus fuerit.* Et *infrà interrogatione* 150. requirit, Si verò negligens, non det fratri necessaria, Respondet, *hoc judicium manifestum est ex verbis Domini, qui dixit: Abite à me vos maledicti in ignem æternum: esurivi enim, & non dedistis mihi edere* &c. Prædicta Basilius.

Ac denique Benedictus, postquam Cellarij partes ita maturè depinxit, in *eodem Cap.* qualiter suum munus sine offensione exercere valeat, similiter docet: *Curam* (inquit) *gerat de omnibus: sine Abbatu jussione nihil faciat. Quæ jubentur custodiat, Fratres non contristet. Si quis autem frater ab eo aliqua fortè irrationabiliter postulet, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Memor sit illius Apostoli præcepti: Quia qui benè ministraverit gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum, infantium, hospitum, pauperumque cum omni solicitudine curam gerat, sciens sine dubio, quod pro his omnibus in die judicij rationem redditurus sit.*

Et infrà: *Nec avaritiæ studeat, neque prodigus sit, aut extirpator substantiæ Monasterij: humilitatem ante omnia habeat, & cui substantia non est, qua tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus. Quia scriptum est: sermo bonus super datum optimum.* Et infrà: *Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel mora efferat, ut non scandalizentur: memor divini eloquij, quid mereatur, qui scandalizaverit unum de pusillis. Horis competentibus dentur, quæ danda sunt, & petantur, quæ petenda sunt, ut nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.* His sanctus Benedictus satis aptè prudentiæ ac charitatis Regulas, quas debeat servare Cellarius, proponit. Discant ergo Monasterij dispensatores, horum Patrum Doctrinam sectari, & eam veluti speculum ante oculos ponant. Qualiter verò ab eis substantia Monasterij, cujus cura sibi commissa est, tractari debeat, in *Tractatu de paupertate* docuimus.

Bona communia duplicia sunt genera.

Ad rationem in contrarium adductam respondetur, advertendo, bona communia esse in duplici differentia. Quædam, quæ ita sunt alicui universitati communia, ut cuique liceat ex eis accipere pro suo libito: qua ratione licitum est incolis alicujus oppidi, ex communi sylva ligna cædere. Quædam verò ita sunt communia, ut totum à toto possideatur, & nihil partis à parte, qua ratione Religiosis omnia communia dicuntur; nulli enim singulari licet aliquid ex eis accipere vel possidere, nisi juxta leges à Religione traditas, ut rectè Navarrus in Cap. *non dicatis. num.* 40. docet.

DVBIVM IV.

Qualiter fieri debeat dispensatio à Prælato, vel à fratre ab eo designato, inspectis ætatibus & necessitatibus?

Consulend. Comment. noster Franciscus in hæc verba, pag. 217. & seqq. & Antonius Augustinus loc. cit. num. 15. & seqq.

MUlta hîc memoriâ digna offerebant se examinanda circa modum, quo debeat Prælatus rerum usus in subditos dispensare, nisi de hoc 4. P. *Tractationis* nostræ *de paupertatis voto* dictum esset, ubi diximus de causis, quæ intervenire debent, ut Prælatus subditis aliqua distribuat, & in quos usus monasterij bona sint distribuenda: & similiter, quando Prælatus peccet, vel superflua concedendo, vel necessaria denegando. Qualiter etiam ab œconomo sive Cellario bonorum administratio gerenda sit, difficultate præcedenti breviter attigimus. Sed quoniam prædictis locis hæc generaliter dicta sunt, oportebit hîc aliqua specialiter circa illa verba, *Inspectis ætatibus & necessitatibus*, adnotare, quæ ad modum sive formam tenuia in distributione à Prælato, sive dispensatore servandam, diximus pertinere.

Primò igitur his verbis Regula distributionem non præcipit æqualiter mathematicè fieri: quia non æqualiter indigent omnes, ut rectè D. Augustinus in sua *Reg. Cap.* 3. ait: *Distribuatur unicuique à Præposito vestro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius unicuique sicut opus est.* Benedictus etiam *Cap.* 34. *suæ Reg.* in hoc proposito ait: *Sicut scriptum est, Dividebatur singulis prout cuique opus erat. Ubi non dicimus, ut personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio: ubi qui minùs indiget, agat DEO gratias, & non contristetur: qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia. Et ita omnia membra erunt in pace.* Hactenus Benedictus. Hoc igitur est, quod hîc nostra Regula statuit, ut in distributione bonorum, ratio habeatur uniuscujusque *ætatis & necessitatis*, magis indigenti plus detur, & minus egenti, etiam minus conferatur. Quæ distributio licet non sit ad æqualitatem mathematicam, est tamen secundùm justitiam distributivam: in qua attenditur æqualitas proportionalitatis.

Quæ qualitas in distributione attendenda.

Præte-

Præterea meritò in hoc Regulæ articulo de singulorum ætatibus mentio fit. Nam quamvis fortè necessitatis nomine hîc infantium vel seniorum ætas comprehenderetur: adhuc tamen id expressè cavetur, ut majori curæ ætatibus his, maximè verò senio confectis necessaria provideretur. Quis autem verè dicatur senex, non est facilè discernere. Hippocrates enim senem appellat à quadragesimo octavo suæ ætatis anno usque ad 56. sic Servius Tullius illos senes nominat, qui ad annum 46. accesserunt: Varro verò 45. Galenus *libr. 5. de tuenda sanitate*, ætatem senis tripartitò dividit, in quo modò non moror: nam jure Canonico probabilis sententia est, senem dici, qui annum 50. attigerit: pro qua sententia multos refert authores peritissimus Menochius, *de arbitrariis judicum quæstionibus, Tom. 1. casu* 59. Ipse tamen, relicta hac sententia, cum communi sentit, senectutem arbitrio judicis, vel prudentum judicandam esse.

Quis senex dicendus sit?

Quæ sententia maximè mihi placet, cùm in hoc ulla certa regula, aut definitio assignari non possit. Prælatus ergo illum arbitrabitur senem, quem jam annorum numerus, perpessi in Religione labores, & assiduæ corporis afflictiones ineptum ad Ordinis rigorem reddiderunt. Iis ergo districtioris vitæ indulgentia (cum discretione tamen) permittenda est. Quod meritò magnus ille monachorum Pater Benedictus in sua *Regula Cap.* 37. præcepit. Agens enim ibi tam de senum, quàm infantium ætatibus, ait: *Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his etatibus, senum videlicet, & infantium; tamen ut Regula authoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regula teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio, & præveniant horas canonicas.* Quòd autem Benedictus ita senibus præcipuè provideat, non mirum est, cùm Senectus quædam morbi species esse perhibeatur. Sic Comicus *Senectutem*, ait, *per seipsam morbum naturalem* esse. Unde M. Tullius in oratione de Q. Mutio loquens: *Et ille senectutis morbus* (inquit) *non equidem incidens est & transiens.*

Oportet tamen Prælatos (& potissimùm in Ordine nostro) in hac re maxima cum cautione procedere, ita, ut non nisi præmisso diligentiori examine, hæc aliqualis indulgentia concedatur, ne professio nostra, quæ in asperitate & arctitudine vitæ tota versatur, his indulgentijs ac remissionibus facilè tepescat, aut relaxetur. Cum pueris verò, si qui in Religione aliquando admittantur, non minor Prælatorum discretio requiritur. In illis enim oportet, ut attentè consideret vires, complexionem, & alia: & secundùm ea judicet, quid magis Ordini expediat, ne Religionis progressu eis vires deficiant, & inhabiles ad Communitatis labores omnino reddantur.

Quid prælatis circa senes & pueros observandum?

Tertiò aperire oportet, quid nomine necessitatis Regula intelligat. Pro quo observo, illam esse veram necessitatem, cui si non provideatur, officium Communitatis ab habente eam exerceri non potest; vel si particularis persona re aliqua indiget, sine qua commodè secundùm nostræ vitæ statum transire non potest: verbi gratia, si deficiant sufficiens victus, vel vestitus: ut cibus & potus, vestes, lectus, domus, vel cella, libri pro officio divino, vel pro studio litterarum, ut Prædicatoribus, Confessoribus, aut Scholasticis in Collegijs studentibus: & denique alia hujusmodi requisita ad cujusque officij munus debitè exercendum. Quæ omnia providere tenetur Prælatus secundùm nostrum vivendi modum & statum paupertatis, quem professi sumus, ita ut verè adimpleatur Concilij Tridentini *sessione* 25. *Cap.* 2. decretum, nempe, quod ita rerum usum Prælati permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quem professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit, nihilque, quod sit eis necessarium, denegetur. Hæc enim sunt, & aliæ necessitates, quas Prælatus in rerum distributione attendere, & providere debet. De quo, sive de dispensatore (quod in proposito idem est) Basilius in *regulis fusior. interrogatione* 19. scribens ait: *Communis scopus dispensatoris sit, necessitatis impletio.*

Quid nomine necessitatis sit intelligendum?

Quæ sit vera necessitas censenda?

Præterea advertant Prælati, nomine necessitatis hic non intelligi necessitatem, quam dialectici simpliciter appellant: qua ratione aliquid dicitur necessarium, sine quo res nullo modo consistere potest: sed necessitas sumitur pro necessitate decentiæ, aut congruentiæ, secundùm nostrum statum paupertatis; ita, ut illa sit censenda necessitas, quam, consideratis nostri Ordinis circumstantijs, indecens vel inconveniens esset, non sublevare. Quare mensura & regula in distributione à Prælato facienda, est necessitas decentiæ nostri status, quam optimè necessitatem dici, docuit Divus Thomas *Secunda secundæ quæst.* 141. & cum eo *ibi* Cajetanus. Unde hîc nomine necessitatis non solùm extrema necessitas, & illa, quæ gravis est; verùm & ea, quæ secundùm condecentiam status intelligitur.

Duplex necessitas, & qualis hoc loco intelligatur?

Ex quo fit, in prædictis casibus necessitatis, & non in alijs debere fieri hujusmodi inæqualem distributionem. Quare neque in minoribus aut parvis necessitatibus ita arctè obligantur. Unde optimè Hugo de Sancto Victore in Regula B. Augustini *Cap.* 4. admonet, regulam hanc de distribuendis bonis communibus, inspectis necessitatibus & ætatibus, non sic esse interpretandam, ut abundanter omnia distribuantur, quasi omnimoda indigentia sit è monasterio propulsanda. Quamvis enim *Act. quarto* scriptum sit, *Nec quisquam egens erat inter illos*: tamen etiam de ipsis Apostolis legimus, quòd DEO serviebant *in fame & siti, in frigore, & nuditate*: in hujusmodi enim negotijs valetudinem naturæ, non carnis attendere oportet. Quare subditi rebus necessarijs contenti esse debent, & patienter ferre, si aliquando hæc eis deficiant, neque in Religione abundantias, aut delicias quærere. Bernardus: *Magna sanè abusio est, ut in loco paupertatis, ubi divites penuriam incurrunt, pauperes superfluitatem quærant: in loco afflictionis, ubi delicati mortificantur, homines rusticani res delicatas affectent.* De hac vitæ parsimonia à subditis servanda, plura in *Tractatu paupertatis* 4. *par. Cap. ult.* tradidimus. Quibus addo utilem Cajet. doctrinam 2. 2. *quæst.* 181. *art.* 7. qui ibi omnino videndus erit, ubi conqueritur de sumptibus Religiosorum, ob quorum nimietatem perfectionem Religionum destructam esse affirmat.

Doctrina impense advertenda.

Act. 4.

Cajetanus

Sed hîc statim dubium occurrit, an, quando necessitas est occulta, neque à Prælato cerni potest, subdito eam propalanti teneatur Prælatus fidem adhibere? Divus Augustinus *Cap.* 17. *suæ Reg.* ait: *Si latens est dolor in corpore, famulo DEI dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur.* Umbertus verò in Commentarijs ad illud Cap. in hæc Divi Augustini verba ita scripsit: *Signa servorum Dei hæc sunt, servire DEO die ac nocte voluntarie, humiliter, & devotè: obedire Prælato: quærere bonum commune, & non privatum: ædificare proximum verbo, & exemplo.*

Signa veri servi Dei.

Tali, inquit, *famulo* DEI, *quid sibi doleat, absque ulla dubitatione credendum est.* Hæc Umbertus. Mihi verò in hac parte potiùs videtur, ut nimia credulitate Prælatus excedat, quàm ut ob hujus defectum à debita charitate, & justitia deficiat. Nam si in priori erret, fortè contra prudentiam, & materialiter tantùm peccabit: in secundo verò majori exponitur periculo, tum, quia facit contra potissima Charitatis & Justitiæ præcepta; tum, quia subditum multis periculis, tam corporalibus, quàm spiritualibus exponit. Aliquando tamen proderit, Prælatum leviter non credere, & cautiorem esse circa suas oves cognoscendas: hoc enim maximè ad ferendum judicium in hac re juvabit.

Vid. *loco supra citat.* Francisc. à S. Elia *pag.* 220.

DVBIVM V.

De infirmorum necessitatibus, ac de eorum cura à Prælatis solicitè procuranda.

Necessitatis nomine potissimùm in Regula nostra ægritudines ac debilitates Religiosorum intelligûtur. Quare oportet Prælatos maximè intentos esse in infirmorum necessitatibus providendis, ac curam de eorum valetudine ac solario diligentem adhibere. Hanc maximè Religionum Patriarchæ & institutores in suis Regulis commendarunt. In primis Divus Basilius in *quæstione fusio. interrogatione* 55. quærit, an sit juxta scopum pietatis uti medicinæ? Respondet, Quòd quemadmodum singulæ artes in auxilium nobis, ob debilitatem, à DEO donatæ sunt, veluti agricultura, cùm non sufficerent ea, quæ sponte ex terra nascuntur: sic etiam medicina data est in auxilium nostri corporis. Ubi Divus Basilius de medicinæ utilitate plura prosequitur. Ita tamen ibi tradit Monachos debere curari, ut superflua non quærant: & præterea sit Medicinæ arte utendum, ut non in ipsa omnem causam sanitatis & morborum ponamus, sed ad gloriam DEI & formam medelæ animarum, usum rerum ab ipsa sumamus. Alia deinde lectione digna circa Medicinæ usum docet ibi Divus Basilius. Idem quoque in *regul. brevior. interrogatione* 155. ait: Qui præfectus est, necessariò singulos languentes cognoscere debet, & convenienter curare.

medicinis quatenus utendum?

Benedictus, (cujus Regulam discretione conspicuam Sanctus Gregorius appellat,) de infirmis fratribus *Cap.* 36. sic scriptum reliquit: *Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est: ut sicut re vera Christo, ita eis serviatur. Quia ipse dixit: Infirmus fui, & visitastis me &c.* Et infrà: *Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur, quibus fratribus infirmus sit cella per se deputata, & servitor timens* DEUM, *& diligens, ac solicitus.* Neque his contentus, infrà idem Benedictus iterum repetit: *Curam autem maximam habeat Abbas, ne à cellarijs aut servitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur.* Divus Augustinus in *Capite* 4. *suæ Regulæ* multa circa infirmorum curam sanctè & piè decernit. D. Hieronymus in *Epist. ad Eustoch. de custodia virginitatis*, inter alia, quæ de monachis sui temporis laudat, hoc circa infirmorum curam refert. *Si quis* (inquit) *ægrotare, transfertur ad exediam laxiorem & tanto servum ministerio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum.* Et denique Franciscus in sua Regula *Cap.* 6. *Si quis* (ait) *in infirmitatem ceciderit, alij fratres debent ei servire sicut vellent sibi serviri.*

Infirmorum cura impense à SS. Patribus & Religion. Fundatoribus commendata.

Legend. Constit. Congregat. nost. Hisp. quas adducit Sipecit. P. Francisc. *pag.* 220.

Placuit etiam prædictis adjungere Divi Bonaventuræ, circa ægrotorum curam, quædam præclara documenta, à Prælatis præ oculis habenda. Is enim *Tomo secundo in lib. de sex alis Seraphin Cap.* 4. hæc tradidit.

Infirmitas corporis triplex est. Primi sunt infirmi decumbentes in lectulis, vel acuris vel alijs infirmitatibus gravibus laborantes. Alij sunt infirmi per domicilium, vel etiam per terram quandoque deambulantes, & tamen sæpe gravibus doloribus afflicti, ut calculosi, infistulati, ponderosi, & similes. Tertij determinatam infirmitatem non habentes, sed tamen corpore debiles, & viribus exhausti, vel senes, & laboribus confecti, ut naturali infirmitate depressi, sed quandoque accidentali labore ad tempus attriti. His est triplici pietate subveniendum. Scilicet, remedijs medicinalibus, si congruè potest fieri. Item, relaxatione rigoris in victu, vestitu, vigilijs, & hujusmodi. Item, exemptione laboris in officijs, servitijs, discursibus, & hujusmodi, prout cujusque necessitas exquirit.

Triplex infirmorum status.

Huic est triplici modo succurrendum.

Itaque primis de primo, secundis de secundo, tertijs de tertio, juxta singulorum indigentiam specialiter succurratur. Omnis humanitas est infirmis, & debilibus exhibenda, quia flagellati sunt à Domino. Si super hoc ab hominibus tribulantur, ipsa eorum miseria clamat ad Patrem misericordiarum, contra illos, qui eos tribulant conquerendo, dicente David: *Quoniam quem tu percussisti, persequuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Infirmus enim, qui afflictus sibimet subvenire non valet, eo ipso amplius tribulatur, quia ab his, quibus deberet, non solatur, non à labore relevatur, non subvenitur indigenti, nec habet sibi compatientem, juxta illud Propheticum: *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: improperium exspectavit cor meum, & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni. Et dederunt in escam meam fel: & potabunt, & in sitis meæ potaverunt me aceto* objurgationis. Fiant ergo eis, quæ sequuntur &c.

Psal. 68.

Psalm. 68

Et infrà: Bonus autem Prælatus agnoscit se fratrum suorum partem, non Dominum, & exhibet se eis medicum, non tyrannum, nec reputat eos, ut jumenta sua vel servos emptionis, sed ut filios hereditatis supernæ consortes: & facit eis sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret. Sed fortes & sani non sentiunt quod sentit æger: ideo nesciunt eis compati, scient autem postea, cùm dolebunt.

Quòd si objiciant, quia sæpe fingunt se quidam debiliores, quàm sunt; nunquid propter hoc omnes sunt hypocritæ judicandi, cùm è contrario pro paucis justis, ut habetur in *Genes.* 18. multis malis Dominus voluerit pepercisse?

Triplici autem ratione magis indigent infirmi subsidio pietatis, quàm sani, & robusti. Primò propter sustentationem vitæ: quia seipsos non valent procurare. Si tunc etiam ab alijs non procurantur, coguntur deficere, non possunt subsistere, juxta illud 2. *Reg.* 1. *Ne penitus pereat, qui abjectus est.*

Secun-

Secundò propter restaurationem sanitatis, & vitium, quas in infirmitate perdiderunt. Cùm enim sanus & fortis solùm indigeat sustentamento, ut quod habet conserver, æger & debilis indiget duplici refectione, ne pereat, & perdat quod adhuc habet, & reparet quod amisit, dicente Domino Luc. 19. *Ab eo, qui non habet, etiam quod videtur habere auferetur.*

Tertiò, propter consolationis relevamen: quia cum sic multipliciter affligantur, solatium est eis, cùm vident alios sibi compati, & ad reparationis suæ studium fideliter cooperari, & dicunt cum Saul 1. *Reg.* 23. *Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam.* Sed dicunt aliqui: Illis debilibus dignè subvenitur, de quibus est spes convalescentiæ: in illis verò, de quibus non præsumitur quòd aliquando convalescant, inutiliter consumuntur expensæ. Hoc rectè diceretur, si non propter meritum charitatis, sed propter retributionem humanæ utilitatis deberet infirmis misericordia exhiberi. Qui autem propter hoc infirmo subvenit, ut cùm sanus fuerit, benefactum illud servando retribuat, merito charitatis se privat. Ubi enim major miseria, ibi clarior misericordia apparet, & purior charitas. Expedit ergo, Prælatum quandoque experiri infirmitates ceterorum, ut discat compati, juxta illud Hebr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Hæc optimè Divus Bonaventura.

Nec sancta Pontificum decreta hujus laudabilis circa infirmos ministerij obliviscuntur. *Innocentius* enim III. in ca. *cùm ad monasterium*, de statu monachorum, sic statuit: *Porrò debiles, & infirmi, qui minutione indigent, vel aliqua medicina, non seorsum in cameris, sed omnes in infirmitorio, quæ sibi necessaria fuerint tam in carnibus, quam in aliis, recipiant competenter.* Hoc est igitur, quod nostra Regula illis verbis, *Inspectis necessitatibus*, præcipit. Latiùs verò & expressiùs nostris Constitutionibus hæc infirmorum cura commendatur, ut patet ex *parte prima Cap.* 18. *præcipuè*, §. 2.

Et ratione etiam hæc constant: quia jure ipso, & quasi ex natura rei spectat ad Prælatos præfata provisio de necessarijs, præcipuè ubi major est indigentia, qualis est in infirmitatibus: quia subditi renuntiarunt curæ propriæ tam quoad animam quàm quoad corpus, & potestati Prælatorum omnino se tradiderunt. Et sic non aliter, quàm Patres filiorum, subditorum tenentur curam gerere. Unde ut optimè Turrecremata in *d. Cap.* 36. *Regulæ Benedicti* loquitur: *Si monachus reliquit sua ex quibus necessaria parare posset; reliquit suos, qui eis in infirmitatibus libenter ministrarent: reliquit etiam semetipsum propter Christum, nolens sui curam habere: magna erit impietas Prælatorum, si subditorum indigentijs non plenè subveniant.* Hæc ille. Neque in procuranda infirmorum salute, ceterisque ad eorum solatium necessarijs unquam admittenda est Prælatorum excusatio, dum paupertatis titulo negligentiùs his subvenire solent. Nam *potiùs* (ut Beata mater *Teresa* à JESU dicere solebat) *sanus necessaria, quàm infirmis in monasterijs indulgentia sive delicia deficere debent.*

Insigne S. Teresiæ apophtegma.

Illud tamen etiam ipsos ægrotantes admonere vellem, minimè oportere, nec superflua in Monasterio quærere, nec de obsequio sibi impenso murmurare: sed se infirmos pauperes esse sæpe mente recolere. Unde Benedictus *ubi suprà: Ipsi infirmi considerent, in honorem* DEI *sibi serviri, & non superfluitate sua contristent fratres suos, servientes sibi.* Hæc Benedictus. Quare si aliquando infirmi obsonium aliquod, vel medicinam appetant, indicare illud debent Prælato, vel eorum curam gerenti: & si obtinuerint (ut par est) gratias agant: sin minùs, patientes sint, & ob DEI amorem eo libenter careant. Nam, ut inquit Basilius *interrog.* 155. Si infirmus retribuendæ à DEO mercedis gratia laborem suffert, non inde solatium, ac mitigationem requirere debet: sed ad retributionem mercedis à Domino se ipsum componere, sciens, quòd consolatione pro angustia à benigno DEO dignus fiet. Et in proposito notanda sunt Hugonis verba in *Regul.* D. Francisci *Cap.* 6. ibidem à Corduba relata *quæst.* 19. *Infirmus autem* (inquit) *si pauper est voluntarius, pensat non quæ divites, sed quæ pauperes infirmos decent. Nam pauperis est, modicis esse contentum, & in necessarijs sæpe deficere, defectumque æquanimiter tolerare. Grandium autem est, grandia quærere, & nullum in votu æquanimiter ferre defectum.* Hæc ille. Neque enim Prælati, ut *ibidem* ait Corduba, more redditoriorum possunt communiter subditis sine ullo defectu providere.

Quid ægris summopere cavendum.

Quare cavendum maximè est Religiosis, etiam infirmis, extraordinaria condimenta, aut pretiosa, aut non multùm necessaria quærere, ut optimè Bernard. in *Epistola* 321. *ad fratres de Sancto Anastasio* consulit. *Compatior* (inquit) *æquè, & multum ego compatior infirmitati corporum, sed timenda multo magis ampliusque cavenda infirmitas animarum. Propterea minimè competit Religioni vestræ, medicinas quærere corporales. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes decent, interdum aliquid sumere, tolerabile est, & hoc aliquando solet fieri: at verò species emere, quærere medicos, accipere potiones, Religioni indecens est: maximè quæ Ordinis nostri neque honestati congruit, neque puritati. Hæc omnia gentes inquirunt.* Hucusque Divus Bernardus. Et fortè, (ne tam rigidam sententiam cum Bernardo proferamus) non hîc D. Bernardus de gravibus infirmitatibus loqui credendus est, sed de quibusdam inveteratis, & consuetis morbis, quibus non alio remedio, quàm patientia, mederi potest, de quibus Divus Basilius loquitur dicta *Interrog.* 55. in *Reg. fusiùs disputatis.*

Denique (ut omnia concludam) infirmis præ oculis hæc quinque habenda erunt. *Primum*, ne superflua quærant. *Secundum*, quòd necessaria ita postulent, ut si eis denegentur, patienter sufferant, & à DEO retributionem sui laboris exspectent. *Tertium*, ut sibi persuadeant, non omnes infirmitates medicinæ auxilijs posse sanari: nam, (ut rectè Basilius *d. interrogatione* 55.) Sæpe flagella peccatorum sunt ægritudines ad conversionem inductæ. *Quem enim* (inquit Apostolus ad Hebr. 12.) *diligit Dominus, castigat.* Et ideo inter vos multi debiles & infirmi, ut ipse *prima Corinth.* 11. testatur. Tales igitur oportet quiescere, ac dimittere studia medica, & sustinere quæ inducuntur, ubi nostra ipsorum delicta cognoverimus, juxta eum, qui dixit Michææ 7. *Iram Domini sufferam, quia ipsi peccavi.* Hæc D. Basilius, ubi latè docet, multas esse infirmitates, quæ non ex malitia victus, aut ex alijs principijs naturalibus proveniunt; sed eas DEUS nobis propter nostra peccata vult infligere: in quibus medicinam quærere superfluum est. *Quartum*, quòd

propo-nuntur quinque puncta infirmis Religiosis præ oculis semper habenda

Admonentur ægri.

quòd etiam si aliquæ leves ægritudines (maximè infirmus) aliquod medicinæ remedium admittant: non tamen debent omnes, nec possunt curari, cùm possibile non sit, in tanta vitæ nuditate ac arctitudine, aliquo corporis incommodo vel dolore non affici.

Quare si quis omnes eradicare velit, certè illi evenret quod de Hydræ capitibus fabulantur Poëtæ, quòd amputato uno, plura renascerentur. Est enim hoc nostræ vitæ genus omnino medicinæ regulis contrarium. Et hic de illis in nostro Ordine non est multùm curandum, maximè si infirmitas gravis non sit, aut talis conditionis, quòd à proprio munere exercendo Religiosos omnino impediat. Quare rectè D. Ambrosius in Psalm. 20. *Contraria* (ait) *divinæ conditioni præcepta medicinæ sunt.* Ita qui se medicinis dederit, seipsum sibi abnegat. Videnda sunt, quæ suprà *capitul.* 4. de refectione ex Bernardo *Serm.* 30. *in Cantic.* tradidimus. Ubi quantum distet inter Christi, & Hippocratis præcepta & inter utriusque discipulos, aptè docet ut soler.

Quintum & ultimum desumitur ex Divi Augustini Regula *Capite* 2. Ut cùm infirmi suas vires pristinas reparaverint, ad feliciorem consuetudinem suam redeant: quæ famulos DEI tanto amplius decet, quanto minùs indigent. Neque ibi eos teneat voluptas jam vegetatos, quos necessitas levaret infirmos. Illos æstiment ditiores, qui in sustinenda paucitate fuerint fortiores. Et hæc de inspiciendis ætatibus, & necessitatibus singulorum dicta sint.

IN TEXTV

ibidem.

Asinos autem sive Mulos, prout vestra expostulaverit necessitas, vobis habere liceat.

Circa hæc verba, aliqua in initio hujus capitis adnotavimus; ubi rationem reddebamus, quid his *Innocentius Quartus* voluerit significare. Diximus etiam, hanc esse veluti exceptionem paupertatis, quam in communi nobis in hoc capitulo Regula præscribit. Et quamvis per hanc omnium possessionum, reddituum, ac aliorum bonorum dominium interdicatur, & nihil horum Religionibus similem profitentibus paupertatem habere liceat; concessit tamen *Innocentius Quartus*, ut saltem asinos sive mulos, & aliqua alia animalia sive volatilia nobis liberum esset possidere. Et in primis asinos sive mulos habere permisit: quia cùm Patres nostri, Eremi loca sæpe ab urbibus remota inhabitarent, ad eorum victum, & reliqua Monasterij emolumenta, necessum erat his animalibus uti. Addit præterea: *Aliquot animalium sive volatilium ad vestrum nutrimentum.* Nam cùm nobis esus carnium in hac Regula sit prohibitus, & ex alia parte pisces non ubique facilè parentur, rectè cautum ab *Innocentio* videtur, ut Eremitæ aliqua animalia haberent, ex quorum fructibus (quales sunt, lac, caseus, & ova) alerentur.

Præterea considerandum est, Regulam non solùm volatilia, sed etiam aliqua alia animalia concedere: quod de quadrupedum etiam genere (quales sunt oves, & capræ) intelligi debet. Ex quo elicere possumus, attento Regulæ rigore ac puritate, non licere in Ordine, arietum, aut cuniculorum, sive quorumcumque aliorum animalium greges possidere, nisi tantùm ea, quæ ad nutrimentum Religiosorum, medijs laticinijs, aut ovis juvare possint.

Sed dices: Etiam ad infirmorum nutrimentum prædicta animalia conducunt: igitur etiam erunt à Regula permissa. Respondeo, quòd etsi aliqua ex animalibus prædictis utilia & necessaria sint ad infirmorum ægritudines, in quibus carnibus vesci licet, curandas: tamen adhuc mens Regulæ non videtur esse, de hoc infirmorum nutrimento agere: quamvis in hoc non multùm scrupulosè insistendum sit. Neque enim existimo, omnino à Regula alienum, in eremi domibus (si id sine scandalo fieri posset) aliqua prædictorum animalia ad subvenendum infirmorum necessitatibus habere. Nec tamen credat aliquis, ex hoc licitum esse, greges arietum à fratribus possideri: hoc enim valde nostræ paupertati dissonum, & omnino contrarium censeo, nisi fiat cum magna cautione & limitatione, ut esset, quatuor vel sex arietes pro dictis necessitatibus retinere. Denique circa hanc capitis partem restat, ut de paupertate in communi aliqua disseramus.

DVBIVM VI.

An nostra Religio habeat paupertatem in communi, & una sit ex Mendicantibus?

EX his, quæ in initio hujus Capitis præfati sumus, satis superque constat, tum ex his verbis, *Asinos sive mulos &c.* tum ex varijs Pontificum declarationibus ibi adductis, nostram Religionem ex vi suæ Regulæ paupertatem in communi profiteri, ac ex consequenti, quòd una sit ex Mendicantibus, non quomodolibet ex constitutionibus aut alijs privilegijs, ut alij Ordines sibi hunc titulum vendicarunt: sed ex proprio jure & Regula, quia illi proprietas omnis, rerumque usus in communi interdicitur. Sunt autem ex approbatis in Ecclesia DEI Religionibus duæ Regulæ tantùm, quæ hanc mendicitatem, & paupertatem præcipiant; nostra scilicet & beati Francisci Regula: quamvis nostra prima fuerit ex his Regulis, quas ego viderim, quæ in Ecclesia hunc altissimum paupertatis modum introduxit, & suis professoribus observandum tradidit. Nam cùm ea prima fuerit inter mendicantes, ut in præfationibus probatum reliquimus; constat etiam, ab ea in primis hanc arctissimam paupertatem dimanasse. Conſtitut. noſt. Inſtitut. 2. part. 2. reſtorij Regular. Tractat. diſput. 4.

Quòd verò Religio nostra ex Regula suam mendicitatem accipiat, præter ea, quæ in initio hujus Cap. afferebamus, docet inter Canonistas Abbas Lappus *alleg.* 45. Et quamvis ibi aliquantulum hæsi-

hæsitet, tandem inclinat, Carmelitas esse Mendicantes ex Regula, quod colligit ex illis verbis Regulæ: *Et cum oporteat vos frequentiùs mendicare itinerantes.* Et licet ipse amplius non probet, non inepte id ex prædictis verbis colligi demonstrabo, quia sive illud verbum *(oportet)* vim habeat præceptivam, ut constat ex *Clementina* Exivit *de verborum significatione*, sive tantùm condecentiam, sive honestatem importet; magnam vim illa verba ad confirmandam Lappi sententiam habent. Nam si præceptiva sint, (quod verius & probabilius apparet) apertè sequitur intentum. Si enim Regula præcipit, ut adhuc itinerantes mendicemus, quantò magis etiam in alijs temporibus idem vellet observari? Si verò verbum (*oportet*) honestatem aut decentiam tantùm denoret, non minùs urget argumentum: quia tunc illis verbis supponitur professio arctissimæ pauperratis. Nam faciunt hunc sensum: Cùm vos pauperes tam in particulari, quàm in communi sitis, decet vos ut pauperes mendicare. Si enim Regula redditus ac possessiones permitteret, quorsum præcipere deberet, ut itinerantes mendicaremus? Quod non ob aliam rationem factum existimo, nisi quia, cùm Monasteria redditus habere non permittantur, ex quibus Religiosis itinerantibus providere possent, cautum à Regula fuit, ut illi iter facerent mendicantes.

Clem. Exivit, de verb. signifi.

Cap. unico de Relig. domibus in 6.

Præterea ex jure communi constat, Carmelitas esse Mendicantes. Colligitur enim ex *Cap. Unico* de Religiosis domibus *in sexto*, estque hoc ita communiter receptum, ut non sit necessarium amplius in eo immorari.

Difficultas verò restat, an supposito decreto Concilij Tridentini *Sessione* 25. *Cap.* 3. quo cavetur, ut omnes Religiones Mendicantes, exceptis Capucinorum & Observantiæ beati Francisci, possint libere & licitè redditus, sive alia bona immobilia possidere: hæc decisio locum habeat in paupertate, quam nos ex Regula profitemur.

Conc. Trid.

Estque urgens argumentum pro parte negativa: quia ibi Concilium tantùm id permittit illis Religionibus, quibus ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum: at in nostra Religione non ex privilegio aut ex Constitutionibus ortum mendicitas habuit, sed potiùs ex ipsa Regula, ut *suprà* demonstravimus. Secundò: Quia neque Ordo Discalceatorum Carmelitarum, neque Regula primitiva tempore Concilij erat in usu. Quare Concilium nullam de ea potuit habere notitiam, ac proinde decisio tantùm extendenda est ad eas Religiones, quæ tunc temporis florebãt. Et confirmatur: Quia sicut excepit Concilium Ordinem B. Francisci, quia hic Mendicitatis jus ex Regula accepit, etiam nostrum ob eandem causam excipere: ergo adhuc stante decreto Concilij Tridentini, bona immobilia in Ordine possideri non possunt.

Pro contraria parte etiam urgere videtur, quòd Concilium ibi de omnibus Mendicantibus loquitur, sive ex Regula, sive ex Constitutionibus mendicitatem servent: aliàs si tantùm loqueretur de illis Religionibus, quibus hoc per suas Constitutiones erat prohibitum, frustra concilium exciperet Fratres Ordinis Minorum, quibus non ratione Constitutionum, sed ex sua Regula hoc competebat.

Adhuc tamen prioris sententiæ fundamenta probabiliora videntur. Nam certè Concilium illis verbis, Etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, expresiè significat, suam facultatem ad summum extendi ad illas Religiones, quibus hoc competit ex Constitutionibus, aut ex privilegio Apostolico. Quare cùm Concilium tantùm Constitutionum, vel Privilegij, & non Regulæ mentionem fecerit, apertè videtur colligi, non loqui ibi de Mendicantibus ex vi Regulæ. Et ad rationem in contrarium respondetur, verba Concilii alium habere sensum, quàm argumentum proponit: nam Concilium ait: Concedit Sancta Synodus omnibus Monasterijs & domibus, tam virorum, quàm mulierum etiam Mendicantium, exceptis Fratrum S. Francisci. Ecce, quomodo Concilium, volens comprehendere omnes Religiones etiam mendicantes, excepit B. Francisci domus, quia mentionem fecerat Mendicantium: postea verò ad majorem claritatem addit etiam, illis Religionibus, quibus ex Constitutionibus proprijs, aut ex Privilegio Apostolico hoc erat prohibitum: non verò loquitur hic de illis, quibus ex Regula non erat concessum. Et sic Religionem B. Francisci ideo excepit, quia de Mendicantibus absolutè pronuntiaverat. Quare in hoc casu non auderem affirmare, hoc decretum Concilij nobis præbuisse facultatem habendi immobilia bona. Et hanc nostram sententiam quidam doctissimus Primariæ Canonum doctor Vallisolet, dum Concilium Tridentinum circa *Cap.* 3. exponeret, affirmavit: Tridentinum (scilicet) ibi non agere de illis Religionibus, quibus ex Regula bona immobilia non sunt permissa. Ex quo colligitur, non esse facultatem in Ordine, nisi consulto summo Pontifice, statutum, quo facultas præbeatur ad habendos redditus, vel alia immobilia bona, condendi.

Præterea, quia *Gregor. XIII.* in Bulla separationis, & alij Summi Pontifices Ordini potestatem concesserunt, leges & statuta faciendi, dummodo Regulæ primitivæ non sint contraria. Tum tertiò, quia jam Religio renunciavit proprijs Constitutionibus hujus concilij favori. Quare, cùm Regula decernat, nihil nos neque in communi neque in particulari possidere posse; sequitur, quòd Constitutio ulla ei non possit derogare. Nec valet, si aliquis respondeat, non fuisse animum Pontificis, per hanc & similes Bullas Concilio Tridentino derogare: quia Summus Pontifex minimè dictis Bullis derogat per Tridentini decretum. Nam Tridentinum non præcipit, ut habeantur bona immobilia, sed concedit habendi ea liberam licentiam. Unde, quòd Summus Pontifex velit, nos ea licentia non uti, non est hoc Concilio derogare: sicut non derogat Concilio Capitulum generale, cùm præcipit, ut nihil commune habeatur.

CA-

CAPUT IX.

De Oratorio, & cultu Divino.

TEXTVS.

Simile decernitur in Camand. Et Carthus. constitutionibus.

ORatorium (prout commodiùs fieri poterit) construatur in medio cellularum, ubi manè per singulos dies ad audienda Missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commodè fieri poterit.

GLOSSA IX.

Legend. Joan. à JESU MARIA *Cap. 21. & 22. part. 2.* disciplinæ monasticæ.

DUo in hoc capitulo præcipuè commendantur. Primum, ut oratorium sive Monasterij Ecclesia in medio cellularum construatur. Secundum, ut manè in Oratorio ad audiendam Missam omnes conveniant. Nec tamen ad id obligat absolutè, sed tantum, ubi hoc commodè observari potest.

Circa hujus capitis priorem partem recolenda sunt, quæ *suprà capite 2.* annotavimus: nempe, Monasterij formam ex Regula talem esse debere, qualem ibi descripsimus. Quod ex hoc capite valdè confirmatur: dum in eo præcipitur, ut Oratorium in medio cellularum construatur. Quod signum evidens est, Monasterij domum sive ejus structuram non esse continuam, sicut modò erigi cum claustro & dormitorio solet: sed potiùs tunc ex cellulis divisis & à se invicem separatis constitisse. Et hæc est forma monasterij, quæ à Regula invenditur. Et obid in medio earum in hoc capite Oratorium construi præcipitur, ut commodiùs omnes ad officia divina peragenda convenirent, ut nunc etiam in Ordine Camandulensium servatur. Est enim ex Regula nobis eremitica vita, & cellularum solitudo præscripta, ut *dicto Capite 2.* diximus.

Circa secundam verò hujus capitis partem, per illa verba, *Missarum solemnia*, primùm dici potest, omnes debere convenire manè ad audiendam Missam: quia cùm omnes laboribus manuum studerent, oportebat, ut primo manè Missam audirent, ut sic labori jugiter incumberent. Ex quo elicitur, esse Reg. Præceptum, ut omnes Missam quotidie audiant. Hic est communis hujus loci sensus.

Secundo, & probabiliùs dici potest, hunc locum non intelligi de Missa privata, sed potiùs de Missa Conventuali: quod satis expressè illa denotant verba, *Missarum solemnia*. Missa enim solennis illa tantùm dicitur, quæ in Conventu ab omnibus celebratur, ut constat ex Rubricis Missæ solennis. Et præterea, quia, cùm jure cautum sit, ut quolibet die in Ecclesijs Regularibus Missa Conventualis celebretur, ut ex *Cap.* cum creatura, *de celebratione Missarum* patet, videtur *prædictum Cap.* intelligi debere de hac Missa Conventuali. In quo duo statuuntur: primum, quòd Missa hæc in quolibet Conventu quotidie celebretur: secundum, quòd ad illam audiendam omnes conveniant, ubi commodè poterit observari. Quæ verba intelligi possunt, ut omnes convenire teneantur, nisi aliud impedimentum, vel rationabilis causa obstet, quamvis propria & vera expositio sit, ut *supra in Cap. 4.* de communi Refectorio attigimus: in quo similia verba afferuntur, nempe hæc verba à Regula ideo esse adjecta, quia in aliquibus Eremis ita cellulæ ab oratorio, vel communi Refectorio distabant, ut non semper commoditas esset illi ad audiendi: hi verò, qui Missæ solemni interventui non possunt, non est dubium, quin ex mente Regulæ Missam privatam audire teneantur.

Capit. cum creatura, de celebrat. Miss.

CAPUT X.

De Capitulo, & correctione Fratrum.

TEXTVS.

De habendo capitulo qualibet septimana: D. Hier. in Regula Monacharum. Cap. 9. & de correctione Reg. Monachorum Cap. 6 & 2. p. statut Carthus. Cap. 8. De charitate & modo in correctione servando, Basilius in breviorib. Reg. 37. & 39 Bened. Cap. 2. & 64. & idem Basil. in fusiùs reg. 51. D. Francis Cap. 7. & 10. sua Regula. Regula Societatis 3. p. Cap. 1. num. 15.

DOminicis quoque diebus, vel alijs, ubi opus fuerit, de custodia Ordinis, & de animarum salute tractetur: ubi etiam excessus & culpæ Fratrum (siquæ in aliquo deprehensæ fuerint) Charitate mediâ corrigantur.

GLOSSA X.

IN hoc *Capite* duo præcipuè statuuntur: primum, tempus in quo capitulum Conventuale celebrari debet: secundum, ea quæ in his capitulis gerenda sunt. Circa primum constituitur hæc conclusio: *Capitulum debet fieri singulis Dominicis, aut aliis diebus.* Circa secundum, Quatuor determinantur. *Primum*, in Capitulo de observantia Ordinis agendum esse. *Secundum* etiam de animarum salute. *Tertium*, de correctione culparum. Et denique *Quartum* de modo correctionis (scilicet, ut charitativè fiat) tractat. Quæ omnia nos ad tria dubia reducemus. In primo & secundo, de Capitulo Conventuali, & de ejus actibus, nempe, quomodo in eo fieri debeant proclamationes sive accusationes, in Tertio verò specialiùs, qua ratione in correctione culparum se gerere debeant Prælati, exponemus.

DU-

DVBIVM I.

De his, quæ tam secundùm jus, quàm secundùm nostram Regulam in Capitulo Conventuali fieri debent.

IN primis singulis Dominicis, vel alijs diebus celebrandum Capitulum à Regula decernitur: cujus verba duplicem sensum possunt habere. Primus est, ut Dominicis diebus, & si his aliquod impedimentum se obtulerit, alijs septimanæ diebus Capitulum fiat. Secundus sensus est, quòd non solùm Dominicis diebus, sed etiam alijs, quando opus fuerit, vel necessitas postulaverit, de animarum salute & correctione culparum agatur. Et verè hæc expositio Regulæ menti magis videtur congruere: nam illa verba, *Ubi opus fuerit*, non significant impedimentum, ut prima expositio fatebatur, sed potius emergentem aliquam necessitatem significant, in qua, etiam si Dominica die præcedenti Capitulum fuerit celebratum, denuo, postulante id necessitate peragi possit. Ex quo fit, secundum Regulæ mentem, Dominicis diebus Capitulum omitti non posse: quamvis priori expositioni maximè faveat communis Ordinis consensus: imò & Constitutio nostra, in qua cavetur, ut diebus Veneris, vel Dominicis in qualibet septimana Capitulum in Conventu fiat. Hîc tamen illud obiter dignum animadversione occurrit, quòd, quando in Regula agitur de refectorio, aut de eo quòd omnes in Oratorio conveniant, semper illa verba adjiciuntur, *Ubi commodè poterit observari*. Hîc verò hæc verba omnino omittuntur, quasi velit Regula, ut nemo à culparum Capitulo quavis causa aut incommoditate excusetur.

Vid. Joā. à Jesu Maria *cap. 23. part. 2. disciplina monastica*

Suppositis his, explicanda restant ea, quæ in Capitulo tam ex parte prælati, quàm subditorum, gerenda sunt. Ante omnia igitur Prælatus (ut initium sumam à juris & conciliorum decretis) præcipere tenetur, ut Regula vel saltem aliqua ejus pars in Capitulo legatur, & deinde eam vulgariter omnibus exponere. Ita sancitum est in Concilio Viennensi sub *Clemente V.* celebrato, & refertur in *Clementina prima*, de statu Monachorum §. *Regula*: docet Sylvest. *verb.* (Religio) 7. *num.* 15. quamvis *glossa* in dicta Clementina verbo (*juniores*) doceat, quòd si non sint in Conventu juniores, Prælatus ad id non obligabitur. Nam *dicta Clementina* Regulam legi præcipit propter juniores. Mihi verò *gloss.* expositio non probatur: nam *juniorum* nomine non tam intelligit ibi Concilium adolescentes, vel noviter ad Religionem conversos, quàm omnes illos, qui in conversatione sua, etiam si senes & antiqui in Ordine sint, juniorum mores imitantur. Nam sicut seniorum nomine non tam annorum numerus, & ætas longæva, quàm judicij maturitas, & senilis prudentia significari solet, ut patet ex illo Eccles. 2. *Canities hominum prudentia est*, & Sap. 4. *Senectus venerabilis est non diuturna, atque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*, ut notarunt etiam Orig. in *Genes. hom.* 3. & in lib. Jesu Navè *hom.* 16. Hier. in Esai. *Cap.* 3. Chrysost. in *Epist. Paul.* ad Heb. *hom.* 7. & denique D. Aug. in *Gen. Cap.* 18. qui omnes nomine seniorum non annorum senectutem, sed cordis maturitatem, & prudentiam intelligi voluit: ita è contrario, juniorum appellatione, non tam ætate juvenes, & Religione moderni, quàm omnes illi etiam senes & in Ordine antiqui, qui juniorum vitam imitantur, in *dicta Clementina* intelligi debent. Et cùm hi rarò ab aliqua Communitate soleant deficere, saltem propter hoc Prælatus vulgariter Regulam declarare tenebitur.

Quæ à Prælato in capitulo præstanda?

Concil. Viennens. Clement. 1. de statu Monachorū.

Qui nomine juniorum sint intelligendi?

Qui nomine seniorum? Eccli. 2. Sapien. 4

Secundò Prælatus in Conventuali Capitulo, antequam ad alia procedat, sermone aliquo opportuno subditorum mentes ad Regulæ, quam professi sunt, observantiam, vel ad aliarum virtutum functionem hortari debet. Nam cùm sit custos legum, maximè earum custodiam verbo & opere Monachis debet persuadere. Ac deinde, cùm Pastor sit, assiduis clamoribus à caulis ovium lupos arcere debet. Unde per *Esaiam* 58. Dominus Prælatos alloquens, præcipit: *clama ne cesses*: & Paul. ad Timotheum 3. *Ut potens sit exhortari in doctrina sana*. Ex quo Divus Thomas 2. 2. q. 42. *articulo septimo* omnem prælati curam, & obligationem ad duo capita reduxit: alterum, quòd subditos sua doctrina in spiritualibus pascat: alterum, quòd eos etiam pascat in temporalibus. Nullus ergo commodior locus est ad distribuendum hunc Doctrinæ pastum, quàm capitulum disciplinæ. Quare hîc Prælatus ante omnia ad ejus consequutionem subditos monere debet. Et hæc sunt veluti præambula, & inchoationes Capituli.

Alterū, quod Prælato præstandum.

Esai. 58. 1. ad Timot. 3.

Omnis prælatorum cura ad capita duo à S. Thoma reducitur.

Quod autem in Capitulo præcipuè secundùm Regulam geri debet, ad tria tantùm capita reducitur: primum, ut de custodia Ordinis: secundum, ut de animarum salute: tertium, ut de Fratrum culpis agatur.

De tribus præsertim in Capitulo agendum, & quænam ea sint?

Quoad primum, illud se offert statim prænotandum, Capituli Conventualis finem esse, de Ordinis custodia tractare: secundariò verò, & minùs principaliter de alijs rebus. Ordinis verò custodia nihil aliud sonat, quàm observantiam, & disciplinam regularem reficere. Quare de hac in Capitulo potissimum agendum est: primò, ut Prælatus in sermonibus suis ad ejus amorem subditos alliciat, & moveat: ac deinde tam Prælatus, quàm subditi vicissim advertant, atque conferant, quid expedientis aut utilius sit ad exactiorem tam Regulæ quàm Constitutionum observantiam: ac præterea, qua ratione occurrendum sit, ne abusus aliqui in monasterio inducantur, vel quomodo inducti, ne ulteriùs serpant tollendi, ac radicitus extirpandi sint. Hic est præcipuus hujus Capituli scopus; & ob id in Religionibus ejus frequentia tantopere commendatur.

Quid per Ordinis custodiam intelligatur?

Secundum est, ut de animarum salute agatur: quod consequens est ad primum; nam in custodia Ordinis animarum salus sita est. In specie verò hæc verba aliquid ampliùs, quàm præterita, indicant: nempe, quòd Prælatus unicuique, qualiter in via DEI progredi debeat, secundùm diversum uniuscujusque statum, munus, vel profectum, in communi aut in particulari, si opus fuerit, declaret, & doceat.

Quid per animarum salutem?

Tertio Capitulum Conventuale ordinatur ad correctionem culparum, nempe, ut ibi Fratres suas culpas spontaneè confiteantur, vel de eis accusati, patienter & accusationem, & correctionem ferant. Unde culpæ in Capitulo duplici do peravia propalantur: prima, dum ipsi Religiosi gendæ?

Culparum correctio quomodo?

seipsos coram omnibus humiliter accusant: secundâ, cùm à zelatore, vel syndico, vel alio de Capituli gremio denuntiantur. Quoad primum, observandum est, hunc laudabilem seipsos coram alijs Fratribus accusandi morem antiquum fuisse in Religionibus. D. Basilius *sermone 4. exercitationis in fine*, Siquid (ait) factum est præter id quod decet, sive sit cogitatio interdicta, aut sermo extra officium, aut ad orationem segnities, aut Psalmodiæ negligentia aut communis vitæ desiderium; ne occulter peccatum, sed Communitati confiteatur, ut per communem orationem curetur vitium ejus.

Et in *Reg. fusi. interrogatione 37.* Cetertùm completa die (inquit) fiat publicatio omissorum, sive peccatum voluntarium, sive involuntarium, sive etiam latenter factum est, aut in verbis, aut in factis, aut circa ipsum cor, ita, ut de his omnibus DEUM per preces placemus. Hæc Basilius. Ubi etiam, quotidie has sui accusationes coram omnibus fieri, monet: quod & hodie ad unguem in nostra Religione servatur, dum qualibet nocte Religiosi post cœnam, aut collationem coram omnibus genuflexi, spontaneè culpas leves revelant. Quòd verò Basilius docet, etiam cordis cogitationes publicandas, consilium potiùs, quàm mandatum videtur.

Cautiùs tamen Divus Benedictus, culpas publicè confitendas esse *Cap. 46.* declaravit, dicens: Si quis in labore quovis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidquam aut perdiderit, vel aliquid aliud excesserit, & non veniens continuò ante Abbatem vel Congregationem ipse ultrò satisfecerit, & prodiderit delictum suum: dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi. Si animæ verò peccati causa latens fuerit, tantùm Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, Hactenus Benedictus.

Divus quoque Hieronymus *Regu. Monacharum Cap. 9.* Non pudeat (inquit) singulis hebdomadibus feria sexta, quo die Salvator opprobria pro homine ab homine pertulit, unamquamque sororum suam vitam coram omni cœtu sororum discutere, & de commissis contra præcepta, & Regulam se proprio ore criminari, ac disciplinam subire, quatenus stimulata mens stimulo accusationis ac verborum, caveat accusanda ac pudenda committere. Nec tamen propter hoc, occulta cogitamina cordium prodantur neque occulta peccata, quæ solis debent sacerdotibus confiteri: sed solum, quæ præceptis obviant publicis, & sororibus exempla peccandi præbent. Si verò vel timore, vel verecundia seipsam accusare neglexerit, licet unicuique propalare tale crimen alterius, ut nullatenus radices inobedientia & superbia in sancto hortulo vestro arripiant, non evellendas de facili.

Cassian. denique *lib. 4. instit. Cap. 16.* de Monachis Ægypti sic scribit: *Si quis igitur gillonem fictilem casu aliquo fregerit, non aliter negligentiam suam, quàm publica diluat pœnitentia: cunctisque in synaxi fratribus congregatis, tamdiu prostratus in terra veniam postulabit, donec orationum consummetur solemnitas, impetraturus eam, cùm jussus fuerit Abbatis judicio de solo surgere. Eodem modo satisfaciat, quisquis ad opus aliquod accersitus, vel ad congregationem solitam, tardiùs occurrerit, aut si decantans psalmum vel modicum titubaverit: similiter si superbè, si duriùs si contumaciùs responderit: si negligentiùs indicta obsequia compleverit, sive leviter murmuraverit: si lectionem operi vel obedientiæ præferens, officia statuta segniùs fuerit exequutus: si dimissa Synaxi, non continuò ad cellam recurrere festinaverit: si cum aliquo vel ad modicum substiterit, vel si ad punctum temporis uspiam secesserit: si alterius tenuerit manum: si cum illo, qui cellula sua cohabitator non est, confabulari quantumcunque præsumpserit: si parentum quempiam, vel amicorum sæcularium videre tentaverit, vel colloquutus eis sine suo fuerit seniori: si Epistolam cujuscunque susceperit, sive scribere sine Abbate suo tentaverit.* Quæ omnia Cassianus non aliter, quam per publicam confessionem, & pœnitentiam dilui atque emendari apud Ægyptios, asseverat.

Ex quibus Patrum testimonijs duo licet colligere. Primùm, leges, quæ de culpis propalandis ab eis latæ sunt, non extendi ad interiores culpas: quod ex Divo Benedicto & Hieronymo cautè pernotatum accepimus. Ii tamen non negant, quòminus, si DEI spiritu & nimio fervore aliquis agatur, ei non liceat, imò laudabile sit, peccata etiam omnino occulta, & secreta ad suam confusionem, & eorum satisfactionem publicè detegere. Notandum ex præmissis documenta adverenda.

Secundò licet inferre, non solùm quemplam non teneri, peccata omnino occulta & interiora, verùm nec secreta exteriora, si gravia sint, manifestare: cùm nullus teneatur seipsum prodere, & infamare. Et patet ex supradictis Patribus, qui omnes in rebus levioribus exempla ponunt. Si verò peccata publica sint, (etiam si gravia,) non est dubium, quin possint, & debeant in Capitulo publicari. Et ratio est, quia per hanc confessionem reus nullum incurrit suæ famæ detrimentum, cùm jam illius peccatum publicum sit, & omnibus, vel majori Capituli parti notum.

Tertiò infertur, quòd peccata ea, quæ levia sunt, & quæ notabilem famæ jacturam non præ se ferunt, licet aliàs leviter fama lædatur, tenetur quis (non sub aliqua culpa, sed ut Constitutionibus nostris obediat) in Capitulo publicè de se confiteri, qualia sunt ea peccata, quæ supra à prædictis Patribus referuntur: quæ ex natura sua levissima sunt, & in Religione, quantumvis perfecta, quotidiana. Ob quorum confessionem, non solùm quis famam non amittit, sed sæpius eam auget: quia nullus tam perfectus ac sanctus reperietur, qui in his exterioribus culpis, vel in interioribus alijs septies non cadat.

Tum etiam, quia nullus sanæ mentis erit, qui non judicet, majoris perfectionis ac virtutis esse publicè ea, quæ secreta sunt, de seipso confiteri, quam fuerit vitij, ea commisisse. Imò quamvis quis sibi persuadeat, se incursurum aliquam suæ famæ levem maculam aut jacturam, non excusabitur adhuc: tum, quia sæpe homines proprio excellentiæ amore infamiam ubi non est suspicantes, fallontur: tum etiam, quia Religiosi, ratione sui status perfectioris, tenentur leve hoc detrimentum ob majorem suum profectum, libenter, vel saltem æquo animo pati. De quibus verò culpis ab alijs hæc accusatio fieri debeat, vel quo modo, & quibus circunstantijs, congruum erit, ut explicemus.

DU-

DVBIVM II.

De quibus culpis in Capitulo Conventuali fieri debeant accusationes?

Consalend. noſt. Antonius in Annotat. in hoc Reg. Cap. n. 381.

Dictum est in calce præcedentis dubij, de quibus culpis possit, & teneatur quis seipsum in Capitulo accusare: nunc aperiendum est, à quibus, & de quibus possit etiam fieri hæc in Capitulo denuntiatio. Et ante omnia præmittendum est ex Divo Thoma 2.2.q.33.arti.7.ad 4.& in 4.distinct. 19.q.2.arti.3.quæstiuncula 1.ad tertium, quòd in Capitulis Religiosorum, accusationes licitè fiunt, absque hoc, quòd præcedat ulla correctio fraterna, de aliquibus culpis levibus, quæ famæ non derogant. Unde sunt quasi quædam commemorationes potiùs oblitarum culparum, quàm accusationes, vel denunciationes in rigore. Quare in his non est timendum de defectu correctionis fraternæ, ut etiam id praxis & ceterorum Ordinum usus habet.

Secundò præmittendum est, Capitulum esse in Religione quasi quoddam judiciale forum (ut latiùs sequenti dubio declarabimus) in quo Prælatus veluti judex præsidet, & ad ipsum pro tribunali sedentem quilibet Religiosus potest contra alium accusationem deferre, secundùm uniuscujusque Religionis propria statuta. In his verò accusationibus scopus est, vel perfectior Monasterij observantia, vel delinquentium correctio, vel major profectus & emendatio. Quilibet igitur Religiosus, ex vi suæ Regulæ vel Constitutionum, jus habet contra aliorum defectus in Capitulo proclamandi, non aliter, ac quilibet de populo apud judicem sæcularem delinquentes denunciandi.

Præcipuè tamen in Religionibus constitui solet Zelator sive Syndicus, qui similis est fiscali forensi. Hujus munus est, Ordinis observantiam zelare, ac in hac parte Prælati curam, & vigilias adjuvare. Hi sunt in Religionibus veluti Censores constituti, ut mores, & vitam aliorum potent, & Prælatis prænotata deferant. Hujus muneris gratia in Republica Romana Censores creabantur, ut ait Cicero de *legibus lib.* 3. & Feneſtella *de Magistratibus capite* 17. præcipuè tamen Valerius Maximus *lib.* 2. *de Censoribus*. Cùm enim Prælatus ubique adesse non possit, ut aliorum defectus notet aut emendet: rueret profectò Regularis disciplina, aut maxima ex parte periret, si non esset in Religionibus, qui vice ipsius, monachorum conversationem exploraret. Nec putet aliquis, hoc novum in Religionibus figmentum esse: qui enim Divum Hieronymum in *Epistola ad Eustochium de virginitate* perlegerit, ibi de zelatoris munere ita scriptum inveniet: *Et quia nocte, extra orationes publicas in suo cubili unusquisque vigilat: circumeunt cellulas singulorum, & aure apposita, quid faciant diligenter explorant.* Et divus Benedictus in sua *Regu. Cap.* 46. hoc potissimùm confirmat, dum ait: *Ante omnia autem deputentur unus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant, ne forte inveniatur frater accidiosus, qui vacet otio aut fabulis.* Ex quibus evidenter fit, olim inter monachos hanc alios zelandi curam fuisse observatam.

Citero. Feneſt. illa Valerius Maximus

Videndum restat, de quibus tam zelator, quàm cæteri Religiosi possint, & teneantur alios accusare. Cujus resolutio ex varijs pendet circunstantijs: breviter tamen ab hac difficultate nos expediemus, quia de ea in *Tractatu de visitandi modo* latiùs dicemus.

Zelator tenetur sub reatu culpæ venialis Fratrum culpas in Capitulo denuntiare.

Prima propositio. *Zelator majori vinculo & obligatione astringitur, quàm alij, in Capitulo Fratrum culpas denunciare.* Patet: quia non solùm tenetur ratione charitatis, sive quovis alio titulo, quo ceteri de Communitate obligantur: sed etiam ratione officij, ad quod de justitia adimplendum, & exercendum tenetur. Quare zelator, quia saltem aliquali cura non explorat aliorum culpas, vel ad minùs eas, quas vidit, non advertit, à veniali culpa (& fortè non parum gravi) excusari non potest, licet ratione officij zelatoris non teneatur, sicut Prælatus tenetur, è cella exire, circumire claustra, aut aliàs studiosè explorare: sed tantùm simplicitèr ea, quæ coram se contigerint, Prælato in Capitulo vel Refectorio denunciare, quia ita est consuetudine receptum. Dixi, *ad culpam tamen venialem* teneri: Et hoc quidem, nisi aliàs aliqua gravis relaxatio in monasterio serperet, quæ Prælatum lateret: teneretur enim tunc ratione boni communis zelator sub mortali manifestare.

Et aliquando sub Lethali, & quando?

Secunda Propositio. *Alij etiam Religiosi præter zelatorem, aliquando tenentur in capitulo culpas aliorum advertere.* Primò patet ex Divo Bernardo in *sermone de Nativitate Joan. Baptistæ.* Nemo (inquit) *fratres, vitia palpet, peccata dissimulet: nemo dicat, Nunquid custos Fratris mei ego sum? Nemo, quod in se est æquanimiter ferat, cùm viderit Ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire silere, cùm arguere possis. Et scimus, quia similis pœna sit facientibus, & consentientibus.* Bernardo subscribit Chrysostomus in *oratione prima contra Judæos*, loquens contra eos, qui peccatores non corrigunt. Ne (inquit) *mihi dixeris, quid mihi cum illo commercij est? alienus est, ignotus est, dummodo sit fidelis, dùmodo eâdem jungatur Ecclesiâ. Proinde quemadmodum non tantùm ipsi fures dant pœnas, sed etiam illi, qui non vetuerunt: ita non solùm qui impiè agunt, verùm etiam illi, qui cùm possint ab impietate revocare, tamen ob pigritiam vel timiditatem id facere nolunt, simili cum illis pœna plectuntur.* Sic in nostro proposito dicendum erit, ad omnes pertinere, etiam leves culpas corrigere, cùm ex illarum frequentia Regularis disciplina minui cœperit.

Ad quid teneantur alij patres?

Doctrina S. Bernardi imò pensius animadvertenda

Item S. Jo. Chrysostomi,

Dixi in hac propositione, Religiosos aliquando teneri ad hanc denunciationem: quia non semper, nec sub veniali culpa tenentur. Propterquod advertere oportet, triplex esse horum levium peccatorum genus.

Triplex levium peccatorum genus.

Primum, cùm levia peccata totam Communitatem, vel majorem ejus partem inficiunt, & ex eis dimanant transgressiones aliquæ, aut relaxationes alicujus Regulæ, aut statuti, aut consuetudinis Religionis, quæ quamvis respectu particularium levia peccata sint, respectu tamen Communitatis & boni Ordinis communis, ut gravia judicanda sunt. Et de his tenetur quis in Capitulo, vel in visitationibus alios sive reos denunciare, aut accusare, non solùm sub veniali, sed etiam sub mortali culpa. Quia tenetur quilibet de Communitate, bono ejus communi prospicere: maximè, cùm sine detrimento Tertij id fieri potest. Et hæc dicitur culpa, sive peccatum Communitatis.

De hoc culparum genere tenetur quis reos denuntiare, sub mortali peccato.

De hoc genere solum sub veniali.

Secundum genus offensæ est, quod ab aliquo particulari tantùm committitur. Et has offensas, si publicæ fiant, etiam tenentur alij Religiosi sub venialis in capitulo propalare: ne ex harum dissimulatione damnum aliquod Communitati accrescat. Si verò hæ culpæ secretæ sint, non tenetur quis publicè eas in Capitulo denuntiare. Constat id, tum ex praxi Religionis, tum etiam, quia hæ offensæ in damnum Communitatis ullo modo non vergunt: ac denique, quia nemo veniales culpas aliorum, absolutè loquendo, tenetur corrigere. Et (ut uno verbo concludam) quoties culpæ leves sunt occasiones proximæ relaxationis proprij instituti, vel aliàs publicè committuntur, quis eas denunciare tenetur: quia per has duas vias semper Communitati consulitur. De alijs non est multùm curandum. Loquimur hîc de levibus offenhonibus, ut sæpius pernotavi.

In duobus casibus culpæ leves necessario denuntiandæ.

DVBIVM III.

Qualiter se debeat habere Prælatus in correctione culparum.

Gelasius Papa. Cap. Nullam. 18. q. 2. Vid. Joan. à Jesu Maria *loc. sup. cit. Cap. 24.* & Franciscus à S. Elia *Commentar. in hoc Reg Cap.* qui copiosissime differt de hac correctione ejusque conditione & præclaris effectibus.

UT clariùs in hoc dubio procedamus, præmittendum est ex Gelasio Papa in *Epistola ad Opilionem*, & refertur in *Cap.* Nullam, 18. *quæst.* 2. omnem monasterij potestatem apud Prælatum residere, non solùm in his, quæ monasterij commodum & temporale regimen spectant; sed in illis etiam, quæ ad spirituale incrementum & jurisdictionem reducuntur. Nam cùm Religio, quædam sit schola addiscentium perfectionem, medio Superiorum magisterio & doctrina; omnino fuit necessarium, ut apud Religionis Prælatos hujusmodi jurisdictio reperiretur, qua & suorum subditorum conscientijs possent consulere, verbum DEI proponere, confessiones audire, sacramenta ministrare, & tandem reliqua media ad propositam sibi perfectionem conducentia ex officio applicare: quibus etiam judiciaria potestas annexa est, ut asserit Divus Thom. *quodlib. 1. art. 16.* dum ait: *Prælatus in capitulo præest, ut judex Ecclesiasticus, aut secularis in judiciali foro.*

Triplex competit Religionum Prælatis jurisdictio sive potestas, & quænam illa?

Ex his constat, Triplicem jurisdictionem Religionum Prælatis competere: aliam œconomicam circa res Monasterij temporales; aliam meræ spiritualem circa res interiores, & quæ ad profectum spirituale conducunt: tertiam verò huic annexam, quæ ad finem spiritualem ordinatur, quæ judicialis potestas dici potest: juxta quam triplicem jurisdictionem, Prælatus Monasterium regit, & subditos ad suæ professionis scopum conator dirigere. Et quia Prælatus ea, quæ gravia sunt, secundùm nostri Ordinis Constitutiones, prout habetur in *Cap. de officio Prioris localis*, & in *cap. de Capitulo Conventuali*, (quod etiam ferè in omnibus religionibus observatur, ut diximus *supra Cap.* 2.) de consensu capituli expedire debet: fit, ut proprius locus, temporalis exercendæ jurisdictionis in rebus gravioribus, sit Capitulum Conventuale; ubi etiam spiritualia tractantur, & correctiones subditorum fiunt, ac proinde triplex illa jurisdictio in Capitulo potissimùm exercetur.

De hac triplici functione, qua Prælatus in Conventuali Capitulo uti debet, specialiùs disseramus. Et quod ad primam attinet, certum est ex dictis, aliquando conferendum esse de rebus temporalibus, & de earum augmento, aut diminutione; & si aliquod aliud negotium temporale alicujus ponderis circa bona Monasterij se obtulerit. At temporalia hæc perfunctoriè, & quasi per transennam peragenda sunt, cùm Capituli destinatio, & præcipuus scopus sit, de observantia Ordinis, & animarum salute tractare. Quæ ad secundam verò, nempe quæ ad spiritualem profectum conducunt, à nobis duobus dubijs præcedentibus quoquo modo dicta sunt.

De Tertia verò, quæ de culparum correctione & animadversione est, & suo modo ad spiritualem jurisdictionem etiam reducitur, in præsenti est à nobis discutiendum. Circa quod, duo sunt differenda. Primum, de obligatione, qua tenentur Prælati subditorum culpas corrigere. Secundum, de modo, quo eas corrigere ac emendare valeant.

Quam terribile Prælatis judicium immineat, si subditorum defectus corrigendi negligentes fuerint, tuncque scripturæ loca quæque testimonia. Ezech. Ad Corinth. Esaiæ 56.

Quoad primum, nullus est qui dubitet, quàm terribile judicium Prælatis immineat, si hoc negligenter omiserint. Nos tamen in medium testimonia aliqua proferemus, quia infinitum esset, omnia recensere. Et in primis hoc Prælatorum importunum silentium, cùm sibi corripiendi, vel docendi subditos onus incumbit, quantum eis periculi ac detrimenti afferat, per Propheram Ezechielem *Cap* 3. Dominus docuit, dicens: *Si dicente me ad impium. Morte morieris, non enunciaveris ei, neque loquutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Facit & illud Pauli ad Corint. 3. *Væ mihi, si non evangelizavero.* Et Esaiæ 56. *Speculatores ejus cæci omnes nescierunt, universi canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia.* Et in eodem Cap. *Væ mihi, quia tacui.* Innumera sunt alia scripturæ loca, quæ consultò ob brevitatem referre omittimus.

Ad Patres verò accedamus, & primo loco prodeat Basilius *interrogat. 25. in Regul. fusi*: cujus titulus, & inscriptio est, *Quod horrendum imminet judicium Præfecto peccantes non coarguenti?* Respondet, *Qui commissam communem curam sibi habet, sic afficiatur, velut quirationem reddere debet de singulis. Illudque certò sciat, si frater quispiam in peccatum aliquod ceciderit, quem priùs ipse de judicio DEI non præmonuerit, vel si jam lapsus in eo perstiterit, nec docuerit rationem, qua sanari posit; sanguis ipsius è manibus ejus requiretur. Maximè si non propter ignorantiam, sed propter adulationem neglexerit.* Et infrà: *Qui verò sic non se habet, nempe sincerè veritatem annunciando, dux est cæcus, & seipsum præcipitans, & sequentes simul inducens.* Et infra addit: *Nullus Pater negligit filium suum in foveam cadere, aut illapsum in ruina dimittit. Quanto autem magis horrendum est, animam in profundum malorum incidentem, in interitu dimittit?* Hæc Basilius.

Divus Benedictus in *Regu. Cap.* 22. *Memor sit* (inquit) *Abbas, quia Doctrina sua, vel discipulorum obedientia, utrarumque rerum in tremendo judicio DEI facienda erit discussio. Sciatque Abbas culpæ Pastoris incumbere, quicquid in ovibus Paterfamilias minus utilitatis potuerit invenire. Tantùm iterum luber erit, si inquieto vel inobedienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia tributa, & morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita. Pastor earum in judicio Domini absolutus dicat cum Propheta Domino, Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salu-*

salutare tuum dixi &c. Et infrà: *Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox, ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalere amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo.* Et paucis interjectis: *Ante omnia* (ait) *ne dissimulans, aut parvi pendens salutem animarum sibi commissarum, plùs gerat solicitudinem de rebus transitorijs, atque terrenis, & caducis: sed semper cogitet, quia animas suscipit regendas, de quibus rationem redditurus est; sciatque, quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad reddendam rationem: & ideo timens semper futuram discussionem Pastoris de creditis sibi ovibus, cùm de alienis ratiocinis cavet, redditur de suis solicitus.* Hæc Benedictus.

Frequens est apud Gregor. in Pastoralibus de hoc judicio Dei Prælatus ob correctionem omissam imminenti, Doctrina, præcipuè *parte 2. Cap. 4. Sæpe namque* (ait) *Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & juxta veritatis vocem nequaquam jam gregis custodiæ, Pastorum studio, sed mercenariorum vita deserviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt: tunc namque Propheta eos increpat, dicens: Canes muti, non valentes latrare. Hinc rursum queritur dicens Ezechiel. 13. Non ascendistis ex adverso, neque apposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in domo Domini. Ex adverso quippe, ascendere est, pro defensione gregis voce libera hujus mundi potestatibus contraire: & in die Domini in prælio stare, est, pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid aliud est, quàm tacendo terga prabuisse.* Hæc & alia ibi latè Gregorius.

Cui luculenter subscribit Divus Prosper. *lib. 1. de vita contemplativa cap. 20. Ille autem* (Inquit) *cui dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè vivat, & tamen perditè viventes arguere aut erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, peribit: & quid ei proderit non puniri suo, qui alieno puniendus est peccato? Mentior, si non hoc Dominus per Ezechielem Prophetam sub cujusdam terroris denotatione loquutus est, dicens ad eum: Speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me: si dicente me ad impium: morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Quid potuit expressiùs, & apertiùs dici? Hoc est enim dicere: Si impio peccata sua non enuntiaveris, si eum non argueris, ut ab impietate sua convertatur & vivat; & te, qui non increpasti, & ipsum, qui te tacente peccavit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tam saxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? Quis tam alienus à fide, qui sententiæ isti non credat? Hactenus beatus Prosper.

De quo etiam argumento multa utiliter scripserunt Isidorus *libr. 3. de summo bono cap. 44. & sequent.* Augustinus *lib. 10. Homiliarum, homilia 7.* Expositores in Ezechielé, præcipuè verò Divus Gregorius *homilia 11. in eundem*, & Hieronymus in *Cap. 3. super* ea verba, *Si dicente me ad impium &c.* Qui omnes magnum esse Prælatorum crimen censent, cùm ob rerum temporalium timorem, pigritiam, adulationem, gratiam, vel metum, subditorum peccata non redarguunt.

Ultimò tandem accedant notabilia Umberti viri piissimi ac docti verba: qui in Regulam Divi Augustini *Cap. 164.* ubi enumerat causas, ob quas à correctionibus Prælati frequenter desistunt, ita scribit: *Contingit interdum, ut Prælati transgressiones aliquas non corrigant, aut ex pusillanimitate cordis, aut ex humilitate superstitiosa, aut diffidentia proficiendi, aut ex ignorantia, quòd Fratrum culpas ignorant; sed nec curam ad eas cognoscendas adhibeant: aut rursus propter pacem propriam, quam turbare nolunt: aut propter verecundiam: conscientia enim eos accusante, alios corrigere non audent: aut propter timorem odij, verentes, ne in subditorum indignationem incurrant: aut propter Prælationis amorem & desiderium, quam amittere formidant, subditos contra se correctionibus hujusmodi provocantes: aut ob defectum zeli, aus denique ex negligentia, quæ in Prælationis statu maximè damnanda est.* Hæc sunt Umberti: quas omnes causas ad duas redaxit Isidorus ut suprà, nempe, vel quia Prælati amore rerum sæcularium implicantur: vel quia aliquo facinoris onere confunduntur. Augustinus verò *dicta Homilia 7.* ad timorem verbi asperi reduxit: quia dum Prælati timent detractiones, irrisiones, & opprobria hominum superborum, non audent eis necessaria medicamina adhibere. Attendant ergo Prælati: etsi quando ab opportuna correctione cessaverint, videant, quo fine vel ratione ducantur: & hanc diligenter examinent, ne eis ob aliorum crimina in profundum demergi contingat.

Quis sit in correptione modus observandus.

Quoad Secundum verò, quem scilicet modum in correctione facienda debeant observare prælati, manifestè id Regula docet, dum ait: *Ubi excessus & culpa fratrum, si qui in aliquo deprehensi fuerint, charitate media corrigantur.* Si enim Prælatis erga subditos paterna charitas & dilectio deficiat, correctio nihil proderit. Et si correctio ultra modum se extendat, vulnera exasperabit, & cicatrici non medebitur. Si nimis rigidus & justus injuriosus erit. Nam in hac re summum jus summa injuria solet esse. Si verò maximè lenis & suavis apparet, vitia facilè serpent: & dum subditi correctionem non metuunt, sine fræno delinquent. Quid ergo Prælato agendum erit? Magna opus est prudentia, ut utroque extremo, & nimietate relicta, medium, in quo virtus est, amplectatur. A quo ut non decliner, maximè proderit si D. Basilij, & Benedicti (hi enim sunt ubertimi Monasticæ vitæ fontes) testimonia mente revolvat. Benedictus enim *Cap. 64. Regulæ*, Abbates suos sic circa correctionem exercendam instituit: *In ipsa autem correctione prudenter agat, & ne quid nimis: ne dum nimis cupit eradicare aruginem, frangatur vas, suamque fragilitatem semper suspectus sit, meminerit-que, calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia: sed quòd prudenter, & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire: & studeat plus amari quàm timeri.* Idem quoque Benedictus *Cap. 2. Regulæ*, qualiter Abbas debeat severitatem cum benignitate miscere, his verbis docet: *Indoctrina sua Abbas apostolicam illam debet servare formam, in qua dicitur: argue, obsecra, increpa, id est, miscens temporalibus terroribus blandimenta, dirum magistri, pium Patris ostendat affectum: sciatque, quàm difficilem, & arduam rem suscipit, regere animas, & multorum servire moribus; & alium quidem blandimentis, alium increpationibus, alium verò suasionibus secundùm unius cujusque qualitatem, & intelligentiam gubernare.* D. Basil. in *Regul. brevior. interrogatione 99.* quærit: *Quo affectu increpantem increpare oportet?* Respondet, erga DEUM quidem eum, quem habebat David,

dum *Psalm.* 118. dixit: *Vidi prævaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Erga eos verò, qui increpantur, talem qualem haberent pater & medicus si filium cum lenitate & misericordia curarent; maximè ubi mœror adfuerit, & laboriosus fuerit medelæ modus.* Quare idem Basilius *interrogatione* 37. execrandum esse docet, ac vehementer carpendum illum, qui non desiderio correctionis fraternæ, sed ultionis causa peccantem accusat, vel castigat. De modo autem curandi varios subditorum morbos, agit quoque idem Basil. in *Reg. fus. interrog.* 51. Hinc D. Gregor. *lib. moral. Cap. 6. Disciplina* (inquit) *vel misericordia plurimum destruitur, si una sine altera teneatur: sed circa subditos inesse rectoribus debet, & justè consolans misericordia, & piè saviens disciplina. Hinc est quòd semivivi illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est* Lucæ 10. *& vinum adhibetur, & oleum: ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Unusquisque igitur, qui sanandis vulneribus præest, in vino mersum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscendaque est lenitas cum severitate, efficiendumque quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multa asperitate ulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significabat, in qua cum tabulis virga simul ac Manna erat, ut in boni Rectoris pectore si est virga districtionis, sit & Manna dulcedinis. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit pietas, sed non plùs quàm expedit.* Hæc optimè Gregorius *ubi suprà*.

Gregorius.

Magna igitur discretio à Prælatis in correctione adhibenda est. Nam, ut Divus Antoninus 3. *parte summ. titulo* 19. *Cap.* 11. §. 6. advertit: Aliquando subditorum vitia prudenter dissimulanda sunt, suo tamen tempore judicanda: ut videlicet delinquens deprehensus, toleratus tamen, augere culpas erubescat, seque se judice puniat. Nonnulla verò apertè cognita, maturè toleranda sunt, ut congrua opportunitate corrigantur: quædam verò occulta subaliter sunt perscrutanda, ut, quibusdam signis erumpentibus, Rector, quod in subditorum mente clausum latet, inveniat, & ex minimis majora cognoscat: servatis tamen in omnibus secreti contegendi jure & ratione, quam periti Theologi tradiderunt. Nonnulla tamen sunt leniter arguenda. Nam cùm non malitia, sed sola ignorantia vel infirmitate peccatur, magno moderamine delicti correctio temperetur: ubi autem morbi gravitas correctionis asperitatem postulat, ea non denegetur. Imò & cauterium apponendum esse constat. Prædicta Antoninus. Et (ut denique breviter omnia comprehendam) tam scriptura, quàm Patres in correctione, personarum, temporis, & boni communis circunstantias pensandas esse docent, ut sic medicina congruentiùs adhibeatur. Et in omnibus justitia cum misericordia miscenda est: quamvis semper magis in benignitatem, quàm in rigorem inclinandum sit, ut optimè D. Benedictus *ubi suprà*. Abbatem his verbis monuit: *Semper exaltet misericordiam judicio, ut idem ipse consequatur, & oderit vitia, & diligat fratres.*

Magna discretio à prælatis in correctione adhibenda.

Ex his jam constat, qualiter Prælatus in Capitulo sua jurisdictione uti debeat, nempe, ut in correctione culparum pœnas dum infligit, vel alio modo punit, semper debeat in clementiam inclinare. Quæ secundùm D. Tho. 2. 2. *q.* 157. *ar.* 1. est virtus moderativa pœnarum, proveniens ex animi lenitate, & dulcedine affectus, qua quis abhorret omne illud, quod potest alium contristare. Et ideo dixit Seneca, quòd *Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi.* Quare sciant Prælati, se posse, quando id ratio & justa causa dictaverit, pœnam legis diminuere, ut advertit Divus Tho. *ubi supra ar.* 2. *ad* 2. & Cajet. *ar.* 3. *in fi.* quod ad virtutem clementiæ pertinet.

In puniendo delinquentes semper in

Clementia.

Quis debeat celebrare Capitulum, quando, quomodo, & quo fine, satis perspicuum jam est: diximus enim, hoc esse Prælati officium, qui Capitulum Dominicis singulis, vel aliis diebus habere debet: in quo pro scopo figere in sua mente debet regularem observantiam, & animarum salutem. Modus autem, quo hanc sibi constitutam metam attingere debet, continet Regulæ expositionem, sermonem aliquem opportunum & salutarem, ac correctionem cum Charitate & discretione faciendam. Hæc sunt ex parte Prælati.

Ex parte verò subditorum requiritur, ut seipsos humiliter & devotè accusent: & accusati ferant patienter, & accusatores humiliter & charitativè procedant. Quæ omnia gravissimè & doctè Umbertus *libr.* 4. de eruditione Religiosorum *tertia parte Cap.* 14. est prosequutus: ubi Regulas in Capitulo tam à Prælatis, quàm ab aliis servandas præscribit his verbis: *Et notandum, quòd in loco correctionis cuncta ordinatè sunt facienda. Multum enim cavendum est, ne culpæ augeantur, ubi debent deleri, & ne locus correctionis fiat locus corruptionis. Multùm cavendum est ei, qui præst, qui injustitias aliorum debet corrigere, ne injustè agat. Cavendum est illi, qui accusat, ne accusatio ejus sit accusabilis, vel reprehensio reprehensibilis. Ille verò, qui accusatur, sic se debet habere, ut eos, qui exemplo malo scandalizavit, humilitate, & patientia sua ædificet, & non amplius scandalizet. Omnes ibi reverenter se debent habere cum judicium Capituli, imago quædam sit judicij Divini futuri. Non debent de defectibus fratrum, qui manifestantur, ridere, sed compati, & pro eis orare: justitiam ejus, qui præst debet comitari discretio, pietas, mansuetudo. In eo, qui accusat, apparere debet charitas & modestia; in eo, qui accusatur, humilitas, patientia & obedientia.* & infra prosequitur.

Quæ discretio & mansuetudo sint Prælatis necessariæ, significatum est in hoc, quòd in arca fuerunt cum virga testamenti tabulæ & manna. In virga enim intelligitur correctionis tabulis, ubi lex erat scripta, discretio, in manna mansuetudo. Pietas necessaria est: ignis enim zeli ardere debet in oleo misericordiæ. Gregorius super Ezechielem: Zeli sancti discretio de virtute misericordiæ necesse est, ut ardeat. Ad discretionem ejus, qui præest, primò pertinet, ut correctionem efficacem opus divinum esse intelligat, & ideo ante correctionem, orationem debet præmittere; & si viderit fratrem correctum, DEO inde debet gloriam dare, & gratias agere. Eccles. 7. *Considera opera DEI, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Considerandum est, quæ opera sint propria DEI, alterius virtuti non possibilia, inter quæ correctio invenitur. Ad discretionem etiam ejus, qui præest, pertinet, ut agnoscat, quæ culpæ secretò & manifestè sint corrigendæ. Occulta culpa secretò est corrigenda, maximè si infamiam generat. Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Manifesta culpa manifestè est corrigenda. 1. Timothei 5. *Peccantes coram omnibus argue,*

Qualis discretio requiratur?

gue, ut & cæteri timorem habeant. Quòd dicitur (coram omnibus) referendum est ad participium, & ad verbum. Isidorus: Manifesta peccata non sunt occulta purgatione purganda. Palam arguendi sunt, qui palam nocent: ut dum aperta objurgatione sanantur, ij, qui eos diligunt, imitando corrigantur. Item ad discretionem eius, qui præest, pertinet, ut agnoscat, cui vel quando debeat parcere, vel punire; cùm parcere, & punire, sint contraria, contrariorum eadem sit disciplina. Qui nescit parcere, nescit punire. Greg. Sive plectendo sive parcendo, hoc solum bene agitur, ut vita hominum corrigatur. Attendendus est status personarum, quæ corriguntur, quia non sanat oculum, quod sanat calcaneum. Cum veterano parciùs agendum est (ut ait Seneca:) Prima ad Timot. quarto: seniorem ne increparis, sed obsecra ut patrem. Qui non possunt benignitate corrigi, terrore sunt corripiendi. Augustinus ad Bonifacium: Quidam dixit pudore, & libertate liberos retineri, rectiùs esse credo, amore quàm metu. Et subdit Aug. Hoc verum est, sed sicut meliores sunt, quos dirigit amor, ita plores sunt, quos timor corrigit. Isidorus: Qui blando verbo castigatur, & non corripitur, actiùs necesse est ut arguatur: cum dolore enim abscindenda sunt, quæ leviter sanari non possunt.

In correptione debet relucere mansuetudo.

Mansuetudo necessaria est in correctione. In Psam. *Supervenit mansuetudo, & corripiemur.* Seneca: Vitia animæ, sicut vitia corporis, leniter tractanda sunt. Gal. 6. *Vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Super omnia cavendum est ei, qui in loco correctionis præest, ne ira DEI damnetur.

In accusatione charitas

In accusatione debet Charitas apparere: virga enim correctionis procedere debet de radice Jesse, id est, incendio amoris. Illos verò libentius debet accusare, quos ampliùs amat. Apoc. 4. *Ego quos amo, arguo, & castigo.* Sunt aliqui, qui illos maximè volunt corrigere, quos videntur non amare, quorum correctio ab his, quibus adhibetur, non reputatur correctio, sed hostilis persequutio. Modestiùs etiam debet accusare alium, quàm seipsum. Secunda ad Timotheum secundo: *servum Domini oportet esse patientem, cum modestia corripientem.*

In accusato humilitas & patientia.

In eo, qui accusatur, humilitas & patientia debent apparere, ut erubescibilia sua humiliter & patienter audiat. Apperere debet etiam in eo obedientia, ut in susceptione disciplinæ patienter obediat. Sicut (juxta verbum Sapientis) fabricando fabri, & cytharizando cytharistæ fimus: ita audiendo erubescibilia nostra, & quæ nobis displicent patiendo, humiles & patientes efficimur. Si verò videatur ei, qui accusat, quod ille qui præest, minus justè se habeat, ad memoriam debet reducere, quòd Salvator patientiam habuit, cùm Pilatus eum injustè judicavit: & quòd à militibus injustè flagellatus fuit. Bernardus: Stetit JESUS *ante Præsidem inclinato capite, demisso aspectibus, vultu placido, sermone raro, paratus ad opprobria, promptus ad verbera.*

Qualiter lis sit cavenda in Capitulo

Lis in Capitulo maximè cavenda est, quæ inter abusiones claustri enumeratur. Ad eandem verò cavendam multum valet, si hi, qui innocentes & majoris perfectionis sunt, taceant, & eum, qui præest, pro se respondere permittant. De quo exemplum habemus *Luc.* 7. ubi Pharisæo obloquente Mariæ Magdalenæ, Maria tacet, Salvator pro ea respondet. *Ejusdem* 10. Martha accusante Mariam, Maria tacet, Salvator respondet. Ex eo, quòd ille, qui præest, pro innocente injustè accusato non loquitur, alioquin occasio est, quòd innocens pro se loquatur, & lis inde oritur.

Hæc Umbertus.

CAPUT XI.

De Iejunium.

TEXTVS.

JEIVNIVM singulis diebus (exceptis Dominicis) observetis, à festo exaltationis sanctæ Crucis, usque ad diem Dominicæ Resurrectionis, nisi infirmitas vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat, quia necessitas non habet legem.

De jejun. Regu. Franc. c. 3 Et Aug. c. 7. in nulla vero Reg. jejun. ab exal. S. crucis usq. ad Pasch. resur. decernitur. De disc. & necessit. infir. vide sup. Cap. 8. Et adde Pachom. in Regu. à n. 19. usque ad 24.

GLOSSA XI.

EX hoc *Cap.* colligendum est primum, nos teneri ex vi Regulæ à die exaltationis sanctæ Crucis usque ad Pascha Resurrectionis jejunare: Secundum die Dominica à jejunio cessandum esse: tertium, infirmos, vel debiles, sive quacunque alia justa causa impeditos, ad observandum jejunium non ligari. Quia necessitas (ut dici solet) nescit legem. Hæc sunt, quæ in hoc *Cap.* præscribuntur.

DVBIVM I.

Consulend. nost Anton. 2 *part. directorij Regular. Tract.* 3. *disput.* 6. *sect.* 2. *n.* 393. & *seqq.* & *commentar.* Francisci à S. Elia *pag.* 237. & *seqq.*

An ipso die exaltationis Sanctæ Crucis jejunandum sit?

HOc dubium oritur ex illis verbis, *A festo exaltationis sanctæ Crucis &c.* & petit, ut resolvamus, an ab ipso die jejunia initium sumere debeant, ita, ut ipso quoque die exaltationis sanctæ Crucis jejunandum sit, an verò à sequenti die sit incipiendum? Et dubitandi ratio in eo præcipuè sita est, an illa præpositio, (à) includat etiam ipsum diem termini, cui adjungitur, an verò excludat illum.

Respondeo ex mente Navarri, *Cons.* 18. *de præbend. & digni. num.* 6. ubi affirmat, quod quando (à) præpositio adiicitur à lege alicui diei determinato, tunc includit ipsum, nisi inclusio sit contra jus commune. Pro quo aliqua iura affert. Et facit pro hac sententia *l.* 3. §. *minorem ff. de minoribus*, *l. pater, ad legem Juliam de adulterijs*: unde cùm (à) præpositio in nostro casu posita sit à lege, & adjuncta diei determinato, & insuper non sit contra jus, quod illa dies in termino includatur: apertè colligitur, ipsa etiam die exaltationis ieiunandum esse. Quod observatur in praxi in Ordine Prædicatorum, quibus à suis Constitutionibus indictum est simile ieiunium, quòd inchoatur ipso die exaltationis ex communi praxi & interpretatione.

DVBIVM II.

An singulis diebus jejunandum sit?

HOc dubium duas continet partes: prima est, an tempore, quo in Religione præcipiuntur ieiunia, sine ulla intermissione continuanda, & observanda sint? secunda, quare ieiunia non amplius, quàm usque ad Dominicam Resurrectionis extendantur?

Quoad primam partem, in primis ex Regula, diebus Dominicis ieiunia solvenda esse, apertè constat ex illis verbis, *Exceptis Dominicis*. Estque perpetua ab Apostolorum tempore traditio, diebus his jejunium relaxandum esse, ut Tertullianus *lib de corona militis* docet, dicens: *Diebus Dominicis jejunare, nefas ducimus*. Idem censet Ambrosius, qui in Epistol. 83. *Dominica* (inquit) *jejunare non possumus: quia Manichæos etiam ob istius diei jejunia jure damnamus*. Idem docet Hilarius in *præfatione in Psal.* Epiphan. in compendiaria Doctrina apud Bellarminum, *Tom. 3. de bonis operibus* in particulari *lib.* 2. *Cap.* 23. Quibus adde Cassianum *lib.* 2. *institution. Cap* 18. *& lib.* 3. *Cap.* 11. ubi tam inter Monachos Ægypti, quàm Palæstinæ, & Mesopotamiæ, morem fuisse receptissimum Dominica die jejunia relaxandi tradidit. Quam remissionem Fratribus indulgendam ait, cùm ob reverentiam Dominicæ Resurrectionis, tum etiam, ut minus faciat hebdomadis venturæ jejunia, hujus expectatione, sentire, semper enim æquanimiùs quælibet fatigatio sustinetur, & sine fastidio labor impenditur, si interjecta vicissitudo quædam, vel operis immutatio qualiscunque succedat. Et præterea in reverentiam Dominicæ Resurrectionis, die Dominica non esse jejunandum, idem *Collatione* 21. *Cap.* 20. traditionem fuisse à maioribus præscriptam, scribit: de quo etiam plura alia extant Patrum testimonia, præcipuè Melchiadis Papæ apud Damasum in Pontificali. Divus Augustinus super Ignatium, Epist. 4. ad Philippenses ait: *Qui in Dominica jejunat, Christi Domini. insectator est.* Et D. Th. 2. 2 *q.* 147 *art.* 5. *ad* 3. docet, *Vitandum esse ex consuetudine Romana Ecclesiæ die Dominica jejunare, ne videamur hæreticis consentire.* Unde Divus Hieron. in *Commentarijs in Matth. Cap.* 9. refert Manichæos die Dominica frequenter jejunare solitos, ne viderentur de Christi Resurrectione gaudere: quam falsam, & commentitiam fuisse prædicabant. His ergo causis nostra Regula, ut die Dominica jejunia non serventur, indulget.

Quare in die Dominica non sit ieiunandum?

Sed an peccarum sit, die Dominica jejunare, hujus loci non est exactiùs examinare. D. Tho. (*ubi supra*) dicit, esse laudabile, semper jejunare. Quod etiam Hieron. in Epist. ad Lucillam confirmans, asserit, Paulum cum alijs fidelibus, diebus Pentecostes & Dominicis jejunasse. Alij verò ex adductis Patribus contraria docent; ut Augustin. Tertullian. Ambros. & Melchiad. Quorum omnium fortasse idem sensus est, si ad intentionem jejunantis, sanctorum dicta referantur. Nam ex hac in die Dominica vel laudatur vel damnatur jejunium. Adhuc tamen (quidquid sit de intentione) superstitiosum videtur, imò & culpabile, dictis diebus jejunare; cùm sit contra communem Ecclesiæ consuetudinem, quæ pro lege habenda est: ut in hoc proposito ex mente Augustini, docet D. Tho. *ubi supra*. Quare solum discutiendum restat de alijs solemnibus diebus, qui ab exultatione sanctæ Crucis usque ad Domini Resurrectionem occurrunt: an in eis cessandum sit à ieiunio? Et præcipuè dubium ob diem Natalis Domini movetur. In quo non esse ieiunandum, An in Epipha. ut supra docui; qui. *Non licere* (ait) *in die Natalis Domini jejunare*. Tum etiam, quia Priscil. lis Dominilianistæ diebus Dominicis, & in die Natalis Domini ieiunare solebant, ut restatur Leo Papa *Epist.* 91. & ad Turibium, & ex alijs Patrum testimonijs colligit Bellarmin. *ubi supra*.

die natanie ni?

Contrarium tamen verius, & omnino probabilius est, nempe, quod hi, qui ex Regula vel ex voto tenentur diebus aliquibus ieiunare, si illo tempore occurrat Natalis Domini dies, eriam in illa solita ieiunia servare tenentur: Primo quia Ecclesia (ut optimè Bellarm. *ubi supra*) in die Natalis Domini absolutè ieiunare non verat, sed tantùm prohibet his, qui ex superstitione, vel ex contemptu Ecclesiæ, vel aliquo alio malo fine ieiunarent. Quare Ecclesia Religionum Regulam, & alias de ieiunio observantias, etiam in die Natalis Domini, non tollit. Et sicut in *Cap. finali de observatione jejunij*, omnibus fidelibus indulgetur, ut in die Natalis Domini edere carnes possint, etiam si dies Veneris, vel Sabbati sit, & tamen excipit eos, qui voto vel Regulari observantia ad carnium abstinentiam tenentur: ita de ieiunio quoque philosophandum videtur. Ex quo fit, intentionem esse Ecclesiæ, Religionum Regulas & statuta in suo robore firma relinquere, & minimè eis derogare. Videndus est Sylvest. *verbo* (jejunium) *num.* 27. & Corduba in *Regula B. Francisci Cap.* 2. *q.* 2. *puncto* 1. ubi docet, hanc esse communem Canonistarum opinionem, & receptam apud omnes suæ Regulæ Expositores. Neque opus est in re tam manifesta plura adjicere, cum id etiam Regula expresè indicet illis verbis, *Singulis diebus* (*exceptis Dominicis*.) Qui enim singulis diebus aliquid fieri præcipit, nihil excipit. Quod si Regula excipit diem Dominicam, alios dies reticendo, cùm potuisset exprimere, de eius mente fuisse videtur, ieiunium die quoque Nativitatis debere servari.

Cap. finali de Observationi ieiunij.

Hæc dicta sunt attento iuris & Regulæ rigore. Ipsa verò æquitate imperante, ieiunia hoc die non esse strictè observanda, adhuc laudabilius existimo: imò in hoc casu fieri à Prælatis dispensationem, ipsa æquitas quasi necessariò in honorem tantæ solemnitatis exigit.

Circa prædicta obiiciet aliquis id quod in nostris Constitutionibus *prima parte Cap.* 5. cavetur, ut in omnibus vigilijs Apostolorum, præterquam Joannis Evangelistæ, Philippi, & Jacobi, ieiunia serventur: sed dies secunda Natalis Domini

est

est vigilia Joannis Evangelistæ: ergo Constitutionibus declaratum est, secunda die Dominicæ Nativitatis non esse ieiunandum, acà fortiori nec prima.

Respondeo, primò, ibi non intelligi de hac vigilia, sed de ea, quæ est festivitatis Joannis Evangelistæ ante portam Latinam. Ita apud Religionis viros peritos exponi accepi: & ratio manifesta videtur, quia dum aliqua lex potest interpretari sine eo quod deroget communi iuri, sanè in eo sensu est intelligenda: quia fugienda est iuriom correctio. Quare illa Constitutio, ne Regulæ deroget, (quod mea sententia minimè intendit, nec potest si velit) intelligenda est in prædicto sensu. Secundò & fortè verius dicendum erit, prædictam festivitatem, de qua in Constitutionibus fit mentio, illam esse, quæ occurrit intra solemnitatem natalis Domini: quod ex eo evidenter colligitur, quia hæc Constitutio desumpta est ex *Cap. consilium, de observatione jejunij*, ubi sic dicitur: Vigiliæ sunt observatione ieiunii celebrandæ, præter vigilias Apostolorum Philippi, & Jacobi, & B. Joannis Evangelistæ, quoniam illorum solemnitas intra solemnitatem paschalem, istius autem intra Natalem Domini celebratur; Ergo de hac solemnitate iura & constitutiones loquuntur, & non de illa, quæ est ante portam Latinam. Unde ad argumentum respondeo, quod Capitulum Generale, æquitate imperante, dispensavit, sive (ut proprius loquar) declaravit circa ieiunia in his solemnitatibus occurrentia mentem Regulæ decernens, ut neque secunda die natalis Domini, ieiunia servarentur. Non tamen inde sequitur, quòd ipsa die B. Joannis non sit ieiunandum, in cuius vigilia non propter ipsius solemnitatem, sed propter coniunctionem cum die Natalis Domini ieiunium solvitur. In hac curent Prælati, non unius aut alterius sed maioris partis timoratæ conscientiæ ac scientiæ virorum Religionis consuetudinem, & praxim sequi, quo usque aliquo generali Capitulo, declaretur, aut dispensetur, quid in hac re servandum sit.

Cap. Consilium. de observatione ieiunii.

Quoad secundum verò hujus Dubij partem sciendum est, quod usque ad Resurrectionem Domini, & non amplius, jejunia à Regula indicta extenduntur: & (quantum opinor) nulla Regula tam prolongata Jejunia statuit. Quare verò Jejunia Resurrectionis die finiantur, neque ulterius unquam in Ecclesia protrahi consueverint hoc ab Apostolorum traditione in Ecclesia existimo fuisse servatum: qui tempore illo à Resurrectione usque ad Pentecosten, in honorem Dominicæ Resurrectionis minimè jeiunabant. Ita docet Cassian. *dicta collatione* 21. *Cap.* 20. Epiphan. & Hilar. ut supra. In illis igitur Quinquagesimæ diebus (nam ita illi dies à Patribus vocabantur) nullus neque in terra, neque prostrato corpore orabat, neque genua in oratione flectebat, neque ieiunia ulla illo tempore servabantur: quia hæc veluti pœnitentiæ, ac luctus indicia sunt, quæ temporibus tantæ solemnitatis ac lætitiæ importuna esse solent. Et ideo diebus illis usque ad Pentecosten, in Ecclesia ieiunia non servabantur. Sequenti verò tempore propter nimium ætatis rigorem, etiam hæc ieiunii districtio communi præcepto nullibi apud Religionum institutores observata invenitur. Quare satis prudenter nostra Regula, omissis his temporibus, à fine æstatis, & à principio autumni fere usque ad finem veris, nempe, ab exaltatione S. Crucis usque ad diem Dominicæ Resurrectionis tantùm ieiunare decernit.

Quare paschali tempore non sit ieiunandum?

DVBIVM III.

Vtrum ad jejunia Ordinis eædem conditiones requisitæ sint, quæ ad jejunia Ecclesiastica sunt necessariæ?

PRo huius Dubii resolutione recolendum est, ieiunium esse quadruplex, nempe, *Spirituale, Morale, Naturale, & Ecclesiasticum. Spirituale* dicitur abstinentia à vitiis, Augustino teste *Tract. 17. in Joan. Jejunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi:* & hoc ieiunium improprie dicitur. Jeiunium *Morale*, est, usus moderatus cibi & potus, secundum temperantiæ regulas: quod natura ipsa duce Philosophi servaverunt. Hoc etiam ieiunium minimè ad nostrum propositum spectat: quia nos hic de ieiunio verè & propriè loquimur. Tertium ieiunium dicitur *Naturale*, quod apud Theologos supponit pro abstinentia, ab omni prorsus cibo vel potu: quod etiam minimè pertinet ad institutum præsens, cum de hoc nul ibi præceptum detur, nisi in casu, quo quis ad Sacramentum Eucharistiæ accedat. Quartum est ieiunium *Ecclesiasticum*, quod ita describi solet: *Est abstinentia cibi secundum Ecclesiæ regulam, & modum assumpta.*

Jeiunij quadruplex. Spirituale.

Morale.

Naturale

Ecclesiasticum: in quo hoc consistat?

His prænotatis, dubium esse potest, primò, an Regulæ ieiunia sint Ecclesiastica de hoc quarto genere, an verò de secundo: & præterea, an in eo inveniantur conditiones Ecclesiastici ieiunii.

De Prima huius Dubii parte sicut certum constituo. *Jejunia Regulæ (& idem censeo de aliis Ordinis jejuniis) verè Ecclesiastica sunt.* Hæc conclusio in prædicto sensu sine temeritate negari non potest. Primò quia ita habet communis nostræ Religionis consensus: imò evidenter in ipsis Constitutionibus in his Regulæ & Ordinis ieiuniis præcipitur, ut omnes aliæ conditiones, & Regulæ ieiunii Ecclesiastici serventur, ut patet ex *prima parte constitut. Cap.* 5. ubi statuitur primò de hora competenti: secundò, de unica comestione, & taxatur cibus, qui in collationibus horum ieiuniorum dari debet: de abstinentia verò à carnibus mentio non fit, quia hoc ex Regula præsupponitur: ac deinde quòd in his diebus Nona ante comestionem dicatur; Ergo verè sunt jejunia Ecclesiastica. Et confirmatur, quia in omnibus Religionibus ieiunia Regulæ vel Constitutionum, etiam si ab Ecclesia non præcipiantur, jejunia nihilominus Ecclesiastica dicuntur: quia servant prædictas regulas, & conditiones, ut patet ex communi Religionum usu. Videndi sunt Expositores Reg. B. Francisci *Cap.* 2.

Vid. supra laudatos Antonium & Franciscum loc. cit. hinc pag. 237. n. 5. illum n. 395.

Præterea secundò, quia alia jejunia, quæ à Fidelibus (vel spontaneè, vel necessitate impellente, sive id sit ratione voti, sive ratione propriæ devotionis,) assumuntur, veræ sunt secundùm regulas Ecclesiastici jejunij. Quia hoc in Ecclesia communiter jeiunii nomine intelligitur. Argumenta verò, quæ contra hoc fieri possent, secunda parte huius dubii solventur.

Cùm ergo Regulæ jejunia Ecclesiastica sint, in eis conditiones, quas Ecclesia circa jejunium præscribit, necessariò observandæ erunt. Duo sunt præcipuè, quæ tanquam essentialia in jejunio Ecclesiastico constituuntur. Primum est unica comestio. Secundum verò, ut habeatur ciborum delectus, præsertim ut à carnibus abstineant, qui Ecclesiastico more jejunare volunt. Quoad primum de

Duæ conditiones necessariæ ad ieiunium Ecclesiasticum constituendum.

de unica comestione, videndus est Divus Tho. *in 4. distinctione 15. quæstione 3. arti. 4. & 2.2. quæstione 147. arti. 6.* & Summistæ verbo (*jejunium.*) De secundo verò plura apud controversarios traduntur, qui, contra hæreticos, licitum esse ab initio Ecclesiæ ciborum delectum in jejunio probant, præcipuè Turrianus *lib. 2. constitutionum Apostol. Cap. 59.* Bellarmin. *To. 2. lib. 4. de Romano Pontifice Cap 16.* maximè verò *2. To. lib. 3. de bonis operibus in particulari Cap. 3.* & *sequent.* & Doctores in 4. *dist. 15.* ubi Divus Tho. *q. 3 arti. 4.* & *2.2.* ut suprà *arti. 2.* Plures alios authores congerit Enriquez *1. Tomo de indulgent. libr. 7. Cap. 13. num. 8.* in sua Gloss. litera D. Alia verò, quæ de jejunio à Doctoribus traduntur, non sunt substantialia, neque ita necessariò requisita, quamvis suo modo & quasi accidentaliter requirantur, ut est, quòd comestio fiat hora competenti, & quòd abstinentia à lacticinijs servetur.

DD. in 4. distinct. 15.

Hæ reperiuntur in jejuniis à Regul. & Constitution. Ord. præscriptis.

Inspiciamus igitur, an hæ conditiones, tam substantiales, quàm accidentales, in Regulæ jejunijs, & similiter in alijs à Religionis Constitutionibus præfixis reperiantur? In primis, prior illa conditio de unica comestione cavetur expresè in nostris Constitutionibus (ut suprà retulimus:) ubi præcipitur, ut in jejunijs Ordinis detur in collationibus frustum panis cum aliquo fructu. Quòd si aliquando aliquid ampliùs in quantitate, vel qualitate à Prælatis addatur, verbi gratia, vel plures fructus, vel aliquando aliquæ herbæ simpliciter cum aqua & sale sine alio condimento coctæ: non est cur scrupulosi turbentur, existimantes, ob id jejunia Ordinis solvi: quia nisi aliquantulum collationes laxarentur, possibile non esset, tam continuata ac diuturna jejunia à tota Communitate sustineri. Nam cùm ex alia parte tot laboribus & asperitatibus, ac frequenti oratione, & meditatione (quibus præcipuè caput debilitari solet) Religiosi premantur; oneri succumberent, nisi aliqualiter hac via adjuvarentur: dummodo collationes eam latitudinem non excedant, quam Doctores in jejunijs Ecclesiasticis statuunt. Neque est mirum, quòd æquo pede non servetur in jejunijs Quadragesimæ, & Ordinis, æqualis districtio: nam & in hoc differentia aliqua apud monachos antiquos fieri consuevit, ut videre est apud Divum Hieronymum *de custodia virginitatis*, Petrum Damianum, *Epistola prima, ad Fratres Eremi Camugn.*, propè finem: quod & præcipit Divus Benedictus *Cap. 49. sua Regula.* Quare non est mirandum, si tempore alio à Quadragesima, aliqualis indulgentia in collationibus permittatur. Caveant tamen Prælati, ne in hoc modum, & mensuram excedant, & suæ Regulæ vel Constitutionibus aliquod relaxationis vulnus infligant: quia gravis criminis reos apud DEUM se fore noverint, cùm ob suam causam in Ordine aliqualis relaxatio fuerit introducta.

Secunda verò conditio de abstinentia à carnibus patet omnibus, quàm districtè in nostris monasterijs observetur. Sed quia Ecclesia non solùm præcipit à Carnibus abstinentiam, sed etiam jejunij temporibus, ovorum, & lacticiniorum usum interdixit, ut patet ex Cap. *statuimus*, & Cap. *presbyter 93.* distinctione, tradunt que omnes Summistæ verbo (*jejunium*) & Divus Thom. *dicta quæstione 147. articulo 6.* videtur, quòd Religionis jejunia verè & propriè jejunia non sint, cùm in eis indifferenter uti possimus ovis, & lacticinijs: & id expresse in nostris Constitutionibus permittatur:

Cap. Statuimus, & Cap. Presbyter 93. Distin.

imò & Regula ipsa id liberè concedat, dum annuit animalia sive volatilia ad nutrimentum habere; quòd, propter lacticinia & ova, *superiori capite* in illa verba, *Asinos sive mulos &c.* permissum fuisse annotabamus. Igitur non sunt vera jejunia.

Huic dubitationi primò Respondeo, in omnibus jejunijs extra Quadragesimam non esse prohibitum uti lacticinijs, & ovis: sed tantum in ipso Quadragesimæ tempore. Ita docet Cajetanus *2. 2. quæstione 147. artic. 7.* Medina in summa *lib. 1. Cap. 14. §. 10.* Navarr. *in manuali Latino Cap. 21. num. 15.* dicit esse opinionem Divi Thomæ ut suprà, Enriquez *Tomo primo libr. 7. de indulgentiis Cap. 10. num. 4.* Cetertùm, (quicquid sit de hac opinione, quæ etiam mihi probabilis videtur,) ad majorem securitatem concessum est Capitulo Generali Ordinis Minorum ab *Eugenio* IV. cujus meminit Corduba *quæstione 2. puncto 4. super Cap. 3. Regulæ*, quoddam privilegium, in quo facultas ei præbetur ordinandi, & declarandi, in quibus locis & provincijs Fratres debeant jejunia Regulæ in cibis Quadragesimalibus observare. Quo utendo privilegio, à Capitulo nostro Generali decretum est (ut supra,) ut hoc Priorum arbitrio relinquatur: ut ipsi de esu lacticiniorum, vel abstinentia, secundùm varias locorum consuetudines possent dispensare. Potissimum etiam fundamentum, quare in jejunijs Regulæ liceat uti ovis ac lacticinijs, illud est, quia hoc à Regula permissum est, ut *suprà præcedenti Cap.* diximus circa illa verba, *Aliquot animalium. sive volatilium &c.* Quare cùm Regula sit à summis Pontificibus confirmata, & ex alia parte de essentia jejunij Ecclesiastici non sit abstinentia à lacticinijs; manifestè colligitur, quòd in jejunijs Ordinis his cibis uti liceat: & adhuc, quòd hæc verè Ecclesiastica jejunia sint.

IN TEXTV

ibidem.

Nisi infirmitas, vel debilitas corporis &c.

DVBIVM IV.

Quæ sint causæ, quæ excusent ab adimpletione jejunij?

DUbiū hoc movetur circa ultima verba huius capitis, in quibus signantur causæ, ob quas à lege jejunij Religiosi excipiantur, nempe, *infirmitas* vel *debilitas corporis, sive alia justa causa*: quia necessitas (ut inquit Regula,) caret lege. Omnia verò, tam infirmitas, quàm debilitas, sive quodcumque aliud impedimentum, sub nomine justæ causæ comprehenduntur. Omnis autem justa causa, ut communiter cum Divo Thom. *2.2. quæst. 147. art. 4.* Theologi tradunt, ad unam ex tribus sequentibus potest reduci, nempe, *ad impotentiam, necessitatem*, & *pietatem*, sive majus bonum. Nam jejunio vel corpus læditur, vel spiritus, vel substantia externa. Si corpus læditur, impedimentum, quòd à jejunio excusat, *impotentia* dicitur. Si spiritus proprius, vel aliorum profectus, *pietas* appellatur. Quòd si substantia externa, necessitas.

Vid. Joan. à Jesu Maria *tap. 26. disp. 1. num. 2. part. 2.*

Triplex causa à jejunio excusans

Ratione

Quinam ratione impotentiæ excusentur.

Ratione primi, nempe, impotentiæ, in jejunijs ab Ecclesia præceptis pueri & senes excusantur, ut istorum fessa sustentetur ætas; illorum verò quasi pullulans, & incipiens, non fraugatur vel arescat. Quare in jejunijs Ecclesiæ, pueri usque ad XXI. annum (secundum D. Tho. ut suprà) ab eorum impletione excusantur: senes verò, si sexagenarij sint, ut communis tenet opinio: quamvis Navar. in summa *Lati. Cap. 21. num. 16.* non incongruè docear, in senibus non esse certam, & determinatam regulam præscribendam, sed id arbitrio prudentis confessarij vel Prælati esse relinquendum. Quod nos etiam *suprà Cap. 8.* in illis verbis, *Inspectis ætatibus & necessitatibus*, ex mente Canonistarum asserebamus. Nam alij citiùs, alij verò tardiùs prædictam impotentiam senectutis incurrunt.

Quid in senibus attendendum

An pueri & senes à Regulæ jejunijs excusentur?

Hoc autem, quod dictum est de pueris & senibus circa Ecclesiastica jejunia, dubitari meritò potest, an etiam in Regulæ jejunijs observandum sit? Et (ut à certioribus incipiam) in senibus non dubito, servandum esse id, quod nuper ex Navarro tradidimus, ut id arbitrio Prælati relinquatur, ut ipse omnibus pensatis judicet, an senio confectus vires habeat necne ad solvenda regularia jejunia.

De pueris verò jam professis, qui tamen nondum XXII. annum attigerunt, dicendum est, eos minimè à jejunijs Ordinis excusari: quia per professionem ipsi se coarctarunt ad strictiorem observantiam, quam Ecclesia tenet, nempe, ad Regulam nostram, & ad omnia, quæ in ea continentur. Et sic à Regula ad prædicta jejunia servanda obligantur. Et hanc credo esse communem opinionem, & Religionum praxim, de qua videndus est Corduba in Regula B. Francisci *Cap. 3 quæstione 2.*

Infirmitas ac corporis debilitas ad impotentiam quoque reducitur.

Præterea, ad impotentiam reducitur corporis infirmitas, vel debilitas, de quibus nostra Regula expressè loquitur, & advertunt Cajeta. in *summa* verbo (*jejunium*) & Navarr. *ut suprà*. Illi etiam hoc titulo comprehenduntur, qui tam infirma complexione sunt, ut vacuo stomacho capitis dolorem ac vertiginem patiantur: & denique omnes illi, qui, medicorum judicio, non sine periculo salutis corporalis jejunare possunt. Hanc autem impotentiam arbitrio suo poterit Prælatus examinare, & si illi sufficiens videatur, subditum à jejunij onere absolvat. Neque oportet, ut in hoc nimis scrupulosus aut anxius Prælatus sit, sed potiùs benignè & misericorditer omnibus subveniat, & pietate magis, quàm rigore ducatur: nisi aliàs ob justas causas contrarium viderit expedire. Nam si sua benignitate Religiosi abutantur, & facilè licentias petant, tunc in aliud extremum declinandum est, ut Ordinis observantiæ summa cura provideatur.

Quosnam excuset necessitas?

Secunda causa, quæ à jejunio excusat, potest esse *necessitas*, ut cùm die Jejunij aliquis labor necessarius, vel nobis, vel Communitati, aut aliquod aliud à Prælato impositum opus occurrit, cum quo jejunia compati non possunt: ob quam causam fratres laici laborantes à jejunio excusantur. Et similiter ad hanc causam red citur, quando quis jejunando, suo officio minimè ut par est, potest satisfacere: quia ob jejunium opera obligationis prætermittenda non sunt; inter quæ potissimum videtur, ut quis rectè suo munere fungatur.

Quos pietas?

Ob tertiam causam, quæ *pietas* sive majus bonum dicitur, lege etiam jejunij non tenentur, qui jejunando non possunt ad suam, vel aliorum salutem spiritualem, vel corporalem, id, quod necessarium est, præstare: ut sunt Concionatores, Lectores (ex officio vel obedientia) aut Confessores. Ita Cajet. *2. 2. q. 147. artic. 3.* & in *Summa* verbo (*Jejunium*,) quem sequitur Navar. *ubi supra num. 16.* Ad hanc etiam causam pertinet, quando ob jejunium impeditur quis à sanctioribus & melioribus operibus, quibus, si non jejunaret, vacare posset: qualia sunt opera Misericordiæ spiritualia, & corporalia quæ suapte natura sunt actus misericordiæ, quæ est virtute abstinentiæ præstantior. Ita Cajetanus *ubi suprà artic. 2.* & Navarr. *num. 17.* Sylvest. *verbo* (jejunium) *quæstione 3.*

Dixi verò supra, id, quod necessarium est, præstare: nam aliàs si tantùm sit supererogationis bonum concionari, aut legere, tunc minimè prætermittendum est id, ad quod ex vi nostræ Regulæ ac instituti tenemur, nisi aliàs aliqualis necessitas sit vel in populo verbum divinam audiendi, vel in Religione illud proponendi.

Ex his fit, eos, in quibus aliqua prædictarum causa non fuerit, ad regularia jejunia teneri, quantumvis perfecti sint. Hoc addiderim propter Hæreticos quosdam, de quibus mentio fit in *Clementina* ad nostram *de Hæretic.* asserentes, viros perfectos legibus jejuniorum non teneri: quia jejunium ad delendum peccatum ordinatur, quo perfecti jam carent, neque illud habere possunt. Hi condemnati sunt in Concilio Viennensi, & in dicta Clementina multorum sanctissimorum virorum exemplis refutati. Contra hos latiùs controversarii disputant. Sufficiat nunc notabile dictum Chrysostomi de jejunio proferre, quo breviter omnes jejunij fructus, qui ex sacra scriptura colliguntur, uno verbo declaravit: ait enim de Jejunio sermone primo: *Jejuna quia peccasti: jejuna, ut non pecces: jejuna, ut accipias: jejuna, ut accepta permaneant.* Quasi dicat: Jejunium prodest, & maximè necessarium est ad satisfaciendum pro peccatis: præterea, ut preservemur à peccatis: tertiò, ut à DEO virtutes, ac cælestia bona impetremus: ultimò, ut impetrata dona permaneant. Quæ omnia tam imperfectis, quàm perfectis omnino sunt necessaria.

Clementina. Ad nostrum de Hæreticis.

Concil. Viennens.

De jejunij commodis & fructibus eleganter & luculenter disserit in commentar. suis in hoc Regul. Cap. Francisc. à S. Elia.

CA-

CAPUT XII.

De abstinentia carnium.

TEXTVS.

AB esu carnium abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes, (ne sitis hospitibus onerosi) extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus; sed & carnibus supra mare vesci licebit.

GLOSSA XII.

Simile statutum apud D. Bened. c. 36. sua Reg. & Cap. 39. reperitur. Concordat cap. carnem de consecrat. dis. 5 Reg. Monachorum Cap. 11. Et Monacharum, Cap. 35. Carthus. 2. p. Cap. 10. n. 24. De cibis fratrum itinerantium Regula Francisci. Cap. 3.

OLim in Regula Alberti primitiva, antequam mitigatione aliqua temperaretur, circa abstinentiam carnium districtior observantia præcipiebatur: erat enim in illa hac ratione scriptum; *Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis, aut nimia debilitatis remedio sumantur.* In mitigatione verò (ut vidimus) ablata est illa particula (*Nimia*) & insuper additum est, ut navigantibus, carnibus; itinerantibus verò pulmentis cum carnibus coctis vesci liceat. Cujus permissionis non meminit *Albertus* ut suprà.

Ex hoc igitur capite sequentes colliguntur conclusiones. Prima est: *Ad abstinentiam carnium omnes fratres tenentur.* Secunda: *Carnibus vesci licet infirmis, debilibus, & supra mare navigantibus.* Tertia: *Itinerantes Fratres frequenter mendicare tenentur.* Quarta: *In itinere extra domos nostras pulmenta cum carnibus cocta sumere licet.*

IN TEXTV

ibidem.

Ab esu carnium abstineatis.

CIrca hanc primam hujus capitis partem duo se offerunt examinanda. Primum, Quare, cùm usus carnium licitus sit, nobis prohibeatur? Secundum, Quid hic nomine carnium comprehendatur?

DVBIVM I.

Quare cum usus carnium ex se bonus, & licitus sit, nobis à Regula interdicatur?

Duo extremi hæreticorum errores circa abstinentiam à Carnibus.

SCiendum est, (quod & breviter attingam,) de abstinentia à carnibus duos in Ecclesia contrarios errores extitisse. Primus fuit Evonitarum, qui (ut refert Epiphanius *hæresi* 30.) omnium animantium carnes immundas esse dicebant: contra quos scripsit Paulus prima, ad Timoth. 4. dicens, *In novissimis temporibus erunt homines in hypocrisi loquentes mendacium, prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos DEVS creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his, qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura DEI bona est.* Hæc Paulus. Pugnat præterea contra hos apertè Christi Domini & Apostolorum exemplum, qui (ut ex Evangelio constat) in cœna agnum typicum comederunt.

In aliud verò extremum erroris alij inclinaverunt hæretici, affirmantes, nullos omnino cibos, nulloque tempore debere Christianis prohiberi: hujus hæresis author fuit Jovinianus, qui (teste D. Hierony. *lib. 2. adversus eundem*) docebat, abstinentiam à quibusdam cibis nihil omnino prodesse. Clariùs tamen & acriùs nostri temporis hæretici, ciborum delectum, tum illum, qui aliquibus diebus ab Ecclesia servatur, tum etiam, qui perpetuò à Religiosis quibusdam colitur, tanquam superstitiosum & inanem impugnant. Hujus factionis hac nostra tempestate auctor fuit Lutherus, insectator Calvinus, Brenzius, Centuriatores, & Kemnitius apud Bellarminum *Tomo 3. de bonis operibus* in particulari *lib. 3. Cap. 3.* Duo autem præcipua sunt, (& quæ ad nostrum attinent propositum) quæ ab Hæreticis in carnium abstinentia damnantur: primum, quòd videamur nos rejicere aliquos cibos, tanquam per se malos: secundum quod abstinentiam à carnibus meritoriam esse censeamus, & cultum DEI ex re indifferenti faciamus.

Hæreticorum nostri temporis de hoc error.

Primus horum error facilè convincitur ex Ecclesiæ statuto: dicitur enim *de consecratione distinctione 5. Cap.* carnem; *Cuique monacho carnem nec gustandi nec sumendi est concessa licentia: non quia creaturam DEI judicemus indignam, sed quia carnis abstinentia apta, & utilis Monachis æstimatur.* Ex his igitur clarè constat, Ecclesiam Religiosis carnem non prohibere, quia carnes immundæ sunt, ut falsò calumniantur hæretici, Præterea, nec Monachi à carnibus abstinent, quia eas putent immundas, sed potiùs severioris, & districtioris abstinentiæ zelo. Unde in Religionibus carnes non interdicuntur, quia illicitæ & malæ sint, sed quia magis expedit ad suum institutum, carnibus non vesci. Et confirmatur, quia etiam Monachis ægrotantibus uti carnibus conceditur: non ergo eas immundas reputant.

Cap. carnem, de consecratione distinct. 5.

Adde etiam, quia ob prædictam rationem alijs cibis Monachi non utuntur, & tamen eos non immundos judicant: ut de Joanne Baptista, qui Monachorum princeps fuit, ab omni cibo & potu, præterquam à locustis & melle silvestri, se abstinuisse, *Matth.* 3. legimus: ac de Monachis Divo Chrysostomo contemporaneis ipse *Homilia.*

14.

Observa admirandam abstinentiam veterum monachorum.

14. in. *Epist. ad Timot.* ait: *Neque pretiosa pulmenta apponentes, sed ij solùm panem & salem, bi verò olera apponantes, ij verò, qui imbecilliores sunt & leguminibus potiuntur.* Hier. *de custodia Virginitatis*, sic de Monachis loquitur: *De cibis verò & potu, taceo, cum etiam languentes aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit.* Et infra: *Vivitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur.* Cassian. *lib. 4. institut. Cap. 11.* apud Ægyptios Monachos tantam docet abstinentiam servari, ut summæ reputentur deliciæ, si herbæ sale condiræ ad refectionem Fratribus apponantur: & *lib. 5. Cap. 23.* pane solo sanctos Eremi Patres fuisse enutritos, commemorat.

De quo argumento plura nobis alia testimonia & exempla ex Basil. in *Reg fus. interrogatione 19. & 20.* ex Bernardo in *Apologia ad Guillielmum, & Epist. 321. ad Fratres de monte Anastasio*, & in illa celebri, quam ad Fratres de monte DEI, spiritu divino rescripsit, ex Hugone Victorino *Tom. 2. lib. 2. de claustro anima*, & denique ex D. Bonaven. *lib. 2. pharetra Cap. 22.* licet desumere. Ex quibus non solùm à carnibus, sed ab alijs etiam cibis monachos abstinuisse, constat: non quia illos reputassent immundos, sed ob majorem corporis castigationem: ut & sic majus DEO obsequium præstarent.

Communis Theologorum sententia.

Quoad secundum verò, quod damnant hæretici, nempe, catholicos affirmare, abstinentiam carnium esse meritoriam, & sic de re indifferenti cultum DEO exhiberi: concedimus libenter, hanc unam esse causam, neque ob id tamen ex re indifferenti DEO holocaustum offerimus. Nam si hæc abstinentia bono fine fiat, ut quando ordinatur ad castigandum corpus, ad moderandas passiones, & ad subjiciendum illud spiritui, ut liberiùs DEO vacet: tunc carnium abstinentia bona, & meritoria est, ut communis tenet Theologorum sententia. Ob quam etiam rationem, jejunium, licet secundum se indifferens sit, si tamen aliquo prædictorum fine honestetur, ad virtutem temperantiæ pertinet, ac proinde & ad cultum DEI: ut Patres passim docent, qui videndi sunt apud Bellarmin. *ut supra Cap. 11.*

Legend. præclar. commentar. nost. Francisci in hoc Cap. Reg.

Ex dictis eruenda est propositi dubij resolutio. Licet enim carnium esus ex se bonus, & licitus sit, earum tamen abstinentia utilissima est, tum propter dicta, tum etiam, quia Religio schola est pœnitentiæ ac virtutum, ad quam pertinet in primis abdicatio omnium voluptarum, mundi deliciarum, ac jucundarum & mollium aliarum rerum: quod potissimum medium est, ut in hac Schola virtutes ac pœnitentiæ exerceantur. Nam proculdubio hoc ipsum, quod est, carere rebus dulcibus ac alijs hujusmodi emolumentis, valde grave ac molestum nobis solet esse. Et cum carnes tam terrestrium, quàm volatilium animalium magis nutriant, & delectent ex genere suo, quàm cæteri cibi, cùm sint humanæ carni propinquiores, fit, ut avidiùs illæ appetantur, & majori gula etiam edantur. Præterea carnium alimenta materiam generationis magis augent: & sic difficilius appetitus sub ratione comprimitur: his enim cibis caro impinguatur, & appetitus roboratur, ac proinde major contra spiritum pugna insurgit.

Quare Divus Hieronymus *libr. 2. adversus Jovinianum*, esum carnium, docuit, esse seminarium libidinis: & *lib. 5.* exinstituto probat contra eundem Jovinianum bonam esse abstinentiam à carnibus, & vino; & Basilius in *Hexaemeron homilia 11.* sic ait: Veruntamen etiam nunc ad imitationem vitæ in paradiso nos ipsos reducere volentes, vitatis his variæ materiæ eduliorum voluptatibus, ad illam vitam, quantum possibile est, nosipsos reducimus, fructibus, & seminibus, & nucibus ac foris putamen durum habentibus fructibus ad vitam degendam utentes. Horum verò superfluitatem velut non necessariam repudiamus: non enim abominabilia sunt propter Creatorem, non tamen eligenda propter carnis delicias, ac voluptatem. Hæc Basilius.

Ob hanc ergo rationem, & ob alias, quæ ex superioribus colliguntur, esus carnium in multis Religionibus sanctissimè est prohibitus. In primis Benedictus in sua Regula *Cap. 39. Carnium verò* (ait) *quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, prater omnino debiles, & agrotos.* Ubi, argumento sumpto à majori, & volatilium etiam animantium carnium esum prohibet. Idem strictissimè in Carthusianorum statutis cavetur, ut *infra* latiori sermone dicemus: servaturque ista laudabilis consuetudo in alijs Religionibus, ut Camaldulensium, & Minimorum: & his, non solum carnibus sed nec lacticinijs vesci licet: imò & omnibus Monachis jure canonico id præcipitur, ut patet ex dicto *Cap.* carnem *5, distinct. & Cap.* cum ad monasterium, *de statu Monach.* Servat etiam hoc, licet non ex Regula, Dominicanorum sanctissima familia. Inter has verò Religiones duplex discriminis ratio invenitur. Prima, quia ex Regula hanc abstinentiam Carthusiani, (quibus constitutiones pro Regula sunt,) Benedictini, & nos solùm accepimus: alijs verò proprijs tantùm Constitutionibus id præcipitur. Secunda est, quòd alij laxiùs, alij strictiùs, alij verò strictissimè prædictam abstinentiam servant. Nam Carthusiani, etiam imminente morte, carnibus non vescuntur: in nostra vero Religione, & in alijs, ut sunt Camaldulenses, tantùm in infirmitatibus. In alijs verò extra Refectorium, vel certis quibusdam diebus, sive ex dispensatione, sive ex quovis alio titulo permissum est carnibus vesci. Et denique primos illos Ecclesiæ primitivæ probatissimos Monachos, qui sub divi Marci disciplina in Alexandria floruere, Eusebius Cæsariensis *libr. 2. historiarum Cap. 17.* à carnibus abstinuisse refert. Et si quis vitas sanctissimorum Eremitarum percurrat, omnes etiam à carnibus abstinuisse comperiet.

D. Cap. carnem, & Cap. cum ad monasterium, de statu Monachorum.

Quadragesimalis abstinentia non abbreviati vitam docet nost. Anton. *loc. cit.* juxta edition. Coloniens. *n.* 432. cum pluribus Authoribus ab ipso relatis inter quos est R. mus. Caramuel in *vita V. P. Dominici* JESU MARIA *lib. 6. cap. 2.* & nost. Joan. Beetrius *in præcepta decalogi præcept. 3. Expos. 4. cap. 2.*

In hac tamen abstinentia difficultate non caret, quòd cùm ejus causa vita humana abbrevietur, videtur contra legem naturæ esse, qua cautum est, ne quis sui homicida crudelis existat. Hoc dubium præcipuum locum habet in strictissima Carthusianorum abstinentia: qui non solùm ad tempus, sed perpetuò, etiam in ægritudinibus omnino mortiferis, à carnibus abstinere tenentur. Propter quod, quidam eorum surrexerunt æmuli, qui hanc Constitutionem irrationabilem & crudelem appellant, & votum stultum, quod de prædicta abstinentia sit: & sic universaliter affirmant, teneri Carthusienses non abstinere à carnibus in articulo mortis, nulla habita ratione scandali, id est, quamvis scandalum sequatur. Hanc sententiam amplexi sunt Martinus à Magistris *quæst. 2. de abstinentia*, Medina Complutens. C. *de jejunio quæst* 4. ad ultimum argumentum, Sylvest. *verbo* (juramentum 4.) §. 10.

Mitius vero sentit secunda sententia Carthusianis in dicta ægritudine constitutis, & cum scandalo vesci carnibus non licere, posse tamen id fa-

facere in duobus casibus; primò si Carthusiani alium cibum non habeant: secundò, si desperetur omnino de ægroti vita, nisi illi ministrentur carnes, & utrobique cesset scandalum. Ita docuerunt Gerson *titulo de abstinentia* Carthusianorum, qui habetur *Alphabetico* 39. (O.) & Major *in* 4. *distinctione* 38. *quæstione* 4. *conclusione* 5. Adrianus *quodlib.* 1. *cum argumentis artic.* 3. *ad nonum.* Victoria verò alia via procedit: in relectione enim de temperantia *num.* 8. duo circa hanc Carthusianorum abstinentiam affirmat: primum licere Carthusiensibus in ægritudinibus mortiferis constitutis à carnibus abstinere, imò & laudabile esse, etiam si nullum scandali periculum imminear: secundum ejus dictum est, licere etiam prædictis, carnibus vesci: imò si Constitutio in tali periculo id prohiberet, intolerabilis esset, sive scandalum timeatur, sive non. Nituntur autem hæ opiniones optimis, & apparentibus rationibus, quas omittere ideo decrevi, quia non multum ad nostrum institutum conducunt.

Breviter tamen, ut certius, & probabilius in hac re primò statuo, Carthusiensium statutum, optimum & laudabile esse. In primis id patet: quia ab Ecclesia hoc statutum fuit semper laudatum & approbatum, imò & fortè ratione hujus abstinentiæ, Carthusianorum Religio, ut strictior, & perfectior ab Ecclesia judicatur. Et, ut omnibus clarius de hac Constitutione constet, ejus verba præmittamus, quæ talia sunt: Quia secundum sanctam nostri Ordinis consuetudinem, à sanctis Patribus nostris introductam, omnem esum carnium, & cibum quemcunque, qui ex carnibus quomodolibet constat, sive per modum cibi, sive per modum potionis, aut sorbitionis sumatur, à nostro proposito abjecimus, statuimus, ut quicunque nostri Ordinis professus, hujus tam laudabilis constitutionis transgressor fuerit &c. Si Prior, aut Vicarius, aut Procurator hoc fecerit, tanquam ipsius suæ professionis calumniator, & transgressor, obedientiam perdat, & vocibus, ac locis debitis, & ceteris obedientijs Ordinis careat in æternum. Deinde simplicibus Monachis hæc pœna statuitur: & postremò eadem constitutio ad moniales extenditur. Hæc est constitutio, quæ circa abstinentiam carnium in Carthusia observatur.

Et quamvis in hac Constitutione non exprimatur, illius obligationem & mentem extendi etiam in periculo mortis naturali: moribus tamen ita receptum est in hac Religione, ut nulli ægroto, etiam in extremis, carnes ministrentur, neque aliquid carnibus conditum ab eo comedatur. Tam igitur eorum statutum, quàm consuetudinem latè defendunt Gerson, & Major (ut suprà,) & plures alij, inter quos Arnoldus de Villanova, quem summum medicum, & Theologum appellat D. Antoninus *3. par. summæ titul. 16. cap. 6. parag. 5.* atque in hujus rei confirmationem ejus verba refert. Ait ergo Antoninus ex mente Arnoldi, *Quòd contrarium asserere, est falsum & phantasticum, & probat quòd sapit hæresim.*

Nam adversatur (inquit) approbationi, & tolerantiæ Romanæ Ecclesiæ, & fingit novum dogma in pertinentibus ad utilem statum Fidelium, ponendo, quandoque à mortis periculo non posse sine usu carnium liberari; & sic ad vitæ longitudinem carnium usum necessarium: quod est falsum. Nam, (ut dicit,) virtus vitalis deficit, aut per malitiam morbi illam resolventis, aut propter defectum alimenti, per quod habet conservari, vel restaurari. Primo casu probat per dictum Hippocratis dicentis, quòd si præ furia morbi cibus exhibeatur, suffocationis vel alterius gravamine superaddito, coguntur vitam finire celeriùs: deficientibus autem propter penuriam alimenti, si denegetur cibus, & medicationi subdantur, exspirant velociùs, tabefacti. Patet per id, quòd deficienti propter morbi magnitudinem non prosunt, sed nocent carnes: sed deficientibus propter alimenti penuriam, prosunt. Sed probat, plus competere vinum mediocriter sumptum, maximè aromaticum & vitella ovorum mediocriter mollia, ideo quòd velocissima digestione convertuntur in laudabilem sanguinem & multum, & quasi sine fœcibus.

A carnibus autem, & cereris alimentis aliqua prædictarum conditionum deest.

Concludit ergo, quòd ad virtutem vitalem vel cognitivam plus conferunt suprà dicta, quàm carnes, licet fateatur, quòd ad confortandum virtutem motivam, plùs competant carnes: quam, dicit, (inducendo Galenum,) scilicet, confortationem virtutis motivæ non esse in ægris necessariam, quia modicùm egent ipsius operatione: ergo nec egent necessario usu carnium: sed bene usu vini.

Apostolus: Modico vino utere propter stomachum &c.

Vinum enim lætificat cor hominis. Cor autem est principium virtutis vitalis, quæ confortatur per cordis lætitiam.

Sed & in dicto Ordine multi senescunt, & vivunt etiam Octogenarij. Et ante diluvium non comedebantur carnes, *distinctione 35. Cap. ab exordio,* & longiùs vivebant. Hæc omnia Antoninus ex Arnoldi sententia. Postea verò ex propria sic addit: Et hæc scripta sunt, ut Religiosi, qui secundùm Regulam suam, vel Constitutiones non debent carnibus vesci, credant, per talem abstinentiam carnium non sibi abbreviari dies, si hoc observant, nec pro quacunque debilitate carnes comedant: & contra illos, qui hoc non observant, ad excusandas excusationes in peccatis, allegantes sine esu carnium sanos non posse vivere. Hæc Antonin. *ut suprà.* Habent præterea Carthusiani plura medicorum suffragia, quæ prædictam Arnoldi sententiam defendunt: ac proinde licitum est & sanctissimum tale Religionis institutum.

Secundò, sive verum sit quod Arnoldus & alij medici asserunt, sive non, hoc est, sive possit dari ægritudo, quæ non aliter ac esu carnium curari possit, sive talis non detur (ex quibus primum mihi probabilius apparet, quia negari non potest, aliquando fastidium generari ægroto, ita, ut aliis cibis quàm carnibus vesci non possit:) adhuc tamen existimo, tam publicè quàm secretè, tam existente scandalo, quàm cessante, non solum licère Carthusiensibus à carnibus abstinere, etiam in periculo vitæ propter ægritudinem constitutis, verùm etiam necessarium esse. Hæc sententia apertè est Navarri de Regularibus *consilio* 10. *numer.* 6. qui expresè affirmat, hoc Carthusianorum statutum obligare ad mortale.

Sentiunt hoc etiam peritissimi nostri temporis neoterici, eo nixi fundamento, quòd, cùm hoc statutum antiqua consuetudine interpretetur, ita, ut receptum sit ut obliget in articulo etiam mortis, videtur satis licitum esse, tali statuto obedire. Et quod hoc liceat, optimè satis probat Victoria (*ubi suprà.*)

Secun-

Secundum verò, scilicet, quod ad hoc teneantur, probant isti authores: quia ex transgressione hujus instituti in hac parte, relaxatio oriri poterat in rigore & severitate Regularis disciplinæ: aliaque adducunt, quæ pertinere videntur ad rationem justitiæ legalis.

Mihi verò non aliter hæc sententia vera, & probabilis videtur, quàm si in prædicto Ordine hæc transgressio faerit interpretata, ut lethalis, ac proinde quod illa consuetudo obliget ad culpam mortalem: cujus contrarium affirmat Petrus Suror, hujus instituti professor, in historia sui Ordinis *lib. 2. titul. 3. Cap. 8.* & idipsum in prædicta Religione communi consensu receptum existimo. Et ideo, ut verior & probabilior nobis placet opinio Victoriæ. Ne quicquam his obstat justitiæ legalis ratio: quia idipsum etiam procederet in omnibus aliis Constitutionibus omnium Religionum, maximè in illis, quæ potissimum ad earum observandum institutum conducerent: cujus contrarium praxis, & communis Religionum usus declaravit.

Ad rationem Dubii respondetur, quod quamvis præceptum naturale sit tuendi vitam à quocunque periculo mortis, & illam conservandi: non tamen præceptum hoc absolutè obligat, sed tantum in eo casu, in quo non adsit causa rationabilis amittendi propriam vitam: nam si hæc occurrat, tollitur obligatio hujus præcepti.

Quia (ut rectè Victoria, *ubi supra*) potest quis ratione patientiæ permittere, se occidi ab alio, aut in bello se exponere periculo mortis pro defensione patriæ. Uxor etiam assistens marito laboranti peste, aut morbo contagioso, etiam si sit probabile periculum vitæ, non peccat. Nec tenetur quis uxorem ducere, etiam si aliquando necessaria sit ad vitæ conservationem: sed potest castitatem servare cum periculo vitæ. Quare si justa, & honesta causa secundum prudentiam boni viri adsit: possumus de vita, & de remedio illius non curare: imò laudabile & heroicum opus virtutis aliquando erit. Hac etiam de causa, licitum & laudabile est in articulo mortis, paratum stratum relinquere, & humi aut in alio aspero loco vitam finire, sive ad imitationem fiat Domini nostri JESU Christi, in patibulo Crucis vitam finientis, sive ad exemplum aliorum: præcipuè, si sit vir insignis in aliqua congregatione aut Religione, qui id faciat, ut legitur Divum Jacobum Apostolum, Divum Martinum, ac Divum Franciscum propriam vitam sanctè ac pauperrimè terminasse. Tunc igitur, quando quis vitam ob Regulæ observantiam finierit, justa, & rationabilis causa non immeritò censeri debet, amor, & reverentia propriæ Regulæ, & utilitas, quæ sequitur ex disciplina Religiosa ritè observata: ut tollatur naturalis obligatio tuendi propriam vitam. Et ne rigor, ac disciplina Religiosa tepescant, non solum à carnibus abstinere extra ægritudinis tempora (ut nos servamus,) & aliis cibis uti, quibus forsan, juxta quorundam opinionem imperceptibiliter vita abbreviatur, licebit: verum etiam abstinere à carnibus in infirmitate ipsa cum periculo vitæ, ut Carthusiani tenentur facere, vel ad minus possunt licitè facere.

DVBIVM II.

Quæ sint, quæ comprehenduntur nomine carnium?

PRo hujus Dubii resolutione supponendum est, quod licet aliqua sint, quæ verè & propriè carnes non sint, neque appellentur, ex carnibus tamen ortum, & originem trahunt: ut sunt ova, & lacticinia. Alia sunt, quæ licet propriè carnes non possint dici, tamen maximam cum eis propinquitatem habent: ut sunt sanguis, lardum, sagimen, sive pinguedo. Alia verò, quæ licet à carnibus originem non habeant, ex conjunctione tamen ad illas magnam earum virtutem, & substantiam participant: ut jus, in quo carnes decoquuntur. Et denique alia sunt, quæ licet carnium substantiam in se non suscipiant, ex simultanea tamen decoctione aliquam qualitatem, & excellentiam acquirunt: qualia sunt legumina cum carnibus cocta. De his igitur inquirimus, an sub prohibitione carnium à Regula facta, prædicta omnia etiam prohibita esse censeantur?

Quoad primum de lacticiniis & ovis, in primis expresè id affirmare videtur Divus Gregorius Cap. *denique 4. distinctione*, ubi ait: Par autem est, ut nos, qui his diebus à carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam trahunt originem carnis, jejunemus: à lacte (videlicet) caseo, & ovis. Et colligitur ex Cap. *Presbyter 82. distinctione*. Nam, ut Divus Hieronymus ex sententia veterum Ægyptiorum *lib. 2. contra Jovinian.* refert, *Ovum, & lac nihil aliud esse videntur, quam caro liquida, & sanguis albus.* Quare Manichæus, ut author est Divus Thomas *1. ad Tim. 4.* sicut prohibebat omni tempore esum carnium: ita etiam ovorum. Cap. Denique 4. dist. Ca. Presbyter 82. distinctio.

Contrarium tamen hujus probabilius videtur: quia ova, & lacticinia carnes non sunt, licet ex animalibus, quæ carnes habent, originem ducant. Neque hoc argumentum ullo modo urget: Hæc procedunt ex hujusmodi animalibus, ergo sunt carnes. Nam cum ex eorum semine generentur, & semen caro non sit, utpote quod ex superfluitate alimenti procedit: ipsa etiam lacticinia, vel ova carnes non sunt, neque ad carnes reducuntur. Tum etiam; quia licet ex carnibus generarentur, & carnes verè essent, (quod omnino falsum existimo:) adhuc tamen patum obstaret, quominus ovis ac lacticiniis nobis uti liceret: quia id expresè in Regula conceditur, *ubi supra Cap. 8.* & *præcedenti* in illa verba, *Aliquot animalium*, tradidimus. Sicque consuetudine omnium Religionum interpretatum est, ut etiam apud Carthusienses, qui strictissimam omnium carnium abstinentiam servant, ovorum ac lacticiniorum usus non interdicatur.

Ad authoritatem Divi Gregorii in dicto *Cap. Denique* & *d. Cap. Presbyter*. Respondeo, ibi non probari, quod ex eo, quod alicui carnes sint prohibitæ, etiam sint ea, quæ ex eis originem trahunt prohibita: sed tantum, (quod par est, & maximè rationabile,) ut, sicut in jejuniis Quadragesimalibus servatur abstinentia à carnibus: ita etiam in eisdem jejuniis servetur abstinentia ab his, quæ ortum, sementinamque trahunt à carnibus originem: quia intentum Ecclesiæ in his jejuniis est, eos cibos interdicere, quorum

usus maximè delectat, & ad venerea provocat: cujusmodi sunt carnes animalium in terra nascentium, & quæ ex eis procedunt, ut sunt lacticinia ex gressilibus, & ova ex volatilibus: ut optimè ratiocinatur D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 8. Imò Ecclesia in aliis extra Quadragesimam jejuniis solum carnes prohibet: ut nos *Cap.* 11. *de jejunio*, dubio ultimo adnotavimus: & Fideles licitè lacticiniis & ovis utuntur, ubi non est contraria consuetudo. Ad D. Hieronymum Respondeo, ejus verba esse intelligenda, quasi remotè de carne & sanguine.

Quoad secundum verò, an lardum, sagimen sive pinguedo, & alia hujusmodi, nomine carnium comprehendantur, majus dubium est. Et inprimis videtur, eodem modo in his philosophandum esse, ac de ovis & lacticiniis diximus: cum par in omnibus ratio appareat: ac proinde, quod nomine carnium non comprehendantur.

Vera tamen resolutio sit, nomine carnium hæc omnia in nostra Religione prohiberi. Quod firmissimè probo, tum ex Regula ipsa, tum ex consuetudine, tum etiam ex jure. Et inprimis ex Regula. Nam cum in prima Regula *Alberti* absolutè esus carnium sine exceptione ulla interdiceretur: *Innocentius IV.* postea in mitigatione permisit, ut itinerantes uti possint pro cibo pulmentis coctis cum carnibus. In qua exceptione sive concessione duo consideranda sunt. Primùm, ex hoc ipso, quod permittitur solum edere pulmenta cum carnibus cocta, tacitè & quasi per necessariam sequelam, cætera prohiberi. Nam si nomine carnium non prohibentur in regula sagimen, pinguedo, jus aut pulmentum, supervacanea esset hæc permissio, sive exceptio. Quare cum sit exorbitans à generali Regula concessio, sive exceptio, de aliis Regulam firmat in contrarium: hoc est, eo ipso, quod statuit licere pulmenta cum *carnibus cocta*, cætera denegat ac prohibet.

Præterea considerandum est, pulmentum minus ad carnes accedere (ut in initio hujus dubii adnotavimus) quam sagimen, sive pinguedinem. Nam illud tantum quasi qualitatem quandam participat, hoc verò quasi substantiam suam à carnibus innatam habet. Quare si tantum Regula permittit pulmenta cocta cum carnibus, idque ita arctè & strictè, ut fiat solum pro itinerantibus: à fortiori pinguedinem, sagimen, & alia similia expresse denegavit.

Secunda ratio sumitur à consuetudine: quia jam in nostra Religione id communi interpretatione, & consensu receptum est: & nequaquam horum usus in monasteriis nostris admittitur.

Cap. de esu carnium *de consecratione dist.* 3.

Tertiò ex jure ipso deduco. Nam Cap. *de esu carnium*, de consecratione *distinctione tertia*, cavetur, ut feria sexta Christiani omnes à carnibus abstineant: in Ecclesia verò communi interpretatione & jure receptum est, quod ibi nomine carnium non solum carnes ipsæ, sed etiam sagimen, lardum, pinguedo, &c. prohibeantur: quod non fieret, si hæc nomine carnium non comprehenderentur. Ergo similiter in nostra Regula nomine carnium prædicta omnia censentur prohibita.

Ad rationem in contrarium respondetur, longè aliam esse rationem de ovis & lacticiniis, ac est de pinguedine, sanguine, & aliis: quia ova, & lacticinia plus distant, & per plures transmutationes à carnibus semen inam trahunt originem: at sanguis, pinguedo, vel sagimen quasi immediatè à carnibus oriuntur, ac proinde majorem consanguinitatem habent cum ipsis. Quare lacticinia & ova affinitatem; pinguedo verò, sagimen &c. quasi consanguinitatem cum carnibus habent.

De jure verò & pulmentis, an appellatione carnium prohibeantur, patet in primis, pulmentum prohiberi expresè: nam si nomine carnium non prohiberetur, frustra in Regula exciperetur, dum dicit, *Extra domos vestras sumere pulmenta cocta cum carnibus.* Et si omnibus liceret, minimè pro itinerantibus tantum indulgeretur. De jure verò eodem modo dicendum est; imò à fortiori; quia magis ad carnes accedit, ac proinde clarissimè ex Regula colligitur, in domibus nostris licitum non esse, pulmentis aut jure uti, ut expresè (sumpto argumento à contrario sensu) Regula prohibet, & communis consensus Religionis approbat.

Quid verò pulmentum sit, & quando eo uti liceat, *infra hoc Cap.* dicemus.

IN TEXTV

Ibidem.

Nisi pro infirmitatis vel debilitatis remedio sumantur.

Circa hæc verba notandum est, quanta arctitudine esus carnium prohibeatur, ut, cum in *superiori Cap.* de jejunio loquens, à jejunio non solum debiles & infirmos excusaverit, verum & alia justa causa impeditos, aut necessitate oppressos: hic equidem solum debiles & infirmos excipiat, & alias causas sive necessitates non admittat. Simile statutum de jejunio est apud Divum Benedictum *Cap.* 36. *suæ Regula*, ibi: Sed & carnium esus infirmis, omninoque debilibus pro reparatione concedatur: at ubi meliorati fuerint, à carnibus more solito abstineant. Ferè idem decernit *Innocentius III.* Archiepiscopo Bracharensi rescribens, & refertur in Cap. *consilium, de observatione jejunij*: ubi dum carnes die Sabbati prohibet, ait, Sic tamen, quod debilibus, & infirmis periculum non emergat. Et idem colligitur ex eodem, in Cap. *cum ad monasterium, de statu Monach.* ubi inquit: Debiles & infirmi, quæ necessaria fuerint sibi, tam in carnibus quam in aliis, recipiant competenter. Quare nostra Regula idem quoque statuit de debilibus, & infirmis; ubi duo genera hominum designat, quibus esum carnium concedit, scilicet, infirmorum, & debilium: illis autem concedit pro reparatione sanitatis, istis vero pro reparatione virium. Quis vero sit debilis & infirmus dicendus, oportet ut aperiamus.

Cap. consilium *de observatione jejunij.*

Cap. cum ad monasterium, *de statu Monachorum.*

DV-

DVBIVM III.

Quibus ex causis carnibus vesci liceat? ubi qui sint dicendi infirmi ac debiles, explicatur.

INfirmitatem aut debilitatem solum ad esum carnium, & non aliam causam sufficere, nuper dicebamus. Quare nobis explicandum restat, quid *infirmitas*, vel *debilitas* sit?

Modestinus l. 1. ff. de adititio edicto. Modestinus jurisconsultus in *lib. 1. ff. de adititio edicto*, Morbus (ait) est habitus cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus ad id faciat deteriorem, cujus causa nobis natura sanitatem ejus corporis dedit. Hoc Modestini responsum refert Gellius *lib. 4. noctium Atticarum Cap. 2.* & dicitur morbus, teste Archid. in *C. legitima de appellationibus in 6.* quia interdum mortem pariat.

Quid sit morbus?

De *debilitate* verò variè juris interpretes loquuntur. Alii illum debilem appellant, cujus manus abscissa fuit, ut patet ex *Cap. 2. de Cleric. ægro, & debili*: ac proinde qui officio alicujus membri impeditur, *debilis* appellatur. Alii verò infirmitatem ac debilitatem pro eodem usurpant, ut patet in *l. servum, de Verborum oblig. l. una de officio Consulis*, & *l. sicut, in fine ff. ex quibus causis major.* At quamvis aliquando morbus pro debilitate, vel è contra accipiatur, ut prædicta jura fatentur: tamen quando in aliqua lege junguntur hæc duo, *infirmitas*, & *debilitas*, aliquid amplius in uno, quam in alio latet: ut patet ex *Rubrica de clericis ægrotis, & debilibus.* Si enim debilitas nihil aliud esset, præter ægritudinem, frustra diceretur de ægrotis & debilibus. Quare, cum debilitas & infirmitas diversa sint, oportet, ut aperiamus, quid unaquæque earum sit. Quæ Philosophia non à juris prudentium responsis, sed à medicæ artis professoribus mendicanda est.

Cap. 2. de clerico ægro, & debil. l. servum ff. de Verborū obl. l. una. C. de officio Cons. & l. sicut in fine ff. ex quibus caus. major.

Morbi ex Galeno descriptio.

Morbus est affectus præter naturam lædens operationes sensibiliter, ut refert Galenus *lib. de differentiis morborum Cap. 2.* & *1. lib. methodi medendi*, & *lib. artis medicæ*, & *ibidem* omnes Expositores. Dicitur, quod, lædat sensibiliter: quia in aliquibus contingere solet aliquando quædam neutra dispositio: quia tamen per illam non læduntur sensibiliter opera, sive naturalia, sive animalia, sive vitalia: dispositio illa morbus non dicitur. Morbus idem est, quod ægritudo sive infirmitas, ut omnes medici fatentur.

Debilitatis ex eodem descriptio.

Debilitas idem est, quod imbecillitas apud medicos: imbecillum vero, testante Galeno *de differentiis Symptomatum Cap. 4.* est quod vix, vel ægrè, & longo tempore fit: ubi videtur Galenus inter genera Symptomatum, sive accidentium morborum, imbecillitatem enumerare. Sed quia in aliquibus contingit imbecillitas citra id, quod præcesserit morbus, saltem sensibilis, ut in quibusdam correptis atrophia, seu corporis resolutione: oportet amplius quid propriè imbecillitas sive debilitas significet, investigare.

Corpora neutra, quæ sint?

Per debilitatem igitur intelligere debemus, corporis & actionum ejus languorem, & imperfectionem: veluti se haberent corpora, quæ à medicis dicuntur *neutra*, quæ sunt media inter corpora sana, & ægra: quoniam non habent illam perfectionem actionum, quæ sanis debetur, neque illud actionum vitium, quod corpora ægra; sed medio modo se habent, & ideo dici solent debilia, languida, corpora lapsa, sive neutra. Sunt autem ista corpora, teste Galeno *lib. artis medicæ Cap. 6.* in duplici differentia: nam alia sunt neutra decidentiæ, alia convalescentiæ. Decidentiæ illa corpora neutra dicuntur, quæ sunt paratissima ad ægrotandum: quæ licet actu non ægrotent, habent tamen tantam debilitatem, ut ex qualibet minima occasione statim morbis ac infirmitatibus corripiantur, tanquam illis maximè obnoxia.

Hæc sunt duplicia: alia neutra decidentia, alia convalescentiæ, & quænam sint talia.

Alia sunt corpora neutra convalescentiæ, in quibus licet jam cessaverit ægritudo, debilitas tamen, ratione morbi præcedentis, & evacuationum, & aliorum remediorum, quæ pro extirpatione morbi à medicis fuêre applicata, adhuc præsens est, ita, ut si non optimè regantur ac gubernentur, non solum in victus ratione, sed etiam in aliis, facillimo negotio de integro in morbum incidant. Ita de duplici hac imbecillitate loquutus est Galenus *lib. artis medicæ ut supra*, & *ibi* Expositores omnes. Fit ergo ex his, imbecillitatem medium quoddam esse inter sanitatem & ægritudinem, & hanc duplicem esse, aliam, quæ est dispositio ad morbum, & quæ minatur illum: aliam verò, quæ ex transacto morbo in corpore remanet. Regula igitur in duobus casibus esum carnium concedit. Primus est pro infirmitatum remedio: nam hæ convenienter absque indulgentia carnium curari non possunt. Concedit etiam pro imbecillitatis aut debilitatis reparatione, tam in debilitate decidentiæ, quam convalescentiæ: ut & illa ad ægritudinem non perveniat, & morborum principiis obvietur, ne cum mala pet longas convaluerint moras, sero (ut alter dixit) medicina paretur: hæc verò ita adjuverut, ut pristinæ vires reparentur, & pericula relabendi in morbum de medio tollantur.

Debilitas est ens de fu quod dam inter sanitatem & ægritudinem. Duplex debilitatis genus.

In his verò maxima cum consideratione Prælatis procedendum est. Nam cum hæc sit ex præcipuis nostræ Regulæ observantiis, curari summopere debet, ut potissimum inter alias observetur. Olim verò in Regula *Alberti* hac cautione erat statutum, ut solum carnes nimis debilibus concederentur, quod fortè ob eam rationem factum existimo, ne (scilicet) quæ est hominum (natura inclinante) proclivitas ad credendum, vel suspicandum majores de se necessitates, quam revera eis insint, ex qualibet debilitate leviter moverentur ad esum carnium procurandum. Hac igitur de causa addita est ab *Alberto* illa particula (*nimia*) quam *Innocentius* de medio sustulit: quia nimia debilitas nihil aliud est, quam morbus & ægritudo. Ipse verò solum posuit (*debilitatem*) ut distingueret inter *debilitatem*, & *infirmitatem*, in sensu quo supra diximus: ut tollerentur scrupuli Fratrum, quibus angi possent, an debilitas nimia, media vel parva esset.

Oportet ergo, ut maturè esus carnium concedatur, & consulto medico, ubi de infirmitate probabiliter dubitatur, fiat. Nam quando infirmitas evidenter apparet, opus medico non est. Neque oportet, debilitatem quamlibet statim carnibus curare: cum jus, & ova multis sæpe sufficiant. Recolenda sunt, quæ ex Antonino *Dubio primo hujus Cap.* adduximus: maximè verò illud, quo monet, ne quis facilè se ægrotum aut debilem credat, ut carnium esu fruatur. Hos acriter reprehendit D. Bernardus in

Apologia ad Guilielmum Abbatem, his verbis: Ajunt enim, incolumes ac validos juvenes conventum solere deserere, & in domum se infirmorum, qui non sunt infirmi, collocare, & carnium esu (qui vix ægrotis duntaxat, & omnino debilibus, ex Regulæ discretione, pro virium reparatione conceditur,) non quidem corporis infirmitatis ruinas reficere pro incommodo, sed carnis luxuriantis curam perficere in desiderio. Quid hoc ignaviæ est, prandiis incubare longioribus, aut nudum molli volutari in lecto? O boni milites, sociis in sanguine & cæde versantibus, vos, aut cibos diligitis delicatos, aut somnos capitis matutinos? Et infra: Delicata nimis medicina est, prius alligari, quam vulnerari: membrum non percussum plangere, & necdum suscepto ictu, admovere manum: fovere unguento, ubi non dolet: emplastrum adhibere, ubi scissura non est. Sic Macarius vixit: sic Basilius docuit: sic Antonius instituit: sic Patres in Ægypto conversati sunt. Hactenus Divus Bernardus.

IN TEXTV Ibidem.

Et quia vos oportet frequentius mendicare itinerantes: (ne sitis hospitibus onerosi) extra domos vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus &c.

HÆc verba denuo in mitigatione ab *Innocentio IV.* addita sunt, quibus concedit, ut itinerantibus Fratribus sumere liceat pulmenta cocta cum carnibus: cujus permissionis Regula rationem reddit, ne recipientes Fratres solicitudine quærendi, ac parandi eis cibos graventur: & ideo eis tales cibi conceduntur, qui facilè apud omnes inveniuntur, qualia sunt pulmenta cum carnibus cocta. Præterea circa illa verba: *Et quoniam vos oportet frequentius mendicare itinerantes*; Dubitatur, an illud verbum (*oportet*) vim habeat præcepti, an verò tantum significet condecentiam quandam, & honestatem: & sic tantum sit consilium?

Utrum verb. *oportet* præceptum, an consilii indicet.

Respondeo, quod, quamvis verbum illud (*oportet*) secundum probabiliorem sententiam præceptivum sit, ut *supra in præfationibus Dub. 7.* adducebamus: tamen hic ex adjectis quasi honestatem quandam, & condecentiam status significat: quasi dicat: Quoniam vos paupertatem strictissimam profitemini, oportet eam ut plurimum itinerantes in mendicando observare. Et licet de mendicitate expressè tantum hic decernatur: tacitè verò ut pedites itineremus, ex mente Regulæ colligi videtur: quia nunquam equitantes mendicare consueverunt: & præterea, quia maximè modus iste itinerandi paupertati convenire dignoscitur. Neutrum verò Regula præcipit, sed tantum monet: idque non semper, sed frequenter debere fieri commendat. Propter hanc etiam mendicitatem permittit Regula, ut edere pulmenta liceat, ne nos pauperes, onerosi, ex diversitate victus hospitibus fiamus.

Dices, quare Regula non permisit, ut comederent de omnibus quæ fratribus apponerent, quia hoc videtur major perfectio, cum id Christus Dominus Apostolis itinerantibus præceperit, ut ederent quæcunque illis apponerentur: & ita Divus Franciscus 3. *Cap. sua Regulæ* propè finem, suos fratres per mundum euntes monet, ut secundum sanctum Evangelium, de omnibus cibis eis appositis liceat manducare.

Respondetur, quod illa à Domino nostro JESU Christo in Evangelio Apostolis prædicaturis in mundo, præscripta forma, non præceptum, sed indulgentia (necessaria tamen pro ratione status) fuit. Nam ut optimè D. Bonaventura in *Apologia pauperum, in 2. responsione 2. particula art. 1.* observat: Quia discipuli pauperes erant, & laboriosis prædicationis exponebantur discursibus, ne pro penuria, & difficultate laboris in seipsis deficerent, vel pro diversitate victus onerosi redderentur susceptoribus ipsos, hujusmodi fuit eis à Domino forma præscripta, tam piè, quam provide, ut & aliis condescenderent, & injunctum sibi laborem viriliter tolerare valerent. Ex quo elucescit, quod tam abstinere à carnibus & vino, quam his uti, fieri possit perfectè & imperfectè: sed unum (scilicet abstinere) fit perfectè ex proprio genere: alterum verò ratione circunstantiæ adjunctæ, cum ex se magis declinet à perfectione. Hæc Bonaventura. Ex quibus colligitur, de se perfectius esse, servare abstinentiam à carnibus, quam eis uti. Et licet prædicantibus Apostolis, tum ne recipientibus ipsos fierent onerosi, tum ob prædicationis laborem, permissum sit carnibus uti: ad hoc tamen itinerantibus fratribus Regula tantum concessit uti pulmentis, quia non erat tantus labor, ac prædicatio Evangelii: & hoc sufficiebat, ut Fideles eorum susceptione non gravarentur: quod magnæ fuit perfectionis.

Abstinere à carnibus de se perfectius est, quam eis uti.

Quid verò sibi Regula velit pulmenti nomine, non facilè est apertè discernere: pendet enim hujus declaratio ex notione propriæ significationis hujus vocis, *Pulmentum*, quæ non apud omnes eodem modo sonat. Pulmentum ergo à pulte apud Varronem *lib. 4. de lingua Latina*, & alios probatos authores invenies. Puls autem (eodem Varrone teste) sic dicta est; quia ut scribit Apollodorus, sonitum edit, cum ferventi aqua insp ergitur: quod insinuat his verbis: *Pultem esse cibum ex farre comminuto, in farinam redactum, & aqua respersum (que es lo que dezimos en Romance puchas, o poltadas.)* Hoc cibo quondam Romani pro pane utebantur. Plinius *lib. 18. Cap. 8. Pulte autem* (inquit) *non pane vixisse longo tempore Romanos, manifestum est.* Unde & pulmentaria hodie dicuntur, sive puls ipsa, sive quodvis aliud ad modum pultis confectum. Huic pultis acceptioni faver Alexander ab Alexandro *lib. 3. dierum genialium Cap. 11.*

Quid nomen pulmenti sit investigatur.

Secundo apud Athenæum, *lib. 14. Dipnosophistarum*, puls non pro cibo liquido, (quem prædicti Authores pultem seu puchas vocant:) sed pro solidiori quodam cibo potius accipitur. Ejus verba referam: *Pultis* (inquit) *meminit sic Alexis.*

Varia ejus species.

Jam Pyaniam pultem prabebit, chidron candidum & cereum fructum.

Est autem Pyanion, ut inquit Sosibius, omnium seminum congeries, in passo cocta. Et paulò post: *E fresis leguminibus puls.* Sentit igitur Athæneus ex mente Sosibii & aliorum, pultem esse cibum ex variis seminibus vel leguminibus fractis, & coctis

coctis, in qua significatione pulmentum apud Plautum in Aulul. invenies, dum inquit:

Pulmentum pridem eidem eripuit milvus,
Homo ad Prætorem plorabundus devenit.

Unde solidior cibus pulmentum erit. Nam si puls esset ex aqua, & farina tantum, unguibus milvi rapi non posset. Pulmentum igitur est quodvis olerum sive leguminum genus, quod cum carnibus elixari solet.

Tertiò modo sumitur pulmentum latiori significatione: non enim certum cibum ex herbis, vel ex pulte, aut farina confectum, sed utrumque horum comprehendit. Et sic ejus significatio secundum varietatem materiæ, ex qua fit, attendi debet. Unde Isidorus lib. 2. *Etymolog.* Cap. 2. *Pulmentum à pulte dicitur: sive enim sola puls, sive quid aliud participationis sumatur, pulmentum dicitur.*

Quarta ratione pulmentum etiam sumitur pro jure, sive pro re potabili, teste Ambrosio Calepino, verbo (*pulmentum.*) Quod ex Apuleio confirmat. Quam etiam significationem apud Cælium Rodiginum *lib. 9. lectionum antiquarum Cap. 16.* post medium, approbatam invenies. In proposito ergo pulmenta cocta cum carnibus intelliguntur, legumina, aut olera ipsa, quæ simul cum carnibus elixari solent, sive quodcunque aliud, dummodo carnes non sint, neque ex eis sementinam originem trahant, quòd tamen cum carnibus decoqui soleat: sub quo etiam pulmento jus ipsum comprehenditur.

Quali pulmento, juxta Regul. vesci liceat.

Vid. noss. Hieron. Gratian⁹ in *discipl. Reg. p. 3. C. 7. §. 3.* Lezana *Tom. 5. in Mari mag. Carm. nu. 141.* Anton. à Spiritu S. *loc. supra cit. n. 426* juxta editionem Colon. qui etiã citat noss. Francisc. à S. Elia & Stephanum à S. Paulo; ac tandem in fine subjungit ex Constitut. Congreg. noss. Italicæ *1. p. cap. 9. nu. 9.* hæc verba: *Hortamur Fratres nostros extra claustra justa de causa vescentes, ne facile utentur indulgentia Regulæ, qua pulmenta cum carnibus cocta permittit, ne sint hospitibus onerosi, quod efficient, si levi de causa non credant, se fore hospitibus onerosos.*

Quid nomine pulmentis fit intelligendum.

Extra domos vestras.

Nec sufficit, manducare extra domos, nisi in aliquo itinere sint, ut pulmenta edere liceat: quia hoc tantum concessum est pro itinerantibus. Tandem colligo, quod licet hospitibus onerosi Fratres non sint (quia alias divites sunt) prædicta concessione uti apud quoscumque possint: quia licet cesset ratio Regulæ in particulari, non tamen cessat in universali: & hoc sufficit ut possint pulmenta cum carnibus cocta edere.

DVBIVM IV.

An possit dari aliquis casus, in quo, si quis carnibus sine necessitate utatur, peccet mortaliter?

NOn quærimus hic de eo, qui ex contemptu hoc Regulæ præceptũ transgreditur, de quo satis clarè constat peccare mortaliter: sed solum, dubium est de eo, qui quidem ob delectationem, sive aliam non justam causam carnibus vescitur. Et ut breviter hanc dubitationem resolvam, primò certum est, eum qui carnes sine scandalo ederet, non peccare mortaliter: quia cum hoc Regulæ statutum de se solum obliget ad venialem culpam, & ex alia parte non appareat aliquod aliud præceptum, sine dubio ejus transgressio non est de genere lethalis culpæ: quamvis non dubitem, intra venialem offensam, esse gravissimam, & dignam, ut à Prælatis severè & acriter puniatur.

Secundò certum est, eum, qui hoc præceptum cum scandalo transgreditur, peccare mortaliter. Pro quo notandum est ex D. Thom. 2. 2. *q. 43. art. 1.* scandalum esse duplex, aliud activum, aliud vero passivum. Scandalum activum nihil aliud est, quam dictum vel factum minus rectum, (hoc est, malum vel habens speciem mali,) præbens alteri occasionem peccandi. Et hoc scandalum nulla ratione licet. Alterum est scandalum passivum, quod tantum est in eo, qui scandalizatur: & dici solet scandalum Pharisæorum, ut docet idem D. Thomas *ut supra art. 2.* Est autem discrimen inter utrumque scandalum, primò, quia scandalum activum semper sequitur ex aliquo peccato: scandalum verò passivum ex opere ex se bono.

Scandalum duplex, activum & passivũ.

Præterea, quia scandalum primo modo (scilicet activum) semper tenemur vitare: ac proinde si ex nostris dictis aut factis pessimis sequatur, erit peccatum mortale, nisi quis omittat ea, ex quibus scandalum sequitur. Secundo verò modo, nempe, propter scandalum passivum, hoc est, propter peccatum scandalizati vitandum, non sunt dimittenda quæcunque bona, sed tantum ea, quæ sunt de consilio, aut bona temporalia non necessaria, ut tradit D. Thomas *art. 7. & 8. ejusdem quæstionis.* Nec tamen semper omittenda sunt ea, quæ sunt in consilio, & temporalia bona: sed tantum quando alius sumit occasionem peccandi ex bono opere non habente speciem mali, ex infirmitate, hoc est, ex passione & ignorantia. Nam quando ex malitia occasionem sumit, nulla ratione tenetur aliquis dimittere bona, aut temporalia, aut spiritualia etiam ea, quæ in consilio sunt, ut ex doctrina D. Thom. *dicta q. 43.* apertè colligitur.

Quando & quomodo vitanda?

Constat igitur ex dictis, quando erit peccatum scandali, edere carnes sine necessitate, aut cum illa. Nam quoties quis absque morbo, vel debilitate aliqua, transgreditur hoc præceptum, & ex ejus transgressione aliis Fratribus præbetur occasio, ut si quoque passim, & sine justa causa carnibus utantur: tunc, qui cum hoc scandalo carnes manducat, peccat mortaliter: quia ex hac comestione datur aliis occasio ruinæ spiritualis, & solet esse in causa, ut rigor ac Regularis disciplina tepescat: quod respectu totius Religionis maximum damnum & scandalum est. Hoc scandalum activum appellatur, & omnes Authores ob prædictam rationem affirmant, Carthusienses cum scandalo carnibus vescentes peccare mortaliter.

Quando quis carnes comedẽdo peccet lethaliter?

Qui verò cum necessitate carnibus vesceretur (maximè si necessitas urgens sit) etiam si alii scandalizentur, non peccat mortaliter. Hoc dictum pugnat contra communem sententiam Authorum, quos adduximus *Dubio primo hujus capitis* qui asserunt, Carthusiensem, etiam in extrema necessitate constitutum, cum scandalo carnibus vesci non posse: cujus contrarium nobis verius videtur, nempe, quod si Carthusienses tenentur in tali casu necessitatis, ut ipsi affirmant, carnibus vesci, abstinere non debeant

propter scandalum, imo etiam si non teneantur, dummodo eis licitum in tali casu sit, vesci carnibus. Quia cùm præceptum sit tuendi propriam vitam, non omittenda ejus adimpletio, ratione scandali passivi, quod tantum obligat, ut ratione ipsius temporalia bona solum, & ea, quæ sub consilio sunt, prætermittantur. Eodem modo judicandum est de eo, qui inter nos cum scandalo aliorum passivo carnes edit: quia non video, quare abstinere teneatur, si alias ei pro infirmitate, vel debilitate reparanda necessariæ sint. Dixi (*urgens necessitas.*) quia certè non quælibet necessitas sufficeret: quia cum subvenire huic non sit sub præcepto, & ex alia parte sequatur pusillorum ruina, charitate id postulante, prætermittendus tunc est carnium usus. Maximè verò inter sæculares hæc doctrina locum habet, qui facilè ad scandala proni sunt. Quare coram eis maxima cum cautela carnibus utendum est.

IN TEXTV

Ibidem.

Sed & carnibus supra mare vesci licebit.

HÆc etiam exceptio communi Regulæ, quæ de carnium abstinentia ab *Alberto* tradita est, addita fuit ab *Innocentio IV.* in mitigatione, nempè, quod *supra mare carnibus vesci liceat.* Quod ideo permissum videtur, quia navigantes, si hoc remedio non uterentur, ægrè possent sustentari.

Dubio satisfit incidenti

Circa hanc partem dubitabit aliquis, an in locis maritimis, in quibus Religiosi degunt, si aliquando recreationis gratia mare ingrediantur, possent hac Regulæ concessione uti? Respondeo, id minimè licere: quia licet Regulæ verbis hoc factum consonet, apertè tamen est contra ejus intentionem & mentem, quæ plus inspicienda est, quam verba: quia finis sive mens Regulæ id permittentis fuit, quia pleruncque supra mare alia à carnibus alimenta non inveniuntur: finis autem hic omnino cessat tam in particulari, quam in communi in nostro casu: & sic cessat etiam permissio, quæ ob hunc finem data est. Nec utcunque navigantibus hoc permittitur, sed tantum illis, qui supra mare. Quare in fluminibus navigantes hac indulgentia non gaudent: quia in illis etiam cessat ratio hujus permissionis.

Dubitari tamen potest, an in mensis Episcoporum vel Principum, vesci carnibus liceat? Cujus affirmativa pars videtur communiter recepta, & non obscurè insinuatur in glossa in *Cap.* Carnem, *de consecratione, distin.* 5. ubi hic habetur: *Si autem à Principe, vel Episcopo invitentur, pro benedictione & obedientia degustare non metuant.*

Gloss. in C. Carnem de consec. d. 5.

Hæc tamen sententia, licet communiter apud Religionum vulgus circumferatur, sine fundamento, & sine ratione excogitata est. Nam neque in jure fundata, neque ab Authore aliquo gravi approbata hactenus reperitur, ut ne ipsa quidem *glossa* in dicto Capitulo *carnem* eam teneat. Nam tantum ibi docet, Gratianum prætermisisse in dicto Capitulo *Carnem* prædicta verba, nempe, *Si autem à Principe, vel Episcopo invitentur*, quæ habebantur apud Fructuosum Episcopum, ex quo desumptus fuit ille textus. Quare, cum illa verba in corpore juris non sint inserta, nullam facultatem, nec licentiam monachis præbent: præsertim cùm post *Pium IV.* & *Pium V. Gregorium XIII.* (ut habetur in initio decreti) declaraverit, ut omnia in corpore decreti emendata, & apposita, quàm diligentissimè retineantur, ita, ut nihil addatur, aut immutetur. Imò, quamvis dicto Cap. *Carnem*, illa verba adderentur, ridiculum esset, existimare, ex vi illius capitis, nobis contra nostram Regulam indulgentiam concedi, apud Episcopos vel Principes comedendi Carnes. Primò, quia si addantur in *dicto Cap.* omnia verba à Gratiano prætermissa, invenies etiam monachis longè proficiscentibus concedi, ut ex volatilibus sustententur: unde simili ratione nobis id liceret, quod est absurdum.

Vid. supra cit. Anton. nn. 428. & seqq. & Comment. noss. Frã-

His addo, quod etiam extra Refectorium nobis liceret Carnium esus. Nam hoc permittitur monachis in Cap. *Cum ad monasterium* §. in Refectorio, *de statu monachorum*: imò, & in camera vel mensa Prælati, ut *ibidem* etiam decernitur. Quæ omnia absurda, & ridicula sunt. Secundò, quia etiam si daremus id expresè decerni in *dicto Cap. Carnem*; nullatenus nobis liceret, ea solum facultate carnes manducare. Quia decreti decisiones tantum sunt, veluti quidam canones vel admonitiones, nec sunt (ut ita loquar) præcepta, aut decreta jure observanda. Quare non liceret eis contra Regulam uti. Et quamvis adhuc sint vera Pontificum decreta, quæ Carnium esum, vel extra Refectorium monachis, vel apud suos Prælatos indulgent, (ut habetur dicto Cap. *Cum ad monasterium*:) loquuntur tantùm de monachis nigris, circa quos olim antiqua juris decreta ferebantur. Et sic non sunt extendenda ad alias Religiones. Quis enim audeat dicere, Carthusiensibus, Camaldulensibus, aut Fratribus Minorum Ordinis vel aliis, quibus ex vi suæ Regulæ, vel Constitutionum, esus carnium interdicitur, licere apud Episcopos vel Principes carnibus vesci? Loquuntur igitur ea jura (siquæ sunt) de monachis Regulam D. Benedicti observantibus. Et adhuc etiam de his, aut aliis in nullo textu juris cautum invenitur, eis licere apud Episcopos vel Principes comedere Carnes. Quod si alicubi hoc reperiatur, hoc ideo à jure olim permittebatur, quia Episcopi tunc Religionibus præsidebant. Quare ut Prælati in esu carnium poterant cum monachis dispensare, ut habetur in dicto Cap. *Cum ad monasterium.*

Quid ergo dicendum erit, si Episcopus, vel Princeps aliquis speciale privilegium habeat à summo Pontifice in prædicto casu concessum? Licebitne tunc sine transgressione Regulæ, hujusmodi privilegio gaudere? Respondeo, adhuc mihi dubium esse, id licere: quia nunquam Pontifices specialibus his privilegiis intendunt, sanctissimis Religionum Regulis in Ecclesia approbatis derogare.

Finis tertiæ Partis.

PARS

PARS QUARTA, QUÆ EXHORTATIONES PRÆCIPUE CONTINET.

Dixi, hanc partem exhortationes præcipuè continere, quia interdum in ea aliqua præcepta traduntur, ut patet de duobus illis, quæ de labore manuum, & de silentio tractant, ut suis locis etiam dicemus.

CAPVT XIII.

Exhortatio de spiritualibus armis.

TEXTVS.

QVia verò tentatio est vita hominis super terram, & qui piè volunt vivere in Christo, persequutionem patiuntur; Adversarius quoque vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret; omni solicitudine studeatis, indui armatura DEI, ut possitis stare adversus insidias inimici. Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus sanctis. scriptum est enim: Cogitatio sancta servabit te. Induenda est lorica justitiæ, ut Dominum DEVM vestrum ex toto corde, & ex tota anima, & tota virtute diligatis, & proximum vestrum, tanquam vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: sine fide enim impossibile est placere DEO. Galea quoq; salutis capiti imponenda est, ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus, quod est verbum DEI, abundanter habitet in ore, & in cordibus vestris: & quæcunque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.

GLOSSA I.

Legend. Commēt. nost. Frācisc. *in hoc Regul. Cap.* qui enucleatius, uberiusque cuncta exponit multis adductis SS. PP. documentis. itē Joan. à JESU MARIA

CHristi milites, deposito corporis animique torpore, ad vitiorum spiritualem pugnam, manendo in castris vigilando in acie, Regula hic scripturæ variis testimoniis conatur excitare: ut in procinctu constitutos inimica hostium subversio prævenire non possit: & sic armis munitos in bellum prodire nos monet. De hac militia spirituali plura apud Patres scripta reperiuntur, præcipuè apud Divum Chrysologum *sermone* 12. 13. 14. & 15. & 28. apud Antoninum 3. *parte summæ titulo* 4. *cap.* 1. *parag.* 3. 4. & 5. apud Laurentium Justinianum, in opusculo *de interiori conflictu*; Cassianum, *libro* 4. *capite* 38. & *collatione* 7. *Cap.* 5. & apud alios passim, ex quibus omnibus Cassianum de armis spiritualibus *dicta Collatione* 7. loquentem hic audiemus.

Hujus Centurionis qualia arma sint, vel ad quæ præliorum exercitia præparentur, audi beatum Apostolum prædicantem (2. Cor. 10.) *Arma* (inquit) *militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia DEO.* Dixit qualia sint, id est, non carnalia, nec infirma, sed spiritualia, & potentia DEO. Deinde ad quos sint exerenda, conflictus consequenter insinuat. Ad destructionem munitionum cogitationes purgantes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam DEI, & captivantes omnem intellectum in obedientiam Christi, præparati ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit primum vestra obedientia. Quæ omnia sigillatim præcurrere sicut necessarium, ita etiam alterius temporis est.

Armorum tantummodo volo vobis genera proprietatesque patefacere, quibus nos quoque si volumus bella Domini præliari, & inter Centuriones Evangelicos militare, accincti jugiter debemus incedere.

Sumite (inquit Ephes. 6. *Cap.*) *scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Fides est ergo, quæ excipiens ardentissima libidinum tela, metu futuri judicii, & cælestis Regni credulitate mortificat.

Cap. 29. 30. & 31 *Disciplina monastica & Annotationes* Anton. à SpiritusS. *in hunc textum,* qui *num.* 436. ad illa verba: *Verbū Dei abūdanter habitet in ore & in cordibus vestris.* docet Car-

melitas ex Regulæ quasi præcepto ad munus prædicationis & disseminationis verbi Dei obligari, pro quo citat nostros Joan. Bachonium, Joan. Soreth, Hieron. Gratian. quos refert etiam ac sequitur P. Lezana *Tom. 5. in mari magn. Carm. n. 143* licet alii, ut cit. Joan. à JESU MARIA & Franc. hunc locum exponant de communibus seu privatis colloquiis Religiosorum, ita ut Regula velit illa de-be re semper esse de DEO, rebusque divinis.

Et *loricam* (1. Thess. 5. inquit) *charitatis*. Ipsa nempe est, quæ vitalia pectoris nostri circundans atque communiens, letalibus perturbationum objecta vulneribus contrarios retundit ictus, nec ad interiorem hominem nostrum jacula diaboli penetrare permittit. Omnia enim suffert, omnia patitur, omnia sustinet.

Et galeam, Spem salutis. Galea munimen capitis est. Quia ergo caput nostrum est Christus, debemus istud semper spe futurorum bonorum, veluti inexpugnabili galea, in cunctis tentationibus ac persequutionibus communire: & principaliter fidem ejus illæsam atque integram custodire. Aliis enim membris truncatum quempiam licet debilem, possibile tamen est, utcumque superesse: sine capite verò nemini vel brevis vitæ spatium prorogatur. *Et gladium Spiritus, quod est verbum* DEI. *Penetrabilius namque est omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis*, dividens (scilicet) & abscindens quicquid in nobis carnale terrenumve reperierit. Quibus armis quisquis fuerit communitus, ab hostium semper telis ac depopulatione defensus, non ut captivus, ac subditus ad hostilem cogitationum terram constrictus, deprædantium vinculis abducetur, nec audiet per Propheram Baruch 3. *Quare inveteratus es in terra aliena?* sed quasi triumphator ac victor in illa, quam voluerit, cogitationum regione consister. Hactenus Cassianus; quibus optimè explicat arma spiritualia, de quibus in hoc Cap. mentio fit.

Ephes. 6. Hebr. 4.

CAPUT XIV.

De labore manuum.

TEXTUS.

De labore manuum Pach. à n. 35. usque ad 100. Basil. in Reg. fusi. Reg. 37. 38. 39. 40. & 42. D. Bene. Cap. 48. 57. & 66 Franc. c. 5. Reg. Soc. Jesu 3. p. c. 1. n. 6. Reg. Monach. c. 17

FAciendum est vobis aliquid operis, ut semper Diabolus inveniat vos occupatos: ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis in hoc B. Pauli Apostoli magisterium pariter & exemplum, (in cujus ore Christus loquebatur) qui positus est à DEO prædicator, & DOCTOR gentium in fide, & veritate; quem si sequuti fueritis, non poteritis aberrare. *In labore*, inquit, *& fatigatione fuimus inter vos, nocte, & die operantes, ne quem vestrum gravaremus: non quasi non haberemus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, Quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes: iis autem qui hujusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino IESU Christo, ut cum silentio operantes, panem suum manducent. Hæc via sancta est & bona: ambulate in ea.*

GLOSSA II.

Vid. Joan. à JESU MARIA Oper. Tom. 2. Cap. 32 part. 2. Disciplina monastica & Franciscæ à S. Elia copiosa & præclara in hoc Cap. Reg. Commet.

IN *hoc Capite* labor manuum præcipitur, ac variis Scripturæ testimoniis commendatur. Circa hoc *Cap.* statim dubium se offert, quare Regula, cum laborem manuum & silentium præcipit, pro horum confirmatione tot Scripturæ testimoniis utatur: cum alia majora præcepta simplici stylo supra tradiderit? Respondeo: Quod quamvis labor manuum ferè in omnibus Religionum Regulis decernatur, maximè tamen solitariam vitam agentibus erat necessarius: & ideo tantopere à Regula commendatur, ita, ut sapientissimus Waldensis noster quem *supra in Cap. 8.* de non habendo proprium retulimus, quatuor nostræ Regulæ potissimum institutiones designet: nempe, meditari in lege Domini intra proprias cellas: laborare manibus: silentium horis statutis servare: & penuriam vi-ctus. Hæc igitur ratio est, quare labor manuum ita strictè præcipiatur. Quibus alia ratio addi potest: quia labor hic præcipuè ad cellæ jugem custodiam ordinatur. Quare, cum Regula nos manere in cellis semper præcipiat, rectè tanquam medium necessarium ad consequendam hanc cellulæ custodiam, laborem manuum in *hoc Cap.* præscribit: de quo *infra* latius dicemur.

Circa hunc Regulæ articulum, multa de manuum labore adduci possent: omnia tamen ad hæc erunt reducenda. *Primum*, ut disseramus, quam usitatus ac commendatus semper in Religionibus fuerit hic labor. *Secundum*, quid nomine hujus laboris intelligatur; & qui labores maximè Religiosis congruant. *Tertium*, quo fine in Religionibus labor manuum fuerit introductus. *Quartum* de modo laborandi, ut sine distractione, & dispendio spiritus fiat. *Ultimum*, qui sint, qui in Religionibus laborare manibus teneantur.

DUBIUM I.

A quo tempore in Religionibus corporales labores fuerint in usu.

IN primis ab Apostolorum tempore, qui verè Religiosi fuerunt, hoc exercitium fuisse in usu, stolorum Ab Apo-

Paulus

temporibus fuit semper usu receptus labor manuum inter Monachos & Eremitas, aliosque Religiosos.

Paulus Apostolus suo exemplo & doctrina 2. *ad Thess.* 5. & *alibi* docet. Imò & de omnibus Apostolis Hieron. *ad Rusticum* idem testatur : cui consonat Benedictus *in Regula capitulo* 48. cum ait : *Tunc vero monachi sunt, si de labore manuum suarum vivunt, sicut & Patres nostri, & Apostoli.* Hæc Benedictus. De omnibus etiam Apostolis loquutus est Paulus 1. ad Cor. 4. *Laboramus operantes manibus nostris.*

Deinde in primordiis fidei, pauci illi, probatissimi tamen monachi, qui à B. Evangelista Marco (qui primus Alexandriæ Pontifex præfuit,) normam susceperè vivendi, maximo fervore, (ut Cassianus *lib.* 2. *instit. Cap.* 5. ex historia Ecclesiastica refert) scripturarum divinarum lectionibus, orationique, & operibus manuum diebus ac noctibus incubaban. Inde Anachoretarum Princeps, Paulus, & Antonius, qui prædictis temporibus floruêre, manibus diu noctuque laborarunt.

Hoc tradunt SS. PP. monumenta aliæque Ecclesiasticæ Historiæ.

De Paulo Cassianus *lib.* 10. *Cap.* 24. narrat, quod, cum per anni spatium antrum ejus opere manuum suarum fuisset impletum, id, quod solicita cura laborarat singulis annis, supposito igne concremabat. De Antonio Hieronymus in ejus vita, illum assiduè manibus laborasse tradit. Hocque fuisse tam Anachoretis, quam Ægypti Monachis exercitium usitatissimum, variis in locis Cassianus refert, præcipuè verò *lib* 2. *institutionum Cap.* 3. & *lib.* 5. *Cap.* 37. 38. & 39. Maximè verò *libro decimo* per totum, & demum *collatione* 24. *Cap.* 11. & 12. ubi docet, antiquos monachos maximè detestari ex Agape sustentari.

Est autem *Agape* nomen Græcum, quod Græcè idem, quod Latinè *dilectio* & *charitas*, sonat. Ac proinde translatum est, ut etiam significet quicquid in egenos, & pauperes erogatur : ut videre est apud Tertull. *lib. ad Martyres*, de his, qui in carcere detinebantur : apud Erasmum in *scholiis in Epistolam D. Hieronymi ad Eustoch.* & inter alios, pulchre apud Covarr. *Cap. ult. de testam. n.* 2. ubi vim ac proprietatem hujus nominis explicat. Cassianus verò *d. collat.* 24. & *collat.* 16. *Cap.* 14. per *Agapen* intelligit id, quod otiosis hominibus, & non laborantibus à quibuscunque tribuitur, ut notat Henriq. Chiquius in *annot. ad* Cassianum verbo (*Agape.*) Hæc obiter dicta sunt, ut unicuique sit facile advertere, apud illos Monachos nefas reputari, ex Agape sustentari.

Quid per *Agapen* intelligatur.

Quare D. Hieron. *ad Rusticum* ait : Ægyptiorum Monasteria hunc tenent morem, ut nullum absque opere, aut labore suscipiant. Et ut ad Regulas Patrum accedamus, in primis Pachomius, qui Regulam ministerio Angelorum suscepit à *num.* 35. *usque ad* 100. tam laborem, quam modum in eo à monachis servandum præscribit.

Omniū Religionum Regulæ ac Fūdatores manuum laborē suis assectis commendarunt.

Basilius quoque in suis *Regulis*, tam in his, quas fusius explicat, maximè *interrogatione* 37. 38. 39. 40. & 42. quam in his, quas compendio tradit, variis in locis studium hoc laborandi suis monachis commendavit, ita, ut maxima suæ Regulæ pars in operariis artificibus, & eorum instrumentis ordinandis, ac regendis versetur.

Divus Benedictus *Cap.* 48. *sua Regula* de opere manuum quotidiano, & *Capite* 57. de artificibus Monasterii statuit. Neque his contentus, deinde *Cap.* 66. in suis Monasteriis omnes artes mechanicas, si possibile esset, à Monachis optat exerceri.

Divus Augustinus integrum librum de opere Monachorum scripsit : & in sua Regula omnes tam rusticos, quam senatores ad labores invitat. Apud Carthusienses etiam Regulam sive statuta, hoc esse præceptum, manifestè docet Divus Bernardus in ea Epistola, quam ad ipsos sub nomine, *Fratrum de monte DEI*, scripsit.

Nec Divus Franciscus hujus fuit observantiæ oblitus, cum laborem manuum in Regul. *Cap.* 5. constituat, & in suo testamento, *Laborent* (dicat) *fratres manibus : quia & ego manibus laborabam.*

S. quoque Fráciscus,

Et S. Ignatius suæ Societati hunc etiam manuum laborem *tertia parte suarum Constitutionum Capitulo primo num.* 6. commendavit. Nostra Regula tot antiquorum Patrum monumentis instructa, suo studio ad manuum laborem suos professores provocat, ut videre est in *hoc capit.* ubi Apostoli exemplo ac scripturæ testimoniis ad hoc studium invitat. Quæ autem sit causa, cur ita potissimum in nostra Regula hoc laborandi studium commendetur, ex sequenti Dubio fiet manifestum.

et S. Ignatius Soc. alumnis.

DVBIVM II.

Ad quem finem labor manuum in Religionibus commendetur.

SEcundum verò, quod examinare in *initio hujus Cap.* proposueramus, quem scilicet scopum tot Patres, qui uno consensu corporalem laborem Religiosis injungunt, habuerint, facilè erit ex eorum sententia elicere.

Primò igitur labor corporalis destinatus fuit ad quærendum victum. Unde primo homini dictum est : *In sudore vultus tui vescēris pane tuo.* Videndus est Cassianus *Collat.* 24. *Cap.* 11. & 12. & *lib.* 5. *Cap.* 37. 38. & 39. Constat enim, suis laboribus multos, imò ferè omnes Anchoretas, & antiquos Monachos victitasse : nec penuria quidem victus, (quia multis quotidiana parentum, vel aliorum præsidia non deficiebant,) sed potius majoris nuditatis, & paupertatis fervore, noluisse alienæ operationis agape, id est, eleëmo prisyna fulciri : ut scribit idem Cassianus *dict. Collat.* 24. *Cap.* 12. Quare proprium victum propriis sudoribus & laboribus acquirebant. Unde D. Hieronymus *ubi supra : Non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem.* Quasi doceat eos victum laboribus adquirere, non tam ob victum parandum, quam ob spiritualem profectum. Imò etiam D. Basilius, *ubi supra* suorum Monachorum laborem expresè ad victum parandum refert. Et denique D. Franciscus in *d. Cap.* 5. mercedem temporalem pro labore fratrum, dum in pecunia non sit, exspectare vult.

Ob quatuor potissimum causas hic labor fuit in Religionibus introductus : quarum prima victus acquirendi.

Secundò ordinatur ad tollendum otium. Quare *Eccl.* 33. dicitur : *Mitte servum tuum in operationem, ne vacet : multam enim malitiam docuit otiositas.* Vide Divum Bernardum ad Fratres de monte DEI : *Omnium autem tentationum, & cogitationum malarum, & inutilium sentina, otium est : summa etenim mentis malitia est otium iners.*

Altera otii vitādi.

Tertiò ordinari potest ad eleemosynas faciendas : & sic Paulus *ad Ephes.* 4. monet Fideles, ut laborent manibus : *ut habeant* (inquit) *unde tribuant necessitatem patienti.* Et de Monachis Ægypti docet D. Bernardus in *Epist. ad Fratres de monte DEI*, suis laboribus pauperes, & oppressos

Tertia eleemosynas faciendi. *Ephes.* 4.

Quarta ratio ardenti concupiscentiam. 2. ad Cor. 6.

pressos in civitate existentes sustentasse. Quod latius prosequitur Cassianus *lib.* 10. *Cap.* 22. ad concupiscentiam reprimendam, in quantum his laboribus maceratur corpus. Unde *secunda ad Cor.* 6. dicitur: *In laboribus, in jejuniis, in vigiliis &c.* Et has duas ultimas rationes, ob quas labor institutus dicitur, tradit Divus Basilius in *Regul. fusior. interrogat.* 37. *Cum non solum* (inquit) *propter corporis castigationem sit nobis utilis talis vitæ ductus: sed etiam propter dilectionem erga proximum: ut etiam debilibus fratribus per nos exhibeat DEUS sufficientiam juxta formam in Actibus Cap.* 20. *ab Apostolo datam, dum ait: Omnia ostendi vobis, quod sic laborantes oportet subvenire infirmis.*

Et denique labor manuum alios fines particulares respicere potest: præcipuè verò mansionem in cella, & quietem corporis, ac mentis: de quo fine memini, me dixisse in præfationibus, difficultate quarta. Et hic erat potissimus scopus, (ut ibi Cassiano teste adducebamus) ob quem Eremitæ laborem manuum consectabantur.

Quod verò hunc, & alios fines, & fructus hic labor respiciat, docet idem Cassianus *lib.* 10. *Cap.* 24. ubi loquens de Paulo Eremita, sic ait: *In tantum probans, sine opere manuum, neque in loco posse monachum perdurare. Neque ad perfectionis culmen aliquando conscendere: ut cum hoc fieri nequaquam necessitas victus exegerit: pro sola purgatione cordis, & cogitationum solliditate, ac perseverantia cellæ, vel acedia ipsius victoria & expugnatione, perficeret.* Hoc ipsum confirmat D. Bernardus in *Epist. ad Fratres de Monte DEI*: ubi, laborem manuum ad spiritualem profectum fuisse introductum, docet.

Legend. nost. Frā. cisc. qui otiositatis plurima atque gravissima mala uberrimè describit in cōment. hujus capitis Regul.

Communiter tamen & maximè is labor in Religionibus est commendatus ad fugiendum otium, & ejus damna declinanda. Sic in primis expressè Hieronym. *dict. Epist. ad Rusticum* docet: *Ægypti* (ait) *monasteria hunc tenent morem, ut nullum sine labore suscipiant, non tamen propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagentur permittiosis cogitationibus.* Eadem occasione motus D. Benedictus *Cap.* 48. *suæ Regulæ* laborem commendat, dicens: *Otiositas inimica est animæ: & ideo certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum.* Basilius ut *supra interrogatione* 37. inter alias rationes ad vitandam segnitiem, laborem præcipit: quamvis *interrog.* 42. pro præcipuo scopo hujus laboris, aliorum Fratrum indigentiam sublevare constituat. D. Augustinus pro laboris fine, otii fugam assignare videtur: dum in Regula ait: *Nullo modo decet, ut in ea vita, ubi senatores fiunt laboriosi fiant opifices otiosi.* De hoc argumento plura apud Cassianum *locis citatis* invenietis: potissimum verò *toto lib.* 10. ubi postquam præcedentibus capitibus, ex sententia Apostoli mala, quæ ex otiositate provenire solent, numeravit, demum *Cap.* 14. de Apostolo loquens, sic concludit: *Causas tantorum ulcerum, quæ de radice otiositatis emergunt, uno laboris salutaris præcepto curavit, ut peritissimus Medicorum, cæteras quoque valetudines malas eodem cespite pullulantes, sciens protinus extinguendas, origine morbi principalis extincta.* Hæc Cassianus.

Cujus, non abs re erit, aliqua alia breviter referre testimonia. Is enim dicto lib. 10. Cap. 8. sic ait: *Qua fiducia otiosis manibus gratis panem comedere audebimus, quem vas electionis, Evangelica solicitudine & prædicatione constrictus, sine opere manuum comedere non præsumit? sed in labore* (inquit) *& fatigatione, nocte & die laborantes, ne quem vestrum gravaremus.* Et in Cap. 9. *Nec tamen, se solum taliter inter eos conversatum fuisse, testatur, ne forte non magnæ generalis videretur hac forma, si ipsius tantum traderetur exemplo: sed etiam omnes, qui erant cum eo ad ministerium Evangelij deputati, id est, Sylvanum & Timotheum, qui hæc eadem cum eo scribunt, asserit, simul opere laborasse. In eo etiam quod dixit, ne quem vestrum gravaremus, verecundiam eis incurrit magnam. Si enim ille, qui Evangelium prædicabat, signa illud virtutibusque commendans, ne gravaret quempiam gratis panem manducare non audet: quomodo illi non existiment se gravare, qui quotidie cum otiosi vacanteque præsumunt?* Et multis interpositis, tandem in *Cap.* 22. concludit intentum, dicens: *His itaque exemplis per Ægyptum Patres instituti, nullo modo otiosos esse Monachos, ac præcipuè juvenes patiuntur: Actuum cordis, & profectum patientiæ, & humilitatis sedulitate operis metientes. Et non solum, à nullo quicquam ad usum victus sui accipere sinunt: sed etiam de laboribus suis non tantum superuenientes ac peregrinos reficiunt fratres, verum etiam per loca Libyæ, quæ sterilitate & fame laborant, nec non etiam per civitates, his, qui squalore carceris contabescunt, immanem conferentes largiuntur alimoniæ victusque substantiam de fructu manuum suarum, rationabile ac verum sacrificium Domino tali oblatione se offerre credentes.* Et in Cap. 23. Unde hæc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita sententia: *Operantem Monachum uno dæmone pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari.* Hæc pauca de multis ex Cassiani *libro prafato.*

Præclara Monachorum Ægypti sententia.

Divus quoque Franciscus *Cap.* 5. *suæ Reg.* sic ait: *Laborent fideliter & devote, ita, quod excluso otio inimico* &c. Et tandem in Regula hic etiam finis labori præfigitur, dum inquit, *Faciendum est vobis aliquid operis, ut semper diabolus inveniat vos occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire.* Quæ verba omnia fere ex Divo Hieronymo *ad Rusticum* transcripta videntur.

Et licet hic alius finis à Regula non præscribatur: tamen non est dubium, (ut in *superioribus* diximus,) ad custodiam cellæ, & ad detinendas cogitationes, ne extra illam vagentur prædictum etiam manuum laborem ordinari. Nam cum in *hoc Cap.* supponatur, Fratres in cellis assiduæ orationi, & meditationi vacantes commoraturos, eis aliquam occupationem indicit: ne (inquit) dum diabolus vos otiosos inspexerit, aliquem ad animas vestras aditum inveniat. Et sic ab oratione perturbet, aut à cella extrahat, & inquietos, & gyrographos reddat. Quæ quo ordine, quibusve insidiis, is adversarius conetur, optimè (ut solet) Cassianus *libro decimo institutionum* depinxit: & simul nostræ professionis formam delineavit.

Varias artes & technas Diaboli, quibus Monachum è cella & solitudine extrahere tentat.

Qui cum miserabilem (inquit) *obsederit mentem horrorem loci, & fastidium cellæ gignit, & ad omne opus, quod intra eam fieri debet, inertem monachum facit, & aliis innumeris machinationibus infestat, donec infelix anima acedia spiritu victa, aut in somnum compellatur concidere, aut relicta cella, in consolationem hujus impugnationis, aliorum Fratrum confabulationem consuescat acquirere. Cum autem jam eum viderit inimicus in conserto prælio sibi terga vertere: fortius & frequentius eum impugnat, donec paulatim protractus è cella, suæ professionis*

sessionis incipiat obliviſci, quæ non eſt aliud, quam jugis contemplatio divinæ puritatis: quæ non alibi poteſt, niſi in ſilentio, & jugi cellæ perſeverantia, ac meditatione acquiri. Hactenus Caſſianus, qui *Cap. 6. ejuſdem libri* latius proſequitur hanc dæmonis, contra Monachos otioſos pugnam.

Et denique noſtra Regula laborem manuum inſtituit, quia, cum Religioſi tunc in eremis degerent, nec haberent prædia, poſſeſſiones, neque ullos reditus, non poterant aliter ſuſtentari.

DVBIVM III.

Quæ ſint, quæ ſub labore manuum comprehendantur? & de laboribus, qui maximè Religioſis conveniunt.

PRima pars hujus Dubii reſolvenda eſt ex his, quæ docet D. Thom. 2. 2. q. 187. *art. 3. in corpore*, ſub opere, nempe manuali, intelligi *omnia officia humana, ex quibus homines licitè victum lucrantur, ſive manibus, ſive pedibus, ſive lingua fiant. Vigiles enim, & curſores, & alij hujuſmodi ſuo labore viventes, intelliguntur de operibus manuum vivere. Nam cum manus ſit organum organorum, per opus manuum omnis operatio intelligitur, per quam aliquis licitè poteſt victum lucrari.* Hæc D. Thomas.

Unde, non ſolum ſub labore manuum comprehenduntur artes mechanicæ, quæ licitè à Religioſis exercentur, ut ſutoria, textoria, ædificatoria, fabrilis lignaria, vel ferraria, & agricultura, de quibus D. Baſilius in *Regul fuſſ. interrogatione* 38. D. Benedictus *Cap. 66. ſuæ Regul.* ſed etiam alia miniſteria, in quibus præcipuè labor corporis exercetur, ut ſunt alia officia Monaſterii, ut Procuratoris, Oeconomi, Oſtiarii, Sacriſtæ, Infirmarii, & denique omnia illa miniſteria, quibus licitè ſæculares victum lucrantur. Et ob hanc rationem ad manuum labores reducuntur lectiones quæcunque ſive Theologicæ, ſive Grammaticæ: nam lingua in hoc caſu (ut docet Divus Thomas) nomine manus comprehenditur. Quare Religioſi, qui annuos redditus habere non poſſunt, licitè ob hos labores poſſunt eos acquirere.

In celebrandis autem divinis officiis, & ſi lingua laboret, quia tamen principaliter hic attentio mentis & devotio conſideratur, magis ad laborem mentis operationes hæ reducuntur: quia in his oportet, ut à principaliori fiat denominatio: quamvis maximam partem de labore manuum (in ſenſu, in quo hic loquimur) habeant. Et ob id ex hac parte orationes (ex juſtitia) lucrativæ ſunt victus, & labores manuum dicuntur.

Qui labores Religioſis maximè conveniant.

Qui verò labores Religioſis maximè conveniant, hoc præcipuè penſandum erit ex fine, & Regulis uniuſcujuſque inſtituti. In univerſum tamen omnes prædicti laborandi modi convenientes ſunt, ut ex D. Baſilio, Caſſiano, Benedicto, Hieronymo, Franciſco, & Auguſtino, de operibus monachorum, licet colligere: quorum alii aliquas ex prædictis artibus, alii alias commendant: quamvis Caſſianus *Collat. 24. Cap. 12.* affirmet, Ægypti monachos agriculturam ob diſtractionem, quam cauſat, non exercuiſſe. Cujus rei cauſa (inquit) Omnem amœnæ habitationis gratiam devitamus: ſqualenteſque naturali amœnitudine arenas, & peruſtas ſalſa inundatione regiones cunctis mundi hujus opibus præponimus: ut non ſolum frequentias hominum obtentu inviæ ſolitudinis declinemus; ſed etiam nequaquam nos ad qualiſcunque culturæ diſtentionem uberis ſoli natura ſolicitet, per quam mens ab illa principali obſervatione cordis diſtracta, ſpiritualibus ſtudiis redderetur effœta. Hæc Caſſianus: qui ob prædicta incommoda, Ægypti Patres tantum eos labores, qui intra cellam perfici poſſent, elegiſſe teſtatur. Tractat verò de hoc præcipuè *lib. 2. Cap. 10.* Et omnes Patres in hoc conveniunt, ut illæ artes ſive labores inter Monachos exerceantur, quorum exercitium ſpiritus profectum non impediat.

Inter quos, omnium optimè D. Baſilius his verbis docuit: *Communiter illæ artes eligendæ ſunt, quæ pacem ac tranquillitatem vitæ noſtræ conſervant, neque multo negotio ad parandum propriam materiam, opus habentes, neque multa ſolicitudine ad ea quæ facta ſunt vendenda. Item quæ nec congreſſus virorum ac mulierum indecoros aut nocivos nobis pariant.* Et infra: *ædificatoria, & fabrilis lignaria, itemque ferraria, & agricultura, quia neceſſaria vitæ ſunt, à nobis rejici poſſunt: præterquam ubi aut tumultus nobis inducant, aut vitæ fratrum unitatem diſtrahant: tunc ipſas neceſſario devitemus, præferentes artes, quæ nobis vitam indiſtractam, & Domino aſſidentem conſervant; & quæ neque à Pſalmodia, neque oratione, neque reliquo bono diſciplinæ ordine nos diſtrahant: alioqui, ubi principale inſtitutum non laditur, agricultura præferenda eſt.* Hæc Baſilius.

Bernardus quoque in *Epiſtol.* ad Fratres de monte Dei, *Operandum eſt* (inquit) *aliquid manibus, quod ſpiritualibus ſtudiis delectationem conſervet, & nutriat.* Et infra: *Non ſpiritualia exercitia ſunt propter corporalia, ſed corporalia propter ſpiritualia: & ſic cum in adjutorium ſpiritualia ſtudij neceſſaria ſint, non tamen ad hoc æquè ſemper convenire videntur omnia corporalia exercitia, ſed quæ cum ſpiritualibus propiorem videntur habere ſimilitudinem: ſicut ad ædificationem ſpiritualem, meditari quod ſcribatur, vel ſcribere quod legatur.* Hactenus Bernardus: qui inter labores manuum, ſtudium ſcribendi aliis præferre videtur: quod antea prædixerat Chryſoſtomus, qui in *Epiſtola ad Timoth. homil. 14.* de monachis ſui temporis loquens, ait: *Poſt completum Orationis officium, ſcribendis libris operam dabant.* Denique D. Hieronymus *ad Ruſticum*, inter alia opera & labores, quæ ibi de Monachis refert: *Scribebantur* (inquit) *libri, ut manus operarentur cibum, & animus lectione ſaturaretur.*

Ex his ergo Patrum teſtimoniis hoc unum colligendum eſt, in quo & omnes conveniunt, eos labores à Religioſis aſſumendos eſſe, qui ſpiritum & devotionem non extinguant: qui animum non diſtrahant: ac denique tales, quorum occaſione ſeculatibus immiſceri non cogantur: Et ratio ipſa demonſtrat: nam cum ii labores ad majorem ſpiritus profectum aſſumantur, eorum utilitas penſanda eſt ex ordine ad hunc finem. Quare in tantum hoc laboris ſtudium utile erit, in quantum hujus finis conſequutioni non obſtet. Et quamvis hic labor ad omnes Religioſos pertineat: principaliter tamen junioribus utiliſſimus eſt. Unde Caſſianus *lib. 10. Cap. 22.* Ægyptios monachos profectum ſedulitate operis metiri ſolitos eſſe, commemorat, ut ſupra retulimus.

ex Regula & fine cujuſque Religionis deſumendum.

DU-

DVBIVM IV.

Quomodo sit laborandum, ut laboris fructibus non frustremur?

EX dictis facilè licet colligere, ea ratione & modo labores suscipiendos esse, ut fini, ad quem destinantur, conveniant: hoc est, tali solicitudine & studio fiant, ut animum non dissolvant, neque ab oratione distrahant. Quare Divus Franciscus rectè in sua *Regula capite 5.* sic monet: *Laborent fideliter & devote, ita, quod otio secluso, orationis & devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera deservire.* Hæc Franciscus. Et constat etiam ex his, quæ præcedenti Dubio diximus.

Sed qua ratione id fiet, ut laboribus intentus quis spiritum non extinguat, opus est explicare. Divus Basilius in *Regg. fus. interro. 37.* ita esse laborandum docet, *ut interim* (ut ipse ait) *manus ad opera moveamus, & aliquando etiam lingua, ubi hoc possibile, & utile fuerit ad fidei ædificationem, (sin minus corde) in Psalmis, & hymnis, & spiritualibus cantilenis DEUM collaudemus: (velut scriptum est ad Ephes. 5.) & orationem inter opus expleamus, gratias quidem agentes ei, qui vires manuum ad opera dedit, & sapientiam mentis ad capiendam scientiam.* Et infra: *Orantes autem, dirigantur opera manuum nostrarum ad complacentiæ erga DEUM: sic enim & animi intentionem acquirimus, ubi in unaquaque actione successum operis à DEO petierimus, & gratiarum actionem ei, qui dedit, persolverimus, & complacentiæ erga ipsum observaverimus. Nam si hac hunc modum non habuerint, quomodo possunt mutuo contingere ea, quæ ab Apostolo dicta sunt prima ad Thessalon. 5. nempè, indesinenter orare: & illud, Nocte & die operantes?* Hucusque Basilius: ubi rectè docuit, tum quomodo laborandum sit, tum etiam quomodo connecti possint hæc duo, labor assiduus, & oratio ac meditatio continua.

August. in *Epistola ad Probam*, monet, in omnibus negotiis & curis, quæ se offerunt, ne oratio repescat, oportere certis verbis animum subinde excitare. Et idem *de operibus monachorum Cap. 17.* ait: *Cantica divina cantitare etiam manibus operantes facilè possunt, & laborem ipsum tanquam divino zeleumate consolari. An ignoramus, opifices quibus vanitatibus, & plerumque etiam turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda & linguas suas, cùm manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit, servum DEI operantem manibus, in lege Domini meditari, & psallere nomini DEI altissimi?* Hæc ille.

Divus Isidorus *lib. 2. de officiis Cap. 5.* Operantur autem manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à DEO mens impediri non possit. Hæc de monachis suæ ætatis. Quare sanctus Cassianus in *collatione Abbatis Isaac*, *Nulla opera aggredienda esse* (ait) *nisi prius illa communi Ecclesiæ oratione, DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina, armaremur.* Plura de hoc noster sapientissimus ac pientissimus tradit Thomas Waldensis *de Sacramentalibus titulo 1. Cap. 3.*

Oportet etiam, ut labor cum fructu & utilitate fiat, operantes neque ignavia, nec nimia solicitudine affici. Nam ignavia signum est animi torpentis: solicitudo verò, si nimia sit, animum perturbat, ut docuit Divus Bonaventura in *Epistola ad quendam Magistrum innominatum.* Et idem in *Cap. 5.* suæ Regulæ in hoc proposito plura damna refert. Alia etiam tradunt Regulæ Beati Francisci Expositores in *dicto Cap. 5.* Omnia tamen, quæ circa hoc dici possunt, prædicta Divi Basilii sententia, si rectè perpendatur, comprehenduntur.

Illud tamen unum superioribus addendum est, illis laboribus magis studendum esse, qui intra cellæ ambitum, aut saltem Monasterii claustra peragi possunt. Et hoc præcipuè in Ordine nostro. Nam alias hi labores sæpe distractionem pariunt, & spiritum non raro extinguere solent. Non tamen ob id subditi, si alii labores eis ab obedientia injungantur, eos contemnere, aut non recipere audeant: ut rectè Divus Augustinus lib. de opere Monachorum, *Cùm exauditur una obedientiæ oratio, quàm decem millia contemptorum.*

DVBIVM V.

Qui sint, qui in Religionibus manibus laborare teneantur?

DE hoc Dubio copiosius disserit Divus Thomas 2.2. *quæstione 187. art. 3. 4.* & in *libro contra impugnantes Religionem Cap. 4.* & noster Waldensis in *Doctrinali fidei antiquæ, libro 4. articulo primo, capite duodecimo*, & præcipuè *articulo secundo à Cap. 21.* ubi, dum aliorum Patrum sententias refert, qui manuum labores suis monachis injungêre, meminit *hujus Cap. Regulæ* nostræ, & omnia ejus verba refert: & novissimè ferè omnes hujus temporis controversarii, (inter quos doctissimè Bellarminus *Tomo primo libro secundo de Monachis à capite 41.*) de hac re fusè & optimè tractant. Nos verò breviter aliqua constituamus.

Primum est: *Religiosi ex lege naturali vel divina, præcisè loquendo, non plus tenentur manibus laborare, quam seculares.* Probat hoc D. Thom. (*ubi supra*:) quia labor manuum vel ordinatur ad victum quærendum, & sic nullus tenetur laborare, nisi qui aliunde non potest sustentari: vel ordinatur ad excludendum otium, & sic aliis laboribus occupati, à labore manuum excusantur: vel ordinatur ad eleemosynam faciendam, & sic labor manuum non cadit sub præcepto, nisi interveniente aliqua necessitate, cui sub præcepto aliquis subvenire teneatur: & sic non magis obligat Religiosos, quàm seculares: vel tandem potest ordinari ad macerationem carnis, & sic etiam non cadit sub præcepto, cum multis aliis viis caro reprimi ac macerari possit. Quare, si Religiosi ex propria Regula non obligentur; ex lege divina vel naturali non magis laborare tenentur, quam seculares. Sub hac ratione D. Thomæ comprehenduntur omnes aliæ, quas in hoc proposito ceteri Authores formare solent.

Dico secundò: *Ferè nulla est Religio, ubi aliquis manuum labor non præcipiatur, & ubi omnes fermè Religiosi non laborent, vel aliquo labore partim manuali, partim spirituali, uti sunt, qui divina peragunt ministeria: vel aliquo labore manuum, ut sunt reliqui cœnobiorum ministri, sua munera exequentes*, ut rectè annotavit D. Bonaventura, in *quæstio-*

quæstionibus super Regulam B. Francisci quæst. 11. dum ait : *aliàs autem omnes, præter infirmos, laborant : alij in studio, ut fideles erudiant : alij in divino officio & laudibus DEI : alij in colligendis Eleëmosynis pro sustentatione communi : alij in officijs domesticis, infirmis & sanis ex injuncta obedientia ministrantes : quidam, qui sciunt artes mechanicas pro fratribus extraneis exercentes, sicut mutuò cooperantur inter se formicæ, & apes quidam per obedientiam missi, diversas terras perambulant, cum nuntios alios idoneos non habeamus : & sic nullus impunè permittitur otiosus.*

Dico tertiò : *Ille, qui in Religione non laborat, neque alijs spiritualibus ministerijs deservire vult, si per suam professionem ad hæc deputatus existat, ut sunt omnes Clerici, seu Choristæ : vel ministerijs corporalibus, quales sunt laici, qui ad hæc munera ex sua professione deputantur ; peccat mortaliter, & facit contra justitiam.* Quod evidenter ex hac ratione colligitur : quia per professionem fit quidam contractus inter Religionem, & professentem, per quam illa Religioso omnia necessaria tam ad victum, quam ad vestitum promittit ; ipse verò exercere suum munus, ad quod per professionem deputatur. Quare Navarr. *Cap.* 21. *de oratione, num.* 20. docuit, materiam principalem voti solemnis eorum, qui ad chorum sunt deputati, esse inservire Religioni in spiritualibus ministeriis. Et de laico idem omnino videtur dicendum : cum potissima materia solemnis voti illorum fuerit, exequi corporalia ministeria, ut nos latè ex Sylvestro, & aliis in *Cap.* 7. *de Horis Canonicis* diximus. Ex quibus constat, eos ex justitia teneri, actibus suæ professioni congruis Religioni servire, ac laborare.

Sed dices : Quando ista laborandi ignavia erit grave peccatum ? Respondeo, quod in Choristæ, quando officium divinum cum aliis, nulla legitima causa impeditus, ex consuetudine omiserit recitare : aut Missam celebrare, si Sacerdos sit : & alias observantias Choristarum omnino & ex consuetudine neglexerit. In laico verò, quando nullo modo laborare, neque aliquo alio ministerio voluerit occupari. Ratio est : quia Religio eos ad hæc munera sub conditione conferendi illis necessaria recepit. Et hoc est, quod Divus Thomas 2. 2. *quæstione* 187. *art.* 4. ait de Religiosis, qui absque necessitate otiosi in monasteriis ex Eleëmosynis vivere volunt, eos (scilicet) illiciè facere. Sentit ergo D. Thomas eos peccare, & cum materia gravis sit, peccatum erit grave & lethale. Ubi Divus Thomas refert D. Augustinum de operibus Monachorum, de his Religiosis loquentem, *Si nolent operari, non manducent* ; his verbis significando, monasteria eos alere non teneri, quia ipsi nolentes laborare, pactum in professione statutum irritum fecêre.

Et confirmatur : quia si, Religiosis laborantibus, & sua munera obeuntibus, Religio eis necessaria denegaret, sine dubio Prælati mortaliter peccarent, non alia ratione, nisi propter dictum pactum tacitè in professione initum : ergo, si ipsi non laborent, mortaliter peccant, dum ex bonis monasterij sustentari volunt. Hos autem peccare ratione scandali, docet idem Divus Thomas *dicto articulo* 4. *ad quintum*, dum ait : *Idem tamen scandalum invenire posse de his, qui facultatibus communibus otiosè utuntur.* Quæ verba pro otiosis fratribus valde notanda sunt.

Id autem in hac re etiam difficultate non caret, an similiter si ratione ingratitudinis peccent ? Quia, cum vivant de Eleëmosynis, quæ à Fidelibus ea intentione dantur (ut inquit Divus Thomas *ubi suprà*) ut ipsi Religiosi liberius Religionis actibus insistere possint, quorum cupiunt esse participes, qui temporalia ministrant ; videtur, quod hanc intentionem defraudent, & ex consequenti, quod à retributione collati beneficij, nempe, Eleëmosynarum deficiant, ac proinde ingratitudinis culpam incurrant.

In hoc dubio Divus Thomas *ibidem* censet, Monachos à Religiosis actibus deficientes, illicitè uti Eleëmosynis, propterea quod ea intentione à Fidelibus dantur : ubi Cajet. interpretatur, Divum Thomam loquutum fuisse de peccato ingratitudinis : & sic ipse ibi latè docet, quemlibet Religiosum, qui Religionis actibus, qui sunt sub præcepto, non studet, peccare mortaliter ingratitudinis peccato : si verò deficiat tantum ab actibus, qui non sunt sub præcepto, peccare venialiter peccato ingratitudinis : & hanc Cajetani Doctrinam communiter receptam video. Pro qua facit Divi Gregorij dictum *lib.* 2. *Epist. Cap* 42. ubi inquit : *Considerate, quantum peccatum est, ut ex aliena oblatione DEUS vobis alimoniam transmiserit, & vos mandata DEI discere negligatis.*

Nobis verò in hoc non placet sententia Cajetani, in quantum asserit, transgredientes præcepta, quæ sunt in Religione, peccare mortaliter peccato ingratitudinis : venialiter verò, si alia mandata prætereant. Nam vel Cajetanus loquitur de eo, qui transgreditur unum aut plura præcepta, & in hoc casu non video ex qua parte incurrat peccatum ingratitudinis, si alia adimpleat, quibus sufficienter benefactoribus retribuit : vel quia semel, per breve tamè tempus, omnia transgreditur, & in hoc non est notabilis ingratitudo. Quia cum aliis temporibus exercitijs Religionis studeat, sufficienter acceptam Eleëmosynam compensat : vel denique ex consuetudine omnia sui muneris ministeria omittit, & tunc non contra gratitudinem, sed contra justitiam peccabunt : vel Eleëmosynas præbent, ut temporalia metentes, spiritualia percipiant, & tunc, etiam si ex consuetudine aliquis Religiosus in particulari sua munera negligat, adhuc non peccabit mortaliter, peccato ingratitudinis, quia licet ipse à retributione deficiat, totum tamen corpus Communitatis nunquam à retributione deficit. Quare, cum communitatis sit quæ propriè beneficium accipit : ipia quoque retribuere tenetur. Et sic in omnibus Religionibus fiunt sacrificia, orationes, & aliæ pro benefactoribus oblationes. Quare contra gratitudinem Religiosi otiositati vacantes mortaliter non peccant : quamvis fortè à veniali non excusentur. Peccant tamen (ut dictum est) contra justitiam, si aliquo labore vel corporali vel spirituali (eo modo, quo supra explicatum est) potissimum verò fratres laici, laborare non studeant. D. Augustinus *c.* 25. *de operibus Monachorum*, eos obligat ad operandum : de quo videndus est Waldensis in

Doctrinali, ut supra Cap. 30. & Bellarmin. dicto Cap. 41. versic. itaque, qui, saltem hos fratres à labore manuum excusare non audent: & Sylvest. verb. (Hora) §. 3. ait, eos esse in statu periculoso, quando circa exercitia corporalia sunt turbabiliter negligentes. Ex dictis ergo constat, qui sint, qui laborare, & quibus laboribus in Religione teneantur.

CAPUT XV.

De silentio Fratrum.

TEXTVS.

Apud Benedicti Regulam Cap. 48. & Ca. 6. ferè simile de silentio fertur præcepti, & cõcordat c. cum Monasteriũ de silentium, in quo cultus justitia est, diligenter & cautè studeat observare.

Commendat autem Apostolus silentium, cum in eo præcipit operandum: & quemadmodum Propheta testatur, Cultus justitiæ silentium est: & rursus, In silentio & spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, ut dicto Completorio silentium teneatis, usque ad Primam dictam sequentis diei. Alio verò tempore licet silentij non habeatur observantia tanta, diligentius tamen à multiloquio caveatur. Quoniam (sicut scriptum est, & non minus experientia docet) In multiloquio peccatum non deerit: &, Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. item: Qui multis utitur verbis, ladit animam suam: & Dominus ait in Evangelio: de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddet rationem de eo in die judicij. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis, & frænos rectos oris suo, ne fortè labatur & cadat in lingua sua, & insanabilis sit casus ejus ad mortem, custodiens cum Propheta vias suas, ut non delinquat in lingua sua: & silentium,

ita Mon. observan. Secunda pars Instit. Carthus. Cap. 14. n. 4. §. 6. & sequen. Regula Monachorum Cap. 21. n. 43.

GLOSSA III.

Vid. 2. part. Direct. Reg. Tract. 3. disput. 6. sect. 2. nu. 444. & seqq. & ab eo ib. laudatos è nostris Joan. Soreth. Hieron. Gratianum, Lezanam & Michaelem à S. Augustino Tract. 3. introductionis in terram Carmeli Cap 3. & seqq.

Secundum præceptum, quod inter exhortationes reperitur, de silentio tractat. Hoc autem in Regula non exhortationem, sed præceptum esse, expresè patet ex illis verbis, *Ideoque statuimus, &c.* quæ non consilium, sed mandatum sonant. Secundò, quia hic articulus præcipuè fuit mitigatus ab *Innocentio IV.* Tertiò, quia ita consuetudine, & communi Ordinis consensu receptum est, ut nullus unquam de hoc dubitaverit.

In *hoc Cap.* circa silentium duo statuuntur: *primum est, ut dicto Completorio, usque ad Primam dictam sequentis diei silentium observetur: secundum verò, quod licet extra prædicta tempora ita arctè silentium non observetur; diligenter tamen multiloquium caveatur.* Cum *hoc Cap. Regula* consonat Benedictus Cap. 42. Regulæ: *Omni tempore* (ait) *silentio debent studere monachi, maximè verò nocturnis horis.* Et infra: *Et exeuntes à Completorio, nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid, excepto, si necessitas hospitum supervenerit, vel Abbas alicui aliquid jusserit.*

Circa primam partem sciendum est, olim in Regula *Alberti* majorem fuisse silentii observantiam: ita enim in illo cautum erat: *Statuimus, ut ab hora vespertina, usque in horam tertiam sequentis diei silentium teneatis, nisi fortè necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentiũ interrumpat.* Hæc Albertus. *Innocentius* igitur IV. hoc statutum temperavit, ut solum à dicto Completorio, usque ad Primam dictam sequentis diei silentium observetur. Ex alia verò parte illa permissio, quæ in Regula Alberti continebatur, nempe, *Nisi fortè necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat*, ab eo sublata est: & absolutè, sine ullo alio temperamento, silentium à dicto Completorio, usque ad Primam dictam sequentis diei, servari decrevit.

Secundò notandum est, Regulam à dicto Completorio, & non ab hora Completorii, silentium statuere: ex quo clarè fit, quamvis hora debita Completorii transacta sit, si tamen à Communitate Completorium non fuerit recitatum, silentium non obligare. Et idem etiam censendum est, si ante horam consuetam dicatur; ex tunc (scilicet) obligare.

Tertiò quæret aliquis, an occurrente solennitate aliqua, vel alia rationabili causa possit Completorium (ne silentium frangatur) usque ad decimam, vel undecimam noctis horam differri: vel (quod ab aliquibus observari videmus,) licitè fiat, ut hora competenti duo vel tres Communitatis fratres hoc officium in choro persolvant, & postea omnes idem officium in choro dicant: ut illi intentioni Ecclesiæ satisfaciant, & hora debita officium persolvatur; hi verò Completorium, (quod ipsi de silentio vocant) adimpleant: & dicto hoc, silentium teneatur?

Respondeo, quod, existente aliquando causa rationabili, non erit peccatum, Completorium aliquantulum differri: imò etiam si causa rationabilis non adsit, si raro fiat, non erit peccatum mortale, ex his, quæ supra de Horis Canonicis diximus. Et credo convenientius fieri, ut, rationabili causa existente Completorium differatur, quam dispensare, ut, dicto Completorio, Communitas confabulari possit. Illud verò, quod ab aliquibus de duplici Completorio fingitur, sine fundamento videtur. Quod, cum Regula absolutè post dictum Completorium obliget, sic urgeri potest. Vel hoc officium, quod à duobus vel tribus recitatur, est verè officium Completorii, & tunc eo dicto, Regula obligat; nam absolutè in ea habetur, ut dicto Completorio silentium teneatur: vel non est vere officium Completorii, & sic frustra recitabitur, ad satisfaciendum horis debitis, ab Ecclesia ad officia divina deputatis.

Tum

Tum etiam, quia possent Prælati similiter duplicem Primam fingere, & unam hora debita persolvere, & alteram hora undecima vel duodecima, & compellere Religiosos ad servandum silentium, usque ad prædictam horam.

Quartò considerandum occurrit, nomine *silentij* non tantum intelligi cessationem à loquutione, sed etiam à quolibet alio strepitu, qui alios possit inquietare: nam silentium, utriusque privationem includit, ut patet ex illo Sapientiæ 18. *Dum medium silentium tenerent omnia.* Et præterea, quia cum finis Regulæ sit, ut omnes tunc & orationi, & quieti vacent, & hæc æquè & loquutionibus, & strepitu impediantur, patet, utriusque silentium hic præcipi. sap. 18.

Quinto observandum est, hoc Regulæ statutum æquè Prælatos ac subditos obligare. Et quamvis in Constitutionibus nostris permissum sit Superioribus, ut in eorum cellis silentii tempore aliqua loqui liceat: hoc tamen, sicut ibi exprimitur, de verbis planè necessariis intelligendum est, & quæ commodè in aliud tempus reservari non possint: alias non minus, quam alii subditi, Regulæ transgressores fient. Nam & Constitutio ampliorem potestatem, quam pro necessariis colloquiis, ipsis concedere non potuit. Quare tantum Regulam declaravit pro necessariis. Unde hoc est discrimen inter Prælatos, & subditos, quod ii sine licentia, etiam necessaria illo tempore loqui non possint; illi verò generalem loquendi de necessariis licentiam à Constitutionibus acceperunt.

Sexto oportet notare, *Innocentium* deleviſſe ex *Alberti* Regula illa verba, *Nisi forte necessitas, vel causa rationabilis, aut licentia Prioris silentium interrumpat.* Quo facto satis significavit, se velle excludere omnes excusationes ad silentii fractionem, ut majori cum cautione & solicitudine observetur. Quare in hoc, ab *Alberto* traditam constitutionem de silentio restrinxit, & coarctavit.

Septimò circa illa verba, *Alio vero tempore licet silentij non habeatur observantia tanta, diligentius tamen à multiloquio caveatur.* Notandum est, aliis temporibus, Regulam voluisse, suo modo silentium observari: quamvis non ita strictè, sicut fit dicto Completorio: diligentissime tamen, ut non solum verbis otiosis, sed etiam à multiloquio caveatur, injungit. Hoc igitur interest, ex mente Regulæ, inter silentii tempus à Completorio usque ad Primam constitutum, & inter alia dieì tempora, quod, dicto Completorio, non solum à multiloquio & aliis colloquiis, sed etiam ab omni loquutione, nisi inevitabili necessitate urgente, cessandum est: aliis verò temporibus, licet necessariis loquutionibus à Regula uti permissum sit: expressè tamen multiloquia prohibentur.

Legend. Cap. 33. & 34. part. 2. disc. monast. Tom. 2. Oper. Joan. à JESU MARIA Emmanuelis à

Ultimò, ut hanc silentii materiam absolvamus, aliqua ex Patribus de utilitate, & fructibus silentii, & de damnis linguæ in multiloquio, in otiosis verbis, vel facetiis, profetamus; illud tamen primo ad majorem silentii commendationem referentes, quod Suidas, & Zenodorus, & cum eis Erasmus in proverbijs verbo (Pythagoræ silentium) commemorant, apud Gentiles (scilicet) Pythagoram pro mysteriis suæ Religionis, discipulis suis Quinquenne silentium indicere solitum.

Ad Patres verò accedamus, qui passim & silentii fructus commendant, & linguæ multiloquium, otiosa verba, ac facetias damnant. In primis D. Augustin. ad *Fratres in eremo*, in *sermone de silentio* sic ait: Silentium (Fratres charissimi) inter cetera vobis in eremo summè necessarium est. Omne enim, quod non ædificat, in periculum vertitur dicentium, & audientium. Lingua nostra sensum nostrum sequatur & rationem, non voluntatem. Non enim debemus tantum oculos clausos servare, sed & linguas intra dentes reservare illæsas: sermo enim vanus vanæ conscientiæ index est. Qualis enim es, tales sermones loqueris: talis & mens comprobatur. Et qualis fueris in factis, talis comprobaberis in verbis. Stultus enim valde est, qui non prius verbum ducit ad linguam rationis, quam ad linguam oris educat. Qualis est homo in mente, talem verbositas depingit in ore. Verbositas hominem conducit in joculatorem, humanæ naturæ dignitatem deponit, honores sibi rapit, inimicos infinitos acquirit. Inflammat denique linguæ mobilitas, in adolescentia ad jocosa, in virili ætate ad fraudulenta: sed in senili ad detractoria.

JESU MARIA *Discursus in hoc Regula Cap. item Cōmentar.* Francisci à S. Elia *in hunc textum,* qui uberrimè describunt multiplices silentii fructus, & gravia damna lapsuum linguæ.

Restringenda est igitur hæc parva favilla, ne in magnam vertatur flammam: surculus, ne crescat in sylvam: gutta, ne tumescat in fontem. Majus est denique (fratres) linguam refrænare, quam capere civitatem: quia illud insultat exterius, sed istud interius. Hîc sumuntur arma contra teipsum, sed ibi de alieno. Summa tamen verecundia est, & depressa dejectio, non posse linguam refrænare, & vile non posse ligare membrum. Ecce, lingua egredi quærit, morum perquirit.

Qualis quisque est, tales sunt ejus sermones.

Tu verò (ô Monache) per temperantiam ipsam refræna, appone ei pessulum rationis, circunda eam maturitate discretionis. O lingua, tu periculum immittis, & luctum producis: discordiam sæpe spargis: & perditionis venenum & detractionis paris: & ad infernum, qui tibi credunt, conducis.

Verbositatis innumera & enormia mala

O Monache, cognosce linguam nequam, fuge eam, despice eam, si potes, confunde eam. Sed volo instruere tuam linguam benè loqui. Vis bene loqui? Da ei moderatum modum. Pretiosa enim lingua non novit nisi verba divina sæpe conferre. O quam sanctum est os, unde semper cælestia erumpunt eloquia!

O Monache, considera te reddituram rationem de omni verbo otioso, & tanto magis quanto minus mundo es obligatus. Non enim in foro, sed in cella habitare debes: non familiam, sed familiarum animas oratione pascere debes. Non est igitur tibi necesse, multum loqui, nec inter homines conversari, nec mercantias pertractare, unde vivas. Nam mercantiam in Monacho, usuram occultam existimamus.

Solitudo sectanda & multitudo vitanda, ad linguæ lapsus cavendos.

Ama igitur (ô Monache) solitudinem, fuge multitudinem, ne comprehendaris in verbo, ne confundaris in facto. Et si interrogatus fueris, melius est, ad singula respondere breviter, quam diutius immorando, verba curiosa & prolixa extendere. Verbositas enim quid aliud est, quam semen, quod fructum non facit? O verbose, erubesce, & considera tuam grandem miseriam. Quid enim aliud es, quam sal infatuatum, quod ad nullum valet condimentum? verè infructiferus es, & infructiferos facis, qui te libenter audiunt.

Religioso ad interrogationes breviter respondendum.

O verbose mendax, qui veritatem rarò dicere voluisti! O loquax, cognosce te ipsum: nam loqui nunquam erubescis, nec consideras, quid, sed quantum dicere possis. Non mensuras verborum sententias, sed tantum ut satieris. O verbose, erubesce, quia omnino cognosceris, quid agis. Nam tua conditio est, occulta manifestare, nota in Conventibus prædicare. Sed si nescis, somnias inaudita, fingis te scire quod nescis, ut libenter audiaris à cunctis.

Monachus nō est, qui non custodit linguam suam.

O artifex mendaciorum, ô faber fabularum, lege quod dicitur: Quia vir linguosus non dirigetur super terram, nec dirigetur in terra promissionis. O Monache & tu diligenter attendas. Nam qui non refrænat linguam suam, hujus vana est Religio. Qui non custodit linguam suam, Monachus non est: qui autem moderatur linguam suam, prudentissimus est, verusque monachus est.

Eja ergo (Fratres mei) amate silentium: ponite custodiam ori vestro: estote solitarii, ut sitis Angelis sociati: estote rustici, ut sitis cives sanctorum, & domestici DEI: estote muti, ut sitis loquaces: loquimini DEO, ut sitis veraces: contemplate in eremo, ut contemplemini à Sanctis in cælo: elevate capita, ut elevemini corde: extendite brachia, ut extendamini toto corpore volantes ad cælum, ad quod perducat nos Christus DEUS noster Amen. Hæc Augustinus.

Innumeræ oris incircumspecti pernicies & immūditiæ.

D. Bernardus in *serm. de triplici custodia* manus, linguæ, & cordis. Quis sanè numeret (inquit) quantas modicum linguæ membrum contrahat sordes: quam multiplex in labiis incircumcisis immunditia coaguletur: quam sit gravis pernicies oris incircumspecti? Est enim lingua dissoluta in sermonibus otiosis: est lingua impudica, est & magniloqua: quarum prima lasciviæ, sequens arrogantiæ famulatur. Est etiam lingua dolosa, & item lingua maledica: quarum altera in falsiloquam, & adulatoriam subdividitur: altera verò nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto. Quod si de omni vel otioso verbo, quodcumque loquuti fuerint homines, DEO sunt reddituri rationem in die judicii; quanto districtius de verbo mendaci, mordaci, & injurioso, de elato, vel lascivo, de adulatorio, aut detractorio, judicabuntur. Quam vera sententia (fratres,) in multiloquio nō effugiendum peccarum. (Ut enim præteream cetera) si propterea est otiosum verbum, quod nullam rationabilem causam habet; quam rationem de eo reddere poterimus, quod est præter rationem?

In multiloquio non evitatur peccatū.

Temporis pretiositas.

Nemo vestrum (fratres) parvi æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis: siquidem tempus acceptabile est, & dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens, quid amittat. Libet confabulari (ajunt) donec hora prætereat. O donec prætereat hora? O donec pertranseat tempus? Donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio Conditoris indulget? Donec transeat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem: excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem?

Ad quid id à Deo nobis concessum.

Sic nimirum, sic Agricolæ, cum diu desiderata affuerit opportunitas seminandi: Sic venitores, cum exspectatum tempus putationis advenerit, invenisse occupationes, & quasi irreprehensibiliter sine opere diem transegisse lætantur? Sic instantibus nundinis, institores nectere moras, occasiones quærere solent, ne quem fortè sibi ex eis quæstum provenire contingat? Sic denique pauperes mendicantes, cum multis clamoribus evocatus tandem affuerit eleemosynarum distributor, diverticula captant, & concurrentibus sociis vacuos ambiunt occupare recessus, & fovere latebras in angulis platearum?

Utinam tamen, vel solum tempus vitæ amitteretur in his verbis! sed multi in his etiam vitam amittere comprobantur: nec modo ipsi amittere, sed adimere quoque, & hoc fratribus suis. An non amittunt vitam detractores, DEO odibiles, odibiles vitæ?

Exempli interjectis ait: Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suavitatis. Tenerum membrum lingua; attamen vix teneri potest: subtilitia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum, & validum invenitur. Modicum membrum est, sed nisi caveas, magnum malum. Tenuis est & lata, apussimum vacuandis cordibus instrumentum: sicut multorum mihi inter vos conscientias arbitror attestari, nisi fortè omnes tam perfecti simus, ut nunquam nobis, post longas confabulationes, inventa sit mens quodam modo vacua, meditatio minus devota, ficca magis affectio, & holocaustum orationis non usque adeo pingue, propter verba, sive quæ diximus, sive etiam quæ audivimus, verba tamen. Facilè enim lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi, ita, ut multis inter loquendum minus profuerit, quod propriam cohibuerint, dum non caverint alienam.

Lingua modicum est membrum, nisi frenetur magnum malum.

Utilis est frater, qui tibi loquitur: sapiens est Religiosus ac timens DEUM: plus dico: Angelus est, & Angelus lucis: etiam sic cave tibi, ne audias unde lædaris. Nec personam velim tibi suspectam esse, sed linguam: præsertim in sermocinatione communi. Bona quidem columbæ simplicitas, sed in hac parte serpentis quoque astutiam non omittas. Huc usque Bernardus.

Doctrinam sedulo observandum.

Gregorius *Lib. 7. Moral. Cap. 17.* super illud Job 6. *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba proferris* (inquit). In ventum verba proferre, est, otiosa dicere. Nam sæpe, dum ab otiosis verbis nequaquam lingua compescitur, ad temeritatem quoque stultæ increpationis effrænatur. Nam, dum otiosa verba cavere negligimus, ad noxia pervenimus.

Et infra. Quod autem multiloquio quisque serviens, rectitudinem justitiæ tenere non possit, testatur Prophetæ, qui ait: *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Hinc Salomon iterum dicit: *In multiloquio peccatum non deerit.* Hinc Isaias ait: *Cultus justitia silentium*, videlicet, indicans, quia mentis justitia desolatur, quando ab immoderata loquutione non parcitur. Hinc Jacobus dicit: *Si quis putat se Religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum; hujus vana est Religio.*

Ps. 139. Prov. 10. Isa. 32. Jac. 1. 6.

Hinc

Ibidem. Hinc rursum ait: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Hinc

Jacob. 3. iterum adjungit: *Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero.* Hinc per semetipsam nos

Matth. 12 veritas admonet dicens: *Omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicij.* Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensandum valde est, quæ pœna illud multiloquium sequatur, in quo etiam per superbiæ verba peccatur.

Sciendum quoque est, quod ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur. Humana etenim mens, aquæ more, circumcluſa, ad superiora colligitur: quia illud repetit, unde descendit. Et relaxata deperit: quia se per infirma inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis à silentii sui censura dispensatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde & redire interius ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquium exterius sparsa, vim intimæ considerationis amittit. Totam igitur sese insidiantis hostis vulneribus detegit; quia se nulla munitione custodiæ circumcludit. Unde

Prov. 25. scriptum est: *Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu: ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis: & cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit: quam tanto ille sine labore superat, quanto & hæc eadem, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.

Et paucis interjectis prosequitur: Lingua sub magni moderaminis liberatione frænanda est, non insolubiliter liganda: ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta, etiam ab utilitate

Eccli. 20. torpescat. Hinc per Sapientem dicitur: *Sapiens tacebit usque ad tempus*: ut nimirum, cum opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendo quæ congruunt, in usum se

Eccl. 3. utilitatis impendat. Hinc Salomon ait: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.*

Discretè quidem vicissitudinum pensanda sunt tempora: ne aut cum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat: aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigrè restringat. Quod bene Psalmista considerans, brevi

Ps. 140. postulatione complexus est, dicens: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Ostium namque aperitur, & claditur. Qui ergo ori suo nequaquam ponit obstaculum, sed ostium petit, aperiè docuit, quod & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari, quatenus os discretum, & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas claudat.

Divus Joannes Chrysostomus de otiosis confabulationibus, *Homilia 17.* in Epistolam ad Ephesios *Capitulo 5.* in expositione morali, sic ait: Nullus sit nobis sermo otiosus. Ex otioso quidem sermone incidimus & in absurdos. Præsens tempus non effundendi gaudii, sed luctus est, tribulationum & lamentationum. Tu verò leviter urbanis facetiis jocularibus? Quis athletarum stadium ingressus, relicta solicitudine cum adversario certandi, facetiis utitur? Instat diabolus: circuit rugiens, ut rapiat: omnia movet ac tentat; omnia adversus caput tuum invertit, extraque nidum ejecere te molitur: dentibus stridet ac fremit: ignem spirat adversus salutem tuam: & tu sedes, facetias effundens, & quæ stulta sunt, & ad rem non conveniunt, effutiens? Poteris itaque ipsum bene superare? Ludimus dilecti? vis discere sanctorum conversationem?

Sermones otiosos sequitur absurdi.

doctrina impensa adverzenda.

Audi Paulum dicentem: *Per triennium* (inquit) *nocte ac die non destiti cum lachrymis admonere unumquemque vestrum.* Si verò pro Milesiis & Ephesiis tanta usus est diligentia, non facetias loquens, sed cum lachrymis admonitionem inferens: quid de aliis dici poterit? Audi verò quid & Corinthiis dicat: *Ex multa tribulatione* (inquit) *& angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas.* Et iterum: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror?* Quin audi, quid & alibi dicat: *Nam & nos* (inquit) *qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus.* Et per singulos dies (ut ita dicam) ex hoc mundo migrare cupiente Apostolo, tu rides, & ludis?

Act. 20. 2. Cor. 2. 2. Cor. 11

Belligerantium conditio describitur.

Belli tempus est, & tu quæ tripudiantium sunt, usurpas? Non vides bella gerentium facies, quomodo sunt tristes, contractæ, supercilijs terribiles, & horrore plenæ? Vide aciem oculorum austeram, cor excitatum, saliens & palpitans, animum collectum, trementem, ac trepidantem (ut multam disciplinam rerumque concinnitatem taceam. Itaque apud illos non licet turpe verbum dicere, imò nec loqui quidem temere. Multum silentij illis, qui in exercitu sunt, sibi invicem mandantibus. Si ergo illi, quibus cum sensibilibus & carnalibus hostibus bellum est, quique nihil ex sermonibus nocere poterunt, tanto utuntur silentio: tu cui in sermonibus bellum est, imò potior pars belli, eam tibi partem incautam relinques & nudam? An ignoras, quod hinc potissimum pluribus insidiis obruimur? Ludis, deliciaris, facetias dicis, ac risum moves, nihil ista curans? Quot sunt ex facetiis perjuria, quot incommoda, quot stulti loquia? Sed tales (inquis) non sunt facetiæ. Verum audi, quod omnem facetiarum urbanitatem rejecerit Apostolus.

Belli tempus est, pugnæ, vigiliarum, custodiæ, armaturæ & aciei. Nullum hîc locum habet ridendi tempus; illud enim mundi est. Audi Christum dicentem, Mundus (inquit) gaudebit, vos autem contristabimini. Malorum tuorum gratia crucifixus est Christus, & tu rides? Alapis percussus est, tantaque commodi tui gratia ad avertendam tempestatem, quæ te occupabat, passus est, & tu deliciaris? Et quomodo, quæso, ipsum non magis ad iracundiam provocas? Hæc ille.

Divus Bonaventura *lib. 3. Pharetra Cap. 3.* de multiloquio Gregorium referens in moralibus, *Certum est* (inquit) *quod verbosus vir justificari nequeat. Item: Mentis justitia desolatur, quando ab immoderata loquutione non parcitur.* Idem Gregorius in Pastoral. *Quia murum silentij non habet, patet inimici jaculis civitas mentis: & cum se per multa verba extra semetipsam ejicit, apertam se totam adversario ostendit; quam ille tanto sine labore superat, quanto & hæc eadem quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.* In Proverb. dicitur: *Sicut urbs patens, & absque murorum ambitu: ita vir, qui non potest*

in loquendo cohibere spiritum suum. Idem super Ezech. *Valde difficile est, ut qui multa loquitur, non etiam mentiatur.* Isidorus in Sinonymis: *Loqui multum stultitia est, & vox insipientis in multiplicatione sermonis.* Idem: *Multiloquium non declinat peccatum: fluvius enim exundans, citò colligit lutum.* Hucusque Bonaventura.

Monasti ci incessus decorum.

Ac denique Petrus Damianus silentium *serm. 2. de vitio linguæ* his verbis commendat: Curate ergo (fratres mei) cùm invicem convenitis, ut honestè, graviter, & morosè, incedere studeatis: quatenus debitæ mortificationis insignia præferentes, & inter vosmetipsos quietè ac pacificè fraterna valeatis charitate congruere, & extrinsecus advenientibus sanctæ conversationis exempla præbere: præcipuè tamen, loquacitatis vitio seve è ac vigilanter obsistere, prurienti linguæ frænum sobrii moderaminis adhibere: ne (quod absit) brevis horæ spatio perdatis (otiosa loquendo) quod per plures dies acquisistis orando: & nunc ex lingua leviter effluat, quod mentem postea (pœnitendo) graviter premat. Sæpe namque inter reliquos cibos unus fortasse à comedente trajicitur, qui per plures dies postmodum occupans stomachum, minimè digeratur. Sic nimirum inter multa verba, quæ indiscretè proferimus, impossibile est, ut non quandoque aliquid prodeat, quo deprimi mentis nostræ stomachum sentiamus, ac per hoc nequeat facilè digeri, quia non potest oblivioni traditum, à cogitatione deleri.

Linguæ frænum adhibendum.

Verba otiosa mentem lædunt, ut cibi quidam stomachum.

Vana securitas ex silêtio cavenda.

Nonnulli enim Fratrum, postquam se aliquando siluisse meminerint, quadam (quasi ex ipso silentio) securitate præsumpta, mox ad proferenda vana quæliber, & levia defluunt: & non ad necessitatis indicia, sed ad voluntatis potius petulantiam indiscreta ora resolvunt. Quibus profectò valde timendum est, ne magis DEUM de vitio vanifluæ verbositatis offendant, quam sibi prius de silentii sui censura placaverant. DEUM siquidem, quem silentio, & orationibus insistendo, in se suscipere fortassis antè meruerant, nunc vacando fabulis & sermonibus otiosis tanto periculosius, quanto vicinius persequi non formidant.

Linguæ vitium gravissimis criminibus æquale. *Iacob. 1. c.*

Et infra ait: Quid autem vaniloquio potest esse deterius, quod non modo per semetipsum, infelicem animum lethaliter gravat; sed & ipsam honestæ vitæ religionem, quæ hominem DEO jungit, evacuat? Jacobo testante, qui ait: *Si quis putat se Religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio.* Quibus nimirum verbis luce clarius constat, quia in nihilum omnis nostra Religio redigeretur, nisi solicitè immoderata linguæ lascivia compescatur. Qui rursus ait: *Jacob. 3.* *Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Si viri perfectio in custodia verbi ponitur, profecto patet, quia per effrenatæ loquacitatis incuriam, omnis etiam perfectæ vitæ compositio dissipatur. Et si rem velimus diligenter inspicere, deterius peccat plerumque lingua, quam vita. Nam etsi vigilanter animam nostram custodire proponimus; tamen, quia propagati de carne cum peccato sumus, impedientes sæpius ipsa carnis infirmitate, peccamus: sed quicquid in humana conversatione delinquitur, fructuosæ pœnitentiæ remedio & crebris orationibus expiatur.

Considereamus ergo (Fratres charissimi) quam grave sit delinquere in lingua, quæ compuncti & amari cordis interpres, pro nostris delictis efficaciter consuevit orare: & eam vanissimæ loquacitatis virio ream atque obnoxiam divino conspectui reddere, quæ nimirum in suæ munditiæ puritate persistens, nostris reatibus poterat veniam obtinere. Unde non immeritò per virum Sapientem dicitur: *Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuit ossa.* Ecce, lingua ossa non habet, & ossa comminuit: quia, cum ipsa per ventosa verba leviter effluit, fortia atque robusta virtutis nostræ facta corrumpit. Nam cum *mors & vita* sit *in manu* linguæ, valde cavendum est vitium, quod & manu ad feriendum uti dicitur, unde inaniter loquentis anima trucidetur. Unde non immerito idem, qui supra, Sapiens dicit: *Multi ceciderunt in ore gladij: sed non sic quasi, qui interierunt per linguam suam.*

Quibus remedio linguæ vitium cohiberi valeat?

Duo autem unicuique necessaria sunt, qui se ab hujus nequitiæ peste custodire desiderat, ut (videlicet) & proprium os à supervacuis sermonibus comprimat, & aures etiam ab ineptis alienæ loquacitatis confabulationibus claudat. Quoniam hoc virus non solum eos, à quibus oritur, lethaliter inficit: sed eos etiam, in quos effunditur, perniciosa tabe corrumpit. Unde scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis: Aurum tuum, & argentum conflа, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos, & attende, ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.* Salomon autem dicit: *Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet malum.* Nec enim credendum est, (Fratres mei) Sanctos Doctores (novi scilicet ac veteris testamenti) tot sententias sine causa adversus linguæ vitium protulisse. Nisi enim huic morbo immane periculum inesse cognoscerent, nequaquam adversus hunc tam austerè, tam multipliciter, tam uniformiter disputarent.

Ut enim cetera testimonia sacræ Scripturæ præteream, quem Apostoli verba illa non terreant, quæ de hac pernicie terribiliter intonat, dicens: *Ecce* (inquit) *quantus ignis quam magnam sylvam incendit! Et lingua ignis, est universitas iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna.* Non autem immerito lingua ignis dicitur: quia sicut de insipiente Salomon dicit: *Apertio oris illius inflammatio.* Si ergo ignis est, quæ omnem virtutum nostrarum sylvam incendit: si universitas est iniquitatis: si totum corpus sua fœditate contaminat: si rotam nostræ nativitatis inflammat, id est, si omne meritum instabilis vitæ nostræ, suæ damnationis incendio devorat: nisi linguam suam quis discreta moderatione custodiat, quis de sobrietate, quis de castitate præsumere, quis de jejuniis, sive de vigiliis, atque alia se poterit bona operatione jactare?

Ponamus ergo (Fratres charissimi) frænum ori nostro: non ex eo verba scurrilia prodeant: non fluxæ lætitiæ fomenta prorumpant. Non lingua nostra fratris infirmi vitam detractione mordeat: non benè currentis opera sub vitæ hujus incerto, præcipitanter extollat: non præterita facta vel dicta inaniter recitet: non quid à sæcularibus agatur, inter fratres pestilenter enarret,

enarret. Servemus & nos quod Paulus Coloſ-
ſenſibus præcipit, dicens : *Sermo veſter ſemper in*
Coloſſ. 4. *gratia ſale ſit conditus, ut ſciatis, quomodo oporteat*
vos unicuique reſpondere. Sit ergo lingua noſtra
modeſta, ſobria, diſcreta, pudica : ſit oris noſtri
ſaliva virgo die creſcente, & niſi utilitatis occaſio
præbeatur, uſque in craſtinum ſive perendie in-
corrupta ſervetur.

Portatis vobiſcum, portatis (fratres mei) cla-
vem cellulæ : portate clavem linguæ : opponitis
peſſulum oſtio, adhibete retinacula ſalubriter
ori veſtro. Auceps non emittit Accipitrem, niſi
anſerem videat : & Monachus dimittet linguam
ſuam, ſi loquendi neceſſitas non aſſiſtat ? De-
dignatur venator catulum ſolvere, niſi lepus ap-
pareat : viliorem habeat Monachus linguam
ſuam, quam ad nullius ſalutem vel commodum
inutiliter ſolvat ? Sudat lapis in manu oppu-
gnantium mœnia : & incaſſum volet verbum de
ore ſtantis in ſanctæ militiæ diſciplina ? Arcus
flexis cornibus fruſtra non intenditur, & ratio-
nale os ad effundendum ſuperfluа paſſim reſeratur ? Parcitur pharetræ, ut ex ea ſagitta leviter
non exeat : non parcitur linguæ, ut mordax in
quemlibet verbum, velut ictum vulneris non
infligat.

Quid ad hoc fratres dicimus ? qua nos argu-
mentatione defendere, qua nos poſſumus artifi-
ciosa excuſatione purgare ? Nunquid non faci-
lius eſt atque tranquillius tacere, quam loqui ?
Nunquid non laborioſius eſt, linguam per tot
loquacitatis verba diſcurrere, quam in ſuo quie-
tam ſilentio permanere ? Unde non immeritò
Jerem. 4. de quibuſdam per Jeremiam dicitur : *Docuerunt*
linguam ſuam loqui mendacium : ut iniquè agerent,
laboraverunt. Laboraſſe dicuntur, ut iniquè age-
rent, qui tacendo utique, ſine peccato melius
quieviſſent. Etſi fortè quemlibet fratrem in lin-
gua ſe fatigare jugiter delectat, Paulum audiat,
1. Cor. 14. quid dicat Corinthiis : *Quid ergo fratres ? cum*
convenitis, unuſquiſque veſtrum Pſalmum habet,
doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet,
interpretationem habet, omnia ad ædificationem
fiant.

Si quem ergo tædet linguam ſuam rigida ſi-
lentii cenſura compeſcere, orando, pſallendo,
legendo, ſive etiam ædificationis verba profe-
rendo, ſtudeat eam ſalubriter exercere : ne cui
nunc ardet lingua in loquendi concupiſcentia,
damnationis ſuæ poſtmodum comburatur in
pœna.

Neque enim negligenter audiendum eſt,
quod dives ille petebat refrigerari linguam
ſuam, quia cruciabatur in flamma : quia enim
juxta Apoſtolicam ſententiam, humana lingua à
Gehenna, hoc eſt, à gehennalibus incolis nunc
dicitur inflammari : non immeritò poſtmodum
flammis ultricibus tradita, cum eiſdem ſimul
metatur aduri. Unde non incongruè de perverſa
Eccli. 28. lingua per Sapientem dicitur : *In flamma* (inquit)
ſua non comburet juſtos : qui derelinquunt DEUM,
incident in illam, & exardebit in illis, & non extin-
guetur : & immittetur in illos quaſi Leo, & quaſi
pardus, ladet eos. Illud etiam quantæ formidini,
quanto nobis debet eſſe terrori, quod Veritas ait:
Matth. 12 *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homi-*
nes, reddent rationem de eo in die judicij.

Audiat vaniloqua lingua, audiat lingua otio-
ſa, audiat lingua ſcabioſa ; lingua (inquam) ſca-
bioſa, quæ velut ſcabiem quandam atque pruri-
tum patitur, niſi ſemper quodammodo acuto
ſupervacuæ loquutionis ungue ſcalpatur. Au-
diat, & paveſcat : intelligat, & tam terribilem
ſententiam perhorreſcat. Audiat torrorem ju-
dicii de ore ipſius judicaturi. An non habeat au-
res, ut poſſit audire, quæ & manum habet ut
poſſit occidere ? *Mors* enim *& vita in manu lin-*
guæ. Audiat ergo quod ex ore veritatis dicitur,
& ſubtili meditatione diſcutiat, quod minatur:
Omne verbum (inquit) *otioſum, quod loquuti fue-*
rint homines, reddent de eo rationem in die judicij.
Ponamus itaque, ut otioſum verbum (ſi contra
ſacræ Scripturæ ſententias fas eſt dicere) leve ſit
& exiguum omnino peccatum. Sed quid milio
brevius ? Quid pennâ levius invenitur ? Verun-
tamen, ſi pennarum vel miliorum innumerabilis
multitudo congeritur, neceſſe eſt, ut portantis
cervix, velut ſub gravi lapide immoderantius
preſſa frangatur. Ex humentibus quoque ſaxis,
tenuis quidem & rara gutta diſtillat : ſed ſi vas
ſubeſſe ſpatio longiore permittitur, ita plenum,
ac ſi profluens unda decurreret, invenitur. Par-
væ quidem, ſed innumeræ ciniphes, ſuperbi Pha-
raonis & totius Ægypti ſuperavêre virtutem.
Breve tempus eſt, hora ; ſed dum hora horæ con-
tinua ſucceſſione conjungitur, totius vitæ noſtræ
curſus impletur.

Nemo itaque ſemetipſum decipiat (fratres
mei) ſed peccatum, quia leve arbitratur eſſe,
dum penſat, grave videatur in ejus æſtimatione,
cum numerat. Quid enim durius ſaxo ? Quid
aquâ liquidius ? Et tamen à quodam ſapiente di-
citur : *Gutta cavat lapidem, conſumitur annulus* Ovid.
uſu. Nimirum & omnis animæ noſtræ fortitudo
ac ſoliditas deſtruitur, ſi aſſiduis inundantium,
& quodammodo pluvialium verborum fluxi-
bus atteratur, quamvis & leviter ſe peccaſſe quis
aſſerat, cum Apoſtolus dicat : *Qui legem præterit,* Ad Rõ. 2.
DEUM inhonorat. Porrò otioſis verbis aſſuetus,
duplici procul dubio culpæ videtur obnoxius :
qui & divinas laudes, ad quas humana conditio
aſſiduè provocatur, abjicit, & ſuperfluæ loquacita-
tati, à qua prohibetur, inſiſtit. Sicut de quibuſ-
dam Jeremias dicit : *Duo mala fecit populus meus:* Jer. 12.
me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi
ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.
Quæ nimirum Prophetæ verba etiam de otioſa
loquentibus poſſunt non inconvenienter intelli-
gi : qui derelicto fonte aquæ vivæ (hoc eſt, poſt-
poſito verbo vitæ) ora ſua ciſternas faciunt, ex
quibus non novi, ſed veteris hominis verba pro-
ferunt : quemadmodum non recentem de fon-
te, ſed ſentinoſam potius aquam de ciſterna pro-
ferunt, & quia labia ſua moderata diſcretione
reprimere neſciunt, ciſternæ diſſipatæ aquas ne-
queunt continere.

Notandum ſanè quia ſicut avis advolans ex-
ponit ſe ramo cujuslibet arboris : ſic malignus Dæmon linguæ verboſæ, ut avis ramo inſidet.
ſpiritus plerumque veniens inſedet linguæ in-
conſideratè loquenti : & inordinatum quid in
decurſu ſermonis per ſurreptionem ſuadet effluе-
re, unde poſtmodum veniens (quaſi congeſta
dimicandi materia) cor hominis valeat impu-
gnare. Intra conſcientiam ſuam, fratres chariſ-
ſimi, unuſquiſque veſtrum redeat in ſe, culpam
quam dicimus recognoſcat. Sæpe namque ali-
quid loquimur negligenter, unde poſtmodum
ad ſilentii noſtri cuſtodiam redeuntes, tantam
ingruentium cogitationum moleſtiam patimur,
ut vix tolerare poſſimus. Et pœnitet quidem

omnino, tam incautè noxia protulisse, sed remedium non occurrit: quia quod semel emissum volat, non possumus revocare. Unde Flaccus ait: *Et semel emissum volat irrevocabile verbum.*

Oramus, psallimus: sed vellere de corde nostro infixum spinæ illius aculeum non valemus. Tunc vereranus hostis, cum mentem nostram in tanto versati turbine conspicit, victor & insultans gaudet, se quasi fructus de suo labore colligere, quos in malè veraci terra linguæ nostræ meminit seminasse. In quo videlicet facto quid aliud quam Turdelam imitatur, quæ ex eo, quod digerit, moritur? Ex ejus quippe stercore planta nascitur, de cujus humore viscus conficitur, quo postmodum & ipsa capitur: atque ex eo, quod prius fuerat cibus ejus, agitur, ut & ipsa postmodum sit cibus alienus.

Ita ergo cum immunda quæque ac vana proferimus, quid aliud, quam laqueos, nobismetipsis loquendo compingimus: quibus ab astutis aucupibus (hoc est à malignis spiritibus) capiamur? Sæpè autem sermo noster non loquenti, sed audienti pugnam generat, ita, ut cor ejus in odium illius, qui contraria verba protulerat, vehementer accendat: etsi facultas adsit non tam verba verbis reddere, quam malæ retributionis actibus parat respondere. Hæc autem in ipsa verborum confabulatione parvi pendenda nobis videntur, & levia: sed cum ad orationum secreta recurrimus, reducta protinus ad memoriam, dura prorsus & intolerabilia judicamus.

Quapropter (dilectissimi fratres mei) studeamus nosmetipsos intra silentii claustra reprimere, & linguas nostras à vanis & inutilibus eloquiis cohibere. Anima namque nostra supernæ Regis est sponsa, quia accepto pignore sancti Spiritus, signaculo fidei est dotata. Maneat ergo in penetrabilibus suis virgo, non indecenter in publicum prodeat: non per oris limen egressa, insuper vacua verba cum sæculatibus inaniter fundat, ne, cum eam sponsus à modesta pudicitiæ suæ gravitate deviare conspexerit, quandoque objurgans dicat: *Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum.* Cant. 1. In cubiculo ergo suo, virginali more resideat, oris ostium claulum teneat, & nunquam, nisi quæ ad expectandum sponsi cælestis adventum pertinent, loquutura procedat. Sub umbra silentii reprimat se, ne decolor videatur, ab omni æstu negotii sæcularis abscondat se, ut non immerito possit cantare alacri voce, *sub umbra illius quem desiderabam, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cant. 2. *Introduxit me in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem.*

Anima nostra Dei sponsa est.

Solent autem sponsæ nobilium, diversas pigmentorum species mandendo per ora revolvere, ut advenientibus pro eis flagrantius valeant, ac suavius redolere. Anima etiam nostra, cepas, allia, & quicquid terrenæ prudentiæ acrimonia fervet, prorsus abhorreat: casiam vero assiduæ orationis, stactem sacræ lectionis, & Psalmodiarum cinnamomum, & cuncta odoramenti spiritualis aromata jugiter fragrare contendat. Christus sit omne quod loquitur, omne quo delectatur, omne quod sapit, omne quod vivat. Christum spiret, Christum flagiret, Christum æstuet, Christum ore pronuntiet, Christum assidua cordis meditatione pertractet. Hactenus Petrus Damianus & ceteri Patres, qui tantopere silentium commendant: ut interim omittam (ne prolixior videar) Magnum Gregorium, qui in *Tractatu* in quadragesimi jejunii silentium, optimè graviterque, ut solet, linguæ damna silentiique utilitates descripsit.

CAPUT XVI.

Exhortatio Prioris ad Humilitatem.

TEXTUS.

TV autem frater Brocarde, & quicumque post te institutus fuerit Prior, illud semper habeatis in mente, & observetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicunque voluerit inter vos major fieri, erit minister vester: & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

GLOSSA IV.

IN hac & sequenti exhortatione Priorem monet ad humilitatem, & Fratres, ut Priorem suum venerentur, honorent, eique obediant. Et sic duo hoc loco à Regula exiguntur. Primum, Prælati erga subditos modestia, & humilitas. Secundum, subditorum erga Prælatum fidelitas, reverentia & obedientia: Circa primum D. Basil. in *Regulis fusius explicat. interr.* 30. Præfectumque sic instituit: *Præfectum:* (ait) *ne elatum faciat dignitas, ut ne ipse à beatitudine humilitatis excidat, aut etiam elatus, in judicium incidat Diaboli: verùm illud credat, quod plurium cura, plurium est ministerium. Quemadmodum igitur qui multis sanitatis ministrat, & singulorum vulnerum sanies detegit, & auxilia juxta subjecti mali proprietates adhibet, hoc ministerio non elationis occasionem sumit, sed potius humilitatis, studij, ac solicitudinis: sic multò amplius cui medela infirmitatum fraternitatis concredita est, velut omnium minister, & pro omnibus rationem daturus, meditari ac solicitus esse debet. Hoc pacto rectè assequitur scopum, velut Dominus dixit* Marc. 9. Cap. *Si quis vult inter vos esse primus, sit omnium ultimus, & omnium minister.* Hæc Basilius.

Vid. Cap. 35. & 36. part. 2. Disc. monast. Joã. à JESU MARIA & nost. Emmanuelis & Francisci Comm. in hoc Reg. Cap. qui de hoc argumento copiosissime disserunt.

D. Augustinus in *Reg.* Cap. 43. sic de Prælatis scribit: *Ipse verò, qui vobis præest, non se existimet, potestate dominante, sed charitate serviente, felicem. Honore coram vobis prælatus sit vobis: timore coram DEO substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum: corri-*

pias

piat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat: & quamvis utrumque sit necessarium, tamen à vobis plus amari appetat, quam timeri, semper cogitans, DEO pro vobis redditurum esse rationem. Unde vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius misereminì, qui inter vos quanto in loco est superiori, tanto in periculo majori versatur.

Divus Franciscus in sua *Regula Cap.* 10. de Prælatorum humilitate ita docet: *Fratres, qui sunt ministri & servi aliorum, fratres visitent &c.* Et infra: *Ministri tantam familiaritatem habeant erga Fratres, ut dicere possint eis & facere sicut Domini servis.* Quia (ut ibi Expositores, & præcipuè Divus Bonaventura adnotarunt) Prælati dicuntur ministri in spiritualibus, & servi in temporalibus. Et Hugo Dinensis in eandem Regulam: *In nomine Ministri* (ait) *humilitas, in nomine servi utilitas ostenditur. Nam ministri debent esse servi, non Domini fratrum; ministerium quidem, non dominium habentes: quia utilitate, & ministerio servire, & ministrare debent.* Et *ideo Ministri & servi vocantur.* Luc. 22. *Qui major est vestrum, erit minister vester*: nam Prælati tam humilitate, quam vitæ imitatione, Christo debent esse conformes, qui Matth. 20. ait, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

CAPUT XVII.

Exhortatio ad Fratres.

TEXTUS.

Vos quoque (ceteri Fratres) Priorem vestrum honorate humiliter, Christum potius cogitantes, quam ipsum: qui posuit ipsum super capita vestra: & Ecclesiarum Præpositus ait: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Ut non veniatis in judicium de contemptu, sed de obedientia mercamini vitæ æternæ mercedem.

August. in Reg. c. 23. Bened. in Reg. c. 4. Et optim in 3. part. *Regulæ Societatis Jesu Cap.* 1. n. 23. & *Reg. Monachorum Cap.* 1. & *Monacharum c.* 6. & *præcipuè* 8.

GLOSSA V.

Quomodo & quot modis subditus prælatus sit honorandus.

Hic jam subditos provocat ad honorem debitum Prælatis exhibendum. Honoratur autem dupliciter Prælatus à subditis. Primò, si eum ex corde & affectu diligant. Secundò, si ei reverentiam & obedientiam præstent. Quæ duo tunc convenienter fient, quando in Prælato potius Christi personam, quam hominis considerarerint: & sic eum de honore, tum etiam de obedientia mercedem habebunt.

Vid. Annot. noſt.

Similem exhortationem in Regula Augustini invenies, dum Cap. 23. inquit: *Præposito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.* Benedictus Cap. 72. *DEUM timeant, Abbatem suum sincera & humili charitate diligant, Christo omnino nihil præponant.* Hæc Benedictus.

In hac igitur ultima Regulæ parte Albertus hanc considerationem circa Prælatos, ut in ipsis Christum intueremur, tanquam potissimam atque præstantissimam, in hunc locum rejecit, ut firmius nostris mentibus semper inhæreret.

Antonii in hoc c. Regul. & Joan. à JESU MARIA *Cap.* 27. *lib. modo cit.* item Emmanuelis à JESU MARIA, & Francisci à S. Elia *insignes in hunc Reg. textum Discurs. & Commentar.*



CA-

CAPUT XVIII.

EPILOGVS REGVLÆ, ET *Exhortatio ad opera supererogationis.*

TEXTVS.

Opera supererogationis sine consensu

HAEc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundum quam vivere debeatis. Si quis autem supererogaverit, ipse Dominus cum redierit reddet ei: utatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.

Prælati non esse facienda, D. Basilius in Brevioribus interrogation. 138. Benedictus Cap. 39. sua Regula Carthusien. 2. part. Cap. 10. num. 25. & 28. & constitutio Societatis.

GLOSSA Vltima.

Legend. *Annotat.* nost. Anton. *in hoc Cap. nu.* 461. & 462. & ab eo *ibid.* laudat. B. Joan. Soreth, Hieronym. Gratian. & P. Lezana, aliique è nostris.

BRevem, compendiosam tamen & utilem vivendi normam nostra Regula continet: quia sæpe multis præceptis animus obrutus, oneri succumbit. Ita verò hæc brevis proficiendi formula nobis à Regula est præscripta, ut ipsa moneat, ultra præfixam metam progrediendum: & unicuique facultatem supererogandi, prævia discretione, concedat. Circa hanc tamen supererogationem, quam Regula hîc Religiosis permittit, tria à nobis tractanda sunt. *Primum* est, Omnibus maximè curandum esse, aliqua supererogationis opera facere. *Secundum*, qua ratione hæc cum discretione & obedientia facienda sint. *Tertium*, quæ sint ea, quæ ultra præcepta Regulæ, nostra Religio suis Constitutionibus adjecerit, ac supererogaverit.

DVBIVM I.

An omnes Christiani teneantur habere intentionem proficiendi in via virtutis, & Christianæ perfectionis?

HUic dubitationi respondet Cajetanus 2. 2. *q.* 186. *art.* 2. supponendo, in hoc profectu tria posse considerari. Primum est, executio eorum, quæ utilia videntur ad proficiendum. Secundum, Intentio exequendi ea, quæ ad hunc profectum conducunt. Tertium, contemptus proficiendi.

Primò, constat, si de exequutione loquamur tam interioris, quam exterioris actus, in hoc vel in illo opere eam omittere, nullum esse peccatum: ut si quis omittat exercitium actuum humilitatis, & alicujus operis Misericordiæ, quando non currit præceptum. Et ratio hujus est: quia nulla lex obligat ad tale bonum exercendum, ut supponitur: & sic nullum erit peccatum. Quare sufficit, quod quilibet Religiosus caveat offensam DEI in his; quæ sibi præcepta sunt: licet alia, quæ sunt supererogationis opera non faciat; ut in simili proposito, de quolibet Christiano respectu mandatorum DEI, docet Gerson 3. *part. Tractatu* de perfectione cordis, Alphabetico 68. *Lit.* F. G. & H. *Non peccat* (inquit) *si Christianus consilia non adimpleat, si caveat offensam DEI, & gratias agat DEO; eò quòd noluerit hominem amplius obligare, quam ad præcepta: & non languet circa adimpletionem præceptorum, sed diligenter, & strenuè & integrè ea exercet.* Hæc ille. Et addit Gerson, quod aliquando Christianus aliquas faciat supererogationes: quia, (ut ipse *ibidem* notat, & Angestus *in moralibus Cap.* 8) licet nullus teneatur ad consilia, tamen vix contingere potest, ut homo præcepta debitè adimpleat, quin aliquando aliquid consilii supereroget: saltem quoad intentionem voluntatis.

Quæ proportionaliter Religiosis applicanda sunt. Impossibile enim (moraliter loquendo) videtur, quod si quis tantum ea, ad quæ tenetur, velit implere, ea debitè exequatur, quin aliquando deficiat & cadat: ut in proposito optimè docuit Divus Augustinus in *sermone* de verbis Apostoli. *Semper* (inquit) *tibi displiceat quod es, si vis venire ad id quod non es: nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti: si autem dixisti, sufficit, periisti. Idem semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via deficere, noli retroire, noli deviare: remanet enim, qui non proficit.*

Divus Bernardus *Epistola* 91. *ad Abbates Suessione congregatos; Recedant à vobis, qui dicunt: volumus esse meliores, quam Patres nostri: tepidorum & dissolutorum se filios protestantes: quorum memoria in maledictione est.* Et infra: *Aut ascendas* (inquit) *necesse est, aut descendas: si attentes stare, ruas necesse est. Minimè profectò est bonus, qui melior esse non vult: & ubi incipis nolle esse melior, ibi etiam desinis esse bonus.* Et *Epistola* 253. *ad Abbatem Guarinum: Vera virtus finem nescit, tempore non clauditur: nunquam justus arbitratur, se comprehendisse: nunquam dicit; Satis est.* Et infra: *Quod si studere perfectioni, esse perfectum est, profecto nolle proficere, deficere est; Ubi ergo sunt qui dicere solent: sufficit nobis: nolumus esse meliores, quam Patres nostri? O Monach., non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi (inquis) vivere volo, & remanere in quo perveni: nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest.*

Idem Bernardus infra: *Hinc planè colligitur,*

quia

nolle proficere, non nisi deficere est: inter profectum enim, & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium invenitur. Necesse enim est, spiritum aut proficere semper, aut deficere. Idem ferè repetit Epistola 341. quæ est ad Monachos Sancti Bertini.

Frequens etiam est apud Bernardum & alios Patres hoc adagium, *In via DEI non proficere, deficere est*: vel, *Non progredi, regredi est*. Nam qui sic est cum DEO limitatus & parcus, ut ultra id, quod tenetur, nihil aliquando addat, etiam si id facile sit; vix rectè ea servabit, ad quæ tenetur. Nam tandem (DEO id permittente) occasione oblata ruet. Nam qui hujusmodi vivunt, non merentur à DEO abundatoria, seu specialiora auxilia.

De hoc latius videndus est Richardus de Sancto Victore, in *Cantic. lib. 3. Cap. 9. & 11.* & *Cant. 4. Cap. 25.* ubi multis rationibus, & similitudinibus probat, quod tenemur in melius proficere, ut perfectionem assequamur, & ut à peracto itinere non deficiamus. Prædicta autem intelligenda sunt, quando quis non facit actum positivum non proficiendi, (de quo statim dicemus:) sed tantum dicit absolutè: sufficiat mihi præcepta adimplere.

Quoad Secundum verò, in quantum respicit intentionem proficiendi, nempe, quando quis habet animum & intentionem non proficiendi amplius, nec faciendi id, quod melius aut perfectius est, sed tantum proponit servare mandata, alia verò omnino, & positivè non vult servare, nec ultra mandata proficere: hunc quidem sine dubio peccare dicendum est: ut docet Cajetan. *dicta q. 186. art. 2.* quia firmat animum contra spiritualem profectum, &, quantum est de se, directè ponit obicem Spiritui sancto & gratiæ DEI: quod est peccatum. Verum non est tam grave peccatum, sicut si hanc intentionem juramento vel voto confirmaret: quia tunc propter majorem animi firmationem contra gratiam, & propter majorem irreverentiam, quando fit ex voto vel juramento, est peccatum mortale: quod non contingit, quando solum fit sine juramento vel voto: quia solum tunc est peccatum veniale, cum non transgrediatur aliquod præceptum, ad salutem necessarium. Et cum hac intentione salvari potest dilectio DEI super omnia: quamvis (ut supra diximus) hic status valde periculosus sit. Quod confirmari potest ex testimoniis Sanctorum PP. nuper adductis.

Ex his ergo infertur, quod si exequutio vel intentio ultra progrediendi omittatur in hoc vel illo opere, non erit peccatum, & aliquando nec veniale. Si verò quis habeat intentionem servandi ea, ad quæ sub præcepto tenetur, & omittere alia bona supererogationis sive consilii, quæ conducunt ad spiritualem profectum: tunc ipse peccat venialiter, quia, quantum est de se, ponit obicem Spiritui sancto. Hæc Cajetani Doctrina, quæ his duabus propositionibus, claudi tur, communiter à Thomistis recepta est in *dicto art. 2. ubi supra.* Eam etiam tenet Corduba in *Regulam B. Francisci Cap. 1. q. 3.* ubi de Religiosis loquens, docet, eos peccare, si intendant nunquam proficere, seu non facere alia bona, neque alio modo meliora, quam sua Regulâ, vel Constitutionibus taxantur. *Et peccabunt* (inquit) *eò gravius, quo magis eos docet attendere perfectioni, quam alios Christianos.*

Quoad Tertium verò attinet, dicendum est, quod quando quis omittit alia opera supererogationis ex contemptu, tunc mortaliter peccabit: quia contemnens consilia divina, ipsum DEUM contemnit. Intervenit autem hujusmodi contemptus, ut docet Cajetanus *ubi supra*, quando homo refugit subjici consiliis divinis, ut consiliis; & profectui charitatis, ut profectui charitatis: ut perfectiori viæ. Si quis autem spiritualem profectum, & divina consilia reveretur; sed, quia non obligatur ad illa, & non sunt necessaria ad salutem, non vult illa amplecti, & nihil curat de illis, quantum ad suum profectum; talis verè non contemnit: & sic non peccat mortaliter, sed tantum venialiter, quia omittit (ut diximus) intentionem, & exequutionem sui profectus.

Opera supererogationis quando & quatenus sint obligatoria.

Ex his infero, quod opera supererogationis licet absolutè nullo modo sint sub præcepto: tamen contemptus eorum est sub præcepto. Deinde non habere contrariam intentionem ad illa, est sub præcepto: licet tantum obliget ad veniale. Quare Regula nostra meritò ad opera supererogationis nos inducit, cum ait: *Si quis autem supererogaverit &c.*

Secundò infero, esse maximè laudabile, alia opera ultra id, quod præcipitur, conari adimplere. Nam cum omnes Religiosi teneantur ad perfectionem tendere, laudabile est, non solum media sibi ad hunc finem determinata, sed etiam alia plura exequi, ut facilius finem consequantur. Neque hæc singularitas vitium reputari debet: quia tunc aliquis singularitatis vitio notaretur, cum media necessaria, & quæ sub præcepto sunt omitteret; & alia supererogationis exequeretur: vel cum ista propter vanam gloriam, ut ipsum singulariter sanctum alii judicent, faceret. Maximè verò laudabile est (ut admonet Cassianus *lib. 11. Cap. ultimo*) omni studio quidquid in conversatione Fratrum minimè communis usus recepit, utpote quod inani subjicitur gloriæ, declinare: & ea, quæ nos possunt inter ceteros notabiles reddere, quibusque nobis, quasi solis ea facientibus, laus apud homines sit comparanda, summopere vitare. Quod in exteriori disciplina est intelligendum, quam communem cum aliis servare, laudabile est.

DVBIVM II.

An hoc, quod Regula monet de supererogationis operibus, intelligi debeat etiam sine Superioris licentia?

PRo affirmativa parte hujus dubitationis in primis urget Regulæ textus expressus, qui nos ad hæc excitat opera: nec requirit Superiorum interventum, ac facultatem. Igitur, illis prorsus nescientibus & ignorantibus, hæc laudabiliter fieri possunt.

De necessitate & summa utilitate operum supererogationis copiosissime disserit in *Commen. sup. hoc Regula*

Secundò, quia DEUS nos hortatur ad benè operandum, secundum illud Ecclesiast. 9. *Quodcumque potest manus tua, instanter operare*: sed ubi adest consilium DEI, frustra hominum expectatur beneplacitum: Ergo non est necesse, voluntatem Prælatorum præcedere ad hujusmodi opera.

Et

caput, noſt. Ptã. ciſcus ſæpius laudatus.

Et confirmatur ex authoritatibus Divi Auguſtini, & Divi Bernardi præcedenti dubio allatis, ubi docent, ſemper proficiendum & ſupererogandum : & nullam mentionem faciunt de licentia Prælati. Et ſimiliter videtur pugnare pro hac ſententia illud Pauli, *Nolite Spiritum DEI extinguere &c.*

Tertiò, Quia Sanctorum vita nobis imitanda eſt : multos vero Sanctos in ſpiritualibus profeciſſe novimus, & multa bona opera patraſſe ſine Prælatorum conſilio, ut conſtat de multis Eremitis, qui ſolitariam vitam degentes, Prælatos minimè conſulere potuerunt.

Ultimò, quia id, quod eſt occaſio alicujus vanæ gloriæ, oportet nos ſedulò fugere : ſed adire frequenter Prælatum pro conſilio vel licentia ad agendum aliquid ſupererogationis, occaſio eſt inanis gloriæ & propriæ æſtimationis : nam inimicus faciſè ſuggerit complacentiam de hoc, quod Prælatus nos æſtimet viros perfectos, & majoris profectus ſtudioſos : ergo licitè hoc ſæpe abſque Prælatorum interventu fit.

Sic Prima propoſitio : *Si prælatus præciperet abſolutè, ut nullus aliquod ſupererogationis opus faceret, ei non eſſet obediendum.* Hoc ex eo conſtat, quia illicitum præcipit, nam præcipit contra conſilium DEI, & contra ſpiritualem profectum, ob quod in animis ſubditorum obicem Spiritui ſancto ponit : & ſic ei minimè eſſet in hac re parendum. Verum eſt tamen, quod ſi Prælatus in aliquo particulari caſu, & ob aliquam rationabilem cauſam, præciperet, ne quis ultra id quod in communi fit, aliud ſupererogaret; tunc ſubditus obedire teneretur, quia licitè præcipit, & ſic inobedientiæ culpam incurreret, qui contrarium ageret.

Dico Secundò : *ſi Prælatus præciperet, ut nihil extraordinariè fieret ſine ejus licentia, tunc ſubditi tenentur obedire.* Ratio eſt, quia Prælatus, cum ſit Dominus noſtrarum actionum exteriorum, poteſt licitè prohibere, ne quid fiat ſine ejus examine : quia ipſe vult ſcire, in quibus, vel qualiter ſubditi exerceantur, quibus laboribus & pœnitentiis onerentur, ne fortè errent, vel indiſcretè ſuccumbant, vel impotentes fiant ad alia onera Communitatis, quæ ex præcepto tenentur adimplere. Et ſic, cum in his juſtè præcipiat, ei obedientia debetur : præcipuè cum in hoc ipſe non intendat ſpiritualem profectum impedire, ſed tantum ſubditis providere & conſulere, ut pro viribus onus ſuſcipiant, vel ne ea aggrediantur, quæ potius eorum ſpiritui noxia, quam utilia eſſe poſſunt : quod faciè ſubditi, ſi proprio judicio regantur, prævidere non poſſunt. Hæc concluſio magis ex ſequenti conſtabit.

Sed dices : Prælatus tantum eſt ſuperior Religioſorum in his, quæ Regulam concernunt : ſed hoc eſt ſupra Regulam : ergo in his non valet ſeſe intromittere. Reſpondeo, quod hæc etiam ad Regulam ſuo modo pertinent : nam Regula monet, ut fiant hæc opera : & ideo Prælatus ea poteſt moderari, & examinare, ut Superior. Secundò, (& hæc eſt ratio præcipua :) quia omnia, quæ ad Regulæ adimpletionem reducuntur, poteſt Prælatus licitè jubere; & præterea omnia impedimenta removere. Quare hæc opera, de quibus loquimur, poſſunt reduci ad Regulæ obſervantiam, in quantum poteſt quis per hæc exteriora opera incapax fieri, vel minus habilis ad ea, quæ in Regula mandantur exequenda.

Et ſic Prælatus poteſt illum ab his retrahere. Ob hanc enim rationem poteſt omnia ſubditorum vota irritare & annullare : & præcipuè ea, quæ de bono non præcepto neque in lege DEI, neque in Regula fiunt.

Quibus poſitis, ſolum eſt difficultas in eo caſu, nempe, quando Prælatus non prohibuit abſolutè hujuſmodi opera fieri, nec præcipit, ut non fiant : ſed merè negativè ſe habet. An tunc liberum ſit & optimum, ea opera ſine Prælati licentia facere : vel ſaltem æquè bonum ac ſi cum licentia fierent; vel denique non malum ?

Dico Tertiò : *in hoc caſu non eſſe peccatum, neque inobedientiam, inconſulto Superiore ſimilia opera facere.* Patet. Nam hoc opus ex ſuo objecto eſt bonum, nec ulla circumſtantia vitiatum; quia ſi aliqua vitiari poſſet, maximè inobedientia : ſed ſupponimus, nullum eſſe Prælati mandatum : ergo hoc opus bonum, & meritorium erit. Imò, etiamſi contrarium Prælatus præciperet; in Religionibus, ubi Prælatorum mandata non obligant ad culpam, nullum eſſet peccatum : ut alibi in *Tractatu de voto obedientiæ* docuimus, quamvis magna eſſet imperfectio, & non modicum errandi periculum.

Dico Quartò : *Periculoſum valde eſt, & non ita meritorium, iſta opera facere ſine Prælati obedientia.* Hoc dictum, in quo eſt tota hujus difficultatis vis, eſsè probandum eſt.

Et primò id expreſsè docet Divus Benedictus in ſua *Regula Cap.* 49. ubi agens de Quadrageſimæ tempore, ſic ait : *Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad ſolitum penſum ſervitutis noſtræ, orationes peculiares, ciborum, & potus abſtinentiam : & unuſquiſque ſupra menſuram ſibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio ſancti Spiritus offerat DEO : & ſubtrahat corpori ſuo de cibo, de potu, de ſomno, de loquacitate &c. Hoc ipſum tamen* (ait) *qui unuſquiſque DEO offert, Abbati ſuo ſuggeratur, & cum ejus ſit oratione, & voluntate. Quia quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis fit, præſumptionis deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedis. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda ſunt.* Hæc Divus Benedictus : ubi nihil ſine voluntate Abbatis, & ejus oratione, ſive permiſſione, quæ hîc pro expreſſa voluntate ſumitur, ut ex præcedentibus & ſubſequentibus conſtat, faciendum eſſe decernit.

Opera ſupererogationis facienda eſt cum conſilio accedente Prælato docente SS. PP. monumenta.

Divus Baſilius *ſermone 5. exercitat. Vera autem* (ait) *& perfecta obedientia ſubditorum erga Præfectum in hoc declaratur, ut non ſolum ab abſurdis ex conſenſu Præfecti abſtineant : ſed neque ea, quæ laudabilia ſunt, citra illius conſenſum faciant.* Et hujus reddit rationem *ſerm. 2. exercitationis*, his verbis : *Si itaque reperis per gratiam DEI bonorum operum Doctorem; ſerva apud te ipſum, ut nihil præter ſententiam ipſius facias. Quicquid enim extra ipſum fit, furtum eſt & ſacrilegium, ad mortem ducens, & non ad utilitatem : etiam ſi tibi bonum eſſe videatur. Si enim bonum eſt, cujus gratia occultè & non in propatulo fit ? Interroga cogitationem tuam, per dexteram depradari te volentem; per bonæ nimirum diſciplinas, ſiniſtras tibi actiones ſubornantem. Ne velis aggredi incantationem ſerpentis, cum inexpertus ſis artis incantandi : ne fortè attractu ſerpentibus, ab ipſis impliceris : deinde, Impotens ad reſiſtendum ipſis exiſtens, ſine miſericordia ab ipſis conſumaris.* Hæc *ubi ſupra* Baſilius. Et idem in *Regulis brevioribus interrogatione* 138. aliam rationem hujus concluſionis affert, dum inquit : *Si*

verò

vero quis se ampliori onere, quam communi, opus habere putat, sive in jejunio, sive in vigiliis, sive in quacunque alia re; revelet hanc rem his, quibus communis cura commissa est: ob quam (videlicet) causam, putat se ampliori onere indigere: & quod ab ipsis approbatum fuerit, observet: sæpè enim alio potius modo, in quod sufficiens est necessitati, fieri oportebit. Ubi Magnus Basilius etiam majori onere, ac districtiori vita indigentibus non permittit, pro suo arbitrio suis humeris majora, quam communia onera imponere: quia (ut ipse ait) fortè alia via huic necessitati occurrendum erit, quæ sufficiens sit: quod Prælati judicio pensandum est.

Divus Joannes Climacus *gradu 25. Qui ductore caret, etiam si sapiens sit, sæpe tamen errat in via. Sic qui suam voluntatem ac judicium in hac via spirituali sequi decernit, licet omnem omnium sapientiam solus obineret, facilè tamen in exitium animæ ruet.*

Optimè quoque Divus Bernardus, harum rerum peritissimus Magister, *sermone 77. in Cantica, Quam multi* (inquit) *ex hoc arrepto tramite periculosissimè aberrasse comperti sunt! nimirum ignorantes astutias Satanæ, & cogitationes ipsius; factum est, ut qui spiritu cœperant, carne consummarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter. Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori.* Hæc Bernardus.

Cassianus *Collatione 16. Cap. 11. Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis, ut obscuram ac tetram caliginē sensuum pro vero lumine scientia fraudulenter effundat. Quæ nisi humili & mansueto corde suscepta, maturissimi fratres, vel probatissimi senioris reserventur examini, & eorum judicio diligenter excussa, aut abjiciantur, aut recipiantur à nobis: sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro Angelo lucis Angelum tenebrarum, gravissimo feriemur interitu. Quam perniciem impossibile est evadere quenquam, suo judicio confidentem.* Hoc ipsum, quod Cassianus, omnes etiam disciplinæ spiritualis Authores uno ore tradiderunt.

Divus Gregorius hanc etiam veritatem confirmat. Is enim in *lib. Regum Cap. 2. Melior est* (inquit) *obedientia, quàm victima; & auscultare magis, quam offerre arietum adipem: quia longè altioris est meriti, propriam voluntatem alienæ semper voluntati summittere, quam magnis jejuniis corpus atterere, aut per compunctionem sem secretiori sacrificio mactare. Quid est adeps arietum, nisi pinguis & interna devotio? melior est tamen obedientia.* Et ut testimoniis Patrum finem imponam, accedat ultimò idem Gregorius, qui luculenter admodum hanc conclusionem corroborat. Is enim *lib. 32. moralium Cap. 17. Illum* (ait) *sine dubio sublimioris discipulatus ordinem apprehendere, qui, relictis omnibus quæ exteriùs possederat, etiam internas voluntates frangere parat: ut se alterius voluntatibus subdens, non solum prævis desiderijs, sed ad perfectionis cumulum etiam in bonis votis sibimet renuntiet, & cuncta, quæ agenda sunt, ex alieno arbitrio observet. Hunc hostis callidus tantò melius alloquitur, quanto ab excellentiori dejicere ardentius conatur: moxque viruleuta suggestione blandiens, dicit: O quanta per temetipsum miranda agere poteris, si nequaquam te judicio alterius subdis! Cur profectum tuum sub studio meliorationis imminuis? Hæc blandiens insinuat: seorsum verò in voluntatibus ejus propriis, exercenda superbia causas parat.* Hactenus Gregorius. Ex cujus, & aliorum Patrum testimonio constat, quantò melius, quantò perfectius, quantò securius sit, omne suum arbitrium relinquere, quam id retinere, etiam bene utendo: & quam periculosum è contrario sit, proprio uti judicio & regimine, & sine Præpositorum ductu & consilio, opera etiam bona aggredi.

Idem rationibus astruitur ac confirmatur.

Sed restat, ut id etiam rationibus ostendamus. Et prima sit. Nam qui sine sui Rectoris sive Prælati consilio aliquid aggrediuntur, sæpe in ipsis bonis operibus, quæ agunt, in oratione, in jejuniis, vigiliis &c. ad minus possunt aliquid propriæ voluntatis, imò & multum immiscere. Quantum autem de propria voluntate inseritur; tantum de bonitate operis minuitur: Ergo multo melius erit, si hæc ex obedientia fiant.

Dices, te habere pro duce, DEI voluntatem, illique velle per similia opera placere. Sed huic objectioni maximè adversatur, quia voluntas DEI sæpe obscura est & incerta, & frequenter in ea percipienda plures errores, & variæ perplexitates oriri solent.

Deindè, (quod etiam argumentum magnum est,) quod in ea conjicienda & interpretanda proprium sensum adhibes, ac proinde etiam aliquid tui judicii. Melius autem est, ita vitam instituere, ut nihil penitus de tuo immiscеas. Nam hæc est vera abnegatio, quam Dominus præcipit, ut nosmetipsos ita deseramus, ut nihil nostrûm retineamus. Nec parvum superbiæ signum est, velle seipsum in dignoscenda DEI voluntate regere. Nam (ut rectè ait Divus Joannes Climacus, *gradu 25.*) *Humilis semper abominatur voluntatem suam, velut seductricem & errantem.* Et quamvis omnes ejus cogitationes & facta Divinæ Regulæ congruentia sint: adhuc tamen non sequitur voluntatem suam, nec credit sensui suo. Nam (ut rectè Divus Augustinus 14. *de Civitate Cap. 13.* Ubi dixisti, *Meus sensus sufficit mihi: ibi defecisti, ubi tuo consilio placuisti.*

Et confirmatur: quia hunc esse DEI morem certò nobis constat, ut cum ipse per se, vel per Angelos illuminare omnes posset, malit tamen homines ab hominibus doceri: quod propter mutuam charitatem aliquando fit: aliquando tamen, & sæpius, ut dum alter alteri subjicitur, humilitatem exerceat. Hoc Cassianus *Collatione 2. Cap. 24.* Samuelis exemplo demonstrat, quem Dominus suamet Doctrina erudire noluit, sed semel & iterum senem Heli voluit adire: & quem ad suum vocabat obsequium, ejus tamen, qui veluti ei superior erat, licet sanctitate inferior, institutione informari voluit. Actorum quoque 10. Cornelium ab Angelo alloquente, ad Petrum pro Doctrinæ institutione remissum fuisse legimus. Et (quod magis est) ipsum Apostolum Paulum, quem Dominus tanti fecit, ut ipse non per Angelos, sed seipso eum vocaret *Actor. 9.* & quem uno verbo instruere poterat, ad Ananiam mittit: *Surge* (inquiens) *& ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Quem locum Divus Bernardus in *sermone de Conversione beati Pauli* aptè Religioni applicat, quam Religiosi ingrediuntur, ut edocti per hominem, discant quæ sit voluntas DEI. Omnibus igitur tam perfectis, quam imperfectis, tam doctis quam indoctis divina providentia mediis aliis hominibus lumen impertiri solet.

Act. 10.

Secundò eadem veritas efficaciter comprobatur: quia qui per Prælati obedientiam ad similia opera prærequirit, si licentiam obtineat, jam exercet actum obedientiæ, & abnegationis propriì judicii, & voluntatis in hac re, & insuper præstat opus à se concupitum, & illius meritum consequitur: si verò à Prælato licentiam non obtinet, prædicta omnia etiam consequutus est. Nam in primis propriam voluntatem & judicium in hac re depressit ac abnegavit, & præterea operis, quod nitebatur facere, meritò minimè frustratur: cum voluntas apud DEUM pro facto reputetur. Ille verò, qui non consulto Prælato, & absque ejus licentia opus quantumvis bonum præstat, tantum facit illum actum, qui in ipso bono opere exercetur: mercedem tamen obedientiæ non consequitur; imò se exercens in propria voluntate & judicio, in ipso opere multum de merito amittit, & fortè, imò certiùs propriæ quæsitioni intendit. Quare ille loco mercedis ac retributionis, judicium & pœnam subibit. Rectè igitur Bernardinus *Sermone 71. in Cant.* tractans illa verba Isai. 58. *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunij vestri invenitur voluntas vestra &c. Si in die* (inquit) *jejunij mei inveniur voluntas mea, non tale jejunium elegit sponsus, nec sapit illi jejunium meum, quod non lilium obedientiæ, sed propriæ voluntatis vitium sapit. Ego autem non solum de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni observatione Monachi, ubi invenitur voluntas sua in ea, & non obedientia Magistri sui, id ipsum sentio minimè prorsus observantiæ illas, etsi bonas in se, tamen inter lilia, id est, inter virtutes censuerim deputandas. Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint: quia nihil omnino, quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit is, qui pascitur inter lilia.*

Nec timendum est, quod Prælati nostrum desiderium & profectum impediant. Nam si hoc ad gloriam DEI tendit, & ipsi DEO gratum existit, DEUS Prælati cor facilè inclinabit, ut facultatem ad tale desiderium exequendum tribuat, & sanctis in hac re intentionibus subditorum faveat, ut ex sancta Scriptura fecisse accepimus, cum sanctus Daniel simul cum sociis suis abstinentiam servare voluit: quia cum rogasset tunc Principem Eunuchorum, ut sibi ad hoc facultatem tribueret, ait sacer Textus, *Dedit autem DEUS Danieli gratiam & misericordiam in conspectu Principis Eunuchorum.*

Tertia ratio. Quia qui proprio nititur judicio, sine superioris facultate opus quantumvis bonum aggrediens, maximis se periculis exponit. Nam, ut Benedictus ait *ubi supra*, vanæ gloriæ ei deputabitur, & non mercedi: & Basilius sacrilegium reputat. Quæ occasionaliter sunt intelligenda, & quasi initia ivè: nempe, quod his operibus absque obedientia peractis, initium vanæ gloriæ & infidelitatis circa Prælatum sumitur. Exponit se præterea variis erroribus. Nam, ut iidem Basilius, Bernardus, & Gregorius relati docent, hoc serpens antiquus intendit, ut per bona opera seducat subditos, ut seipsos regere velint, & sic eos à Prælatorum ductu, & providentia separatos facilè seducat, & in varios trahat errores. Unde D. Dorotheus *Doctrina 5.* Omnes virorum spiritualium lapsus & interitus ad proprium judicium, quo seipsos discernere volebant, tanquam ad primariam radicem reducit. Et denique Cassianus *Collatione 2. Cap. 11.* *Nullo namque* (ait) *vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum neglectis consiliis Seniorum, in suo sibi judicio persuaserit, ac definitione, doctrinave confidere.*

Dico quintò: *In nostra Regula nemini datur facultas supererogandi absque Prælati consilio & consensu.* Hoc dictum in primis patet: quia nostra Regula intelligenda est secundum sanum sensum, & magis accommodatum ad spiritualem profectum: hic enim est finis Regulæ. Neque quispiam sanæ mentis credere, aut suspicari poterit, Regulam divino spiritu dictante factam nobis indicare, aut præcipere viam, non quæ ad salutem, sed quæ ad interitum ducat. Equidem verò esset hæc, si unicuique, inconsulto Superiore, liceret majora onera, vel alia à Regula sibi imponere. Constat enim ex dictis, quantum sit hoc detrimentum. Quare quando Regula monet, unumquemque in melius proficere, & majora his superaddere, intelligenda est cum Superioris licentia. Quod mihi ex eo probatur, quod cum hæc sit communis sanctorum Patrum sententia; non est credendum, abea Regulam nostram voluisse discedere.

Secundò probatur: quia Regula in hac parte non præcipit, sed potius invitat, & monet ad supererogandum: hæc autem admonitio sive consilium non excludit obedientiam, aut Prælatorum discretionem. Nam similiter omnes Sancti, quotquot in Ecclesia fuerunt, suadent hanc supererogationem & spiritualem profectum, ut ex præcedenti dubio latius constat. At, stante hoc Sanctorum consilio, sancti viri semper docuerunt, adhoc requiri Prælatorum obedientiam, ut prædicta supererogatio rectè & debitè fiat. Ergo nihil obstat Regulæ consilium, quin in his operibus debeamus semper Prælatum consulere. Et confirmatur: quia multa sunt bona opera supererogationis, ut sunt misericordiæ, & alia, quæ si quis sine Prælati assensu præstare posset, facilè Religionis observantia destrueretur.

Tertiò & urgentius patet: quia, etiam si hoc esset præceptum Regulæ, deberet intelligi cum debitis & necessariis circumstantiis: quarum una est, ut fiat cum debita discretione, qua in hac parte nihil aliud est, quam uti Superiorum consilio & adjutorio. Omnis enim discretio in spirituali profectu, & potissimum in subditis in hoc sita est, ut alieno regantur arbitrio. Docet id Cassianus *Collat. 2. Cap. 2.* ubi ex sententia Divi Antonii, omnes disceptiones & errores ex defectu discretionis originari, & ob hujus defectum plures esse deceptos, neque in arepta virtutis via perdurasse, demonstrat his verbis: *Quamobrem quid principaliter ducat ad DEUM, manifestè potuimus agnoscere, si ruinæ ac deceptionis illorum causa diligenter fuerit à nobis indagata. Illa enim cum exuberarent præditarum operum virtutum, discretio sola desiciens, usque ad finem ea durare non sivit. Neque enim alia lapsus eorum causa deprehenditur, nisi quod minus à Senioribus isti tuti, nequaquam potuerunt rationem discretionis adipisci.* Et *Cap. 5.* dum de ruina Heronis senis agit: *Nonne* (inquit) *quia minus discretionis vitutute possessa suis definitionibus regi, quam ipsi tutu majorum maluit obedire?* Sed & clarius, & apertius *Cap. 10.* ejusdem Collationis, Abbas

Vid. locu citat. pro Fat. Franciſc. & ab ibid. pag. 580 dictum noſt. Theſmam 2. Cyrillo in opere in ſcripto Gloria Matris Eccleſiæ, Textu 8. Anno 8. qui ubi rimè de hac diſcretione diſſerit.

bas Moyses prædictam veritatem ostendit. *Vera* (inquit) *discretio non nisi verâ humilitate acquiritur: cujus humilitatis hæc erit prima probatio, si universa non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini: . . . nihil quis suo judicio credens, . . . verum per omnia definitionibus acquiescas, & quicquid bonum vel malum debeat judicare, eorum traditione cognoscat. Quæ institutio non solum per veram discretionis viam docebit incedere: verum etiam cunctis fraudibus & insidiis inimici servabit illæsum. Nullatenus enim decipi poterit, quisquis non suo judicio, sed Majorum vivit exemplo.* Hæc Cassianus. Et idem aperè *Cap.* 11.16. & aliis ejusdem Collationis, veram discretionem Monachi in hoc consistere sæpius docet; ut neque agere quidquam, nec discernere absque Superiorum judicio præsumat.

Vera monachi, in quo consistat, discretio.

Idem lucalenter Bernardus *serm. 3. de Circumcisione*, docet: ubi loquens de Religiosis, sic ait: *Ergo ne incurrat qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est, & consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, Ne quid nimis. At verò quia omnino rara ista avis est in terris, hujus discretionis locum in vobis (fratres) supplet virtus obedientiæ: ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quam imperatum sit, faciatis.* Rectè igitur & congruè ubi nostra Regula monet, ut in supererogationibus discretione utamur, exponi debet, *Discretione*, id est, consilio & consensu Prælatorum, sive Seniorum.

Dixi, *Seniorum*: quia fortè aliquando contingit, Prælatum ita esse timidum aut tepidum, ut nullam præbeat licentiam, nec similia opera ei multùm placeant: & tunc eligendus est Confessor, aut Pater spiritualis, vir pius & prudens; & ejus consiliis & definitionibus in omnibus standum erit. Tutius tamen est, quando id commodè fieri potest, Prælatum adire, & eum consulere. Nam Prælatis cum DEUS subditorum regimen commiserit, ab illis præcipuè vult subditos gubernari.

Unde ad primum argumentum in oppositum ex nuper dictis constat.

Ad secundum, Quod DEUS non solum movet nos, ut recta operemur; sed ut rectè & debitè ea operemur. Recte autem operari, est, cum debitis circunstantiis opus perficere: quarum una ex potissimis est discretio, quæ in eo consistit, ut subditi in omnibus Prælatorum consilio regantur. Ad confirmationem dicitur, Sanctos exhortari nos ad proficiendum quolibet momento: iste autem profectus verè & propriè acquiritur per obedientiam: alias enim vertitur in defectum: neque per hanc spiritus DEI extinguitur, sed potius accenditur.

Ad tertium respondetur, omnes viros perfectos & sanctos semper hanc viam proficiendi observasse, ut constat ex Cassiano dicta *Collat.* 2. Eremitæ verò, qui hoc obedientiæ præsidio destituti fuerunt, vel in initio suæ conversionis aliorum doctrina instituti sunt, vel si hoc caruere, semper animi præparationem habebant ad recipiendum aliorum consilium & institutionem, si adesset: & ob id à DEO illuminari meruerunt.

Ad ultimum responderi potest, omnia in hac vita mortali plena esse laqueis & periculis. Quare illud eligendum est, quod minori periculo subest: minus autem periculum est vanæ gloriæ, quam propriæ judicii & voluntatis. Nam per hoc ad innumera alia aditus patefit. Quare eligendum est magis, omnia cum obedientia agere, . . . quam si aliquo vanæ gloriæ periculo exponamur, quam ex propria voluntate & judicio bonum quodcunque operari: quia hoc, ut ex dictis constat, periculosissimum est: Periculum verò vanæ gloriæ paulatim obedientiæ merito extinguitur.

DVBIVM Vltimum.

Quæ sint opera supererogationis, quæ nunc in nostra Religione supra Regulam observari præcipiuntur?

QUum in Regula, ut præcipua media ad consequendam perfectionem, tam oratio & meditatio scripturarum continua, quam alia arctioris vitæ documenta præscribantur, quæ magni satis ponderis videri poterant: Religio tamen nostra divino consilio ac favore excitata, & adhuc rigidioris ac districtioris vitæ zelo ducta, supra id, quod Regula præcipit, multa alia molesta & acerba corpori, maturè supererogavit.

Circa primum, nempe orationem mentalem, quæ in Regula diu ac noctu exerceri decernitur, cum nulla huic præcepto additio fieri posset, ad commodiorem tamen ejus observantiam, duas integras ac determinatas orationis horas ab omnibus simul tenendas statuit: alteram primo manè, alteram verò vespere: in quibus omnes simul ad orationem in choro convenire debent: quia, ut optimè noster sapientissimus Thomas Waldens. *de sacramentalibus titulo* 1. *Cap.* 2. *num.* 11. ait: *Oratio continua & sine intermissione, penitus extingueretur, nisi orationi certis horis, aliis curis & negotiis omissis, studeamus.* Quod ex Augustino in *Epistola ad Probam* confirmat. Et nos D. Basilium in simili proposito loquentem inducamus, qui in Regulis fus. interrogatione 37. sic ait: *Nec verò quia omni tempore gratiarum actio & lege præcepta est, & nostra vita necessaria secundum naturam & rationem demonstrata est: negligere ob id oportet constituta orationibus in fraternitatibus tempora, quæ necessaria delegimus, unoquoque propriam quandam recordationem bonorum à DEO habente. Diluculum quidem, ut primi motus animæ ac mentis oblationes sint DEI, & nihil aliud curandum suscipiamus, priùs quam cogitatione de DEO delectati simus: velut scriptum est* Psal. 76. *Memor fui DEI, & delectatus sum. Neque corpus moveamus ad operationem, priusquam faciamus quod dictum est* Psal. 5. *Ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam: mane astabo tibi &c.* Et infrà: *Cæterum completo die gratiarum actio fiat de bis, quæ ipsa data sunt nobis, aut rectè facta.* Ecce apud Basilium rationem, ob quam non obstante communi de jugi oratione consilio, oportuit certas horas designari: & unam manè, alteram vespere opportunas censet.

Determinata etiam sunt prædictæ orationis tempora; & cautum, ut omes simul ad orationem conveniant, propter magnum emolumentum, quod ex multorum societate solet provenire. Nam sacra Scriptura divinitus traditum est Eccles. 4. *Si dormierint duo, fovebuntur mutuo: unus quomodo calefiet?* Ad hoc igitur frigus repellendum, Eccles. 4.

dum, ac spiritum acediæ, qui solitariè orantem sæpe solet invadere, propulsandum, nihil aptius, quàm ut duo foveantur mutuo: & quo plures fuerint, eo etiam magis calorem augeri, ac multiplicari necesse est. Sic enim videmus, viridem adhuc stipitem inter alios ardentes carbones eâdem illorum flamma facilè comburi. Sic prorsus nobis evenire solet: nam separatim orantes, frequentius languemus: aliis autem hominibus orationis ardore incensis permixti, illorum exercitiis nullo labore incalescimus: & ob eam causam, inter alias, communis est inter nos in duobus illis designatis temporibus oratio.

Præterea orationem mentalem maximè juvat vocalis (*ut supra Cap. 7.* de Horis Canonicis monstravimus) hæc autem in nobis ita exercetur, ut cum liberum esset in canendis Horis, suaviorem concentum eligere, sine modulatione tamen aliqua simplicissimus quidam psallendi modus institutus sit: quod & orationi, & pœnitentium statui maximè congruebat, ut *supra Cap. 7.* ex Augustino tradidimus. Et tandem geminum quotidianumque conscientia examen ab omnibus, in Choro convenientibus, faciendum in nostris Constitutionibus statuitur: quod itidem orationis fervorem, ne extinguatur, maximè juvare solet.

Ad secundum verò, quod carnis castigationem ac vitæ asperitatem concernit, reduci possunt ea omnia, quæ molesta & acerba, tam in victu & vestitu, quàm in reliquis in Constitutionibus decernuntur. Hæc enim omnia ad jugem, atque indisruptam orationis perseverantiam tendunt, & ad perpetuam mentis ducunt puritatem: de quo latius præfati sumus *Dubio tertio* nostrarum præfationum.

In primis igitur, nudis pedibus nostri Ordinis professores incedere debent, ita tamen, ut sandaliis uti liceat. Ac proinde caligæ, nisi necessitate itineris vel infirmitatis, ferri prohibentur. Præterea corporis indumenta, sive Religiosorum vestes fieri debent ex sargia, quæ Hispanicè dicitur, *Sayal*, *O*, *Xerga*, coloris grisei: & hæc stricta esse debere decernitur. Neque ulli permissum est alias vestes ferre, aut possidere, præter habitum, & exteriorem tunicam, & interiorem ex stamenia confectam.

Ad dormiendum insuper nulla ratione culcitris uti licet, sed omnes pro stramentis, corticibus arborum vel tabulis cum coopertoriis simplicibus vel duplicibus utuntur. Ultra quæ ad majorem corporis castigationem, omnibus anni diebus alternativè (excepta die Dominica) omnes in communi disciplinam accipiunt, quæ durat quandiu cum cantu dicitur Psalmus, *Miserere mei*, cum Antiphona, *Christus factus est pro nobis &c.* & tribus orationibus, nempe, *Protege Domine famulos tuos*: secunda pro Ecclesia: & tertia tandem pro Rege, scilicet, *Quæsumus omnipotens DEUS, ut Rex noster Philippus.* Quæ disciplina communis ita inviolabiliter fit, ut non nisi paucissimis, intra annum diebus, intermittatur. Quibus addo id, quod quotidie in Refectorio post cœnam vel collationem omni tempore fit, cum vel zelator aliorum culpas publicè deregit: vel ipsi Fratres, nemine compellente, suas coram omnibus confitentur: ubi etiam pro earum castigatione frequenter à Præsidente publica corripiuntur pœnitentia.

Constitutionibus etiam nostris districtè cavetur, ne quis in cella sua aliquid particulare, præter id, quod omnibus concessum est, habeat: & sic nec unum quidem pomum, etiam Prælato in cella reservare, sine magna pœna licet. Cellæ etiam suppellex simplex & pauper omnibus tribuitur: ita, ut præter [illegible] lum & aliquos libros, quos è communi Bibliotheca acceptos habere solent, qui studiis vacant; & unam vel alteram imaginem, neque ulla alia utensilia inveniantur. Nec non in communi, præter paupertatem, quam Regula præcipit, iis etiam, quæ licitè habere permissum erat, ut sunt capellaniæ, & alii ex aliis causis redditus, Religio omnino renunciavit.

Et insuper humiles domus, & utensilia vilia possidentur, quæ æquè omnibus sunt communia. Adhuc autem in Refectorio mappæ omnino prohibitæ sunt: ubi communis mensa sternitur, tam Priori Generali, quàm aliis, & æqualia fercula omnibus distribuuntur: neque in hac parte inæqualitas aliqua permittitur, nisi pro evidenti necessitate. Omnes etiam ad communia officia Monasterii, nullo excepto, nisi quem necessitas eximit, per septimanam deputantur tam Prælati, quàm subditi.

Denique cum Regula tantum præcipiat, ab Exaltatione sanctæ Crucis usque ad Dominicam Resurrectionis jejunare; Religio præter jejunia in aliis temporibus ab Ecclesia instituta, in omnibus vigiliis B. MARIÆ Virginis, in vigilia Corporis Christi, S. ELIÆ, & tribus diebus Rogationum, & in omnibus Feriis sextis per annum adjecit.

Nec illud est omittendum, quanto cum rigore in abstinentia ab esu carnium procedatur; quanta districtione silentium suis temporibus, & locis observetur: quanta cura peculiares inter Religiosos confabulationes, etiam aliis temporibus caveantur: & insuper, quàm difficulter sæcularibus aditus ad alloquendos Religiosos patefiat, ita, ut sine licentia, ad eorum colloquutionem minimè admittantur. Ob quam causam maximè Navarrus in Consiliis, *consilio decimo de Regularibus*, Ordinem Carthusiensem commendat.

Hæc sunt, quæ Constitutiones nostræ supra id quod Regula continet, in asperitate vitæ & aliis supererogaverunt. Omitto nunc strictum obedientiæ vinculum, sine qua nec bibere utique licet: paupertatis arctissimam professionem, & alia asperiora exercitia, & Religiosas functiones, quæ ut in plurimum duriores, ac sensui repugnantes sunt.

Nolo hic referre eximia illa, & quamplurima supererogationis opera, in cœnobiis nostris eremiticis fieri solita, quorum incolæ ad vivum repræsentare videntur, in vitæ rigore & orationis assiduitate, aliisque virtutum heroicarum exercitiis Hilariones, Onuphrios, Macarios, aliosque eorum ætatis Eremitas & Anachoretas: de quibus cum S. Bernardo *serm. 4. in Psal.* Qui habitat. dicere possumus: *Credo nullum hic esse, qui, si quartam partem eorum, quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur, ut sanctus, reputaretur ut Angelus.*

Cœlestina alia seueritatis opera in Religione nostra usu recepta singularim recenset Nolasc. lib. cit. pag. 385. & seqq. inter quæ eximia sunt valde, quæ in Eremitorio Montis Angelorum legendi sunt.

Atque eis nostris asceteriis frequentantur; de quibus ex nost. Didacus à JESU MARIA *lib. de Eremo Bolarquensi, aliisque in Hispania sitis Eremiticis nostris Asceteriis.*

Aptè ergo Chrysostomus in Timoth. *Homil.* 14. de monasteriis loquutus est dicens: *Verè domus luctus sunt Monasteria, ubi saccus, cinis, solitudo, jejunium, terræ accubatio: ubi nullus risus, nec sæcularium rerum turba: omnia pura à nidore, sanguine, tumultu, turbatione, &c.* Et cùm idem in hoc statu adeo multa austera asperaque conspiceret, universos Religiosos (meritò) *Crucifixos* appellandos censuit. Nec tamen nos tanta vitæ arctitudo & austeritas deterreat, aut frangat. In hac enim Cruce, in hac solitudine, in hoc vivendi modo, licet in specie aspero & duro, quæ solatia, quæve gaudia inveniantur, solus novit, qui ipsa accipit. Nam ut Israelitis olim, cum siti laborarent, silices ipsi aquas concedebant; & si aliquando amariores aquæ occurrerent, ligno statim immisso reddebantur dulces: sic in isto arctissimo rigidissimoque vitæ instituto, licet interdum intuentibus aliqua ita gravia appareant, ut solo aspectu deterreant: eadem tamen (cùm in usum versa fuerint:) non minùs quàm dulces aquæ delectant: sitque divina providentia, ut aqua de petra, oleumque de saxo durissimo educatur.

Accedit præterea divina gratia, quæ jugum hoc à facie olei, quod ab ea dimanat, facit computrescere. Neque hic tamen finis. Nam dum spes illius vitæ & mercedis æternæ, quam sibi quisque proponit, attenditur; necesse est, ut id sentiamus, quod sanctus Bernardus, qui omnes has corporis molestias & vitæ asperitates semini comparat, in quo faciendo etiam si damnum aliquod sequi videatur; insipiens tamen esset, qui ejus damni metu seminare desineret, cùm multò majus sit lucrum, quod percipitur. Ejus verba referam; Ait enim in Psalmo, *Qui habitat*, sermone 10. *Quomodo dicunt vobis carnales? Crudelis est vita vestra: non parcitis carni vestræ. Esto, non parcimus semini; in quo ei magis parcere poteramus? An non melius est illi renovari & multiplicari in agro, quàm in horreo putrescere? sic vos parcitis carni vestræ? Simus nos crudeles interim non parcendo: at vos plane parcendo crudeliores, siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe.* Hæc Bernardus. Cui optimè Augustinus de *verbis Domini sermone 9.* subscripsit: *Quàm facilè* (inquit) *toleratur qualibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur!* Hactenus Augustinus. Restat enim post hanc vitam illa vita & illa merces, quam oculus non vidit, nec auris audivit, & quæ in cor hominis non ascendit; & tunc dabitur nobis pro cinere corona, oleum gaudii pro luctu, pallium exultationis pro spiritu mœroris, ut Esaias *Cap. 6.* prædixit: & insuper cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto perfruemur æterna gloria. Amen. *Isaia 5.6.*

FINIS.



SCiendum, quod præter Thomam nostrum in Regulam ab *Alberto* Patriarcha Carmelitis traditam, complures eruditione pietateque eximii Commentarios scripserint, in quibus *S. Albertus Drepanita*, Siculus, *Guilielmus de Sanvico*, Syrus, *Ioannes de Bachone* Anglus, cognomento *Doctor Resolutus*, Theologorum sui temporis Princeps, qui in sua mystica expositione, præcipuos Regulæ articulos cum SS. Virginis MARIÆ vita ac virtutibus comparat: *Philippus Ribottus*, Hispanus, *Sibertus de Beke* Belga, *Heliodorus de Cremona*, Italus, *Angelus de Salazar*, Hispanus, *Ioannes Soreth*, Nortmannus, *Hieronymus Grattanus & Didacus Coria*, Hispani, *Valerius Ximenez* Episcopus Algarensis, *Ioannes Baptista de Lezana*, & ex Discalceatis ven. *P. Ioannes à IESV MARIA*, Calaguritanus, *Franciscus à S. Elia*, cujus Commentari, supra pluries citavimus, *Emmanuel à IESV MARIA*, qui quatuor integros Tomos sub titulo *Fructus Carmeli*, in Regulam edidit Romæ ac Neapoli, *Nicolaus à IESV MARIA*, & Jacobus à Purificatione Poloni, & Antonius à Spiritu sancto, Lusitanus, Episcopus Angolensis Regni Congo, cujus Annotationes in Regulam non semel supra laudavimus, quæ extant in *2. part. Directorij Regularium Tract. 3. Disput. 6. Sect. 2.* quietiam nonnullos alios *num. 462.* juxta editionem Colonienſem, quæ Lugdunensi est auctior, laudat Regulæ Alberti Commentatores.

Post tot Regulæ hujus insignes Commentatores, aliosque non paucos præclaros ejus Encomiastes; post tot sæculorum decursum, quibus semper, ut *eximiæ sanctitatis norma* habita fuit; post toties repetitas summorum Pontificum illius approbationes ac confirmationes; post tot, tamque celebres, qui sub ea DEO militarunt, universamque Ecclesiam illustrarunt, sanctos, prodiit hoc nostro primùm tempore Neocriticus quidem Scriptor, qui illam velut *brevem nimis, improportionatam, insufficientem, mancam & mutilam* taxare, carpere & vilipendere præsumpsit: nec S. Augustini Regula ab illius impugnatione & vilipendiis planè immunis mansit.

Verum non est illi novum, neque mirandum, quod aliorum Religiosorum Ordinum, præsertim Carmelitarum Traditiones atque Historias, etiam à Sede Apostolica, sacraque Rituum Congregatione receptas & approbatas impugnare, carpere ac taxare non vereatur, cum nonnulla etiam à Romana & universali Ecclesia ab immemoriali tempore, imo plurimis sæculis, recepta & asserta ipsa admittere renuat, cujus cum plura valeam, duo duntaxat hic exempla insinuabo. *Symbolum S. Athanasii*, quod sub ejus nomine in Prima Dominicalis officii in universa Ecclesia hactenus recitatum fuit, non vult esse *S. Athanasii*, sed nescio cujus ignoti Authoris: *Libros S. Dionysii, Areopagitæ de Ecclesiastica Hierarchia*, qui hactenus sub ejus prodierunt semper nomine, de quibus sic loquitur Romanum Breviarium in lectionibus 2. Nocturni festi ejus S. Dionysii, *libros scripsit admirabiles ac plane cælestes de divinis nominibus, de cælesti & Ecclesiastica Hierarchia* &c. hoc ipsum, non pauci è SS. Patribus, in quibus est *S. Thomas Aquinas*, etiam tradidêre; ipse autem his non obstantibus, absolutè negat *S. Dionysium* eorum esse authorem. Carmelitanam Regulam ab ejus injuriis tuendam suscepit quidam hujus Ordinis Alumnus, insigni Tractatu Coloniæ excuso Anno 1682. sub hac inscriptione: *Heroica Carmeli Regula, à SS. DEI Propheta ELIA vita & exemplo tradita: ab Hierosolymitanis Patriarchis IOANNE & ALBERTO conscripta: à cujusdam scriptoris vilipendijs vindicata, per R. P. Valentinum à S. Amando, ejusdem Ordinis Historiographum, ac quondam Sac. Theolog. Professorem.*

VENE-

VENERABILIS PATRIS

THOMÆ à JESU,

CARMELITÆ DISCALCEATI,

COMMENTARIA

In Cap. *Non dicatis* XII. *Q.* 1. C. *Monachi*,
Et Cap. *Cum ad Monasterium.*

DE STATU MONACHORUM.

In quibus de natura voti Paupertatis, de proprietate abdicanda, de licentia Superiorum prærequisita, de vita communi, ac denique de Paupertate in communi, tam ex antiquorum Patrum, quàm aliorum Doctorum sententia agitur.

PRÆAMBVLA

TRACTATUS

DE VOTO

PAVPERTATIS.

TEXT. In Cap. *Non dicatis* XII. *Quæst.* 1.

NON *dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia &c.* & distribuatur unicuique vestrum à Præposito vestro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicuique, prout cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum: Quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuique, prout cuique opus erat &c.

Et infrà: *Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultrò confiteatur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur atque convincitur, secundum arbitrium Presbyteri, vel Præpositi gravius emendetur.*

Et intrà: *Cùm hujus nostræ Congregationis Fratres non solùm facultatibus, sed voluntatibus propriis in ipsa Ordinis susceptione renuntiaverint, & se per promissam obedientiam penitùs aliorum potestati, & imperiis in Christo, & pro Christo subdiderint: certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine Superioris licentia debere. Quòd si propinquus vel amicus, vel quilibet Fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit;*

primò quidem Priori insinuetur; & sic suscipiatur, si ipse mandaverit. De quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit.

Et præterea. Consequens ergo est, ut etiam qui suis filiis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur. Quòd si quis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.

Verba in *præsenti Cap.* à Gratiano relata, omnia ferè sunt Augustini, licet non eodem loco, eodemque contextu scripta. Desumpta enim sunt, ut in ipso Textu annotatur, ex tribus Augustini Regulis, variisque earum Capitibus. Et quamvis glossa in *dicto Cap. Non dicatis*, & alii Canonistæ cum Navarro, *Commentario 2. de Regularibus in initio* illa verba, *Cùm hujus nostræ Congregationis Fratres* &c. usque *subdiderunt*, apud Augustinum asserant non inveniri, & ita existimant à Gratiano ex propria mente sub Augustini nomine addita fuisse: immeritò tamen Gratianus simili nota mulctatur, à qua facilè eum vindicabimus, si Augustini mentem attentè perscrutemur.

Et in primis fateor, expressa illa verba, quæ hîc à Gratiano adducuntur, in Augustino non legi: leguntur tamen similia, prædictorumque verborum mens, & sententia in prima Regula ab Augustino Clericis tradita, expressè inveniuntur. Ait igitur Augustinus ibi *dicto Cap. 2.* in hunc modum: *Si quis autem venire desiderat ad congregationem Fratrum, qui in unum esse videntur, non ignoret Evangelij dictum, quod dixit: Vendat omnia sua, & eroget pauperibus*, Matth. 19. *& iterum* Luc. 9. *abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me: & ne tractet in corde suo, de victu, aut vestitu, & cæterâ quæ necessaria sunt corpori.* Hæc Augustinus: quibus satis expresse docet, professores monasticæ vitæ paupertatem, obedientiamque servare debere. Quod ex duobus prædictis Evangelii testimoniis confirmat. Unde paucis interjectis in eâdem Regula ex his statim colligit Augustinus; *quia certum est, Fratres nihil habere, possidere, dare vel accipere debere, sine Superioris licentia.* Ecce qua ratione Gratianus licet non eisdem verbis, sententiam tamen Augustini *dicto Cap.* inseruit, dum dixit: *Cùm nostræ Congregationis Fratres, non solùm facultatibus, sed voluntatibus propriis renuntiaverint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint: certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere, sine Superioris licentia debere.*

Gratianus igitur tantùm Augustini verba, non verò sententiam mutavit. Nam Augustinus ex duobus illis Evangelii locis, quorum alter de paupertate, alter verò de obedientia, docet, fratres nihil habere, dare, vel accipere posse. Gratianus verò expressiùs id adnotavit, dum dixit: *Cùm nostræ Congregationis Fratres non solùm facultatibus*, (quod fit per Votum paupertatis) *sed voluntatibus propriis* (quod obedientiæ Voto præstatur) *renuntiaverint, certum est &c.* ubi ex obedientiæ, & paupentatis Voto idem quod Augustinus collegit. Prætermisit verò Gratianus alia, quæ ex Augustini Regulis huic proposito potuisset adducere. Ex quibus duo potissimum à nobis *dicto Cap.* inseruntur. Alterum illis verbis continetur: *Et distribuatur unicuique &c.* usque *opus erat.* Alterum verò in extrema *Cap.* parte à nobis additum est, nempe à versiculo, *Consequens ergo est*, usque in finem. Quæ duo loca diversis litterarum characteribus adnotantur: conducunt verò non parum, ad plenam paupertatis Voti declarationem.

Placuit etiam nobis prædicto Cap. *Non dicatis*, alia duo *Capita* adjungere, simulque omnia exponere. Nempe Cap. *Monachi*, & Cap. *Cum ad monasterium*, de statu monach. Nam optimè Navarrus *Commentario 2. de Regularibus n. 15.* advertit, prædicti Cap. *Non dicatis*, fuisse veluti glossam dictum Cap. *Monachi*: hujus verò glossam esse Cap. *Cum ad Monasterium.* Omnium verò horum trium mentem sententiamque expressiùs declarasse Tridentinum *Sess. 25. Cap. 2. de reformatione Regularium.* Quare non abs re erit, horum *Capit.* verba referre, & Commentariis simul explicare, maximè verò in his, quæ ad materiam de Paupertate spectare videntur.

TEXT. *In Cap. Monachi*, de statu Monachorum.

MONACHI *non pretio recipiantur in monasterio, nec peculium permittantur habere.* (Et infrà) *Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur altaris; & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam. Quod etiam de universis Religiosis præcipimus observari. Abbas autem qui diligenter ista non caverit, officij sui jacturam se noverit incursurum.*

TEXT.

TEXT. Ex Cap. *Cum ad monasterium*, infrà eodem tit.

CVm ad monasterium Sublacens. & infra: *Prohibemus districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habeat proprij, totum in continenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam deprehensus fuerit habere, regulari monitione præmissa, de monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat, secundùm monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quenquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur. Secundum quod B. Gregor. narrat in dialog. fecisse. Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur.*

Et infrà propè med. *Tales enim ad agenda officia monasterij deputentur, qui fideles fuerint & discreti. Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur. Sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.* & (in fine Text.) *Nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est connexa Regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Hæc sunt, quæ in his Capitibus circa Religiosorum paupertatem præcipiuntur. Adjiciam nunc Sacrosancti Concilii Tridentini decretum, non ut illud Commentariis explicem; sed potiùs, ut illo prædicta duo Capita explanare valeam.

Decretum Concilii Tridentini de Paupertatis Voto integerrimè servando. Sess. 25. Cap. 2.

NEmini igitur Regularium, tam virorum quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regularium concedere, etiam ad Vsumfructum, vel Vsum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu Conventuum, ad solos officiales eorundem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat. Nihilque superflui in ea sit; nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur. Quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ Regulæ & Ordinis Constitutiones puniatur.

ORDO *à nobis in horum Capitum expositione servandus.*

EA quæ à nobis in his Commentariis tractanda sunt, majoris claritatis gratia, in quinque libros, sive partes dividentur. *Priori parte*, prima principia & quasi elementa hujus tractationis præmittemus. Qualia sunt acceptiones, & naturæ terminorum, quibus passim in hac materia deinceps utemur. Hujusmodi sunt, *dominium, jus, proprium, peculium, usus fructus, & usus*; quibus prægnitis, de paupertate ac de voto solenni, quod de ea servanda emittitur, ac tandem de vitio proprietatis, disseremus. Ex quibus facile erit, verum sensum dicti Cap. *Non dicatis*, percipere. Deinde sequentibus Partibus *prædictorum Capit.* singulas conclusiones, sive sententias discutiemus, ita ut in *secunda parte* hujus operis, de proprietate abdicanda, de ejus gravitate, & de acquisitione bonorum, quæ per monachos monasterio accedit. In *Tertia* de variis Religiosorum actibus, in quibus proprietatis vitium contingere potest, & de licentia prærequisita ex parte Prælati, ut monachi sibi, vel aliis dispensent monasterii bona per singulos ejus actus discurrendo, dictum fuerit. In *quarta*, de distributione à Prælatis facienda, & de concessione peculii, & qualiter subditi bonis sibi ad usum concessis uti debeant. Ac tandem, in *quinta parte* de paupertate in communi, hoc est, de monasteriis illis, quæ etiam ad possidendum bona in communi sunt incapacia (DEO dante) agemus. Quæ omnes disputationes in *prædictis Capitibus* proprium locum sibi vendicant. Dividitur hoc opus in quinque partes, & quid singulæ cõtineant.

Nam

Nam & *prima*, quæ veluti præambula est, ferè totum Cap. *Non dicatis*, & alia tria complectitur, & sine illa haud intelligi possent. *Secunda* verò, quæ de actibus sive speciebus proprietatis tractat, in illâ priori parte Cap. *Non dicatis*, fundatur: *Non dicatis vobis aliquid proprium*. Et infra in verticulo: *Certum est eos nihil habere, vel possidere, dare vel accipere &c.* & in Cap. Cùm ad monasterium, ibi: *Ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat*. Et sequentibus, maximè verò in fine Cap. ibi: *Ne æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum monacho dispensare*, usque in finem. Et in Cap. *Monachi*, ibi: *Qui verò peculium habuerit, à communione removeatur altaris &c.* Et in verbis illis *prædicti Cap.* Concilii Tridentini, in principio ibi: *tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere*: & in fine ibi, *Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit &c.*

Tertia verò pars sive disputatio, quæ de Prælati prærequisita licentia tractat, sedem habet in dicto Cap. *Non dicatis*, circa illa verba, *Sine Superioris licentia debere*; & infra circa illa: *Primò quidem Priori insinuetur, & sic susciptatur, si ipse mandaverit, de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit.* Et in Cap. *Monachi* circa illa, *Nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum.* Et in Cap. *Cum ad monasterium*, ibi, *Unde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere; sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur.* Et in Tridentino circa ea verba, *Etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conventus tenere. sed statim Superiori tradantur*, junctis illis verbis infra, *Mobilium verò usum ita Superiores permittant &c.*

Quarta verò, quæ de distributione à Prælatis facienda differit, elicienda est ex illis verbis dicti Cap. Non dicatis, *Et distribuatur unicuique vestrum à præposito vestro victus, & tegumentum &c.* & infra ex illis: *Sed sit in potestate præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur.* Et Cap. *Cum ad monasterium*, ibi, *Ne alicui committatur aliqua obedientia perpetuo possidenda &c.* Et maximè ex Tridentino, illis potissimum verbis, *nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia*, usque, *denegetur.*

Ac tandem *Quinta Pars*, quæ est de paupertate in communi, non abs re fundatur in prioribus verbis dicti Cap. *Non dicatis*, nempe, *Non dicatis vobis aliquid proprium*, nec in particulari, nec in communi.

Hæc sunt, quæ nobis ansam offerunt, ac viam parant ad prædictas disputationes huic Tractationi inserendas. Curabimus vero deinde in vestibulo cujuscumque partis verba prædictorum Capitum, in quibus illa disputatio fundatur, præfigere.

Horum Capitum expositionem hoc ordine prosequi curabo, ut non omnino Canonistarum more hæc Commentaria allegationibus, ac contrariis hinc inde coacervatis repleam; quem scribendi stylum ut superfluum & pernicioſum meritò damnat Navarr. *q. 3. de redd. monito. 17.* asserens, satis esse unum vel alterum textum firmum, juncta una vel altera ratione firma adducere. Nec etiam meros ac nudos Theologos imitabor, qui in moralibus disputationibus à sacris Canonibus jejuni, aut fortè eorum obliti, omnia pro suo arbitrio metiuntur, captuque conjiciunt. Nec video, qua fronte possit quis morales materias attingere, vel exacte tractare, qui vel sacrorum Canonum non sit peritus, aut in eis mediocriter versatus. Quare pro mea ingenii tenuitate hæc duo conabor conjungere, ut & hæc Tractatio à Theologis non sit aliena, & Canonum Professoribus sit quoque proficua.

PRIMA PARS
HVIVS OPERIS.

De Dominio, Vsufructu, & Vsu, de Paupertatis Voto, ac vitio proprietatis ei oppositi.

UT veram, & hactenus ab aliis prætermissam declarationem ex dicto Cap. *Non dicatis*, eruamus, præmittenda sunt in hac priori disputatione nonnulla, quæ veluti fundamenta sunt, ex quibus cetera pendent. Primum, quid sit dominium, quid proprium, quid sit usufructus, & usus, & qua ratione inter se differant. Secundum, quid sit Paupertas, & in quo propriè paupertatis Votum consistat. Ac tandem de proprietatis vitio, ejusque gravitate, ac pœnis dicemus. Ex qua verus sensus illius Cap. *Non dicatis*, colligitur.

CAPVT

CAPVT I.

Quid sit Dominium, quid proprium, sive peculium, quid Vsusfructus, & Vsus.

§. PRIMVS.

De Dominio.

BReviter hæc prosequimur, ne plus justo in his, quæ materias alias concernunt, detineamur. Dominium igitur sic definitur: *Est jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Hæc definitio adinventa fuit à Bart. in *L. Si quis vi, §. differentiæ, n. 4. ff. de acquirenda possessione.* Quam amplectuntur communiter Jurisperiti, quos Antonius Gomez *ad L. 45. Tauri n. 5.* refert. Navarrus *Commentario 1. de regularibus num. 12.* eam approbat, & laudat, ut compendiosiorem, & cautiorem aliis, & Molina *Tom. 1. de justit. tract. 2. disput. 3.* In qua definitione pro genere ponitur *jus*, quod commune est ad dominium & alias juris species. Additur verò, *perfectè disponendi de re*, hoc est, omni modo & propria authoritate disponendo de ea, in quemlibet usum, ad differentiam aliorum jurium, ut sunt ususfructus, & usus, quæ non continent tam integrum, & perfectum dominium.

Legend. nost. Andreæ à Matre Dei Tom. 3. Curs. moral. Salmantic. Tract 12. Cap. 2. de Dominio & possessione, punct. 1. & 2.

Rejicitur etiam per istam particulam illud, quod quis concederet procuratori aut amico disponendi de re aliqua, quocumque modo vellet. Quia cum tunc illi non disponeret de re propria authoritate, non censerentur habere *jus perfectè disponendi de re*, quod requiritur ad verum dominium. Addit Bart. particulam illam (*corporali*) quia solum (ut notavit Navarrus) definire voluit dominium rei corporalis, cujus tantum propriè & strictè dominium dicitur esse, ut advertit Molina *ubi supra*. Quamvis sumpto dominio latius, ut comprehendit utile, & directum, etiam est jurium incorporalium, ut beneficiorum, Cathedræ &c. Quod quasi dominium propriùs posset appellari.

Additur præterea, (*nisi lege prohibeatur*) ut denotetur, quando jura prohibent, vel impediunt alicui, ne jus quod habet in actum prodeat; aut si prodierit, ne factum teneat, tunc non auferre dominium ab illo, qui tale jus habet. Quare etiamsi leges prohibeant, ne pupillus, vel amens disponant de re; tamen verè sunt domini, ut rectè probant Molina, & Navarrus *ubi supra*, & ex multis de possessore majoratus, quod verè sit Dominus non obstante prohibitione sua bona alienandi, cum Pinello, Covarruvia, Molina *de primogeniis*, Antonio Gomez, & plerisque aliis sentit prædictus Molina *ubi supra*.

Dominij in directum & utile divisio.

Dominium est duplex: aliud est *directum*; aliud verò *utile*. Dominium proprietatis sine usufructu, appellant *dominium directum*: Usumfructum verò sine proprietate, appellant *dominium utile*. Suppono enim nunc ex vulgatissimis juris principiis, posse quem esse Dominum proprietatis sive substantiæ rei, sine hoc, quod fructus ejus ad ipsum pertineat; & posse quem percipere fructus sine proprietate, & sic unius, & ejusdem rei potest proprietas ad unum pertinere, & ad alium ususfructus.

Illud etiam animadvertere oportet, nomine *dominij* aut *proprietatis* intelligi etiam *quasi dominium*, vel *quasi proprietatem*. Nam, ut bene advertit Glossa in *C. conquestus. de for. compet.* dominium, vel proprietas dicitur respectu rerum corporalium; quasi dominium verò, vel quasi proprietas rerum incorporalium, cujusmodi est beneficium Ecclesiasticum, jus nominandi, designandi, eligendi, confirmandi, & alia hujus generis, in quibus etiam proprietas à possessione distinguitur, ut expresse habetur de jurisdictione in Cap. *Licet causam. de probat. & de jure eligendi*, Cap. *cum Ecclesiam de causa possess.* & in aliis etiam juribus.

Sub nomine dominii & proprietatis comprehenditur quoq; quasi dominium, & quasi proprietas, & quid sub eo contineatur.

Sed antequam explicemus, quid sit *ususfructus*, oportet ut declaremus, quid sit *titulus dominij*, aut *juris*, & breviter cum Molina, *ubi supra disput. 4.* resolvo, titulum dominii aut juris esse radicem ac originem, ex qua dominium, aut jus oritur. Verbi gratia, titulus dominii, aut juris in aliquod Regnum, est quoniam esse legitimè electum in Regem, aut per carnalem propagationem à legitimo Rege originem trahere. Similiter emptio, permutatio, vel donatio, vel esse aliquid relictum in testamento, aut legitimè succedere defuncto ab intestato, est titulus dominii, aut juris earum rerum, quæ his viis nobis acquiruntur, quamvis ad comparandum dominium aut jus in re, præter titulum, necessaria sit veluti conditio sine qua non, traditio & apprehensio rei, ut constat ex *L. traditionibus Cap. de pactis*; & resolvit latè Covarruvias *2. variarum resolutionum Cap. 19. n. 1.* Id igitur (ut nunc more dialecticorum loquar) quod est ratio fundandi dominium, aut jus, tanquam illius radix & origo est, quod nunc appellamus *titulum dominij* aut *juris*.

Quid sit titulus dominij, aut juris.

§. II.

De Vsufructu.

USusfructus est *jus utendi, & fruendi alienare, salva illius substantia*, ut constat ex *L. 1. ff. de usufructu.* Et Inst. *eodem titulo in princip.* Quare qui ejusmodi jus habet, *usufructuarius*, sive *fructuarius* dicitur. De quo videndi sunt Summistæ, verbo *ususfructus*; Navarrus *Comment. 1. de Regularibus n. 13.* & latè Molina *de justitia & jure tract 2. disp. 7.* In diffinitione igitur per particulam *utendi & fruendi*, rejicitur à ratione ususfructus, usuarius, qui tantum habet usum rei, quia usufructuarius non solum habet jus ad integre utendum bonis omnibus, in quibus ususfructus est constitutus, sed etiam ad percipiendos omnes eorum fructus, ita ut eo ipso, quo illos percipit, habeat verum eorum dominium, quod non habet usuarius, ut infra dicemus.

Vid. modo citat. Andream punct. 3. qui latius hæc explicat.

Deinde additur, *salva substantia*, quia usufructuarius tenetur uti re, non consumendo ejus Ex substantiam, sed tantum percipiendo fructus, quo colliges, quod ususfructus (si propriè loquamur) tantum est in rebus, quæ usu non consumuntur, ut patet ex §. *Constituitur. Inst. de usufructu*, quamvis improprie possit esse etiam in usu consumptibilibus, ut declarat Molina, *ubi supra*.

§. III.

§. III.

De Vsu.

DE Usu verò, quia is in Religiosis etiam reperitur, aliquantulum latius dicemus, si prius supponamus ex D. Bonaventura in *Cap. 6. Reg. B. Francisci*, & ex Corduba *eodem Cap. 1.* & Summa *q. 54.* Navarro in *Tract. de redd. Ecc. q. 1. monito 33 Cap. cui portion. 15 & Cap. non ducatis n. 3. & n 14. & cons. 14. de Regul n. 5.* quod duplex est usus: alius est *facti*, qui dicitur *verus*, & *naturalis usus*, & quædam detentio, possessio, sive administratio, quam aliqui vocant asinariam, quam etiam ipsa pecora habent in suis stramentis, aut cibariis. Hujusmodi est, quæ servis competit, quæ sibi, & suo nomine nullius rei possessionem juris habere possunt, etiam eorum, quæ manducant & quibus vestiuntur.

Usus est duplex; alius facti, alius juris, in quo consistant exponitur.

Definitio usus juris.

Alius est *usus juris*, qui nihil aliud est quam *jus duntaxat utendi aliena re, salva illius substantia*, ut constat ex *instit. de usu, & habitatione* per totum. Quæ divisio, ut melius percipiatur, hac ratione explicatur. Usus facti nihil aliud est, quam actus utendi naturalis, quo utimur aliqua re. Qua ratione equitatio dicitur usus equi, & habitatio usus domus. Usus verò juris præter ipsum factum includit jus ad utendum aliqua re, quod permanet cessante actu utendi. Versatur hoc discrimen inter habentes alterum horum usuum. Nam qui habet usum juris, licet non possit donare, vendere, locare, &c. habet tamen jus ad utendum re in suos usus. Qui verò habet tantum usum facti, non habet jus ad utendum, sed tantum habet factum: ita docent Authores *supra adducti*, & Navarrus *Comment. 1. de Regularibus, n. 13.*

Discrimē inter utrumque usum.

In definitione igitur illa, nempe *usus est jus duntaxat utendi aliena re* &c. definitur usus juris, in qua per particulam, *utendi*, rejiciuntur aliqua jura, quæ non sunt ad utendum, ut jus depositarii in comparatione depositi, & creditoris in comparatione pignoris; per particulam, *duntaxat*, rejicitur usufructus, qui non tantum est ad utendum, sed etiam ad fruendum re aliena.

Additur præterea, *re aliena*, quia in hac definitione non comprehenditur jus, quod Dominus rei habet, ad utendum ea, quod cum ipso dominio est conjunctum. Solet enim hic usus *causalis* dici, quia causatur ex ipso dominio, estque illi annexus. Usus verò, qui hic definitur, dicitur *usus formalis*, quia ex se est separatus à dominio. Ponitur præterea, *salva substantia*, quoniam usus, quo substantia consumitur, aut alienatur, non est verè, & propriè usus, & sic non definitur hac definitione, sed tantum usus, qui est separatus à dominio, & solet dici *usus nudus* sive *simplex rei*, ut constat ex *l. 1. ff. de usu, & habitatione*, & ex *Extravag.* Ad conditorem, *de verborum significat.*

Usus causalis, & usus formalis describitur.

Differunt præterea *usus*, & *ususfructus*, quia qui jus habet utendi, (verbi gratia fundo alieno) solum habet jus sumendi poma, olera, flores, & ligna ad usum quotidianum; non tamen potest donare, aut vendere quidquam horum alteri, nec locare, permutare, aut concedere alteri jus ad ea emolumenta percipienda, quæ ipse usuarius percipit, ut constat ex toto *tit. instit. de usu, & habitatione*, & ex *Extravag.* ad conditorem, & *de verborum significat.* Usufructuarius verò hæc omnia potest, ut patet ex his, quæ supra de usufructu diximus.

Usus & ususfructus distinguantur.

Sed dices, an in omnibus rebus possit reperiri usus formalis, qui est separatus ab ipso dominio? pro solutione observa, quod res quibus utimur, sunt in duplici differentia: aliæ sunt, quarum actualis usus non est earum consumptio, ut domus, fundus, & omnes aliæ res, quæ licet frequenti usu consumantur, non tamen consumuntur unico actu usus; & istæ dicuntur res, quæ usu non consumuntur. Aliæ verò sunt, quarum actualis & perfectus usus non potest esse sine illarum consumptione; ut cibus, cujus usus est consumptio; vel pecunia, cujus usus consistit in distractione & translatione ad alium dominum: & istæ res dicuntur usu consumptibiles. De his igitur est difficultas, an possit separari usus ab earum dominio: nam qui eis utitur, necessario debet consumere, vel destruere earum substantiam, quod non potest pertinere nisi ad verum dominum.

Secundò observandum est, quod jus sive facultas ad quemcumque usum est duplex: alia est absoluta, & independens ab alia, qualis est illa quam habet verus dominus cujuscunque rei, qui ea ratione dominii potest uti ea in quemliber usum. Alia est facultas quasi conditionata, & dependens à voluntate veri domini ipsius rei, qualis est solum illa, quam habet amicus, vel procurator ad disponendum de re, ut sibi placuerit, ita tamen, ut possit tolli vel limitari per verum dominum, tantum concedentem illam cum tali conditione, & dependentia. Hac distinctione utuntur aliqui moderni, quæ desumpta est expressè ex Divo Bonaventura in *Cap. 6. in Expositione Reg. B. Francisci*, ubi *in responsione ad quintam objectionem* sic ait: *Duplex est usus rerum: quidam enim utuntur rebus authoritate propria, ut domini: quidam aliena, ut servi: in usu ergo illorum, qui authoritate propria utuntur rebus, in hu usus non differt à dominio; in usu autem aliorum differt. Quare fratres Minores utuntur rebus, quas usu consumunt; nec tamen ut dominantur.*

Duplex facultas ad quemcumque usum est duplex.

alia dicitur absoluta

quam habet verus dominus cujuscunque rei, qui ea ratione dominii potest uti ea in quemliber usum.

facultas quasi conditionata, & dependens à voluntate veri domini ipsius rei, qualis est solum illa, quam habet amicus, vel procurator ad disponendum de re, ut sibi placuerit, ita tamen, ut possit tolli vel limitari per verum dominum, tantum concedentem illam cum tali conditione, & dependentia.

Ex qua doctrina facilè dubitatio solvitur: nam usus absolutus, & independens rerum consumptibilium (quatenus consumptibiles sunt) nullatenus distinguitur à dominio; sed est ipsa essentialis ratio dominii. Ita D. Thom. 2. 2. q. 78. *art. 1.* ubi ideo negat posse sumi pretium distinctum pro usu harum rerum ab eo, quod pro re ipsa sumitur. Quia (inquit) *in rebus usu consumptibilibus non debet seorsim computari usus rei ab ipsa re.* Et est communis sententia Summistarum.

Quæ doctrina sumpta est ex Nicolao III. in *Cap.* Exiit, *de verborum significatione in 6.* & est expressa sententia Joan. XXII. in *dicta Extravag.* Ad conditorem *eodem tit.* dicentis, quod repugnat juri, & rationi dicere, quod in istis rebus distinguatur dominium ab usu. Juri (inquam repugnat) quia in *l. 3. & toto tit ff. de usufructu rerum*, quæ usu consumuntur, & *instit. eodem tit. §. Constituitur*, habetur, quod usufructus non potest constitui in rebus consumptibilibus; quia in eis dominium sejungi nequit ab usu, quod de hoc solum usu absoluto intelligi debet. Rationi verò obviat, quia (ut supra definivimus) dominium consistit in facultate utendi re ad consumptionem, vel destructionem, vel quolibet alio modo; ergo impossibile est hanc facultatem sive jus utendi in rebus consumptibilibus separari à dominio.

§. Usus

Vid. de his loc. supra cit. P. Andream.

§. Usus verò quasi conditionatus, & dependens à voluntate alterius, nec in rebus consumptibilibus, nec in aliis habet rationem dominii. Atque adeo potest separari à dominio, & de facto multoties separatur. Ut patet in exemplo adducto Procuratoris, amici, & convivæ, qui sine ullo dominio in rebus, quæ sibi ad edendum apponuntur, eis utitur in ordine ad consumptionem; interim dum ea est voluntas illius, qui eum ad prandium invitavit. Et hic usus practicatur in omnibus Religionibus, in quibus (ut omnes confitentur) privati Religiosi non habent dominium rerum, quas usu consumunt. Nam incapaces omnino sunt veri dominii: sed dominium istud est in ipsa Communitate, vel penes Summum Pontificem; Religiosi verò ex voluntate tacita, vel expressa Prælatorum res illas consumunt, dependenter tamen à Prælato, ita ut facultas illa possit per Prælatum revocari. Ergo in rebus usu consumptibilibus potest esse facultas, & jus ad consumptionem, sine dominio.

Et ratione probatur ex dictis, quia dominium est jus absolutum, & ad utendum re, propria authoritate; quale non habet, qui tantum habet jus conditionatum, & dependens ab alio. Et confirmatur: quia si posteaquam quis concessit alteri ejusmodi usum, illum revocet; nullam injuriam irrogat illi. Cum tamen usuario, & usufructuario absoluto injuria fieret, si dominus rerum, quarum sunt usuarii, aut usufructuarii, prohiberet eos ab earum rerum usu, aut fruitione. Imò si post hanc revocationem alter uteretur re, injustè faceret. Ergo hujusmodi usus non est dominium, neque tale dominium manet apud eum, qui talem usum habet, sed apud alium, qui illum concessit. Quia nullus potest sine injustitia proprietatem alicujus rei ab alio tollere; ergo si concedens hujusmodi usum potest illum tollere, ille qui utitur, non est proprietarius.

Si interroges, an iste usus conditionatus sit verè jus? Resp. quod hic usus non est species juris, cum non sit jus simpliciter & absolutè ad utendum re, tanquam causa principalis; sed potiùs, est licentia ad actum utendi, dependens ab eo, qui eam concessit. Quare in hoc tantùm sensu dici potest facultas ad usum & instrumentum juris alterius, ad utendum re. Quid ergo, si non est usus, hæc facultas dicetur? Resp. Primo eam appellari à Corduba *qu. 1. in Cap. 6. puncto 2. suæ Reg.* fas utendi. Et ut constat ex Cap. *omnes leges, distinct. 1.* fas non est jus. Secundo, alii dicunt, hanc facultatem appellari usum facti, non quod sit nudum factum sine jure ad illud; sed quia est jus tenuissimum ad factum, utpote instrumentale, & dependens à voluntate dominorum.

Ex dictis resolvi debet celebris illa difficultas, utrum Fratres Minores dominium habeant aliquod rerum: an verò solum usum? & quod negotium facessit in hac re, est extrema, imò contraria, Pontificum sententia. Nam Nicolaus III. *Cap.* Exiit, *de verborum significatione in 6.* Clemens V. in *Clementina* Exivi, *eodem titulo*, & alii Pontifices approbaverunt & declaraverunt, Fratres Minores habere tantum usum facti, & quod dominium earum rerum esset, vel apud dantem eleemosynam, vel apud Summum Pontificem. Joannes verò XXII. in *Extravag.* Ad conditorem, *& duabus sequentibus* probare contendit, in rebus, quæ usu consumuntur. Minores non solum usum, sed dominium habere. Quia, ut asserit ille, in his dominium nequit ab usu separari. Quorum sententiæ facilè in concordiam rediguntur, si usum prædicto modo distinguamus in absolutum, & conditionatum. Nam prior sententia loquitur de usu conditionato, quem habent Fratres Minores dependenter à Summo Pontifice: Secunda verò de usu absoluto, quamvis de Joanne XXII. sentiendum sit, non fuisse loquutum ut Pontificem; sed ut doctorem. Cujus objectiones cessant cum adducta distinctione de usu sive facultate ad utendum, conditionata, vel absoluta, ut supra ex mente Divi Bonaventuræ resolvimus.

§. IV.

Quid sit proprium, & de multiplici ejus acceptione.

PRoprium aliter apud Philosophos, sive Dialecticos, aliter verò apud Jurisprudentiæ professores accipitur. Illi (ut videre est apud Porphirium *Cap. 4. predicabilium*) quatuor modis usurpant, qui ad præsens institutum parum conducunt. Hi verò proprium, idem quod suum appellant, ut constat ex *l. divus*, §. sin autem, ibi *proprio lino, propriaque cera consignare*, ff. de officio Præsidis. Et hac significatione invenies apertè usurpatum in Cap. *redintegranda 3. q. 1.* ibi enim proprias substantias, id est, suas exponit Pontifex. Secundò accipitur prout opponitur alieno, ut constat ex *l. eos qui* §. *Sin autem judicio propriam quis fuerit causam prosequutus*, juncto vers. *Is verò, qui alienum tuetur judicium.* Cap. *de appellationibus.* Sumitur etiam proprium prout opponitur termino illi, commune sive promiscuum. Cicero in Catone majori: *At id quidem non proprium senectutis est vitium; sed commune valetudinis:* & clarè hac significatione reperies acceptum *l. ut tantum vers.* servus communis *ff. de servis corruptis*, ibi: *Si servus communis meus & tuus proprium meum servum corruperit &c.* & in Cap. *Non dicatis*, dum dicitur: *Non dicatis vobis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.*

Variæ proprij acceptiones.

Has, & alias acceptiones, quæ cum his coincidunt, latius prosequitur Quintilianus, Mandosius in gloss. facultatum *parag.* & proprium, & *conc. 26.* Quare proprietas, & dominium ex mente Navarri in dicto Cap. *Non dicatis, n. 12.* apud Jureperitos idem sunt. Ac perinde videtur, ea quæ de dominio adducta sunt, fore accommodanda proprietati, quæ dominium sonat. Attento tamen juris rigore, negare non possum, constituendam esse differentiam inter dominium, & proprietatem. Proprietas enim dominium est sine usufructu, ut apertè colligitur ex *l. 4. & l. usufructus 66. & l. cum in fundo de jure dotium.* Dominium verò est proprietas cum usufructu, ut in *l. 4. ff. de usufructu.* Quam etiam distinctionem ex his juribus collegit Parladorius in *lib. quotidianarum rerum Cap. 4.* Ceterum quidquid sit de his juribus, quæ merito talem differentiam inter dominium & proprietatem agnoscunt; nos in latiori significatione de proprietate disserimus, non solum, ut comprehendit dominium, verum etiam usum-

In quo differāt dominium & proprietas.

Proprij absolutè sumpti divisio.

fructum, & usum juris, & quodlibet aliud jus, si esse potest, quod sit jus politicum, & civile. Quod magis constabit ex notabili sequenti.

Deinde proprium absolutè sumptum est duplex, ut optimè advertit Navarrus *Comment. 1. de Regularibus n. 15.* Primò quidem proprium dicitur quoad Dominium, & proprietatem, vel quasi dominium: vel quoad veram possessionem, vel quoad usumfructum vel usum, præsertim quatenus sunt jura. Et hujus generis proprii, soli homines liberi sunt capaces suo nomine, quia hi solum sunt capaces dominii. Aliud est proprium quoad detentionem, & usum, administrationem, & possessionem facti tantum, cujus sunt capaces etiam servi; quod proprium in rigore proprium non est; sed tantum per quandam analogiam proprium dicitur. Et hoc est, quod supra dicebamus appellari usum facti.

§. V.

De Peculio.

SIve peculium à parva pecunia, ut Lambynus, & alii volunt; sive à pecore, ut Festus Pompeius, & communis sententia tenet, dicatur: illud est certum in jure, peculium appellari, quod filiusfamilias vel servus habet separatum à bonis paternis, vel dominicis. Ut manifestè probatur ex *l. depositi §. peculium, juncta l. sequenti, ff. de peculio.* In quo etiam sensu hoc nomen peculium explicarunt Brysonius, Orhomanus, & Berrutius *Lib. 14. de verborum significatione*, verbo *peculium*; & Duarenus ad *tit. de peculio, Cap. 1.* cum aliis, quos retulit Caldas in *l. si curatorem*, verbo *lasis n. 89. Cap. dein integ. restitut.*

Peculium etiam variis nominibus solet nuncupari, prout varia, & diversa solet esse causa, & occasio acquisitionis. Nam aut filius familias acquirit ex patrimonio patris, & dicitur *peculium profectitium*, aut occasione militiæ armatæ, & appellatur *castrense*, aut militiæ togatæ, & palatinæ & dicitur *quasi castrense.* Aut acquirit aliunde, hoc est, nec occasione militiæ armatæ, sive togatæ, nec ex substantia patris, & appellatur *adventitium*, ut communiter explicant Jurisiæ in *l. Cum oportet. C. de bonis quæ liberis*, ubi Accursius verb. *exceptis.* & Glossa in Republica *ff. de peculio.*

Præterea peculium latiori significatione dicitur, quasi parva pecunia (Hispanicè *hazenduela o pegujar*) ut optimè notat Fornerius in *l. paterfamilias 182. de verb. sig. ff.* & colligit Navarr. *Comment. 1. de Regul. n. 14. ex Cap.* totum *1. q. 3.* & ex *l. peculium ff. de pecul.* Ac denique peculium etiam sumitur pro bonis, in quibus quis habet dominium ut patet ex *l. cogi. ff. ad Trebell.* ubi peculium sumitur pro patrimonio, cujus habet dominium pater.

Peculium aliud justum, aliud injustum.

Peculium igitur de quo infra differendum est, etiam translatitiè sumitur pro illis bonis; quæ à monacho peculiariter possidentur; quod adhuc subdividi potest. Aliud enim est peculium injustum injusteque possessum, ut cum monachus aliquid possidet sine licentia Abbatis; qua acceptione sumitur in *dicto Cap.* monachi: ubi dicitur. *Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur altaris, & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, &c.* Peculium enimin hac acceptione idem quod proprium: unde jura omnia quæ loquuntur de abdicatione proprietatis, exponenda sunt etiam de abdicatione peculii in prædicto sensu.

Aliud est peculium justum, quale est illud, in quo monachus tantum habet administrationem & usum, dependenter tamen à voluntate Prælati. Et appellatur peculium, ex similitudine ad peculium profectitium, ut annotavit Navarrus *Comment. 1. de Regular. n. 14.* Nam sicut filiusfamilias peculium habens profectitium non habet dominium, neque jus aliquod civile; sed tantum administrationem, & negotiationem bonorum patris, cui subest: ut patet ex *l. cum oportet juncta glossa verb.* ex substantia *l. de bonis* quæ liberis. Sic monachus dicitur habere peculium monasticum, ex eo quod habeat administrationem bonorum monasterii, vel aliqua alia bona suis propriis usibus deputata, dependenter tamen à voluntate Prælati. De quo nos infra latius disseremus.

CAPVT II.

Quid sit paupertas, & an sit virtus?

PAupertas (si nominis Etymologiam consideres) teste Varrone de lingua latina, verbum deductum est à parva pecunia, sive ut aliis placet, à parvo lare, & significat carentiam magnæ pecuniæ. Pecuniæ autem appellatione non solum venit pecunia numerata, sed etiam quidquid ea est æstimabile, ut patet ex *Cap.* Totum *1. q. 8.* & ex *l pecuniæ* de verb. signif. ubi sic dicitur. *Pecuniæ nomine non solum pecunia numerata: sed etiam omnes res tam soli quam immobiles, & tam corpora, quam jura continentur.* Ubi no a quod etiam jura (puta obligationes, & actiones) pecunia dicuntur ut, rectè ponderavit Navarr. *ubi sup.* cum Gloss. in *dicto Cap. totum*, & ita paupertas propriè dicitur carentia rerum, jurium, & actionum temporalium usibus humanis necessariarum.

Paupertas unde dicatur.

Pecuniæ nomen quidquid signet.

Præterea observandum est paupertatem esse triplicem, aut enim est paupertas actu, sed non affectu, quæ dicitur paupertas *coacta*, sive *necessaria*, quam quis contra suam voluntatem patitur vel incurrit. Alia est paupertas in affectu, sed non in actu, de qua loquutus est Dominus cum dixit: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, & hanc simpliciter, & directè pertinere ad perfectionem docet D. Tho. *2. 2. q. 184. art. 7. ad pri.* & *q. 19. art. 12. ad prim.*

Triplex paupertas.

Tertia paupertas est quæ utrumque conjungit affectum, & actum scilicet paupertas interior, & exterior, quæ nihil aliud est quam velle et carere omnibus emolumentis, & subsidiis temporalibus; ita tamen conjunguntur, ut vera perfectio in affectu, instrumentum vero ad perfectionem in ipso actu, & effectu, consistat, ut docet D. Thom. *ubi sup.* Et hæc dicitur paupertas *voluntaria*, & *Evangelica*, & hanc Dominus commendavit *Matth. 5.* illis verbis, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: Quasi dicat, Beati qui propter DEUM ponte diligunt paupertatem. Ita exponunt hunc locum fere omnes Patres B. Hieronymus, Gregorius, Nyssenus,

De qua paupertate Christus in Evangelio locutus fuerit.

Nyssenus, Chromatius, & Anselmus, Lyranus, Abulensis. Cajet. Jansenius, & alii in illum locum *Matth.* Et præterea S. Ambros. in 6. *Cap. Luc.* Leo in *Sermon.* de illis verb. Domini *Matth.* 5. Bern. *Serm.* 1. *de Festo omnium SS.* relati à Bellarmino *Tom.* 1. *Lib.* 2. *de monachis Cap.* 20. Quibus adde D. Thom. 2.2. *quæst.* 14. *art.* 12.

De hac etiam paupertate voluntaria accipienda sunt illa verba, quæ Christus Dominus *Matth.* 19. illi juveni diviti respondit, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Et illud, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ubi etiam Petrus de hac renunciatione rerum temporalium loquutus est.

Adhuc autem hæc paupertas voluntaria ex parte motivi duplex esse potest: alia quæ ob curiositatem assumitur, qualis fuit Cratis Thebani, de qua S. Hieron. *Epist.* 13. *ad Paulinum*, & refertur in *Cap.* Gloria Episcopi. 12. *qu.* 2. Alia vero quæ renuntiat divitiis temporalibus ob perfectiorem Christi sequelam.

De hac igitur paupertate potest esse dubium an sit laudabilis, de quo non est cur immoremur, plura enim de hoc argumento scripsêre nostri temporis Controversarii contra hæreticos. Et nunc sufficit illud testimonium Christi Domini, *Matth.* 5. ubi non utcunque paupertatem laudat, sed eam maximè extollit, dum pauperes beatos appellat, & ob paupertatem illis cælorum regna promittit. Gloriosa igitur, & laudabilis est paupertas, cui respondet tam excellens præmium, & tam ampla merces. Et ratione constat, quia secundum rationem rectam operatur, qui ordinat exteriora bona ad interiora animæ, quæ potiora sunt. Quare qui divitiis abrenunciat, ut ab impedimentis, & earum sollicitudinibus alienatus liberius vacet veritatis contemplationi, ut multi etiam philosophi fecerunt, veram laudem meretur.

Quare illud solum dubitari jure potest, an sit paupertas secundum se vera, & specialis virtus: Nam quod sit instrumentum virtutis, & aptissimum ad perfectionem Christianam comparandam recte docuit D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 3. *& sequent.* Estque communis consensus Patrum, ut poteris latius videre apud D. Bonavent. in *Apologia paupertatis*, & nostri temporis Controversiarios. Solum ergo est difficultas, an hoc instrumentum perfectionis sit ex se virtus, & perfectio. Ratio dubitandi esse potest imprimis authoritas D. Thom. *Lib.* 3. *contra. Gent. Cap.* 133. ubi ait: *Hoc est commune omnibus exterioribus rebus, quæ in tantum bona sunt, in quantum proficiunt ad virtutem, non autem secundum seipsas* Et in *Cap.* 34. *seq. ad* 5. Sic ait: *Neque divitiæ, neque paupertas, neque aliquid exteriorum est secundum se hominis bonum, sed solum secundum quod ordinatur ad bonum rationis.*

Adducuntur argumenta pro parte negativa.

Insuper ratio probatur, quia si paupertas esset virtus, ejus oppositum, nempe divitiæ, esset vitium, quia virtuti semper vitium contrariatur: constat autem divitias per se neque bonas neque malas esse, ut omnes Patres fatentur, ergo neque paupertas erit virtus.

Et confirmatur, quia dari possunt aliquas virtutes defecisse Sanctissimos Viros, quales fuerunt Abraham, David, Job, & alii qui divitiis, ac aliis temporalibus rebus abundarunt.

Tertio quia paupertas sæpe à Patribus instrumentum perfectionis appellatur, ut ex Cassiano *Coll.* 1. *Cap.* 7. probat D. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. ergo non est perfectio, ac ex consequenti nec virtus.

Quarto quia virtus debet consistere in medio: paupertas vero evangelica extremum liberalitatis amplectitur, omnia à se abdicando, maximè cum D. Ambros. asserat non esse effundendas opes, sed dispensandas.

Pro contraria parte certius, & verius videtur paupertatem Evangelicam veram esse virtutem. Dixi *paupertatem Evangelicam*, quæ tendit ad elargitionem, & renuntiationem omnium bonorum, ut expeditius Christum sequamur (Nam paupertatem generice sumptam, ut communis est modis omnibus paupertatis supradictis, certum est non esse virtutem) Probat hoc latè D. Bonavent. in *Apologia pauperum in respons.* 13. *part.* 1. *art.* 1. ubi pro sua sententia adducit B. Hieron. in *Epistola ad Demetriadem*, qui tractans illa verba, *beati pauperes spiritu.* Sic ait: *Apostolici fastigii est perfectaque virtutis omnia vendere, & pauperibus distribuere: & sic levem, & expeditum cum Christo ad cælestia subvolare.* Hæc Hieronym.

Sententia affir. eligitur, & authorit. ac rationibus probatur, ac confirmatur.

Et ut mihi persuadeo, id apertè fatetur D. Thom. 2. 2. *q.* 152. *art.* 3. *ad* 2. *& q.* 186. *art.* 3. *ad* 1. ubi dum *argumento* 3. *ejusdem art.* conatur probare paupertatem non esse virtutem, quia non consistit in medio, sed in extremo, in solutione hujus argumenti docet consistere in medio secundum rectam rationem, ac proinde ex hac parte non deficere à ratione virtutis.

Idem clarè indicat in *solutione ad* 6. *ejusdem art.* ubi paupertatem Evangelicam appellat actum heroicum eleemosynæ, dum ait: Quod *abrenuntiatio propriarum divitiarum comparatur ad eleemosynarum elargitionem, sicut universale ad particulare, & holocaustum ad sacrificium.*

Ratione prob. 1. Nam ex hoc aliquis actus est virtuosus in quantum per rectam rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum; hoc enim fundamento probat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 1. & *quæst.* 152. *art.* 2. & 3. jejunium, & virginitatem esse virtutem: hoc autem convenit paupertati Evangelicæ, quæ ex se ordinatur ad plurima bona. Primo ad comprimendam cupiditatem, quæ radix est omnium malorum, quæ tollitur per voluntariam paupertatem.

Secundo, in quantum tollit dispensationem rerum exteriorum, & sollicitudinem illarum. Tertio, in quantum offert quis DEO, sive pauperibus omnia bona exteriora. Qua ratione paupertas à D. Thom. *dicta q.* 186. *art.* 7 dicitur verum instrumentum ad comparandam perfectionem. Quarto, quia paupertate liberius & expeditius à solicitudine, & rerum temporalium curis abstracti DEO vacamus. Prodest etiam paupertas, & ex se est instrumentum aptissimum ad alia plurima bona, ut D. Thom. breviter in *Isaiam Cap.* 48. Sub finem frequentibus verbis annotavit

Plurima confert bona paupertas.

Paupertas confert multa. 1. Peccatorum recognitionem. 2. Virtutum conservationem, juxta illud: *Pauper gloriatur per disciplinam, & timorem suum.* 3. Cordis quietem, juxta illud: *Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.* 4. Desiderii impletionem, juxta illud, *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* 5. Divinæ præbet dulcedinis participationem, juxta illud, *Parasti in dulcedine tua*

pauperi DEUS. 6. Exaltationem, juxta illud, *suscitans de pulvere egenum.* 7. Cœlestem hereditatem, juxta illud, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quæ omnia bona ad quæ paupertas ordinatur, rectè à Climaco *gradu* 17. Sunt his verbis declarata. *Paupertas est abdicatio sollicitudinum sæculi; iter ad* DEUM *sine impedimento; expulsio omnis tristitiæ: Fundamentum pacis: munditia vitæ, quæ nos liberat à curis omnibus vitæ transeuntis, & facit ut* DEI *mandata perfectè exequamur.*

Radix omnium malorum cupiditas.

D. Bonavent. *ubi supra*, probat paupertatem esse virtutem, & quasi fundamentum omnis Christianæ perfectionis, hac ratione. Quia si, ait, radix omnium malorum est cupiditas (ex hac enim simul cum superbia, quæ huic cupiditati semper est comes) omnia scelera originem, fomentum, & incrementum accipiunt; est autem hæc cupiditas in mentis affectu, quasi in subjecto infixa: sumit tamen alimentum ac pabulum ex bonis exterioribus possessis. Ideo ad perfectam hujus cupiditatis extirpationem utrumque necessum fuit, ut non solum interior illa sitis; sed etiam externa rerum abdicaretur possessio: quorum alterum voluntate tantum & spiritu, alterum verò etiam opere præstatur. Ex quo concludit quod sicut cupiditas est fundamentum & radix omnium illorum malorum; sic è contra paupertatem merito fore appellandam verum, & solidum fundamentum totius evangelicæ perfectionis. Et ideo Dominus ab ipsa tanquam à fundamento exorsus est, dum fundamenta jaceret Christianæ perfectionis. *Matth.* 19. dicens: *Beati pauperes spiritu.* Hæc ex D. Bonavent. *ubi sup.* Cum igitur paupertas conservet bonum rationis contra impetum passionum concupiscibilis, recte inter virtutes morales annumeratur. Hoc enim fundamento persuasus D. Thom. *dicta q.* 146. *art. ult.* probat abstinentiam esse virtutem.

Paupertas solidum est fundamentum Evangelicæ perfectionis.

Secundo probatur; quia paupertas est actus humanus bonus & laudabilis in medio consistens: ergo est virtus. Antec. prob. ex adducto testimonio Christi Domini: Ubi pauperes *beatos* appellat. Tertio, Quia paupertas est materia voti, nam de illa in Religione emittitur solemne paupertatis votum à Christo Domino institutum, ut omnes Catholici fatemur. Votum autem emitti non potest, nisi de actu virtutis, ut recte D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. probat; Igitur negari non potest Evangelicam paupertatem esse virtutem.

Ultimo; quia non apparet aliqua diversitatis ratio quare jejunium, & virginitas sint virtutes, & non paupertas: At de illis prioribus probat D. Thom. 2. 2. *q.* 147. & *q.* 152. esse virtutes; ergo & paupertas. Nam sicut jejunium absolutè sumptum, & virginitas etiam genericè considerata, licet ex se nec bona, nec mala sint, tamen ut removent impedimenta; illud carnis concupiscentias reprimendo, hæc vero conservando hominem ab omni experimento venereæ delectationis, ut sic liberius, & expeditius DEO vacare possit, cur non similiter de paupertate philosophari licebit?

Paupertatem virtutem esse specialem, & ab aliis

Sed petes an paupertas sit virtus specialis? Resp. paupertatem esse virtutem specialem, & ab aliis distinctam: Quod duplici ratione confirmo. Prima est, quia virtus moralis conservat bonum rationis contra impetus passionum. Quare ubi invenitur specialis ratio qua passio aliqua abstrahit mentem à bono rationis, necesse est ibi esse specialem virtutem moralem: Ita enim D. Thom. conjectatur sæpe distinctionem specialem inter virtutes morales; maxime vero. 2. 2. *q.* 146. *art.* 2. sed nulla est passio quæ ita abstrahat hominem à bono rationis quam avaritia sive cupiditas divitiarum, quæ habitæ, & possessæ, ut idem D. Thom. ait: *q.* 186. *art.* 3. *ad* 3. *Per se quidem natæ sunt perfectionem charitatis impedire, principaliter alliciendo animum, & distrahendo*, hæc D. Thom. *ubi sup.* ergo contra hanc cupiditatem, & impedimentum quod oritur ex divitiarum possessione constituenda est alia virtus specialis, quæ non potest esse alia, quam paupertas. *distinctio probatur.*

Fontes omnium vitiorum quæ sunt.

Et confirmatur, quia tres sunt potissimum passiones, quæ sunt veluti fontes omnium vitiorum, nempe appetitus luxuriæ, avaritiæ, & superbiæ, ut patet ex 1. Joan. 2. *Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Unde ad reprimendum appetitum luxuriæ, ponitur virtus castitatis: ad coercendum etiam appetitum superbiæ, virtus humilitatis, & obedientiæ. Cur ergo ad reprimendum infestissimum divitiarum, sive avaritiæ appetitum, non est constituenda aliqua virtus specialis, cum hæc passio maximum soleat esse rectæ rationis impedimentum, ut patet ex superius adductis. *Quæ ratio illa approbatur.*

Nec obstat, si quis dicat virtutem liberalitatis moderari hanc cupiditatis passionem: nam etsi verum sit liberalitatem hanc avaritiæ passionem suo modo frænare, tamen non ita eam coercet, & reprimit, ut non multa impedimenta remaneant, nam cum divitiæ adhuc possideantur, & hæ per se natæ sint impedire perfectionem, tum quia animum alliciunt, tum quia distrahunt; oportuit aliam esse virtutem, quæ impedimenta ista removeret, divitias rejiciendo, & sic quasi eradicaret hanc cupiditatis passionem.

Major, cum qua distinguitur à liberalitate, & ideo quomodo à paupertate.

Præterea ratione probatur; quia ubicunque est specialis materia boni habens specialem excellentiam, ibi invenitur specialis ratio virtutis, ut in magnificentia, quæ quia est circa magnos sumptus, est specialis virtus à liberalitate distincta, quæ communiter se habet circa omnem pecuniarum usum, ergo simili modo constituenda est specialis virtus in paupertate Evangelica, cum sit specialis materia boni habens specialem excellentiam, & difficultatem, scilicet renuntiare omnibus bonis exterioribus, sive ea elargiri pauperibus.

Refunditur argumenta pro parte negativa adducta.

Ex quo apparet esse specialem virtutem à liberalitate distinctam. Nam liberalitas est virtus, quæ inclinat ad rectè utendum pecunia, & quicquid pecunia mensurari potest, ut sunt omnia bona exteriora pretio æstimabilia, ut docet D. Thom. *q.* 117. *art.* 3. ita tamen hoc ad liberalem pertinet ut non omnino à se rerum possessiones abjiciat. Unde Philosophus in 4. *ethic.* ait, quod liberalis non negligit propria, & sæpe id docet D. Thom. *prædicta quæstione.*

Paupertas verò Evangelica ita moderatur passiones inferiores cupiditatis circa bona exteriora, ut renuntiet omni pecuniæ, & omnibus quæ pecuniâ mensurari possunt, ut illa largiatur aliis, & sic est specialis virtus ab ipsa liberalitate distincta, quæ consistit in moderatione passionis cupiditatis non largiendo, & retinendo aliquid sibi ut liberalis; sed largiendo, & renun-

renuntiando omnibus possessis, ut verè pauper. Quare se habet ad liberalitatem ut holocaustum ad sacrificium, ut docet Divus Thomas *dicta quæstione 186. articulo 3. ad 6.* & colligitur ex D. Gregorio dicente, quod illi, qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt, qui aliquid DEO immolant, & aliquid sibi reservant: qui verò nihil sibi reservant offerunt holocaustum, quod est majus sacrificium. Quod etiam ibi colligitur ex D. Hieronymo contra Vigilantium. Potest etiam dici paupertatem esse actum heroicum liberalitatis, & sic ad ipsam pertinere non aliter ac de virginitate sentit Cajetanus *dicta quæst. 152. artic. 3.* & D. Thom. *2.2. quæst. 147. art. 3.* & de jejunio philosophatur ut de actu abstinentiæ.

Notandum verò est, ut ea quæ nuper diximus clarius percipiantur, quod in hac virtute paupertatis formalis ratio, quæ illam constituit in esse talis virtutis, est, velle bene uti omnibus rebus exterioribus, abrenuntiando omnibus in quantum sunt fomenta interiorum passionum, & impedimenta perfectionis comparandæ, ut sic liberius DEO vacemus, & sic propinqua materia paupertatis sunt interiores passiones, secundum quas homo afficitur circa res exteriores, quas paupertas omnino moderatur, & corrigit. Objectum verò materiale remotum est ipsa abdicatio rerum exteriorum; finis verò est DEO vacare. Unde circa bona exteriora secundum diversas rationes, diversæ virtutes versantur: nam in quantum bene utimur divitiis, eas elargiendo quando, & quo modo oportet, est liberalitas. In quantum verò utimur divitiis secundum quandam specialem rationem, in quantum assumuntur in alicujus operis magni expletionem, dicitur magnificentia. ut D. Thom. *dict. art. 3.* annotavit. Quibus addi potest, quod in quantum utimur divitiis, eas à nobis omnino abdicando, qui est melior usus divitiarum, dicitur vera paupertas.

Quodnã sit paupertatis objectum proximũ, quodnam remotum ac materiale.

Ad argumenta in contrarium posita Respond. 1. ad authoritatem D. Thom. *ibi* non negare D. Thom. paupertatem Evangelicam esse virtutem, sed tantum loqui de illa prout genericè, & absolutè sumitur, quæ ut sic est indifferens, nec ex se ordinatur ad bonum rationis, quemadmodum jejunium, & virginitas si absolutè considerentur.

Respondetur argumentis pro parte negativa adductis.

Ad secundum respondetur, virtutibus, quæ sunt de consilio, non contrariari vitium, ut patet in religionibus, quarum statuta, seu constitutiones non obligant ad culpam. Quæ, ut nos *alibi* probavimus, ad virtutem obedientiæ pertinent, & tamen earum transgressio potest esse sine vitio inobedientiæ.

Vel 2. respondetur paupertatem esse virtutem prout cadit sub voto, & tunc ei opponitur proprietatis vitium, quâ etiam ratione docuit D. Thom. *2.2. q. 152. art. 3. ad 4.* virginitatem esse virtutem.

Ad confirmationem respondetur ex mente D. Thom. *dict. q. 152. art. 3. ad 2.* quod quamvis alicui virtuoso deficiat materia virtutis (sicut pauper habet materiam temperantiæ, deficit verò materia magnificentiæ) potest tamen habere id quod est formale in illa virtute, ut scilicet sit in præparatione animi illam virtutem exercendi si hoc sibi competeret, & à se id DEUS exposcerer. Et hoc sufficit ad rationem virtuosi. Hanc autem præparationem animi habuerunt Sancti illi Patres veteris testamenti, & hoc sufficit, ut verè dicerentur pauperes spiritu.

Ad 3. respondetur quod licet paupertas appelletur instrumentum perfectionis, adhuc tamen non obstat quin sit virtus: nam etiam obedientia, castitas, & jejunium perfectionis instrumenta à D. Thoma & à Patribus appellantur, & ipsi confitentur veras esse virtutes.

Ad 4. argumentum respondeo, cum D. Bonavent. *1. Tom.* in *Apologia pauperum in 3. particula quarta responsionis art. 2.* quod sicut aliud est medium pudicitiæ conjugalis, aliud sanctimoniæ virginalis, sic aliud est largitatis politicæ, aliud paupertatis Evangelicæ. Largitas namque politica, quia circa mundana versatur, nequaquam etiam secundum rectam rationem consulit possessionum terrenarum abrenunciationem; sed potius justè possessorum distributionem, & retentionem moderatam. Quare in persona viri politici *Prov. 30.* dixit Salom. *Paupertatem, & divitias ne dederis mihi.* Evang. vero paupertas eo quod ad æterna spiritum sublevet, tanquam ea, quæ in cœlis sibi thesaurizat, suader se profitentibus, debere nudari, quoad effectum dominii rebus omnibus temporalibus, & arcta sustentatione esse contentos quantum ad usum. Et sic est ipsius modus sive mediocritas, quod sic relinquatur dominium, ut non rejiciat usum, sicque arctitudinem usus reservet, ut sustentationem non deviet.

CAPVT III.

De origine, & institutione voti paupertatis.

Hæreticorum circa Evangelicã paupertatem errores.

DE paupertate Evangelica diversi fuêre hæreticorum errores. Alii illam irridentes divitias paupertati comparantes, ut Vigilant, olim temerè, apud Hieron. & Augustin. affirmabat. Alii ita vanè paupertatem extollebant, ut ausi fuerint asserere neminem posse vitam æternam consequi, nisi ita divitiis omnibus renunciaverit, ut nihil proptium retineat: horum meminit Augustin. *de hæresibus Cap. 40.* & Epiphanius *hæresi 61.* fuerunt autem hujus factionis hæretici (eodem teste August.) Apostolici vocati, qui arrogantissimè sibi tale nomen concinêre dicentes se Apostolorum vitam sequi.

Eodem ferè errore maculati fuerunt Waldenses, & eorum duces. Joannes Hus, & Wicleph, ut habetur in *Concil. Constantiensi sess. 8. hæres. 36.* apud nostrum sapientissimum Thomam Waldensem *Lib. 3. doctrinalis Cap. 31.* & apud Castrum *verb.* paupertas, *hæresi 2.* asserentes inter Christianos maximè inter Clericos omnia debere esse communia.

Alii denique ita paupertatem deprimunt, ut eam profiteri illicitum, & temeratium ducant. Imo nullâ ratione hujusmodi votum ad perfectionem conducere velint. Tenuit id Desiderius Longobardus tempore *Alexandri III.* qui illicitum esse ajebat omnia pro Christo relinquere, nisi talem religionē quis ingrediatur, quæ possessiones habeat, vel nisi talis sit, qui de labore manuū vivere possit. Hujus videtur insecutus vestigia Guilielmus de sancto amore, qui tractatum

quendam contra Ordines mendicantes edidit. Contra hos latissimè scripsit D. Thomas in *Opusculo contra impugnantes Religionem*. D. Bonaventura in *Apologia paup.* Waldensis in *Doctrinali lib.* 4. ferè per totum. Bellarm. *lib. 2. de monachis* variis in locis, præcipuè in *Cap.* 9. 20 & 45. sed quia nos in præsenti inter Catholicos agimus, hoc in loco refellendi non erunt istorum errores, sed tantum veritas Catholica breviter stabilienda.

Author paupertatis Evangelicæ fuit Christus Dominus. Et in lege veteri S. ELIAS, *ejusque asseclæ* Filii Prophetarũ.

Primum igitur constituo paupertatem Evangelicam non merum figmentum, non rem novam, aut illicitam; sed à Christo Domino institutam, & à multis Patribus veteris Testamenti in magno pretio habitam fuisse. Et ut ab hoc ultimo incipiam.

Si vetera ad memoriam revocare velimus, hujus abrenunciationis authorem in lege veteri mul ò ante Christi, & Apostolorum tempora sanctissimum ELIAM Prophetam, teste Isidoro, compertemus: is enim *lib.* 2. *Cap.* 15. de officiis ait. *Unde ad monachos studium defluxerit paupertatis, vel quis hujus conversationis extiterit author, quantum pertinet ad authoritatem veterum scripturarum, hujus propositi princeps* ELIAS, *& discipuli ejus fuerunt.* Hæc Isidorus. Hanc autem ELIÆ paupertatem simul cum obedientia descripsit *Joannes* 44. Hierosolymitanus Patriarcha, qui floruit circa annum Domini 400. Is enim in *lib.* quem scripsit de *institutione monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium* Cap. 9 *Recessit*, inquit, ELIAS *in solitudinem, relinquens de catero mundanas divitias, non solum mente, sed etiam opere, ne per domesticam curam, aut per facultates, & terrenas possessiones, impediretur à consequutione perfectionis vitæ monasticæ, ad quam tunc ipse vocabatur à* DEO.

Et Cap. 3. *Recede hinc, scilicet de terra, & de cognatione tua non solum animo, ut terrenis possessionibus tui generis, & caducis mundi divitiis cor tuum non apponas: sed etiam opere, ut ipsas non possideas: nisi enim quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, &c. & Cap. 2. clarius demonstrat ELIAM fuisse authorem hujus instituti (Evangelicæ nempe paupertatis.) *Elias*, inquit, monachorum princeps primus extitit, à quo sancta eorum primævaque institutio sumpsit exordium; ipse enim obtentu contemplationis divinæ, & desiderio sublimioris profectus, longe ab urbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis ac mundanis exuens, religiosam, & eremiticam vitam primus hominum de industria ducere cœpit.

Hanc etiam ELIÆ nuditatem laudat Chrysostomus his verbis: *unde mirabilis factus est* ELIAS? *nonne à libera ad Regem proclamatione? nonne à Zelo qui erat ad* DEUM? *nonne à repudiatione possessionum?* Hæc Chrysost. Et demum ELIAS Proph. in tanta paupertate vixit, ut 4. *Regum* 1. legatur vestium loco Zona pellicea amictus, victum autem modo à vidua, modo à corvo quasi mendicatum quærens, hujus discipulus, ac instituto simillimus fuit *Eliseus* Proph. qui (*ut* 3. *Reg.* 19. habetur) ab illo ad perfectionem hanc vitam invitatus paternis statim agris, & bobus, imo ipsis parentibus, & domo relictis magnum exemplum dedit omnia à se abdicantibus quam hæc impiè pro Christi nomine deserenda sint. Unde de eo rectè scripsit Ambros. *lib.* 1. *de off. Cap.* 17. Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari, nisi ut *Eliseus* fortè, qui boves suos occidit & pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se prophetacam daret.

Legend. nost. Fratrũ à S. MARIA 1. Pars Historiæ Generalis Prophetarũ.

Similes etiam iis extitêre, qui horum utriusque institutum sequentes, illorumque magisterio, ac disciplina perfectum monasticæ vitæ institutum tenentes *Prophetarum filij* sunt nuncupati Hos enim à reliquo vulgo segregatos fuisse, & communem quandam vitam inter se vixisse apparet ex miraculis, quæ *Eliseum* fecisse scribitur 4. *Reg.* 4. Cum aquis sanandis, tum ollæ amaritudine abstergenda, tum denique pane, qui omnibus usui futurus erat multiplicando. Apud hos vero quanto pretio fuerit paupertas declarat districtum judicium Giezi, qui insanabili lepra ab *Eliseo* Propheta ob proprietatis vitium mulctatus fuit. Quia ut rectè Cassianus *lib.* 7. de institutis cœnobiorum Cap. 14. *Eaquæ ne antea quidem possederat volens acquirere, non modo gratiam prophetiæ non meruit possidere, quam veluti per successionem hereditariam à suo habuit magistro suscipere, verum è contrario æterna lepra Elisei maledictione perfunditur.* Hæc Cassian. qui ibidem docet hanc pœnam Giezi fuisse inflictam ob prædictum vitium proprietatis. Nec levis est conjectura: sed potius id suadent non contemnenda argumenta, ELIAM Prophetam ejusque posteros non utcunque paupertatem coluisse, sed etiam voto firmâsse, de quo nos latè disseruimus in *libello de antiquitate, & origine nostri Ordinis*, & in *præfationibus ad* nostram Regulam.

Id tamen constantissime statuendum est votum paupertatis à Christo Domino perfectè fuisse institutum; addidi perfectè, quia etsi olim non dubitem hoc votum fuisse observatum, & spiritu prophetico ab illis Patribus prævisum, tamen credendum est illud vel non fuisse ab omnibus tunc, verè agnitum, vel etiam ab iis, à quibus fuit prægnitum non tam perfectè observatum, sicut in lege nova, in qua Christus sua vita & exemplo paupertatem docuit, & consecravit. Patet id primo, quia cum Christus fuerit author, & institutor status religiosi (ut nos etiam in *Tractatu de monastica professione* docuimus) & certum sit hunc statum constare ex paupertate inter alia duo vota, ambigendum non est illud fuisse à Christo Domino institutum.

Præterea prob. ex illo Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Quibus Christus Dominus abrenuntiandi possessionibus omnibus, & divitiis non tantum in affectu, sed in effectu consilium altissimum indicavit. Imo his verbis simul ad votum paupertatis hortatus est, quia parum prodesset dare omnia pauperibus, si quis paulò post iterum rediret ad lucra, & divitias comparandas. Quare sancti Patres intellexerunt hoc testimonio commendari paupertatem perfectam, quæ suscipitur, & firmatur voto, & proposito permanente.

Sic D. August. in *Epist.* 89. *q.* 4. & in *Psal.* 103. *Concl.* 3. ubi totum hunc locum refert ad professionem monasticam. & D. Bernard. in *Serm.* sup. hunc locũ Evang. idem censet. videndus est Bellarm. *Tom.* 1. *lib.* 2. *de monach.* & noster Waldensis in *Doctrinali art.* 1. *Cap.* 14. qui calumnias hæreticorum falsasque hujus loci expositiones eludunt.

Hoc

Ordin. Mariæ de mon. Carm. 1. Cap. 21. & 2. Cap. Laud. mon. & 6. Theresiæ lib. de fund. monast. Carm. 18. & 42. & 46. Thom. Anna à S. Joseph 3. Hist. Theolog. de paup. Eliæ lib. 1. §. 2. nost. Instit. Trident. Theolog. Carmelitana q. 1. art. 3. & q. 2. art. 4. quæ passim & Theologi à bis cit. erit, adducti præsertim 31. Patres ac Theologos asserentes idem pro sua P. Daniel à Virg. Maria in Idea Carmel. part. 8. Cap. 5. & seqq. & in Append. hujus operis & in specul. Ord. Carmelit. Tom. 1. Tract. 2. Cap. 2. & seqq. & Tom. 2. sub principium & alibi.

Hoc tamen unum ex eorum mente adducam, prædicta Domini verba, non tantum in animi præparatione, & in affectu, ut falsè fingunt hæretici, sed etiam cum effectu esse capienda, tum quia Patres quamplurimi ita prædictum locum intelligunt, & non est cur velint hæretici proprio sensu nixi sibi potius, quam Patribus esse credendum: tum quia non solum doctrinâ, sed exemplis verus illorum verborum sensus semper in Ecclesia fuit confirmatus.

Ita Christus Dominus ac Redemptor noster hujus consilii author, ut reipsa confirmaret, quæ opere docebat, mendicus, & pauper esse voluit, adeo, ut nec, ubi caput reclinaret, possideret, & cum dives esset, teste Apost. 1. Cor. 8. 1. pro nobis egenus factus est, nec puduit eum in cujus manu erant omnes fines terræ, aliorum eleemosynis suam vitam sustentare. Et hanc Filii paupertatem Deipara Virgo MARIA ejus mater sanctissima complexa fuit: Idem fecerunt Apostoli, ut patet ex illo Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Et omnibus illa vivendi forma à Domino præscripta est, *nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas.* Num hoc de præparatione animi intelligi potest? unde Augustinus *Lib. 7. de Civit. Cap. 4.* ait, *Dixerunt potenti illi* (i. Apostoli) *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi voverant, sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo continuo dictum est: Dans votum voventi.* Ita Augustinus.

Et tandem Leo Magnus in *serm. de festo omnium* Sanctorum: *Hujus* inquit, *magnanimæ paupertatis nobis exemplum primi post Dominum Apost. tribuerunt, qui omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem cœlestis magistri, à captura piscium in piscatores hominum mutati sunt.* Ex hac igitur paupertatis Regula, quam Apostoli professi sunt, eorum habuit communis illa vita, quæ inter primos Ecclesiæ fideles Apostolorum tempore fuit in usu, ut patet *Act. 4.* ubi sic legimus: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed illis erant omnia communia.* Quod autem hæc communis vita, & bonorum abdicatio vero tunc esset firmata, docet Augustin. *serm. 1. de communi vita Cleric.* ubi idipsum se cum suis facere voluisse fatetur; quod primos Christianos fecisse testantur acta Apostolorum. Et ob id sæpe repetit nemini licere aliquid habere proprium post professionem factam.

Confirmat verò hujus communis vitæ tunc temporis professionem Ananiæ, & Saphiræ exemplum, sive testimonium. Nam cum ii cum cæteris vitam communem amplexarentur, & clam post emissum votum suorum bonorum pretii partem retinuissent, continuò ab Apostolo Petro detecti, & à DEO percussi miserè perierunt. Quam mortem ob pœnam peccati proprietatis eis contigisse plures Patres testantur, ut sunt *Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Fulgentius, Gregorius*, apud Bellarminum *ut supra Cap. 20. qui*, & alii in hujus sententiæ confirmationem à nobis adducendi erunt *infra*, quando de gravitate, & pœnis proprietariorum fusè obtulerit dicendi occasio.

Post Apostolorum etiam tempora hoc Christi consilium à cunctis religiosæ vitæ professoribus in sensu explicato fuit intellectum. Ita enim de *S. Antonio* D. Athanasius in ejus vita scripsit. Quod cum audisset in Ecclesia legi hoc Evangelium, *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes*, eum mox à DEO edoctum de vero sensu eorum verborum, & omnia vendidisse & dedisse pauperibus. Idem de *S. Francisco* D. Bonaventura in ejus vita testatur. Et Possidon. *S. Augustinum* consideratione eorundem verborum omnibus abrenuntiasse in ejus vita refert. Quod de D. Cypriano testatur Pontius ejus Diaconus in illius vita, qui omnia vendidisse, & dedisse pauperibus, motum illis verbis, *si vis perfectus*, &c. luculenter tradit. Ac tandem Hieron. de *Hilarione* in ejus vita scripsit memorem illorum verb. *qui non renuntiat omnibus, quæ possidet*, omnia dereliquisse, & nudum in vastam eremum pertexisse.

Tandem ex antiquis monachorum Regulis id ipsum colligitur: & imprimis optimè, & disertissimè id Basilius in *Regulis fusior. Cap. 8.* docet, ubi de professione loquens: *Porro*, inquit, *hujusmodi abrenuntiatio initium sumit ab alienatione rerum externarum, veluti possessionum, & affectionum ad res inutiles, quomodo sanè ut faceremus, suo exemplo admonuerunt sancti Discipuli, Jacobus quidem & Joannes relicto Patre Zebedæo, ipso quoque, de quo tota illorum victus ratio pendebat, navigio.*

Et paulò infrà in confirmationem hujus veritatis affert illud Luc. 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet*, &c. & illud Matth. 19. *Si vis perfectus*, &c. & addit dicens: *Quo etiam spectat illa negotiatoris similitudo, qui inventa una pretiosa margarita, vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Planum est pretiosam illam margaritam regnum cœleste significare, quod regnum nos assequi non posse, nisi omnia simul quæ habemus, gloriam, divitias, genus pro eo comparando neglexerimus.* Hæc Basilius.

Videndus est Augustinus *Regul. 1. Clericor.* ubi ait: *Si quis venire desiderat ad Congregationem fratrum, qui in unum esse videntur*, &c. *non ignoret Evangelij dictum, quo dixit: vendat omnia sua, & eroget egenis, & pauperibus*: constabitque id latius ex dicendis *infra disput. 2. Cap. 1.* ubi ex regulis Patrum, usus & praxis hujus voti maximè circa abdicationem omnium rerum adducetur.

Ex quibus jam apertè colligitur, quam antiquum fuerit paupertatis votum, cujus in lege veteri observatio præcessit. Perfecta vero institutio à Christo Domino emanavit, ac demum ab Apostolis, primisque Christianæ fidei cultoribus observatum fuit. *Vid. Lezanam* Tom. 1. Annal. Ordin. Carmel. in Apparatu Cap. 4. & *Michaelem Munnoz.* in propugnaculo Eliæ Lib. 2. tit. 1. Cap. 2. & *Petr. Wastelium* Lib. 2. sect. 5. art. 3.

CAPUT IV.

Paupertatem esse potissimum perfectionis instrumentum, ac quod proinde expediens sit vovere paupertatem.

IMprimis constituo votum paupertatis potissimum esse instrumentum ad perfectionem charitatis acquirendam: hoc dictum ex impedimentis & incommodis, quæ divitias ipsas consequuntur, facilius percipietur. Primum igitur est,

quod in ipsis divitiis vel acquirendis, vel augendis multa facile contingant peccata, teste Paulo 1. ad Timoth. 6. *qui volunt* inquit, *divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli & in desideria multa vana, & inutilia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Quare rectè docuit Greg. *Lib. 4. moral. Cap. 3.* Rarum valdè esse, ut qui aurum possident ad requiem tendant. Quod argumentum latius & melius idem Gregorius prosequitur in *Pastorali 3. parte, ad med. Cap. 21.*

Tum secundo, in possidendo, & in retinendo aliud multo gravius incommodum sæpe reperitur, ita ut incredibile sit quàtopere hæc cura omne virtutis studium extinguat, & cælestium rerum cogitationem, amorem, & memoriam ipsam à divinis avocet, & ad terrena omnia convertat.

Referuntur mala & incommoda, quæ ex divitiis & illarum cupiditate proveniunt.

Quia cum divitiæ ejus naturæ, & proprietatis sint, ut per se semper defluant ac dilabantur, aliorum quoque rapinis, & injuriis pateant, ad omnes etiam fortuitos casus expositæ sint. Denique etiam litium, ac jurgiorum perpetuam materiam præbeant, magnam omnino sollicitudinem requirunt. Quæ omnia necessario animum perturbant, distrahunt ac in varias dividunt partes, eumque indies obtusiorem, ac tardiorem ad divina reddunt. Ac denique cum terræ inhæreat, terramque assidùò contractet, ipsum quoque terrenum omnino efficiant.

Et ob hanc causam D. Ambrosius *Lib. 5. in Luc.* Salvatorem nostrum divinum illum sermonem à paupertate incepisse credit, quia hæc omnium virtutum parens est. Idem quoque sentit Hieron. *Epist. 13.* affirmans, non posse in eodem pectore convenire virtutes ac divitias. D. quoque Bernardus Epistola 103. *Beatus*, inquit, *qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* Quæ damna, & alia etiam majora ex divitiarum possessione (etiamsi ipsæ inordinatè non amentur) facile sequuntur: nam etsi non amentur, onerosa est semper eorum administratio, & cura.

Tum tertio magnæ in spirituali profectu jacturæ animæ causa sunt, ut Bernard. *serm. de Adventu* indicat. *Plenitudine & abundantiâ temporalium oblivionem, & inopiam gigni æternorum.* Atque huic quidem oblivioni facile connectitur arrogantia, fastus, & insolentia. Unde Augustinus *serm. 5. de verbis* Domini. *Nihil est* (ait) *quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam, omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet suum vermem; vermis divitiarum est superbia.* Hæc August. Quare dici potest omnium vitiorum instrumentum esse divitias, tum ob facultatem, quam præbet pecunia, cui *omnia*, teste Ecclesiast. Cap. 10. *obediunt*, tum etiam propter impuritatem, & magnas peccandi illecebras, quas opes afferunt. Quas ob causas Christus Dominus *Matth. 13.* terrenas has divitias spinis assimilavit, & quia virtutum, bonorumque consiliorum semen præfocent, & quia animum lacerant.

Tum quarto ex eo divitiarum incommoda noscuntur, quia magnam deliciarum, & oblectationis occasionem præbent. Hujusmodi autem detrimentum verbis horrore, & timore plenis expressit *Amos 6.* Cap. *Væ vobis, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciviis in stratis vestris, qui comeditis vitulum de armento, & bibitis vinum defæcatum, & primis unguentis ungimini unguentis.* Quæ Christus Dominus considerans *Luc. 6.* in hæc cum magna animi anxietate prorupit verba: *Væ vobis divitibus.* Quod verbum (*væ*) omnium malorum, & miseriarum ac calamitatum summam significat.

Nec valet hæreticorum evasio affirmantium, hæc omnia incommoda evacuari, si ita terrena possideantur, ut cor circa ea non apponatur, & fiduciæ nihil in eis collocetur, ita ut verè spiritu, & affectu pauperes sint, licet non in actu, & effectu, quia difficillimam, & omnino superat humanam facultatem, multa ita possidere, ut affectus ab eorum amore penitus coerceatur. D. Basilius in *Regul. fusè disputat. Cap. 8.* ita censet & quasi certum constituit his verbis: *Quicunque quamcunque rem ex hu terrenis, ac caducis sibi reservat, necesse esse ejus mentem in illo quasi cœno consepultam teneri, neque aditum ad cælestia meditanda pracludi, ex quo ita demersa jaceat, ut de supernis bonis à DEO nobis promissis cogitare non possit.*

Hæc & alia Basilius, & August. ad Paulinum, & Tarasium inquit, quod terrena diligantur arctius adepta, quam concupita. Nam unde juvenis ille tristis discessit, nisi quia magnas divitias habebat? Et Chrysost. super Matth. ait, quod appositio divitiarum majorem incendat flammam, & vehementior fiat cupido.

Nec admittenda etiam est alia, quæ in hac parte exhiberi posset solutio, nimirum ut bona in parva quantitate, & mediocritate possideantur, qua ratione cessare videntur inconvenientia superius adducta, nam contra hanc solutionem prædictam Basilii testimonium militat, & egregiè Chrysost. *hom. 43 in Matth.* eam impugnat dum sentit, multo faciliorem esse medicinam ad nostros affectus sanandos, nihil omnino quam aliquid habere etiam moderatè. *Nihil* inquit, *ita sedat cupiditatis sitim, ut desistere à lucrandi concupiscentia, sicut amaram eboliram abstinentia, & evacuatio: facilius enim est, ut humanum corpus volet, quam ut plura addendo quietum reddamus desiderium.*

Et certè ita res se habet, ut quod dixit philosoph. ille, quædam faciliùs omnino abscindantur, quam ex parte temperentur; nam scriptum est à Cassian. *Lib. 5. de justit. renunt. Cap. 7. facilius vidimus viros, qui ab esca corpulenti ribus omninò detemperarent, quam moderatè usos pro necessitate concessu. & qui totum sibi pro continentiæ amore denegarent, quam qui eas sub infirmitatis occasione sumentes mensuram sufficientiæ custodirent.* Hoc igitur quod Cassianus de gulæ temperantia scribit, latius omnino patet, & ad plura extendi potest, præcipuè ad ea, quorum præsentia oculos movere, vel animum mulcere possit, at multo facilius ab his penitus abstrahere, quam his temperate frui.

De quo rectè scribit Leo Papa *serm. 12. quadrag. Per licitos* inquit *usus ad immoderatos transitur excessus, dum per curam salutis irrepit delectatio voluptatis, & non sufficit concupiscentiæ, quod potest satis esse naturæ.* hactenus Leo hoc divitiarum possessarum detrimentum, etiamsi affectum quis ab eis velit removere, latius prosequitur Doctiss. ex Societate JESU Hieronymus Platus *Lib. 1. de bono statu religiosi Cap. 6. & 9. & Lib. 3. Cap. 22.* & satis indicavit id D. Thom. 2. 2. *q. 186. art. 3. ad 4.* dum ait: *Divitiæ autem habitæ per se quidem natæ sunt perfectionem charitatis impedire principaliter alliciendo animum & distrahendo.*

Hæc

Hæc D. Thomas, qui ad duo potissimum capita impedimenta, quæ ex divitiarum possessione oriuntur reducit. Primum est, quod ipsæ divitiæ voluntatem ad se trahant, ut illis plus justo inhæreat, secundum est quod mentem distrahant, dum in earum administratione, & cura occupatur. Unde D. Thom. duplici ratione probat expedientissimum esse eum, qui nititur ad perfectionem charitatis paupertatem vovere.

Prima est, quam adducit *dicto art. 3.* quia cum status Religionis exercitium quoddam sit, & disciplina, qua ad perfectionem charitatis pervenitur, ad quem finem consequendum necessarium est, ut affectum suum quis à rebus mundanis totaliter abstrahat, quia minus bene cum alio amatur DEUS, teste Augustin. 10. Confess. *minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*, & hic affectus, nisi omni relicta possessione purus esse non potest, cum res humanæ possessæ animum ad earum amorem alliciant, ut modo dictum est. Inde est quod votum paupertatis primum instrumentum sit ad perfectionem acquirendam. Hanc rationem latius prosequitur D. Bonaventura in *opusculo de Christi paupertate* 4. 1. & in *Apolog. paup. in* 1. *particul.* 3. *responsionis argument.* 1. Ex quibus duobus locis ejusdem fere Seraphici Doctoris verbis hanc formo rationem.

Vid. nost. Thom. à S. Cyrillo Tom. 1. *Gloriæ Matris Ecclesiæ textu* 3. *Annot.* 9. *& Joan. à JESU MARIA* 2. *part. instruct. novitiorum Cap.* 8. *& in aliis variis opusculis.*

Si fundamentum perfectionis civitatis DEI principaliter consistit in charitate, & illa potissimum est perfecta, quando omnis excluditur cupiditas, quæ venenum est charitatis: nam cupiditatis vitium & inordinatio radicatur in affectu mentis, occasio vero & fomentum sumitur à rebus extra possessis, ideo necesse est, ut perfecta hujus radicis evulsio utrumque respiciat, ut sic avaritiæ cubiginosa affectio, & substantiæ terrenæ illecebrosa possessio, tam spiritaliter, quam corporaliter abdicentur, hoc est, affectu, & effectu renuntientur. Unde si per hanc geminam abdicationem radix ipsa omnium malorum perfectè amputatur, & Babylonis fundamentum evertitur, recta potest ratione concludi, quod perfectionis Evangelicæ, per quam Christo configuramur, radix & fundamentum sit ipsa paupertas spiritus, secundum analogiam & cohærentiam, ad abdicationem rerum exteriorum. Hæc ex Bonavent.

Secunda ratio, qua probat D. Thom. *dicta q. art.* 7. *in corpore*, paupertatem esse aptissimum instrumentum ad perfectionem, ex eo sumitur, quia paupertas quietat animum humanum ab exterioribus solicitudinibus, hæc enim potissimum invenitur circa dispensationem exteriorum rerum, & ita hominem ab his inutilibus occupationibus relinquens liberum, cum circa cælestium contemplationem sinit esse quietum.

Paupertatis Evangelicæ bona & commoda.

Cum ergo paupertas his omnibus curis vacua sit, tota in æternit. amore ac studio continetur; nihil enim est, quod pauperis mentem impediat ac distrahat; non agrorum cultus, & procuratio, non vectigalium exigendorum, vel exhibendorum cura, non pecunia collocanda, non lites agitandæ, non timor de amittendis, vel cupiditas recuperandi divitias. Quod quidem otium quam necessarium sit ad cælestem hanc philosophiam, testes etiam sunt illi veteres, & Ethnici philosophi, qui illud adeo necessarium judicarunt, ut quamplurimi huic studere volentes divitias longè à se abdicaverint. Sic de Crate Thebano Hieronym. *Epist.* 13. & de Zenone Greg. Nazianz. *orat.* 87. testantur. Et ut omnia concludam, verba B. Joan. Climaci *gradu* 17. *de paupertate* adjiciam. *Paupertas*, inquit, *est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad DEUM sine impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, qua nos liberat curis omnibus vitæ transeuntis, & facit ut DEI mandata perfectè exequamur.* Qui plura de hoc argumento desiderat, legat Bonaventuram *ubi supra*. Hieronym. Platum *Lib.* 1. de bono status *Regul. Cap.* 9. qui eruditè, ut soler, utilitates paupertatis ad perfectionem Christianam enumerat, utpote quod omnium scelerum ac vitiorum auferat instrumentum, dum privat bonorum possessione, & abundantia, quorum damna jam *supra* retulimus.

Insuper quod omnes fere virtutes præ se ferat, atque maxime juvet ad præterita peccata expianda ac delenda. Præterea, quod non sinat animos nostros rebus his infimis adhærere: deinde, quia maximè à DEO amatur: Ac denique omnia complectitur dum dicit: Nihil plenius de paupertate fari nos posse, quam si ea verba in medium proferamus. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Quare optimè ab August. *serm.* 28. *de verb.* Apostoli dictum est, *fœlicitas magna Christianorum, quibus datum est, ut paupertatem faciant pretium regni cœlorum.* Hæc & alia ibid.

CAPVT V.

In quo consistat Votum Paupertatis, & quod incapacitas dominii in Religiosis potius in obedientiæ quam in paupertatis voto fundetur.

EX supradictis licet non obscurè possit constare paupertatem veram esse virtutem, & quæ sit paupertatis species his ratio, adhuc tamen difficultate non caret, quid votum paupertatis includat, quidve superaddat huic voluntariæ renuntiationi. Pendet enim ex hoc exactior eorum, quæ dicenda sunt, cognitio & ve à interpretatio præmissi Cap. *non dicatis.* Hanc controversiã diluemus, supponendo primo subjectum, & fundamentum dominii in homine esse liberum arbitrium. Docet id Arist. *Lib.* 1. *polit. Cap.* 3. & D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 1. & in *opusc.* 18. *art.* 11. *prope finem*, ubi sic ait: *Propter propriam voluntatem homo, & exterioribus rebus utitur, & proprio corpore, sic igitur qui propriam voluntatem dat, totum dedisse videtur.* & art. 10. *Per libertatem homo est etiam Dominus aliorum, per hanc aliis uti vel frui potest, per hanc etiam actibus suis dominatur.* Et primo docet per obedientiam, per quam homo abnegando hanc propriam libertatem, tradere se in servitutem aliorum. Ratio vero hujus fundamenti est, quia potestas sive dominium in creaturas convenit homini, in quantum factus est ad imaginem DEI. Ut patet ex illo Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis universæ terræ.* Quasi dicat, eo quod ad imaginem nostram conditus sit, præsit, & Dominus sit, sicut & nos. Eatenus enim

Liberum arbitrium est subjectum ac fundamẽtum dominij.

enim sancti Patres docent hominem DEI imaginem referre, in quantum præditus est libero arbitrio, nempe intellectu, & voluntate. Quare liberi arbitrii expertia non sunt dominii capacia.

Requiritur præter libertatē titulus dominij.

Secundo illud præmitto, præter hanc primam radicem dominii, quæ est libertas, per quam homo redditur Dominii capax (nisi alia sint impedimenta) ad Dominium requiri aliud proximius fundamentum, nempe titulum dominii, de quo *supra Cap. 1. §. 1.* Diximus esse velut fundamentum proximum; in quo fundatur ipsum dominium; videnda sunt, quæ ibi de hoc titulo docuimus. Quemadmodum igitur hæc duo, nempe libertas, & titulus ad Dominium requiruntur, ita ex quolibet horum defectu homo redditur Dominii incapax, diversa tamen ratione; nam ex defectu libertatis homo fit omnino dominii incapax, defectu verò tituli tantum privatur Dominio illarum rerum, ad quarum possessionem non habet titulum Dominii aut juris, adhuc tamen remanet capax Dominii, ea nempe capacitate, quæ à libertate provenit.

Tertio sciendum, incapacitatem, sive privationem dominii, quam tam in servis, quam in filiis jura Romanorum statuerunt, non aliunde in utrisque ortum habuisse, quam ex defectu libertatis, hoc est ex subjectione filii ad patrem, in qua patria potestas patris fundatur: & ex servitute servorum, ex qua jus dominii Dominorum in servos consurgit, ex quo emanavit potissimum juris principium, eum qui libertate caret, sive in alterius est potestate constitutus, nihil possidere posse. Ita Cajus jurisconsultus in *l. acquiritur 10. de acquirendo rerum Dominio*, his verbis scripsit. *Igitur quod servi nostri ex qualibet causa acquirunt, id nobis acquiritur, ipse enim servus qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest*; hæc Cajus; cui subscribunt Modestinus *l. homo liber 34. eodem tt.* ubi de servo agens ait: *Quia nec possidere intelligitur, qui possidetur.* Et Ulpian. in *l. sic eveniet ff. de adulteriis*, inquiens. *In sua enim potestate non videtur habere, qui non est suæ potestatis.* Quæ verba reperit idem Ulpian. in *l. qui in servitute de reg. ju.* Et denique constat clarissimè ex §. *Item vobis inst.* per quas personas. *ipse enim servus qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest.* Constat ergo ex dictis ea ratione servum nihil ut proprium possidere posse, quia non est liber, sed sub alterius potestate constitutus, & hujus incapacitatis eam causam reddunt prædicta jura, quia qui sub alterius est potestate, nihil in sua potestate habere potest.

Quare is qui libertate caret, nihil possidere queat.

Qui possidetur, nihil possidere censetur.

De filio vero familias, dum sub patria manet potestate, idem jus, & ob eandem rationem stabilitum in jure reperies; fuit enim olim summa & nimia patentibus in filios potestas legibus Romanorum tributa; habebant enim jus vitæ, & necis, lege duodecim tabularum id permittente. Cujus antiqui juris extant adhuc vestigia in *l. in suis de liberis, & posthumis, & l. fin. C. de patria potestate.* Hocque jure (Patriæ inquam potestatis) freti Manilius Torquatum filium, & Virginius filiam interimere potuerunt, apud *Pomp. l. 2. de origine juris.* Hujus verò patriæ potestatis parentum in filios plura jura variosque effectus in lib. congessit Ascanius Clementinus.

Inter alios effectus summæ illius patriæ potestatis ille fuit non minimus, quo quicquid acquirebat filius, statim patri acquirebatur, ut commemorat Justin. in *l. 2. C. de patria pot.* & probatur in *l. 3. §. verb. potestatis ff. de donationibus inter virum, & uxorem.* & *l. qui in aliena*, de acquirenda hæreditate. Quæ omnia & alia similia jura acquisitionis, quæ parentibus ratione patriæ potestatis in filios conveniunt ex hoc fonte dimanant: quod filius-familias non est in sua, sed sub paterna potestate constitutus.

Probatur rationis etiam dictu desumpta.

Quod etiam docuit Arist. *Lib. 5. Ethic. Cap. 6.* affirmans propter vinculum patriæ potestatis filium cum patre unam domum unumque corpus efficere, & idem *Lib. 1. magnor. moral. Cap. 34.* filium ad patrem sicut membrum ad corpus se habere censuit. & ex eodem Arist. D. Th. 2. 2. q. 27. *art. 9.* scripsit filium dici quasi partem patris, & propter hanc unionem & familiæ conjunctionem quam habet filius cum patre, sui hæredis nomen apud jurisconsultos emanâvit, ut Lactantius Firmianus *Lib. divinar. institut. Cap. 19.* annotavit. Ac etiam propter hanc unionem, & potestatem parentum in filios factum est, ut filius, qui non est sui juris, sed paternæ potestati subjectus nihil suum habere possit, ut ex *d. l. qui aliena*, & ex aliis juribus allatis constat.

Et quamvis in aliquibus casibus jure id permittente filius familias, imo & servus aliquid acquirere sibi, & possidere valeant; tunc illis casibus non considerant jura servum sub ratione servitutis, sed ut hominem liberum, nec filium-famil. ut est sub patria potestate, sed quatenus legis indulgentiâ & favore reputatur in illis casibus ut sui juris, & liber ab hoc patriæ potestatis vinculo.

His aliquantulum fusius prænotatis, quia ex eis pendet hujus quæstion. vera resolutio, sit prima assertio.

In Religiosis incapacitas dominij incapacitas juris.

Prima, & potissima dominij incapacitas in Religiosis ortum habet à voto obedientiæ solemni. Hæc conclus. expresse est D. Thom 2. 2. *quæst. 186. art. 5.* ad 1. *Per votum obedientiæ*, ait, *Religiosos totaliter se & sua DEO offerre, & ideo eorum obedientia est universalis, & se extendit ad dispositionem totius humanæ vitæ.* Et expendenda sunt illa verba, *totaliter se & sua.* Igitur ante paupertatis votum jam est facta abdicatio non solum propriæ voluntatis, sed & bonorum omnium.

Probatur primo ex Patribus, & potissimum ex *Augustino* relato in Cap. *non dicatis*, dum ait: *Cum nostra congregationis fratres non solum facultatibus sed & voluntatibus renuntiaverint, & super promissam obedientiam aliorum potestati & imperio subdiderint: certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia debere.* Ubi manifestè ex obedientia sub prælatorum imperio certam conclusionem elicit Augustinus dicens: *certum est eos nihil habere, possidere*, &c. ubi Gloss. in dicto Cap. *non dicatis*, verbo *possidere* mentem D. August. & veritatem quam nunc propalamus persensit. Et sic verbo *possidere* ait *monachos nihil posse habere*, & reddit rationem, quia, qui ab alio possidetur, ipse nihil possidet. Pro quo adducitur tex. in dicta *l. sic eveniet ff. de adulteriis.*

Augustino consonant Div. Benedict. *Cap. 33. suæ Regulæ* dum ait: *Ne quis præsumat aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque graphium. sed nihil omnino*, & subjungit rationem, *quippe qui nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate.* Hæc Benedictus; quasi dicat, qui non est suæ potestatis, alterique subjectus est per obedientiam, nihil omnino habere

habere potest. Est enim ita summa hæc potestas, & dominium, quod Prælati in monachos habent ratione obedientiæ, ut monachi hac ratione dicantur nihil sui juris habere posse, ut patet ex Chrysostomo ad Theomonach. *Nihil*, inquit, *hic juris est in te sicut mulier proprij corporis potestatem non habet, sed vir.* D. Basilius in Epistola ad Canonicam, *oportere*, ait *unumquemque religiosum ita existimare se nequaquam sui juris esse, sed perinde ac si in servitutem à DEO addictus sit: ita, & sentire, & facere omnia.* Hæc Basilius ubi apertè ii Patres, monachos non alia ratione, quam ob traditionem, quæ per obedientiam fit nihil sui juris posse habere decernunt.

Probatur rationes etiam dictū desumpta.

Deinde prob. ratione, quia per id fit homo incapax dominii, per quod ab eo tollitur potissima radix dominii, quæ est libertas, ut constat ex 1. fundamento adducto: sed voto obedientiæ formaliter & non alio voto renuntiat homo propriæ libertati, & totaliter se alterius dominio tradit, ergo per votum obedientiæ fit religiosus incapax dominii. Ex hac traditione perfectum jus, ac potestas in ipsis (sicut in aliis donationibus contingit) acquiritur religioni, ut optimè Cassianus *Lib.* 4. de priscorum monach. institutis asseverat, dicens hoc esse præcipuum, quod hi suos docerent ut non solum uniri, & his facultatibus redderentur externi, sed ne sui quidem ipsorum se dominos esse, vel potestatem habere cognoscerent.

Imo in *Cap.* multos 54. *distinct.* decernitur servitutem quam in religione ob divinum amorem monachi subeunt, districtiorem esse servitute humanâ. Cum ergo per votum obedientiæ monachus ultrò se huic servituti offerat, & sub alterius omnino potestatem redigatur, rectè sequitur, ratione hujus subjectionis, & arctissimæ obedientiæ, nihil proprium posse habere, cum sub alterius maneat potestate, ut jura allata de servo & filio-familias apertè docent.

Imò & clarius quod per votum obedientiæ monachus renuntiat non solum libertati, sed etiam bonis omnibus externis docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 5. *ad* 1. Et expressè etiam id fatetur in *opusc.* 18. *art.* 10. & 11. ut patet ex verbis allatis in 1. fundamento. Igitur per votum obedientiæ fit incapax dominii, est enim anima quasi arx totius civitatis, libertas verò quasi clavis hujus arcis, & ita hac traditâ, reliqua omnia tradi necesse est, & qui eam tenet omnia teneat, ac possideat.

Probatur secundo, quia per votum obedientiæ fit traditio personæ, & per hanc traditionem dominium monachi transfertur in monasterium, ut ex dictis Patribus constat, & ex §. *per traditionem, inst. de rerum divisione*; Igitur per votum obedientiæ etiam necessario omnia bona debent in monasterium transferri.

Et confirmatur à simili, quia sicut qui se alteri dat in arrogationem, in consequentiam transfert dominium, & possessionem bonorum suorum in arrogatorem ut definitur in *l. si adoptaverit. ff. de precario*, ita qui se in alterius potestatem dat, ex consequenti bona sua transfert in illum, ut expressè in nostro casu colligitur ex *authen.* Ingressi C. *de sacror. Eccles.* ubi hic dicitur: *Ingressi monasteria, ipso ingressu se suâque dedicant DEO*: quasi translatio, & dedicatio bonorum fiat in consequentiam personæ, ut patet ex illis verbis *se suâque*, & ita in *d. Authent.* Legistæ docent translationem fieri bonorum in consequentiam personæ. Ita Bart. *ibi n.* 27. Bald. *n.* 29. Salicetus *n.* 3. Paulus Castren. *n.* 8. Jason, *n.* 28. & complures alii utriusque juris Authores, quos refert Carolus Tapia in dicta authent. *Ingressi*, verbo *ingressu*, num. 3. Imo ob hanc rationem ausus est affirmare Barth. in authentica, *si qua mulier*, C. *de Episcopis, & Cleric.* monasterium succedere monacho jure naturali, quasi in consequentiam personæ, & hanc nostram conclus. insinuavit apertè Navarr. in *dict. Cap.* non dicatis *num.* 33. ubi affirmat votum obedientiæ esse rationem, ob quam monachus à monasterio ejectus acquirat Episcopo, & ibi adducit ex mente Innocentii *Cap.* cum olim, *de privilegiis*, superioritatem esse causam, cur monachus non quærat sibi, sed alteri, & ideo cum est sub obedientia, & potestate Episcopi illi debet acquirere. Et *Coment.* 1. *de Regularib. num.* 19. *in fin.* tenet liberam personam non posse quærere alteri, quæ omnia clarè confirmant nostram sententiam.

Præterea idipsum constat & confirmatur, quia si Religiosus per votum obedientiæ secundum se totum quidquid est, Religionis est, multo magis ea quæ habet, Religionis erunt, cum accessorium sequatur principale. Accedit etiam quod in *C. statutum* 18. *q.* 1. decernitur monachum exemptum sive id fiat ratione episcopatus, sive alio titulo monasterio non acquirere, ea solum ratione, quia jam est absolutus à regimine & obedientia Abbatis, ut ibi notant communiter Doctores, & ferè omnes scribentes in *Cap.* in præsentia *de testam.* non igitur in paupertatis voto, sed in obedientiæ potius hæc nihil sibi retinendi incapacitas fundatur.

Sed dices: si hæc incapacitas provenit à voto obedientiæ; frustra igitur emittitur paupertatis votum, cum ex ipso nulla incapacitas, nullusque effectus sequatur. Huic object. ut satisfaciamus, & ut superius allata fiant clariora, oportet, ut præcisè paupertatis ac obedientiæ votum consideremus, ut sic utriusque effectus & incapacitas, quæ ab eis provenient melius percipiatur. Sumamus ergo præcisè obedientiæ votum, & religiosum absque paupertatis vinculo consideremus, tunc certum est per solemne obedientiæ votum fieri perfectam propriæ libertatis traditionem, ac solo illo voto Religiosum arctissimam subjectionem, ne dicam servitutem, subire, ac ex consequenti non aliter ac in servo vel filiofamil. ex prædicta servitute in Religiosis, hæc incapacitas exoriri debet; quia cum sub alterius potestate, & dominio constitutus sit, omnino nihil proprium habere potest. Quare cum jura, de quibus nos infra, comparent Religiosum filio-familias, ac servo, certè in hoc solum vel saltem præcipuè comparatio tenet, quod sicut ille ratione servitutis, sive dominii, hic verò ratione patriæ potestatis sui juris non sint, sed sub alterius potestate constituti, proinde nihil proprium habere possunt: ita monachus qui sui juris non est, sed dominio ac potestati Prælatorum ratione voti obedientiæ subjectus omnino sit, nihil proprium habere potest: quare sicut filius aut servus non sibi acquirunt, sed Domino vel Patri, ita & Religiosus monasterio ratione voti obedientiæ. Et quamvis ex primaria ratione hujus voti solum fiat traditio propriæ personæ, & libertatis, in consequentiam tamen hujus sequitur incapacitas: & hæc de obedientiæ voto, ut

ut vero de voto paupertatis clarius loquamur, sit secunda assertio.

Secunda assertio: *Ex vi voti paupertatis præcisè absque obedientiæ voto considerato non fit homo incapax dominij, possessionis sive cujuscunque alterius juris*; quia impossibile est hominem aliàs liberum, præcisè ex vi voti paupertatis fieri inhabilem ad rerum dominia capessenda. Nam quantumvis hoc ipsum intendat vel contractu, vel juramento aut promissione non contrahendi vel exercendi alium actum legitimum, nihil omnino faciet, quia licet peccet contrahendo contra juramentum, vel promissionem factam, tamen factum ipsum tenet atque hanc ob causam si quis juramento renunciaverit hæreditati paternæ, & si tatione juramenti non possit eam petere, non tamen redditur inhabilis ad acquirendum jus illius hæreditatis; & si ei deferatur, fit legitimus hæres, & dominus illius, licet peccet contra juramentum accipiendo hæreditatem.

Idem quoque censendum erit, si præcisè paupertatis votum ab obedientiæ voto separatum consideremus: Nam illo præcisè sumpto Religiosus non fit capax dominii; fit tamen inquantum præsupponit jam personæ traditionem per votum obedientiæ factam, ad quam sequitur justa incapacitas, quæ deinde firmatur paupertatis voto.

Dixi, *præcisè per paupertatis votum hominem liberum non fieri incapacem dominij*, ut excluderem obedientiæ votum, cui si annectatur paupertatis votum, ut de facto contingit in professione solemni, tunc per paupertatis votum, ut præsupponit obedientiæ vinculum, fit Religiosus formaliter incapax dominii. Hæc autem, quæ diximus sequenti exemplo fient clariora, ex quo etiam plenius constabit discrimen inter obedientiæ & paupertatis votum.

Si homini libero, post præstitum non acquirendæ hæreditatis paternæ juramentum, eadem illi hæreditas relinqueretur, non redderetur incapax adeundæ hæreditatis ut nuper exponebamus, licet peccaret peccato sacrilegii: tamen si servus, aut filius familias, vel ad firmandam servitutem, vel aliam ob causam simili voto, aut juramento se astringeret, tunc certum est, quod propter inhabilitatem, aut incapacitatem dominii, quæ ad servitutem, vel patriam potestatem consequitur, nihil posse capere ex testamento, & quod adeundo hæreditatem & peccaret contra juramentum, & contra justitiam, appropriando sibi bona patris, aut domini: & deinde factum non teneret propter incapacitatem, quam filius, aut servus haberet. eodem igitur modo philosophari oportet in præsenti.

Nam paupertatis voto simul cum obedientiæ emisso promittimus, nihil omnino habere, possidere, dare, vel accipere posse, & tunc actu abdicamus à nobis possessionem, & capacitatem bonorum omnium, & cujuscunque juris, aut tituli: & firmamus deinde eodem voto hanc incapacitatem dominii, quæ in Religiosis ex obedientiæ voto oritur. Quare Religiosus, qui paupertatis votum transgreditur, peccat sacrilegii peccato, applicando sibi aliquid contra paupertatis votum, & peccato injustitiæ, sive furti, retinendo aut usurpando aliena bona, quæ ad monasterium spectant.

Ex quo infertur, per obedientiam præcisè fieri Religiosum incapacem dominii, non tamen pauperem Evangelicum, aliud enim est esse incapacem bonorum, aliud verò voluntariæ paupertatis professorem: nam primum consequitur servitutem, sive strictam subjectionem, ut in servo, & filio-familias patet, qui vere & in rigore non dicuntur pauperes, sed tantum dominii incapaces, per votum vero paupertatis Religiosus formaliter fit pauper, quia formaliter voto ipso paupertatis spoliat se in perpetuum omni proprietate ac bonorum possessione, unde per obedientiæ votum redditur incapax dominii, & juris cujuscunque, consequenter tamen, & quasi indirectè, non tamen formaliter, & directè fit pauper evangelicus. Paupertatis vero voto spontaneè homo, & directè confirmat hanc incapacitatem non aliter, ac si filius familias emitteret votum simplex paupertatis. Ex quo etiam efficitur, materiam voti paupertatis quasi latere, & includi sub obedientiæ voto, indirectè tamen, & consequenter, formaliter vero & explicitè pertinere ad paupertatis votum, ut jam ante annotavimus.

Per vot. Religiosus efficitur pauper Evangelicus.

Sed dices: peccabit igitur Religiosus proprietarius duplici peccato, & contra votum obedientiæ, & contra paupertatis votum. Resp. Religiosum non committere duplex sacrilegium, sed tantum unum, nempe contra votum paupertatis. Nam si inconsulto Prælato retineat, vel donet bona monasterii, peccabit peccato furti contra justitiam, non tamen contra votum obedientiæ, quia licet incapacitas aliquid possidendi ab obedientiæ voto dimanet; hæc tamen non est materia voti obedientiæ, nisi per accidens tantum, quia non dimanat ab obedientia, ut obedientia est, sed potius consequitur traditionem factam ab ipso Religioso, sicut filius-familias retinendo aliquid sibi proprium, non peccat contra obedientiam, aut pietatem, sed contra justitiam. Quare cum illa incapacitas ab obedientia dimanans non sit propriè materia voti obedientiæ, nec præterea illa incapacitate dicatur quis pauper evangelicus, nisi prius emiserit votum paupertatis, quo firmatur illa incapacitas, fit etiam, ut illa sit voti paupertatis materia proxima.

Quomodo omnes Religiosi sint æquales quoad votum paupertatis in particulari.

Igitur paupertatis votum ut optime Cajet. 2. 2. q. 186. art. 7. *in solutione ad* 4. advertit, in hoc ipsum consistit, quod quis abdicet à se potestatem omnem licitam retinendi proprium, sicut & castitatis licitè utendi venereis. Quare votum hoc quasi materialiter consistit in abrenuntiatione cujuscunque dominii, aut usus liberi: formaliter verò in proposito interiori nihil proprium retinendi, ut latè explicant Patres infra adducendi *Cap.* 1. & 2. *secund. partis*, ubi ratione hujus voti ut præsupponit obedientiæ vinculum, docent Religiosos nihil proprietatis posse habere, *nullam omnino rem*. Ut S. Benedict. ait in sua Regula, *neque acum, neque graphium*. Videndi Corduba in *Cap.* 6. *Reg. B. Franc.* & Navarr. in *d. c.* Non dicatis *n.* 10. & 11. Alvarus. Pelagius *l.* 2. de planctu Ecclesiæ. *Cap.* 56. 59. & 60. Quare hoc paupertatis voto abdicant à se hujus virtutis professores omnem rationem juris ac dominii, aut quasi dominii, proprietatis, aut quasi proprietatis, possessionis, aut quasi possessionis, usus fructus, administrationis prout sunt juris, non facti, solo usu facti necessariorum contenti. Et ut jumenta possunt uti stramento, fræno, & aliis tegumentis, nec tamen hæc possident, sic Religiosi singuli & cibo

In quo paupertas non consistit.

cibo, & vestitu, & domo reliquisque ad vitam necessariis utuntur, sed tanquam alienis, quorum usum duntaxat habent, non tamen sunt domini illorum. Eam enim vim habet paupertatis votum, quo Religiosi astringuntur, ut non magis quam jumenta, de quibus diximus, habiles sint ad rerum dominium, ut nos etiam supra, dum de usu egeremus attigimus. Imo, ut uno verbo dicam, quantum ad incapacitatem bonorum exteriorum, manent tanquam mortui destituti omni Dominio ac jure quolibet civili. Ob quam rationem in jure Religiosus mortuo comparatur, ut patet ex *Cap.* placuit 2. 16. *q.* 1.

Et ratione probatur, quia voto paupertatis Religiosi astringuntur servare virtutem Evangel. paupertatis; hæc autem consistit in totali abdicatione omnium rerum, ut Christus Dominus docuit Luc. 14. *Qui non renuntiat omnibus, qua possidet, non potest meus esse discipulus.* Et illud Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia qua habes* &c. Et cum illa incapacitas, sive abrenuntiatio voluntaria, quam virtus evangelica præ se fert, sit, quæ in hoc voto firmatur, manifestè sequitur debere esse totalem, ac omnimodam renuntiationem.

Quarto patet, quia omnes Religiosi sunt æquales quoad votum paupertatis in particulari, ut docuit Sylvest. *verb.* Religio. 6. *in 4. in fin.* Navarr. *de reddit. q.* 1. *monit.* 10. Alvarus Pelagius *de planctu Eccles. ubi supra.* Et novissimè Salon *de Justitia, & jure q.* 2. *de dominio.* & expressè id docuit *Joannes XXII.* in *Extravag.* Ad conditorem. *de verb. signif.* Et ratio ipsa demonstrat, quia æqualiter omnes profitentur paupertatem, sicut & castitatem, & æqualiter abdicant à se omnia dominii, ac possessionis jura. Et multi Pontifices agentes de paupertate in particulari fratrum Minorum, declararunt ipsos esse incapaces cujuscunque dominii juriswè civilis, tantumque habere in rebus sibi concessis, merum, simplicemque usum facti (quem sup. ex mente Navarri possessionem asinariam appellavimus) ut expressè decreverunt *Nicolaus III. in declarationibus Regul. D. Franc. art.* 2. ubi ait, *fratres Minores tantum habere simplicem usum rei, qui usus non juris, sed facti tantummodo nomen habet, quod, quia factiest tantummodo præbet utentibus, nihil tamen juris.* Hæc & alia *Nicol.* Idem etiam docuêre, *Clemens V. Gregorius IX.* & alii plures Pontifices teste Corduba in *Reg. Minorum ubi supra puncto.* 3. Ergo fatendum est ratione voti paupertatis, quæ æqualis est in omnibus cæteros Religiosos nudasse se omnibus rebus, actionibus, possessionibus, juribusque civilibus, retento tamen eo usu, nempe facti, sine quo vita humana transigi non posset.

Quomodo omnes Religiosi sint æquales quoad votum paupertatis in particulari.

Illud tamen notare oportet, quod licet votum paupertatis auferat cujuscunque dominii aut juris capacitatem, non tamen tollit facultatem administrandi per se temporalia bona, modo id fiat ex consensu superioris, ut optimè resolvit Navarrus, *de reddit. qu.* 1. *monit.* 8. & *Comment.* 2. *regul. n.* 2. esseque id verum experientia testatur in Abbatibus aliisque Religiosis beneficiatis, qui sine ullo proprietatis vitio bona monasterii administrant.

CAPUT VI.

De Comparatione Monachi, quantum ad incapacitatem cum servo, ac Filio-famil.

UT exactius hæc incapacitas, quæ tam ab obedientia, quàm à paupertate provenit, percipiatur, explicanda est ex comparatione Monachi cum servo, ac filio-famil. Vulgare est in jure, ac tritum axioma, monachum tam filio-familias quam servo æquiparari, ut expressè habetur *Cap.* exiit. §. *porro*, & §. *ad hæc*, *de verb. signif. in 6.* idque sæpius repetunt utriusque juris interpres, tam in *Cap.* in præsentia, *de probationibus* & in *Cap.* olim *de privilegiis*, quam in *Authent.* Ingressi, *C. de sacrosanct. Eccles.* & aliis pluribus locis. Et quamvis tam filio, quàm servo monachum censeant comparandum; dissentiunt tamen authores, cui horum magis monachi debeant assimilari. Aliis enim durum videtur monachalem statum servituti, ac famulatui servorum fore comparandum, ac proinde filio-famil. potius comparare nituntur. Et hanc esse magis communem opinionem ex mente Jasonis, & aliorum docuit speculum testamentorum, *Glos.* 12. *n.* 19. Aliis vero hanc monachi subjectionem potius servituti, quam filiationi æquiparandam videtur. Docuit id *Innocent.* in *Cap.* cum olim 2. *de privileg.* Barth. in *lib.* 1. *distinct. servorum* & *l.* 1. *c. de bonis qua liberis.* hanc esse communem opinionem fatetur Covarr. *c.* 1. *n.* 21. *de testam.* & Alciatus in *lib.* 1. *n.* 53. *de vulgari.* Et tam hujus, quam prioris sententiæ plures alios authores refert Menchaca *l.* 3. *de successionum creatione.* §. 21. *num.* 250.

Pro conciliatione verò harum opinionum distinguendum existimo. Aut enim sermo est de comparatione monachi cum filio, vel servo in quantum ad acquisitionem bonorum, vel quantum ad subjectionem, sive obsequium quod præstant ei, cujus obedientiæ, & potestati subsunt. Si priori modo loquamur, monachus indifferenter tam filio, quam servo in acquisitione bonorum comparatur, prout monasterio fuerit utilius, ut optimè resolvit Molina *Tom.* 1. *de Justit. tract.* 2. *disp.* 140. & novissimè Carolus Tapia in *authent.* Ingressi. *Verbo sua. Cap.* 1. *num.* 1. Quam sententiam fatetur esse omnium Scribentium tam in *dictam Authent.* quam in Cap. *in præsentia, de probatione.* Quod est dicere omnibus casibus, in quibus servus, vel filius acquirit tam Domino quam Patri, monachum etiam monasterio acquirere, necnon quotiescunque patri aut Domino aliquod jus ratione servi, vel filii, qui in eorum sunt potestate competit, simile quoque jus monasterio ratione monachi competere debere, non verò monachus omnino servo, aut filio æquiparatur; quia in aliquibus casibus servus ac filius proprium aliquid retinere possunt, & ideo in his non comparantur, quia hoc non est utile Monasterio; Imò si Monachum ex una parte, ac filium aut servum ex alia sumamus, etiam loquendo in illis casibus, in quibus servus ac filius patri, aut Domino acquirunt, adhuc fortius est jus acquirendi, quod monasterio competit ratione monachorum: tum, quia jus hoc acquirendi quod per monachum monasterio

sterio contingit, consequitur ad strictius vinculum, nempe ad votum obedientiæ, quòd arctius, & tenacius vinculum est, quam jus servitutis, vel patriæ potestatis, utpote omnino, & in perpetuum indissolubile. Tum etiam, quia hæc incapacitas consequitur ad potissimam radicem dominii, nempe ad renuntiationem omnimodam propriæ libertatis; quod non contingit in servo, neque in filio, qui adhuc in rigore propriam retinent voluntatem. Tum denique quia per votum paupertatis firmatur expresse hæc incapacitas, & omnino fit monachus inhabilis, & incapax cujuscunque dominii; ac proinde pluribus, iisque fortissimis titulis monachus redditur incapacior, quam servus, vel filius: Quare arctiori jure ac vinculo astringitur, nihil proprium habere, sed omnia, quæ illi obveniunt statim monasterio acquiruntur. In quo sensu verum est, quod aliqui dicunt, quantum ad acquisitionē monachum esse plusquam servum. Qua ratione intelligendum est *Cap.* multos 54. *distinctione*, dum docet strictiorem esse servitutem monasterii, servitute humanâ. Quod ratione prædictæ acquisitionis non est dubitandum, & docet expresse id Navarr. *Comment. 2. de Regul. n. 42. & de redd. q. 1. monit. 12.* & in *Apolog. monit. 14.* idque colligitur ex *Cap.* exiit §. *porro*, & §. *ad hæc, de verb. sig. in 6.* quæ arctiorem incapacitatem in monachis quam in servis agnoscunt. Similiter etiam quantum attinet ad acquisitionem, monachus censendus est plusquam filius, cum monachatus vinculum sit arctius patriâ potestate, in qua prædicta acquisitio fundatur. Nam ingressu Religionis patria potestas rumpitur, ut affirmant Navar. *Comment. 3. de regul. n. 47.* Ant. Gom. *lib. 1. variar. Cap. 1. n. 4.* qui pro sua sententia adducunt *Abbatem, Accurs. Bart.* & alios.

Ex hac igitur stricta acquirendi ratione ortum habuit illa generalis juris regula: *Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit.* Ut colligitur ex *Cap.* Abbates 18. *quæst. 2.* & *Auth.* ingressi. *C. de sacrosanctis Ecclesiis*, & ex §. *illud*, authen. de monachis. Et Scriptores omnes in *dicto Cap.* in præsentia, & *dict. Cap.* olim, & *dicta Authent.* ingressi, cujus ea est ratio, quia cum monachi sint sub potestate monasterii, nihil sibi possunt acquirere, sed potius illi, sub cujus imperio sunt constituti, *ut sup. Cap. præced.* latius tradidimus.

Quomodo sit intelligendum, bona sequuntur personam.

Secundo, quia cum bona sequantur personam, si persona est sub potestate monasterii, bona etiam ad illud pertinere debent. Prædicta verò regula non est ita intelligenda; quasi monachus aliquid sibi acquirat, & postea illud transferat in monasterium, cum sit omnino incapax sibi quidquam acquirendi, sed intelligenda potius est ratione monachatus, veluti mediante quodam instrumento ea quæ alias ad monachum, si esset homo liber, pertinerent, monasterio acquiri, ut notant Legistæ in dicta Auth. *Ingressi*, in illis verbis *ipso ingressu*, quibus denotatur quod ipso facto, quo aliquid ad monachum pervenerit, illud monasterio acquiri. Unde monacho ignorante, & invito potest monasterium adire hæreditatem, ut habetur *Cap.* Religiosus *de electione in 6.* quia Religiosus velle ac nolle non habet. Et hæc nunc de hac acquisitione dicta sufficiant; nam de illa latius infra disseremus.

Si vero fiat comparatio inter monachum & servum, non quantum ad acquisitionem, sed quantum ad rationem servitutis, tunc verè dicendum erit, Monachum potius cum filio, quam cum servo fore comparandum. Quod ut rectius intelligatur, comparanda erit potestas, quam Prælati in suos monachos exercent, cum ea, quæ dominis vel patribus ratione dominii, vel patriæ potestatis competere potest.

Sciendum igitur est è Gelasio Pontifice (& refertur *Cap.* nullam 18. *q. 2.*) omnem Religionis sive Monasterii potestatem, tam in temporalibus, quam in spiritualibus ad Prælatum pertinere. Cum enim Religio sit quædam perfectionis schola, & via optima ad comparandam perfectionem medio Prælatorum ductu, ac magisterio. (ut sæpius repetit D. Thom. *2. 2. quæst. 186.* de religiosis tractans) necessarium fuit, ut apud Prælatos Religionum spiritalis, & interior jurisdictio resideret, qua possent monachorum jura dispensare, verbum DEI exponere, confessiones audire, Sacramenta ministrare, ac denique reliqua media ad tantam perfectionem spectantia, ut veros ex officio pastores applicare decet. Quibus etiam judiciaria potestas adjungitur, ut docet D. Thom. quodlib. 1. art. 16. *Religiosis*, inquit, *Prælatus in Capitulo præst, sicut verus judex Ecclesiasticus, aut sæcularis in judiciali foro.* Et propter hoc *Gloss.* in *Clem.* Dudum, *de rebus Eccles. non alienandis* regularium Prælatorum jurisdictionem quasi Episcopalem appellat. Hæc enim omnia Religio simul cum approbatione, ac confirmatione Regulæ à Sede Apostolica accepit.

Religio quam perfectionis schola, & via optima ad perfectionem.

Duplex genus Religionum prælatos habentium, spirituale, & quasi Episcopale.

Hac igitur Superiorum jurisdictione, & potestate prætermissa, de qua hic non agimus, de alia arctiori potestate, quæ non immediate à summo Pontifice emanavit, quamvis summorum Pontif. authoritate, & confirmatione roborata sit: sed ab ipso Religioso, qui omnino spontaneè, & liberè in Superioris manibus suo juri renuntiat, cum se illi per professionem, & præcipuè paupertatis & obedientiæ voto perfectè submittit & tradit; de hac inquam potestate, quæ ex prædicta oblatione Religiosi in Prælato consurgit, hic tantum differimus. Nam prior illa jurisdictio non reperitur in patre, neque in Domino, ut utriusque fieri possit comparatio.

Duplex dominium Aristoteli assignatur principatus, alter dominativus, alter œconomicus.

Observandum est præterea ex Arist. 3. *Ethic. Cap. 4.* duplicem esse principatum, unum dominativum, cujus videlicet hæc est natura, ut princeps, sive Dominus præcipuè ac per se utilitati suæ studeat, subditorum verò commodo per accidens, in quantum eorum utilitas in suam utilitatem reflectitur. Alterum œconomicum esse, qui subditorum utilitatem & commoda respicit primariò: propriam verò utilitatem quasi per accidens. Quomodo gubernator navis præcipuè vectorum saluti consulit, suæ vero ex accidenti, quia ipse quoque unus ex eis est, qui in navi vehuntur. Ejusmodi est potestas patris in filios, viri in uxorem. Hæc Aristoteles. Quibus consentiunt, quæ adducit Plato *dialogo 1. de rep.* qui ut *pastor* inquit, *quæ pastor est curat gregem ad ipsius gregis utilitatem, & non ad suam, sic qui hominibus præest, nihil aliud propositum habet, quam eorum bonum, qui sub ipso sunt.*

His præmissis, restat ut comprobemus monachorum obedientiam non cum illa servili, quæ mancipiorum propria est, sed potius cum ingenua filiorum esse comparandam, ac proinde potesta-

Prælatorum potestas in subditos quæ esse debeat.

potestatem Prælatorum non esse dominativam, qualis est dominorum in servos, sed tantum œconomicam, quæ magis propriam potestatem, quam aliam quamlibet dominationem refert. Et id primo constat ex sententia relata Aristotelis ac Platonis ut supra. Si enim dominativa potestas primo, & per se in Superioris commodū ordinatur, cum constet Religiosos 1.& per se non ordinari in Religionis, aut Superioris utilitatem, cum Religiosi non sint propter Religionem, sed potius è contrà, propter religiosos Religio, evidenter colligitur potestatem hanc non dominativam, sed œconomicam tantum esse, colligiturque evidenter ex illis verb. Luc. 22. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui major est vestrum, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut qui ministrat.* Quæ verba, inquit, Bernardus *Lib. 2. de consideratione ad Eugenium* non solum de humilitate, sed & veritate dicta esse, modumque & formam potestatis à Christo Domino Eccles. suæ relictæ contineri. Et *lib. 3.* comparat Bernard. hoc potestatis genus villico, vel pædagogo, his verbis. *Nam & illi villa, & huic parvus Dominus est subjectus, & tamen neque ille villa, neque hic Domini sui dominus est, ita* inquit, *& tu præsis ut videas, ut consulas, ut procures, ut serves; præsis ut prosis, ut fideli servus, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? ut des illis escam in tempore, hoc est, ut dispenses, non ut imperes.* Hæc Bernardus. Ex quibus apparet eum, qui in Religione præest, servum esse; nam servit omnium commodis, & profectibus tam corporalibus, quam spiritualibus. Quare idem Bernardus *Ser. 25. in Cant.* idem munus esse ait rectorum spiritualium quod medicorum, quorum omnis cura ad ægroti utilitatem refertur; imò & *serm. 23. ibidem* eos matres appellat, idque eorum officium ita exhortando demonstrat. *Suspendite*, inquit, *verbera, producite ubera; pectora lacte turgescant, non typho turgeant.* De quo nos latè ex authoritate *Basilii*, *Augustini*, & *Francisci*, aliorumque Patrum sub finem nostræ Reg. in Exhortatione illa Prioris ad humilitatem diximus.

Constat igitur ex dictis, Religiosorum subjectionem, quantum ad incapacitatem, cum qua connexa est, arctiorem esse in jure acquirendi, qualibet alia humana servitute, nec excogitari posse majorem incapacitatem, & privationem dominii eâ, quæ Religiosis competit, tam ratione obedientiæ, quam ratione voti paupertatis. Quantum verò ad alios effectus hanc subjectionem, & obedientiam non esse æque duram ac illam, qua servi sunt addicti, sed potius esse ingenuam servitutem, & suavissimam obedientiam, in qua Prælati non principum, vel dominorum jura, sed potius Pastoris, Patris, Medici, Gubernatoris, ac etiam Matris exerceant.

CAPVT VII.

De duplici Voto Paupertatis solemni & simplici, ac etiam de paupertate in communi & particulari, quæ æqualis sit omnibus Religiosis.

REctius percipientur ea, quæ nuper de paupertatis voto tradidimus ex divisione illa communis hujus voti in votum simplex & solemne, quæ divisio communis est aliis etiam votis obedientiæ & castitatis. De differentia inter votum simplex & solemne, multi multa hoc tempore scripserunt, breviter tamen aliorum opiniones referentes nostram statuemus; præmittentes primo non esse controversiam de differentia istorum vororum quantum ad effectum, cum inter omnes constet, ea ab effectu penes hoc differre, quod solemne dirimat matrimonium contractum, quia hominem reddit inhabilem ad contrahendum; simplex verò licet impediat contrahendum, quia peccaret sic contrahens, non tamen invalidat neque dirimit contractum. Quare difficultas est, quomodo differant hæc vota à priori; id est, suis propriis rationibus. Duæ sunt præcipuæ opiniones de hac re.

Prima docet natura sua distingui, in quo autem hæc differentia consistat, non uno modo explicant hujus sententiæ Authores, alii dicunt votum simplex esse, quo quis suæ personæ promittit obsequia & ministeria, non tamen tradit suam personam; votum verò solemne esse traditionem personæ, & ex consequenti aliorum omnium. Unde inferunt votum solemne in traditione consistere, simplex verò non item; sic ut solemne votum & simplex differant, non aliter atque sponsalia & matrimonia, quod sicut in Sponsalibus est sola promissio futuri conjugi, in matrimonio verò traditio, qua unus conjux se alteri tradit; sic in simplici voto v.g. Religionis est sola promissio, qua quis promittit Religionis ingressum, in solemni verò traditio ipsa, qua is qui vovet, sese Religioni tradit, & Religio eum admittit ac recipit. Ex quo oritur aliud discrimen, quod in solemni voto non solum est promissio sive traditio, sed etiam est acceptatio expressa ex parte Ecclesiæ, sive Religionis, quæ loco ipsius DEI acceptat hanc traditionem, & ipsa sese adstringit ad sustentationem & ad functiones alias obeundas in commodum professentis, quo fit, ut solemne votum emittatur in manibus alicujus, qui nomine Religionis, seu potius DEI recipiat illam promissionem; in voto verò simplici sola est promissio, quia nullus est, qui nomine Religionis vel Ecclesiæ recipiat, & ubi receptio non est, nequit esse traditio. Hujus sententiæ fuit D. Thomas & innumeri alii Authores, quos novissimè latissimèque refert P. Sanchez, *de Matrim. Tom. 2. lib. 7. disput. 25. num. 7.*

Alii aliter distinguunt, docentes votum solemne esse ex natura sua perpetuum, simplex verò licet ex accidenti possit esse tale, non tamen necessario, quia sæpe multa vovemus ad tempus. Demum alii quod solemne in quadam consecratione consistat, non ita simplex.

Vid. nost. Antonii 2 part. directorii Reg. Tract. 3. disp. 1. n. 83. & seqq. & Andr. à Matre DEI Tō. 4. Curs. moral. Theol. Tract. 15 Cap. 1. punct. 3.

Secunda sententia docet votum simplex & solemne ejusdem rei, non differre per se ex ipsius voti ratione & natura, vel jure divino, sed sola Ecclesiæ constitutione; quam sententiam sequuntur ferè omnes Juris Pontificii Interpp. & novissimè gravissimi Authores, quos *ibidem* refert & sequitur P. Sanchez. Nos verò media via incedentes, breviter inter hæc vota, eam discriminis rationem assignamus, quod licet conveniant in ratione promissionis, tamen solemne votum habet adjunctam traditionem perfectissimam promissioni, quam non præsefert votum simplex, ut sentiunt Authores primæ sententiæ, quia Religiosus sponte se & omnia sua

obtulit Religioni, haud aliter ac si esset servus Religionis, non habens dominium sui corporis, suorum bonorum, neque suæ voluntatis, sed hæc omnia resignavit in manus Prælati: oportebat enim in Religione Christiana, quæ Dei obsequio est addictissima, inveniri statum, in quo non solum homines voto se adstringerent faciendi aliquid in DEI honorem & gloriam, sed etiam in quo totum dominium suæ personæ DEO, sive Prælato ejus vices gerenti, in holocaustum perpetuò traderent, quod sine dubio perfectissimum est genus colendi DEUM. Hæc autem traditio regulariter non invenitur in votis simplicibus: quod si demus in aliquibus inveniri posse & de facto inveniri in votis emissis à Religiosis Societatis JESU post biennium, ut Gregorius XIII. declaravit: tamen illa traditio non est perfectissima; quia emittentes simplicia vota, nondum sunt exuti dominio sui corporis neque bonorum exteriorum, quia per legitimam dimissionem à societate, ut in citata bulla *Gregorij* decernitur, possunt jure uti suis bonis, & licet illa traditione reddatur Religiosus inhabilis ad contrahendum Matrimonium, tamen non reddit illos omnino & irrevocabiliter inhabiles, quia cum primum dimissi fuerint ex societate, manent habiles ad Matrimonium, quare in voto solemni est perfectior traditio, quam in simplici, primò in perpetuitate & independentia ab omni eventu. Secundo in incapacitate perpetua cujuscunque dominii, aut matrimonii; & hæc ultima perfectio nulli voto simplici est communicabilis, quia jam esset solemne.

His igitur breviter præmissis, nostra sententia ex eo demonstrari potest, quia in omni opinione illud certum est, voti solemnis differentiam primariam esse illam, à qua provenit incapacitas cujuscunque dominii, & irritatio matrimonii, sed hæc provenit à traditione perfecta, quæ fit per votum obedientiæ, ut in superioribus annotavimus, per quam homo se & sua omnia tradit DEO, non aliter ac si aliquis traderet se totum alicui & totum jus suum, non solum acquisitum, sed & acquirendum, & totam potestatem sui corporis etiam quoad venerea, iste omnino inhabilis redderetur ad tradendum corpus uxori, vel pecunias alteri; Similem autem perfectissimam traditionem fieri in voto solemni, nemini dubium est, quia professio est perfectissimum holocaustum, & perfectissimus modus offerendi se DEO.

Objectio 1 Dices primo. Si per votum obedientiæ fit hæc totalis & perfectissima traditio, tam corporis quam dominii cujuscunque rei, & de ratione voti solemnis est similis traditio, sequitur castitatis & paupertatis vota non esse solemnia, quia per illa non fit hæc totalis & perfecta traditio, cum jam facta sit per obedientiæ votum.

Nam voto paupertatis nemo potest se inhabilem reddere ad dominia rerum capessenda, ut *supra C. 5.* probavimus. Et à fortiori nemo poterit seipsum per castitatis votum inhabilitare ad matrimonium, nec à se abdicare dominium sui corporis in hac parte, sicut nec dominium rerum temporalium.

Objectio 2 Secundo objicies, quia sicut per votum solemne obedientiæ fit hæc traditio totalis (quia per votum solemne obedientiæ tradit homo suam libertatem & personam) eandem etiam tradit per votum simplex obedientiæ emissum in Religione societatis, & acceptatum per superiores ejusdem Societatis; Nam ex decreto *Gregorij XIII.* emittentes hæc vota sunt vere Religiosi; & confirmatur, quia ex statuto Ecclesiæ posset caveri tribus simplicibus votis fieri hanc perfectissimam traditionem, igitur differentia non consistit in dictis.

Ad primam objectionem, Respondeo, obedientiæ voto fieri illam traditionem perfectissimam in consecutionem personæ, ut plenius explicavimus *præcitato Cap. 5.* ita tamen, ut hæc incapacitas & matrimonii & dominii, licet oriatur ex traditione, quæ fit per votum obedientiæ, non tamen propriè est materia voti obedientiæ, sed votorum paupertatis & castitatis, per quæ spontè à voventibus fit matur, ac proinde sit materia horum votorum. *Resp. ad objectionem.*

Ad secundum Resp. votis simplicibus emissis in Societate nulla ratione fieri hanc perfectissimam traditionem. Nam neque qui emittit similia vota, neque qui acceptat, ex parte DEI intendunt hanc totalem & perfectissimam traditionem, & quamvis ipsi hoc ipsum prætenderent nihil facerent, imò nec statuto Ecclesiæ posset caveri his votis simplicibus fieri hanc perfectam & totalem traditionem manentibus intra naturam simplicium votorum, quia in illo casu omnino essent solemnia vota.

Neque prædictis obstat decisio *Bonifacij VIII.* in *Cap.* unico *de voto in 6.* in quo decernit solemnitatem voti pendere ex statuto Ecclesiæ; quia licet verum sit in hac traditione perfectissima consistere essentialiter tanquam in prima radice solemnitatem voti, & per hanc jure naturali & divino differre à voto simplici, libenter tamen admittimus complementum hujus solemnitatis pendere ab Ecclesiæ statuto, quia cum hæc traditio nequeat esse perfecta, nisi acceptetur ab Ecclesia hoc est, à Superioribus constitutis ab Ecclesia, ac in Religione DEI vices gerentibus, ad Summum Ecclesiæ Pastorem spectabit potestatem inferioribus concedere ad acceptandum nomine DEI, & leges præscribere, quibus servatis & non alias, acceptatio legitima fit, ac dominii translatio in DEUM, & in Religionem sequatur, ut de facto disposuit Concil. Trident. circa ætatem & tempus Novitiatus, & cæremonias alias in Professione servandas, quæ omnia licet accidentalia sint, sunt tamen conditiones, sine quibus non acceptatur ab Ecclesia votum solemne, & ira ejus complementum suo modo pendet ab Ecclesiæ statuto, non tamen ob hanc causam solemnitas est de jure Ecclesiastico, sicut essentia matrimonii constat perfectè & integrè ex jure naturali & divino, quamvis conditiones ab Ecclesia petitæ, sine quibus consistere nequit, sint de jure Ecclesiastico. Quare prudenter *Bonifacius VIII.* in illo *Cap.* unico *de voto in 6.* non dixit, solemnitatem voti in sola, Ecclesiæ constitutione consistere, sed ex sola Ecclesiæ constitutione inventam esse, quia ad Ecclesiam attinet admittere Religiosi votum, ad talem effectum, ut deinceps in DEUM transferatur personæ dominium, & eo ipso, jure etiam naturæ & divino persona sit inhabilis ad Matrimonium, quia transit tanquam mancipium divinum in peculiare DEI dominium. *Solemnitas voti in quo consistat.*

Ex quibus non sequitur summum Pontificem non posse dispensare in voto solemni, ut perperam Magister Soto colligebat; imò potius posse, quia

quia licet traditio illa totalis & perfecta, jure naturali & divino transferat dominium in DEUM, transfert tamen, medio judicio & acceptatione Ecclesiæ; Ecclesia autem nomine DEI, ea quasi tacita conditione acceptat, ut si opus fuerit & ad ejusdem Ecclesiæ bonum conducat, hujusmodi personam, ut ita dicam emancipare, seu manumittere, ut sui juris effecta dominium sui, suorumque bonorum recuperet, possit id liberè præstare; nec enim Ecclesia, quæ liberè poterat non acceptare, ita acceptat hujusmodi traditionem, ut deinceps potestatem non habeat utendi illo Ecclesiæ membro in majorem DEI gloriam, & ejusdem Ecclesiæ augmentum, uti *infra* dicemus.

Vid. loc. cit. P. Andream n. 42.

Vid. Tō. 3. Curs. Theol. moral. *Andrea à Matre Dei* Tract. 12. cap. 2. punct. 12 *duplex paupertas in specie, quarum altera privata dicitur, quæ est de essentia voti paupertatis: altera in communi, & in quo hæc consistat.*

Rursum paupertas est duplex, alia est tantum in particulari, quam omnes religiosi profitentur, alia verò est in communi. Illa quæ *privata* dicitur, est de essentia voti paupertatis, de qua sermo est in capite, *Non dicatis*, in capite, *Monachi*, & in capite, *Cum ad monasterium*, sæpius à nobis citatis, per quam licet quilibet Religiosus abdicet à se capacitatem dominii, & alterius cujuslibet juris ad exteriora bona, potest tamen in communi possidere in quantum in sua Religione reditus, & possessiones habentur, ut contingit in ordine Carthusian. Benedict. & aliorum monachalium, in quibus monasteria habent suos reditus, & bona immobilia.

Talis enim fuit usus monasteriorum antiquorum, ut reciperent quidquid in commune volebant conferre, qui monasticam vitam profitebantur, ut patet ex Augustino in *Epistola* 109. *ad sanctimoniales*: ubi sic ait: *Quæ aliquid habebant in sæculo quando ingressæ sunt monasterium, libenter velint illud esse commune.* Item *serm. secundo de communi vita* clericorum: *vivunt*, inquit, *nobiscum in societate communi, & nemo eos distinguit ab eis, qui aliquid attulerunt.* Et *libro de opere monachorum capite* 25. ideo dicit divites non teneri ad opus manuum, quia monasterio sua bona contulerunt, de quo latius *infra in* 5 *parte* disseremus.

Altera paupertas in communi dicitur, per quam nihil omnino, neque in communi, neque in particulari possidetur. Quæ non solum ad personas, sed etiam ad Conventus quantum ad reditus, & immobilia bona extenditur, quam *Franciscus* & ejus ductus exemplo *Dominicus* suo Ordini servandum reliquerunt, ut dicitur in Capite, *nimis*. Secundo de excessibus prælati, ibi, *in arctissima paupertate*; quæ verba de paupertate in communi sunt intelligenda, ut *ibid.* notavit Abbas, & ante ipsos, (ut in *Capite* 8. *Commentarior. ad nostram regulam* exposuimus) nosteti Ordinis professores ab ALBERTO Patriarcha Hierosolymit. simul cum Regula acceperunt.

Differunt præterea utraque paupertas, quod prima cadat sub voto, emittitur enim de illa solemne votum paupertatis in omnibus Religionibus, de paupertate autem in communi, non invenio votum apud ullam Religionem. Nam licet vulgus existimet universa præcepta Reg. B. Franciscí (de qua poterat esse dubium) esse solemnia vota, contraria tamen sententia longè probabiliot videtur, nempe quod præter tria essentialia vota, quæ communia sunt omnibus Religiosis, nullum aliud speciale emittatur à Minoribus in professione suæ Regul. sed quidquid præter hæc tria in Reg. statuitur, solum habeat vim præcepti, non voti, quod imprimis aperte colligitur ex Concil. Viennens. relato in Clement. *Exivit de paradiso*, ubi sic scriptum habetur: *Declaramus & dicimus quod dicti Fratres non solum obligantur ad tria vota, nudè, & absolutè accepta: sed etiam teneantur ad ea omnia implenda, quæ sunt pertinentia ad hæc tria, quæ regula ponit.* & infrà. *Nec tamen putandum est quod B. Francisc. professores hujus Regul. quantum ad omnia contenta in Regul. modificantia tria vota æqualiter intenderit esse obligatos.*

Et infrà fecerint præcepta à tribus votis, solum ergo ea, quæ ex natura rei sunt materia horum votorum, cadent sub obligatione voti (sicut in aliis Religionibus fit) cætera verò modificantia tria vota, qualia sunt arctissimus usus rerū, vel paupertas in communi, quæ media sunt ad perfectiorem observantiam pauperatis, sicut jejunia, & aliæ castigationes corporis ad castitatem, non cadent sub voto, sed sub præcepto. Quare in nulla religione (quantum ego noverim) emittitur votum de paupertate in communi: sed tantum ea servatur, vel ex præcepto Regulæ, ut in nostra Religione, & in Religione Minorum contingit, vel ex Constitutionibus propriis, qua ratione fuit introducta apud cæteros Mendicantes. De paupertate vero privata semper fit in Religionibus speciale votum, ut sup. latius prob.

Secundo differunt; quod hæc paupertas in communi solet esse major vel minor secundum varias constitutiones Religionum. Paupertas verò privata, quæ cadit sub voto, æqualis est in omnibus Religionibus, ut tradit Sylvest. *verb.* Religio 6. *n.* 4. *in fin.* Et colligitur ex *Extravag.* quorundam *de verbor. signif.* ac satis supponit id ut certum Alvarus Pelagius *libr.* 2. *Cap.* 56. 59. & 60. Estque ratio evidens & aperta; quia voto paupertatis abdicant à se Religiosi dominium omnium bonorum, ita ut omnino fiant expertes cujuslibet juris politici & civilis; igitur cùm omnes hac incapacitate sint præditi, non est unde hæc paupertas in particulari suscipiat magis vel minus.

Ex quo infertur quod stante hac paupertatis æquali in omnibus professione, fieri contingat, ut in diversis Religionibus usus sive exercitium hujus voti non sit omnibus æquale. Quod ex eo provenit, quia licentiæ Prælatorum tacitæ vel expressæ sunt inæquales. Et ideo cum eodem, & simili voto paupertatis stat, quod in una Religione talem quantitatem quis possit expendere in suos, vel alienos usus, qualem monachus in alia non posset distrahere, sine nota proprietatis, sicut in eadem Religione cum Prælati & subditi sub eodem paupertatis voto teneantur, prælatus de rebus monasterii cum debitis circunstantiis disponere potest, quas subditus nequit attingere.

Quod est maximè animadvertendum, ut eorum errorem, & ignorantiam rejiciamus, qui argumentum, & Regulam ex his, quæ in administratione, aut elargitione in aliqua Religione contingunt ad aliam trahunt, qui considerare deberent illud in illa Religione ex interpretata licentia licere, quod omnino ubi talis licentia non extat, fieri non posset. Unde etiam rejiciendi sunt authores, qui absolutè omnibus Religiosis unam eandemque regulam circa paupertatem tradunt, cum potius inspicienda sint propria

uniuscujusque Religionis statuta, consuetudines, ac praxis recepta.

CAPVT VIII.

De peccato proprietatis, paupertatis voto oppositi, declaraturque verus sensus prædicti Cap. *Non dicatis.*

In quo cōsistat proprietatis peccatum.

COgnita voti paupertatis ratione, restat ut de proprietatis vitio illi opposito dicamus, facile enim erit ex cognitione unius oppositi alterius notitiam adipisci. Peccatum igitur proprietatis strictè, & in rigore sumptum in eo consistit, ut quis appropriet sibi bona ea, quibus in emissione voti paupertatis renuntiavit. Unde possessio cujuslibet rei pretio æstimabilis, aut desiderium illius monachum reum proprietatis constituit, ut latius *part. 2.* prosequemur.

Loquimur de proprietate ut includit dominium, & jus quodlibet civile. Nam cum paupertas præ se ferat abdicationem cujuscumque rei pretio æstimabilis, ut ex superioribus constat, nomine *proprietatis* intelligimus appropriationem cujuscunque dominii, sive juris civilis, quod pecuniæ nomine significatur. ut constat ex *l. pecunia, de verb. signif.* ubi sic dicitur: *Pecunia nomine non solum pecunia numerata, sed etiam omnes res tam soli, quam mobiles, & tam corpora, quam jura continentur.* Quodlibet igitur jus civile paupertati repugnat, non minus ac dominium sive proprietas rei, ut *Cap. 1.* diximus.

Varia sūt proprietatis species.

Varii sunt actus, sive species proprietatis, cum multiplex & varius sit modus, quo quis potest disponere de aliqua re. Nam potest eam alienare, idque donatione, venditione, testamento, vel aliis viis, aut potest eam permutare, pignori aut depositio tradere, commodare, mutuare, aut eam alio modo tradere. Et præterea potest quis in aliqua re comparare jus, eam ab eo, qui donare potest, accipiendo. Ac denique ex rei administratione potest oriri jus, quale habent tutores circa pupillorum bona. Hæc sunt, & alia jura, quæ proprietatem subdividunt, de quibus nos in hac Paupertatis Tractatione sumus dicturi, latiusque ostensuri, tam ratione, quam ipso jure hos omnes actus paupertatis voto contradicere.

Ex his, & ex supradictis licet colligere verum sensum, veramque interpretationem dicti Cap. *Non dicatis*, in quo si ejus verba attente considerentur, tria continentur. In prioti apertè statuitur vera, & certa conclusio. In 2. prob duplici ratione. In 3. verò elicitur corollarium. In prima igitur parte talis stabilitur concl. *Nullus religiosus potest aliquid habere ut proprium, sed potius omnia bona monasterii debent esse omnibus communia, & distribui unicuique à Prælato juxta ejus necessitatem.* In 2. vero parte additur ratio hujus decisionis, probaturque duplicitèr, in illis verb. *Cum nostræ Congregationis Fratres* &c. usque *debere.* Primum igitur principium sive prima ratio in *dicto Cap.* adducta, qua fulcitur propositia Conclus. est, quia Religiosi per votum paupertatis propriis facultatibus renuntiarunt, ergo nihil proprii habere possunt. Secundum principium est, quia per votum obedientiæ propria voluntate abdicata se penitus Prælatorum potestati & imperiis pro Christo subdiderunt. Quare cum ex *suprad. Cap. 4.* & 5. annotatis constet, tam per votum paupertatis, quam obedientiæ Religiosos omnem dominii ac possessionis capacitatem exuere, rectè colligitur in *dicto Cap.* eos nihil habere, possidere, dare vel accipere, sine superioris licentia debere. Quasi dicat: tam ratione voti obedientiæ, quàm paupertatis Religiosi nihil proprii habere possunt, ac ex consequenti, nec dare, nec accipere aliquid valent sine prædicta licentia, Verba igitur repetamus: *non dicatis vobis aliquid proprium, sed sint omnia communia.* In *tert.* verò *parte Cap.* quæ incipit ibi; *Quod si propinquus, vel amicus* &c. elicit consectarium, & quasi demonstrat quid consequatur ad votum obedientæ, & paupertatis, nempe, non solum nihil ut proprium retinere, vel occultè accipere, quod tam à voto obedientiæ, quàm paupertatis dimanat, sed insuper omnia, quæ Religioso obvenerint, Prælato assignentur, monasterio acquirantur, & in ipsius Prælati sint potestate, ut ipse de illis pro libitu disponat. Ait ergo Augustinus in hunc modum: *Quod si quis propinquus, vel amicus, aut etiam pater alicui Religioso aliquam vestem, sive quodlibet aliud etiam necessarium contulerit, non occultè accipiatur, sed Priori insinuetur & suscipiatur si ipse mandaverit, ac præterea sit in potestate Prælati, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur, aut fiat quod Priori placuerit. Unde si quis rem sibi collatam celaverit, tanquam fur erit judicandus.*

Hæc sunt, quæ in nostro textu voluit Augustinus; oportet tamen, ut singula discutiamus: quod congruentius fiet in sequentibus.

SECVN-

SECVNDA PARS HUJUS OPERIS.

De Proprietate abdicanda, & de acquisitione bonorum, quæ per Monachorum ingressum monasterio acquiruntur.

Text. in Cap. *Non dicatis.*

NOn dicatis vobis aliquid proprium. Et infra: *Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus accipiat.* Et infra: *Certùm est eos nihil habere, possidere, dare. &c.* Et infrà: *Non occultè accipiatur, &c.*

Text. in Cap. *Monachi*, de statu monachorum.

QVi verò peculium habuerit, à communione removeatur altaris; & qui in extremis cùm peculio inventus fuerit, nec dignè pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres sepulturam accipiat, quòd etiam de universis Religiosis præcipimus observari.

Ex Cap. *Cùm ad Monasterium.* eod. tit.

PRohibemus quoque districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habeat proprij, totum in continenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam deprehensus fuerit habere, regulari monitione præmissa, de monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundùm monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit, in morte ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod B. Gregorius narrat in dialog. Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere sed Abbati vel Priori, vel Cellario assignetur. Et infrà: *Ne æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo annexa est Regul. monachali, ut contra eam, nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Ex Conc. Trident. sess. 25. Cap. 2. de reformat. regulari.

NEmini igitur Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona mobilia vel immobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere vel tenere, sed ea statim superiori tradantur, &c. Et infra. *Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus aut convictus fuerit: is biennio activa, & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ regulæ, & ordinis constitutiones puniatur.*

ORDO SERVANDVS.

SI verba horum Capitum perpendantur, attenteque considerentur, invenire licebit in eis : Primum à monachis proprietatem procul re, & verbo arceri. Secundum pœnas decerni, easque gravissimas in proprietarios. Tertium ita esse annexam religioso statui proprietatis abdicationem, ut nec summus Pontifex possit contra eam, licentiam indulgere. Quartum De acquisitione bonorum, quæ per monachos monasterio accedit ; Hæc sunt, quæ breviter ex prædictis locis excerpsimus, circa quæ hujus Tractationis Secunda Pars versabitur, simulque explicabimus alios proprietatis actus, quos etiam monachis interdici infra probabimus.

CAPVT I.

Monachus nihil proprium dicere potest, nedum habere.

Religiosũ nihil ut proprium habere posse, ex SS. PP. & Conciliorum decretis probatur.

RAtione voti paupertatis monachum nihil posse habere proprietatis ex superioribus constat, & Patrum testimoniis frequenter traditur.

Imprimis *Urbanus* I. in *Epistola*, seu *Decretali* de paupertate loquens, sic ait: *Quicunque vestrùm vitam communem suscepit, & vovit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat.*

D. Basilius in Constitutionibus monasticis C. 35. *Debet*, inquit, *pietatis cultor, qui vitam communem amplexus est, ab omni privata rerum possessione liber esse.* & serm. de exercitatione monastica. *Monachum oportet cum primùm nihil in vita, quod juris sui proprium sit possidere.*

Cassianus *lib. 4. de institutis renuntiantium C. 3.* de Ægypti monachorum paupertate loquens: *nulli*, inquit, *cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod ut proprium retinens, suo debeat communire signaculo.*

Divus quoque Benedictus in sua Reg. C. 33. *Neque aliquid quis præsumat habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino.*

Et Divus Augustinus in tribus Regulis quas condidit, & maxime dicto Cap. *Non dicatis*, ibi, *certum est eos nihil habere, possidere* &c. idem definitur in dicto Cap. Monachi, ibi, *nec peculium permittantur habere*, &c. & dicto cap. Cum ad monasterium ibi, *prohibemus districtè in virtute obedientiæ, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat.*

Concil. Trid. *dicta sess. 25. Capit. 2.* idem districte interdicit, dum ait : *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona cujuscunque qualitatis fuerit tanquam propria possidere.* Idem decernitur in Concil. Provinciali Oxoniensi Anglicano, dum ait : *Quoniam non licet viru religiosis aliquid proprium possidere, qui se & sua pariter in ipso religionis ingressu Domino dedicarunt*, &c.

In Concil. Colonienſi sub Conrado Archiepiscopo Anno 1260. celebrato, tt. de monachis & eorum conversatione & vita Cap. 3. *Statuimus quod monachi proprium non habeant.* Et demum in Concil. Mediolan. percelebri novissime sub *B. Carolo Borromæo* Cardinali, Anno 1577. celebrato parte 3. tt. de communi vitæ usu, ac de proprietate tollenda, dum de monialibus agit, similia verba habentur : *Tuum, & meum, atque omnis privata rerum possessio, & re. & verbo omnino tollatur : neque ulla sit, quæ quicquam possideat ut proprium etiamsi ad necessitatem concessum sit.*

Nec solum à proprietate ipsa rei habenda SS. Patres monachos arcendos esse, verum & illud statuerunt, ut nec quidquam ulterius proprium appellare illis esset permissum. Quam consuetudinem in Ecclesia primitiva fuisse accuratè observatam, ex Apostolorum *Actib. Cap.* 4. accepimus, ubi legitur : *Nec quisquam eorum quæ possidebat suum aliquid esse dicebat.* Unde Basil. in Reg. Brevioribus hanc etsi rigidam, *interrogatione* 85. protulit sententiam *Qui dicit aliquid suum esse, seipsum alienum reddit ab Ecclesia* DEI, *& charitate Domini, qui quidem & re. & verbo docuit ponendam esse animam, pro amicis, nedum res externas.*

Nihil quisq. appellet.

Divus Augustinus *Serm.* 1. de vita communi cleric. *Quantum*, inquit, *possumus, imitemur, Sanctos, de quibus loquitur liber Act. Apost. nemo dicebat aliquid proprium.* Idem repetit *Epistola* 109. Divus Chrysostomus suæ ætatis monachos commendans, ait. *Non est tibi meum ac tuum, sed hoc verbum penitus eliminatum est, multorum causa malorum.* Et quod magis mirandum est, ita hunc ritum inter antiquos monachos observatum fuisse tradit Cassianus ubi *supra* ut etiam ille, qui inconsiderate proprium aliquid appellabat, tanquam reus puniretur.

Quamvis nolebant hoc antiqui monachi observare,

Et hanc observationem in suis monasteriis ita florere magnus ille *Basilius* optavit, ut in *quæstionibus fusius explicatis quæst.* 32. Parentes etiam ac cognatos communi nomine fore appellendos decreverit. Idem denique habetur in *dicto Cap.* Non dicatis, ibi. *Non dicatis vobis aliquid proprium.* In quæ verba Gerson in *opusculo contra proprietarios* sic ait : *Si ergo expressè prohibet Augustinus verbum proprietatis, à fortiori & factum.* Quasi dicat : si enim aliquid proprium appellare monachis prohibetur, quanto magis illud habere, aut retinere. Quare in prædictis verbis utrumque horum prohibetur, & possidere aliquid proprium, & proprium aliquid dicere, licet illud tanquam intrinsecum voto paupertatis præsupponatur, hoc vero tanquam utile ad ejus observationem commendetur.

Parentes ac cognatos communi nomine appellarinon licet S. Augustino.

Quæ verò ratio sit, cur tam serò ac strictè monachis omnis proprietas interdicatur, colligere licet ex his, quæ priori parte hujus operis adduximus : ubi incommoda, quæ ex possessione sive proprietate temporalium bonorum oriuntur retulimus. Et qua etiam ratione sint impedimenta ad perfe-

perfectionem comparandam, demonstravimus, & constabit amplius ex his, quæ seq. Capite dicemus.

An, & quale sit peccatum aliquid proprium appellare?

Sed restat examinandum an proprium aliquid appellare sit peccatum? Navarr. *dict. Cap. Non dicatis* n. 1. tunc hoc existimat esse peccatum, quando quis non solum voce, sed re appellaret, & crederet sibi aliquid proprium; minimè verò peccatum censet, si quis sibi rem usui à Prælato concessam propriam appelleț. Alii vero Canonistæ, ut sunt Archidiaconus, Cardinalis, & Alexandrinus in Commentariis dicti c. *Non dicatis*, & alii Expositores Regulæ D. Augustini sentiunt Religiosum peccare, saltem venialiter, qui absolutè libros, cellam, vestes, aut quid aliud proprium appellat. Quod etiam nobis videtur necessario affirmandum in nostra Religione. Quia cum nostra Regula id clarè præcipiat: & hæc obliget ad peccatum veniale, non video, qua ratione si possint excusari, nisi ex ignorantia, aut inconsideratione faciant. In aliis verò prædicta obligatio cessat, quo ad modum loquendi, licet quoad rem in omnibus Religionibus æqualis sit obligatio.

CAPVT II.

De malitia peccati proprietatis, & de pœnis tam à Iure, quàm à Patribus impositis proprietariis.

UT hujus peccati gravitas æqua lance ponderetur, malitiam ejus considerare oportebit. Et imprimis si naturam hujus vitii spectes, communis omnium Doctorum consensus tenet ipsum esse ex genere suo mortale. Deinde ad specificas malitias descendendo, multæ in eo reperiuntur, quæ gravitatem ejus clarè demonstrant. Cum autem peccatum hoc apertè pugnet cum voto paupertatis, manifestum est, sacrilegii malitiam in ipso inveniri, nam cùm voto paupertatis Religiosus à se omnia bona abdicaverit, ac in perpetuum rejecerit, si postea ea reassumat, ac sibi appropriet, sacrilegium hac proprietate committet. Quæ prima & essentialis est in hoc peccato ratio, ut *sup. Cap.* 8. diximus.

Præter hanc sacrilegii malitiam reperitur alia, nempe peccati inobedientiæ ratione præcepti allati in Cap. *Cum ad monasterr.* De statu monachorum. Nam, cum materia hujus voti ex se non cadat sub obedientiæ voto, ut *sup. Cap.* 5. diximus, certum est quod si novum præceptum obedientiæ ei superaddatur, ejus transgressorem inobedientiæ reum constituet.

Tertio huic malitiæ alia, quæ justitiæ contraria est, sæpe annectitur, quia sæpe proprietatis vitium, cum furto conjunctum invenitur. Unde antiqui Patres peccatum hoc proprietatis furtum nominarunt. Augustin. in sua Reg. *Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit furti judicio condemnetur.* Et consentiunt BASIL. in Constitutionib. monasticis Cap. ult. *Furtum est*, ait, *privata possessio.* Hugo Victorin. in Expositione Reg. S. Augustini & Bonav. 2. *parte speculi* C. 4. ex quibus idem sumpserunt posteriores. DD. Corduba in *summa Hispana q.* 109. & Navarr. *l* 3. *de restitut.* C. 1. *n.* 171. qui expresè docent peccatum contra votum paupertatis duplicem habere malitiam; alteram furti, alteram contra votum. Ratio est, quia furtum nihil aliud est quam contrectatio rei alienæ invito domino, unde cum Religiosus rem monasterii dans, commutans, aut vendens, aut alio quovis modo monasterium illa privans, rem non propriam contra Prælati, & monasterii voluntatem contrectet; manifestum est illum furti vitio maculari.

Idem dicendum est de monacho, qui rem acceptam ab alio occultè retinet, cum illius dominium in monasterium ipso jure transferatur. Secundum id quod in *Cap.* in præsentia *de probationibus* dicitur: *Quicquid monachus acquirit, monasterio acquirit.* Unde si contra voluntatem Prælati aliquid occultè retinet, furti arguendus est; maxime quia cum per obedientiæ votum se & sua monasterio tradiderit, contra justitiam facit, si aliquid ignorante monasterio possideat. Non aliter ac servus vel Filiusfamil. qui usurpat sibi bona domino aut patre invito.

Fateor hanc malitiam injustitiæ aliquando in hoc peccato non reperiri, cum fieri possit ut quis actum proprietatis exerceat sine hoc quod furtum committat. Ut si Religiosus intra monasterium rem notabilem suis usib. deputatam, alteri ejusdem monasterii donaret contra voluntatem Prælati. Tunc cum nulla monasterii bonis injuria inferatur, furtum non est, tum etiam quia ratio essentialis voti paupertatis non includit illam injustitiæ circumstantiam, sed illa ex vi voti obedientiæ oritur. Nam aliud est non retinere aliquid eorum bonorum, quæ quis alteri acquirit, quod ratione obedientiæ monachis competit, aliud verò nihil proprium ratione voti emissi possidere. Quod ex se nullam includit injustitiæ rationem, ut *sup.* latius diximus, quamvis raro proprietatis peccatum sine injustitiæ circumstantia inveniatur.

Quarto aliam sacrilegii malitiam ab illa specie sacrilegii supra relata, specie distinctam in præsenti possumus adducere. Cum enim res monasterio oblatas tanquam DEO consecratas Patres reputaverint, & sacræ rei furtum speciali modo Religioni adversetur, ab illo distincto quo votum proprium contra fidem DEO debitam frangitur, inde est, quod rem monasterio dicatam, invito domino alienare (quod proprietarii faciunt) specialem sacrilegii malitiam continere videtur. Quod autem res monasterio oblatas, ut sacras Patres fuerint venerati, testis est Basil. in *quæst. brevior quæst.* 143. ubi curam, quam de his rebus oporteat habere Religiosos, ponderans dicit debere esse *tanquam rei DEO devota, & dicata*, & addit seq. 4. *illum, qui rebus monasterij malè utitur, sacrilegum existimari omnium DEO nuncupatorum, & dedicatorum.* Testis etiam est Cassian. *Lib.* 4. *institut. Cap.* 19. ubi sollicitudinem antiquorum monachorum in rebus monasterii tractandis valde exaggerans dicit, *utensilia ac vasa tanta solicitudine, curaque custodiunt, ne quid ex eis diminuatur, vel pereat, ut credant se etiam pro minimis quibusque vasis, tanquam pro sacrosanctis non solum dispensatori præsenti, sed etiam Domino reddituros.* Et seq. c. subjungit. *Non solum ipsos non esse suos, sed etiam omnia, quæ sua sunt, credant Domino consecrata, Propter quod si quid fuerit monasterio semel illatum, ut sacrosanctum cum omni decernunt reverentia debere tractari.*

Subscribunt Benedict. in sua Regul. C. 31. *Cunctam* inquit *substantiam ac si altaris vasa conspiciunt.* August. Regul. 1. Clericis traditæ

Non

Non poterit sibi retinere quod per pactum ad omnes pertinet, & DEO utique consecratum est. Chrysost. *hom. 12. in Act. Apost.* de peccato Ananiæ & Saph. tractans subjungit. *Cur igitur ea sacra fecisti, & postea accepisti ?* & non obscurè indicat D. Th. 2. 2. *quæst. 99. art.* 3. & collig. ex Cap. *qui rapit*, & C. *quisquis contumax*, & C. *quisquis inventus* 16. *quæst.* 4.

Ex his quasi à priori manet hujus peccati gravitas explicata. Nunc vero à posteriori poterit dupliciter declarari. Primo ex effectibus, qui ex hoc vitio dimanant, qui non parum malitiam ejus augent. Hos autem eleganter explicuit Augustinus in *serm.* quodam *ad Sabianum monachum*, ubi multorum peccatorum radicem hoc vitium nominat : *De radice*, ait *proprietatis, gignuntur vitia hæc. Inobedientia, superbia, avaritia, & contumelia, vana gloria, extollentia, voracitas, mendacium, atque luxuria.* Et alia plura mala, quæ proprietatem consequuntur, eleganter explicit Dionysius Carthus. *de reformatione clausralium art.* 16. Et de *reform. monialium art.* 9. his verbis : *viri enim prudentes, & sancti Religionum institutores ex proprietate, seu peculio multa peccata provenire didicerunt ut contumaciam, superbiam, contentionem, factionem, avaritiam, inanem gloriam, invidiam, mendacium, luxuriam, occupationem fructuosam, curam supervacaneam, dissolutionem, variam mentis distractionem, acediam, negligentemque divini officii persolutionem.* Hæc & alia *ibi* Carthusianus.

Proprietatis vitiis cur pessimum à S. Benedicto nuncupetur.

Propter quæ nequissimum vitium proprietatem appellat Benedictus in sua *Regula* C. 33. Ubi Cardinalis Turrecrem. advertit propterea pessimum vitium à S. Benedicto esse nominatum, quia pessimos reddidit, quos illo maculari contigerit. vitium, inquit, hoc non similiter vitium, sed nequissimum appellat, id est, pessimum; in quo cognoscitur, quod nequissimus est monachus, qui habet vel habere proprium desiderat. Cassianus *lib.* 7. *de Cœnobiorum institut.* per multa Cap. hujus peccati effectus latè prosequitur.

Proprietas receptaculum vitiorum, malorum omnium radix, & inextricabilis malitia fomes.

Et imprimis de *philargia*, hoc est, proprietatis morbo Cap. 6. differens : *Quamobrem*, inquit, *nulli vilis despectusque videatur hic morbus, qui sicut potest perfacilè declinari, ita si quemquam possederit, ad sanitatis remedia vix pervenire concedit. Receptaculum namque est vitiorum, malorumque omnium radix & inextricabilis nequitiæ fomes efficitur*, dicente Apostolo, *radix omnium malorum est cupiditas.* Hæc Cassian. Qui deinde Cap. 7. & *seq.* vitia, ex hoc fomite pullulantia in specie describit, ubi tanquam ex ubertimo fonte perjuria, mendacia, furta, iracundiam, infidelitatem oriri, ac denique cum Apostolo, qui 1. *ad Timoth.* 6. hujus morbi noxia venena prospiciens, non solum illum esse *radicem omnium malorum*, verum etiam *servitutem idolorum* pronuntiat. Cernat igitur monachus ad quantam labem rabies hæc per gradus singulos crescat, ut etiam *idolorum servitus* Apostoli voce pronuntietur. Addit quoque Cassian. hoc vitium, virtutum omnium profectus impedire, dum Cap. 8. ait, *Nullam deinceps humilitatis, nullam charitatis, nullam obedientiæ, non dicam virtutem, sed ne umbram quidem virtutis retinere contentus*, id est, *qui hoc morbo laborat, indignatur ad omnia, & ad singula opera murmurat atque suspirat, nullaque jam reverentia reservata velut equus durissimus ad præcipitium fertur infrenis* : Nec vestes *quotidiano, nec solito indumento contentus, non se diutius hæc toleraturum esse testatur.* Hæc Cassianus.

Ac denique ipso Cassiano teste, eò monachum hæc rabies pertrahit, ut suæ professionis desertorem efficiat. Quod & Basilius confirmat in *Constitut. monasticis Cap.* 35. his verbis: *Porro incommodum, quod ex istiusmodi possessione nascitur, ulterius progreditur. Etenim qui proprium aliquid habere studet, is sine dubio nihil aliud quàm disjunctionem & defectionem à cæteris meditatur.*

Et infra. *Liceat mihi, quæso per vos aliquantulum loqui audacter quod sentio, alter Judas efficitur, nempe quia furto exordiatur (furtum est enim privata possessio) & in proditionem desinit, quando ab ille Dominum, sic iste etiam veritatis verbum prodit.* Hæc & alia Basilius *ibid.*

Ex pœna proprietatis non excusat.

Secundo, Ex pœnis proprietariis impositis, poterit hoc ipsum plenius ostendi ; & ut à graviori incipiamus, multi ex Canonist. tenent Religiosum hoc vitio maculatum excommunicationem ipso facto incurrere ; ita tenet Felin. in C. *cum M. de constitut. n.* 26. & quod hæc sit Canonist. sua opinio in C. *Cum ad monasterium, de statu monachorum reg.* docet Spinus in *spec. testam. reg.* 12. *principali n.* 15. Quia tamen sine textu expresso loquuntur, veriorem existimo Theolog. sententiam contrarium affirmantem ; quamvis in aliquibus Concil. hæc pœna excommunicationis contra proprietarios statuta inveniatur, ut patet ex Concil. Colonien. sub *Conrad. Archiepisc.* Anno 1260. celebrato, ubi tit. *de monachis, & eorum conversatione, & vita* C. 11. statuitur quod Abbates excommunicationis sententiam semel in anno scilicet sabbato proximo ante Dominicam, *Lætare*, contra proprietarios solemniter in capitulo publicent.

Idem præcipitur in Concil. Colon. sub *Henrico Archiepiscopo* Anno 1310. celebrato C. 28. *tit. de monachis, & monialib.* Et S. Ffridus Archiepiscopus Colonien. in quibusdam statutis postea authoritate Apostolica confirmatis à Nicolao Cussano Cardin. in Concil. Provinciali Colonien. celebrato Anno 1452. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, præcipit, ut monachi proprium non habeant.

Horum Concil. decret. meminit Trull. *lib.* 1. *de ordine Canonic. Regular.* C. 23. & simile statutum invenitur apud Carthusienses in *nova collect. statutor.* C. 19. *n.* 10. Et fortè Felinus & alii occasionem opinandi sumpserunt ex aliquo prædictor. Concil. provincialium, vel ex illis verb. prædict. C. monachi *à communione removeatur Altaris.*

Pœna à Concilio Lateranensi imposita.

Deinde ex S. Script. gravia colliguntur flagella, quibus DEUS hoc morbo laborantes multarit, quæ refert Cassian. *lib.* 7. de institut. Cœnob. Cap. 4. *Giezi*, inquit, *ea quæ ne antea quidem possederat, volens acquirere, non modo gratiam prophetiæ non meruit possidere, quam per successionem veluti hæreditariam à suo habuit magistro suscipere : verum etiam è contrario æterna lepra* S. ELISEI *maledictione perfundetur. Judas autem volens reassumere pecunias, quas antea Christum secutus abjecerat, non solum ad proditionem Domini lapsus Apostolatus perdidit gradum, sed etiam vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eamque violentâ morte conclusit. Ananias verò & Saphira servantes partem*

Sacræ Scripturæ exempla.

partem quandam ex his, quæ possederant Apostolico ore morte mulctantur. Et præter Cassianum peccatum Ananiæ & Saphiræ fuisse proprietatis docuit Concil. Aquisgranense *Cap.* 21. & communiter consentiunt Patres Chrysost. *hom.* 10. *in Act. Apostolorum*, Hieronym. *Cap.* 19. *in Matth.* & *Epist.* 8. *ad Demetriadem.* Benedict. in *Reg. Cap.* 57. Basil. *serm.* 1. *De instit. monachorum*, August. *serm.* 25. *De verb. Apostol.* Greg. *lib.* 1. *Epist.* 33. *ad Venantium.* Fulgent. in *Epistola de debito conjugali Cap.* 8. & alii multi *Caput* 5. *Actuum* Apost. explicantes.

Pœna à Concilio Lateranensi imposita.

Præterea Lateranen. Concil. sub Alexand. 3. celebratum. 1. Parte Cap. 10. de religioso, qui proprietarius fuerit in hora mortis inventus, loquens, pro illo oblationem fieri prohibet, his verbis: *Si religiosus peculium habuerit, nisi ei ab Abbate pro administratione fuerit permissum, à communione removeatur altaris, & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, neque oblatio pro eo fiat, neque inter fratres sepulturam recipiat. Abbas etiam qui ista diligenter non curaverit, officij sui jacturam se noverit incursurum.* Quæ pœna stabilita est in Cap. *Cum ad monasterium, de statu monachor.* ubi ejusdem Concilii verba referuntur, & additur: *Cum ipsa proprietate in sterquilinio extra monasterium sepelietur; & si in sacro fuerit sepultus, exhumetur, si sine scandalo fieri potest, & in sterquilinio sepeliatur.* Idemque faciendum præcipit *Clemens III.* in C. *super quoddam* eodē tit. & in C. *monachi*, citato, idem statuitur his verb. *Et qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres sepulturam accipiat.*

D. Hieron. ad Eustoch. de virginit. serv. *Epist.* 22. refert antiquos PP. eremique cultores monachum quendam in hora mortis certam pecuniæ partem possidentem invententes in sterquilinio sepelisse. verba Hieronymi hæc sunt: *Quidam ex fratribus parcior, quam avarior, nescientibus triginta denariis Dominum vendidit, centum solidos, quos linea texendo acquisierat moriens dereliquit. Initum est inter monachos consilium (nam in eodem loco circiter quinque millia divisis cellulis habitabant) quid facto opus esset: alij pauperibus distribuendos esse dicebant, alij dandos Ecclesiæ, nonnulli parentibus remittendos: Marcus verò, & Pambo, & Isidorus & cæteri, quos Patres vocabant sancto in eis loquente Spiritu decreverunt fodiendos esse cum eo; dicentes: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc crudeliter quisquam esse factum putet. Tantus cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis.* Hæc Hieronymus.

Idem statuit faciendum Augustin. *serm.* 5. *ad Fratres in eremo*, quo eadem mulctari pœna invento quodam proprietario mandavit. *Ligate igitur manus cadaveris ejus, ponentes in panno ligatos centum, & undecim solos, quos in pariete cellula retinebat, flentes & dicentes: Pecunia tua tecum sit in perditionem: Non enim licet nobis servis DEI eam collocare, vel ponere in victu, vel vestitu, vel in opere monast. quia pretium damnationis est.* Et tandem idem se fecisse refert Gregorius *Lib.* 4. *dial. Cap.* 55. (quem citat Innocentius Papa C. *Cum ad monast.* qui cum deprehendisset monachum ad extremum vitæ 3. aureos absconditos retinentem in sterquilinio jussit sepeliri. *Quod mox, ut mihi nuntiatum est* (verba sunt Gregorii) *tantum malum de fratre, qui nobiscum communiter vixerat, aquanimiter ferre non valui. Tunc nimio mœrore percussus cogitare cœpi, vel quid ad purgationem morientis fecerim, vel ad exemplum viventibus fratribus providerem. Præposito igitur monasterij accersito ad me dixi: vide ne ullus ex fratribus se ad eum morientem jungat, nec sermonem consolationis ex cujuslibet eorum ore percipiat. Cum verò mortuus fuerit, corpus illius cum Fratrum corporibus non ponatur, sed in sterquilinio fossam facite, & in eam corpus ejus projicite, ibique super eum tres aureos quos reliquit jactate, omnes simul clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et infra addit, hoc exemplo fuisse cæteros commotos, atque pertertitos. *Cœperunt*, inquit, *singuli extrema quæque vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud se esset unde reprehendi potuissent.* Hactenus Gregorius.

Id verò quod in hac gravissima pœna à D. Gregorio inflicta magis lectorem movere debet illud est, quod ipse Gregorius fatetur, monachum illum ante mortem de culpa sua anxie pœnituisse, ait enim: *Qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa sua tristitia de corpore exivit.* Imò post mortem orationibus Fratrum & hostiis adjutum in cœlum evolâsse S. Gregorius *ibidem* confitetur; & tamen nequissimum illud (S. Gregorio judicante) vitium severiori pœnâ purgavit. Hæc licet gravissima pœna adhuc viget, & nullo jure derogata invenitur, atque adeo practicè observanda est in Religionibus, servarique apud Carthusienses docet Navarr. *Consil.* 75. *de Regular.* ubi ait in hac Religione statuto caveri, ut monachi cum proprietate duodecim denariorum defuncti non sepeliantur in cemeterio, & sepulti exhumentur. Quamvis in nova statut. collectione similem pœnam non inveniam. Idem etiam expresse habetur in Constitutionibus Minorum, ut constat ex *Cap.* 5. *de correptione delinquentium.* Et ex Constitutionibus Cistercien. *Cap.* 33.

Pœnæ supradictis addita à Concilio Tridentino, & à nostris Constitutionibus.

His omnibus pœnis, quæ gravissimæ sunt, addit Concil. Trident. *sess.* 25. *Cap.* 2. *de reformat. Regularium*, proprietariorum, privatione vocis activæ, & passivæ biennio forte mulctandum: & insuper secundum Regulas & Constitutiones uniuscujusque Ordinis puniendum. Quibus in nostris Constitutionibus additur pœna carceris duorum mensium, imò expulsionis ab Ordine si correptus noluerit emendari, ut in specie concessum est à *Sixto V.* & *Gregorio XIII.* ac *Clemens VIII.* Quod certè anteà in prædicto Cap. *Cum ad monasterium.* sancitum esse patet, dum dicitur: *Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, Regulari monitione præmissa de monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam.* Hæc Innocentius ibi.

Hæ sunt horribiles pœnæ à jure proprietariis indictæ. *Pertimescamus ergo* (ut Cassianus *lib.* 7. *Cap.* 30. loquitur) *damnationem Ananiæ & Saphiræ memoriter retinentes aliquid ex his reservare, quæ renuntiantes penitus abdicare devovimus. Giezi quoque pertimescamus exemplum, qui ob philargiæ culpam æternæ supplicio lepræ mulctatur. Et aliquid ex his, quæ nec ante possedimus, caveamus acquirere. Nec non etiam Judæ vel meritum vel exitum formidantes quidquam pecuniæ reassumere, quam semel à nobis*

nobis abjecimus totâ virtute vitemus. Super hæc omnia considerantes conditionem fragilis, incertæque naturæ nostræ, caveamus, ne dies Domini sicut fur in nocte superveniens maculatam vel uno obulo nostram conscientiam deprehendat: Qui omnes fructu nostræ renuntiationis evacuans illud, quod in Evangelio diviti dictum est, ad nos quoque faciat voce Dominicâ dirigi: Stultè, hâc nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cujus erunt? nihilque de crastino cogitantes nunquam nos de Cœnobij disciplina patiamur avelli. Hæc Cassianus.

Quibus adjungam aliam haud contemnendam Petri Damiani ad proprietarios admonitionem, qui in L. Apologetico *de contemptu sæculi* C. 4. qui habetur apud Surium 7. Tom. postquam proprietariorum peccatum Ananiæ & Saphiræ majus esse monstravit, sic ait: *Quapropter, ô Monache, vis in tuo cucullo recondere Christum; excute prius nummum, neque enim in uno receptaculo congruè sociatur: nam si utrumque simul incluseris: alterum sine altero possessor vacuum invenies. Quanto quippe in egenis mundi lucris copiosior fueris, tanto à veris divitiis arumnosus inanescis. Nummus ergo si est, in aliena protinus jura concedat, ut vacuam pectoris tui arcam Christus inveniat. Magnus nempe hospes in diversorij tui quarit angusta descendere, atque idcirco solus vult, & sine consortibus habitare. Quem enim cœli, terraque vastitas capere non valet, quo pacto in exiguo tui domatij angulo niteris illi peregrinos ad cohabitandum socios adhibere? cedat, cedat terrena pecunia, ubi cœlestis thesaurus admittitur. Quæ enim societas lucis ad tenebras? quæ conventio DEI ad mammonam iniquitatis? Abjiciatur ergo pecunia arugini, tineæque & furtis obnoxia, vacet exedra cordis, quæ cœlesti mercimonio possit impleri: nolite, inquit, thesaurizare thesauros in terra, ubi erugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur.*

Præclara B. Petri Damiani exhortatio ad proprietatis vitium evitandum & detestandum.

Et paulò post ait: *Pudeat ergo te, ô miles Christi, peritura in hoc sæculo facultate ditescere, ne in futuro cogaris nudus, & inops perpetuo mendicare. In talis quippe militia arma jurasti, qua nudos, & agiles expetit bellatores, onustos autem atque in DEO signes à castrorum excubijs donativi arcet immunes. Abjurat illa militia sarcinis pragravatum, & ante tempus subrogat expeditum. Non licet illic marsupia pendere nummorum, ubi theca tantummodo vibrantium cernuntur armorum. In bellicosa scilicet acie inerti pecuniæ non tuò servitur, ubi constipatis cuneis assidua dimicatione confligitur. Non ille solidorum summam securus enumerat, qui circumfusa hostium multitudine telorum missilia indesinenter expectat. Sapè namque in talibus dum talentum metalli cujuslibet trutinatur improvisa veniens occulti hostis sagitta stomacho librantis infigitur. Sicque fit, ut qui solus sibimet sine rei familiaris adminiculo minimè videbatur posse sufficere, jam se & sua repentino casu lugeat irrecuperabiliter amisisse. Et qui pauper cum Christo in libertate dedignatus est vivere, dives absque illo sed servus pecuniæ compellitur damnabiliter interire.* Sed ab his jam supersedeamus, ne moralem hanc controversiam ad Concionatorum declamationes reducamus.

CAPVT III.

An Summus Pontifex licitè dispenset cum monacho in proprietate, explicato in ea re, INNOCENTII III. responso in dicto Cap. *Cum ad monasterium.*

CUm proprietate carere essentiale sit statui Religionis (id enim importat ex natura sua paupertatis votum ut *supra parte* 1. demonstravimus, idque ita annexum est monachatus professioni; ut *Innocentius III.* in capite, *Cum ad monasterium, de statu monachorum*, constanter affirmaverit, Summum Ecclesiæ Pastorem non posse monachis ad proprietatem habendam licentiam indulgere, dum ait: *Quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo annexa est Regulæ monachali, ut nec contra tam summus Pontifex possit licentiam indulgere.*) merito in dubium vertitur, an Summus Pontifex possit cum Monacho super habenda proprietate dispensare.

Resp. ad objectio.

Controversia hæc eadem est cum illa, quam (licet breviter) attigimus 1. *parte Cap.* 7. nempe, an possit Pontifex cum monacho in solemni voto dispensare; eadem enim est utriusque rei facultas, ac proinde idem utrobique est decidendi, ac solvendi modus. Quare omissis contrariis illis sententiis (pro utraque enim parte graves militant Authores, quorum classes, & nomina referuntur inter juniores Can. Carol. Tap. in Authent. *ingressi*, verbo *dedicent* DEO, & Petrus Dominicus Magdalenus in *l. de num. testium* 3. *parte Cap.* 1. *num.* 49. & inter Theolog. P. Sanchez *Tom.* 2. *de matri. disp.* 25. *lib.* 7. solum id quod ad paupertatis votum attinet breviter pertractabimus.

Potest Pontifex dispensare cum monacho in voto paupertatis.

Navarrus *Comment.* 1. *de Regul. num.* 17. & *de reddit. Eccles. mon.* 9. *num.* & *ibidem q.* 3. 11. affirmat summum Pontificem dispensare posse in voto castitatis, non tamen in voto paupertatis, non quia summus Pontifex id præstare non possit, si aliqua justa causa occurreret, tamen quia talis nulla occurrere potest, ideo licitè dispensare non potest. Nam cuilibet, ait, necessitati & utilitati, cui posset providere per dispensationem habendi proprietatem, potest provideri per concessionem facultatis habendi plenam administrationem bonorum, quæ sine dispensatione voti competere potest, ut de facto comperit Pontificibus Maximis de Religionibus assumptis ad monarchiam tam Ecclesiasticam quam sæcularem, quam habent, tanquam Reges Romæ, & hoc sine ullo vero dominio, aut proprietate.

Navarri opinio.

Quare hoc fundamento ductus Navarr. absolutè asserit nunquam Pont. Max. posse dispensare super voto paupertatis, quia non potest se offerre aliqua justa causa in tali voto dispensandi.

Posse Pontificem dispensare in voto solemni tam paupertatis, quam castitatis utriusque dispensatione.

Mihi verò imprimis certa veriorque sententia videtur illorum, qui affirmant Papam posse in voto solemni tam paupertatis, quam castitatis dispensare. Quæ opinio hodie communiter à viris doctissimis, gravissimisque defenditur.

Et nos 1. *parte* dicto *Cap.* 7. hujus facultatis dispensandi, quæ Summo Pontifici competit, hanc rationem assignavimus; quia ersi votorum solemnitas, quam in traditione perfecta, & to ali tum consi- batur.

consistere probavimus, sit quantum ad substantiam de jure naturali, & divino, cùm tamen hæc pendeat tanquam à conditione sine qua non, ex Ecclesiæ acceptatione (nulla enim traditio perficitur, si dein ejusmodi acceptatio) ad Eccles. Pastorem pertinet, qui DEI vices in hac gerit acceptatione, præscribere leges, & circunstantias in ea observandas, tam circa ætatem, tempus & modum, quàm circa alias professionis ceremonias. Præterea cùm ex hac Ecclesiæ acceptatione, & conditionibus ab ea præscriptis pendeat voti solemnis stabilitas, summus Pontifex traditionem illam perfectissimam, & perpetuam à Religiosis factam ea conditione tacitâ quasi admittere videtur, nisi Ecclesia aliud magis expedire ad majorem ejus utilitatem, & DEI gloriam prudenter judicaverit.

Respondetur objectioni.

Dices: undè colliges Ecclesiam hâc tacitâ conditione acceptare hujusmodi traditionem? Respondeo 1. id ex usu & praxi ipsius Ecclesiæ constare, quæ cum tempore urgentis necessitatis solvat hujusmodi vincula per dispensationem, signum est ipsam tempore acceptationis voluisse non absolutè, & in perpetuum acceptare, auferendo sibi potestatem dispensandi.

Respondeo 2. Quia cùm Ecclesia sit à Spiritu sancto edocta, & hac viâ possit faciliter, & prudenter providere multorum incommodis, & utilitati; credendum est Pontifices cùm dispensant in hujusmodi votis, fundari potiùs in hac tacita conditione, quàm aliis in juribus non ita apertis.

Impugnatur superadducta ratio Navarri.

Præterea mihi non placet sententia Navarri asserentis non posse Pontificè dispensare, ex defectu causæ justæ. 1. Quia potest casus contingere, in quo justissima offeratur Pontifici causa in voto paupertatis dispensandi. Ut si in aliquo regno deficiente vero successore fideli, ac Catholico, Regnicolæ nollent monachum alias verum successorem admittere (sive id jure vel injuriâ fieret) nisi omninò absolveretur à paupertatis voto; eâ ductâ ratione, nè regnum illud Ecclesiæ fieret, & ad Papam ejus dominium pertineret, ad quem forsan pertinere erat necesse, cùm eligendus in Regem monachus permaneret, quia eo ipso Ecclesiæ Summoque Pontifici omnia, quæ ubi obvenerint, acquirit, maximè cùm vasalli pertimescere possent, nè Pontifex posteà vellet incorporare regnum Ecclesiæ.

Neque evacuat difficultatem, quòd Pontifex concederet monacho plenam de regno disponendi facultatem; nam saltem, manente voto paupertatis, semper licitum est Superiori, à monacho, quidquid anteà concesserit, vendicare. Et quidquid pro solvenda hac ratione excogitet Navarrus, nunquam id poterit inconveniens effugere, ac ex consequenti si ex promotione monachi ad regnum communis Ecclesiæ utilitas sequeretur, non video justiorem aliquam causam, ut Pontifex posset jure dispensare. Secundò, quia Navar. concedit Summum Pontif. dispensantem in castitatis voto facere de Religioso non religiosum, ergò tunc dispensat etiam in voto paupertatis: Alienum enim à ratione videtur, non Religiosum ad paupertatem obligare, vel Religiosum cum paupertate sola concedere.

Nec obstat text. in dict. C. *Cùm ad monasterium*, nam non incongruè responsum illud *Innocent.* intelligi potest, non de summo Pontifice seu de Papa, sed de Episcopo. Pro cujus expositione illud observare par erit, monachos olim, & monasteria in potestate fuisse Episcoporum, ut habetur in Concil. Calcedonensi Can. 4. & refertur in Cap. *Quidam* 18. *quæst.* 2. Et in *Can.* 8. *ejusdem Concil.* eadem repetitur Constitutio, confirmataque est in Concil. Aurelianensi relato in c. *Abbates* 18. *q.* 2. Imò decreto *Concil. Nicen. can.* 14. monachus nullius effici poterat, nisi impetratâ licentiâ Episcopi. Et quemadmodum olim sine Episcopi consensu monachi in monasteriis non recipiebantur, sic neque ejici ab eis, nisi præmissâ Diœcesani consultatione, decreto Concil. Meldens. *Can.* 19. olim observabatur. Et quantum conjici potest, hujus Episcopalis obedientiæ jugum tempore *Innocentii* III. perdurabat. Nam in Concil. Lateranen. sub eodem *Innocentio* celebrato *can.* 12. cavetur, ut visitatores eligerentur, qui Apostolicâ authoritate monachorum & monialium domos visitarent, monerentque ibi Concil. Diœcesanos Episcopos, ut monasteria sibi subjecta ita studeant reformare, ut cùm ad ea prædicti visitatores accesserint, plus in illis inveniant quod commendatione, quàm quod correctione sit dignum.

Episcopi olim in nonnullis provinciis summi Sacerdotes ac Pontifices appellabantur.

Observandum præterea est, in Europa, & Asia Episcopos olim Summos Sacerdotes, Summosque Pontifices apud antiquos Patres fuisse nuncupatos. Breviter id Romanorum Pontificum, Conciliorum & SS. Patrum authoritate comprobatur.

Anacletus Papa in *Epistola* 2. *ad Episcop.* Italiæ agens de Episcoporum accusatione, & refertur in Cap. *Accusatio*, *q.* 7. sic ait: *Unde liquet quòd summi Sacerdotes*, id est, Episcopi, *à DEO sint judicandi, non ab humanis, aut pravæ vitæ hominibus lacerandi.* Et infrà: *Summorum Sacerdotum sibi Dominus judicium reservavit.* Cornelius Papa relatus in Cap. *Sacrament. secundo*, *q.* 5. Et Eusebius Papa adductus à Gratiano in Capit. *Manus quoque, de consecratione, distinctione quintâ.* Idem expressis verbis testantur: & quod majus est, Melchiades in *Epistola ad Hispanos Episcopos*, illos summos Pontifices appellat, dum ait: *De his verò, super quibus rogâstis vos informari, id est, utrum majus sit sacramentum manûs impositionis Episcoporum, aut Baptisma: scitote utrumque magnum esse sacramentum; & sicut unum majoribus, id est, summis Pontificibus accommodatum. Ita*, &c.

Zozimus præterea Pontifex in *Epistola* 1. *ad Esichium* Solonitanum Episcopum: Cùm ageret de tempore, quod singulis Clericorum gradibus erat definitum, postquam de Lectoribus, Subdiaconis, & Diaconis egerat, sic ait: *Exindè suffragantibus stipendiis ad presbyterii Sacerdotium poterit promoveri, de quo locoso si eo illum exactior adhonos mores vita perduxerit, summum Pontificatum sperare debebit*, id est, Episcopatum.

Idem perspicuè ex Concilio Agatens. 2. *Can.* 25. colligitur. *Si Episcopus*, ait, *Metropolitanus ad comprovinciales Episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem Summi Pontif. aut ad Synodum invitet, postpositis omnibus, exceptâ gravi infirmitate corporis, ac præceptione*

regiâ ad constitutam diem adesse non diffe-rant. Et ibi ordinationem summi Pontif. Episcopi ordinationem intelligunt Patres, non Pontificem Romanum, ut nonnullis placuit; Gallos enim Episcopos in civitate Agatha Galliæ Narbonensis ad eligendum Romanum Pontificem convenisse, quis dicat?

Et denique Isidorus *l. 7. Etymologiarum c. 12.* cùm multa doceret de Episcopis, *Pontifex*, ait, *Princeps sacerdotum est, quasi via sequentium, & ipse summus Sacerdos, ipse & Pontifex maximus nuncupatur. Ipse enim efficit Sacerdotes atque Levitas, ipse omnes Ordines Ecclesiasticos disponit.* Ex quibus doctissimus quidam Neotericus in confirmatione Concilii Illyberitani *l. 2. c. 30.* colligit, illa verba *prædicti cap.* Cùm ad Monasterium, *cum super habenda proprietate nec summus Pontifex possit dispensare*, intelligenda esse de Episcopo, non de summo Pontifice.

Quæ interpretatio licèt gravis acutaque sit, quia tamen à communi sententia & interpretatione Doctorum recedit, omissâ eâ, & aliis septem hujus loci expositionibus adductis à Medina *l. 5. de sacrorum hominum continent. maximè cap. 55.* verior receptiorque interpretatio est, Innocentium Papam in dict. Cap. *Cùm ad monasterium*, tantùm hanc facultatem cum monachis dispensandi Romano Pontifici denegâsse, monachis permanentibus in statu ac professione monachali. Hoc enim etiam summo Ecclesiæ Pastori non conceditur, proprietatem bonorum cum paupertatis voto, & matrimonium cum continentia unà & simul conjungere. Non tamen ibi Summo Romanoque Pontifici potestas aufertur, quo minus abdicatis monachus regulis, absolutisque à professione monachis possit eis bonorum proprietatem, & matrimonii usum concedere. Quod de facto plures Pontifices fecisse plures Historiographi scripsêre.

Quando & quo modo nõ liceat Rom. Pontifici in votis paupertatis ac continẽtiæ dispensare.

Hæc interpretatio communis est Canonistarum ferè omnium in d. C. *Cùm ad monasterium*, & alibi sæpè, eamque veram esse ex dicti C. contextu apertè licet inferre: quia ibi *Innocentius* contra Abbatem Sublacens. à majori conficit argumentum hac ratione. Si summus Pontifex non possit cum monacho dispensare, ergò neque Abbas. At certum est quòd Abbas, si in aliquo casu posset cum monacho dispensare, fuisset, manente illo monacho, cùm jura vinculaque monachatûs ipse non dissolveret: ergò in eodem sensu de dispensatione Pontificis loquitur. Quasi dicat: Pontifex non potest cum eo, qui verè monachus existit, dispensare; ergò neque Abbas. Tum etiam, quia ibi non fuit dubitatum, an Abbas posset monachum omninò paupertatis vori vinculo absolvere, sed tantùm, an posset monachis verè existentibus proprietatem aliquam indulgere, quod *Innocentius* eâ ductus ratione negat: Quia talem licentiam nec Summus Pontifex potest concedere monacho in sua professione statuque permanenti.

CAPVT IV.

An bona Religiosorum ipso jure post emissam professionem acquirantur monasterio?

BONA Religiosorum professione emissâ, nisi ante ipsam Religiosi de illis disposuerint, ipso jure transeunt in monasterium, si monasterium sit capax stabilium, sive immobilium bonorum. Ita cautum est utroque Jure & Canonico & civili, ut habet C. *Non dicatis*, ibi. *Cùm hujus nostræ Congregationis Fratres non solùm facultatibus, sed & voluntatibus propriis in ipsa Ordinis susceptione renunciaverint, & se per promissam obedientiam penitùs aliorum potestati subdiderint, certum est eos nihil habere, possidere, dare vel accipere sine Superiorum licentia debere.* Et Cap. 19. qu. 3. ubi sic dicitur: *Quia ingredientibus monasterium convertendi gratiâ, ulteriùs nulla sit testandi licentia, sed ut res eorum ejusdem monasterii sint, apertâ legis definitione decretum est.* Idem expresè decernitur Authent. *Ingressi.* Cap. de sacrosc. Ecclesiis. *Ingressi* (inquit) *monasteria, se suaque dedicant* DEO. Et in aliis juribus.

Fundantur autem hujusmodi Constitutiones in eo, quòd in consequentiam personæ bona debent venire: quare sicut persona transit in jus & potestatem monasterii, ita simul cum illa possessio bonorum. Præterea, quia in jure monasterium habetur loco filii, qui jure ipso succedit in paternis bonis, ut latiùs *priori parte hujus Tractatûs Cap. 5. & 6.* scripsimus; & hoc ipsum rationi consentaneum videbatur, ut optimè advertit P. Lessius *lib. 1. de just. & jure, cap. 41. dub. 10.* quia æquum nõ est, ut dum quis se totum tradit divino obsequio, res suas faciat servire mundo; & qui corpus suum tradit ad pœnitentiam, bona sua relinquat sæcularibus ad luxum.

Deindè, quia cùm in monasterio vivere, & ab eo alimenta monachus percipere debeat, par est ut illi potiùs res ejus cedant, quàm aliis, quibus nihil debet, & à quibus nihil expectat. Demum, quia cùm hi consilium Christi, ut dentur pauperibus, nullis pauperibus convenientiùs dare possunt, quàm iis, qui sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum, & qui possint recipere in æterna tabernacula, quales sunt Religiosi.

Dixi (*nisi ante professionem Religiosus testamento, vel aliâ viâ disposuerit de bonis suis*) nam tunc bona ejus, qui profitetur Religionem, debentur hæredi instituto, quem ante professionem legitimè instituerat; cum discrimine tamen: nam si hæres fuerit extraneus, & Religio bonorum capax non sit, statim ab emissa professione, ad hæredem institutum bona devolvuntur; si verò Religio sit bonorum capax, bona non debentur hæredi extraneo instituto, nisi secuta morte naturali monachi jam professi. Ita resolvit Covarruv. *cap. 2. n. 6. de Testam.* Unde si hæres moria-

tur

tur ante testatorem, evanescit dispositio, & bona spectabunt absolutè ad monasterium, nisi aliud expressesit testator. Ita Navarr. *Com. 2. de Regular. numer. 54.* & Covar. *loco citato, num. 11.*

Si verò filius instituatur hæres, tunc hæreditas statim tradenda est filio, sic Abbas, Io. Andreæ, Baldus, quos citat & sequitur Covarr. *C. 2. de Testam. num. 12.* & Navarr. *ut suprà. numero 48.*

Si autem is, qui profitetur, non habeat liberos, vel nepotes, qui sunt sui & necessarii hæredes, sed tantùm habeat patrem, vel matrem, avum vel aviam, idem quoque jus, secundùm probabiliorem sententiam, servandum erit, quæ placuit Bart. Iasoni in Authen. *Si qua mulier.* & nobilioribus Canonistis in Cap. *In præsentia*, de prob. Jure enim gentium patri legitima debetur ex bonis filii, sicut ex bonis paternis jure naturali, filio.

Dixi præterea (*si monasterium fuerit capax bonorum stabilium*) cujusmodi sunt Cœnobia Religiosorum, qui Mendicantes non sunt, & nunc ferè omnes Mendicantes, exceptis Monasteriis Minorum de Observantia, & Capucinorum.

Igitur si excipias has Religiones, ferè omnes aliæ capaces sunt hujusmodi successionis hæreditariæ, utpotè quæ loco filii à jure reputantur, ac proindè instituuntur hæredes, possessionemque bonorum acquirunt, quam primùm quis factus est monachus absque ulla apprehensione; in quo monasterium ab hærede extraneo distinguitur. Primò in eo, quòd monasterium statim post professionem, bonorum possessionem sibi comparat, extraneus verò non, nisi morte naturali monachi secutâ. Deindè quòd iste bonorum dominium non consequitur, nisi aditâ hæreditate, nec possessionem, donec eorum corporalem possessionem fuerit adeptus *l. Cum hæredu. ff. de acq. possess.* monasterium verò in monachorum bonis, non solùm dominium, sed etiam possessionem ipso jure acquirit, quia eorum persona in Abbatis potestatem transiit, nec potest ampliùs quicquam possidere, ut communis Canonistarum sententia docet in C. *In præsentia, de prob.* monasteria verò, quæ non habent hanc capacitatem, non succedunt jure ipso in bonis profitentium, ut latiùs prosequemur in *ultima parte hujus Tractatûs.*

Professi in Religione & liberos habuerit, quid jura permittant.

Illud verò circa hujusmodi acquisitionem ad monasteria capacia spectantem, primò occurrit notandum, ei, qui profitetur, si liberos habeat, permitti, si ante professionem bona in liberos non divisit, ut post professionem distribuat, non ut Dominus, sed ut administrator à jure ipso cõstitutus in hunc effectum, quo sensu accipiendus est textus in Cap. *Si qua mulier*, 19. quæst. 3. in quo decernitur licere Monacho liberos habenti, nihilque de suis bonis disponenti, postquam ingressus est Religionem, inter eos postmodum dividere, legitimâ portione cuique relictâ: quia, ut advertit Archidiaconus in *eo Capite*, communiter receptus, Monachus tunc non testari, sed inter filios distribuere videtur. Videndus est Navarrus *Comment. 2. de Regul. numero 48.*

Quid de bonis liberis seu fidei ō missō dicendum.

Præterea non solùm bona libera, professione emissâ, quando monachus nihil de suis bonis ante professionem statuerat, transeunt in Monasterium, sed etiam ea, quæ libera non sunt, ut fideicommissum, v. g. Si Monacho sit relictum fideicommissum cum gravamine, ut si absque liberis discesserit, restituatur alicui tertio, ut fratri, si iste gravatus Monasterium ingrediatur, monasterio acquirit, quia est instar filii, ut expressè cavetur dicto Cap. *In præsentia*, secùs si obligatus sit restituere in aliquam piam causam.

Quid de majoratu seu primogenitu rio.

Si vero monachus possideat majoratum, sive primogenia, quæ apud Hispanos sunt usu receptissima, in monasterium non transeunt, ut docuit Molina in *Tract. de Hispan. primog. lib. 1. cap. 1. numer. 71.* quia apud Hispanos hujusmodi primogenia ea lege & conditione instituuntur, ut bona in familia conserventur, & proximo cuique primogenito, per successionem in perpetuum debeantur, ac tradantur.

Quid de feudis.

De feudo tamen aliter sentiunt DD. Hi enim in *cap. 1. in præsentia de probat.* communiter existimant feudum monachi, post ejus ingressum, ad monasterium pertinere, quando ratione feudi ministerium reale debetur (pensio inquam pecuniaria, vel alia quęcunque res, vel quando personale obsequium debet exhiberi, sed tale quod honestè possit à Monasterio per se, vel per alium, in sui locum substitutum præstari; alioqui enim feudum finitur, & ad directum dominum revertitur; feudi tamen commoditas durat solùm ad vitam illius Religiosi, quo defuncto devolvitur ad hæredes proximos, quibus ex sua institutione debetur, vel si finitur, ad dominum directum revertitur.

Quid de usufruct.

Solet etiam quæri, an usus fructus, quem pater tempore professionis habet in bonis adventitiis filii-familias ratione patriæ potestatis monasterio acquiratur.

Duplex de eo sentētia.

Duæ sunt inter DD. opiniones, altera negat, quia per professionem Religionis solvitur patria potestas, ac filius sui juris & potestatis efficitur, igitur sibi acquiret, & non patri, quia jus acquisitionis fundatur, ut sæpè diximus, in hac patria potestate & subjectione filii-familias ad patrem.

Altera verò sententia tenet, Usumfructum Monasterio acquiri.

Plurimi sunt Authores pro hac sententia, quos refert Covarr. *ubi suprà*, & Navarr. *Comment. 2. de Regularibus, num. 38.*

Negativa videtur probabilior.

Mihi verò prior sententia probabilior apparet, cùm totum jus acquisitionis ad patrem spectans fundetur in illa patria potestate, ut *primâ parte, cap. 5.* pleniùs probavimus.

Quare usus fructus, quem pater habet ex alia causa in quibuscunque bonis, præterquam ex patria potestate, ad Monasterium pertinet, ut tam prima, quàm secunda sententia fatentur.

Ex quibus infertur, filio emittente professionem in Monasterio bonorum immobilium capaci, patrem statim amittere usumfructum, quem habebat in bonis adventitiis filii, ac cum proprietate consolidatum ad Monasterium pertinere, quia filius per professio-

nem desinit esse in patria potestate, quæ erat fundamentum acquisitionis paternæ, & transit in obedientiam & potestatem Abbatis, & hanc esse sententiam Glossæ, Baldi, Pauli, Decii, Innocentii, Hostiens. Jo. Andreæ, & aliorum affirmat Covarru. *dict. Cap. 2. de testam.* licèt ipse & Navar. *Com. 2. de Regul. num. 38.* & cum ipsis alii recentiores contrarium asseverent, eo ducti argumento, quòd professio facta à filio, juri patris anteà acquisito derogare nequit. Deindè, quia & si filius à patria potestate liberetur, non adimit jus, quod in bonis ejus anteà acquisierat.

His tamen non adeò urgemur, ut à priori sententia recedamus.

Nam sicuti filio à Principe emancipato, vel in servitutem simul cum suis bonis redacto, deterior fieret conditio paterna, etiam quantum ad jus quæsitum, à fortiori idem fateri debemus, solutâ per professionem patriâ potestate. Deindè quia pater, ut in superioribus diximus, habens usumfructum in bonis adventitiis filii amittit per professionem jus sibi anteà quæsitum, quia jus patriæ potestatis extinguitur, cur igitur hâc ipsâ patriâ potestate solutâ per ingressum filii, pater non amittet usumfructum?

Dubii incidentis solutio.

Sed, an filius Religionem ingressus, antequam professionem emittat, possit de suis bonis adventitiis ad libitum disponere adhuc vivente patre, in ipsis usumfructum habente, dubitari meritò potest? In qua dubitatione primò certum est, filium de bonis adventitiis, etiam de illis, quæ ad ipsum spectabant, antequam habitu Religionis indueretur, pro libito posse statuere, quoad dominium & proprietatem illorum. De usufructu verò major est ambigendi ratio; mihi tamen probabilior videtur illorum opinio, qui existimant filium non posse etiam de usufructu statuere quod voluerit, quia cùm non sit solutus ante professionem patriâ potestate, non poterit juri paterno derogare.

Plura alia disputant Scriptores in *Capite* In præsentia, *de probationibus*, & in *Authentica*, Ingressi, *C. de sacrosanctis Ecclesiis.* Hæc tamen breviter attigisse satis erit.

CAPVT V.

In quo alia, quæ ad hanc per monachos acquisitionem spectant, speciatim declarantur.

EX hac præterea generali & communi regula constat tam in ultimis voluntatibus, quàm in contractibus, monachum nihil sibi, sed monasterio omninò acquirere argumento *l. Placet, de acquir. hared.* & *d. Cap.* In præsentia, *de probation.* nec posse sibi sine proprietatis vitio quicquam reservare. Illud tamen in contractibus exercendis servandum à monachis meritò monet Navarrus *Comm. 1. de Regul. nu. 23.* quòd Religiosi etiam Canonici regulares, tam habentes, quàm non habentes beneficia, aut officia, ratione quorum facultatem habent emendi bona mobilia, seu immobilia, magnoperè cavere debent, nè comparent illa, etiamsi sint libri vel vestes, intendentes actu, seu virtualiter illa acquirere sibi; quia hoc esset peccatum mortale proprietatis.

Præterea circa prædictam regulam generalem, nempè *Monachus quidquid acquirit, monasterio acquirit*, & pro ejus intelligentia, primò recolere oportet, non esse ita intelligendam, quasi monachus primò sibi aliquid acquirat, hoc enim esse non potest, cùm incapax sit cujuscunque dominii, sed tantùm intelligi debet, quòd quidquid monachus acquirit, non acquirit sibi, sed monasterio, veluti instrumentum hujus acquisitionis, non aliter ac servus respectu Domini.

Secundò constituendum est, ea quæ monachus acquirit quoad verum dominium & proprietatem, monasterio vel Ordini acquiri, si aliàs sit capax dominii; quidquid in contrarium sentiat Navarrus in *Apologia quæst. 1. monito 24.* & *sequentibus. Comm. secundo de Regular. numero tertio*, & *de redditibus quæst. 3. monito 33.* existimans dominium horum bonorum non acquiri monasterio, sed DEO ac Domino nostro JESU Christo, administrationem verò eorum generalem, & præcipuam Summo Pontifici, particularem verò administrationem monasterio, vel Ordini, idemque censet de aliis Ecclesiasticis bonis.

Contrariam verò sententiam cum Adriano *de restitut. in quæst.* quæ incipit, *Proclarum intelligentia, conclus. quart.* Cajetano *2. secundæ, quæst. 43. articulo 8.* Turrecrem. *libro secundo Summæ, capite 113.* & noviſſimè Molina *de justitia & jure, Tomo primo, Tractatu secundo, disputatione 29.* & *disputatione 142.* veriorem existimo, nempè bonorum ecclesiasticorum dominium verè esse apud Ecclesias, vel monasteria, si illa sint dominii capacia, eorum verò jus administrandi apud Pontificem. Ratio est, quia quamvis hæc bona intuitu Christi à Fidelibus Ecclesiis vel Monasteriis sint collata, nihil obstat, quò minùs ea, quæ prædictis Ecclesiis veluti in dotem sponsæ Christi donata sunt, apud ipsas quoad verum dominium resideant.

Videndus est Molina *dictâ disputatione*, qui fundamenta Navarri solvit; Si verò Monasterium non sit capax dominii, tunc dominium esse apud Papam; detentionem verò & usum facti apud Monasterium, præsertim si sit Ordinis Minorum, ut habetur *Capite* Exiit. §. *Adhæc.* §. *Porrò.* §. *Præterea, de verb. signif.* Nam in aliis Ordinibus etiam incapacibus, non est inconveniens concedere, remanere apud monasterium verum plenumque jus civile administrandi.

Tertiò intelligenda est illa regula non solùm de acquisitis, à monacho jam professo, verùm etiam de illis, quæ ante professionem habebat: nam hæc professione ipsâ transferuntur in monasterium, ut dicitur in Authent. *Ingressi*; nisi aliàs monachus haberet filios legitimos, quia tunc servanda esset *Authentica*, Si qua mulier, *C. de sacros. Ecclesiis*, in qua decernitur patrem non posse, filiis exhæredatis, eorum legitimam monasterio dicare; cui dispositioni concordat *l. 17.*

tit.

tit. 1. *part.* 6. de quo latiùs DD. *dictâ Authentic.* Ingressi. & *dictâ Authent.* Si qua mulier. & in *Cap.* In præsentia, *de probat.* Et nè in hisce plus æquo detineamur, ad alia circa prædictam regulam observanda gradum faciamus.

Quartò advertendum, sæpenumerò non esse proprietatis peccatum nocere monasterio, in jure quærendo, quamvis in jure jam quæsito eidem nocere proprietatis vitium sit, videlicet non acquirere ei bona quædam, quando id commodè Religiosus facere posset, vel impedire aliquam aliam bonorum acquisitionem, ut docet Navarrus *Comment. 2. de Regul. n. 31. & 32.*

Quid de illu dicendum, qua Religiosus proprio labore aut industriâ acquirit.

Ex hacigitur regula infertur, etiam ea, quæ Monachus proprio labore & industriâ acquirit, monasterio acquirere; undè ea non potest sibi appropriare sine peccato: hinc, qui notabilis pretii imaginem sine licentia sibi pingeret, aut Codices exceptorios ad prædicandum, vel studendum scriberet, proprietarius esset judicandus. Ita Patrum traditione firmatur. Augustinus *serm. 1. ad Fratres in eremo: Nemo ex operesuo sibi aliquid appropriet, apostolicam enim vitam optamus vivere. Si quis autem contrà fecerit, furti judicio condemnetur.* Et in Reg. 1. c. 27. *Ita sanè, ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant.* Quapropter (ut ex *Cap.* 2. præcedenti constat) Religiosum quendam, quem certam sui laboris partem occultâsse idem Augustinus invenerat, post mortem fecit sacrâ sepulturâ privari. Idemque Ægypti Patres fecisse refert Hieronymus *loco ibi citato.* Cùm Augustino sentit Basilius in *quæst. fusiùs explicatis* quæst 61. in hæc verba: *Cùm enim semel visum est, neque manuum suarum dominum esse, sed alteri actionē suam gubernandam commisit, quomodo talis consentanea faciet, si in artis instrumentis authoritatem quærat?*

Undè Cassianus *l. 4. c. 14.* Benedictus *in Reg. c. 57.* Bonav. in *Spec. discipl. 1. parte, cap. 4.* Navar. Cap. *Non dicatis.* num 40. vers. *Dixi etiam*, prope finem. Turrecremata *eodem Cap. art. 5.* inter proprietatis actus numerant sibi ex proprio labore aliquid sine tacita vel expressa Prælati licentia usurpare. Ratio est, quia omnis Religiosorum labor in Conventûs cedit utilitatem, & quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit, ideòque ex labore suo non potest licitè notabilem sibi quantitatem applicare, hoc enim faciendo furtum committeret.

Et confirmatur primò, quia Religiosus (ut affirmat Navar. *de reddit. qu. 1. mon* 12. & Navarra *de restit. d. 3. c. 1. n.* 218.) ratione voti magis est dominii incapax, quàm servus; sed servus ex his, quæ proprio labore acquirit, non potest sibi sine peccato notabilē assumere quantitatem, igitur nec Religiosus.

Confirmatur secundò, quia si ex laborē manuum posset Religiosus quod vellet assumere, sequeretur posse illum sine Prælati licentia magnam supellectilem, resque valdè pretiosas suo labore effectas, aut comparatas possidere, imò & contingeret sæpè ditiores esse Religiosos aliis sæcularibus.

Advertendum tamen est, in multis eorum, quæ proprio labore & industriâ Religiosi acquirunt, facilitèr posse Prælati voluntatem in

sium favorem interpretari, maximè si in illa Religione probabiliter licent a tacita in similibus rebus præsumatur, v. g. si Codices exceptorios conscriberet, resque honestas & Religionis decorem coornantes; attamen si res turpes, aut impertinentes, sive etiam religiosæ gravitati, vel honestati contrarias, non posset prudenter prælator voluntatem interpretari. Idem dicendum censeo, cùm sermones, vel Theologiæ materias contra expressam Prælati voluntatem scribunt subditi, tunc enim nedum obedientiæ, sed & paupertatis votum infringitur.

Quid de injustè acquisitis dicendum.

De injustè verò acquisitis gravius dubium emergit: an ea monasterio suo monachi acquirant? Et ratio dubitandi est, quia cùm monasterium sit schola virtutum & Religionis, hos turpes quæstus, ut abhorreat, maximè convenit & necessum est, nè iniquitatem approbare videatur. Præterea, cùm jus & canonicum & civile sit ars boni & æqui, non est existimandum, ipsum similes acquisitiones ratas habere: pro qua sententia in simili casu maxima Juristarum pars resolvit, usuras jure prohibitas à filio acquisitas ad patrem minimè pertinere, neque quidquam aliud, quod ex flagitio filius comparavit. Ita Bartolus in *lib. Cùm oportet.* Codice de bonis quæ liberis. *num. 3.* Angelus, & Fulgosius, & alii *ibi*; imò quod ex alea filius acquirit, non pertinere ad patrem, ex communi opinione resolvit Riminaldus §. *Igitur. num. 77. per quas personas*, &c. & cum aliis Caldas in *l. Sicuratorem.* vers. *Lasis. num. 118.* & præter eum Gregorius Lopez in *lib. 5.* verbo, *usufructus, titul. 17. partic. 4.* & multis exemplis Palacios. *Rub. in repetitione rubricæ de donat.* §. 75. Ex quo etiam deducunt argumentum de quæsitis ab uxore, vel viro, constante matrimonio, ut intelligatur de justis & licitis lucris, non verò de illicitis & injustis, ut latissimè docet Marienco ad *l. 2. glossi. 1. à numero 81. titulo 5. lib. 5.* novi ordinationi, qui à fortiori eisdem fundamentis innixi idem de injustè à Religiosis acquisitis docere deberent; quā sententiam circa monachos expressè docuit Navarrus *Comm. 2. de Regularib. num. 4.* asserens monachum ex injustè acquisitis (& idem sentit de servo) nec sibi, nec monasterio acquirere; argumento *C fin. col. 2. de Regular.*

Contrariam sententiam tenet Soto 4. *lib. de just. quæst. 7. art. 1.* quem sequitur Molina *Tom. 1. de just. tract. 2. disput. 94.* qui in specie docent, monialem ea, quæ per fornicationem acquisivit, non minùs teneri redoere monasterio, quàm si labore manuum suarum ea comparâsset, cui sententiæ favet Accursius in *d. l. Cùm oporteat*, verbo *si ex substantia, C. de bonis, quæ lib.* ubi docet fructus à filio-fam. ex usuris provenientes, patri acquiri. Et expressè colligitur ex *l. per servum, 37. §.* sed ut sequens, *de acquir. rerum dominio*, ubi acquisita per servum etiam ex nummis furtivis, dominio acquiruntur, imò etsi jura expressè disponerent, illicitè acquisita à servo, uxore, filiofamilias domino, marito, aut patri non comparari, hæc juris decisio ad monachos minimè extendenda esset, quia illi non habent totalem, atque omnimodam reti-

nendi incapacitatem, qualem habet monachus, ratione voti paupertatis, & strictissimæ subjectionis. Si enim monachus voto paupertatis abrenuntiavit possessioni etiam eorum, quæ licitè poterat acquirere; quantò potiori jure dominium non licitè acquisitorum à se discussit? ob quam rationem crediderim, prædictos primæ sententiæ Authores, licèt de filio familias, uxore & servo fuerint apertè locuti, ad monachos eorum mentem non esse extendendam.

Mihi verò nulla harum opinionum eo modo nudè considerata probatur. Quare distinguendum existimo de illicitè acquisitis, ut in simili ferè casu D. Thom. distinguit *2.2.q.32. art.7. In corpore*, agens de filio-familias. Nam vel sunt illicitè acquisita, justè verò possessa, ut solent esse ea omnia, quæ quàmvis turpi quâdam actione conquirantur, ea tamen acquirens justè possidet, ut sunt bona meretricum, &c. & ea, quæ moniali ob hanc etiam turpem causam darentur, & de his nulla potest esse dubitatio, quin ad monasterium pertineant; & in hoc sensu accipienda est secunda sententia; alia verò sunt bona, quæ illicitè & acquiruntur & possidentur: ut si Religiosus usurâ vel furto rem comparet, in quo sensu vera est prima sententia, quâ distinctione uti etiam oportet in his, quæ injustè à servo vel filio-familias acquiruntur.

CAPVT VI.

An si fiat donatio Monacho, vel relinquatur ipsi legatum, eâ conditione, ut nihil monasterio acquiratur, teneat hujusmodi legatum aut donatio?

HAnc dubitationem movit Abbas Panormit. *2. parte consil. 44.* & in *Cap. Monachi, de statu monachorum*, ubi Bartoli sententiam in *Authent.* excipitur *Cap. de bonis, quæ liberis*, secutus, tenet eam conditionem, nisi illam rectè interpretemur, aliquid impossibile continere, nimirum, ut aliquid sit monachi, quod monasterio minimè acquiratur; & proindè talis conditio videtur donationem vitiare, ex *l. Ubi pugnantia. ff. de reg. Iuris.* Addit tamen supradictus Author, ea verba sic intelligi debere: Relinquo Titio monacho hæc & illa bona, ita tamen nè monasterio acquirantur, hoc est, ut monasterium patiatur ac sinat, eorum bonorum Titium administrationem habere, sive quod idem est, ut Titius administrationem & usum habeat, monasterium verò dominium acquirat: ac rursus, ut Titius habeat administrationem & usum, quem tamen ad nutum Abbas possit, quando voluerit revocare. Ita præter Authores citatos docuerunt Baldus in *C. Clericis, de judiciis.* Sylvester *verbo* Religio 8. *num. 5.* Azorius *lib. 12. Instit. moral. c.10. versu Tertiò quæritur.* Emma. Rodericus *Tom.2.qu.Regul.q.125. art.2.* & in eam sententiam inclinat Navarrus *de Regul. Concil. 75. nu. 49. & 50.*

Vide P. Lezanâ tom.1. qq.reg. cap.6. n.34.

Quòd si inquiras, quid sit judicandum, si in conditione exprimatur, ut nihil juris monasterio acquiratur. Respond. ex sententia Bartoli & aliorum, tunc ratum & firmum esse legatum, quia debet intelligi sano modo, scilicet, ut monasterium patiatur monachum habere administrationem legati, eo modo quo potest, scilicet consentiente Abbate, & licet nihil acquiritur monasterio, respectu utilitatis, quàmvis acquiratur respectu juris, imo & si legatum relinqueretur eâ formali & expressâ conditione, ut taliter commoditas & usus ad monachum spectarent, ut nullatenus à Prælato auferri, vel super his molestari ab eo posset, etiam tunc secundum mentem prædictorum Authorum validum erit, quia tantùm continet, ut Prælatus permittat monacho legatarium de bonis sibi relictis disponere in proprios & necessarios usus, & hoc minimè paupertatis naturæ repugnat. Præterea si legatum esset relictum eâ conditione, ut prohibito Religioso ad quoscumque usus eo uti posset, adhuc ad monasterium pertineret, & eo monachus uti non posset, nisi dependenter a voluntate Prælati, quia cùm illa conditio ut turpis, & contra voti paupertatis naturam, habeatur pro non scripta, argumento text. in *l. Centum. ff. de oper. liberorum.*

Si verò Prælatus nollet consentire, ut monachus in tali casu habeat administrationem & usum, legatum aut donatio nullius erit momenti, quia conditio non impletur, quæ erat, ut monachus, consentiente Abbate, administrationem haberet.

CAPVT VII.

In quo de variis casibus & Religiosorum statibus, quantum ad acquisitionem, differitur.

ABsoluta jam generali illâ disputatione de acquisitione, quæ monasteriis competit, reliquum est ut speciatim ad alios Religiosorum status descendamus, varios alios casus enumerando, quando, inquam, monachi hoi, quando verò monasterio, & cui monasterio acquirant; & antequam ad ulteriora progrediamur, quærendum erit,

DVBIVM I.

An professus Religionem in certo Monasterio, acquirat illi, an verò alteri ejusdem Ordinis?

RESPONDETUR: Si de jure communi loquamur, illi tantum acquiri, in quo profitetur, ut rectè probat Navarrus *Com. 2. de Regularibus, num. 5.* & Abb. Panorm. *Cap.* In præsentia, *de probat. num. 103.* Quia jure communi, & juxta Regulam S. Benedicti quodlibet Monasterium est in cura & potestate Abbatis, & Abbas subjicitur Episcopo ut Superiori, in cujus Diœcesi Monasterium est constitutum; unde jure communi & antiquo quilibet Monachus acquirit illi monasterio, cujus est monachus; illius autem monasterii censetur monachus, cujus est filius; ejus verò filius, in quod ingressus

Religiosus acquirit illi monasterio, cujus est Religiosus, & cujus monasterii censetur Religiosus.

sus est, & professus monasticam Regulam, ac proindè illi monasterio acquirit, & hoc etiam de facto contingit ferè in omnibus Ordinibus Monachalibus, in quibus sunt in usu hujusmodi filiationes.

Aliud consendum de Mendicantium Ordinibus.

Cæterùm in Ordinibus Mendicantibus, & in similibus aliis, in quibus multa monasteria in una Provincia subjiciuntur Priori Provinciali, & omnia Ordinis Generali; Monachus, qui professus est in uno monasterio, potiùs acquirit universo Ordini, quàm illi monasterio, licèt bona eidem monasterio regulariter applicentur (vel consuetudine id fiat, vel Constitutionibus illius Ordinis) ei in quo profitetur. Ratio est, quia in his Ordinibus non sunt similes filiationes, ut in Ordinibus Monachalibus, ac proindè cùm profitetur Regulam, non profitetur se filium & monachum illius Cœnobii, sed totius Ordinis.

Et confirmatur, quia cùm post emissam professionem hujusmodi Religiosi indiscriminatim designentur à Superioribus Conventuales in universo Ordine, & Monasteria alia sæpissimè onerentur ægrotis, & aliis Monachis minus idoneis ad obsequia Religionis, consentaneum videbatur, ut illorum bona priori monasterio applicata, possent etiam indiscriminatim à Generali totius Ordinis distribui, attentâ indigentiâ aliorum monasteriorum.

Præterea hoc confirmatur, quia cum in una Provincia in Religionibus reformatis soleat esse tantùm una aut altera domus Novitiatûs, iis tantùm Monasteriis obvenirent hæreditates & legata ingredientium, cæteris monasteriis nihil horum acquirentibus, ac proindè fieret injuria Professorum domibus, quare ad Generalem similium Ordinum, imò etiam ad Provincialem spectat applicare bona hujus monasterii aliis, inspectâ æquitate & necessitatibus singulorum, ut in specie docuit Azorius *Tom. 1. Instit. moral. l. 12. c. 10.*

Quid ergò de acquisitione monachi dicendum erit, quando monasterium proprium illius, & alia Religionis destructa sunt; cui nempè tunc monachus acquiret? Glossa Hostien. I. Andreæ, Felinus, & alii in *Cap. Cum dilecta, de rescriptis*, affirmant illa bona debere esse communia universis illius Ordinis monachis. Quòd si unus monachus solus remaneret, tunc certum est, illa pertinere ad Summum Pontificem, qui est Superior Generalis omnium Religionum, cujus arbitrio expendi deberent.

Quid de Fratrib. Observantibus & Capucinis.

Majus tamen dubium est de Religiosis Franciscanæ familiæ, qui vulgò Observantes vel Capucini vocantur, qui nihil privatim; neque in communi tanquam proprium possidere queunt, cuinam acquirant, cùm eorum Cœnobium bonorum mobilium, aut immobilium minimè sit capax? Sed de hoc diximus suprà, ostendentes usum facti, sive administrationem, esse apud monasteria; ipsum dominium verò & jus administrandi apud Summum Pontificem.

DUBIUM II.

De Religioso assumpto in Episcopatum.

RATIO dubitandi est, quia monachi ad Cardinalis vel Episcopi dignitatem assumpti, liberè quasi veri Domini disponunt de bonis Ecclesiasticis, neque acquirunt quicquam sui Ordinis monasteriis; adde, quòd Episcopi aliquando sunt Comites, Marchiones, vel Duces, & proindè domini rerum ad illam dignitatem pertinentium.

Magister Soto *lib. 10. de Justitia, q. 5.* putat Episcopos regulares liberos esse sive dispensatos in voto paupertatis; quia Episcopi ex monachis creati non aliter obtinent portionem sibi assignatam, ac Episcopi sæculares, qui verum habent dominium suæ portionis, & præterea quia in C. *Statutum 18. qu. 1.* decernitur, Episcopos habere jus successionis hæreditariæ. Ac denique, quia Pontifex interdum Episcopis è familia monachorum assumptis, solet concedere facultatem condendi testamentum.

Contraria tamen sententia verior est, Episcopos voto paupertatis non esse absolutos, sicut nec voto obedientiæ, ut expresè docet D. Thom. *2. 2. q. 88. art. 11. ad 4.* & *quæst. 185. art. 8.* ac ex consequenti, Episcopi eorum, quæ post dignitatem Episcopalem acquisierunt, non habent verum dominium: habent tamen plenariam potestatem, ut his liberè utantur, dum vivunt; post mortem verò illorum, ad Ecclesiam, in qua sunt Episcopi, non verò ad monasterium pertinebunt, ut habetur in C. *Statutum. 18. q. 1.* & C. *Ne pro cujuslibet. 16. q. 1.* juncta glossa verbo, *sacrum*, quam opinionem secuti sunt Innocent. Hostien. I. Andreæ, Ancharranus Card. & Panorm. in C. *Cùm olim. 2. de privilegiis*; estque opinio D. Thom. *2. 2. q. 185. art. ult. ad 3.* quem sequitur Turrecremata in C. *Nulli. 12. q. 5. in responsione ad 5. n. 73.* & Navarrus d. c. *Non dicatis*, nu. 6.

Vid. nost. Andream à Matre Dei Tō. 3. curs. Theolog. moral. Tract. 12. cap. 2. punct. 11. §. 3.

Neque his obstat Episcopos liberè disponere de bonis acquisitis, quia ad hoc non requiritur dominium, sed sufficit, si habeant administrationem, qualem Canones eis permittunt, tum ad suam sustentationem, tum ad pias causas. Neque enim obstat d. c. *Statutum*, in quo M. Sotus fundatur: nam ibi solùm decernitur, monachum factum Episcopum quidquid postea acquirit, Ecclesiæ, cui præest, acquirere, non verò monasterio; cujus rei ea redditur causa, quòd sit à Regula monastica, hoc est, à Prælatorum obedientia absolutus, quasi dicat, non sicut anteà monasterio acquirit, non tamen ex hoc sequitur sibi acquirere. Deindè jus successionis non acquiritur denuo per Episcopatum; nam illud ei etiam anteà existenti monacho competebat, & ita sicut anteà hæreditas paterna ad Monasterium deveniret, si ei in Monasterio commoranti contingeret, ita quòd acquirit post Episcopalem, aut Pontificiam dignitatem non sibi, sed Ecclesiæ acquirit.

Demum Pontificis authoritate possunt Episcopi condere testamentum; nam cùm facultas disponendi de suis bonis in pios usus

duret usque ad mortem, possunt tunc Principis, nempè Ecclesiastici, authoritate distribuere in eos, quos Episcopi maluerint, dummodo honesti sint & utiles.

DVBIVM III.

De Monachis beneficia ecclesiastica obtinentibus.

REGULARES non solùm sunt capaces sui Ordinis beneficiorum, ut sunt Abbatia, Priotatus, Parochia Monasterio annexa, sed & jure communi beneficiorum aliquorum sæcularium, ut Episcopatus, C. *Nullus Religiosus, de electione*, & etiam eorum, quæ annexam habent curam animarum, ut habetur C. *Doctos, 16. q. 1.* imò & dignitatis in Ecclesia sæculari, ut Præposituræ & Decanatus, si propriè habent curam animarum, & meritò hoc illis concessum est, quia ratione hujus curæ ad similia beneficia præ aliis sunt idonei. Ad Canonicatum verò, & alia beneficia sæcularia, quibus non e tanne xa animarum cura, jure communi sunt inhabiles. Ita Panorm. in C. *Super eo. de Regular.* & C. *Quod Dei timorem*, de stat. Mona.

Religiosus beneficiatus non monasterio, nec Ordini, sed suæ Ecclesiæ acquirit.

Dubium igitur est, cuinam Religiosus beneficiatus ex beneficii redditibus acquirat. Respondetur, ipsum non Ordini, nec Monasterio, sed suæ Ecclesiæ acquirere. Colligitur ex *Cap. Statutum, 18. quæst. 1.* Ubi, ut in superiori dubio annotavimus, dicitur quòd Episcopus, qui absolutus est ab obedientia & Regula Monastica, non Monasterio, sed Ecclesiæ acquirat. Sed idem juris videtur esse in Religioso translato ad Ecclesiam, vel beneficium, quia desinit esse sub obedientia & potestate Prælati & Monasterii, quibus antea superat, & incipit subesse Ordinario, cui illa Ecclesia subjecta est, secundùm glos. in *Clem. 1.* verbo *clanstrum*, de stat. Monachorum.

Quam commendant Panormitan. & Joan. Andreæ in *Cap. Monachi, de statu Monachorum*, quos refert & sequitur Navarrus *Comm. 2. de Regul. num. 6.* & *de redditibus quæst. 3. monit. 11: num. 1.* ubi extendit hanc sententiam ad quodcunque beneficium etiam regulare. Hoc autem verum esse arbitror non solùm de redditibus Ecclesiasticis, sed etiam de bonis acquisitis à Monacho beneficiario ex industria, arte, labore, vel opera sua, vel donatione aliorum, quia non est sub obedientia Ordinis, ut decernitur dicto C. *Statutum*.

Et quod magis est, Navarrus *ubi suprà num. 6.* extendit ad beneficium quodcunque etiam regulare, etiamsi sit ad nutum Superioris amobile, qualis est Abbatia extra suum Monasterium, aut Parœcia illi Monasterio annexa, undè Prælatus non potest illi pensionem de novo imponere, vel fructus in utilitatem monasterii convertere.

Ex quibus meritò infert Navarr. *Comm. 2. de Regul. num. 10. & 11.* monachum beneficiarium posse disponere de fructibus beneficii ad honestam sui sustentationem, & ad pias causas, non aliter ac sæcularis potest de fructibus beneficii sui; quam sententiam profitetur esse usu receptissimam, & aperte insinuari in *Clement. 2. §. Sed & talis, de vita & honest. Clericorum*, ubi assignatur differentia inter Regularem simplicem, & beneficiarium, quòd hic absque facultate Superioris possit immediatè in opera pia impendere, ille verò non possit. Hanc tamen Navarri sententiam veram existimo, si loquamur de Regularibus, qui exempti sunt ab obedientia Prælatorum, nec subsunt Prælato regulari, vel de his, quibus à summo Pontifice collatio est facta; verùm non est ita certum de aliis, qui ad nutum Prælati possunt amoveri. Nam quàmvis Prælatus non possit imponere beneficio novam pensionem, tamen postquam ex beneficio, inferior fructus aliquos percepit, quos in commodum suæ ecclesiæ non erat impensurus, non videtur à ratione alienum, ut prælatus de illis possit statuere, vel præscribere modum expendendi, quia revera hujusmodi reputantur quasi officiales Monasterii vel Abbatis, quibus illa obedientia commissa est.

DVBIVM IV.

De Monachis extra Monasterium degentibus.

Qui annuli dare in Ia Epist.

DE Monachis extra Monasterium degentibus, qui justa de causa facultate obtentâ à Summo Pontifice, vel altero Superiore, extra claustrum vivunt, dubitari meritò potest, cui acquirant? In qua dubitatione primò statuo, attendendum esse an simul habeant facultatem convertendi in suos usus ordinarios pios, ea quæ operâ suâ & industriâ acquisierint; & tunc non est dubium quin possint disponere in vita de bonis acquisitis, post eorum verò mortem cedunt monasterio, nisi facultatem habeant peculiarem à Summo Pontifice de his testandi. Ita Navar. *Cap.* Nondicatis, *nu. 72. & 73.* quem sequitur Molina *Tom. 1. de justit. & jure, Tract. 2. disp. 140.* qui etiam censet facultate à Summo Pontifice concessâ alicui Professo degendi in sæculo per totam vitam, eo ipso censeri illi concessam facultatem administrandi bona, quæ suâ industriâ acquisierit, & de illis disponendi, etiam per donationes suo statui convenientes: Non verò ita amplam, quàm eis Navarrus concedit, nempe ut cappellas de bonis acquisitis possint instituere, & similia alia.

Vide Tom. 1. Lezan. qq. lo. gular. 16. n. 2

Secundò existimo Religiosum, qui Romani Pontificis consensu extra Monasterium vivit, ex certa pensione in singulos annos sibi assignata, posse disponere de fructibus hujus pensionis in suum commodum & sustentationem, post ejus verò mortem bona ejus spectant ad Summum Pontificem, quia dominium & proprietas pensionis & fructuum pertinet ad Pontificem, cujus etiam permissu aliquando Religiosus facultatem habet, ut fructus, qui supersunt, impendat in usus honestos, quos ipse voluerit, Azorius *Tomo 1. lib. 12. Instit. Moral. c. 10.* & adducit pro sua sententia Navarrum *Comm. 4. de Regular. num. 68.* licèt Navarrus in contrariam videatur inclinare sententiam. Nec tantùm ea bona, quæ expensione sibi collatâ acquirit, ad Pontificis liberam voluntatem spectant, quantum ad dominium, sed etiam cæterorum omnium, quæ sibi jure hæreditario,

Vide nost. An dream Tract. 12. de justiti & jure cap. 2 punct 12. §. n. 20

tario, donatione, arte, industriâ, labore, sive alio modo acquisierit, dominium Rom. Pontifici acquiritur, usus verò & administratio ad ipsum Religiosum, non verò ad Religionem spectat; quia cùm exemptus sit ab obedientia sui Ordinis, nec bona proveniant ex beneficio ecclesiastico; non Ordini, neque Ecclesiæ acquirit, sed Summo Pontifici; ita Navar. *loco citato*.

Tertiò dico, Religiosum ex ra Monasterium degentem, non in perpetuum, sed ad tempus, non habentem beneficium Ecclesiasticum, aut pensionem ullam, regulariter Monasterio acquirere. In quibus oportet considerare facultatem sibi à Superioribus, vel à Summo Pontifice concessam quantum ad dispositionem, vel administrationem bonorum, & secundùm eam in usus sibi necessarios, vel pios disponere, cætera verò bona, quorum dispositio libera ei non est commissa, non sibi, sed Monasterio acquirit; adhuc enim non dicitur exemptus ab obedientia sui Ordinis. Hæc autem quæ diximus circa bona Religiosorum decedentium, ac extra propria monasteria degentium, nempè quòd ad propria eorum monasteria pertineant, intelligenda sunt de jure communi antiquo; Posteà verò *Paulus IV.* in Constitutione, quæ incipit, *Postquam divina*, decrevit bona Religiosorum, qui egrediuntur, vel ejiciuntur, vel ad alium Ordinem transeunt, vel etiam suorum Superiorum contensu extra Cœnobia & claustra commorantur, undecunque vel quomodocunque fuerint acquisita, sive ex testamento, sive ex beneficio, sive ex industria & arte, mercatura, negotiatione, seu aliorum donatione ipsis monasteriis, deberi, in quibus illi primò professionem emiserant.

At quia ista Constitutio *Pauli IV.* usu recepta non fuit, ideò *Gregorius XIII.* in Constitutione, quæ incipit, *Officii nostri*, &c. constituit, ut hæc Religiosorum bona ad Cameram Apostolicam tanquam spolia pertinerent, quam citat Navarrus *Tomo 1. consiliorum, tit.* de donationibus, *consilio* 10. *num.* 3. secundùm novam editionem, & apertiùs *Tomo 2. Institution. moral. lib.* 8. *cap* 3. *prope finem*; quod crediderim intelligendum de Religioso ex Superioris facultate ad tempus extra monasterium commorante, & beneficium ecclesiasticum, seu pensionem habente.

DVBIVM V.

De Monacho translato ad aliam Religionem.

Vide nost. Andream Tract. 12. de justitia & jure cap. 2. punct. 12. §. 5. n. 205.

DE Monacho transeunte ad aliam Religionem, an etiam cum ipso transeant bona, distinguendum puto cum Menochio *Tom.* 1. *de arb. jud. quæst. casu* 436. *de propriet. & usufructu*. Si loquamur de bonorum proprietate, & Religiosus sine justa causa, & sine authoritate Prælati fuerit translatus, tunc bona jam primo Monasterio acquisita non transferentur ad secund. quia translatio hæc debet fieri mediâ professione: Hæc autem est invalida & nulla, & ita non competit Monasterio jus acquirendi; ita tenet Sylvester, *verbo*, Religio, 4. *quæst.* 10.

Si verò translatio fuit juridica, tunc transeunt & bona ad secundum Monasterium, quia bona videntur acquisita primo Monasterio in consequentiam personæ; ergò transeunte personâ transire debent bona. Præterea, quia bona acquiruntur Monasterio sub quadam conditione, donec in eo erit Religiosus. Ita tenent communiter Canonistæ, licèt Sylvester *ubi suprà*, P. de Perusio in *Tract. de mutat. stat. eccles. c. num.* 1. & alii, quos refert & sequitur Molina *Tom.* 1. *de just. & jure, tract.* 2. *disp.* 140. distinguant de bonis, & ea, quæ ante secundam professionem pertinent ad talem Religiosum, asseverent esse prioris Monasterii; quæ verò post secundam professionem comparaverit, ad secund. pertinere, idque existimant colligi apertè ex *Cap.* Statutum, 18. *qu.* 1. quæ sententia probabilitate non caret.

Si verò loquamur solùm de usufructu bonorum, & transitus fuerit justis de causis, tunc usus fructus erit Monasterii, in quo emisit secundam professionem. Si verò sine justa causa, tunc remanet apud primum Monasterium; cum Monacho verò translato in aliud Monasterium, & ibi in pœnitentiam recluso, tantùm fructus transeunt in secundum Monasterium in alimenta; transacto verò tempore consolidantur cum proprietate, & pertinent ad primum Monasterium, ita Menochius *ubi suprà*, Panor. Covarr. & alii citati à P. Molina *loco suprà citato*.

DVBIVM VI.

De Monachis fugitivis, apostatis, & expulsis à Religione.

Vide supra cit. *Andr.* n. 208.

MOnachus fugitivus & apostata sive deponat, sive non Religionis habitum, Monasterio acquirit; ita colligitur ex *Cap.* Quanto, *de off. ordinarii*, ubi tenet Hostiens. I. Andr. Ancharanus, & communiter omnes ibi scribentes; & ex *Cap.* Abbates, 18. *q.* 2. quibus subscribunt Navarrus *Cap.* Non dicatis, *num.* 65. Sylvester, *verbo* Religio, 4. *q.* 10. Carolus Tapia in *Authent.* Ingressi, *verbo sua. c.* 7. *num.* 10. Ratio est, quia non est adhuc exemptus ab obedientia, & ita sicut servus fugitivus, quicquid acquirit, Domino acquirit.

Major tamen dubitandi ratio est de Monachis à Monasterio expulsis, cui nempè & quomodo acquirant. In quo variè loquuntur Authores. Navarrus *Cap.* Non dicatis, *num.* 33. distinguit inter ejectum justè, & ejectum injustè. Ejectus injustè acquirit Monasterio, quia per ejusmodi ejectionem injustam non est præcisus ab eo, nec delictum Prælati potuit Monasterio nocere. Pro qua sententia citat Panormitanum in *Cap. fin. num.* 3. *de Regular.* Si verò justè fuerit ejectus, non videtur acquirere Monasterio. Et ratio Navarri mihi placet, quia valdè consona est his, quæ superiùs adduximus, nempè quia tunc Monachus desinit esse membrum obedientiæ illius. Quare non acquirit Monasterio, cui anteà erat addictus, radix enim acquisitionis & translationis bonorum

norum in Monasterium est obedientia, quâ sublatâ optimè colligit Navarrus cessâsse jus acquisitionis Monasterio. Hanc opinionem tenet Panormitan. in *d.c fin.* & in *c.1. sub finem*, de infantibus expositis, & Henr. Boick in *d.c. finali*, & in *Cap.* Quanto. *de off. Ordinarii*, ubi communiter idem censent Canonistæ. Quibus favet Innocent. in *Cap.* Cùm olim. 2. *de priv. nu.* 3. & ibi Hostiensis & Joannes Andreas *num.* 3. Car. & Hen. Boick *num.* 4. Archidiaconus in *Cap.* Abbates, *num.* 7. & 10. quàmvis contrarium immeritò renuerit P. Molina, *ubi suprà* eâ ratione ductus; quoniam Monasterium per justam ejectionem amittere non debet jus, quod ad illa bona habebat, quinimò cùm Monasterium amiserit jus & potestatem in personam, mirum non est, quòd etiam in bona amittat, & quàmvis teneatur se reddere dignum, ut iterum admittatur, dum tamen non admittitur, membrum præcisum est, ac separatum.

Objectio. Sed dices, expulsus adhuc manet Religiosus, cùm teneatur servare vota castitatis, obedientiæ, & paupertatis, prout status ille permittit, cui ergò tunc acquiret, si Monasterio non acquirat? Navarrus affirmat quòd acquirit novum dominium DEO & jus administrandi ejus Vicario, nempè Papæ, quamvis etiam ibi significet Monachum non exemptum Episcopo acquirere, quia illi ex voto obedientiæ tenetur obedire eo modo, quo anteà tenebatur obedire Prælato Monasterii, & ob id acquiret Episcopo; in quam sententiam inclinant Canonistæ citati.

Respons. Mihi verò inprimis non placet, quòd Monachus ejectus acquirat Episcopo: Quia si ob aliquam rationem deberet acquirere, maximè quia est sub ejus obedientia ita strictè, ac anteà erat sub Prælato Regularium, quæ ratio insufficiens est; quia Religiosus, cùm ad talem Episcopi obedientiam non fuerit ratione voti ad strictus (durum enim videtur, & contra praxim in Ecclesia receptam, ut optimè docet Molina *ubi supr.* eos ad tam arctam obedientiam Episcopis præstandam teneri, quare non aliter ac alii Clerici sive personæ Ecclesiasticæ Episcopis obedire tenetur) non video rationem, aut titulum sufficientem, in quo possit fundari hæc Episcopo acquisitio: unde cùm nec ratione voti obedientiæ, nec ex alia parte jure aliquo constet Monachos sic ejectos Episcopo acquirere, sine fundamento fingitur talem acquisitionem ad Episcopum pertinere.

Quare probabiliùs mihi videtur quòd Monachus ejectus acquirat proprietatem & dominium Papæ, quia cùm Pontifex sit Generalis omnium Religionum, illique tacitè Religiosi arctiori vinculo, quàm alii Christiani ratione voti obedientiæ, obedire teneantur; optimè sequitur eorum bona ratione superioritatis, sive voti obedientiæ ad Papam immediatè pertinere: ejectus verò dum vivit, habet bonorum administrationem, & ad suam congruam sustentationem, & ad pias causas, imò & ad competentes suo statui donationes faciendas; nequit tamen testamentum condere.

CAPVT VII.

An Religiosus sit capax alicujus juris.

CUm latissimè pateat hoc quæsitum, non breviter ea annotabimus, quæ magis ad præsentem tractationem conducunt, & ante omnia præmittemus non immeritò dici Religiosos incapaces dominii rerum tantùm temporalium, quia à dominio, vel quasi dominio jurium & bonorum spiritualium nullâ ratione excluduntur. Nam Monachi beneficium obtinentes habent dominium & possessionem suorum beneficiorum & possunt agere nomine proprio pro eorum dominio obtinendo, & pro adipiscenda aut retinenda eorum possessione.

Potest etiam simplex Religiosus agere nomine proprio super jure eligendi sibi competente: idem censendum de jure alimentorum, aut manendi in tali vel tali Monasterio, ut latiùs prosequitur Navarrus *q.1. de reddit. Mon. 9.* & *Comment. 2. de Regul.* Et ratio est, quia per votum paupertatis Religiosi non renuntiant bonis spiritualibus, nec juribus prædictis aut honoribus, qui pro his debentur, sed tantùm temporalibus, ut expressè docet D. Thomas *q.18.6.art.7.ad 4.* his verbis: *Honori ergò, qui DEO & Sanctis omnibus exhibetur propter virtutem, ut dicitur in Psal. 38. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui DEVS, non competit Religiosis abrenunciare, qui ad perfectionem virtutis tendunt.* Videndus est *ibidem* Cajetanus.

An verò Religiosus jus habeat eligendi sepulturam, solet dubitari ab aliquibus; & quæstio procedit de Religiosis, qui extra monasterium sub obedientia tamen Superioris degunt, cujus dubitationis ea est ratio & vera resolutio. Religioso non competere jus eligendæ sepulturæ, habetur expressè in *capite* Licet, *de sepult. in 6.* ubi decernitur Religiosos nisi à propriis Monasteriis adeò forsan sint remoti, ut ad ea, cùm moriuntur, commode deferri non possint; cùm velle vel nolle non habeant, non posse sibi eligere sepulturam, sed esse apud sua monasteria sepeliendos. Et quàmvis servo vel filio-familias concedatur eligere sibi sepulturam, aliud jus est in Religioso; quia in his etiam, quæ spiritualia sunt, Religiosus sæpè Superioris voluntati subjicitur, servus autem vel filius-familias domino vel patri non item. Videndus est Navarr. *Com. 2. de Regul. n. 43.*

An verò Religiosus possit esse fidejussor, aut tutor, saltem miserabilium personarum, controverti etiam solet à multis; utriusque tamen difficultatis negativa pars videtur certa, nempè Monachum absque Superioris consensu, neque fidejussorem, neque tutorem fieri posse: non primum; quia nihil proprium habet quod alteri obliget: & præterea, quia, ut habetur *Instit. de fidejussionibus, in princ.* Is solummodo fidejubere potest, qui liberam suorum bonorum administrationem habet; non secundum, quia ex tutelæ administratione oritur obligatio civilis, quæ non cadit in Religiosum, non consentiente Superiore, eo tamen annuente potest Religiosus tutelam suscipere.

16.

16. qu. 1. Quare Conventus non tenebitur in utroque casu, nisi quatenus cedit in ejus utilitatem, argumento Cap. Quod quibusdam, *de fide juss. rebus*. Ita Silvester verbo *fidejussit*, n. 5.

An procurator vel administrator.

Neque potest Religiosus absque Superioris consensu consentire in electionem, qua ab externis constituitur Procurator sive administrator, sicut nec ipse (ut in *Clement.* Religiosus, *de procur.* dicitur) potest nomine proprio constituere procuratorem, saltem in temporalibus, quorum capax non est, quia in spiritualibus quibusdam id ei non prohibetur, pro jure enim manendi intra Monasterium proprium, & ad illud redeundi ac ferendi suffragium in sua congregatione, aut Capitulo, aut in jure eligendi aut sedendi in Choro, aut in jure alimenta vel impensas à Monasterio exigendi suo nomine, vel per Procuratorem agere potest, ut rectè secutus Navarrum annotavit Azorius *Tom. 1. Instit. Moral. lib. 12. Cap. 11. dubio* 9. Et quamvis ipse cum aliis absolutè existimet, Religiosum non posse constitui procuratorem.

Nos tamen distinguendum existimamus; nam si loquamur præcisè de procuratoris nomine (quo in sensu Procurator is dicitur, qui instrumentum à mandante accipit cum mandato & procuratione speciali ad aliquid agendum, ut non tam ipse sit, qui id agit, quàm qui mandatum & procurationem ad id in particulari ei dedit, qui utitur ipso tanquam instrumento, quo mandans operatur ac verè agit) & in hoc casu hujusmodi procurator non sibi acquirit actiones, sed mandans solus est, qui sibi immediatè acquirit actiones & totum jus, imò & illi fit traditio, si quæ intervenire debeat, & hujusmodi procurator in simili casu tantùm habet rationem internuncii, aut quasi epistolæ, quia mandans id exequitur: undè sicut contractu celebrato inter absentes per internuncium aut epistolam, non est internuncius, aut epistola, qui ce ebrant contractum, sed ille qui per eos exprimit consensum suum, & ei jus & actiones acquiruntur; ita res habet in procuratione, de qua loquimur, quare non video cur Religiosus non possit hujusmodi procurationem, aut administrationem exercere, salvo pauperratis voto, ut nihil sibi Juris acquirat; fateor tamen obedientiam graviter lædi: si verò nomen Procuratoris latiùs sumatur, nempè cùm quis de mandato alterius aliquid ita agit, ut nomine proprio agat, ut qui commissiones habent latissimas ad emendas in Hispania lanas & hujusmodi alia, tunc quia ipsi sunt, qui contrahunt suo nomine, manent omninò obligati, competuntque ipsis alia jura & actiones secundùm negotiorum qualitates, & quia hujusmodi actiones à Religiosis sine Prælatorum consensu non possunt exerci sine proprietatis vitio, ut latiùs constat ex superioribus, ob eam causam non possunt constitui Procuratores ad negotia extraneorum peragenda renuente Prælato.

Demum, an Religiosus possit esse testamentorum executor, & an possit constitui patrinus, & hujusmodi alia, latiùs *infrà*, ubi sese obtulerit occasio, disseremus.

TERTIA

TERTIA PARS HUJUS TRACTATUS.

De variis Religiosorum actibus, in quibus proprietatis vitium contingere potest.

QVæ pertinent ad acquisitionem monasteriorum, quæ fit per Religiosos eorundem, tanquam per instrumenta, eorum Monasteriis, superioribus explicavimus. Restant tamen explicanda alia, non minoris ponderis, & quæ in praxi omninò necessaria videntur, utpotè quæ juvare magnoperè possunt Religiosos ipsos, ut caute ambulent, cum timore & tremore salutem suam operantes; ea sunt *Primò*, an Religiosus donare aliquid sine Superioris licentia possit. *Secundò*, an possit recipere. *Tertiò*, an retinere inscio Superiore aliquid valeat. *Quartò*, an proprietatis vitium sit permutare, mutuare, accommodare, aut alio modo contrahere sine Prælati consensu. *Quintò*, an detur casus, in quo Monachus retinere aliquid possit sine Prælati licentia, & quæ possit Prælatus intra Voti Paupertatis limites disponere, quidvè alii Superiores, sive Ministri Monasterii, adjunctis aliis rebus, quæ valdè videntur conducere ad eradicandum pessimum proprietatis vitium. Vniversa autem hæc dissertatio præcipuè locum habet circa subjecta verba.

Textus in Cap. *Non dicatis.*

CErtum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine Superioris licentia debere. Quòd si propinquus, vel amicus, vel quilibet Fratrum, cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem Superiori insinuetur, & sic suscipiatur si ipse mandaverit. Et infrà. *Consequens ergò est, ut etiam qui suis filiis in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur.*

Et in Cap. *Cùm ad Monasterium.*

UNdè si quidquam fuerit alicui specialiter destinatum, non præsumat istud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur.

CAPVT

CAPVT I.

Quando Proprietatis peccatum in elargitione alicujus rei sine Prælati licentiâ committatur.

CErtum est, inquit D. Augustinus, loquens de monachis, relatus in *dict. Cap.* Non dicatis, *eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia debere.*

Ex quibus verbis perspicuè constat, nullum Religiosum posse rem aliquam extraneis, sine Prælati facultate donare. Consonat S. Augustin. D. Benedictus Cap. 33. suæ Regulæ *Præcipuè*, ait, *hoc vitium radicitus amputandum est, ne quis præsumat aliquid dare sine jussione Abbatis.* Et ante ipsum docuerat id D. Basilius in *quæst. brev. q. 87. dare*, inquit, *non cujusvis est, sed ejus, qui dispositionem sibi commissam habet.*

Ratione verò confirmatur; quia cum monachus nullius rei habeat dominium; omnia enim bona monachorum, jure ipso in Monasterium transeunt, donando ea extraneis apertè facit contra justitiam, cum rem alienam invito Domino distribuat, & committit præterea proprietatis peccatum, rem illam sine Superioris facultate dispensando.

Imo etiam Superioris permissu, hodie Religiosi nonnullas donationes facere à Clemente VIII. fuerunt prohibiti, quæ antea illis erant permissæ, ut habetur in *Constit. edita anno* 1592. quæ incipit, *Religiosæ Congregationis*, &c. ubi præcipit *ne Religiosi quicumque sint illi, sive viri, sive fœminæ, cujuslibet Congregationis, Societatis & instituti (non tamen militiæ) directe vel indirecte, palam vel occulte, tam communi, quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quovis statuti, vel consuetudinis, seu veriùs corruptelæ, aut alio pretextu, vel quacumque causâ, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re maturè discussa, unanimi consensu omnium, superiorumque permissu, causa probata fuerit, aliquam largitionem & missionem munerum facere valeant.*

Et subjungit statim: *Id autem ita absolutè & generaliter verum intelligatur, ut neque omninò fas sit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus & proventibus, collectis vel contributionibus, aut oblationibus, sive eleemosynis, sive subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis mensæ seu massæ communi, vel cujusvis fabricæ & sacristiæ, quorum bona communiter, ut præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia; quam ex pecuniis, etiam quæ à singulis quovis modo acquisitæ, in commune conferendæ omnino sunt: nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur; nec si forsitan privatim & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel à piis Christi-fidelibus, etiam eleemosynæ, aut charitatis & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quomodolibet per quemlibet Religiosum suo Monasterio, domui aut loco acquisita, ut ad libitum de eis disponat, per superiores concessa fuerint, præterquam leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, vel Religionem pertinentia munuscula communi tantum, nunquam vero particulari nomine (ubi superiori de consensu Conventus videbitur) tradenda.*

Sed & ejusmodi missiones munerum ipsis Religiosis utriuslibet sexus non solum per se, verum etiam per alios, tam directè quàm indirectè prohibitas, declaramus: nec aliquis excusare se possit, etiamsi munera miserit cuivis personæ laicæ, vel Ecclesiasticæ cujuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis & quavis non solum mundanâ & ducali, Regiâ & imperiali; verum etiam Ecclesiasticâ & Pontificali, aut alia majori etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsuræ aut professionis Monialium, tam sibi subditarum, quam non subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis Protectori, Vice-Protectori, Generali vel Provinciali, aut cuilibet alteri Superiori, aut etiam cuilibet simplici & particulari Religioso; ita ut inter ipsos quoque Religiosos (ne prava ambitione impulsi pro consequendis in sua Religione gradibus & dignitatibus alter alterius benevolentiam aut gratiam aucupetur) quæcunque largitio aut donatio munerum (nisi rerum minimarum de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta.

Insuper prohibemus, ne unquam eisdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquo modo erogare, in alicujus etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarii honorem, etiam occasione transitus vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi testificationem seu pro prædictis personis quavis authoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè & opiparè excipiendis, seu pro quibusvis conviviis eisdem, aut cuivis alteri quacunque occasione vel causa exhibendis, vel pro commessationibus, aut compotationibus quibusvis personis, tam ejusdem Ordinis, Congregationis, Monasterij, Domus, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam piis intra Ecclesias, Monasteria, & domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusvis publicis aut privatis, sacris, aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum & Sanctarum vita, aut res pia gesta, etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectanda proponuntur, aut aliàs in prædictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam & ostentationem, aut ad oblectationem vel paucorum lucrum & privata commoda quomodolibet pertinentibus; Nisi reipsâ pro divino cultu & veris Christi pauperum indigentiis, servato in hoc charit. ordine, & habitâ necessitatis ratione, de consilio & consensu Superior. sublevandis, aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Provinc. non prohibitis, vel taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus sumptus hujusmodi fiant.

Declarantes tamen per hæc laudabilem, & Apostolicâ doctrinâ, sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem, præsertim erga pauperes & peregrinos nequaquam imminui aut prohiberi.

Quinimò si qui redditus ad id vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium hujusmodi locorum, aut ex Testatorum, vel donantium voluntatibus sive aliàs applicati, aut donati sunt, eos omninò, ut decet, integrè in usus pios hospitalitatis hujusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasteriis, seu locis desertis, & ab laicorum ædibus longius remotis: ubi tamen pauperum & verè egenorum ratio imprimis habeatur.

Si quos verò ditiores occasione transitus, sive aliàs ex devotionis, aut necessitatis causâ eò divertere contigerit, eos sanè deceret, refectorio communi cum Religiosis, mensâque & ferculis communibus nequaquam à cæteris distinctis, contentos esse. Verum om-

nimò ipsi Regulares hospitibus potentioribus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas & paupertas Religiosa prorsus eluceat.

Pari etiam ratione districtè etiam prohibemus, ne quispiam ex prædictis laicus, alias quam, ut superius dictum est, vel clericus Sacularis vel Regularis quocunque honore, præeminentiâ, nobilitate, aut excellentiâ, etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam Protector, Vice-Protector, loci Ordinarius, Prælatus Generalis, Provincialis, aut Monasterij, domus, vel loci cujuslibet Superior, eorumvè affines, propinqui, familiares aut Ministri utriuslibet sexus, quicquam contra hanc supra expressam prohibitionem recipiant.

Quod si vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam Generali, Provinciali, aut alio quocunque officio fungente, aut à Conventu, Capitulo vel Congregatione, sive ab universo Ordine & Religione quippiam receperint, id quod acceperint, suum non faciant; verum ipso facto absque alia monitione Judicis decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem in utroque foro teneantur; adeò ut restitutio ipsâ realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolvi possint. Hanc autem restitutionem fieri volumus non privatim ei Religioso, qui donavit, sed ei Monasterio, domui vel alteri loco, de cujus bonis facta est largitio, vel si non de ejus bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit. Vel si nomine totius Capituli, Convertus, aut Congregationis vel universi Ordinis seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensæ aut massæ, cujus nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur: ita ut nec qui donavit, nec Capitulum, Congregatio, Ordo aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere quoquo modo possit.

Quod si quis ex supradictis Regularibus utriuslibet sexus, cujusvis gradus, Ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum existentibus conjunctim cum cæteris, seu divisim, nostrarum hujusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, jussionum, decretorum, mandatorum, transgressor fuerit, statuimus ut omnibus & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis eo ipso privatus, atque ad illa & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda, inhabilis perpetuo, & incapax, ac perpetuæ infamiæ & ignominiæ notatus existat: & præterea privationem vocis activæ & passivæ absque ullo Superioris decreto, aut ministerio, ipso facto incurrat, nec non ultra hujusmodi pœnas, etiam tanquam contra furti, & simoniæ criminum reum tam per viam denunciationis, accusationis aut querelæ, quam etiam ex officio procedi & inquiri, condignisque suppliciis affici debeat, pœnis aliis à jure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cujusvis Ordinis, Congregationis, Monast. domus, aut loci statuta vel consuetudines contra personas aliquid præmissorum committentes forsan decretis & inflictis nihilominus in suo robore permansuris. Hactenus Pontif. Constitutio.

Hac *Clementis* Papæ Constitutione, ubi fuerit recepta, multos necesse est abusus nonnunquam in Monasteriis invalescentes tolli; imò & multa, quæ antea, vel jure communi, vel consuetudine ipsâ, quæ magna ex parte sanctissimum Paupertatis Votum enervare solebant, meritò sunt abolita; illud tamen advertendum existimavi hanc *Clementis* Constitutionem, utpotè à jure communi exorbitantem strictè fore interpretandam. Sed quia nos hujus Voti naturam & obligationem indagamus, præmissâ hujus Constitutionis interpretatione ad aliorum dubiorum examinationem gradum faciemus.

CAPVT II.

Quibus Religiosis, & in quibus casibus permissum sit donationes aliquas facere.

ILlud imprimis scire oportebit, cùm dicimus Religiosum absque Superioris licentia expressa vel præsumpta nihil posse donare, esse accipiendum de Monachis simplicibus, qui in perfecta Communitate sub Prælatorum obedientia morantur; nam de aliis, quales sunt Beneficiarii, Pensionarii, extra Monasterium ex licentia Summi Pontificis commorantes, & ejecti à Religione, aliud jus erit statuendum. *Vid. Lessium Tom. 2. lib. 4. cap. 7. dub. 8. num. 62.*

Et cum multi multa soleant disputare circa varia hæc Religiosorum genera, nos breviter rem omnem 3. aut 4. punctis comprehendemus.

Primò, apud omnes constat hujusmodi Religiosos cujuscunque status, aut conditionis sint, non posse donare ad ea, quæ illicita sunt, ut si quid donent concubinæ, aut in honestos alios usus dispensent, quia cum nihil possit Religiosus dispensare, nisi ex facultate, vel suorum Superiorum, vel summi Pontificis, nunquam potest præsumi, eam extendi ad prophanas & illicitas donationes: Quod si id facere tentaverit, factum non tenebit; quare accipiens tenetur id restituere vel Monasterio, vel Ecclesiæ, cujus fuerint ea bona, ac proinde illa alienatio nulla est ex ipso jure. Ita Molina *Tomo 2. de Just. & jure, disp. 276.* Imo nec debere nec posse Prælatum præbere hujusmodi facultatem Monachis, cum potestas ipsius non in destructionem ei fuerit concessa, plenius *infra* docebimus.

Idem quoque censendum erit de Religioso à Religione expulso, quamvis Molin, *ut supra*, non multum sibi constans in hac parte contrarium fateatur, nam si Religiosis beneficia Ecclesiastica obtinentibus, aut justis de causis extra Monasterium commorantibus, non conceditur à Superioribus similis donandi licentia, imo neque potestatem habent, ipso Molina testante, eam concedendi, non video à quo possit Religioso expulso præfata licentia etiam ad illicita concedi, cum verè sint Religiosi; neque rationi consentaneum videtur melioris debere esse conditionis, ut ampliorem habeant aliis potestatem? Secundo certum est, ut *in sequentibus* plenius differemus, permissum esse Religiosis in eleemosynas, aut in alia opera pia monasterii bona elargiri. Restat igitur ut inquiramus de donationibus liberis, honestis tamen, secundum varia Religiosorum genera, tam exemptis, quam non exemptis; oportet enim ut speciatim de omnibus disseramus.

DVBIVM I.

De Religiosis exemptis.

AN Religiosi qui liberam solent bonorum habere administrationem, possint donationes in usus honestos facere, atque donando ex fructi-

fructibus beneficii, vel aliorum, quæ sua industria & labore comparaverunt suis consanguineis & amicis, majoris est difficultatis: distinguendam existimo; nam vel sermo est de iis Religiosis, qui Monasterio quantum ad dominium & proprietatem acquirunt; sibi verò quantum ad commoditatem & liberum bonorum usum, quales sunt, qui extra Monasterium ex licentia Pontificis, & Superiorum, ad tempus, vel in perpetuum commorantur; & in hoc casu judicandum erit secundum potestatem & facultatem illis à Superioribus permissam: si verò in facultate sive literis Apostolicis nihil fuerit expressum, vel aliàs à suis Prælatis non fuerit ipsis denegata, eo ipso quo à Summo Pontifice concessa est alicui facultas per totum ipsius vitæ spatium degendi in sæculo, censetur etiam illi concessa administrandi bona, quæ sua industria & labore acquisierit, deque illis disponêdi etiam per donationes suo statui competentes, ut meritò notavit Molina *Tom. 1. disp.* 104. Dixi (*quæ suâ industriâ* acquisierit) nam si ex annua pensione sibi à Monasterio concessa sustentetur, non præsumitur hujusmodi licentia, nisi exprimatur.

Quid possint Religiosi cum licentia debita extra monasterium viventes.

Quid Religiosi beneficiarij, & à Religione expulsi.

Si verò agamus de Religiosis beneficia Ecclesiastica, aut pensiones possidentibus, aut etiam de illis, qui à Religione expulsi, qui non sibi, neque Monasterio, sed vel Ecclesiæ, vel Summo Pontifici proprietatem bonorum sibi obvenientium acquirunt, tunc absolutè fatendum erit posse hujusmodi Religiosos similes facere donationes. De Religiosis beneficiariis docent id cum Navarro in *Cap.* non dicatis, *num.* 10. ferè omnes juniores, præcipuè Molina *de just. & jur. Tom. 2. Tract. 2. disp. 276.* & *Tom. 1. Tract. 2. disp.* 140. Et de Monacho expulso idem Molina *dicta disput. 276* Et de Pensionario Navarrus *Commentario 4. de Regularibus n.* 68. Azorius *Tom. 1. Lib. 12. Inst. moral. Cap.* 11.

Sed & ratione nostra assertio manifestè prob. quia tam Religiosus beneficiarius, quàm ejectus & Pensionarius exempti sunt ab obedientia, ut latiùs *suprà* probavimus. Quare commoditas tota, usus & dispositio bonorum, quæ interim acquirunt, perinde ad ipsos spectat ac si Religiosi non essent, quia non habent tunc cui in ea parte pareant, & cujus ductum ac voluntatem sequi teneantur: Sed potius quoad administrationem, acquisitionem & alienationem eorum bonorum se habent ac si dominium haberent, suique juris essent.

Speciatim verò de Religioso beneficiario rectè docuit Navar. *d. n.* 10. & *in Tract. de reddit. Eccles. monito* 25. perinde posse de fructibus beneficii disponere ad honestam sustentationem suam, & ad pias causas, sive honestos usus, ac sæcularis de fructibus sui beneficii: & addit hanc sententiam fuisse Cardin. à toto orbe Christiano usu receptam, & apertè insinuari in *Clement. 2. §. sed & talis, de vita & honestate Cleric.* in qua assignatur differentia inter Regularem simplicem & beneficiatum, quod hic absque facultate Superioris possit immediatè fructus beneficii in opera pia impendere, ille vero non.

Præterea, quod omnis titul. Canonic. beneficii præbet facultatem disponendi redditus in honestam sui sustentationem & in opera pia; qui enim est administrator beneficii, est etiam administrator fructuum. Ex quibus infert Navarr. quod æqua sit Regulari & Sæculari facultas justè disponendi de fructibus beneficii; quare sicut Sæcularis non potest in alios usus præter honestos disponere, potest tamen ad congruam sui sustentationem, & pia opera impendere, ita & Religiosus. Unde sicut Sæcularis beneficiarius potest donationes honestas & suo statui convenientes facere, & ita Religiosus.

Quid verò intelligamus nomine congruæ sustentationis, opus erit, ut aperiamus.

Dico igitur congruæ sustentationis appellatione cõprehendi non solum ea quæ ad se suamque familiam alendam sunt necessaria, sed etiam illa quæ ad moderata cõvivia, pro sui status qualitate consanguineis & amicis aliquando exhibenda, & ad hospites excipiendos, non solum quando id charitas postulat (quoniam id inter opera pia merito computatur, & ad hoc verbis sequentibus Conc. Trident. *Sess. 25. Cap. 8. de reformat.* hortatur, *Admonet S. Synodus quoscunque ecclesiastica beneficia, secularia seu regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium à SS. Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere assuescant, &c.*) sed etiam quando sola humanitas urbanitasque id exigit. Oportebit tamen ut in ejusmodi conviviis religiosa parsimonia relucear, ut prudenter observat Navarrus in *Apolog. q. 1. mon. 78.*

Quid nomine congruæ sustentationis intelligatur.

Appellatione quoque congruæ sustentationis comprehenduntur non solum donationes remuneratoriæ, ut Navar. *sup. mon. 82. num. 9.* observat, sed etiam merè liberales, dummodo moderatæ sint donationes pro loco & tempore, juxta conditionem ac statum donantis, ut in specie advertit Molina *Tomo 1. de Justitia, Tract. 2. disp.* 145. Quare poterit Regularis beneficiarius munuscula aliqua ad eos mittere, à quibus neque retributionem expectat, neque aliud prius accepit: nam regulariter loquendo, ut bene advertit P. Molina *ubi supra*, ea omnia comprehendit decens, sive congrua sustentatio, quæ secundum honestam & laudabilem consuetudinem in usu sunt in hominibus suæ conditionis ac status; quare ei ea omnia licebunt, quæ Beneficiarii conditio & status postulant.

Dixi, fas esse beneficiario *donationes remuneratorias* facere, quia fas est remunerare obsequia gratis impensa; nam licet ad id ex justitia non teneatur, tenetur tamen si moderatè fiant; nam licet (ut optimè advertit Navarrus) æquum sit beneficia in se collata plusquam ad æqualitatem remunerate, teste D. Thomâ 1. 2. *q.* 106. *art. 6.* non tamen immoderatè; nam quod ad æqualitatem arbitrio boni viri compensaretur 12. aureis, posset jure Beneficiarius regularis compensare 14. aut 15. de redditibus sui beneficii, non verò 30. quoniam cederet in detrimentum piorum operum, ad quæ de incremento redditoum sui beneficii ultra suam competentem sustentationem tenetur.

Quales donationes Regular. beneficiarijs permittuntur.

Idem quoque & à fortiori affirmandum erit de donationibus merè liberalibus, nam si immoderatæ sint pro statu conditione, non dubium, quin peccaret læthaliter, si eas faceret, quia defraudaret opera pia, in quæ debent converti ea quæ ultra competentem sustentationem ex fructibus beneficii percipit, in quo sensu locutus est Navarrus in *Apol. quæst. 1. mon. 78. n. 1.* dum negat donationes ex sola liberalitate & amicitia factas de redditibus beneficii licitas esse, Beneficiatio adhuc sæculari; intelligendus est enim de im-

moderatis, secus autem de moderatis, & suo statui competentibus, ut observat idem Molina supra citatus.

Quales prohibeãtur.

Ex quo infertur donationes factas à Religiosis beneficiariis in usus prophanos, vel ad ditandos consanguineos aut amicos, omnino eis prohiberi, ac proinde mortaliter peccare, ut communis DD. sententia affirmat, & expresse id districto Concilii Tridentini præcepto prohibetur. Nam *sess. 25. Cap. 1 de reform.* sic dicitur, *omnino eis interdicit* (scilicet Episcopis, sancta synodus) *ne ex redditibus Ecclesiæ, consanguineos, familiaresque suos augere studeant, cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant.* Et infra, *Quæ vero de Episcopis dicta sunt eadem non solum in quibuscunque Ecclesiastica beneficia tam secularia quam regularia obtinentibus pro gradu suæ conditionis observari, sed etiam ad S. E. R. Cardinales pertinere decernit.* Hactenus Synodus Tridentina.

DVBIVM II.

De Religiosis non exemptis.

Quid possint Religiosi, qui in monasterio degunt, habentes à Prælato dispositionem aliquorum bonorum.

DE Religiosis illis, qui in Conventu vivunt, quibus commoditas & liber usus ac dispositio aliquorum bonorum à Prælato concessa est, ut stipendium cathedræ, aut alterius muneris, quod administrant, vel si cui certa portio Conventus quotannis in suam sustentationem concessa est, ita ut illâ contentus, nihil petat amplius, vel cui certi annui redditus, sive de bonis Conventus tanquam bene merito, sive à parentibus aut consanguineis, aut ab aliquo alio ad sumptus suos atque usum, consentiente Monasterio, aut dispensante Summo Pontifice concessi sunt, dummodo servet restrictionem & limitationem in illorum usu & dispositione à Prælato sibi impositam, nempe ut in his rebus, & non in aliis ea insumant, vel ut recurrat ad ipsum pro facultate, aut certiorem eum faciat, quibus in rebus velit aliquid expendere: de his inquam omnibus, & similibus casibus censendum est Religiosos jure posse de iisdem bonis non solum eleemosynas facere, sed & donare ad ea, quæ illicita non sunt, ut docet Molina *Tomo 2. de just. disput. 276. & Tomo 1. disput. 140.*

Fundamentum hujus sententiæ est, quia cum Religioso illa bona pro ejus competenti sustentatione à superiore fuerint concessa, poterit hujusmodi donationes facere, servando limitationes sibi à Prælato suo præscriptas, ex qua præscriptione, sive licentia pendet major, vel minor facultas dispensandi illa bona in usus honestos.

DVBIVM III.

De donationibus factis à Religiosis intra septa monasterii.

Religiosus sine Prælati licentia nihil donare potest, etiam Bo

MOnachum sine Prælati licentia tacita vel expressa non posse aliquid donare etiam Monachis proprii Monasterii est communis DD. sententia: & ratio ipsa confirmat. Ita præter alios, ut certum defendit Corduba, in *Reg. B. Francisci Cap. 6.* & Mendoza *quodlibet. q. 8. de paupertate conclus. 3.* qui alios authores referunt. Lud. Lopez *2. parte instructorij C. 156.* citans Victoriam. Et constat primo ex Cap. *Non dicatis*, ubi dicitur: *Quod si quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur & sic suscipiatur.* D. Bonav. in *Speculo discipl.* Tomo 2. Cap. 4. *Proinde fratres nullatenus sine licentia, neque à se invicem, neque à fratre rem aliquam accipere, aut dare attentent.*

Probatur deinde ratione. Primo, Quia dare aliquid sine licentia est actus proprietatis & dominii, ut ex superioribus constat, Ergo qui sine Prælati facultate aliquid dat, erit dicendus proprietarius.

Secundo, Quia, ut constat ex §. *primo instit. de usu & habitatione*, & supra latius probavimus 1. *parte §. tertio de usu*: qui aliquid ad usum habet, non potest talis rei usum in alium transferre; Unde de usuario in textu dicitur: *Nec ulli alij ejus quod habet aut locare aut vendere, aut gratis concedere potest.* Ergo cum Religiosus solum habet usum & non dominium rei sibi à Prælato concessæ, non poterit usum illius in alium transferre. Quæ ratio majorem habet in Religioso vim, quàm in aliis, qui dominii sunt capaces, cum solum habeat usum facti & non Juris. Unde optimè docuit Soto *4. de justit. q. 1. art. coroll. 8.* Religiosum convivæ comparari. Nam sicut hic cibos, quibus vescitur ad alios mittere, vel transferre non potest, nec secum asportare, sine invitantis proptiique domini licentia, sic ille res quibus utitur ad alios transferre non potest absque Prælati facultate.

Tertio, Quia bonorum Conventus administratio soli Prælato, vel ejus vices gerenti demandata est, ut in Conc. Trident. *Sess. 25. de reform. Regul. Cap. 2.* statutum est. Et in nostra Regula C. *de non habendo proprium*, his verbis. *Et distribuatur unicuique per manum Prioris, vel per fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus fuerit.* Et in aliis Religionum Regulis prout nos in Commentariis nostræ Regulæ C. *de non habendo proprium*, docuimus. Nullus ergo Religiosus poterit earum rerum, quibus utitur, in alios usus transferre; aliàs dispensatoris assumet officium. Ex quo deduco Religiosum ex his, quæ manuum labore acquirit, non posse sine Prælati licentia, notabilem quantitatem in alium transferre, verbi gratia, exceptorios Codices, neque Cruces &c. Quia cum non possit de his rebus (ut supra dictum est) disponere; consequens est nihil posse ex illis, aliis donare.

DVBIVM IV.

De Prælatis Monachorum.

NUm vero Prælati Monachorum, donationes facere possint, examinandum restat. Illud quidem universim de Prælatis Religiosorum certo statuendum videtur, ipsos posse donationes remuneratorias eo sensu & moderamine, quo de Religiosis beneficiariis locuti sumus, facere. Quare de merè liberalib. quæstio procedit. Navarr. *d. Cap.* non dicatis, *num. 23.* existimat non posse, idem docet *Consilio 75. de Regul. n. 32.* Cynus & Baldus in *l. 1. Codice de procur.* Panorm. in *Cap.* Cæterum *de donationibus. num. 4.* Antoninus *3. parte Tit. 16. Cap. 1. §. 11.* Major. in *4. distinct. 38. quæst.*

38. *quæst.* 2. quorum illud est fundamentum, quia Prælatus solum est dispensator bonorum Monasterii, vel inter Religiosos, vel in alios usus, qui in Conventus cedant utilitatem.

Superiores Religiosorum possunt donationes facere, juxta facultates monasterij non nullis observatis conditionibus.

Contraria tamen sententia verior videtur, nempe Superiores Religionum posse juxta facultates Monasterii seu Conventus, spectatisque cæteris circumstantiis concurrentibus atque servatis Constitutionibus, aut suorum Superiorum ordinationibus, circa quantitatem, modum aut dependentiam à majori parte Capituli, vel à suffragio aliquorum ad id deputatorum, non solum donationes remuneratorias, sed & alias, quas bonum Conventus decensque ac recta administratio eorum bonorum postulare ac permittere judicabit. Docet hanc sententiam Molina, *Tom 2. Tract. 2. disput. 276.* & de moderatis donationibus id ipsum docuerunt Ludo. Lopez. in *instructorio Cap. 55.* & *56.* & juniores alii. Cujus sententiæ ea potest à priori assignari ratio, quia quilibet Regularis, ut eruditè advertit Navarrus, *d. C.* non dicatis, *num. 11.* factus Abbas vel Prior, est beneficiarius; nam Abbatia, Prioratus Conventualis, & præfecturæ aliæ, sunt propriè beneficia Ecclesiastica; quare jure communi habent illam facultatem generalem disponendi de fructibus bonorum beneficii, nisi aliundè restringantur; igitur sicut aliis beneficiariis permissum est, hujusmodi donationes facere, permissum erit quoque idem Prælatis regularibus, nisi alias peculiaribus suorum ordinum statutis prohibeatur, aut arceatur eorum facultas, ut communiter fieri solet in omnibus Ordinibus vel Constitutionibus expressis, vel praxi, consuetudine à viris probis recepta. Hujusmodi tamen donationes à Prælatis fieri possunt vel ad remunerandum alicujus obsequium, aut ad retinendos in amicitia & benevolentia de suis Cœnobiis bene meritos, aut ad aliorum animos conciliandos, ad tuendum, augendum, conservandumve commune bonum ipsius Monasterii, aut totius Ordinis, vel in alios usus honestos & bonos, inspectis circumstantiis superius adductis.

Quibus Prælatis quoad has donationes competat major, aut minor potestas.

Inter Prælatos vero non est æqualis facultas in dispensandis bonis Monasterii; nam penes Provincialem major residet potestas, quam penes Priorem vel Guardianum, & penes Generalem plenior & uberior, quam penes Provincialem; habent enim hi authoritatem quasi Episcopalem. Quare sicuti Episcopi, ratione status & uberiorum fructuum majores possunt donationes facere, quam alii beneficiarii; ita Provinciales vel Generales proportionaliter majorem habent facultatem aliis Prælatis inferioribus, ut observat Navarrus *Lib. 3. de restitut. Cap. 1. numero 183.* & cum eo multi ex junioribus.

Incidentis dubij solutio.

Sed quæret aliquis, an Prælatus habens facultatem in aliquo Ordine donandi usque ad quantitatem v. g. 10. aureorum, possit plures donationes facere, quæ simul sumptæ quantitatem sibi, vel à consuetudine, vel à Constitutionibus taxatam excedant? Resp. affirmativè, dummodo similes donationes in fraudem Conventus non fiant; quod tunc contingeret, quando Prælatus videns se notabilem quantitatem unicâ donatione elargiri non posse, plures mediocres donationes faceret, ut sic notabilem quantitatem, quam una vice elargiri nequiverat, pluribus vicibus donaret, de quo infrà latius dicemus.

De Vicario verò Conventus, cui in absentia Prælati commissa est cura & regimen Monasterii, si aliunde limitatam non habet jurisdictionem idem ferendum est judicium, quod de Prælato ordinario, si hoc unum excipias, quod non potest immobilia Conventus bona alienare, ut habetur in *Cap. Cum nobis, de electione.* & C. is cui procuratio, *eod. tit. in 6.* Ex quibus apertè colligitur ejusdem efficaciæ & valoris esse id quod facit is, cui Ecclesiæ administratio commissa est, cum eo quod à proprio & ordinario administratore fit, excepta bonorum immobilium administratione. Ita docuit Navarrus *Consil. 75. de Regular. num. 62.* & colligitur ex Sylvestro, *verbo*, vicarius, *num. 6.* Sed in hoc attendendæ sunt propriæ cujuscumque Ordinis Constitutiones. Poterit tamen Prior Vicarii à se constituti potestatem delegatam in aliquibus restringere & coarctare.

Quid possint monasteriorum Vicarius in absentia Prælati.

DVBIVM V.

De Procuratore & aliis Conventus officialibus.

INferiores ministri seu officiales, quorum quilibet secundum suum gradum & statum Monasterii bona administrat, quales sunt Procuratores, Cellarii, seu Oeconomi & alii similes, nullas possunt ex rancis donationes facere, neque liberas, neque remuneratorias sine expressa, aut saltem manifestè præsumpta Prælati licentia. Primo hæc assertio, si loquamur de Procurat. expresè est D. Thomæ 2. 2. *q. 32. art. 8. ad 1.* ubi etiam prohibet eleemosynas à Procuratore faciendas sine Prælati consensu: *Monachus* (inquit) *si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynas facere de rebus Monasterij, secundum quod sibi est commissum. Si vero non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest eleemosynam facere sine licentia Abbatis, vel expresse habita, vel probabiliter præsumpta.* Quæ verba valde notanda sunt. Tenet etiam glossa in *Clement. 2. §. sed & talis, de vita & honest. cleric.* Antonin. 3. *parte tit. 16. Cap. 1. §. 11.* ubi Procuratorem etiam commissum munus, sine Prælati licentia dispensare, affirmat, & consentiunt Sylvester, *verbo*, Religio, *6. num. 7.* & Fran. Sarmo 1. *parte sui defensorij num. 11.* Ratio est clara; quia quotiescunque Regularis dispensat aliquid notabile sine licentia sui Superioris, est proprietarius: quare Procurator eam non habens, peccabit, non aliter ac quicunque alius particularis Religiosus. Unde sequitur, sine peccato mortali nihil notabile posse Procuratorem dispensare sine Prælati licentia tacita vel expressa, etiamsi in bonum Conventus cedat talis dispensatio, ut si sibi vel alii Religioso librum emat, tunicam, vel femoralia. Ita asseruit Mendoza, & ex ratione supra adducta, colligitur. Ex hac conclusione efficitur, Procuratoris administrationem (idem esto judicium de aliis officialibus) non posse plus extendi, quam Prælati voluntas permittit. Propterea diligenti cura ab illo Prælati voluntas pensanda est, & ultra eam nihil dispensandum.

Procuratores alique officiales monast. nihil possunt absque consensu Prælati donare &c.

Ex quibus colligit Mendoza *quodlibeto de paupertate conclus. 1. quæst. 8.* quam cautè ac diligenter Procuratores debeant sui muneris executioni & bonorum Monasterii administrationi intendere. Nam quoties citra expressam Prælati licen-

Doctrina observanda.

tiam, aut rationabiliter præsumptam, notabilem aliquem sumptum faciunt de bonis Conventus, proprietariorum vitium incurrunt, & quamdiu ad meliorem mentem non redeunt, ut firmiter statuant à talibus sumptibus deinceps abstinere, sunt in statu peccati mortalis, ac proinde nec absolvendi à Confessariis.

Ex quo rursum fit non modò in profanos usus, sed nec in alios licitos, ut tunicam, chlamydem, calceos, aut quævis alia utensilia & supellectilem emendo, aut sibi, aut aliis fratribus, bona monasterii, sine Prælati facultate, absque proprietatis vitio expendere non posse.

Dico secundo. Cæteros Conventûs officiales nullo modo commissam sibi facultatem excedere posse, bona monasterii dispensando, vel in extraneos, aut in ipsorum familiæ Religiosos, & contrarium facientes, peccabunt mortaliter contra votum paupertatis, si res dispensata notabilis fuerit quantitatis. Ita censent supradicti Authores, & ratione præcedenti conclusione facta convincitur. Et ulterius sumi potest ex Regul. S. Benedicti *Cap.* 31. ubi de Cellario, vel œconomo loquens, ita dicit: *Sine jussione Abbatis nihil faciat.* Et infra. *Neque avaritia studeat, neque prodigus sit & extirpator substantiæ Monasterij, sed omnia mensuratè faciat, & secundum jussionem Abbatis sui.* Idem sumi potest ex Basilio in *quæstionibus compendio explicatis quæst.* 144. ubi de Monasterii officialibus, & de cura ab illis in bonorum administratione exhibenda loquens: *Qui abutitur* (inquit) *velut sacrilegus judicetur.*

Et adjungi potest Bonavent. *In spec. discipl.* 1. *parte partic.* 1. *Cap.* 4. ubi ad quid officialium facultas extendatur, optimè declarat. Et inter alia docet, omnia, quæ ab illis dantur, danda esse velut nomine Prælati: *ut det quidem* (ait) *non secundum propriam voluntatem, sed prout sibi à Superiori fuerit constitutum* De quo latius dicetur *infrà*. Ex his colligitur 1. Sacristam, œconomum, vel cellarium, janitorem ac Refectorii curam habentem notabile aliquid contra voluntatem Prælati dispensantes Votum Paupertatis frangere.

Colligitur 2. quam necessarium sit, ut Conventûs officiales justè & sanctè ministerium suum adimpleant omni privatos esse, vel amotis vel odii affectu, aliàs enim sæpius infideles inveniuntur contra Paupertatis Votum dispensatores. De quo legendus est D. Basilius, qui hoc eleganter docuit in *quæst. fusius explicatis*, *quæst.* 34. his verbis. *Multam misericordiæ, & longanimitatis erga omnes providentiam faciant, ut neque suspicionem præbeant alicui affectionis, favoris, aut invitationis erga quosdam.* Et infra. *Itaque à favoris affectu, itemque contentionis, tum propter relata, tum ob alia multa ad summum puros esse eos, qui fraternitatem rem ad usus necessarios distribuunt.*

Incidentis dubii solutio.

Sed quæres, poterinè officialis Conventus, aut etiam simplex Religiosus donare externis absque Superioris consensu parvula quædam munuscula, præsertim ad cibum & potum pertinentia, vel alia, quæ ad pietatis & religionis studium pertinent, cujusmodi sunt sacræ reliquiæ, imagines Sanctorum, cereæ item agni imaguncullæ aut calculi, Pontificum authoritate sacrati? Resp. in his rebus, si expressè non fuerint à Superioribus prohibitæ, jure præsumi tacitum consensum, maximè si imagines istæ non fuerint pretiosæ, vel bysso aurove ornatæ. Hactenus quæ diximus de donationibus, quæ ab universis Religiosis pro suorum statuum discrimine fieri possunt, procedunt attento jure communi; nam in Religionis provinciis, ubi Bulla *Clementis Papæ VIII.* usu recepta est, servanda erit forma & modus in ea præscriptus.

Legend. de hu P. Lezana, qui Tom. 2. qq. Regul. *verb.* donare

DVBIVM VI.

An possint Religiosi donationes ad causas pias & in eleemosynas facere.

SUperiores Monasteriorum, tam ex superfluis Monasterii, quàm de necessariis, hoc est, non superfluis, sed competentibus ad statum Conventus posse ac debere facere eleemosynas, cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. *art.* 5. *quæstiun.* ultima communis sententia docet, & latius prosequitur Medina in *Tractatu de eleemosyna.* C. de quibus bonis eleemosyna sit facienda §. *Abbates.* Et quamvis in vita possint eleemosynas facere, non tamen in morte possunt etiam in pias causas aliquid legare, sine licentia Summi Pontificis, ut *infrà* plenius de Monachorum testamentis agentes edocebimus.

Quis vero modus servandus sit in distribuendis Monasterii eleemosynis, pulchrè docet Basil. magnus *interrog.* 100. *in Reg. brev.* dicens: *Eos, qui aliunde ad nos accedunt, ac mendicantes aliquid petunt, quomodo dimittemus, & nunquid arbitratu suo quisque panem, aut aliud quidvis illis debet tribuere? an vero unicuipiam munus hoc conveniat delegari? Resp. cum Dominus affirmans dixerit apud Matthæum: non esse bonum sumere panem filiorum & mittere canibus; & tamen illud etiam approbaverit, nam & catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, cui dispensandi munus est assignatum, is illud diligenti habita animadversione exequi debet, qui verò præter illius sententiam aliquid facit, ut tanquam everfor disciplinæ acriter objurgandus est, idque eo usque quod tueri suum locum ausus, cum Apostolus dixerit: Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in eo permaneat apud Deum.*

Idem etiam jus erit Religiosis aliis exemptis, de quibus suprà mentionem fecimus. Nam si his liberum est donare in usus honestos, & quoscunque alios licitos, à fortiori in eleemosynas & causas pias. Quod ad cæteros Religiosos attinet, opus erit cum distinctione respondere; nam vel degunt in Monasterio absque peculio, aut administratione aliqua sibi à Superioribus permissa, & tunc sine licentia Superioris expressa vel probabiliter præsumpta non possunt eleemosynas facere, ut inter alios docuit S. Thom. 2. 2. *quæstion.* 32. *art.* 8. *ad* 1. sumpto argumento à cõtrario sensu. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *Cap.* 1. §. 11. *notabili* 4. ubi inquit: *Religiosus de concessis bonis ad usum, nihil potest donare etiam eleemosynaliter: nec de eo, quod acquirit per industriam aliquam, nec de bonis paternis, quando sibi committerentur ad usum, etiamsi fieret Procurator, quia omnia sunt Monasterij, ut dicitur* 12. *quæst.* 1. C. *non dicatis; nisi super hoc habeat licentiam dandi, & tunc bene utatur aliat dispatio erit.* Consentit Sylv. *verbo.* Religio 6. n. 7. *vers. secundum.* qui Archidiaconum citat, & idem repetit, *Verbo*, eleemosyna. *quæst.* 5. & Navarrus. C. *non dicatis* n. 8. & hæc est communis & indubitata apud omnes sententia. Quam Doctrinam omnes

omnes extendunt etiam ad Procuratores Conventum, ut expressè docuerunt D. Thom. Antoninus & alii, præcipuè Navarrus *d. c. non dicatis, n. 8. & 9.* Ex licentia tamen Prælati probabiliter præsumpta licitè possunt Religiosi omnes, eleemosynas secundum statum paupertatis, & usum sive consuetudinem illius Ordinis pauperibus elargiri; ut observavit P. Molina *de justit. & jure, Tract. 2. disp. 276.* Sed satis erit si probabiliter præsumatur, ut in specie docuit D. Thomas *2. 2. q. 32. art. 8. ad 1. & 2.* Si verò licentia tacita non præsumatur, nullas possunt facere eleemosynas.

Quando verò merito possit præsumi licentia tacita, quæ necessario debet præcedere, ut jure Monachus possit eleemosynas facere, attendendæ sunt Religionum consuetudines, tacitæque Prælatorum voluntates, ita ut eleemosynæ non ultra extendantur, nisi quantum intellexerint illorum esse voluntatem.

Quid de illis Religiosis, qui extra monasterium degunt.

De illis verò Monachis, qui extra Monasterium de licentia Superiorum peregrinantur, aut in scholis commorantur, conveniunt omnes, posse illos facere eleemosynas, quas honesti scholastici, aut peregrini facere consueverunt; hæc enim præsumpta videtur superioris voluntas, qui eis necessaria ad peregrinationem, aut in scholis habitationem suppeditat. Ita inter alios Navarrus. *C. non dicatis. n. 8.* Porrò si Prælatus alicui in scholis aut alibi degenti, singulis annis certam pecuniæ summam ad suam sustentationem tribueret, tunc quantum de sua sustentatione sibi vellet subtrahere, in eleemosynam largiri posset, aut in alias donationes honestas, aut aliter decenter insumere.

CAPVT III.

Quando proprietatis peccatum in receptione alicujus rei sine Prælati licentia committatur.

Quando culpa lethalis committatur in receptione rerum.

Dico primo, quotiescunque Religiosus notabilem recipit quantitatem, animo illam retinendi, & occultandi Prælato, peccat mortaliter, quamvis alias habeat voluntatem resignandi, si ab illo petita fuerit. Probatur 1. hæc Conclusio ex dicto *C. non dicatis*, in illis verbis: *Certum est eos nihil habere, dare, vel accipere sine Superioris licentiâ debere.* quod magis explicans infrà subjungit: *Quod si propinquus, vel amicus vel quilibet fratrum cuipiam aliquid offerre voluerit, primo quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur. si ipse mandaverit, de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit.*

In quibus verbis non solum prohibet Augustinus aliquid ab extraneis accipere, sine Superioris licentiâ, sed etiam ab ipsismet Fratribus, nisi præmisso Prioris consensu. Idem statuitur in *C. Cum ad Monasterium*, ibi: *Quod si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori assignetur.*

Deinde in Concilio Tridentino *Sessione 25. Cap. 2. de reformatione Regularium*: idem præcipitur his verbis: *Nemini Regularium liceat bona mobilia, vel immobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, sed ea statim superiori tradantur, Conventuique incorporentur.*

Quænam observanda circa verba Cõcil. Trid.

In quibus verbis animadversione dignum est, Concilium non solum præcipere, quod Religiosi nihil occultè retineant tanquam proprium, sed etiam neque nomine Conventus, & quod decretum hoc, præcepta contineat, non solum colligitur ex verbis præceptivis, quibus in re gravi utitur, sed etiam ex gravi pœna, quam transgressoribus imponit. Concil. etiam Mediolanen. *part. 3. Constitutionum C. de Monialibus*, idem docet: *Bona*, (inquit) *quæ singulis mittuntur, ad Præfectam offerantur; neque ulla possit illa accipere, aut ad usum habere, nisi sciente, aut consentiente Præfectâ.*

Eadem conclusio probatur ex S. Patribus, in primis Augustinus in *prima Regul. clericis tradita* de itineranibus tractans, sic habet:

Si quis autem causa necessitatis detinet id quod à monasterio secum portavit: necesse habet, ubi præpositus sum est, illud proferre; quia non poterit sibi detinere, quod per pactum ad omnes pertinet, & DEO utique consecratum est. & in Regul. *3. Si quis filius suis aliquam contulerit vestem, vel quodlibet aliud, non occultè accipiat, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum cui necessarium fuerit præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.*

Idem habet Basilius in *Constitutionibus Monachorum Cap. 35.* quatenus dicit: *Proprietatis vitium est privatam pecuniam habere, & clanculum inscio Superiore aliquid demoliri.* & in *q. brevior. q. 87.* dicit. *Dare aut accipere non est cujuslibet, sed ejus cui delatum est munus dispensandi.* Quod etiam repetit *q. 91.* & colligitur ex *quæst. 142.* Subscribit Hieronym. in *Regul. monach. Cap. 3. Hæc perpetuo in vestro monasterio observatio maneat, quod nulla omnino tangere, aut aliqualiter retinere audeat sine licentia*, scilicet Præfectæ, *per horam censum, aut obulum, aut aliquid quantumcumque minimum, quodque à matre vel sorore mittatur.*

Eandem doctrinam habet Benedictus in sua *Regul. Cap. 33.* dicens: *Ne quis præsumat aliquid dare vel accipere, sine jussione Abbatis*, & Capit. *54. Nullatenus liceat monacho, neque à parentibus suis, neque à quoquam hominum qualibet munuscula accipere, sine præcepto Abbatis.* Legendus est etiam Capite *55.*

Confirmatque id Bernard. *de modo bene vivendi* ad sororem, *serm. 48. de non habendo propr.* ubi in fine sermonis sic habet: *Quicquid habes, habeto cum licentia, habeto cum benedictione; sine licentia Abbatissæ, vel Priorissæ nihil habeas sine benedictione nihil recipias.* Idem quoque docet Bonaventura in *speculo disciplinæ 1. parte particula 1. Cap. 4. Tom. 2. Opusc.* ubi inter multa hanc singularem habet sententiam: *Statutum Religiosæ mancipationis evadit, qui in usu proprio rem aliquam, sive à parentibus, sive quibusdam aliis recipit, Aut quod majoris est culpæ accepta occultans Superiorum judicio non exponit; Nulla enim res quam superior non dederit, aut permiserit est licita proprium abdicanti.*

Sed responderi potest sanctos Patres & Concilium solum prohibuisse occultam receptionem factam animo non dandi, etiamsi peratur; non verò illam, quæ fit cum animo dandi acceptam rem Prælato. Hæc tamen interpretatio primo excludenda est, quia in ea gravia, & expressa testimonia SS. PP. ac sacror. Conciliorum sine fundamento explicantur ad libitum.

Refutatur adducta SS. PP. & Cõciliorum interpretatio.

Secund. Quia Patrum menti clarè adversatur. Ratio enim propter quam tantâ diligentiâ in Concil. cautum est, ne Religiosus aliquid sine licentia accipiat, est, quia quidquid Religiosus accipit, debet esse monasterio incorporatum, & Prælati administrationi subjacere; Sed si Religiosus aliquid occultè retinet, etiamsi habeat voluntatem dandi, hoc ipso res illa non est monasterio incorporata, nec Prælati administrationi subjacet: ergo. Et Confir. quia si aliquis rem aliquam occultè accipiat, à proprio domino, etiamsi habeat voluntatem restituendi, si perita fuerit, furti peccatum committit, ergo similiter qui occultè aliquid accipit sine Prælati licentia tacita vel expressa, proprietatis arguendus erit.

Tert. Rejicienda est hæc solutio, quia apertis verbis SS. Patrum repugnat, in Conc. enim Trid. dicitur: *Statim superiori tradantur*, & in Cap. Cum ad monast. *statim resig.* id est, Abbati. In Concil. Mediol. *Nihil accipiatur nisi sciente, & consentiente præfecto.* August. in *Cap.* non dicatis. *Non præsumat recipere nisi ipse mandaverit*, scilicet Prælatus. Hieronym. *Neque tangere, neque retinere per horam audeat.* Benedict. *Non præsumat aliquid accipere sine jussione Abbatis.*

Et tandem, quia si nullum versatur discrimen inter hæc, aliquid occultè accipere cum animo resignandi, & aliquid accipere de licentia Prælati, habereque eundem animum, quorsum tantopere Patres defatigantur monachis præcipiendo, ut inconsulto Prælato nihil accipiant? cum sufficeret dicere, monereque eos, ut semper sint parati ea, quæ habent in manus Prælatorum requisiti resignare, & tamen utrumque commendant; signum igitur est illud esse maxime necessarium.

Scholastic. circa hæc sensus aperitur.

4. Eandem Concl. acceperunt à Patribus Scholastici, & juniores alii. Hugo in Reg. Aug. Cap. 8. *in omni enim vita nihil licet occultè recipere, vel recipi, nihil proprium retineri, sed si quid alicui datur, tradendum est Præposito, ut cui necessarium fuerit præbeat.* Idem Gerson. *Alphab.* 23. *lit. M.* Alvar. Pelagius apud Serenam. *Concl.* 81. D. Bernardinus Ord. B. Franc. Generalis, quem & refert, & sequitur Corduba super *Reg. S. Franc. Cap.* 6. *q.* 9. inter proprietatis actus numerat rem aliquam accipere sine licentia, & rem quamcunque Prælato celare. D. Antonin. 3. *parte tit.* 16. *Cap.* 1. §. 11. *not.* 2. Sylvest. *verb.* religio 6. *num.* 7. *Quidquid*, ait, *celatur Abbati proprium dicitur.* Armill. *verb.* Religio *n.* 26. Navarr. in *dict. C. non dicatis*, *n.* 13. Corduba in *Reg. B. Franc. Cap.* 6. *q.* 7. accipientem aliquid inscio Prælato mortaliter peccare, ait, nec sufficere eum id scire nisi, saltem tacitè, assensum præbere præsumatur. Navarr. *de restitut. L.* 3. *Cap.* 1. *n.* 170. & sequitur Mendoza *q.* 8. *quodlibetica concl.* 5. Idemque canonistæ confirmant: Abbas *Cap.* Cum ad monast. *n.* 8. Joannes Andreas, & Archidiaconus apud D. Antonin. *ut supra.*

5. Quia paupertatis votum huc usque eo modo, illoque sensu, in Conclus. posito in Ecclesia intellectum est à Patribus, atque adeo qui sine Prælati licentia aliquid occultè retinet, etiamsi voluntatem habeat reddendi, si peritum fuerit, contra votum facit paupertatis. Quod autem fuerit hic Ecclesiæ sensus, collig. 1. ex citatis Patrum testimoniis. 2. ex gravi pœna, qua proprietarios Prælato aliquid cælantes puniebant non inquirentes, an animum resignandi habebant. Et confirmat, quia secundum sensum Canon. Patrum & Scholast. duo requiruntur ut quis à proprietatis vitio liberetur. Primum est, ut id quod habet cum licentia Prælati habeat. 2. ut habeat animum paratum ad reddendum si petatur, ita ut quolibet ex his deficiente, proprietatis vitium committatur, ergo præter promptitudinem animi necessaria est Prælati licentia.

2. Ratio pro concluſ. sit, quia quidquid acquirit monachus, monasterio acquirit, ut communis sentit opinio, cum Innoc. in *Cap.* Cum olim, 2. *de privileg.* & clarius docetur in *Cap.* in præsentia, *de probat.* 89. & c. unico 18. *q.* 1. Erg. quicquid à monacho fuerit acquisitum, Prælati dispositioni & administrationi subjacet, ergo nullo modo potest illius rei fieri administrator sibi applicando quod suum non est, & ad omnes pertinet sine Prælati licentia.

3. Ratio quia aut id quod accipit Religiosus, accipit cum licentia saltem tacita, & de hoc non agimus in præsenti, aut accipit contra voluntatem tacitam, vel expressam Prælati, & in hoc casu supradicta convincunt illum mortaliter peccare; aut tandem accipit dubitans, an Prælatus consentiret vel non, & in hoc casu peccat etiam mortaliter, tum quia in dubiis melior est conditio possidentis, Prælatus autem jus possidet, ut nihil monasterii sine sua licentia accipiatur, tum etiam, quia ut Theologi omnes fatentur, qui agit contra conscientiam dubiam, peccat mortaliter.

Ex hujus Cõclusionis doctrina colligitur primò, quod si Religiosus rem aliquam accipiat solum eo fine, ut occultè eam retineat, etiamsi habeat voluntatem non utendi aliquo modo illa, & eam tradendi quando petita fuerit, peccat mortaliter, si materia sit gravis. Ita sensisse Victoriam refert Ludov. Lopez *instruct.* C. 156. probaturque ex dictis, quia hoc ipso quod aliquid à dispositione Prælati occultè subtrahitur, jus ejus læditur, ac per consequens peccatum proprietatis committitur: ergo quamvis habeat Religiosus expressam voluntatem non utendi re illa, mortaliter peccat, eo ipso quo illam celat.

Et confirmat. ex modo loquendi Concil. & sanctorum PP. Tridentinum enim statim dicit rem Prælato reddendam. INNOCENT. III. in Cap. *Cùm ad monasterium*, ad verbum illud *incontinenti.* Hieron. neque per horam permittit occultari, ut supra vidimus. Bonavent. in Cap. 4. speculi disciplinæ prope finem. *Sunt*, inquit, *qui oblata non sibi, sed Prælato mox deferenda recipere licitum æstimant, sed regulari privato receptionem occultam non dixerim esse tutam.* In quibus verbis idem videtur sentire.

Advertenda tamen sunt duo. Primum est, si ex occultatione acceptæ rei nullum, vel parvum monasterio emergit damnum, non peccare Religiosum, si per breve tantum spatium illam velit occultare. Concil. enim & *Innocent.* verba moraliter intelligenda sunt, ac per consequens statim reddere dicetur, qui per breve tantum tempus illam vult detinere. Advertendum secundò, quod si Religiosus aliquid recipiat non sibi, nec monasterio datum, sed alteri deferendum, ut si eleemosynam pauperi dandam ab alio accipiat, non peccat mortaliter, quantumvis illam occultet.

Præterea, ex eadem conclusione infertur, non solum non posse Religiosum ab extraneis aliquid accipere sine Prælati licentia, sed neque etiam ab ejusdem Religionis Fratrib. sine proprietatis

tatis peccato. Ita expresè habetur in C. *non dicatis.* D. quoque Benedict. in *Cap.* 54. suæ Reg. *Nullatenus*, inquit, *liceat monachis, neque à quocunq; hominum, neque à se invicem litteras, aut eulogia, vel qualibet munuscula accipere, aut dare sine Prælati licentia.* Ratio constat ex dictis, quia hoc ipso quod in proprium usum rem aliquam assumo jure Prælati utor administrans rem illam, quod est contra paupertatis votum, sive res illa ab extraneo, sive à Fratre accipiatur, hoc enim per accidens est. Præterea quia quamvis omnia communia sint, administrationi tamen Prælati subduntur: ergo qui rem sibi applicat, quamvis illam à Fratre accipiat, jus Prælati lædit. Et hac ratione probant hujus corollarii doctrinam Hugo super *Cap. 6. Regul. S. Franc.* & Cordub. *ibid. q. 6.* & confirmatur, quia, ut antea diximus, Religiosus non potest aliquid alteri sine Prælati licentia dare, ergo neque recipere. Unde in nostra Religione tanta id observatione custoditur, ut minimam rem sine licentia dare, vel accipere, culpa sit.

Tertiò, deducitur non solum non posse Religiosum à quocumque alio vel extraneo, vel domestico rem aliquam notabilem accipere, verum etiam neque ex his, quæ proprio labore & industria monasterio acquirit, posse sibi sine proprietatis macula notabilem quantitatem assumere, sine Prælati licentia tacitâ, vel expressâ, ut *infra* latius dicemus. Id tamen quod volui inferre Navar. ex eadem Concl. dicto *C. non dicatis*, n. 13. & latius defendit in *Consil. 75. de regularib.* esse mortale peccatum litteras sine Prælati licentia saltem tacita recipere, non video qua ratione possit constare, nam licet D. August. in Regul. D. Benedict. in Reg. Cap. 54. & Patres alii, ut Cassianus *L. 4. de instit. Cap. 16.* & S. Bonavent. *ut supra* seriò litterarum receptionem, sine Prælati licentia prohibuisse videantur, non ideo tamen judicandus erit lethalis culpæ reus, hujus rei transgressor, nam neque contra paupertatis votum, cum nulla sit ibi materia hujus voti; neque contra obedientiam graviter peccat, cum Reg. Augustini & Benedicti non obligent sub mortali.

An litteras dare, aut recipere sit contra votum paupertatis.

Ultimò infertur Religiosum à Prælato absentem posse, quicquid voluerit, recipere, cum intentione tamen manifestandi Prælato, cum ad ejus præsentiam pervenerit. In hoc enim casu jus Prælati non lædit: imo potius monasterii commodo consulit.

Qualiter peccent, qui ex rebus monasterij sibi aliquid appropriãt.

Secundò in hac re dicendum existimo, non solum peccare mortaliter eum, qui aliquid ab alio sine Prælati licentia recipit, sed etiam qui ex rebus monasterii aliquid sine ipsius facultate tacita vel expressa appropriat. Ita censent omnes communiter, & ex Patribus clarius expressit Bernard. *dict. serm 48.* Dicens: *Qui postquam ad conversationem monasterii venit, de rebus monasterii aliquam facere fraudem præsumit, Judas est, & pœnam Judæ sustinebit in inferno,* & post pauca: *Qui sicut Judas Iscarioth proprium retinent, vel de rebus monasterii aliquid abscondunt, convenit illud: Ascendunt usque ad cælum, & descendunt usque ad abyssos.* Et antè Bernard. Cassianus, qui præcipuè *Lib. 7. Cap. 14.* res monasterii sibi appropriantes etiam Judæ comparaverat. Idem expresè sentiunt D. Bonavent. in *speculo discipli.* D. Antonin. *3. parte Tit. 16. Cap. 1. §. 11.* & non video inter authores, qui ab hac veritate dissentiant.

Probatur primò, quia quamvis res monasterii omnibus sint communes, dominium tamen illarum ad nullum pertinet, sed ad totam communitatem, & dispositio ad Prælatum, ut dicitur in *C. nullam 18. q. 1.* ergo qui aliquid accipit sine ejus voluntate, committit actum proprietatis, cum disponat de re, ac si esset propria.

Potest res aliqua multis dupliciter esse communis.

Pro cujus rationis majori intelligentia advertit optimè Navar. *C. non dicatis. n. 8.* posse rem aliquam dupliciter dici multis communem. Primò ut singulis, ita scilicet ut singuli habeant dominium in partem illius, quomodo hæreditas patris est multis filiis communis, & in hoc casu potest unusquisque ex parte quæ sibi contingit aliquid sine alterius voluntate accipere. Secundo modo ut universis. Quod tunc contingit quando nullus illorum divisivè, vel distributivè sumptus habet dominium in illam, sed omnes copulativè sumpti, id est, tota Communitas. Et in tali casu nullus propria auctoritate potest sibi aliquid appropriare sine licentia ejus, qui à Communitate, ut dispensator constitutus est. Res ergo monasterii quamvis sint communes, sunt tamen communes hoc 2. modo, ut per se manifestum est, cùm nullus ex communitate ratione voti dominium possit habere: Ac per consequens qui sine proprii dispensatoris licentia aliquid sibi assumit, proprietarius constituitur.

Secundò, probatur Conclusio ratione, qua utitur Navarr. in hoc proposito *leg. 3. de restit. Cap. 1. num. 199. dubitatione 3.* Quia aut Religiosus accipit aliquid à Communitate tanquam dominium illius habens, aut tanquam rem alienam. Si primo modo, exercet actum dominii sibi prohibitum, si secundo, rem alienam contrectat, invito domino; utroque ergo modo proprietarius est.

Duplex dubium proponitur & resolvitur.

Sed pro hujus & præcedentis Conclusionis majori explicatione & intelligentia, duo restant examinanda. Primum est, an ut Religiosus securè aliquid possideat, sufficiat Prælatum vidisse, vel compertum habuisse, illum sibi aliquid sumpsisse, & tacuisse, quamvis ipse sine licentia ipsius acceperit?

Silentium sive consensus permissivus & approbativus declaratur.

Respondent optimè Navar. *dict. C. non dicatis, n. 22.* Mendoza, *ubi supra Conclusione 7.* Cordub, *ubi supra quæst. 6. conditione 3. & quæstione 7. punct. 3.* Quod si Prælati silentium solum fuit permissivum non excusat Religiosum à peccato mortali; multa enim mala permittunt Prælati ad majora incommoda vitanda. Si tamen silentium esset probativum facti, jam reputaretur tacita licentia, atque adeo hæc Religiosum securum redderet. Quando verò silentium approbationi æquivaleat, judicandum erit ex circumstantiis rei acceptæ, & personarum, Prælati tacentis & subditi accipientis, ut *infra de licentia tacita* agentes elucidabimus plenius.

Secundum dubium est, utrum qui accipit aliquid sine Prælati licentia, rem tamen acceptam manifestam habet, ita ut à Prælato videri possit, vel sæpè videatur, habeatque animum reddendi, si petatur, mortaliter peccet? Ratio dubitandi pro parte negativa est, quia in tali casu habet Religiosus promptum animum ad reddendam superiori rem illam, si petat: insuper res illa est incorporata monasterio, & Prælati subjacet administrationi: ergo cum his circumstantiis sine licentia accipiens mortaliter non peccat.

Confirmatur, quia si Prælatus videat rem acceptam, & taceat, consentire videtur.

Hujus

Hujus dubii ea sit resolutio. Quod si præsumatur tunc tacita Prælati licentia fieri id posse, cessante verò hac præsumptione minimè: licentia verò tacita præsumi non debet, eo ipso quod Prælatus rem acceptam usuique proprio applicatam videat, taceatque; nam sæpe ad majora scandala vitanda Prælati tacent inviti. Quare non sufficit rem acceptam Prælati administrationi subjacere, sed ulterius requiritur, ut ipse rem illam Religioso applicaverit, ut patet ex Patribus, jutibusque citatis: nam & duo hæc ad Prælatum spectare videntur. Alterum est applicare Religiosorum usibus monasterii bona: Alterum post hujusmodi applicationem, ea in aliorum usus, si opus fuerit, transferre. Quare non sufficit Prælati silentium, quod vocant permissivum, sed necessariò etiam requiritur approbativum, quod licentiæ tacitæ locum habet.

Doctrina impensè advertenda.

CAPVT IV.

De peccato proprietatis, quod contingit in retentione occulta bonorum monasterii.

Quando res monasterij occultando graviter quis delinquat.

ALius est proprietatis actus, occultare bona monasterii, etiamsi illa ex Superiorũ facultate alicui concessa fuerint: cùm aliud sit aliquid inscio Prælato accipere, & occultè sive manifestè illud retinere. Aliud verò cum licentia nostris usibus applicatum occultare, hoc est quod quærimus in præsenti.

In quare, ut certum statuo Religiosum aliquid occulto retinentem, ne sibi à Prælato auferatur, etiamsi id præmissa Prælati tacita licentia acceperit, graviter peccare, si tamen alio fine occulter, non erit mortale. Ita Bernard. *Ser. 48. ad sororem* de modo vivendi: *Ergo si ancilla DEI* (inquit) *habet aliquid peculiare vel absconditum, quod à cæteris ancillis DEI ignoratur, furtum est: peccatum furti est. quare quia omnia habet in communi cum cæteris ancillis DEI, & quasi proprium sibi aliud abscondit, hoc furtum est. Hæc manifestata fraus est. Hoc grande peccatum est, hoc est iter infernum.* Et infrà: *ancilla DEI, quæ semetipsam separat, aliquid quasi proprium abscondendo, consequens est, ut separetur à consortio cœlestis vitæ.* Et in fine sermonis concludit: *Tu Soror venerabilis, nihil celes, nihil abscondas, nihil apud te absconsum reponas in abscondito, nihil retineas apud te, nihil remaneat absconditum.* Hæc Bernadus.

Ponderanda etiam sunt Hieronymi verba in Regul. Monacharum Cap. 3 *Hæc perpetuò in vestro monasterio observatio maneat, quod nulla omninò tangere, aut aliqualiter retinere audeat per horam censum, aut obolum, aut aliquid quantumcumque minimum.* Ita censent omnes Canonistæ communiter in *Cap. Cum ad Monasterium, de stat. mon.* Et colligitur ex *eodem Cap.* & ex *Capit.* Monachi, *eodem titulo* & *Capit.* quanto *de offic. Ordinarij.* Et amplectuntur Turrecremata, Panormitan. I. And. Archidiaconus, Sylvester, Gerson, Cordoba, quos refert & sequitur Mendoza in *quodlibetis q. 8. concl.* 4. quod expressè docuit Antoninus 3. *parte, titulo* 16. *Cap.* 1. §. 1. Qui omnes uno consensu fatentur Religiosum aliquid Prælato occultantem, ne sibi auferatur, proprietarium esse, etiamsi illud antea cum ejus facultate obtinuerit. Quare in Carthusianorum Constitutionibus, teste Navarro, *cons. 71. de Regular.* excommunicantur, qui occultandi animo, ultra valorem trium solidorum, quando non est quantitas unius argentei Hispani (teste ipso Navarro) retinuerit, donaverit &c.

Probatur primo, quia ut *infrà* dicemus, qui non habet animum promptum, ad reddendum, id quod habet, peccat mortaliter. Ille autem qui Prælato occultat, ne res, quam usui habet, abillo iterum auferatur, non est paratus, ut reddat: ergo. Minor (præterquam quod ex se manifesta est, quia intentio occultandi Prælato, contraria est intentioni & promptitudini ad reddendum quod petit, illamque excludit) probatur; Quia in jure idem est nolle aliquid facere, & fraude utitur id non fiat; unde testis qui fraude utitur, nead testimonium ferendum, quando tenetur, docatur, eodem modo peccat ac ille qui expressè testificari non vult. Quare qui fraude & occultatione utitur ne reddat Prælato id quod petitur, eodem modo peccat ac ille qui expressè reddere non vult.

Secundo probatur conclusio, quia ut ex Conciliis, citatisque Canonibus colligitur, intentio illorum est, ut quidquid est in Monasterio, aliis rebus sit incorporatum, & Prælati subjaceat administrationi: ille autem qui aliquid Prælato occultat, id ab ejus administratione sejungit, & à corpore Communitatis separat. Sed advertendum est hanc Conclusionem, ut *suprà* dixi intelligendam esse, quando subditus occultat aliquid Prælato, ea intentione ne ab illo auferatur. Unde qui sine fraude aliqua aliquid occultat, dummodo illud tempore visitationis manifestet, mortaliter non peccaret.

Ex hac doctrina sequitur *primo*, quod si Religiosus aliquid ab uno Prælato acceptum usui habet, si alius succedat Prælatus, vel ipse Conventum mutet, tenetur illam non occultare sequenti Prælato, etiamsi à primo licentiam obtinuerit, ut occultè illam retineret. Hoc probatur prædictis rationibus; & in particulari affirmat Graffis *prima parte suarum decisionum lib. tertio, Capit. 5. numer.* 8. qui citat Antoninum & Sylvestrum.

Hinc etiá patet, quare clavium usus semper fuerit à Patribus condemnatus. Quia scilicet ex illo sequitur sæpe Religiosos contra Paupertatis Votum multa Prælatis occultare. Quod autem clavium usum Patres detestati sint, testis est Hieronymus in *Regula Monacharum Cap. 4. de Paupertate*; ubi inquit: *Sic sic Apostolicæ fœmina prosiliit limina, peras & sacculos, neque marsupia ex latere pendeant, neque opus sit clavibus, ut jam ex ipsis monstretur exteriorum indiciis, quod nihil habetur intrinsecum præter* JESUM; *quod nihil est clausum ejus, quod est destinatum usibus omnium.*

Dionysius etiam Carthusianus de *reformatione Claustralium art.* 13. & Hugo Victorinus, ut refert Gerson *Alphabet. 22. littera R.* clavium usum omninò prohibent; & Cassianus *lib. 4. Cap.* 15. tempora sua deplorat, eo quod inter Religiosos hic fuerit abusus propter avaritiam introductus. Clavium enim usus possessionis & dominii indicium est. Unde jure civili statuitur possessionem alicujus domus accipienti, claves tradendas esse. Et *Isaiæ* 22. in quo unius Pontificis depositio, & alterius assumptio describitur, per usum clavium potestas data designatur. Et in testamento novo claves Petro collatæ, jurisdictionem

nem ejus, & dominium significant, ut communiter censent PP. inter quos videndus est Chrysostomus, *homilia 55. in Matthæum*, & Gregor. *Lib. 4. Epist. 32.* Quantò igitur potiori jure erunt damnandi, qui non solum intra Monasteria, libros aut aliam supellectilem recludunt, sed etiam ne sibi per suos Prælatos auferantur, apud familiares, vel consanguineos deponunt?

Infertur secundo Religiosum cum licentia aliquid habentem (puta habitum aut tunicam) si postea sibi non sit necessarium, teneri ad illud reddendum Prælato, vel in communi officina ponendum, ut Prælati administrationi subjaceat. Ita in Concilio Mediolanensi. *Epist. 3.* Constitution. C. *de Monialibus*, statutum esse inveniturs præcipit enim, ut quidquid necessarium non fuerit, ad communes officinas reducatur. Unde addit: *Nullaque apud se habeat, præter ea quæ ad quotidianum usum sunt necessaria.* Hieronymus in Regula citata, capite secundo. *Nihil proprium in Monasterijs licet habere, certè non tunicam, nisi ex necessitate portatur, non caligam, neque aliud minimum quidquam.* & Cap. tertiò. *Obtestor vos omnes & singulas coram DEO, ut aurum & argentum atque cito transiens pecunia nulla, cor vestrum seducat, ut nitatur aliqua vestrum cum Ananiæ & Saphira mentiri Spiritui sancto, retinendo apud se aliud quantumcunque minimum temporale ultra ea, quæ ex necessitate portantur, nec tamen hoc nisi de licentia Abbatissæ.*

Ref. ad usum concessas reponendas in communi officina esse à Religiosis, quando illis nō amplius eguerint, præcipiūt plures SS. PP. Regulæ.

Augustinus etiam in *Regula*, & Benedictus, *Capit. 55.* idem, quod Concilium Mediolanense, præcipiunt, ut scilicet vestes non necessariæ ad communia loca deferantur. Benedicti verba hæc sunt: *Accipientes nova vestimenta, vetera semper reddant in præsenti, reponenda in vestiario*, id est, in loco communi. Et infrà addit: *Jam quod superfluum est, amputari debet; & quodcumque vetustum reddant, dum accipiunt nova.* Et Divus Basilius in *Regulis brevior.* interrogatione sexagesima nona *præcipit, quod cellarius sive Oeconomus, quoties vestimentum novum Monachis præbet, vetus ab ipsis accipiat.*

Quibus Regulis quamvis respectu aliorum Religiosorum, qui sub illis non militant, præceptum non contineatur, tamen in quantum vim voti paupertatis explicant, asserentes contra illud esse, aliquid non necessarium retinere, tenentur se omnes conformare. Idem etiam colligitur ex Antonino qui in 4. *parte summæ, titulo 14. Capit. 10.* §. 5. refert Religiosum quendam post mortem alteri sibi amico apparuisse, illique cruta igne concremata ostendisse, rationemque illius pœnæ reddidisse, quia veteres caligas sibi servaverat & in communi custodia non posuerat. Unde in nostra Religione magna cum districtione cavetur, ut quidquid Religiosis necessarium non fuerit, communi tradant custodiæ. Idemque in aliis reformatis Religionibus observari solet. Et in speciali de Carthusiensi refert Navart. *consil. 75. de Regular. numer. 47.* Et ratio hujus doctrinæ est, quia quando Prælatus concedit alicujus rei licentiam, solum concedit illam pro tempore, quo fuerit necessaria. Unde & necessitate & usu cessante à Prælato data extinguitur facultas. Imò verò si Prælatus rem non necessariam conciperet, Religiosus non esset in conscientia tutus, ut in 4. *parte* dicetur.

Quod 1. part. Constitut. Cap. 3. num. 7. his verbis præcipitur: Fratres simul ac rerum usu non eguerint, in communes officinas reponāt.

Ex dictis ultimo colligitur, Religioso qui aliquid cum licentia habet, non sufficere Prælati concessionem, sed ultra hoc necessariam esse animi promptitudinem ad reddendum, hoc est, voluntatem & intentionem ad reddendum, quod habet, quotiescumque petitum fuerit, ut à peccato excusetur.

Itemque animadvertenda doctrina.

Ita censent omnes citati Auctores, & addit Per. Navarra *de restitut. lib. 3. Cap. 1. num. 172.* & Corduba *in Regul. B. Francisci. Cap. 6. quæst. 6. & 7. in fin.* quod qui de Prælato conqueritur, vel murmurat, vel aliis modis nititur, ne sibi id quod habet, per Prælatum auferatur, non esse tutum in conscientia: tunc enim Prælatus non concedit talem rem, sen tantummodo ad majora incommoda vitanda, vel propter subditi protervam, vel certè ad proprium damnum vitandum, illud permittit.

CAPUT V.

An Monachus possit sine proprietatis vitio disponere de re aliqua, independenter à Prælati voluntate.

ITa est annexum paupertatis voto, nihil sine Prælati facultate dispensate, ut merito dubitari possit, sitne aliquis casus possibilis, in quo Religiosus aliquid recipiat, donet, aut apud se retineat sine Prælati consensu. In qua re videtur certum sine licentia Prælati posse Religiosum commendare suis familiaribus, aut amicis, ut pecunias aliquas deponant, vel quodlibet aliud pretio æstimabile apud aliquas personas, ut ab eis eas exigere possit, cum eis opus habuerit, dummodo Religiosus ejus sit intentionis, ut nolit illius pecuniæ, vel rei dominium, neque usum sibi absque Prælati licentia applicare: sed tantum intendat illam habere commoditatem, ut obtentâ facultate ex illo depositio sibi eleemosynam pro suis necessitatibus accipiat. Hoc dictum in simili casu expresse decernitur in C. *exiit* §. *cæterum*, *versic. ita tamen*, *de verb. signif.* tenerque illud D. Bonavent. in sua Regula *Cap. 4. prope finem*, & in quæstionibus supra regulam *quæst. 25.* & Corduba in *Regul. B. Franc. quæst. 8. & 9.* Et ratione constat, quia in prædicto casu nullum dominium, neque jus Religiosus acquirit. Quare sine proprietatis vitio id fieri potest: Imo addit D. Bonavent. *prædicto Cap. 4.* id verum esse etiamsi, qui illam pecuniam deponit, intendat se statim privare dominio talis pecuniæ, & transferre illud in Religiosum, quia quamdiu ille non acceptat dominium, non potest dici Dominus, neque possessionem, neque jus circa talem pecuniam habere. Et sic manet dominium penes dantem, potestque de illa pecunia disponere, ac si noluisset à se dominium illius abdicare.

Vid. noss. Antonij Directorium Regul. part. 2. Tract. 3. disp. 4. sect. 2.

Idem fieri potest, si Religiosus, absque Prælati licentia nuntium aliquem mittat, petens ab amico aliquam pecuniam illi nuntio dari, dummodo intentione supradicta id faciat, nempe non acceptandi, neque utendi ea sine Prælati licentia, potest enim tunc pecunia apud nuntium remanere quousque à Religioso obtentâ à Prælato licentiâ petatur.

Notandum tamen est non licere in prædicto casu, sine licentia Prælati præcipere nuntio, aut

aut depositario ut talem pecuniam hoc vel illo modo expendant, vel jam expensæ rationes exigere, vel talis pecuniæ clavem apud se retinere, ne sine suo consensu distrahantur: quia hoc verè pertinet ad administrationem & usum, ut colligitur ex *Clement. Exivi, de verb. signif.* Aliqui vero existimant Religiosos tunc posse precari depositarium vel nuntium, etiam sine Prælati consensu, ut in hos vel in illos usus pecunias expendat. Mihi tamen hæc sententia nunquam placuit. Nam depositarius vel habet illam pecuniam specialibus usibus tantum illius Religiosi à vero Domino destinatam, & tunc nec precibus nec mandato, poterit eam in alios converteres; vel à vero domino sine ulla limitatione concessa est, ut pro voluntate Religiosi eam administret vel distrahat, & tunc nec mandato, nec precibus Religiosus potest de ea sine Prælati consensu disponere. Nam preces in eo casu mandato æquivalent, & sic Religiosus esset proprietarius, cum de re pretio æstimabili sine consensu prælati disponeret.

Objectio. Dices: si quis à vero Domino precando illud postularet, non esset proprietarius, ergo cum verus Dominus pecuniam deposuerit, ut eam tenens applicet illis usibus, quos Religiosus efflagitaverit, si id à depositario postulatur,

Solutio. non erit proprietatis peccatum. Respond. quod cum dominus illam pecuniam deposuit, habuit animum, ut pecunia pro Religiosi voluntate dispensaretur, & sic voluntas Religiosi est vera causa illius distractionis, etiam si precibus id petat. Quare id petere non potest sine Prælati assensu. Quid enim interest, an precibus vel mandato, quis disponat de re, si disponit, ut principalis causa, & preces tantum sunt nomine tenus. Cum vero eam retinet verus dominus, Religiosus solum est quoddam instrumentum morale, suis precibus dominum movens, ut eam hoc vel illo modo largiatur.

Secund. Non videtur peccatum proprietatis, propria manu attingere pecuniam, aut quippiam aliud, animo non acquirendi dominium, neque possessionem, neque aliud jus; sed solum intentione deferendi illam ad suum Superiorem, aut petendi licentiam illâ utendi: sicut non esset materia proprietatis, nummos aliorum ad Prælatum deferre. Neque in hoc est, cur immoremur, cum idipsum Fratribus Minoribus prohibitum sit. Et idem erit in illis Religionibus, in quibus præceptum est prohibens talem acceptionem.

Quod si quis vellet servare apud se pecuniam illam, aut rem pretio æstimabilem sine licentia Superioris, etiamsi serveturcum animo non utendi illâ sine facultate superioris, neque habendi aliquod dominium aut possessionem, sed tantum expectandi aliquam occasionem, vel necessitatis propriæ, vel alterius opportunitatis, ut eam à Prælato sibi obtineat, verè non excusaretur à peccato proprietatis. Ita sentit Victoria apud Lud. Lopez *in instructorio* C. 156. cujus sententiam ipse etiam amplectitur, & ea ratio assignari potest, quia Religiosus nihil inconsulto Prælato apud se retinere potest, sed statim & in continenti omnia superiori tradi debent, ut in *Cap.* Cum ad monasterium, *de stat. mon.* & Cap. 2. *sessionis* 25. Concilii Trid. Probatur, & à nobis *Sup. in C. de vitando vitio proprietatis, in retentione bonor. monast.* dictum est. Quibus accedit, quod servare aliquid est actus administrationis alicujus rei, & cum administratio spectet ad proprietatem, non potest usurpari sine Prælatorum licentia.

Ex prædictis efficitur non fore materiam proprietatis, si Religiosi sæculares rogarent ut dent eleemosynas parentibus aut consanguineis Religiosorum, nec similiter ipsos Religiosos prædictas eleemosynas accipere, consanguineisque deferre, dummodo habeant animum non acquirendi dominium, neque jus aliquod (nam tunc dominium manet apud dantem quoadusque parentes & consanguinei recipiant) & dummodo dominus pecuniæ decreverit quid faciendum sit de illis, quibus dandæ sint & quantæ.

Nam si indeterminatè sine eo quod designet personas, aut quantitatem, Dominus pecuniæ eleemosynam à Religioso elargiendam præbuerit, tunc dubitatione non caret, an monachus sine licentia Superioris possit determinatis personis illam erogare. Viris doctissimis hujus temporis id sine Superioris consensu fieri non posse videtur, quia electio personar. & quantitatis elargiendæ distributio & taxatio ad administrationem pertinent, & sic requiritur Prælati assensus; quæ sententia mihi probabilior videtur.

3. Certum est, quod Religiosus potest accipere sine proprietatis vitio ea quæ licet magnæ æstimationis sint, non tamen sunt aliquo pretio æstimabilia, ut ossa, aliaque reliquias Sanctorum.

Nec etiam est contra paupertatem, sine licentia honores appetere, aut illos procurare, præsertim Ecclesiasticos, quia illis non renunciatur per votum paupertatis, nec sunt pecunia æstimabiles, ut manifestè colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 186. *art.* 7. *ad* 4. Unde bene colligit Cajetanus posse Religiosum cupere, & obtinere honorem doctoralem, & alios qui in præmium virtutis ac eruditionis conferri solent, verbi gratia, presbyteralem &c. Et post ipsos optimè docuit Navarr. *Comm.* 2. *de Regular. num.* 2.

4. Potest Regularis sine proprietatis nota cupere & habere beneficia Ecclesiastica sine licentia, ut *ibidem* Navarrus docuit, quia ut ipse ait, non sunt bona pecuniaria, & sic Religiosi beneficiati habent dominium & possessionem beneficiorum suorum; imo & eis competere potest jus eligendi, etiam absque Prælati consensu, ut præfatus author scripsit *de reddit. q. 1. mon. 9. n.*

3. Quæ sententia quoad beneficia ecclesiastica limitanda est, quantum est ex parte jurisdictionis aut tituli ecclesiastici præcise. Nam sine dubio habere dominium reddituum, aut fructuum prædictorum beneficiorum est contra votum paupertatis.

Hæc dicta sunt de illis rebus, quæ sine Prælati licentia à Monachis haberi aut procurari possunt. Nunc examinare oportebit, an præmissa licentia Prælati possit aliquis casus excogitari, in quo Religiosus utatur aliqua re, sic, ut Prælatus eam ipsi auferre nequeat. In quo illud communi aliquorum Religiosorum praxi receptum est, ut ab extraneis libros, vel aliam supellectilem, non dari, sed accommodari sibi petant, ea conditione, ne alius his utatur rebus. Quâ cautelâ sibi multarum rerum usus assumunt, atque hoc modo

Religioso absque Prælati consensu nihil licet permutare.

modo Prælatorum ligare manus videntur, ne à se, contra voluntatem domini, res sibi concessas auferant, aliorumque usibus applicent.

Hic rerum usus seu potius abusus, (licet in rigore contra paupertatem esse non videatur) longè tamen arceri debet à Religionibus reformatis, ubi omnia in communi omnibus administrantur, secundum uniuscujusque indigentiam. Abusus enim ille vitæ communi derogat, in quantum non pro necessitate, sed pro libito, rerum usus indulgetur, & maximam præbet ansam peculiis: imo ipsis deterior est, nam peculia pro nutu Prælatorum auferri, & in alios usus converti possunt, in illo vero casu, neque Prælati (ut aliqui volunt) potestatem habent, rem illam commodatam, in aliqs usus Monasterii invito domino convertendi. Et demum incentivum est proprietatis, cum his rebus subditi assuescant appropriare sibi bona alia, nolentes ad alios usus transferri. Quare id in benè ordinatis Religionibus permitti nullatenus debet; quod si permitti contingat, eâ conditione fieri debet, ut res mutuata, sicut & alia Monasterii, indifferens sit, omniumque usibus exposita, secundum quod Prælato placuerit. Alias Prælati id concedentes sciant se magnam paupertati maculam inurere, eamque omnino relaxare.

CAPVT VI.

Proprietatis vitium esse, permutare, mutuare, accommodare, aut alio modo contrahere sine Prælati consensu.

Religioso absque Prælati consensu nihil licet permutare.

IN hac re dicendum est primò: Nullum Religiosum ex monasterii bonis, vel ex his, quæ ipse ad usum habet, notabilem posse cum alio quantitatem permutare sine Prælati nutu tacito vel expresso.

Ita docuit Joannes XXII. in Extravag. *Ad conditorem* de verb. signif. *Quis enim* (ait) *simplicem usuarium dicere poterit, cui rem usuariam liceat permutare, vendere, aut donare? Procul dubio hæc naturæ repugnare dignoscuntur.* Et affirmat *glossa*, verbo (*pertinere*) multa ad hoc propositum adducens, & sequitur Alvarus Pelagius apud Ser. *consci. q. 81. in fi.* S. Bonaventura in *speculo discipl.* particula 1. Cap. 4. *Nec potest* (inquit) *in rebus suo usui deputatis, ut sunt libri, vestes, lecti, & alia hujusmodi pro aliis immutare.* Corduba *super Reg.* B. Francisci *Cap. 6. quæst. 4. puncto 1.* ubi dicit quatuor sui Ordinis Ministros hanc sententiam docuisse. Tenet etiam Serena conscientia in Regul. B. Francisci *eodem Cap. 6. 9. 78.* & Abbas Smaragdus *sup. Cap. 33. Regul. S. Benedicti*, cujus hæc sunt verba: *Ex his colligitur, quod neque ab exterioribus propinquis, neque ab interioribus fratribus, licet aliquid accipere, vel cum alio aliquo commutare*: Et ratio, qua Glossa & Corduba *locis citatis* in hujus doctrinæ probationem utuntur, hæc est; quia permutare est actus dominii: permutare enim nihil aliud est, quam dominium unius rei in aliam transferre personam, & ideo est Religioso perhibita atque adeo secundum textum in *L. 1. §. ultimo, ff. de rerum permut.* permutatio illa irrita erit. Quia, ut *ibidem* dicitur, permutatio alienæ rei ipso jure est nulla. Unde Ludo. Lopez *in instruct. Cap. 156.* sententia asserent. Religiosum posse aliquid cum alio permutare, vel falsa est, vel ipse de permutatione exiguæ quantitatis loquitur, aut de ea permutatione, quæ cum licentia tacita fit, quod ipse satis expresè indicat.

Dico 2. Non solum actus permutandi est actus dominii, sed etiam actus mutuandi, ac per consequens Religioso illicitus.

Neque mutuare, aut accommodare.

Pro hujus conclusionis pleniori probatione ex communi DD. Sententia præmitto duplex esse mutuum; aliud, generaliter nomine retento, *mutuum* vocatur, quod nihil est aliud quàm ex meo tuum facere, quod tunc contingit, quando cum re mutuata illius dominium in alium transfertur, quod in mutatione rerum usu consumptibilium necessariò contingit. Aliud vocatur *commodatum*, quando scilicet dominium rei in alium non transfertur, sed tantum usus, ac per consequens res eadem à commodatario vero domino reddenda est; de utraque ergo mutuatione conclusio intelligenda est, quam sequitur Corduba, *loco cit. q. 4.* Serena *cons. q. 75.* & Smaragdus *ut sup.* dicens. *Non enim oportet Monachum ex his, quæ pro necessitate temporis præsentis ab Abbate suscepit, dare vel commodare quicquam, nisi in Abbate illi fuerit ordinatum.* Unde apud Carthusien. 2. *parte stat. antiquor. Cap. 31.* non solum mutuarius actus prohibetur, sed etiam excommunicationis pœna contrarium facientibus adjungitur, & in nova collectione (excommunicatione semotâ) idem scriptum reperitur. *Cap. 19. n. 6.* & simile statutum apud PP. Societatis JESU dicit vigere, in quibus Religionibus prædicti actus prohibentur veluti actus proprietatis, ut in ipsarum Constitutionibus declaratur.

Duplex dare mutuum.

Ratio à priori est, quia aut Religiosus mutuum dat, aut commodatum, & utrumque est contra paupertatis votum, & de mutuo quidem id manifestum est; quia cum in mutuo dominium transferatur, & Religiosus nullum possit dominii actum exercere, sequitur non posse aliquid mutuo dare. Et confirmatur, quia ut constat ex *lege*, nemo plus, *de regul. juris.* Nemo potest jus quod non habet, in alium transferre. Quare cum Religiosus nullum dominii jus in re aliqua habeat, nequit illud in alium transferre.

De commodato verò idipsum probatur, quia aut res communes Monasterii commodat, & hoc prohibitum est, nemo enim commodare potest quod suum non est; aut verò commodat id quod sibi ad usum deputatum est, & hoc etiam est illicitum: Usuarius enim usum quem habet, alteri applicare non potest, ut constat ex *§. 1. instit. de usu & habit.* & ex aliis sæpius repetitis; hoc tamen intelligendum est ex vi voti paupertatis, aliter verò judicandum erit ex vi licentiæ præsumptæ secundum varias Ordinum consuetudines, & secundum rerum qualitates, quæ commodantur.

Ratio secunda, quia Religiosus (ut *infra* dicetur) nullum potest civilem contractum celebrare: mutuum autem vel commodatum est contractus civilis, ut constat ex toto *tit. ff. de reb. creditis & ff. commodati.*

Est tamen circa hanc conclusionem advertendum. 1. non solum esse intelligendam respectu sæcularium, sed etiam respectu Religiosorum, si Prælatus expresse mutuationem prohibeat. Rationes enim adductæ, respectu utrorumque procedunt. Dixi (si Prælatus expresse prohibeat) hac enim prohibitione semota inter ejusdem Conventus Fratres non dubium, quin tacita licentia sit præsumenda, ut sibi invicem ea, quæ necessaria sunt, mutuo dent: imo potius contra charitatem faceret qui fratri indigenti, Codicem exceptorium, vel quid simile non mutuarer. Ita D. Bonavent. in *Specul. discipl.* 1. parte. Cap. 4. *In commodandis* (inquit) *pro cohabitantium indigentia rebus non est lex posita charitati.* Cor duba *loco citato q.* 5. ubi Hugonem & Bartholo. de Pisa citat pro hac sententia, imo *quæst.* 9. ex mente D. Bernardini inter proprietarios loco quinto enumerat illum, qui librum, vel aliam rem omnium usui deputatam Fratribus non vult commodare, dummodo ipse illa non indigeat. Et idem affirmat Albanus Pelagius apud Seren. *consc. quæst.* 81.

Ultimò, illud pro comperto statuendum erit, nullum civilem contractum, in quo Religiosus aliquam debeat civilem actionem exercere, posse ab illo sine Prælati licentia celebrari. Ita *Innocentius* Papa communiter receptus in C. *cum olim*, 2. *de privil.* Navarr. C. *non dicatis. num.* 30. *& sequentibus*, & *consil.* 5. *de pactis, num.* 4. Ratio est, quia omnes ii actus sunt actus dominii, cujus Religiosus est incapax, & non solum dominii, sed etiam cujuscunque actionis civilis, ut in prima hujus Tractatus parte probavimus. Quare proprietatem incurrit, si absque Prælati licentia contrahat, cum velit exercere actum juris, cui renunciavit; quapropter talis contractus nullam aut Monacho aut Monasterio infert obligationem civilem, ut omnes Canonistæ fatentur sumpto argumento à servo, vel à filio-familias, sine Domini aut Patris consensu contrahentis. Idque æquè militat in Religiosis simplicibus, ac in Procuratoribus, vel administrationem habentibus, si ultra concessam sibi facultatem contractum celebrarent, ut cum *Innocentio* Panorm. & aliis tenuit Navarrus, *ut sup.* & Molin. *Tomo primo de Iustit. Tract.* 2. *disp.* 140. qui ibidem jure asserit esse peccatum mortale, quando Religiosi absque facultate prædictâ tractâ, vel expressâ, contrahunt cum Sæcularibus, ignorantibus se monasterio obligari, non verò monasterium ipsis, nisi ex bona fide id facerent.

Dubii incidentis

Solutio.

Sed dubitari potest utrum, cum sine Prælati facultate monachus contrahit, licet non civiliter saltem naturaliter obligetur, ita ut in conscientia teneatur facere, quod in se est, ut contractum adimpleat.

Dico in eo casu Religiosum ne quidem naturaliter obligari. Ita Hostien. *In summa.* Panorm. & Felinus. C. *ex rescripto, de jure jurando.* Nam licet servus obligetur naturaliter in eo casu, Religiosus tamen, cum non habeat velle, neque nolle, nullo modo obligatur, & maximè, cum in conscientia peccet contractum celebrando, & sit proprietarius, non video cur in conscientia debeat etiam naturaliter obligari; licet mihi non displiceat id quod Navarrus asserit *Comm.* 2. *de Regul. n.* 42. *in fine*, teneri Religiosum hujusmodi contractus adimplere in quantum potest, saltem dum à Prælato non impeditur, quia sicut votum DEO sine consensu Prælati præstita obligant, donec Prælatus ea irriter, ita promissa homini facta valere & obligare debent, donec eis Prælatus contradicat.

Demum sicut nec ex contractu monachi, ita nec ex ejus delicto, etiamsi ille Prælatus sit, obligatur monasterium, nisi quatenus in ejus utilitatem & commodum fuerit aliquid conversum, quoniam delictum personæ in detrimentum Ecclesiæ non est convertendum C. *si Episcopum 16. quæst. 6.* & regula *delictum, de regul. juris in 6.*

Idem etiam censendum erit de deposito, si apud monachum deponatur; nam monasterium, etiamsi monachus de Prælati licentia fiat depositarius, non tenebitur de deposito, nisi quatenus res deposita conversa sit in monasterii utilitatem, ut colligitur aperte ex *Cap.* 1. *de deposito*; ratio est, quia depositar. solum tenetur de dolo & lata culpa, ut patet in C. *bona Fides de deposito*, & *l.* 1. *ff. depositi*: monasterium vero ex delicto monachi non tenetur, ut nuper adnotavimus; igitur non tenebitur ex deposito collocato penes monachum, quando culpa illius aut perit aut deterius redditur, ut in specie annotavit Molina, *Tomo* 2. *de just. & jure disp.* 525.

CAPUT VII.

Monachum non posse testamentum condere, neque ab aliis condictum exequi.

Videndum restat, an sit contra paupertatis Votum Regularem condere, aut velle condere testamentum, ut sic de omnibus proprietatis actibus clarius constet. Regularis si professionem veram emiserit nullo modo testari potest, ut expresse decernitur in *authen.* Ingressi. C. *de Sacrosanctis Ecclesiis.* Cap. *quia ingredientibus.* Cap. *si qua mulier.* 19. *quæst.* 3. & Cap. 2. *de testamentis*: quæ decisio recepta est *in lib.* 17. *tit.* 3. *part.* 6. Tradunt doctores in prædictis locis, & Navarr. *Comment.* 2. *de Regularibus* à *n.* 43. *& de redditibus quæst.* 3. *monit.* 11. & 12. novissimè Molina de *Justitia & jure.* 1. *Tom.* 2 2. *disput.* 141. & Carolus Tapia in *dicta authent. Ingressi*, verbo *ideoque nec de his Cap.* 1. hujus conclusionis ea est ratio. Quia cum nihil proprium habeant, aut habere possint, ut in dicto C. *non dicatis*, & C. *cum ad monasterium* definitur, testari non possunt. Et præterea quoniam sui juris non sunt, neque velle, neque nolle habent, ut dicitur in Cap. *Quorundam.* & C. *si Religiosus de electione in 6.* Quare à testamenti factione merito rejiciuntur, cum in testamentis primum locum obtineat voluntas testatoris. *l. in conditionibus ff. de conditionibus & demonstrationibus.* Quare testari non possunt tam ex defectu potentiæ, quàm ex defectu voluntatis: quæ duo in quolibet actu requiruntur. Ex quo etiam fit, quod nec causa mortis donare, aut legare possint etiam de licentia Abbatis, ut affirmat Bart. *in dicta authent.* Ingressi, & Præpositus in Cap. *Nulli dubium* 12. *quæst.* 5. *num.* 20. nisi in casu, (ut limitavit Bart.) quo Abbas & Capitulum consentirent mobilia, & modica alienari. Nam immobilia,

Vid. Sanch. sup. citat. Andreas Barbos. in Cap. 1. n. 18. & Leon. Pas. Regular. Cap. 9. num. 15.

billia, neque Abbatem, neque collegium permittere posse alienari cavetur *l. Jubemus, & authent. hoc jus porrectum*, C. *de Sacrosanct. Ecclesiis.* Nam qui alienare prohibetur, is etiam alienationi consentire nequit, ut ibi docuit etiam Bart. & Rodericus, Suarez *allegatione* 20. *n.* 17.

Ad quos extendenda, vel non extendenda sit hac doctrina.

Hujus etiam conclusionis decisio extendi potest ad ipsas causas, ut prædicti Authores tradiderunt, & ex fundamentis pro conclusione allatis manifestè colligitur. Quæ omnia ita vera sunt, ut nec ratione consuetudinis possent testari, cum hæc consuetudo quoad monachos non teneat, utpote irrationabilis, ut inquit Baldus *n.* 5. Jason. *n.* 8. & Decius *n.* 11. in dicta authent. *Ingressi*, quamvis Navarrus *ubi supra n.* 44. contrarium probabiliter sentiat.

Præterea extendi debet ad Prælatos, quia ipsi quoque verè Regulares sunt, & proprium habere non possunt, & ad quoscunque alios Regulares, sive mendicantium, sive non mendicantium, dummodo veram professionem solemniter emiserint in Religione approbata, & ex consequenti non extenditur ad oblatos, qui solemnem professionem non emittunt. Ita docuit Navarr. *ubi supra num.* 45 & latius tradit Carolus Tapia *dicta* authent. *Ingressi, ubi supra n.* 23. *& Cap.* 10. *verbo*, sua, *quia hi verè* Religiosi non sunt.

Ob eandem etiam rationem sub prædicta Regula non comprehenduntur Eremitæ, illi inquam, qui tria substantialia vota non emiserunt, qualis quondam fuit Paulus, ut tradit Gratianus circa C. *pirlatum* 19. *q.* 3. ubi sic ait, *Paulus primus eremita colobium suum Athanasio Episcopo Alexandrino reliquit, sed aliud*, inquit, *est de his, qui in monasterium ingressi se & sua tradiderunt, aliud vero de his, qui solitariam vitam ducentes se nulli Ecclesiæ tradiderunt, illi semel tradita nulli tradere possunt, isti nulli oblata liberi testari possunt.* Ita Gratianus circa *dictum* C. *pirlatum*. Quamvis longè aliter in vita Pauli B. Hieronymus narret. Scribit enim beatum Antonium pallio, quod ei donaverat Athanasius, Pauli corpus involvisse. Sed sive hac, sive illa ratione factum referatur, tamen illud, ut certum ab omnibus defenditur, Eremitas testari posse, quia veri Religiosi non sunt.

Fallit vero hæc regula, primo quando monachus professus filios ante professionem procreasset; nam tunc si ante professionem bona inter eos non diviserat, potest post eam, sive ex contractu, sive testamento dividere legitimam possessionem, quæ ad eos pertinet, & sibi reservare nomine monasterii quantum cuilibet filiorum reliquerit, ut decernitur in *Authent.* si qua mulier. C. *de sacrosanct. Ecclesiis*, & C. *si qua mulier.* 19. *q.* 3. De illa verò parte quæ ad monasterium pertinet, non potest filios meliorare, neque majoratum instituere. Ut expresè docet Molina. *lib.* 2. *de primogeniis.* Cap. 9. *n.* 56. *& sequent.* quia præjudicium infert monasterio, & ut expresè decernitur *dicta l.* 17. *tit.* 1. *parte* 6. 16. *Dexando a cada uno su legitima parte y no mas.*

Præterea fallit, quia Religiosus, licet testamentum condere non possit, potest tamen syngrapham, quam vulgò nuncupamus *memoriale*, facere de his, quæ desiderat fieri potest mortem, ut contra Joan. Trullum notavit Navarrus *dict. Comment.* 2. *num.* 22.

DVBIVM I.

An Monachi assumpti ad Episcopatum possint testari.

DUbium verò est Primum, an Monachi ad Episcopatum, Cardinalatum, vel summam sedem assumpti sub hac regula comprehendantur. Et primò Episcopos non posse testari expresè docuit D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *art. ult. in resp. ad* 3. ubi ait, eos per accidens ab obedientia absolutos, at proprium retinere minimè posse. *Non enim*, inquit, *paternam hæreditatem vendicant tanquam suam, sed quasi Ecclesiæ debitam.* Cujus sententiam secuti sunt Turrecremata *n.* 22. & Præpositus *n.* 23. *in Cap.* nulli, *dub.* 12. *q.* 5. & alii relati à Carolo Tapia *dicta authentica*, ingressi, *verb.* Ideoque nec de his, C. 1. *n.* 32. Et ratio est aperta. Quia cùm adstricti sint Voto paupertatis, testari non possunt de bonis, quæ per ipsos Ecclesiæ acquiruntur.

Vid. Lezanam Tom. 1. qq. Reg. Cap. 17.

Idem sentiunt de Monacho Cardinali effecto Bald. *in authent.* licentiam C. *de Episcopis, & Clericis n.* 3. Philippus Francus in *rub. de testam. lib.* 6. *n.* 75. quos sequitur Carolus Tapia *ubi supra*. Imo & summum Pontificem ex monachatu assumptum testamenti condendi facultate carere affirmavit Philippus Francus *ubi supra*, quamvis contrarium verius existimem. Nam si summus Pontifex potest Episcopis, vel aliis Religiosis, justa accedente causa, facultatem præbere testandi, ut primum dicam, rectè idem poterit pro se dispensare.

DVBIVM II.

An Religiosi militaris Ordinis possint testamentum condere.

SEcundum dubium est, an milites, sive commendatarii conjugati, quales sunt in Hispania Commendatarii D. Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, possint de suis bonis testamentum condere, cum Religiosi sint professionemque emittant? Navarr. *ubi supra num.* 56. & in *Tract. de reddit. quæst.* 3. *monito* 12. tenet eos testari non posse (utpote qui nec dominium habeant rerum, etiam patrimonialium, aut earum, quas sua industria acquirunt) sed pertinere omnia sua ad Religiones militares, quarum sunt Commendatarii professi: ea ductus ratione. *Primo*, quia sunt vere Religiosi, ac proinde pauperes nullius rei dominium habentes. *Secundo*: Quia *Pius V.* proprio motu, cujus verba ipse ut supra refert, Commendatariis omnibus aufert privilegia, facultatesque testandi ab aliis Pontificibus concessa. Quare vult prædictos Commendatarios eodem jure obligatos esse, ac alios Religiosos.

Sententia negans Navarri.

Contraria verò sententia probabilior videtur, quam tenet uterque Molina. alter *libro secundo de primogeniis Cap.* 9. *numero* 69 alter verò *de justitia & jure loco citato.* Quorum potissimum fundamentum est, quia hi non sunt perfectè & integrè Religiosi, cum & castitatis

Sententia affirmans probabilior eligitur.

Votum plerique eorum non habeant, quales sunt Cõmendatarii Christi, regni Lusitaniæ, qui ne quidem conjugalem castitatem vovent. Cæteri vero absolutè eam non promittunt, sed solum vovent conjugalem; similiter paupertatem, obedientiam, totamque regulam ita habent dispensatam, ut magis sæcularibus conjugatis, splendidamque (prout eos decet) familiam habentibus, quam Religiosis accommodata videatur. Et arbitror eorum statuta confirmata esse à Summo Pontifice, nec non & illorum privilegia, quantum ad facultatem testandi, prout usu receptum videmus in omnibus his militibus. Quare vel proprius motus *Pii V.* receptus non fuit, vel contrarius privilegius hodie manet abrogatus.

Solvuntur rationes Navarri.

Fundamentis vero Navarri Respondetur. Ad primum: Nam constat eos integrè, & perfectè Religiosos non esse, sed tantum sunt Religiosi suo modo (ut ita dicam) habentque dispensationem tam in voto paupertatis, quàm in voto castitatis, atque adeo dominii sunt capaces prout conjugatorum status administrantium splendidam familiam habentiumque filios, & uxores postulat. Imo contrarium hujus inobservabile esset omnino. Ad secund. de Motu *Pii V.* patet solutio ex mox dictis.

DVBIVM III.

An possint veri Religiosi cum facultate Superioris testari.

PRimo certum est quod nullus superior inferior Papa potest prædictam facultatem testandi Regularibus concedere. Probat Navarrus *Comment. 2. de Regularib. n. 22.* & patet ex dictis, quia ipsi eam facultatem non habent, ac proinde non possunt aliis conferre. *Secundo* certum est Summum Pontificem posse Religiosis professis, interveniente rationabili causâ, hanc præbere facultatem testandi. Docet D. Thom. *ubi supra* Navarr. *dicto* C. non dicatis *n. 57.* & de reddit. Ecclesiast. *q. 3. monit. 11.* Covarruvias *Cap. 2. de testament. n. 50.*

Nullus superior inferior Papa potest facultatẽ testandi concedere Religiosis: ipse vero interveniente justa causa id potest.

Et ratione constat. Quia Summus Pontifex potest Religioso concedere licentiam administrandi, vel dandi rem aliquam, sine eo quod illi concedat dominium illius rei: ergo capax est Religiosus dispensandi, aut dandi aliquid per testamentum. Quare D. Thom. asserit eum, qui testamentum cum licentia Pontificis facit, non dici ex proprio facere, sed Apostolica authoritate intelligitur ejus potestatem fuisse ampliatam, ut dispensatio illius etiam post mortem valeat.

Distinguuntur quatuor Religiosorum genera, pro faciliori hujus dubii resolutione.

Pro cujus dubii exactiori resolur. quatuor genera Religiosorum distinguit Navarr. Quidam (inquit) sunt *Beneficiarii*: Alii *simplices Religiosi*, qui in Conventibus perfectæ Communitatis residentes, nec habent aliquid proprium: *Tertii* generis sunt, qui beneficia non habent, sed nec in perfecta Communitate vivunt, & cum superiorum licentia, quandam habent quantitatem panis, vini, olei, & cæterarum rerum victui suo necessariarum, ita ut si eis desit aliquid, aliunde quærant, & quod supereſt suis usibus servent: *Quarti* vero sunt, qui cum licentia Summi Pontif. & alia sufficienti causa, extra claustra degunt, & aluntur bonis, quæ ex industria sua, labore, aut eleemosynis quærunt, quorum nihil reddunt monasteriis, neque ab ipsis quidquam recipiunt.

Quid de primis.

De primis, id est, *Beneficiariis*, ut sunt milites, & alii, qui ea forma vivunt, dicit Navarr. Papam solitum esse facultatem testandi illis concedere, nam ea non solum monasteriis non nocet, verum etiam prodest. Illi enim hac spe freti, parcius vivendo multa acquirunt, quæ postea morientibus illis, ab intestato monasterii commodis applicantur.

Prima sententia.

Quid de secundis generis.

Secundis dicit non esse solitum summum Pontificem hanc facultatem concedere; non quod eos proprietarios faceret, sed quia nunquam in vita habuerunt rem aliquam de qua possent disponere, ita etiam nec decet, ut in morte habeant, licet idem ipse optima ratione afferat solitos esse Prælatos in vita, & Summum Pontificem in morte illis Religiosis, qui ex sua industria, vel successione parentum magnas adepti sunt opes, disponendi de aliqua parte facultatem concedere in amicorum vel consanguineorum commodum (pauperum tamen) ad eorum solatium, & aliorum exemplum.

Quid de 3. & 4. Religiosorum genere.

Tertio Religiosorum generi Summus Pontifex eam facultatem concedere solet. Tales sunt Fratres conventualiter, non tamen communiter viventes, quia illud non est aliud quam bonorum administrationem prorogare, ut quemadmodum habent eam in vita per superiorum licentiam tacitam, vel expressam, eam etiam in morte habeant.

Quarto etiam generi Religiosorum facilius hanc solet facultatem concedere. Nam etsi eorum bona sint Ecclesiæ quoad proprietatem, & possessionem, sicut in vita Summi Pontificis authoritate poterant donationes competentes illorum bonorum facere, cur non etiam poterunt ejusdem Pontif. authoritate de iisdem bonis testari in morte. Nequit tamen Summus Pontifex (ut optimè advertit Navarr. *de redd. q 3. monit. 6.*) hanc testandi facultatem in profanos, aut illicitos usus concedere, quia id esset contra naturæ legem, quod antea scripserat Panor. in C. *Cum esses, de testam.* Imò nec ipse Summus Pontifex etiamsi monachus non sit, de redd. Eccles. ad usus profanos testari potest, ut idem Navarr. sentit. Unde licentia testandi à Pontifice concessa Prælatis, aut aliis Religiosis intelligi debet in pias causas.

Præterea observandum est, hanc facultatem testandi concessam extendi posse ad donationes causa mortis, teste ipso Navarr. *d. q. 3. monit. 10.*

Objectio.

Sed dicet aliquis, Regularis simplex, vel quilibet alius poterat de aliquibus bonis cum licentia superioris in pia opera disponere, igitur & hanc et facultatem in morte præbere potest. Nam sicut in vita hac administratione non derogatur voto paupertatis, ita non est ratio, cur hæc dispensatio facta in morte sit contra hoc votum.

Solutio.

Respondet Navarr. *dict. n. 57. vers. (& quia)* nullatenus concedendum regularem in morte posse testari, cum Prælati consensu de his, quæ inter vivos eodem præcedente consensu poterat expendere in suos honestos usus, quia præjudicatur juri publico, & voto paupertatis solemni, in quo solus Papa potest dispensare. Quæ solutio non satisfacit difficultati, quia nõ explicat in quo sit hoc præju-

præjudicium Voto Paupertatis. Quod si velit Navarrus (quod significare videtur) Summum Pontificem tantum posse præbere hanc facultatem, quia ipse solus Pontifex potest dispensare in voto paupertatis, hoc etiam non facit ad rem: quia nulla dispensatio fit, cum prædicta facultas conceditur, sed potius manente intacta ratione, & natura hujus voti, quasi extenditur (ut supra ex mente D. Thomæ diximus, & ipse Navarrus testatur) facultas disponendi in vita ut etiam post mortem valeat, & hoc sine illo præjudicio voti paupertatis fit. Quare dicendum videtur monachum etiam cum licentia Prælati de ullis bonis non posse testari, quia modus hic testandi (etiamsi sit ad pias causas, & de rebus modicis, præmissoque Prælati consensu) pugnat cum essentia, & ratione voti paupertatis.

Primo, quia cum testamentum sortiet testationem mentis, qua disponit quis de rebus suis post suam mortem, ideo voluerunt jura, ut monachi omnino essent alieni à testamenti factione, & cum Prælati voluntate.

Secundum quia jura etiamsi permittant Ecclesiastica bona, maximè mobilia, quæ à beneficiariis ex bonis Ecclesiæ sunt acquisita in vita, in pias causas, aliasque eleemosynas ab eis erogari, prohibent tamen ne prædicta bona Ecclesiastica ab eisdem post mortem, vel testamento, vel alia causa alienentur, ut patet ex *Cap.* Ad hæc. *de testam.* Quare in jure id cautum est, ne Ecclesiastica bona beneficiariorum, imò etiam ab Episcopis acquisita, post mortem ab eis testamento disponantur, quamvis in vita possint de illis disponere. Eodem modo dicendum est in nostro casu, monachum in vita cum licentia Prælati posse bona aliqua erogare, post mortem vero in testamento non posse, quia Ecclesiastica bona hoc gaudent privilegio, ut post mortem alienari non possint, nisi de licentia Papæ. Unde qui ea sine facultate Pontificis disponeret, peccaret peccato proprietatis, erogans sine licentia justa, bona monasterii.

Tert. Quia Prælatus absolutè prohibetur in jure testari, ut expressè habetur in *Cap.* quia ingredientibus, *de testam.* ergo non potest hanc facultatem subdito præbere. Et hæc de testamenti factione.

DVBIVM IV.

An Monachi possint esse testamentorum executores.

REstat nunc, ut de testamentorum executione dicamus. Circa quam constituendum est, Religiosos posse eligi executores testamentorum, ut colligitur apertè ex *Cap.* Tua nobis, *de testam.* & tradunt communiter Scribentes ibi, non tamen possunt tale munus subire, nisi licentia Prælati petitâ, & obtentâ. Ita habetur in C. religiosus, *de testam. l.* 6. & Clement. *unica eodem tit.* Si vero contra voluntatem Prælati executionem gerit, certum est, totum esse irritum, ut latè docet Covarruv. in *Cap.* Tua nobis, *de testam. num.* 2. Sylvest. *verb.* testamentum 2. *n.* 2. Molina de Justitia, & jure *Tom.* 1, *tit.* 21. *disput.* 247. Et ratio est, quia, Religiosus non potest esse administrator ullorum bonorum sine licentia, ut supra probat. & expressè cavetur in Concil. Trident. *Sess.* 25. *Cap.* 2. *de reform. Regularium*, quia administratio est jus quoddam civile pretio æstimabile. Imo ob solam administrationem paternæ hæreditatis filios dicitur habere peculium profectitium, ut patet ex his, quæ *parte* 1. *Cap.* 1. *de peculio profectitio* diximus, esse vero testamenti executorem, nihil aliud est, quam administrare, & expendere bona defuncti, ut habetur dicto *Cap.* Tua nobis. Et Clement. *Exivi.* de verb. signif. §. *verum etiam.* Igitur fieri non potest sine licentia Prælati, ex quo etiam colligitur in dicta administratione sine Prælati consensu assumpta vitium proprietatis committi, omnino nullam esse, ut inter alios observat Emman. Roderic. *Tom.* 3. *quæst. Regul. quæst.* 72. *art.* 1. Prior tamen, sive Guardianus, sive quilibet alius superior ordinarius potest præbere hanc Religiosis sibi subditis facultatem exequendi testamentum, nisi aliud propriis Ordin. Constitutionibus caveatur, ac proinde ipse sine ulla alia Generalis, vel Provincialis licentia poterit esse ex vi juris testamentorum executor.

Ex quo infero Fratribus Minoribus prohibitum esse omnino hoc executorium munus, ut habetur *dicta Clement.* Exivi. §. *verum.* Primò quia id non potest fieri sine contrectatione pecuniæ, quæ omnino eis per suam Regul. est interdicta. Secundo, quia executio est administratio bonorum defuncti. Quæ duo constant ex illis verb. Clementinæ. *Debent sibi scire interdictum quod hujusmodi executionibus, & depositionibus se exponant, Cum hæc sapius absque litigio, contrectatione vel administratione pecuniæ nequeant expedire.* Ubi Pontifex testamenti executionem, dispositionem bonorum, & administrationem appellat. Quamvis si solum secundum hoc obstaret, possent cum licentia Prælati sicut alii Religiosi fieri executores.

CAPVT VI.

Quæ sit quantitas gravis, ut illam dispensans Religiosus contra Paupertatis Votum peccet.

DIcendum primo est, non quamcumque bonorum dispensationem sine Prælati licentia factam, esse culpam lethalem. Hæc conclusio est contra Antoninum & Vandelium, qui (ut Ludo. Lopez *in instruct. Cap.* 156. refert) affirmarunt cujuscunque rei etiam minimæ dispensationem sine Prælati licentia factam esse peccatum mortale: est tamen rigida nimium hæc sententia; quia si materia levis est, & illam dispensare solum leve erit & veniale peccatum. In omnibus enim præceptis locum habet commune illud effatum, parum pro nihilo reputari. Illud tamen cum Corduba in *Sum. quæst.* 109. diligenter advertè, hanc rei levis distributionem (quamvis mortale peccatum non subinferat) nunquam tamen à peccato veniali esse immunem, eoque gravi, ut colligi potest ex modo loquendi SS. Patrum, qui severioribus verbis minimas etiam dispensationes inhibent, magno-

que verborum pondere, eas à monasteriis omnino arcere conantur.

Consulendi sunt Bened. *in Regula*, ubi sine licentia neque codicem, neque tabulas, neque graphium habere vult. Hieron. *in Reg. monachar.* Cap. 3. *Non retineatur* (inquit) *quantumcunque minimum temporale.* Et subdit infrà: *Nulla omnino tangere aut aliqualiter retinere audeat per horam, censum aut obolum, aut aliquid quantumcumque minimum.* Amplectitur idem Bonaventura *in 1. parte speculi particula 1. Cap. 4.* his verbis, *sine licentia superioris ne habeatur tabula, aut acus.* Cassianus *lib. 4. de institutis renuntiantium Cap. 13.* de monachis loquens, hæc habet verba: *Nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid quod ut proprium retinens, suo debeat communire signaculo.*

Hos Patres secutus Carthusianus *de reform. Claus. Cap. 14* Hugo *super Reg. B. Franc.* Author conformitatum *ibidem*, Serena *Conse. quæst. 81.* & Corduba *super eandem Reg. quæst. 6.* qui omnes affirmant Religiosum sine licentia habentem filum, acum, calamum vel quid simile peccare, & esse proprietarium. Quod non est sic accipiendum, quasi is Religiosus peccatum lethale proprietatis incurreret, sed duntaxat quod committat peccatum, quod in genere suo est proprietatis, etsi ratione parvitatis materiæ sit peccatum veniale. Idemque docuit Petrus Damianus in *Apolog. de contemptu sæculi*, in qua strictissime de hac materia locutus est.

Consulēd. Lezama Tom. 1. qq. Reg. Cap. 6. n. 57. & *Anton. à Spiritu S.* 2. part. direct. Regul. disp. 4. sect. 3. nu. 186.

Reliquum igitur est, ut explicetur quænam materia pro gravi ducenda sit, ut illam distribuens mortaliter peccet. In hac re Navarrus *de restitut. Cap. 1. Lib. 3.* alios ex Thomistis imitatus, & sequitur Graphis *1. parte suar. decision. Lib. 3. Cap. 5. num. 49.* Idem judicandum de proprietatis peccato, & de futuro à sæculari commisso ferendum esse censet, atque adeo illam dicit esse respectu Religiosi materiam gravem, sufficientemque ad peccatum mortale proprietatis constituendum, quæ respectu sæcularis esset materia furti. Hæc tamen sententia ab aliis hujus temporis viris doctis juxta ac piis & gravibus, nimis ampla existimata est; dicunt enim non esse eodem modo de peccato proprietatis, & de furto judicandum, cum enim Religiosus non solum ratione paupertatis, sed etiam sæpius ratione justitiæ adstrictus sit (ut *sup.* diximus *Cap. 3. hujus partis 2.*) sequitur minorem respectu illius materiam sufficere, ut proprietatis peccatum mortale committat.

Unde deducunt primo illam materiam, quæ respectu furti dubia est, an sit peccatum mortale constituendum sufficiens, esse certam respectu proprietatis. Secundo inferunt esse peccatum mortale proprietatis in Religioso unum argenteum sine licentia dispensare, cum enim hæc materia respectu furti sit dubia, imo valde probabilis secundum illos, consequenter docent absolutè loquendo esse materiam certam respectu proprietatis. Et quantum ad hoc quod unus argenteus sit materia gravis respectu omnium Religionum, amplectitur hanc sententiam Cordub. in *sum. quæst. 109.* secutus Navarrum *in C. fin. 14. quæst. 6.* & in manuali. *Cap. 17. num. 3.* qui affirmat unum argenteum in regno Hispaniæ esse materiam gravem respectu furti. Et idem sequitur *Cons. 57. de Regular. dub. 3. num. 7.* ubi de Religiosis tractans dicit tres partes unius argentei (Hispaniè tres quartillos) & ad summum, unum argent. esse materiam gravem. Quam opinionem etiam sequitur Salon *de just. & jure quæst. 66. art. 6. controversia 1.* potestque primo hæc sententia fundari, quia in Ordine Carthusiensium (ut ibidem Navarrus refert *2. parte statutor. antiquorum, Cap. 31.*) statutum habebatur, ut Religiosus, qui post obitum habens 12. dipondia deprehensus fuerit, extra Conventus claustrum & cœmeterium, terræ mandetur; quæ statuta à Sede Apostolica confirmata fuêre. Qua confirmatione suppositâ potest non leve argumentum pro hac sententia formari, in hunc modum: Ecclesiastica sepultura carere, culpam mortalem supponit, ut in Cap. *pro obeuntibus*, & in Cap. *non æstimemus 13. quæst. 2.* & sequitur glossa in Cap. Ex parte, *secundo de sepulturis*, ergo 12. dipondia respectu earum Religionum, quæ divites, amplosque redditus possidere dicuntur (qualis est Carthusiensium) erit materia gravis.

Secund. Quia in eadem Religione, *loco citato*, qui sine Prælati licentia tres solidos expendit, excommunicationis pœnâ mulctatur, hæc ergo erit sufficiens materia ad peccatum mortale, cum excommunicatio major lethale peccatum supponat, quæ pœna in nova etiam statutorum collectione *parte 2. Cap. 19.* confirmata hodieque observata invenitur.

Alii vero DD. moderni, quos Mendoza *quæst. 8.* sæpe citatâ imitatur, tenent peccati proprietatis materiam esse, duos argenteos dispensare, sequuntur enim communem Thomistarum opinionem, asserentium hanc esse materiam furti gravem, & eodem modo de peccato proprietatis concludunt. Mihi tamen difficile admodum videtur, tam respectu sæcularium, quam Religiosorum, furtis certam limitare materiam, neque ausi sunt antiqui & graves Theologi hanc materiæ gravitatem ad amussim decernere. Quare neque apud D. Thomam, Scotum, Paludanum & alios veteriores Theologos, quidquam certi de hac re cautum reperitur; sed quia nostri ævi Scriptores, arenas maris computare moliuntur, ne nos ab hac communi via deflectamus, advertendum duximus; quantitatem gravem non posse respectu omnium Religionum esse æqualem; aliæ quippe locupletiores, aliæ pauperiores sunt, ideoque quæ respectu unius est materia levis, respectu alterius gravis erit censenda. Hanc doctrinam ex D. Thom. colligo *2. 2. quæst. 32. art. 4. ad tertium*; ubi docet materiam gravem non solum sumi absolutè & à parte rei, sed etiam per comparationem ad paupertatem vel divitias domorum, exemplo eleemosynæ, quam vidua imposuit gazophylacio, quæ, comparatione tenuitatis ipsius, magna erat.

Dubitationi igitur propositæ respondeo, merito respectu omnium Religionum judicari quantitatem gravem duos argenteos; Ita communiter tenent Thomistæ, Mendoza *ubi supra* quamvis Navarrus, Corduba, & Ludov. Lopez strictius loquantur; Ratio est, quia hæc in furto absolutè gravis materia reputatur, & à fortiori in Religiosorum furtis; in Religionibus vero, quæ

quæ strictiorem servant paupertatem, forte minor quantitas gravis materia judicari posset. Quod si nobis quispiam objecerit, viros graves & peritos aliarum Religionum, majorem quantitat. prædictâ sine scrupulo dispensare. Resp. 1. Sapientiores esse eos, qui pro nostrâ sententia citati, quos æquum esset hac in re, omnes quantumvis graves & religiosos, qui paupertatem exactè observare cupiunt, sectari. Resp. secund. præfatos etiam Religiosos sine scrupulo dispensatè decem & duodecim argenteos, ex quo tamen colligere non licet, nobis id esse permissum. Unde addo *tertio* credendum esse illos à Prælatis suis tacitam vel expressam licentiam habere, & contrarium sine temeritate judicari non posse, hæc autem interpretativa facultas apud nos locum non habet ut *in 3. parte* hujus Tractatus comprobabimus.

Ex dictis elicitur primò; gravius peccare Religiosum, qui ab alio Religioso ex his, quibus utitur, dictam quantitatem assumeret, quàm illum, qui eandem vel à sæculari, vel à communibus Conventus bonis furaretur. Ita colligitur ex Conc. Mediolanen. I. 1. *parte constit.* C. *de monialibus*, ubi postquam docuit proprietarios castigandos esse, subdit: *& multo magis, quæ ex communi, aut ex eo quod alicujus usui tributum sit, furtum sibi aliquid vendicaverit.* Et ratio est, quia majoris perturbationis causam præstat, & aliorum Religiosorum propter hoc æstimatio diminuitur, & ut claves in Religionem introducantur, viam pandit, quæ multa secum damna advehere solent, licet hæc major gravitas non sit intra limites Voti paupertatis.

Secund. Ex dictis constat idem de aliis rebus pretio æstimabilibus, ut sunt vestes, cibi &c. quod de pecunia, censendum esse; hinc qui sine tacito vel expresso Prælati consensu acciperet, daret, vel à Conventus bonis subriperet notabilem harum rerum quantitatem, dubio procul mortalis noxæ reus fieret, idque hac potissimum ratione quod (uti *Cap.* 4. 1. *partis* dictum fuit) non modo pecunia, sed quæcunque alia res pretio æstimabilis est materia Voti paupertat. ideoque non tantum is, qui notabilem pecuniæ quantitatem sibi assumit, contra illud peccat, sed etiam qui aliis ex rebus etiam comestibilibus eandem quantitatem infideliter distribuit; nisi alias tacita vel interpretativa licentia prælati præsumeretur, quam puto præsumi sæpenumero in Religionibus laxioribus, minimè vero in reformatis, in quibus omnia etiam minima, sine Prælatorum prævia licentia nec accipi nec dispensari à Religiosis possunt.

Gemina incidenti dubitationi satisfit.

Restant tamen circa traditam doctrinam duo dubia explicanda; Primum est, si multi Religiosi aliquam rem notabilis quantitatis sibi assumant, an omnes peccent mortaliter, quamvis pars, quæ sigillatim unumquemque illorum contingit, minima sit, ex monasterii bonis? Resp. affirm. quia quilibet illorum ita peccat, ac si totam illam solus sibi assumeret, idque manifesto exemplo comprobari quam facile potest, ducto ab iis, qui communi consensu vineam ingredientes notabile damnum inferunt, in hoc enim casu omnes concedunt quemlibet ex illis lethaliter delinquere. Nec valet excusatio dicentium, res Conventus esse communes, quia (ut supra dicebamus) non eatenus communes sunt, ut quilibet illorum habeat jus ad sumendum ex illis quidquid sibi adlibuerit, sed quatenus in communem omnium utilitatem à Prælatis dispensari debent, & non à subditis.

Secundum dubium est; utrum peccet mortaliter Religiosus, qui multoties res parvi momenti sibi assumit, ita ut ex omnibus illis notabilis quantitas consurgat. Resp. cum Navarro *de regular. cons.* 75. *n.* 28. & Graffis 1. *part. lib.* 3. *Cap.* 5. *n.* 51. multa furta parva in Religioso, quamvis notabilem quantitatem attingant, non esse peccata mortalia, si sine fraude fiant, id est, si fiant sine intentione multoties sumendi per partes, quod totum simul sumi non potest. Et ratio est, quia sicut similia furta in uxore & filiisfamil. à peccato mortali excusantur, ita pariter in Religioso, qui filius etiam est, excusanda videntur.

CAPVT IX.

An teneatur Religiosus illa, quæ sine licentia Prælati expendit, restituere.

PRimo in hac re constituo Religiosum ad restituendum teneri. Et ratio est, quia omne furtum inducit restituendi obligationem, atque ideò si Religiosus furatus fuerit, ad restitutionem tenebitur. Quod ut determinatè & delucidè magis explicetur; ex superioribus notandum, peccatum proprietatis crebro ipsi furto conjungi, ut v. g. quando Religiosus ex bonis Conventus extraneis quippiam distribuit; aliquando vero à furto sejunctum est, ut, si ex his, quæ usui habentur, vel ex communibus Conventus bonis aliquid alii ejusdem Conventus Religioso tribuat, in hoc enim casu, ut *supra Cap.* 2. hujus partis probavi, quamvis peccet Religiosus contra votum paupertatis, nihil tamen furatur. *Vid.* director. Regul. *nost.* Antonii 2. part. Tract. 3. disp. 4. sect. 7.

Hoc supposito addo secund. quando Religiosus nihil furatur, nihil restituere tenetur, tenebitur tamen ulterius ab actione dispensandi cessare, & si res dispensata adhuc permaneat, ut v. g. si sit vestis, aut liber, quæ facilius permanere possunt, tenebitur accipientem monere, ut sibi, vel in eos usus reddat, quibus antea erat à Prælato deputata.

Dico tertio. Quando Religiosus furtum simul cum proprietate committit, exempli gratia, quando ex bonis monasterii extraneis, sine licentia aliquid donat, vel alio modo alienat, tenetur rem alienatam Conventui reddere, & si ad tertiam personam devenit, ut ad Conventum redeat, conari; si tamen res illa ab accipiente bona fide consumpta est, non tenebitur accipiens illam restituere. Ita sentiunt Corduba in *summa quæst.* 109. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *Cap.* 1. §. 11. *notab.* 4. Sylvest. *verbo* Religio. 6. *n.* 7. Navarra *Lib.* 3. *de restit. Cap.* 1. *num.* 181. & *num.* 200. & *Lib.* 4. *Cap.* 2. *nu.* 122. citans Paludanum & Palacios, quos & sequitur Navarrus *de reddit. quæst.* 2. *mon.* 20. & *Comm.* 2. *de regul. n.* 21. & *cons.* 75. *de regul. n.* 5. Molina *Tomo* 1. *de just. Tract.* 2. *disput.* 140. & *disp.* 84. imo & Prælatus si donet, vel ob turpem causam; vel sine justa causa, quia non habet ex

officio facultatem ad hæc, restituere tenetur, ut Navarrus & prædicti affirmant.

Dico quarto, si res accepta non sit apud Religiosum accipientem, neque apud tertiam aliquam personam, tunc non teneri Religiosum illum, (maximè si sit simplex Religiosus) ad restitutionem, quia non habet unde restituat. Illi vero Religiosi qui peculium habent, tenebuntur restituere, ut multi ex prædictis docent Authores. Ex quo efficitur personam accipientem, quamvis bona fide à tali Religioso, (& si is Prælatus sit,) ad rem acceptam restituendam teneri, si fortè adhuc res maneat, ut Navarr. *Cap.* non dicatis, *num.* 31. sequens Majorem *in* 5. *dist.* 38. & colligitur ex citatis Authoribus in 3. Conclusione, & sequitur illam Guillel. Parisien. *tit. de moribus. Cap. de paupertate.* & Joan. Molanus in Compendio Theologiæ *tit.* 5. *Cap.* 2. *can.* 4. Et ratione clarum evadit, quia contra jus divinum est, ut D. Thom. docet 2.2. *q.* 32. *art.* 7. *ad* 2. ut quis lucretur, vel accipiat aliquid ab his, qui rem suam alienare non possunt, quare ad restitutionem tenetur, ut ibidem probat Divus Thomas.

CAPVT X.

De licentia Prælati, quæ præcedere debet, ut monachus justè res monasterii dispenset:

SÆpe in Superioribus docuimus Monachum sine sui Prælati licentia monasterii bona dispensantem, in vitium labi proprietatis. Restat nunc, ut de eadem licentia ex parte Prælatorum requisita, breviter disseramus examinantes, an præcedere debeat Prælati consensus expressus, an vero sufficiat tacitus & virtualis; deinde an ex Prælatorum silentio tacitus consensus præsumatur, & quando; præterea an aliquando ipso renuente Prælato, ex vi licentiæ, quæ debita solet appellari, Religiosus licitè monasterii bona in suam, vel aliorum utilitatem dispēset, acdemum, an semper monachis Prælatorum expressus consensus sufficiat, ubi de justa & injusta à Prælatis data licentia, nonnulla attingemus, fundatur vero universa hæc disputatio in verbis illis *Cap.* Non dicatis, *certum est eos nihil habere, dare, vel accipere sine Superioris licentia debere.* Et in *Cap.* Cum ad monasterium. ibi: *Non præsumat illud accipere, sed Abbati vel Priori assignetur, & sic suscipiatur.* Ac denique in illis verbis *Cap.* 2. Conc. Trident. *Sess.* 25. *de reform.* ibi *Mobilium vero usum ita superiores permittant &c.* De hac igitur prærequisita licentia, sive Prælatorum permissione quærimus qualis debeat esse.

DVBIVM I.

Sufficiatnè tacitus Prælati consensus, ut subditus quamcumque rem possit dispensare.

Exponuntur tria licentia genera.

OPortet primo præmittere tria posse licentiæ genera in præsenti distingui. Primum, quando Prælatus expressis verbis monacho facultatem aliquid dispensandi concedit, quam *licentiam expressam* omnes vocant, & de hac, si justa de causa concedatur, nulla est controversia; nam si hæc præcedat, ea omnia poterit subditus dispensare, quæ talem conferens potestatem superior potest, nam, ut habetur in Regula juris in 6. *quidquid aliquis potest facere per seipsum, idem per alium præstare potest*, ut in hoc etiam proposito notavit Navarrus *Comm.* 2. *de Regul. num.* 23. *Qua sit licentia expressa.*

Secund. Genus continet illam facultatem sive licentiam, quam *debitam*, *justam* sive *rationabilem* vocant, quæ merito tunc præsumitur, quando aliquod se offert negotium adeo justum & necessarium, ut Prælatus teneatur licentiam concedere, & quam, si neget vel renitatur, irrationabiliter sit furturus invitus. Qua ratione servus & filius licitè utuntur rebus sibi necessariis, quæ Domini sunt aut Patris; etiamsi sciant evidenter esse contra eorum voluntatem; quia in illo casu præsumitur consensus debitus Patris aut Domini: eodem fere modo licet debitori retinere rem creditoris, quando irrationabiliter est invitus, & in casu quo ipse creditor consensum præstare deberet, ut communis & vera habet opinio. *Debitam* igitur *licentiam* vocamus quando sese offert gravis aliqua & urgens, vel extrema necessitas; cui Prælatus ex officio tenebatur subvenire, tunc si subditus, (etiam contranitente superiore) suæ vel alienæ necessitati satisfaciat, ex debita licentia, dicetur illud dispensare. *Qua sit debita, ipsa aut rationabilis.*

Tertium genus est *licentia tacita*, quam *præsumptam, virtualem vel interpretativam* Jurisperiti & Theologi nuncupant, de qua latè scripsit Navarrus *Comm.* 2. *de Regular. num.* 20. & 22. quæ tunc præsumitur, quando probabiliter creditur Prælatum approbaturum dispensationem bonorum monasterii, à subdito, ipso ignorante, factam, si eam sciret; ut colligitur ex *l. inter omnes* §. *rectè ff. de furtis*, in qua cavetur non committere furtum eum, qui capit alienum clam Domino, qui libenter daret illud à se petitum. *Qua tacita, præsumpta & interpretativa.*

Præmitto secundo, tacitum hunc consensum duobus modis contingere posse. Primo quando Prælatus certior redditus de aliquo negotio à monacho gesto, neque illud approbat, neque reprobat, & hic dicitur *consensus permissivus.* Alius est, quando expressè approbat, vel approbaturus creditur si sciret, & hic dicitur *consensus approbativus.* Rursum, tam tacita, quam expressa licentia duplex est; nimirum vel *justa*, quando nempe ab eo conceditur, qui habet facultatem eam concedendi, & insuper justam causam ad eam concedendam habet. Qua ratione justam licentiam definit Navarrus *ubi supra*, eam, quæ justè & justa de causa est concessa, de qua in fine hujus Partis dicemus. *Et hæc quoque duplex est. Consulit. circa hæc superius dicitur. Reg. sect 6. & Lezana To. 2. qq. Reg. verb scientia quæ ad Regulares.*

His suppositis dico primo, ut subditus omnia ea possit dispensare, quæ cum licentia expressa dispensare posset, sufficit tacita licentia, sive consensus approbativus. Hæc est D. Thom. 2.2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 1. & *ad* 2. & communis omnium sententia; quia in moralibus taciti & expressi idem est judicium *l. expressi, ff. de regul. jur.* & *l. cum quid ff.* si certum petatur; atque ideo quicquid poterat dispensare cum licentia expressa, poterit etiam cum tacita.

Dico

Dico secundo, etiamsi subditus præsumat probabiliter Prælatum sibi licentiam concessurum, si illam peteret; si tamen alias aperte novit Prælato displicere quod occulte & sine licentia expressa aliquid dispenset, rem illam dispensando peccat. Ita sentiunt Navarrus in C. *Non dicatur.* 2. secutus Cajetan. 2.2. *quæst.* 66. *art.* 5. & in *summa*, verbo, *furtum*, estque communis omnium fere juniorum sententia, quia tunc subditus dispensat contra voluntatem expressam Prælati, sicque à peccato immunis esse non potest.

Porro, quamvis ii omnes peccare Religiosum sic dispensantem, unanimiter fateantur, de gravitate tamen peccati, ejusque specie, multum inter sese dissident. Navarrus enim, Cajetanus *ubi supra*, & juniores alii peccatum tantum veniale esse contendunt, alii vero lethale; in quam etiam sententiam inclinant aliqui moderni, ut Navarra *Lib. 9. de restit. Cap.* 1. Medina *de restit. quæst.* 12. Hæ vero (quæ contrariæ videntur) sententiæ facile conciliari inter se possunt, primæ etenim Authores idcirco dicunt solum esse peccatum veniale, quia loquuntur in casu quo præsumitur Prælatum ipsum factum approbaturum, quamvis alias modus occultè sumendi eidem displiceat; quo posito, veram esse priorem sententiam nemo est qui inficiatur, tunc enim consequenter dicendum est non sufficere quod subditus sciat, se licentiam, modo eam petierit, impetraturum, ad hoc ut non peccet venialiter, sed etiam ulterius requiritur ut sciat Prælatum, factum ipsum approbaturum, quantumvis occultè fiat: secundæ verò opinionis Authores loquuntur in alio sensu, videlicet tunc peccare mortaliter Religiosum occultè dispensantem, quando Prælato non tantum displicet occultè sumendi modus, sed etiam factum ipsum, eo ipso quod tali modo fiat. Contingere enim potest Prælatum ad facultatem hanc concedendam promptum habere animum, & quod occultæ hæ dispensationes illi valde displiceant, quia ex ipsis, proprietatis occasio, aliaque damna monasteriis obtingunt; ita ut displicentia non solum cadat supra modum occultè sumendi, sed etiam, imo & præcipuè, super dispensationem ipsam tali modo factam, & in illo casu nemini fas est religiosum sic dispensantem à gravi peccato liberare, hocque est quod Ludov. Lopez ajebat, scilicet, non sufficere quod ego intelligam Prælatum mihi concessurum licentiam, si peteretur, si alias scio ipsum non daturum illam, nisi expresè ab eo petatur, quia in hoc casu non solum modus, sed etiam ipsa dispensatio, Prælati voluntati contraria est, & proinde hoc modo dispensans peccabit mortaliter, quia absque Prælati consensu facit.

Dico tertio, non posse subditum rectè licentiam tacitam aliquid dispensandi præsumere, si alias dubitat, an Prælatus velit, ut ab illo expresè petatur, quare in dubio non præsumitur; ita colligitur ex D. Thoma 2.2. *d. quæst* 32. *art.* 8. *ad primum*, ubi expresse docet in monacho requiri licentiam probabiliter præsumptam, ut possit eleemosynam facere, & ex Navarro C. *non dicatis, num.* 20. ubi asserit ad licentiam tacitam requiri, quod subditus probabiliter existimet sibi fore licentiam dandam, & dispensationem, Prælato acceptam fore, vel saltem non displicituram. Consentit etiam Ludov. Lopez, *ubi supra*. Et ratio est evidens, quia quando aliquis dubitat de voluntate Petri, utrum velit sine licentia sua, bona sua dispensari, certum est nullum posse illa dispensare, sine Petri licentia, ut confirmat Navarrus in *summa. Capite* 7. *num.* 4.

Dico quarto valde probabile esse, ubi consuetudo inolevit dispensandi cum licentia tacita, posse subditum cum illâ, in absentia & præsentia Prælati aliquid dispensare. Hæc conclusio colligitur ex citatis Authoribus, qui nulla ratione distinguunt de licentia tacita in absentia, vel in præsentia, nam alias in monialibus nunquam tacita licentia præsumeretur, cum semper earum Abbatissæ sint intra claustra monasterii. Circa hujus licentiæ usum consulto advertunt DD. illâ utentem, debere suas passiones & affectus considerare; nam qui circa paupertatis bonum non bene afficiuntur, vel qui ignorantes sunt, & frequenter hac licentia utuntur, non sine magno animarum suarum periculo; ideoque ni si manifesta si præsumptio, nullus licentia tacitâ fretus, sine piorum doctorumque virorum consilio aliquid deberet dispensare, quia facile ob passiones (quæ sæpe mentis aciem rectamque rationem obscurant) vel ob ignorantiam quis decipi potest, taciam licentiam, ubi non est, præsumendo, & in hoc casu consulendos esse viros doctos prudenter adnotavit Navarra *Lib.* 3. *de rest. Cap.* 1. *num.* 171.

Dico ultimo non sufficere ad præsumendum licentiam tacitam, quod Prælatus videat aliquid sine licentia fieri, & taceat; nam ex hoc silentio colligitur consensus permissivus, & non approbativus, multa enim ad majora mala evitanda Prælati dissimulare ac permittere solent. Hæc conclusio est Navarri C. *non dicatis*, *n.* 22. Cordubæ *super reg. B. Francisci. Cap.* 6. *q.* 6. *condit.* 3. & *q.* 7. *puncto* 3. & Navarræ *ubi supra*; itaque necessarius est consensus approbativus, quia hic solum dicitur licentia, non vero permissivus.

Insuper ut subditus in conscientia sit tutus, necessarium est, Prælatum Regulam & Constitutiones suas, quæ circa modum licentiam concedendi disponant, bene intelligere, quia si esset ignorans, vel negligens in suorum subditorum gubernatione ex eo quod dispensationem non impediat, colligi non potest ipsum licentiam tacitam dare, ita affirmat Sylvest. verbo, *consensus*, quia in hoc casu Prælatus non impedit, vel quia intelligit se non teneri ad impediendum, vel quia negligens est, ideoque & si non impediat, imo quamvis approbet, putans se non posse impedire, vel ad impediendum non teneri, non præsumitur similis licentia.

Ex supradictis colligitur secundum varias Religionum consuetudines, & varios Prælatorum mores, majora vel minora esse in subditis motiva, ut hujusmodi tacita licentia, eaque magis vel minus extensa ab eis præsumi possit. Ex quo etiam fit, ut in una Religione sit proprietatis peccatum, quod in alia licitum est; imo inter Conventus ejusdem Ordinis, aut Provinciæ, quod in uno licet, in alio est contra paupertatis votum, non alia ratione, quam ob diversas consuetudines, Prælatorumque conditiones, majorem vel minorem suis subditis facultatem concedentes, ob cujus rei ignorantiam factum est,

Doctrina impensè advertenda.

est, ut multi in hac materia longius aberraverint, eo quod ex consuetudinibus aliarum Religionum, vel Conventuum regulam universalem assumerent, putantes id sibi in sua Religione esse licitum, quod in aliis Religionibus aut Conventibus tacita licentia concedebatur, non animadvertentes, quod quamvis idem sit apud omnes paupertatis votum, ratione tamen tacitæ licentiæ, hic & non illic præsumptæ, vel magis aut minus extensæ in una quam in alia parte, extendi etiam in subditis magis, aut minus hanc dispensandi facultatem: In nostra verò Religione, si Religiosus in monasterio sit, vel in eo loco ex quo facile Prælatum adire possit, illiusque licentiam petere, regulariter loquendo nihil potest sine illa dispensare, quia in hoc casu nulla præsumitur licentia tacita, etiam quoad minimarum rerum dispensationes, eo quod apud nos constet & notum sit, expressam Prælatorum voluntatem esse, quod ad quamcumque etiam minimam dispensationem, ipsorum licentia postuletur, quod patet primo ex *Regula Cap. de cellula Prioris*, ubi sic habetur: *De arbitrio & dispositione ipsius* (nempe Prioris) *postmodum quæ agenda sunt cuncta procedant.*

Secundo colligitur ex Constitutionibus in quibus non solum rerum dispensationes, sed etiam haustum aquæ sumere sine licentia prohibetur. Tertio idem ostendi potest ex laudabili invariabilique Prælatorum & Subditorum consuetudine, Prælati enim hujusmodi dispensationes etiam minimas, sine licentia factas vehementer reprehendunt, & subditi in Capitulo se accusant, si quando contigerit tales dispensationes ab illis sine licentia fieri.

Dixi (*regulariter loquendo*) quia contingere potest casus, in quo aliquis ex nostris posset hac tacita licentia uti, etiam in Prælati præsentia, ut v. g. quando illi de Prælati consensu constaret. Addidi præterea, *Religioso in monasterio existenti*, quia nec faciens habet tacitam recipiendi omnia sibi oblata licentiam, & ex illis sumendi, quidquid sibi pro itinere necessarium fuerit.

Sed quæres, utrum is, qui cum licentia Prælati tacita quippiam dispensavit, teneatur Prælato manifestare, id quod à se factum est. Resp. universè loquendo, ad hoc neminem teneri. Ita colligitur ex Navarro C. *Non dicatis*, n. 20. & ratio ea est, quod tacita licentia prævia, licitè dispensarit, quæ omnes effectus sortitur, quos expressa, ut *Cap. precedenti* dictum est.

Quomodo consensus permissivus ab approbativo discernendus.

Secundo quæres, ex quibus principiis aut circumstantiis possit discerni consensus permissivus ab approbativo, quem diximus esse necessarium, ut monachus licitè dispenset aliqua, cum licentia tacita.

Resp. Id constare posse ex pluribus circumstantiis, ut ex consuetudine & usu Religionis soliræ præsumere in simili casu consensum approbativum. Item Ex personarum superioris, si v. g. sit maximè suavis & pronus ad condescendendum subditis, nec similes dispensationes in aliis casibus reprehendat, quàm subditi. Deinde, ex qualitate personæ subditæ, vel quia magis à superiore diligitur, vel quia majorem habet apud ipsum authoritatem, aut denique, quia expertus est se habuisse in similibus casibus Prælati ratihabitionem: Tertio ex ipsis rebus gestis; nam in levioribus facilius præsumi potest taciturnitas pro consensu, quam in gravioribus. Denique si res gesta, in commodum & utilitatem monasterii cedat.

Cæterum consensum tantum esse permissivum conjici potest ex iisdem circumstantiis. Deinde si Prælatus à potentatibus sive magnatibus precibus molestatus (præcipuè ab his vel à quibus Religio plura beneficia accepit, vel quorum favore indiget) aliqualem dispensationem sive administrationem subditorum non reprobet, tunc subditos in conscientia tutos esse affirmare non ausim, cum iste consensus coactus potius, quam permissivus dicatur.

Ultimo, silentium superioris permissivum præsumitur, si metu fuerit extortum, ut recte Navarr. *Com. 2. de Regul. n. 21.* Unde Religiosus qui sive verbo, sive aliquo signo metum infert Prælato, eo quod ægrè ferat sibi licentiam denegari, vel alias ita graviter murmurat, ut rationabiliter posset superior timere, ne habeatur avarus, aut nimis rigidus, aut ne impediantur suffragia circa dignitates à se licitè obtinendas, tunc non rectè præsumeretur consensus approbativus, ut testatur Dionysius Carthus. *de perfect. monast. art. 11.* & Cordoba *ubi supra*, & complures alii ex junioribus; nam in simili casu, Domino videnti & tacente propter similem coactionem, non rectè ejus substantia ab aliis usurpatur, ut post alios tenet Sylvest. *verbo* furtum *q. 1.* & *ibi* Angelus *n. 8.* & Navarrus in *Summa Cap. 17. n. 4.*

DVBIVM II.

Fierinè aliquando possit, ut renitente ac contradicente superiore licentia præsumatur.

DIximus in superioribus præter licentiam tacitam & expressam, esse quandam aliam, quæ *licentia justa* sive *debita* nuncupatur, qua quis rem aliquam, invito domino, aut Prælato dispensat, in tali casu in quo tenebatur ipse petita à se licentia assensum suum præstare; tunc enim si petita hæc licentia denegata fuerit, quidquid ab inferiori gestum fuerit dicetur fieri cum licentia debita, ut *dict. Cap. 10. Dub. 1.* docebamus, de hac licentia justa sive debita optimè agit Enriquez. *Tom. 1. lib. 6. Cap. 13. lib. 3. de pœnitentia. n. 4.* & *sequentibus*, præcipuè *in gl. lit. E.* & F. Restat igitur *in hoc Cap.* aperiendum, an ista licentia debita locum habeat in Religionibus? In quo id certum existimo, Religioso licitum esse, extremæ suæ necessitati subvenire, sumendo sibi res monasterii etiam renitentibus Prælatis. Nec de hoc est qui dubiter; nam præceptum de tuenda vita propria plus obligat, quam votum paupertatis, & illas easdem res potest quis in aliorum necessitatibus dispensare, dummodo illi sint in extrema necessitate constituti, adsintque aliæ circumstantiæ, de quibus infra.

Idem etiam sentiendum est de necessitate gravi; appello autem gravem necessitatem, indigentiam eorum, quæ necessaria sunt ad commodam sustentationem vitæ, & ad decentiam sui status secundum usum suæ Religionis; quare in hac necessitate potest Religiosus bona monasterii sibi applicare etiam ipso superiore renitente, dum-

dummodo necessitate sua proposita, licentiam à Prælato postulari; ita docuit Navarra *Lib. 3. de restit. Cap. 1. n. 196.* Et probatur ex Concil. Trident. *S. ss. 25. Cap. 2. de Reform.* ubi præcipitur, ut nihil eorum, quæ necessaria sunt Religiosis, eorum Prælati denegent; ex contractu enim in professione inito, Religio ex sua parte obligationem contrahit, Monacho præbendi necessaria secundum usum & consuetudinem sui status. Quare in hoc deficiente Prælato (ad ipsum namque pertinet huic obligationi satisfacere) potest subditus res sibi necessarias, authoritate propria vendicare.

Tria observanda in usu licentiæ debitæ, ne deficiamus in paupertatis voto.

Cæterum, ut paucis usum licentiæ hujus debitæ in praxi servandum comprehendamus, sciendum tria concurrere debere, ut à Monachis justè, ac debito modo exerceatur. Primum (quod sæpè jam repetitum est) ut prius expressa licentia à Prælatis petatur. Secundum, ut justa caussa & necessaria interveniat, nempe ob res necessarias necessitate extremâ, vel urgenti, quæ necessitas boni viri arbitrio judicanda est; nec securè hac in re nos ipsos judices constituimus, cum sæpius ea, quæ utilia tantum sunt, necessaria reputemus, aut decentiam nostri status plus, quam par est Religiosis, extendamus. Quocirca paupertatem raro admodum hanc debitam licentiam in Monasteriis absque periculo exerceri. Tertium, ut non contentus sit Religiosus semel postulasse licentiam, si speret eam adipisci iterum atque iterū postulando; idque per se vel per alios. Nec excusandi sunt Religiosi, qui rebus aliquibus, & pro sui status honestate levibus carere nolunt, sed potius omnia more divitum habere, eaque à Prælatis sine mora sibi conferri volunt, cum status paupertatis, quem professi sunt, præ se ferat quandam indigentiam rerum etiam necessariarum; quare hæc licentia debita solum habet locum cum prædictis circumstantiis.

DVBIVM III.

An semper sufficiat Prælati expressa licentia, ut subditus securè sibi vel aliis dispenset monasterii bona?

Referuntur nonnulli casus, in quibus etiam præmissa Prælatorum expressa licentia Monachi non possunt Monasterii bona dispensare.

REspondeo plures esse casus, in quibus etiam præmissâ Prælatorum expressâ licentiâ Monachi non possunt Monasterii bona dispensare. Primus; si non licentia vi, metuve à Prælatis fuerit extorta; nam tunc verè non excusaretur à peccato, ut colligitur ex *Cap.* Abbas, *juncta glossa*, de his quæ vi met. &c. Hoc ipsum supra agentes de consensu tacito insinuavimus. Idem etiam censendum existimo de licentia fraude, dolove impetrata, ut non incongruè ex dicto *Capite*, Abbas, *juncta glossa* potest deduci, & no avit Navarrus *Comm. 2. de Regul. n. 21.* Dolus autem vel fraus tunc contingit, quando circumstantia quædam celatur Prælato, quam si agnosceret, licentiam illam denegaret. Ad hæc etiam potest reduci licentia à monachis querelis, minis aut murmurationibus contra Prælatum fusis, extorta, ut superius etiam annotavimus, nam constat licentiam illam magis dicendam esse permissionem coactam, ut Navarra advertit *Lib. 3. restit. Cap. 1. n. 173.*

præmissa Prælati licentia Religiosis non licet de monasterii bonis disponere.

Secundus casus, quando Prælatus concedit subditis rem aliquam ad utendum vel distribuendum contra regulam aut statuta propriæ Religionis; nam eo casu tam concedens, quam hi quibus concessio fieret, peccarent contra paupertatis votum; nam quamvis administratio bonorum monasterii Abbatibus, Prioribus aut Prælatis aliis commissa sit (ut expressè habetur 18. *quæst.* 2. Cap. *nulla*) tamen jura hæc & alia, si quæ sunt, limitanda veniunt, ut intelligatur tantum in illis casibus, in quibus non obstant regula aut propria Ordinis statuta, quia tunc neque Prælatus jure utitur administratione sibi commissa, neque subditus re sibi concessa, quare neuter est in conscientia tutus, neque ille administrando bona sine juris aut regulæ facultate, quod idem est, ac si sine licentia administraret; neque hic utendo bonis à non habente administrandi authoritatem, concessis.

Idem quoque judicandum erit casu quo Prælato inferiori, à superiori Prælato inhibeatur monasterii bona administrare, in hunc illumve usum, possunt enim Prælati superiores inferiorum jurisdictionem justis de causis limitare, & tunc inferioribus Prælatis non licet sine proprietatis vitio, sibi ablatam authoritatem reassumere.

Tertius casus, si Prælatus subdito licentiam utendi re aliqua liberè & independenter à se; quia tunc similis licentia esset injusta, & Monachus ea utens, proprietarius, ut infra plenius disseremus.

Idem etiam censendum erit, cùm Prælati Monachis præbent facultatem utendi rebus Monasterii in omnes usus indifferenter sive licitos sive prophanos, quamvis id fiat dependenter à sua voluntate, cùm hoc ipsum Prælatus facere nequeat ut in sequentibus etiam latius dicemus.

QVAR-

QUARTA PARS HUJUS OPERIS.

De distributione bonorum monasterii, qualiter facienda sit à Prælatis: & de modo, quo subditi ad usum rebus concessis, uti debeant.

Textus in Cap. *Non dicatis.*

Sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique vestrum à Præposito vestro. & infrà. *De quo tamen nihil aliud fiat, nisi quod Prior iusserit.*

Textus in Cap. *Monachi.*

Nec peculium permittatur habere. & infrà. *Qui verò peculium habuerit, nisi ei ab Abbate fuerit pro injuncta administratione permissum, à Communione removeatur altaris.*

Textus in Cap. *Cum ad Monasterium.*

Tales enim ad agenda officia monasterij deputentur, qui fideles fuerint, & discreti; nec alicui committatur obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.

Textus in Trident. *Sess.* 25. Cap. 2.

Nemini igitur Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus, possidere, vel tenere: Sed statim ea superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum, seu Conventuum ad solos eorundem ad nutum superiorum amobiles pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat. Nihilque superfluum in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quod si quis aliter quicquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta sua Regula & Ordinis Constitutiones puniatur.

ORDO

ORDO SERVANDVS.

EX prædictis juribus id imprimis colligere possumus, quod omnia monasterii bona omnibus debeant esse communia; eo tamen pacto, ut eorum administratio, & distributio ad solum Prælatum pertineat, id expresse ex prædictis verb. *dict.* Cap. Non dicatis, & ex illis sacrosancti Concil. Trident. *mobilium vero usum ita superiores permittant*, &c. apertè constat. Nec volunt jura ita monasterii bona à Prælatis administrari, ut ipsi per seipsos illa dispensent; nam illis permissum est officiales creare, ac constituere, ita tamen ut ii fideles sint, & discreti, & administratio bonorum non sit illis in perpetuum commissa, sed sint ad nutum amobiles, sic nempe, ut cum oportuerit amoveri possint, ut *dict. Cap.* Cum ad Monasterium, & *dict. Cap.* 2. Trid. *Administratio autem bonorum*, &c. decernitur.

Denique prædicta Jura Prælatis modum præscribunt, qualiter sibi injunctum administrationis munus debeant exercere; nempe ut subditis necessaria provideant, superflua negent, ut in ultimis verbis Concil. cavetur. Præterea ut peculia Monachis non permittant, de quo in dict. Cap. *Monachi*; & in *Trident.* agitur.

§. Itaque nos in hac parte, primò de vita communi, & distributione à Prælatis juxta Regulas vitæ communis faciendâ disseremus.

§. Hinc de cautis, quæ intervenire debent, ut hæc distributio sit justa, ubi de vitanda superfluitate ac de peculio Monachis non permittendo disseremus.

§. Ac postremò de parcitate, quâ in bonis sibi à Prælato concessis Religiosi uti debent.

CAPVT I.

A Prælato faciendam esse omnium bonorum Monasterii dispensationem, vel ab Officialibus ab eo ad id deputatis.

Probatur ex jure Canon. ac doctrina Pontif.

PElagius Papa in *Epist. ad Opilionem* (de qua fit mentio in Cap. nullam 18. *quæst.* 2.) ita de authoritate Abbatum, sive aliorum Superiorum Monachorum rescripsit, dum ait: *Ut decatero fideliter, & studiosè universa, quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem Monasterii pertinent Abbatis sollicitudo (ad quem potestas tota pertinere convenit) debeat adimplere.* Circa quæ verba Panormitanus in Cap. Dum Ecclesia Ulterrana. *Col.* 4. *de electione* & in *Cap.* Cum ad Apostolicam, *de Regularibus*, quem sequitur Felinus *Cap.* quoniam *de simonia*, & alii apud Navarrum Commentar. 3. *de Regularibus num.* 4. Imò communis sententia tenet totam potestatem gubernandi Monasterium, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ad Abbatem pertinere: Quamvis Authores differant, an in omnibus solus ipse gubernet; an verò in aliquibus consensum Capituli requirere, & expectare debeat.

Præterea omnes fere Religionum Patres ac institutores bonorum Monasterii distributionem ad solos Prælatos pertinere decernunt: Patet imprimis ex Augustino in *Regul. Cap.* 4. ibi, *distribuatur unicuique à Præposito vestro.* Quæ nos consulto adjecimus *dict. Cap.* Non dicatis. Quæ Augustini verba omnes ejus Regul. Expositores fa-

Item ex SS. PP. ac Fundator. Regulæ.

tentur ab Augustino ideò esse apposita, ne quis falsò sibi persuaderet, licere sibi propriâ authoritate res communes Monasterii accipere, vel in alios dispensare. Et primum in *eadem Reg. Cap.* 13. dicitur: *obediatur Presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit.*

Idem Basilius in sua Regula *interrogatione* 87. & clarius *interrogatione* 9. præscripsit, ubi inquirit, si frater nudus petat ab alio vestem, quid hic facere debeat? & respondet, dicens: *Sive nudus, sive pravus, & sive ex necessitate, sive ex avaritia petat, semel dictum est, quod dare, aut accipere non cujusvis est, sed ejus, cui cum probatione talis dispensatio commissa est.* Et quæst. 93. in simili proposito adducit illud Actuum Apostolorum, *distribuebatur unicuique* &c. Videndus quoque est hic magnus monachorum Pater *serm.* 4. *exercitationis*; ubi idem repetit.

Benedict. quoque *Cap.* 33. *suæ Regul.* de Paupertate tractans, docet, monachum nihil habere posse, sed omnia necessaria à Patre monasterii sperare debere. *Nec quicquam* (ait) *liceat habere quod Abbas non dederit, aut permiserit, sicut scriptum est dividebatur singulis prout cuique opus erat.*

Consonat prædictis Patribus nostra Regula ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita, qui *Cap.* 8. *de non habendo proprium* sic ait: *Nullus fratrum sibi proprium aliquid dicat, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique per manum Prioris prout cuique opus fuerit*, &c.

Illud tamen advertendum est, hos Patres, Augustinum, Benedictum, Basilium, & D quoque Albertum hanc bonorum adn inistrationem à monasterii Præposito faciendam esse, docere, ex illis verbis Actuum Apostolorum, Cap. 5. *Erant omnia illis communia, & distribuebatur*

unicuique sicut cuique opus erat. quasi hac forma conficientes argumentationem. In Ecclesia primitiva, ubi omnia bona Fidelibus erant communia, nihil sibi quisque usurpabat, sed tantum eo uti licebat, quod distribuebatur ab alio, sicut unicuique opus erat, ideo enim adjectum est verbum *distribuebatur*, & non verbum *accipiebant*. Igitur idem servandum est in Communitate monastica, quæ instar hujus instituta, ac ordinata est.

Ex Concil. Trid. & aliis.

Expresse etiam id cavetur in Trid. *Sess. 23. Cap. 2.* illis verbis: *Mobilium verò usum ita superiores permittant, &c.* Imo ex toto Capite non obscure colligitur hanc bonorum administrationem apud solum Prælatum residere: & ex Concil. Cameracen. *Cap. 11.* & ex Mediolan. post Trident. celebratis *parte 3. tit. de communi vitæ usu*, clarè docetur.

Confirmatur ratione.

Ex quo fit manifeste, subditorum neminem posse propria authoritate res monasterii sibi accipere, aliis donare, sive quovis alio modo administrare, ut sæpius in superioribus diximus. Cujus ea est ratio. Quia cum administratio sit actus dominii superiori jure ordinario competens, & monacho singulariter non sit commissa, neque à jure, neque à Prælato, ab eo exerceri minimè potest sine vitio proprietatis. Præterea quia si quisquam propria authoritate posset monasterii bona dispensare, cum omnes naturaliter proclives sint ad utendum rebus melioribus, ampliorique supellectili, inde rixæ, & contentiones in monasteriis quamplurimæ excitarentur, nec facile esset etiam inter perfectos debitam mensuram etiam pro necessariis præscribere. Nam supposita naturæ corruptione plures à nobis necessitates finguntur, & sic plura quam necessaria forent, Communitatis bona à monachis acciperentur.

Quare cito monasterii bona perirent, vel omnes superflua possiderent. Et quod deterius est sollicitudo temporalis, quam paupertatis professione rejecimus, altius quam in sæculo mentibus nostris infigeretur. Quæ omnia à ratione vitæ monasticæ valde aliena sunt, & ob id bonorum dispensatio non monachis, sed soli Prælato demandata est.

Ita tamen hanc bonorum dispensationem à solo Prælato fieri dicimus, ut ab ipso per seipsum, vel ab Officialibus ab eodem ad idem deputatis administrari debeat, ut patet ex dicto capite *Cum ad monasterium*, ibi: *Tales autem ad agenda monasterij officia deputentur, qui fideles fuerint, & discreti.* Et ibi: *non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel cellario assignetur.* Et expressius ex Trident. dum ait: *Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amobiles pertineat.* Estque communis Religionum praxis à Fundatoribus constituta: ut patet ex Benedicto *Capite 31.* & apud Augustinum *Capite 16.* apud Basilium *interrog. 149.* & apud Albertum in nostra regula *prædicto Capite*, ut ibi etiam annotavimus in illius Capitis Expositione.

Horum verò Officialium jurisdictio, sive potestas mensuranda est ex variis Religionum Constitutionibus, aut Consuetudinibus. Et cum eorum facultas à Prælati voluntate dependeat, dicenda erit major vel minor eorum jurisdictio secundum quod Superior majorem vel minorem jurisdictionem ac potestatem promiserit. Quod autem hæc potestas regulanda sit omninò ex voluntate Prælati, præcipiunt Divus Benedictus in sua *Reg.* ubi de Cellario loquens ait: *Curam gerat de omnibus, & sine jussione Abbatis nihil faciat.* Et infrà: *omnia mensuratè faciat secundum jussionem Abbatis.* Et iterum: *A quibus enim prohiberi, non præsumat.* Hæc Benedictus. Et Basilius de Cellario loquens *interrog. 148.* talem potestatem eum habere sentit, qualem ei dederit, qui talem curam commisit: nempe Præfectus.

Et ratione ipsa monstratur. Quia Prælatus administrationem, & gubernationem habet monasterii, & subditus solum ex commissione & delegatione; hinc fit, quod ad plura se extendere non possit, quam ei sit permissum, & subdelegatū.

Quid vero debeat Prælatus in eligendis ministris observare, quid vero ipsi, ut injuncto sibi muneri satisfaciant, teneantur præstare, latius scriptsimus in *Cap. 8.* nostræ Regul. in illa verba *Et distribuatur unicuique*, dub. 1. attingemusque infra breviter. Illud tamen oportet hic annotare, hos officiales à Prælato designatos non debere esse perpetuos, sed quemadmodum ad nutum superioris constituuntur, ita pro ejus arbitrio amoveri, & absolvi ab officiis possunt, ut statuitur *dict. Cap. 2. Concil. Trid.* ibi: *Administratio autem bonorum monasterij ad solos officiales eorumdem ad nutum superiorum amobiles pertineat.* Quod antea decretum erat in *dict. Cap.* Cum ad monast. ibi: *nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri sine contradictione qualibet revocetur.* Quod intelligendum est, ut ibid. notat *Glossa* verb. *perpetuo*, de officialibus illis qui canonicè non eliguntur. Quare Proprior, vel Supprior, sive Sacrista in Religionibus in quibus canonicè eliguntur, non possunt (sicut nec constituī) amoveri ad nutum Prælatorum, ut colligit ibi Glossa *verb.* amoveri, & in *Cap.* monachi *verb.* non movetur, *de statu monachorum*, nisi rationabili, & justa intervenente causa, ut dictæ Glossæ animadvertunt.

Addo denique Prælatum ex vi hujus administrationis teneri subditis necessaria administrare. Ita præcipit Trident. Synodus. *dicto Cap. 2.* ibi. *Nihil quod sit necessarium eis denegetur.* Et post eam id confirmatum est à Concil. Cameracens. ut *sup. Cap. 11.* ubi strictè præcipitur ut Prælati omnibus necessaria tribuant; Imo omnes Patres Religionumque institutores, ut initio hujus Cap. diximus, hoc onus distribuendi subditis necessaria Prælatis imponunt. Et præcipuè Benedict. *Cap. 55. sua Reg.* hoc Abbatibus commendavit, dum ait: *Ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ sunt necessaria, id est, cuculla, tunica, pedules, caliga, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ, ut omnis auferatur necessitatis excusatio, à quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostol. Quia dabatur singulis prout cuique opus erat.* Quare Basilius in *quæst.* compendio explicatis *quæst. 150.* negligentiam Prælatorum hoc modo exaggerat: *Si verò negligens*, inquit, *non det fratribus necessaria?* Resp. *Hoc judicium manifestum est ex verbis Domini, qui dixit: Abite vos in ignem æternum; Esurivi enim, & non dedistis mihi edere, sitivi, & non dedistis mihi potum, &c.* Et infrà: *Maledictus homo, qui facit opus DEI negligenter.*

D. Gre-

D. Gregorius in *Pastorali, parte 2. Cap. 7.* de hac cura circa administrationem temporalium agens ait: *Sic itaque Pastores erga interiora studia subditorum ferveant: quatenus in eis quoque exteriorib⁹ vitæ providentiam non relinquant. Nam quasi jure, ut diximus, à percipienda doctrina gregis animus frangitur, si cura exterioris subsidij à Pastore negligatur.* Quare D. Hieronymus in *Epist. ad Eustochium* maximè commendat antiquorum Abbatum circa suos subditos curam: Nam illorum indigentiam prævenientes necessaria porrigebant. Inquit enim in hæc verba: *Non licet dicere cuiquam, tunicam, & saccum non habeo, ille* (nempe Prælatus) *ita universa moderatur, ut quid postulet nemo habeat.*

Ratione manifesta probatur, quia tam jus Canonicum, quam Patres *suprà citati* hanc administrationem temporalium Prælatis committunt, non in suum commodum, sed potius in subditorum utilitatem, ut cuique quod opus sit illi tribuant; ut hac ratione omnino tollatur proprietatis occasio, ut optimè notavit Benedictus *dicto Cap. 55.* & August. *Cap. 16. sua Regul.* dum inquit: *Omnibus quantumcunque de minima paupertate venerint providendum est de Communitate, ne aliquis occasionem habeat habendæ proprietatis.* Deinde ut omnibus auferatur necessitatis excusatio, id est, ne necessitatis velamine à proprio munere exequendo monachi excusentur, ut idem SS. Pater Benedictus docuit. Ac denique, ut omnis sollicitudo in procurandis rebus terrenis à monachis auferatur. Consulendus est Cardinalis Turrecremata in Reg. D. Benedicti *tit. 69.* ubi plura incommoda adjecit, quæ sequuntur quando Prælati subditis necessaria non tribuunt.

CAPVT II.

Monasterii bona ita à Prælatis esse dispensanda, ut communis vitæ ratio servetur.

HÆc Prælatorum dispensatio qualiter fieri debeat, Religionum Patres præscribunt. Imprimis enim advertunt, hanc distributionem fieri debere inspectis necessitatibus singulorum ita ut regula, & mensura distributionis majoris vel minoris sit major vel minor indigentia subditorum. Et hoc est quod voluit Trident. *dicto Cap. 2.* ibi: *Nihilque, quod necessarium fuerit eis, denegetur.* Clarius tamen August. in sua *Reg. Cap. 3.* expressit, dicens, *Distribuatur unicuique à Præposito vestro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter omnes valetis, sed potius unicuique sicut opus est.* D. Benedictus. *Cap. 34.* suæ Reg. *Sicut scriptum est, dividebatur singulis, prout cuique opus erat, ubi non dicimus, ut personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio, ubi qui minus indiget, agat DEO gratias, & non contristetur: qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia, & ita omnia membra erunt in pace.* Hactenus Benedictus. Quorum Patrum vestigia insecutus D. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus *Cap. 8. nostræ Reg.* ita scripsit, *& distribuatur unicuique per manum Prioris &c. prout cuique opus fuerit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum.*

Ex hac igitur distributionis forma, inducta est in Religionibus vitæ communis ratio, quæ in eo potissimum consistit, ut nullus quicquam ut proprium sibi vendicet, sed omnia omnibus communia sint, ita ut distribuantur à superioribus, inspectis ætatibus & necessitatibus singulorum; Ob id enim in primitiva Ecclesia omnia bona erant communia, quia nullus proprium aliquid sibi esse dicebat, sed omnia omnibus in communi, prout cuique opus erat, administrabantur. Ex qua priorum Christianorum vitæ formula emanavit in Religionibus hæc vitæ communis ratio, ut testatur sæpe D. Augustinus, Basilius, Benedictus, in institutis à se traditis. Quare in Religione tunc omnia esse dicuntur communia, quando una mensa, unus cibus, eædem vestes, habitatio eadem & supellex, ac denique omnia, quæ ad victum, & vestitum pertinent, æqualiter omnibus distribuuntur. Nam, ut tectè August. *serm. 25. de verb. Apostoli,* tractans illa verba Act. Apost. 4. *Erant illis omnia communia* &c. ait: *Sed jure fraternitatis erant illis omnia communia, scilicet ut qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & vitæ; hoc est, ut quibus erat una fides, esset una substantia, & quibus erat communis Christus, esset & sumptus.* Hæc August. nus, qui tantopere hujus vitæ communis studiosus fuit, ut viginti locis suæ Reg. quæ annotantur à Gersone *prima parte libelli de proprietate,* hanc communem, & angelicam vitam commendaverit.

Vitæ cõmunis ratio in quo consistat.

D. Chrysostomus *Hom. 58. ad populum Antiochenum* de monachis sui seculi scribens, sic ait: *una mensa, unum ministerium, suscipientibus, & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita. Non est ibi meum ac tuum: sed hoc verbum penitus eliminatum est, multorum causa malorum.* Fuisseque hanc vitæ communis rationem olim maximè in usu docet Nicephorus Calixt. *lib. 14. Hist. Eccles. Cap. 50. Simul* inquit, *in eisdem ædibus vivunt, re nulla, quæ homines in terram reprimit, distracti; apud hos neque aurum est, neque quodpiam aliud metallum. Sed neque vestis alicujus propria; quod namque hodie pallium, aut humerale hic fert, eo cras alium indutum conspicias, adeo ut unius vestem, unam omnium, & rursus omnium unius esse putes. Omnibus autem communis proponitur mensa.*

In quorum Patrum testimoniis id licet considerare, omnes vitæ communis formam ad hæc duo reducere. Primum ad carendum proprio: deinde ut omnia ita sint communia, ut eorum distributio fiat attenta subditorum necessitate. Quod maxime commendat *Concil. Trident. dict. Cap. 2.* cujus hanc esse mentem optime docuit Concil. Mediolanens. *parte 3. tit. de communi vitæ usu,* inquiens: *In omnibus monasteriis quoad cibum, potum, somnum, vestitum, cæteraque res attinet, omnes communiter vivant: ut S. Concil. Trid. decretum est. Nec quidquam inter eas differat* (loquitur enim de monialibus) *aut alia aliis præferatur, aut posthabeatur, quemadmodum votum paupertatis postulat.* Notanda sunt hæc posteriora verba, *quemadmodum votum paupertatis postulat.* quibus clare insinuatur ad votum paupertatis spectare accuratam hujus vitæ communis observantiam. In quo etiam sensu Concil. Cameracens. *tit. de monachis Cap. 9. & 10.* interpretatur. S. Concil. Trident. dicens: *Cum sacrosancta*

Vitæ communis forma ad duo potissimum reducitur.

Synodus Tridentina præceperit ea, quæ ad communem vitam, victum, & vestitum pertinent, fideliter observari: mandat hæ Synodus omnibus Religiosis, ut diligentissimè paupertatis votum, tanquam inestabilis cujusdam, & dulcissimæ quietis causam custodiant: neque proprietatis vitio violent. Caveant igitur ne quid sibi ita retineant, vel retinere desiderent, ut Communitati nolint esse commune, nevè ad peculiares usus eo utantur sine superioris consensu.

Ex quibus facilè colligitur interpretatio illorum verborum, quæ in initio C. *Non dicatis*, habentur; *Non dicatis vobis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique* &c. Quorum verus sensus est, bona monasterii nulli esse propria, omnibus autem ita communia, ut usibus, & necessitatibus eorum secundum uniuscujusque indigentiam à Prælato concedantur. Quare communia bona sunt illa, quæ exposita sunt, ut liberè ea Superior administret in usus necessarios subditorum.

Quare verò tantoperè hæc distributio, sive communis vita à Patribus commendetur, rationem reddere oportet. D. Basilius *Serm. 5. extrinsitationis* eam causam adinvenit, ut hanc communem vitam introductam existimet ob Religiosorum pacem, & unitatem: *Cum igitur*, ait, *plures ad eundem scopum respicientes communem inter se vitam susceperint, oportet hoc præ omnibus in ipsis obtineri, ut unum in omnibus sit cor, & voluntas una & desiderium unum, & quemadmodum Apostolus jancit, ut unum corpus fiat ex diversis membris coaptatus totus ille Congregationis acervus. Hoc autem aliter fieri non potest, nisi illud obtinuerit, ut non designetur nominatim alicui, neque vestimentum, neque vas, neque aliud quod ex his, quæ ad communem vitam conducunt, quo singula ex his usus fuit necessitatis, & non possidentis.* Hæc Basilius, cui consonat Benedictus *ubi supra* qui etiam ex vitæ communis observantia pacem in Religione causari docet. Quam etiam ad ineffabilem, & dulcissimam quietem custodiendam juvare ex Concil. Cameracens. probavimus. Nec dissentit Chrysost. in *Apologia vitæ monasticæ*; in qua, dum conversationem hanc cœ estem commendat, ejusque gaudia, quietem, & gloriam, aliaque commoda recenset, statim subjicit hoc provenire, *quia inde duo illa, quæ omnia pervertunt & perturbant, meum & tuum penitùs eliminata sunt. Cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum, & quod sanè mirabilius est, unus etiam idemque animus est.* Hæc Chrysostomus.

Atque adeo hæc bonorum distributio in Religionibus ab earum Institutoribus introducta est, ne monachis ulla detur proprietatis occasio (ut supra ex Concil. Mediolan. adducebamus) quia cum se communibus monasterii auxiliis destitutos conspiciunt, proprium victum, supellectilem, vestitum, ac alia quærere compelluntur. Et ob prædictam causam Concil. & præcipuè Trident. & Religionum Patres, ut Augustinus & Basilius adducti in fine C. *præcedentis* tanto studio, ac diligentia vitam communem in suis monasteriis observari voluerunt, ferè impossibile arbitrantes sine hac paupertatis votum diu posse consistere. Tum etiam ut à Religiosis omnis solicitudo, ac rerum temporalium cura penitùs resecaretur. In hac enim cœlesti Religionis philosophia externæ terrenæque occupationes maximè impediunt, ita ut rectè à Gregorio 12. *Moral. Cap. 22.* illud dictum sit: *Cura multiplex terrenarum rerum, quia occupat, excæcat: namvt terrena omnia sunt corporea, & crassa, sic animus in his tractandis occupatus sit crassior, & concretior, ex quo illud provenire necesse est, ut ea curarum mole impeditus ad cœlestia contemplanda nequaquam possit ascendere.* De quo bene idem Gregor. 5. *Moral. Cap. 8. Nequaquam*, inquit, *mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continuè occupetur.*

Uberius autem quantum hæ sollicitudines rerum temporalium spiritualem monachorum profectum impediant disserit D. Thom. 2. 2. *quæst. 186. art. 6.* deque hujus vitæ communis laudibus aliqua in Commentariis nostræ Regul. *dicto Cap. 8.* tradidimus. Ex quibus fit, eam esse laudabilem vitæ religiosæ consuetudinem, qua vestes lineæ, & pelliceæ, aut cujusvis generis in communi quodam loco serventur, indeque singulis septimanis, mensibus, vel annis in cujusque usum distribuuntur. Quarum cura aliquibus demandata est, ut nempe illas mundent, custodiant, renovent, reficiant. In qua nemo præter eas, quæ quotidiano usui sunt necessariæ, vestes apud se detinet, in qua nullus, nisi conscio, & annuente Superiore dona sibi missa, vel accipit, vel usui suo applicat, nullus penes se pecuniam asservet, excepto eo, cui bonorum communium administratio, & cura imponitur. Nullus etiam in annum habet in sua cella aliquid amplius ex vestimentis, libris, aut supellectili, quam fuerit ad suum usum à superiore concessum. Ubi denique est communis omnium victus, mensa, vestitus, in communi aliquo loco solitus asservari, ex quibus monachorum omnium necessitatibus subvenitur.

His prænotatis eam licet conclusionem elicere; Prælatum mortaliter peccare, qui non curat, ut communis vitæ ratio in monasterio servetur. Idem esto judicium de eo, qui communem vitam jam laxatam, quantum in se est, ad pristinam observantiam non conatur reducere, quin etiam ipsi subditi, qui Prælatis vitam communem restaurare volentibus contradicunt, eadem culpa mulctantur. Ita expressè docuerunt D. Antoninus *3 parte tit. 16. Cap. 1. §. 11. in fin.* Sylvest. *verb.* Religio. *6. num. 7.* idque ob has rationes.

Primo; quia contrariantur ipso facto decretis Concil. & Patrum, à quibus vitæ hujus observantia districtè præcipitur, maximè verò à Sacrosancta Triden. Synodo *Cap. 2.* & præsertim *Cap. 1. Sess. 25.* in quo decernitur monasteria à Superioribus quo ad observantiæ integritatem instaurari, & pristino statui reddi debere, idque potissimum quoad ea, quæ ad communem victu, & vestitu vitam pertinere videntur, multoque magis disciplinam deberi in suo vigore conservari à Prælatis eorum locorum in quibus vige. Hinc liquido patet tam non instaurantes collapsam, quam stantem labi permittentes graviter delinquere.

Secundo, quia ubi communis vita non observatur, monachi variis animæ suæ periculis circa transgressionem voti paupertatis exponuntur.

Tertio;

Tertio ; quia communis vitæ observantiam Prælati in re gravi negligentes , contraveniunt justitiæ legali , qua ex suo officio tenentur bono communi consulere. Insuper dispensatione sibi commissa abutuntur , & peccant contra fidelitatem , & sæpe contra justitiam distributivam. Ideo etiam illos subditos graviter peccare dixi, qui nolunt reformationi vitæ communis acquiescere, nempe propter grave damnum emergens ex eorum contradictione , ut prædicti Authores fatentur. Deinde quia Prælatis justa præcipientibus tenentur obedire , nisi fortè apertè ipsis constaret fieri non posse talem reformationem sine gravi , & notabili scandalo , ut infra dicam.

CAPVT III.

Sitnè securus eorum Monachorum, sive Canonicorum Regularium status, qui in communi non vivunt.

Sententia Navarri.

NAvarrus in morali Theologia peritissimus latè hanc difficultatem tractavit , maximè *Comment. 3. de Regular. num. 25.* ubi quærit, an securus sit ille status Ecclesiarum Canonicorum Regularium , sive Monachorum , in quibus certa portio panis , vini , & reliquorum necessariorum pro victu , & certa quantitas pecuniæ pro vestitu Religiosis distribuitur, sive sit per portiones quotidianas , sive menstruas, sive annuas , ita quod nihil ultra teneantur eis Ecclesiæ , vel monasteria distribuere , neque ipsi è contra teneantur eis residua reddere , sed suo commodo, vel damno illa administrent, eâ tantum conditione adjectâ, ut nihil in profanos,aut illicitos usus impendant , sed potius residua in usus pios convertant.

Pro hujus dubij resolutione duplex est Ordinum status seu conditio advertenda.

In hac controversia omissis plurimis argumentis , quæ pro utraque parte adducit Navarr. *ubi supra num. 8.* cum sequent. & etiam *num. 25.* nos breviter pro resolutione hanc distinctionem præmittimus. Aut enim sermo est de illis monasteriis , aut Ordinibus , quæ ab initio suæ fundationis hanc vitam communem servarunt ; & ii rursum in duplici sunt differentia. Nam alii ex his Ordinibus inveteratam habent non vivendi communiter consuetudinem multis retro annis in ipsis receptam & radicatam. In aliis verò non pridem talis vitæ communis relaxatio orta est , sive ita recens est, ut facilè extirpari , reformarique possit.

Sententia Authorii 4. assert. declaratur.

Primum igitur existimo (idque indubitatum esse debet apud omnes) illos Ordines, qui in sua primæva institutione communem vitam suis professoribus non imposuerunt , non teneri ad observantiam ejus. Id expresse constat, quia cum hæc vitæ communis observatio non sit de essentia paupertatis , ac præterea in hoc Ordine profitentes ad ejus observantiam ab initio non fuerint adstricti , non est à quo ad hujus communis vitæ observantiam obligari possint.

Secundo existimo in ea Religione , in qua floret vitæ communis observantia , non posse hanc relaxationem sine gravi culpa, tam ex parte Prælati , quàm ex parte subditorum tolerari. Hoc dictum patet ex his , quæ in fine præcedentis capitis tradidimus. id etiam docet Divus Antoninus *3. parte tit. 16. Cap. 1. §. 11.* Sylvest. *verb.* Religio *6. num. 7.* Navarr. sæpe dictis locis, maxime *Comment. 3. de Regular. num. 32.* Et ratio est evidens, quia Concil. Trid. expresse prohibet hanc administrationem bonorum fieri ab alio , quàm à Prælatis , sive ab Officialibus à se deputatis,non vero ab ipsis Religiosis; tum , quia omnia vult administrari in communi, & deinde monasteriis , quæ à vita communi recesserunt , præcipit ad eandem reduci. Non ergo licebit vitam communem usu receptam sine gravi peccato relaxare , aut noviter relaxatam (si sine magno scandalo fieri potest) non reducere ad pristinum reformationis statum. Maximè vero procedit hoc dictum si loquamur de relaxatione , quæ pervenit usque ad portiones privilegiatas , quia hoc manifestè pugnat cum Trid. decreto, ut infrà videbimus.

Tertio existimo etiam in illis Religionibus, in quibus jam antea multis retrò annis usu receptus est vivendi modus , per portiones singulariter designatas , aut alia ratione , quæ vitæ communi deroget , etiamsi (humano more loquendo) impossibilis sit vitæ communis anteactæ restauratio , periculosissimus sit ille status ; *primo*, quia quamvis pro ejus defensione multæ adducantur rationes , post Concilium Tridentinum ferè nullæ sunt efficaces , quæ talem statum tueri possint. Quare , cum Navarrus esset de numero horum Canonicorum , voluerintque eorum partes defendere, vix ipse, vir alias eruditissimus , firmum fundamentum invenit præter scandalum , quod sequi posset ex hujusmodi reformatione. Tum *secundo* hic status periculosus censetur , quia ansam præbet introductioni proprietatis , & aliorum damnorum, de quibus ***Capite secundo*** diximus. Ac *demum* sola speculatione percipitur debere subditum ex vi voti paupertatis esse paratum omnia ponere in manibus Superiorum , ut ipsi tanquam de bonis monasterii disponant : ac proinde esse promptum obedire legitimæ reformationi , si fiat circa vitam communem , & ex alia parte non posse hunc statum sine scandalo subditorum reformari. Quare casus videtur metaphysicus & eorum status parum securus. Dixi *post decisionem Tridentinam* , vix posse hunc Monachorum statum defendi , quia ante Concil. solo communi jure attento, licitus erat, ut ex communi sententia resolvunt Corduba. *quæst. 54. §. 11. per tanto.* Et Navarrus *dicto Comment. 3. n. 27.* Et alibi sæpe.

Quarto existimo adhuc stante decisione Trident. tam ea , qua in *primo Capite* , *sessione 25. de reformatione* cavetur , ut Prælati teneantur monasticam disciplinam quoad communem vitam in victu, & vestitu collapsam reparare,ac reformare , quam ea, qua in *secundo Capite* statuitur, ut à Prælatis, vel ab eorum Officialibus bona stabilia pro necessitate subditorum dividantur ; adhuc inquam hac decisione stante salvari posse hunc statum in illis Religionibus,in quibus longa consuetudine introductum est, ut singuli his portionibus & forma illa dicta in principio hujus capitis vivant, dummodo talis consuetudo sine notabili scandalo reformari

non possit, nec reduci ad terminos vitæ communi. Hanc sententiam acri er defendit Navarr. *ubi supra num. 25.*

Sex sunt observandæ conditiones, pro securitate hujus status.

Addi tamen Navarrus sex conditiones ab hujmodi Regularibus servandas, ut prædictus vivendi status honestus, securusque sit. *Prima*, ut ea quæ ipsis traduntur, dentur solum ad usus necessarios, vel pios, & ut nullatenus ea, ut propria, possideant; *secunda*, ut servent statuta, vel mandata suorum Superiorum, quæ disponunt, quali er debeat à subditis fieri dispensatio horum bonorum; *tertia*, ut non dispensent in usus profanos. *Quarta*, ut Prælati saltem taci è consentiant huic modo vivendi. Nam si contradicant, evidenter peccant subditi, dispensantes aliquid sine eorum licentia. *Quinta*, ut prædicta licentia tacita, vel expressa, sit justa de causa concessa. *Sexta*, ut non contradicant reformationi legitimæ authoritate legitima faciendæ, si quando ea fieri speratur. Quibus conditionibus alia potissima addi debet: ut subditi sint parati rea, quæ sibi conceduntur requirentibus Prælatis in manibus ipsorum resignare, vel ea solum habere, dum Prælatus licentiam talem non revocet.

Alia conditio necessario observanda.

His adjectis conditionibus, hæc sententia probatur *primo*. Qui tali modo possidere nec est habere jus, nec dominium, nec alicujus rei possessionem, sed tantum usum, vel usumfructum, & administrationem rei durante voluntate ipsius Prælati, quod verè non est contra rationem voti paupertatis.

Hac ratione utitur Corduba circa hoc propositum in summa *ubi supra* & Navarr. *ubi supra num. 25.* & aliis pluribus locis. Quam rationem firmam existimo, si attento jure communi loquamur, in quo casu loquitur Corduba. nam stante decisione Concil. Trident. nihil probat, ut supra vidimus. Quare probatur *secundo*, & hoc est potissimum hujus sententiæ fundamentum; quia ubi introductus est hic vivendi modus, non potest tolli sine magno scandalo. Id enim est quod in conclusione supponimus. Quapropter tacitè videtur approbatus non solum à Superioribus, sed etiam à summo Pontifice. Hoc fundamento motus Navarr. *ubi supra num. 25.* tenet hanc sententiam. Tertio, facit pro hac sententia, quod plurimæ sint Ecclesiæ illustres & amplissimæ in Hispania, in quibus ejusmodi status servatur, quales sunt metropol. Cæsar-augustana, Cathedralis Pampilonensis, & aliæ, in quibus, ut ait Navarr. *num. 25.* à tempore immemoriali sic vivitur, & in quibus vixerunt plures doctissimi, & vitæ sanctitate integerrimi viri.

Contra hanc vero sententiam pugnare videtur *dictum Cap. 1. Trident.* ubi præcipitur, ut in monasteriis vitæ communis observatio à Prælatis restituatur. Et deinde *Cap. 2.* tradit statum vitæ communis, ad quem pertinet, ut Prælatus omnia dispenset per se vel per Officiales amobiles, ac deinde, ut nulli monachorum, nisi Officialis sit administratio committatur. Quæ omnia repugnant prædictæ sententiæ. Nam imprimis in ea non reformatur vita communis sed potius collapsa perseverat; deinde non assignantur Officiales determinati, qui bona monasterii in communi administrent, sed quilibet Religiosus est administrator bonorum sibi concessorum.

Respondeo decretum Concil. verè contrarium esse prædicto statui, ut tandem Navarrus *num. 34.* compellitur fateri, quia Concilium expresse voluit vi am communem in monasteriis servari. Tamen, ut ipse Navarr. ait, quia iste modus vivendi non est contra legem naturalem, neque divinam: imo neque contra jus commune, si ex alia parte scandalum ex ejus reformatione sequitur, potius est tolerandus. In nostro vero casu loquimur quando reformatio vitæ communis more humano est impossibilis, quin grave scandalum oriatur.

Ex quibus fit hunc statum esse periculosissimum pluribus ex causis supradictis. Cujus periculum ex parte tolleretur, si privilegio alicujus summi Pontificis, in quo Tridentino derogetur, protegatur. Deinde, ut semper parati sint Monachi ad reformationem acceptandam, & ad illa quæ quisque possidet in voluntate Prælati requisiti renuntiandum. *Nota.*

Sed dices: si quilibet debet esse paratus ad reformationem acceptandam, vel ad renuntiandum iis, quæ habet ad usum in manibus Prælati, quâ ratione ita impossibilis judicatur reformatio, ut non possit fieri sine magno scandalo?

Resp. omnes paratos esse debere ad reformationem prædictam acceptandam, & insuper ad omnia, quæ habent ad usum, in manus Prælatorum resignanda: non tamen omnes parati sunt, quia non omnes paupertatis amatores existunt, sed complures inveniuntur, qui plures excusationes suis proprietatibus opponunt, & ita reformationi contradicunt, quibus alii simpliciores adhærent, & ita si reformatio intenderetur, sæpe magna pars Communitatis turbaretur, & in deteriora peccata rueret, & ob id judicatur impossibilis reformatio.

CAPVT IV.

Quæ causa dicenda sit necessaria & justa, ut Prælatus aliqua monasterii bona ad usum subditis concedat.

AD vitæ communis rationem spectare diximus, ut Prælati subditis ex bonis Communitatis pro uniuscujusque indigentia necessaria distribuant. Nunc restat aperire quid nomine *necessitatis* intelligatur, ut sic facile sit Prælatis percipere, in quos usus possint monasterii bona subditis dispensare. *Quid bona monasterii in usum subditorum sit erogandum.*

Conclusio: Justa, & necessaria causa illa dicitur, non solum quæ est de necessitate status, ita ut sine illa non possit consistere, quæ dicitur necessitas simpliciter, sed & illa dicitur necessitas, sine qua res non potest decenter, aut convenienter esse. Quare in Religione necessitas, de qua loquimur, attenditur secundum convenientiam status, ita ut illud possit in hoc sensu dici necessarium monachis, quod non excedit eorum professionis statum. Et hoc est quod voluit Trident. illis verb. Cap. 2. *Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum suppellex*

statui

Causa rationabilis dispens. est utilitas & necessitas; quarum ut quæ, est duplex, communis & privata.

statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat. Ex quo fit (ut recte notat D. Antonin. 3. parte tit. 16. Cap. §. 11.) ut causa rationabilis dispensationis sit duplex, scilicet utilitas & necessitas. Utilitas rursum duplex est, scilicet *privata*, & *communis*. Privata, ut cum conceditur Religioso liber aliquis vel ad discendum, vel ad formandum animum suum ad salutem. Communis verò, cum talis usus conceditur illi, qui suo studio aliis possit proficere. Similiter necessitas est duplex, *Privata*, ut cum in monasterio paupere, in quo non possunt haberi necessaria ad victum, conceditur moniali, ut aliquid pro victu, vestitu, & aliis sibi necessariis habeat. Necessitas verò *communis* est, ut cum conceditur alicui Officiali, quid expendendum in usus communes, hujusmodi necessitates, vel utilitates ex mente D. Antonini, Sylvest. *verb.* Religio 6. *num.* 7. Navarr. *Comment.* 2. *de Regul. num.* 24. sunt sufficiens causa, ut Prælatus licitè dispensec sine detrimento voti paupertatis.

Quid in his animadvertendum.

Est tamen advertendum primo quod quamvis hi tituli sufficientes sint ad quamcunque distributionem honestandam, non tamen quoties hæ causæ se obtulerint, eæ concessiones à Prælatis sunt faciendæ, sed tantum quando hujusmodi necessitates, aut utilitates aliqualiter urgent. Si enim quacunque rationabili occasione existente dispensationes eæ facilè admitterentur, non levis esset Religionis jactura. Pro quo memoriæ mandandam Antonini sententiam proferam; is enim *loco citato* sic ait: *Et quamvis hujusmodi necessitates, vel utilitates sint sufficienter causa dispensandi, non tamen omnes sed solum quæ sunt valdè rationabiles, & evidentes fieri debent dispensationes, ut in necessitatibus quotidianis victus vel vestitus, & in utilitatibus circa pertinentia ad salutem animæ. Et est valdè notandum, ne in his faciliter dispensetur, tum propter sequelam exempli, tum propter speciem mali.* Et idem affirmat Turrecremata in *Reg. D. Benedicti tit.* 96.

Secundo advertendum est, hanc quoque dispensationem præsertim in Religionibus reformatis, intra vitæ communis & æqualis limites fieri debere: quocirca Prælati, qui illos præteriterent, relaxationi facili negotio viam panderent: In quo autem communis vitæ istius perfecta ratio consistat, dilucidè satis ex Conciliorum & Patrum mente in nostris Constitutionibus. C. *de vita communi*, & æquali declaratur hisce verbis: *Quia communis vita fundamentum est paupertatis, & vinculum regularis observantiæ, Prælatis omnibus severè, arcteque præcipimus, ne suis subditis quidquam denegent, ex iis, quæ ad victum, & vestitum, libros, medicinas, aut aliquid quodcunque necessarium spectant: sed de his omnibus illis sufficienter secundum nostræ paupertatis statum diligenter provideant, atque, ut veri Patres, si quid eis desit, inquirant, statuimusque ut in unaquaque domo sint officinæ communis librorum, vestium, & aliorum, quibus deputentur proprij Officiales, & ex his officinis omnia tam tempore salutis, quam infirmitatis, tam in Conventu, quam in itinere Religiosis omnibus, atque Fratribus donatis, inspectis eorum necessitatibus, & ætatibus provideatur, sub pœna suspensionis ab officio Prælatis in hoc negligentibus. Volumus deinde, ut hæc vita communis perfectè observetur ab omnibus, tam à Patre Generali, & Prælatis quibuscunque, quam subditis, tam fratribus, quam monialibus: nec alicui liceat aliquid peculiare habere, aut aliter, quam in communi vivere sub pœna pro qualitate culpæ infligenda.*

Hæc igitur communis vita æqualis debet esse in omnibus: æqualem vitam appellamus, quando omnes utriusque sexus Religiosi, & Prælati æque ut subditi, uno cibo, una mensa, eadem veste, eadem habitatione, & denique omnibus aliis ad victum & vestitum pertinentibus cæterisque rebus ad regularem disciplinam spectantibus æqualiter gaudent, aut utuntur; ita ut sine ullo discrimine officij, inspectis tantum, ut Regul. præcipit, necessitatibus, sine ulla acceptatione personarum inter Prælatum, & subditum, si uterque æque valeat aut ægrotet, eadem omnino mensura idemque modus servetur, ut sic tam in capite, quam in membris regularis disciplina resplendeat. Et cum in hoc potissimum consistat nostræ professionis regularis observantia, nihilque magis probono pacis, aut religionis expediat, omni cura & diligentia (ut S. Synodus Trident. præcipit) à superioribus adhibenda est, tam in Capitulis generalibus, & Provincialibus, quam in omnibus visitationibus, ut ab hac communi vita non recedatur, cum sine illa, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, vix conservari queant.

Cõmunis vitæ commoda & felicitas.

Hæc communis vita perfectæ observantiæ clavis est, & fundamentum vitæ religiosæ, magnaque in terris felicitas, ut probat Basilius in Constitut. monast. Cap. 9. *Perfectissimam*, inquit, *ego illam vitæ communionem appello, à qua omnis propria, & privata cujuslibet rei possessio exclusa est, à qua omnis abest dissensio, omnis perturbatio, & rixa, sed omnia sint communia, animi, mentes, corpora, eaque quibus necessario ad cultum, & victum utimur.* Et infra addit: *Huic vitæ instituto quid est tandem quod jure æquiparari possit, quid beatius dici? Quid hac conjunctione, unitate & necessitudine aptius?* Divus Joannes Chrysostomus in *Hom.* 58. *ad populum Antiochenum* de Monachis sui temporis agens, laudansque in illis hanc communem vitam, & æqualem: *una mensa*, ait, *& ministrantibus & suscipientibus, & exhibentibus eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita, non est ibi meum ac tuum, sed hoc verbum penitus eliminatum est, multorum causa malorum.* Beda supra illud Act. 4. *Erant illis omnia communia* &c. sic ait: *Qui ita vivunt, ut sint eis omnia communia, in domo, cœnobitæ vocantur, quæ vita tanto felicior est, quanto futurum statum imitatur.*

CAPVT V.

An possit Prælatus subditis peculium concedere: Explicaturque decretum Concil. Trident. Cap. 2. Sess. 25. de reformatione Regularium.

QUid sit peculium, & unde dictum declaravimus plenius *1. parte Cap.* 1. hujus operis. Quantum verò ad præsens attinet, notare oportet triplex genus peculii posse esse apud Religiosos, ut optimè advertunt Corduba in *summa. q.* 54. Navarra *l.* 3. *de restit. Cap.* 1. *num.* 172. & colligitur ex doctrina Navarri variis in locis, maximè *Comment. 2. num.* 16. Primum genus peculii est, cujus administratio, aut alienatio non potest impediri, aut revocari per Prælatum, & de hoc peculio hic non agimus, cum certum sit illud neque Papam posse concedere, quia ut supra diximus, non potest in habenda proprietate cum religioso dispensare. Posset tamen Papa auferre superioritatem omnium aliorum Prælatorum respectu peculii alicujus Religiosi, & tunc illud erit revocabile solum à Papa, ut benè Corduba *ut supra* advertit. Et Navarr. *Cons.* 47. *red. reg. num.* 1. & 3 peculium tunc licet irrevocabile sit respectu inferiorum Prælatorum, absolutè censet revocabile, cum revocari possit tantum Pontificis voluntate.

Triplex peculij genus declaratur.

Secundum genus peculii est revocabile, & amobile ad nutum Prælati, & conceditur ad determinatos, & certos usus, ut quando alicui conceduntur viginti aurei ad emendos libros, vel vestes sibi comparandas. Et hoc genus peculii, ejusque administrationem omnes Authores fatentur esse licitum, multisque Religionibus in usu.

Tertium genus peculii illud est, quod licet sit revocabile ad libitum Superioris, conceditur tamen vagè ad indeterminatos usus. v. g. Quando monachus de licentia Superioris sui, vel Papæ habet aliquas pecunias vel reditus, & usumfructum eorum, ita tamen, ut de ipsis disponat pro suo arbitrio, distrahendo, donando, alienando, dummodo bona immobilia non alienentur, vel alio modo disponendo, quod intelligi debet in usus necessarios, pios, aut licitos, nam in usus profanos & illicitos nec summus Pontifex concedere potest, ut sæpius supra notavimus.

Secundo observandum, quod cum peculium semper habeat annexam administrationem, penes varia genera administrationum etiam peculia distinguantur, ut notat Navarr. *Comment. secundo de Regular. num.* 15. Administratio autem nihil aliud est, quam jus disponendi de re aliena nomine alieno, gratis vel stipendio, ut constat ex *R. ff. de administratione tutorum*, & C. *grandi* de supplenda negli. Prælatorum. Administratio igitur hæc triplex est, alia est, quæ fit in utilitatem, aut damnum concedentis administrationem (qualis est quæ conceditur communiter Officialibus monasterii; quibus committuntur aliquæ villæ, vel domus administrandæ nomine monasterii) revocabilis tamen ad nutum Superioris; de qua administratione, sive peculio agitur in *dict.* C. *Monachi*, cum dicitur: *Qui verò peculium habuerit, nisi ei fuerit ab Abbate pro injuncta administratione permissum &c.* Et hæc administratio hodie est in usu apud omnes Religiones, & commendatur à Trident. dicto Capite secundo, ibi: *Administratio autem bonorum Conventus ad solos officiales* &c.

Quid sit administratio.

Triplex administrationis species assignatur & exponitur.

Alia est administratio sive peculium, quod conceditur in utilitatem, vel damnum administrantis, cum aliqua pensione, & onere, ita ut teneatur certam pensionem solvere, reliquum verò commodi vel damni ei cedat ad disponendum de eo in suos honestos & pios usus. Et olim similes administrationes concedebantur Religiosis jam senibus, & de Religione benè meritis, quibus monasterium concedebat villam quandam in perpetuum, ut percipierent fructus ad suos usus in damnum, & utilitatem suam, & etiam monialibus id olim concedebatur, ut constat ex C. *Insinuante.* Qui clerici vel voventes, & Cap. *de viduis* 27. *quæst.* 1. Quæ administratio postea in C. *Cum ad monasterium* prohibita est, ne irrevocabiliter aut in perpetuum monachis concederetur, ut constat ex §. *Tales*, dum ait: *Neque alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur, sed cum oportuerit amoveri sine contradictione qualibet revocetur.* Hæc ibi.

Tertia administrationis forma, est libera, ut sit etiam in usus profanos, qualem habent sæculares ad disponendum de rebus propriis, hæc verò administrationum distinctio ideo hic inserta est, quia quamvis in aliquo coincidat cum divisione peculii præcedenti, proderit tamen valdè ut mentem Tridentini clarius percipere valeamus.

Tertio observandum est, quod ea bona, quæ in administrationem cadere possint, alia sunt *mobilia*, quæ de se non moventur, sed ab aliis moveri possunt; ut vestes, libri, pecunia &c. Alia vero dicuntur *se moventia*, quia se movent, ut animalia, & hæc reducuntur ad mobilia; alia sunt immobilia, quæ moveri non possunt, ut prædia, domus, & similia. Alia sunt, quæ nec propriè sunt mobilia, nec immobilia, ut sunt annui reditus, quamvis hæc inter bona immobilia computentur, ut expressè habetur in *Clement.* Exivit. §. *liceat.* & ibi: *Glossa de verborum signif.* & licet propriè immobilia non dicantur, in rigore tamen stabilia possunt appellari.

Bona alia sunt mobilia, alia immobilia, & alia illa sunt.

Prima sententia est Gersonis *Alpha.* 123. *lit. g.* & C. Gerardi, & Pirrini in *tit. de dispensat.* negat *Ecclesia Concl.* 2. coroll. 2. quos refert Corduba *dict. quæst.* 54. §. *La primera.* Quam etiam tenuit Theodoricus, quem refert, & sequitur Carthusianus *de reformat. claustrali. art.* 8. *& sequent.* & Molanus in *Compendio Theologiæ practica parte* 5. *Cap.* 20. & Petrus Damianus, in *Apologia de contemptu sæculi Cap.* 7. qui omnes tenent non posse Prælatos hujusmodi peculia tertii generis (nempe liberam administrationem aliquorum bonorum in usus honestos revocabilem tamen ad nutum Prælati) monachis permittere, & nituntur suam sententiam confirmare pluribus, infirmioribus tamen rationibus.

Contrariam verò sententiam tenent Sylv. *verb.* Abbas *quæst.* 3. §. 7. & *verb.* Religio 6. *n.* 7. cum & Anto-

Objectio.

Solutio.

fertur, & eligitur. & Antonin. secutus Hostiensem, & Umbertum 3. *parte tit.* 16. *Cap.* 1. §. 11. Navarr. *Comment. 2. de Regul. à n.* 15. *usque ad* 16. Corduba in *d. q.* 54. Panorm. *in C. Cum ad monasterium, n.* 8. Terrecremata in C. *Non dicatis, q.* 1. Angelus *verb.* Religiosus *n.* 17. Major 4. *distinct.* 38. *q.* 9. & alii plures magnique nominis Canonistæ, quos refert idem Navarr. *Comment. 20. de Regul. n.* 27. Qui omnes fatentur posse Prælatum peculium tertii generis Religiosis concedere cum duabus potissimum conditionibus quarum prima est, ut tale peculium sit concessum ad honestos & licitos usus. 2. ut sit revocabile ad nutum Prælati. Qui Authores indifferenter loquuntur, tam de peculio rerum mobilium, quam immobilium; & sive peculii administratio sit apud ipsum Religiosum, sive apud Officiales Conventus. Probantque suam sententiam hac efficaci ratione. Quia Monachus non dicitur proprietarius, cum utitur rebus monasterii ex justa licentia Prælati, & animo resignandi in ejus manus, quia tunc solum habet usum & usum fructum talis rei dependenter à voluntate Prælati, quod non est contra votum paupertatis, cum nec inveniatur ibi dominium, nec proprietas.

Prima Conclusio certum est (jure communi attento) non esse contra votum paupertatis tertium genus peculii possidere, sive sit in mobilibus, sive immobilibus bonis. Ita tenent omnes Authores pro secunda sententia adducti; & videtur colligi ex dicto C. *monachi*, ibi: *Qui vero peculium habuerit, nisi ei fuerit ab Abbate pro injuncta administratione permissum*, &c. Igitur licebat Abbatibus permittere hujusmodi peculia. Colligiturque ex dict. C. *Cum ad monasterium*, in quantum præcipit, ne alicui commendetur aliqua obedientia, sive administratio perpetua, sumpto argumento à contrario sensu. Quæ jura videntur loqui de administratione, sive peculio concesso ad indeterminatos usus, cum absolutè loquantur. Expressius tamen id probatur ex C. *insinuante*. Qui clerici vel voventes. & ex C. *de viduis* 27. *q.* 1. ubi permittitur moniali remanere in domo quondam sua cum omni propria substantia, quo ad usum, & usum fructum, plenariamque in usus licitos administrationem, tam in rebus mobilibus, quam in immobilibus, cum manserit in domo propria, & cum omni sua substantia, ut ibi dicitur, & præterea probari potest ratione facta pro secunda sententia.

Ex quo infero etiam olim licuisse Prælatis concedere irrevocabiliter, & in perpetuum administrationem secundi generis, ut colligitur ex dicto C. *Insinuante*. ubi constat mulierem professionem emisisse ea conditione adjecta, ut cum omni substantia sua domi remaneret, quod necessario irrevocabiliter fieri debeat, cum professio sub illa conditione fuerit emissa. Quamvis postea Innocentius III. in *dict.* C. *Cum ad monasterium*, decreverit hanc administrationem nulli in perpetuum esse committendam.

Objectio. Sed dices esse contra votum paupertatis hanc irrevocabilem concessionem, quare videtur quod illa conditio posita in dict. C. *Insinuante*, vel annullet professionem, utpote contra votum paupertatis adjecta, vel alio modo sit exponenda.

Solutio. Respondeo in dict. C. *Insinuante*, esse concessa illa bona irrevocabiliter respectu voluntatis Prælatorum inferiorum, non tamen respectu voluntatis Episcopi (quia tunc Episcopi præsidebant monasteriis, aut respectu Papæ, quod sufficit, ut non sit contra votum paupertatis ut supra in 1. fundamento hujus C. diximus. Quare ex vi juris communis non est contra votum paupertatis administrationem aliquam, aut bona irrevocabiliter possidere respectu inferioris Prælati. Nam id de facto contingit in Prælatis perpetuis. Et olim id fuisse in usu videtur colligi ex dict. C. *Cum ad monasterium*, quod hujusmodi usus abolere voluit, maxime si illa bona concederentur ad determinatos, & necessarios usus, ut factum fuisse in specie dict. Cap. *Insinuante*; tenuit ibi *Glossa* verb. *ut in domo propria*. Post decisionem vero dict. C. *Cum ad monasterium*, & Concil. Trident. non licet sine pericolo proprietatis rem irrevocabiliter retinere, quamvis à Prælato id concedatur, ut supra latius docuimus.

Quare potissima difficultas hujus dubii est, an post decretum Concil. Tridentini *Cap.* 2. *sess.* 25. *de reformat. Regularium* adductum, relatumque à nobis supra in fronte hujus 4. Partis liceat peculium tertii generis monachis habere ad usum revocabile, Navarr. *Comment. 2. de Regul. n.* 15. & 18. passimque alibi asserit Concil. Trident. *dict. Cap.* 2. nihil de novo statuisse, sed potius ejus decretum esse veluti Glossam prædictorum Cap. tam Cap. *monachi*, quam Cap. *Cum ad monasterium* & ita exponit Concil. Quod cum ait Regulari non licere habere aliqua bona tanquam propria, idem decernit quod decernitur in principio Cap. *Monachi*. Et in Cap. *Cum ad monasterium*, quatenus hæc jura prohibent Regularibus habere administrationem tertiæ speciei, illam scilicet, quæ præbet facultatem disponendi pro libitu in quoscunque usus etiam profanos; & eodem modo intelligit illa verba Concilii: *Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari, etiam ad usum fructum, vel usum, vel administrationem concedere*. nempe quod intelligatur de administratione illa libera, & tertiæ speciei, vel de ea, quæ irrevocabiliter conceditur à Superioribus. Quare post dictum decretum Concil. Trident. ex sententia Navarri licet cuilibet Regulari habere peculium, & administrationem quorumcunque bonorum stabilium, dummodo sit concessum à superiore ad usus honestos, revocabiliter tamen, & dependenter ab ipsius voluntate. Probat Navarr. suam sententiam. Primo, Quia oportet jura juribus concordare, ut dicitur C, *Cum expediat* de elect. in 6. Quare non licet ab antiquo jure recedere, cum novum jus non cogit. Et sic cum in Trid. novum jus non sit expressum, illud interpretandum esse secundum mentem antiquorum jurium.

Secundo Probat id in *dict. n.* 18. quia hodie post Concil. Trident. posset Prælatus cum suo Conventu justa de causa, videlicet magnæ necessitatis, vel utilitatis monasterii mittere aliquem monachum industrium ad regendam aliquam villam, vel domum administratione illius ipsi commissa, ad nutum tamen Prælati revocabilem, ut passim fit tempore vindemiæ, & messis, ad quæ mitti non solent Officiales ordinarii monasterii, ut œconomus, Sacrista, Cellarius, sed alii particulares monachi, igitur

post

post Concil. licet monachis non Officialibus administrationem bonorum stabilium concedere.

Tertio Addi potest pro sententia Navarri, quia sicut Prælatus potest hunc vel illum monachum constituere monasterii Officialem, ita videtur eo ipso quo præbet illis facultatem habendi aliquam administrationem, vel peculium, facere eos Officiales administrationis illorum bonorum, vel saltem posse facere.

Docti vero Neoterici, licet post Concil. Trident. affirment tertium genus peculii esse licitum, eam tamen conditionem adjiciunt propter vim prædictorum verb. Concilii Trid. nempe: *Nec liceat deinceps superioribus*, &c. ut prædicta bona sive reditus sint in potestate communis Officialis, non vero in potestate ipsius Religiosi, quia hoc esse prohibitum dicto decreto Concil. Trident. affirmant. Ita docuit Corduba, quem sequitur Navarr. *ut sup. n. 177. & 168.* eo solo fundamento ducti, quia Concilium expresse voluit, ut bonorum monasterii administratio, non ad singulares religiosos, sed ad solos officiales spectaret.

Ut dubium hoc clarius resolvamus, liceat hic repetere verba Tridentini, ut his ob oculos positis apertius eorum mentem possimus intueri. Ait ergo *dict. Cap. 2. sess. 25.* Tridentina Synodus in hunc modum: *Nemini igitur Regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, usum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum, vel Conventuum ad solos Officiales eorundem ad nutum superiorum amobiles pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quem professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur.*

Tenor verborum decreti Concilij Trident.

Secunda Conclusio. Post hujus decreti promulgationem non licet Superioribus Regularium peculium bonorum stabilium, etiamsi sit revocabile, & ad usus honestos monachis condere.

Ut hanc sententiam efficaciter probem, advertere licet. Primò Concil. Trident. clarè evidenterque corrigere antiqua jura novumque statuere. Ita aperte Corduba, & Navarr. citati, aliique Neoterici fatentur, & ex ipso contextu luculenter patet, maxime ex illis verbis, *deinceps* &c. quæ ex natura sua jus novum novamque constitutionem præ se ferunt, ut docuit *Glossa in Clem.* Eos, *verb.* deinceps, *de Regularibus* recepta communiter secundum Cardinalem *Clem. 1. §. statutum de elect.* Quare licet libenter concedamus in prioribus verbis decreti nihil novum, nihilque correctorium statui, negari tamen non potest ab illo vers. *deinceps* novam à Trident. edi constitutionem, antiquique juris correctoriam: tum ex vi illius verbi, *deinceps*, ut dictum est, tum ex vi ipsius rei in hoc decreto stabilitæ, & præceptæ.

Antea enim licebat Prælatis, intra terminos juris communis, bona stabilia in peculium, sive administrationem concedere, quamvis revocabiliter, & ad honestos usus, ut constat ex dicto Cap. *Monachi*, & C. *Cum ad monasterium.* & ex dictis supra Conclusione prima. Qua ergo ratione potest negari, quod dum Concil. statuit, *nec liceat superioribus deinceps bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem vel commendam*, jus novum statui, antiquatique vetus, maxime cum Concil. ut constat ex *Cap. 1.* illius *Sess.* vehementer optaverit, ac districte præceperit, ut regularis disciplina quoad communem vitam, ubi permanebat, constanter conservaretur: ubi vero collapsa esset, nervosè restauraretur. Non est credendum voluisse jus antiquum, quod vitæ hùic communi præjudicabat in solido statu permanere, sed potius consulto illud mutasse, abolevisse & antiquasse.

Quare violenta est illa interpretatio Navarri asserentis, his verbis tantum prohibuisse Concilium, ne stabilia bona concederentur à Prælatis tanquam propria; Tum quia id in anteriori parte capitis erat prohibitum; Tum quia non video cur Concil. in illo versic. *deinceps*, prohibuisset tantum stabilia bona alicui Regulari concedi ut propria, & non idem statuisset de mobilibus bonis, ut in prima parte Cap. statuit, loquens expresse tam de mobilibus, quam de immobilibus. Frustra enim distingueret Concil. inter stabilia, & mobilia bona, cũ neutra possint, ut propria possideri. Unde cum Concil. ibi consulto distinxerit inter stabilia & non stabilia bona, egeritque tantum ibi de stabilibus, nulla ratione potest quadrare interpretatio prædicta Navarri. Quibus addo in illo vers. *deinceps*, & in sequenti nempe, *mobilium vero usum* &c. definiit à Concil. qualiter immobilia & mobilia bona debeant à Prælato concedi, illa (hoc est immobilia sive stabilia) solis Officialibus monasterii ad nutum Prælati revocabilibus, horum vero (mobilium scilicet) usum ita singulis dari præscribit, ut non excedat statum paupertatis, quem professi sunt.

Secundo Notandum est, quod habere peculium nihil aliud sit quam administrationem illius rei concessæ habere, ut docet Innocent. in Cap. *Cum olim 2.* de privilegiis communiter receptum, ut testatur Navarr. *Comment. 1. de regularibus n. 14.* Quod ita verum est, ut à ratione peculi etiam profectitii, quod minimum est inter omnia peculia, non possit separari administratio, ut patet ex *l. placet de acquirenda hæreditate*, & notat Navarr. *Comment. 1. de Regul. dict. n. 14.* In quo differunt Regularis habens peculium, & ille qui tantum habet res sibi necessarias à suo Prælato in pios usus concessas; nam ille ratione peculi tenetur administrare ea, quæ recta ratio administrandi peculii requirit, ut probat rectè Navarr. *Comment. 2. n. 9.* quia non potest dari peculium sine administratione necessaria circa peculium commissum. Quod maxime procedit in peculio de quo loquimur. Nam de illo supponimus quod possit Regularis in pios & honestos usus peculii bona administrare, & expendere. Qui verò tantum habet res necessarias ad suos usus concessas (ut solent communiter simplices Regulares in Religionibus reformatis) nulla ratione dicitur habere administrationem, neque peculium, quia uti rebus sibi concessis in usus necessarios, & determinatos à Superiore, non est propriè ea administrare, sed tantum usus simplex,

plex, qui ex natura sua distinguitur ab administratione, ut omnes fatentur.

Tertio Observandum est, hoc esse discrimen inter illum, qui habet peculium, & inter Officialem, qui constitutus est à Prælato, ut administret bona monasterii; quod ille administret peculium, in bonum & commodum suum, & in usus sibi convenientes, hic vero administret monasterii bona non in suam, sed in ipsius monasterii, aut aliorum monachorum utilitatem. Ad id enim constituuntur Officiales à Superioribus, ut bona monasterii conservent, augeant, vel distribuant, prout ipsis à Superioribus suis permissum est.

His præfatis probatur nostra sententia evidenti argumento. Quia Concilium decernit monasteriorum stabilia bona non posse concedi monachis simplicibus in usum, nec in administrationem, sed tantum Officialibus monasterii; & Concilium, ut supra probatum est, loquitur de quacunque administratione bonorum stabilium: sed non potest concedi peculium bonorum stabilium alicui sine hoc quod concedatur usus, vel administratio, ut in secundo notab. nuper tradito dictum est: igitur Prælatus non potest monachis concedere peculium, nec administrationem bonorum stabilium.

Et confirmatur ex declaratione Congregationis Cardinalium, qui interrogati, an domina Aldonza de Toledo, quæ, vito mortuo, facta fuit monialis, sibique permittente filio reservavit ducentos aureos annuos, secure id posset facere? Responderunt esse contra Concil. Trid. illam dominam annuos reditus apud se retinere, sed potius dandam esse eam pecuniam Abbatissæ, quæ illius necessitatibus provideat.

An possit Prælatus bona stabilia concedere ad usum alicujus Religiosi.

Ex his igitur colligo primo, posse Prælatum bona stabilia concedere ad usum alicujus Religiosi, tali conditione apposita, ut ejus administratio sit apud Officiales monasterii, non vero apud ipsum Religiosum, ut voluit Trident. & declaratio Cardinalium supra relata, docuerunt-que Cordub. & Navarr. *ubi supra*; tunc verò hæc concessio non dicetur peculium. Primo, quia peculii administratio debet esse apud habentem peculium, ut constat ex 2. notabili allato. Secundo, quia peculium est separata substantia ab aliis bonis: at hæc bona non sunt separata, sed potius incorporata aliis bonis Communitatis, cum administrentur ab Officialibus, qui bona communia distribuunt. Quod evidentius patebit ex his, quæ infra dicemus,

Duæ conditiones ad hujusmodi concessionem, ut sit licita, necessario requisita.

Requiruntur autem duæ conditiones, ut hujusmodi concessio debitè, & justè à Prælatis fiat. Prima, ut illa bona sint incorporata communibus bonis, ita ut si alius magis egeat illis bonis, quæ reposita sunt apud Officiales, illi tribuantur: quod præ oculis habere debet tam Prælatus concedens (qui permittere debet officialem illa bona alteri in majori necessitate constituto applicare) quam subditus in cujus commodum ea deputantur, ut is paratus sit æquanimiter ferre illorum distributionem in alios usus, prout visum fuerit Prælato, etiamsi non sint magis necessarii.

Secunda Conditio, ut subditus quando ab Officiali necessaria petit, exponat in particulari suas necessitates; nam alias tantum erit Officialis veluti depositarius, & in hoc casu esset Officialis tantum materialiter; quemadmodum posset esse alius secularis, vel Religiosus, & subditus esset administrator, cum illa bona ipse pro libitu acciperet & distribueret, quod est contra mentem Concilii: his ergo duabus conditionibus licita est hæc bonorum stabilium concessio, non tamen potest, nec debet dici peculium ob rationes dictas, sed tantum est quædam gratia, sive indulgentia à Prælato concessa monacho, ut quoties voluerit ex illis redditibus aliquid in honestos usus expendere, possit id facere ex consensu Officialis monasterii, exponens ei usus in quos dispensare vult.

Quare quidam Religiosi versentur in statu periculoso.

Ex quo intelliges versari in statu periculoso illos Religiosos, & moniales, qui habentes à Superiore in suos usus concessos reditus vitalitios, ipsi vel ea bona administrant, habentque in sua potestate, titulo, & nomine peculii; cum id Prælati non possint concedere; vel si illa bona apud Officiales monasterii resident, ita expendi curant, ac si esset verum peculium sibi concessum. Et quod deterius est, nunquam ferunt prædicta bona aliis monasterii necessitatibus applicari, quæ omnia in causa sunt, ut ipsi in periculosissimo statu versentur.

Incidenti dubio respondetur

Sed dices, an sit aliquis modus possibilis, quo fieri possit, ut monialis, cui relicti sunt annui reditus, possit eos apud se retinere, & administrationem exercere?

Respondeo primo id fieri non posse, si annui reditus non sint perpetui, sed ad modicum tempus Religiosis à Prælatis concedantur, verbi gratia, ad decennium: nam tunc non censentur bona immobilia. ita expresse tenet Glossa *in Clem.* Exivit. §. *nec licet*, verb. *Cumque annui*. Quare cum tunc sint mobilia bona, eorum potest committi administratio cuilibet Religioso, ut in seq. Conclus. dicemus,

Secundo potest id fieri si fundus, vel census extraneo sæculari detur, cum onere quod singulis annis ad usum & alimenta præstet tantam quantitatem moniali, vel Religioso. Ita tenet Cardinal. in *dict. Clem.* Exivit §. *nec licet*. Et ratio est, quia tunc illa non sunt bona stabilia Conventus, & ad ipsum pertinet solum id quod quolibet anno ab extraneo datur. Et hoc est quod voluit Cordub. *in fine dict. q.* 54. & idem censeo, imo id mihi probabile videtur, quod si alicui Religioso legarentur annui reditus pro alimentis, & aliis necessitatibus, quod tunc possit habere administrationem illius pecuniæ. Ratio est; quia licet annui reditus ultra decennium à jure inter bona immobilia & perpetua computentur, tamen quando ii annui reditus legantur pro alimentis alicujus personæ, non censentur, neque sunt bona immobilia & perpetua, quia tunc sunt plura legata, & sic si legatarius moriatur non transmittit actionem in monasterium, quam transmitteret, si esset unum legatum; ut patet ex *l. si cum prædefunct.* & ex *l. in singulos annos ff. quando dies legati cedit*, & colligitur ex *Glossa citata in dict. Clem.* Ex quibus juribus constat non esse computandum inter immobilia bona, etiamsi ad totam vitam relinquatur illud quod sit pro alimentis, vel aliis usibus pro singulis annis. In hoc tamen peculio servandæ sunt conditiones, de quibus in seq. Conclusione.

Tertia Conclusio: licitum est Prælatis peculium bonorum mobilium subditis concedere, dummodo illud sit revocabile ad nutum Superioris,

rioris, & ad usus honestos, & determinatos. Ab hac Conclusione non est qui dissentiat, & quia Concil. Trident. quoad bonorum mobilium usum nihil novi statuit, cum expresse ibi agat de bonis stabilibus, & ex alia parte id licebat ex antiquo jure & communi, id igitur modo etiam licitum erit.

Ex qua Conclusione infero posse monachos de licentia Prælati habere libros, vestes, pecuniam, & alia mobilia administrare in suos usus. Imò licita est consuetudo in aliquibus monasteriis introducta, ut moniales victum tantum à monasterio accipiant, vestitum autem, & alia ex suis laboribus sibi quærant, & quod magis est, ut cuilibet monacho detur quolibet anno vel mense ab Officiali monasterii certa quantitas pecuniæ, vel victus pro usibus sibi necessariis, ut supra Cap. præcedenti resolvimus, quia his non contradicit Concilium Tridentinum quantum ad hoc, quod est habere peculium, sed tantum ratione vitæ communis, ut ibi diximus. Quare optimè responsum est à Congreg. Cardinalium licere monialibus artificio, & propriis manibus sibi victum quærere, si aliunde non habeant unde commodè sustentari valeant.

Prædictis non obstant contraria fundamenta & argumenta Navarr. nam primo satisfactum est ex dictis 2. Conclus. Ad 2. respond. quod quando Prælatus alicui committit administrationem alicujus villæ, vineæ, &c. jam ille supplet vicem Officialis; nam cum sæpe procuratores, aut œconomi non possint omnia monasterii negotia gerere, eliguntur alii, qui vice eorum ea tractent in utilitatem monasterii, & hoc non est contra Trident. sed tantum quando hæc administratio alicui committitur tanquam peculium, potius in suam, quam in monasterii utilitatem.

Ad 3. dicitur, quod Prælatus administrationem illam concedens alicui non constituit ipsum Officialem. Nam hoc interest ut supra dixi inter habentem peculium, & officialem, quod ille administrat directè in utilitatem suorum usuum, hic verò in utilitatem, & commodum Communitatis.

Ex quibus etiam infero non esse hodie licitam primam illam speciem administrationis, qua res stabilis administranda conceditur in damnum & utilitatem administratoris. Nam hoc est, quod expresè in Concil. Trident. prohibetur, ut dictum est.

CAPVT VI.

Nulla ratione à Prælatis debere concedi peculium sine magna & urgenti causa, neque illud à subditis esse procurandum.

Quando Prælati & Subditi graviter peccent in usu peculii.

SIve peculium possit hodie concedi in stabilibus bonis, ut aliquorum fert opinio, sive tantum in rebus mobilibus, ut verior sententia, & à nobis superius confirmata tenet, illud imprimis certum est, tam Prælatos concedentes, quam subditos utentes sine justa, & rationabili causa horum peculiorum beneficio, graviter peccare contra votum paupertatis. hoc dictum expresè colligitur ex Navarr. *Comment. 2. de Regul. n. 21.*

Et primo de Superiore concedente patet; quia cùm administret, vel distribuat bona monasterii in eos usus, in quos à jure ipsi est prohibitum dispensare, peccat contra votum paupertatis, & sicut Procurator monasterii, si ultra facultatem sibi commissam aliqua bona monasterii alicui Religioso concederet, esset proprietarius, tam ipse quam Religiosus illis bonis uterer, ut supra demonstravimus: ita Prælatus, qui ultra facultatem sibi à jure, à regula, sive à Constitutionibus concessam hujusmodi peculia permittit, erit proprietarius, cum administret bona monasterii sine facultate, & licentia justa; imo contra jura, Regulam, & propias Constitutiones. Præterea (quæ est secunda pars nostri dicti) subditi his peculiis utentes mortaliter peccabunt: tum ob rationem ex similitudine accipientis aliquid à Procuratore additam; tum, quia Prælatus sine justa causa non est dispensator bonorum monasterii, ac proinde eis utens sine justa licentia injustè utitur, & tunc illud peculium dicitur habere, quasi propria authoritate possessum. Oportet tamen explicare, quæ sit rationabilis causa concedendi, aut habendi peculium.

Quando subditus utens peccet mortaliter.

Et primo illa rationabilis causa videtur, quando subditus nulla ratione obtinere potest, *sive causa* ut superior vel œconomus monasterii ei necessaria provideat, quia non possunt, aut nolunt, *rationabilis ut* tunc enim rectè potest à Superiore petere peculium, ut ex ipso sibi necessaria sumat secundum *cessandi.* suæ decentiam sui status. Nam quæ rationabilior *Quæ sit* causa excogitari potest, quam necessitas victus, *causa.* & vestitus, & aliorum, quæ requiruntur ad decentiam proprii status?

Secundo rationabilis causa in aliquibus Religionibus videtur administratio alicui Religioso commissa, tunc enim justa causa videtur, ut ei peculium similiter concedatur, ut habetur in Cap. *Monachi.* ibi: *Qui verò peculium habuerit, nisi ei ab Abbate pro injuncta administratione fuerit permissum,* &c.

Præterea justa causa merito censetur, quando aliquibus Officialibus monasterii aliqua salaria pro injuncto munere loco peculii assignantur, ut tradit Navarr. *Comment. 2. & 3. de Regul.* unde in aliquibus monasteriis assignari solent à Prælatis aliquæ pictantiæ, sive proventus peculiares, quæ omnia in Religionibus, in quibus jam usu recepta sunt servari tuta conscientia possunt. Nam Religiosi ab his muneribus retardarentur, nisi præpositis his præmiis ad ea suscipienda alliciantur. Quamvis in aliis Religionibus Prælati ea munera sine ulla spe temporalis præmii exequantur. His accedit etiam esse justam causam concessionis peculii alicui Religioso, illum talis fuisse industriæ, vel conditionis, ut ejus intuitu aliqua bona notabilia, sive suâ arte, vel labore monasterio comparentur. Docet Navarr. *Comment. 2. de Regular. num. 25.* ubi refert solitos esse Dominicanos S. Stephani Salmanticæ sui Ordinis magistris Cathedras magnorum reditum ibi regentibus permittere, ut ex illis cognatis suis pauperibus aliqua bona distribuant.

Tertia causa esse posset, si Religiosi cibum, & & vestes communes prodigè, & superfluè consumant, tunc enim, si notabilis sit excessus, justè potest assignari portio certa, quæ sit veluti peculium, ut hac ratione ipsi suo damno, vel commodo

modo viventes bonis monasterii magis consulant. Naturale quippe vitium est negligi, quod communiter possidetur, & è contrario innatum esse solet, ea quæ in particulari habentur majori cura servari, & custodiri.

Quarta causa rationabilis videtur esse, studium vitandæ discordiæ, quæ aliquando tepescente spiritu in Religione ex victu, & vestitu ac vita communi, & æquali oriri solet. Quæ querela & murmuratio antiqua est in monasteriis, cum adhuc tempore Augustini inter ejus Monachos versaretur, ut ipse Cap. nono suæ Regulæ ait: *Si super indumento inter vos contentiones, & murmura oriantur, & conqueritur aliquis se deterius accepisse, quam prius habuerat, & indignum se esse quod non ita vestiatur, ut alius frater vestitur, hic vos probate quantum vobis desit de illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.* Hæc Augustin. quibus satis indicat contentiones, quæ aliquando ex distributione quotidiana communi & æquali secundum uniuscujusque necessitatis proportionem solent oriri.

Hæ aliæque causæ ab aliquibus reddi, probarique solent, ut justè Religiosis peculium concedi possit, nobis vero non simpliciter & absolutè, sed potius cum sequenti distinctione probantur. Nam aut sermo est de causa sufficienti & justa, ut omnibus subditis generaliter peculia assignentur, vel tantum ut aliquibus in particulari. Si de primo loquamur, nulla sufficiens & justa causa reputatur, ut Prælatus possit omnibus Religiosis Communitatis hæc peculia concedere, cum Concil. Trident. *Sess. 25. Cap. 1. de reformat. Regularium* expressè præcipiat vitam communem quoad victum, & vestitum integrè, severéque servari. Quare nulla apparet justa causa, qua licitè possit Prælatus stante hoc decreto toti Communitati peculia, aut formam vivendi per portiones privilegiatas concedere. Nam si Concil. ibi statuit, ut vita communis collapsa restituatur, ad idque teneri Superiores, ex vi hujus decreti Trident. *supra Cap. 4.* probavimus, qua ratione licebit vitam communem statim relaxare? Aliquæ verò causæ ex dictis justæ videntur, ut Prælati alicui subdito in particulari in Religionibus, ubi id propria Regula, Constitutionibus, aut consuetudine non prohibetur, peculia permittant, dummodo peculium sit in rebus mobilibus tantum, & adsint aliæ conditiones, de quibus Cap. præcedenti.

Quænam in peculio concedendo potissimum pensanda sint.

Denique, ut hoc peculium justè concedi possit, pensanda est causa, an justa, & æqua sit arbitrio boni viri, & prudentis, quia illi relinquitur determinandum quod jure non est determinatum, ut dicitur lege prima *ff. de jure deliberando*, & tradit in hoc proposito Navarr. *Comment. 2. de Regularibus num. 25.* ubi ait, pensandam esse personam, locum, tempus, finem in quem conceditur peculium, & quantitatem rei concessæ. Quibus addendum est, potissimum inspiciendum esse illius Religionis usum, & consuetudinem, si alias propriæ Ordinis Constitutiones nihil, de hoc statuant. Præterea, an in illa sint magni, vel parvi proventus, & status paupertatis, qui communiter in ea servatur, & tunc non sine magna consideratione peculium concedi debet.

Quando Superiores graviter peccent in hac materia.

Ex dictis infertur primò peccare mortaliter Prælatum, qui non curat subditis præberi necessaria, secundum decentiam, & honestatem sui status. Quia hac via ansam præbet subditis, ut peculia procurent, ut *sup. Cap. 1.* latius ex Patribus tradidimus. Et idem sentio de eo, qui recipit plures Religiosos, quàm eleemosynis, vel redditibus Conventuum sustentari possint. Quia reddit quasi impossibilem, aut valde tenuem eorum victum & vestitum. quare in Trident. *Sess. 25. Cap 3.* maturè, sanctèque decernitur: *Ut in monasteriis ita tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui, vel redditibus proprijs monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Quod statutum præcipuè obligat Prælatos Superiores, ut ita taxare numerum procurent, ne ex nimia multitudine Conventus graventur, vel monachi quærendo necessaria tollitudine distrahantur.

Quando Subditi.

Secundo infero, subditos etiam mortaliter peccare, qui occasionem præbent, ut in Religione peculia introducantur. Tenent D. Antoninus *tertia parte titulo 16. Cap. 1. §. 11.* Sylvest. *verb.* religio *6. num. 7.* Tunc autem dicuntur præbere causam peculiis introducendis, cum bona monasterii sibi concessa dissipant, destruunt, aut prodigè consumunt; aut facile murmurant, & de concessis sibi ad usum, etiamsi cum religiosa moderatione illis concedantur, querelas fundunt, aut etiam illi, qui subire labores aliaque officia Religionis requiruntur, nisi eis peculia, aut stipendium (ubi dari non consuevit) permittantur. Et multò magis, qui suis opinionibus, aut suffragiis curant horum peculiorum abusum in suis Religionibus inducere.

CAPVT VII.

Superiores non posse sine proprietatis vitio monasterii bona in usus superfluos nedum profanos expendere.

VEra in hac re sententia est communi Patrum, Doctorumque traditione recepta, monasteriorum Prælatos graviter, lethaliterque delinquere, monasterii bona (quæ Christi substantia seu patrimonium dicuntur) in profanos usus vanè aut imprudenter effundendo. Testantur id DD. sacri. Hieronym. in *Regula monachorum* Cap. 3. *Præter victum* inquit, *& vestitum & manifestas necessitates nihil cuiquam tribuas: ne filiorum panes canes comedant. Tu ergo considera ne Christi substantiam imprudenter effundas.* Gregorius etiam *in Pastorali, parte tertia, admonit. 21.* de Prælatis loquens, ita habet: *Necesse est ut sollicitè perpendant, ne commissa indignè distribuant.* & infra, *Ne cum pauca oporteat, plurima præbeant.* unde Benedictus *Cap. 55.* suæ *Reg.* posquam Abbati ut monachis necessaria distribuat, præcipit, ac subjungit: *Jam quod superfluum est, amputari debet, & pedules & quodcunque est vetustum, reddant, cum accipiunt novum.*

Communis SS. Patrum ac DD. sententia.

Quod D. Basilius in *Reg. brevior. interrogat.*

89. & 90. suis monachis præcipit. Expressis tamen hanc dispensationem superfluii esse peccatum mortale docent D. Antoninus *3. parte tt. 6. Cap. 1. §. 11.* & D. Bonaventura *in Reg. Cap. 6. & in quæst. circa Reg. quæst. 6.* Estque communis sententia omnium DD. Tenet Navarr. *Comment. 2. de Regular. num. 21.* ubi pro sua sententia adducit Alexandrum, Umbertum, & Turrecrematam, & in *Comment. 3. num. 27.* ubi ex Calderino, & aliis docet Religiosos sine necessitate non esse capaces ullarum rerum, sæpeque affirmat licentiam à Prælato concessam sine causa esse irritam, imo nec Papam eam posse concedere. Idem Navarr. ex mente Panorm. & aliorum affirmat in *titulo de reditib. quæst. 3. monit. 6. num. 1. 2. & 3.* Nec video dissentire aliquem ex authoribus ab hac sententia. Quæ confirmatur ex Trident. *Sess. 25. Cap. 2.* ubi præcipitur Superioribus, ne superflua concedant illis verb. *Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis quem professi sunt conveniat, nihilque superfluum in ea sit,* &c.

Et probatur ratione, quia cum Prælatus non sit Dominus, sed tantum dispensator bonorum monasterii, moraliter peccat, si ea imprudenter superflueque expendat, cum nec Summus Pontifex possit id facere, nam & ipse non est Dominus bonorum Ecclesiæ, sed tantum dispensator. Quare cum usus superfluus non possit honestari aliqua justa causa, fit ut nulla ratione possit à Prælato permitti.

Secundo, quia votum paupertatis importat usum tantum rerum necessariarum secundum decentiam status: quare quidquid moderatum hunc modum excedit, injustè fit, aut conceditur, ex quo fit Prælatos, qui in usus profanos, aut illicitos bona monasterii impendunt, à fortiori gravius, deterioùsque peccatum committere, cum constet, nec Summum Pontificem posse id facere. Quod si in his Prælatus, qui ampliorem habet potestatem disponendi, graviter peccat; quid sentiendum erit de Procuratoribus, Cellariis, Oeconomis, aut aliis Officialibus, qui monasterii bona dissipant, dispendunt, aut aliis usibus superfluis applicant? Contra hos scripsit D. Antoninus *dict. §. 11. ubi supra.*

Sed, an Prælati hujusmodi usus superfluos concedentes peccato proprietatis delinquant, non conveniunt inter se omnes. Nam D. Antoninus secutus Umbertum, & Sylvest. Turrecrem. & Alexandrin. à Navarro citati, ut *sup. dict. n. 21.* quamvis fateantur hujusmodi dispensationem non fieri sine peccato injustitiæ, vel infidelitatis, negant tamen eos peccare contra paupertatem, quibus videtur favere Navarr. *ibid. Vers. Octavo infertur.*

Contraria tamen sententia verior, communiorque est, eam tenet Navarr. *dicto num. 21. Verticulo, Quare videtur dicendum.* probatque potest ratione, quaſæpe usi sumus. Quia Prælatus cum non habeat facultatem dispensandi in superfluos usus, peccat contra paupertatem administrando bona monasterii sine licentia, quemadmodum peccaret Procurator, vel Officialis alius, si excedens sibi commissam potestatem bona monasterii dispensaret. Imo & ipse Prælatus, etiamsi in usus aliàs licitos, & pias causas sine licentia notabilem quantitatem monasterii expenderet, esset proprietarius, ea solum ratione, quia uti debet administratione sibi injuncta in usus rationabiles à Lege, Regula, vel Constitutionibus permissos. Quare prætergrediens hanc facultatem, contra paupertatem peccat.

Et confirmatur ex *Capite*, Fraternitatem, *de donationibus*, ubi Alexander III. ita rescripsit: *Cum Episcopus, & quilibet Prælatus ecclesiasticarum rerum sit Procurator, & non Dominus; conditionem Ecclesiæ meliorare potest, facere verò deteriorem non debet.* Et infrà. Docet hujusmodi donationes esse revocandas, ex quo fit Prælatum gerere debere Procuratoris vices in administrandis bonis monasterii, neque eas excedere ultra id quod sibi permissam est à jure vel à suis Constitutionibus.

Explicare tamen oportet, ut clarius tota rei difficultas intelligatur, qui usus *necessarij*, qui verò *superfluij* dicantur. Duobus igitur modis superfluæ opes dicuntur, uno modo si sint superfluæ naturæ, non tamen statui, sive personæ, quales sunt illæ, sine quibus vivere posset quis, si tantum naturalem necessitatem attenderet, non tamen statum. secundo, superfluum dicitur respectu personæ, quod non solum respectu naturæ, sed etiam status personæ superfluit.

Sciendum præterea est, necessitatem naturæ vel status non esse accipiendam mathematicè, sed moraliter, secundum, inquam, arbitrium viri pii, & prudentis, qui id necessarium arbitrabitur, sine quo nullo modo naturæ, aut personæ status conservari potest. Deinde id etiam dici potest necessarium, quo licet in præsenti nobis opus non sit, paulo tamen post opus habebimus. Quod ita intelligi debet, non ut opes, aut pecunia possint conservari sine superfluitatis nota propter omnes casus, qui aliquando accidere possunt, sed tantum propter eos, qui probabiliter, & quasi certò ita imminent, ut nisi nunc eis provideatur, postea provideri non poterit, alioqui peccaretur contra præceptum Domini prohibentis sollicitum esse de crastino *Matth. 6.* Is enim sollicitus esse dicitur de crastino, qui hodie pro ea re sollicitus est, de qua satis tempestivè cras cogitare inciperet.

Ea igitur in præsenti *superflua* appellamus, quæ neque ad vitam, neque ad decentiam status Religiosorum sunt necessaria. Quare superfluum pensandum est ex omnibus circumstantiis Religionis, personæ, loci, temporis, officii &c. Unde qui in una Religione judicatur moderatus usus, in altera, ut superfluus meritò rejicitur: & quod intra eandem Religionem uni est necessarium, respectu alterius judicatur superfluum, & quod alicui tempore infirmatis conveniens opportunumque est, id restituta sanitate eidem concedere veræ derogat paupertati. Ac denique intra eandem Provinciam sæpè eo victu, & vestitu, quo in uno Conventu monachi licitè utuntur, in alio propter circumstantias loci, licitè non utentur. Nam fieri potest, ut in illo loco cibus, sive alia res vilis reputetur, quæ in alio magno pretio debeat comparari. Quare ille dicetur moderatus usus, ut recte

Cordub.

Corduba in *Regul. B. Francisc. Cap. 6. quæst. prima, puncto primo* advertit, qui est secundum qualitatem status personarum, & secundam varietatem temporum, & locorum conditiones, & alias occurrentes circunstantias tam in quantitate, quàm in qualitate rerum. Unde Prælati qui superflua ædificia, aut nimis curiosa construunt, dummodo illa excedant statum paupertatis, aut decentiam sui status, graviter contra paupertatem delinquunt. Hæc conclusio simili ratione probatur. Quidquid superfluum est, paupertatis limites excedens notabiliter, non potest expendi à Prælato sine gravi, ac notabili culpa proprietatis, ut nuper probavimus.

Concilium Viennense reprobat ac damnat magnificentiam ac superfluitatem ædificiorum, etiam in templis præsertim pro Regularibus Mendicantibus.

Speciatim vero superfluitatem ædificiorum, nimiam magnitudinem, & curiositatem, etiam ipsarum Ecclesiarum damnant imprimis Concil. Viennens. relatum *in Clem. Exivit.* §. *Rursus* versic. *Quamvis*, de verb. signif. ubi sic dicitur: *Nec per illa vult sibi DEUS servari, quæ suorum servitorum conditioni, & statui dissonarent.*

Et paulo ante in versic. *hinc est.* Dixerat: *Nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri sustinerent Ecclesias, vel alia quæcunque ædificia, quæ considerato Fratrum inhabitantium numero, excessiva in multitudine, & magnitudine debiant reputari.* Hæc ibi. Et quamvis hic solum de Fratribus Minoribus sermo sit, tamen in quantum præcipitur, ut ædificia statui paupertatis, quem profitentur, convenientia construantur, commune est omnibus Religionibus, & ipsi rationi naturali consentaneum, quæ temperantiam rerum secundum utentis qualitatem requirit. De hac ædificiorum vanitate & superfluitate conqueritur D. Hieronymus in *Reg. Monachorum C. de paupertate*, dicens: *Neque mihi aliquis opponat dives in Judæa templum, mensam, lucernam, thuribula, scyphos & alia ex auro fabricata, tunc hæc probabantur à Domino quando Sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecorum erat redemptio peccatorum, quanquam hæc omnia præcesserunt in figura; nunc verò cum paupertatem domus sua pauper Dominus dedicaverit, cogitemus Crucem, & delicias luctum putabimus. Sed nunquid tempus, ut habitetur in domibus laqueatis primo ornatis & compositis, & quæ non tam ad usum sunt, quam ad delicias?*

Sensus SS. Patrum circa hæc ædificiorum magnificentiam ac sumptuositatem.

Quem abusum latius prosequitur Bernardus in *Apologia ad Guilielmum Abbatem*, & in *Epistola ad Fratres de monte DEI*, ubi sic inter alia inquit: *Jam enim subintravit de ære alieno sumptuosum, & (quantum sinit pudor) ambitiosa cellularum ædificatio, & abjecta sancta simplicitate, & rusticitate quasi religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates. Dimissam enim nobis à Patribus nostris jure hereditario formam paupertatis & sanctæ simplicitatis speciem, verum decorem domus DEI alienantes à nobis & à cellis nostris, per manus artificum exquisitorum, cellas non tam eremiticas, quam aromaticas ædificamus nobis de eleemosynis pauperum.* Et post pauca: *Ergo obsecro in peregrinatione hujus sæculi, in malitia hac super terram ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum: utpote cito inde vocandi, & emigraturi in patriam.*

Divus Bonaventura in *Epistola* quam suo Ordini scripsit, quæ habetur *titulo tertio libri Ordinis Minorum*, enumerat damna, & incommoda, quæ ex ædificiorum sumptuositate, & superfluitate evenire solent, his verbis: *Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa, & curiosa, quæ pacem fratrum inquietat, gravat amicos, & hominum perversis judiciis multipliciter nos exponit, & non sine præjudicio paupertatis occurrit sumptuosas expensarum. Nam cum Fratres pauci nolint esse contenti; facti summus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter opponatur.* Et infra: *Luce clarius prædicta omnia in maximum, & nullo modo dissimulandum vergunt nostri Ordinis detrimentum, quamvis tepidis & indevotis, & carnalia sapientibus, quasi jam facilia, inexcusabilia, & irremediabilia videantur; pravas ergo prædictorum vitiorum consuetudines viriliter vos, ô Prælati resecetis, requirit hoc professio perfectionis nostræ, requirit tribulationum incursus, requirit mundus. Clamat S. Pater noster Franciscus, sanguisque Christi aspersus, & Dominus de excelsis,* &c.

Et idem quoque confirmat in *alia Epistola*, dicens: *Nam frequentia discursus, & importunitas quæstus viles nos, & graves efficiunt, pro eo scilicet quod dum paucis nolumus esse contenti, & ædificia sumptuosa conamur erigere, vilia summo studio quærentes, nobilia per incuriam perdimus.* Et infra: *Quantam paupertas est nostri Ordinis prærogativa sublimis. Væ nobis si hac margarita conculcanda porcis viliter exponatur. Discursum, curam, quæstum, sumptuositatem ædificiorum, librorumque, vestium, ac ciborum sic studeas compurare, quod à professionis excellentia, vita observantia non discordet. Fœdum est enim propriumque mendacium, summæ paupertatis voluntarium se professorem asserere, & rerum nolle penuriam pati. Interius instar divitum affluere velle; & exterius more pauperum mendicare.* Hæc ille: Quæ etiam in *Expositione Regul. B. Francisci Cap. 6.* idem sæpius repetere non veretur, & maxime in *quæstionibus supra Regulam quæst. 6.* Nec solum pauperta is amator *Franciscus* magno studio in suo Ordine sumptuosa ædificia fieri interdixit, ut ex Clem. *Exivit*, ejusque vita apertissimè constat, verum & D. DOMINICUS, Qui Romam revertens cum cerneret ibi quoddam ædificium aliqua sumptuositate constructum, statim ne ultra progrederetur præcepit. Ita Historia nostri temporis eruditissimi viri Ferdinandi *del Castillo* 1. parte Cap. 54. refert.

Contra hanc ædificiorum sumptuositatem plura etiam scripsêre Dionysius Carthusianus *de reformat. Claustrali art.* 14. Guilielmus Parisiensis *tr. de moribus Ecclesiæ C. de paupertate*, & Expositores omnes Regulæ B. Francisci in *dict. Cap. 6.* Quod eos accepisse constat ex summis Pontificibus Clem. V. & Nicolao IV. quorum alter in Clem. *Exivit*, & aliter in C. *exiit*, de verborum signif. ædificiorum sumptuositatem ac magnificentiam condemnant. Nec putet aliquis nos omnibus Religiosis unam eandemque mensuram statuere, sed tantum volumus, ut ea ædificia attento statu paupertatis cujuscunque Ordinis majora, vel minora erigantur, sic ut respectivè in omnibus vitetur superflua magnitudo, vana curiositas, aut nimia pretiositas. Neque in his excedi potest sine gravi Religionis, aut paupertatis jactura, sequuntur enim ex hac superfluitate quinque

Referuntur quinque gravissima damna, proveniētia ex hac superfluitate.

quinque in Religionibus reformatis gravissima incommoda, quæ licet breviter, ap è tamen, & verè D. Bonavent. dicta quæst. 6. his verbis enumerat: *Quintuplicia enim peccati rei sunt, qui superflua in ædificiis & aliis, quibus utimur, procurant, & acquirunt. Primo propter transgressionem professionis, quia pompis renunciantes in sæculi paupertate & humilitate vera promiserunt Domino famulari.*

Secundo propter malum exemplum, quo alii discunt ab eis similia facere, vel scandalizantur, quando vident eos, qui hujusmodi pro Christo spernere deberent, quærere vel sectari.

Tertio propter inquietudinem fratrum, propter hujusmodi ædificia & procurationes, quia & devotio extinguitur, & disciplina Religionis plurimum dissipatur. Sicut scriptum est, venerunt structores tui destruentes te, & dissipatores à te exibunt.

Quarto, propter spoliationem aliorum pauperum, quibus sæpe eleemosyna præripiuntur, & hujusmodi structuræ fiunt, ex quibus illi deberent vestiri, & pasci, dum quod istis datur, eis negatur, quia ad dandum utrisque sæpe deficit dantium largitas & facultas.

Quinto, Quia quando nimis urgemus homines ad dandum, perdunt devotionem prius ad nos habitam, quod nec de prædicatione, neque exemplo, nec aliis, quæ facimus ædificantur, unde cum vident nos accedere, terrentur & timent, quod aliquid velimus ab eis petere, quod grave sit eis dare, & erubescunt negare, & si dederint non libenter, minus merentur, sic rebus & devotionibus privantur. Quibus verbis satis clarè, & apertè demonstratur innumera damna, quæ ex hac ædificiorum nimietate proveniunt.

Complura alia incommoda subindicantur.

Quibus etiam adjungi possunt non contemnenda alia inconvenientia, qualia sunt manifesta pericula, in quibus Religiosi extra monasterium vagantes, maximè juvenes versantur. Præterea mores religiosi in desuetudinem vertuntur, ac demum foris discurrentes varia carnis commoda venantur; familiaritates contrahere compelluntur, à pœnitentibus munera quærere, ædificationem animarum aliquando pro quæstu vendere, divitibus adulari, scandala non curare, DEI, & Religionis honorem sæpe conculcare non verentur. Quare Superiores maximam tenentur adhibere curam, ne terrena cœlestibus, humana divinis præferentes, subditorum salutem, ac proinde propriam, cum eorum teneantur reddere rationem, pro vili ac temporali lucro tantis exponant periculis.

Neque solum Concil. Viennense Religionibus arctissimam paupertatem profitentibus sumptuositatem, aut superfluam in ædificiis curiositatem, verum etiam in ornamentis, vasis Ecclesiasticis, divino cultui, ipsique DEO dicatis prohibuit; ait enim, ut refertur in dicta Clem. *Exivit.* §. *rursum* sup. versiculo, *Quamvis*, in hæc verba: *Quamvis etiam paramenta, & vasa ecclesiastica ad honorem divini nominis ordinentur, propter quem fecit omnia ipse DEUS, tamen quia absconditorum est cognitor, nec per illa sibi vult serviri, quæ suorum servitorum conditioni, & statui dissonarent. Propter quod sufficere debent eis vasa, & paramenta ecclesiastica, decentia, in numero, & magnitudine sufficientia competenti. Superfluitas autem & nimia pretiositas, vel quæcunque curiositas in his, seu aliis quibuscunque non potest eorum professioni vel statui convenire.* Hactenus *Clemens V.* apud Concil. Viennens. ubi quamvis in specie loquatur de Fratribus Minoribus, ratio tamen, sive fundamentum, quo nititur, universos monachorum Ordines comprehendit.

Quare Calixtus III. Pontifex Maximus cum ad ejus aures aliqui circa paramenta ecclesiastica Fratrum Minorum excessus pervenirent (teste Collectore privileg. verb. *Ornamenta ecclesiast.*) suspirans imperasse fertur, ut in his rebus similibus excessibus sedulò obviaretur. Et Hugo in *Regul. B. Francisci Cap. 6.* apud Cord. *eodem Cap. quæst. 13.* ait: *Quid sit ars dæmonum sub specie cultus DEI destruere in paupertate sanctissima verissimum DEI cultum & apparens devoti operam propositi devotionem extinguens.* hæc ille. Quare harum rerum superfluitatem veræ devotionis & paupertatis impedimenta, multorumque malorum causam esse prudenter annotavit nostri temporis vir sanctissimus, & de Christiana eruditione benè meritus Ludovicus Granatensis. Is enim in *Tract. de oratione 2. Parte* agens de octavo impedimento devotionis. §. 8. de vitio curiositatis sic ait:

Ideoque quo perspicit dæmon quam grave sit ipsud impedimentum, summoperè conatur (ut Doctor quidam inquit) quoscunque cujusvis conditionum hoc vitio involvere, excitando eos ad exquirendas pretiosa, & elaborata ornamenta, quibus templa, & monasteria sua condecorent, itaque sub prætextu pietatis ac devotionis, persuadendo eis, servis DEI nihil non deberi, quodque expediat ipsorum usui superba constrúi ædificia & cubilia, quæ ea lubenter inhabitent. Quod tamen minimè rationi consentaneum judicaverit, qui Sanctorum, ac spiritualium virorum doctrinam lectitarit. Viri quippe famuli DEI, parvi ista omnia pendunt, quin, & ea detestantur, & fugiunt, ceu talia, quæ nec quæri, nec conservari citra cordis evagationem, temporisque jacturam possunt, quod profecto exercitiis devotionis (quæ subtilis, & tenuis valde est, ideoque levis ob causas profligatur) vehementer adversatur. Si namque D. Antonii contemplationem ipsi solis radii manè exorientis interturbabant, quanto magis solicitudines in acquirendis, & conservandis terrenis (quæ plumas alasque habent ad evolandum) ipsius efficient exercitium. Eam ob causam, simul & ob alias plures apprimè commendatur Evangelica paupertas, cui proprium est cunctas illas superfluitates & curiositates ab ipsa radice extirpare, & sufficientes judicare res viles, ac contemptibiles, ad exemplum ejus, qui existens Dominus creaturarum omnium, dum nasceretur præter præsepe non habuit alium lectulum, nec præter stabulum venustius domicilium. Hactenus Granatensis.

Nec minus est D. DOMINICI filium obsequentissimum, ejusque instituti professorem ab ipso tanto Patriarcha hunc paupertatis spiritum suxisse; nam & ipse beatissimus vir DOMINICUS (ut eruditè refert F. Ferdinandus del Castillo 1. *Tom. l. 1. Cap. 51. & Cap. 54.*) ita in vita paupertatem etiam in cultu divino amavit, & veneratus fuit, ut nunquam permiserit ornamenta, sive paramenta serica, neque vasa aurea, aut argentea præter calices in suo Ordine fieri.

Idem

Item S. Francisci.

Idem servasse magnum illum Minorum Patriarcham facile comperiet, qui ejus Regulam & Pontificum Clementis V. & Nicolai IV. decisiones perlegerit, servaturque usque hodie hic parcissimus tam in ædificiis, quam in ornamentis pauperta is usus apud familiam Capucinorum, & Discalceatorum, qui in hac arctissima paupertate tenui rerum omnium usu contenti, gratissimum DEO præstant famulatum.

Non favet hac doctrinæ Hæreticorum calumniis

Nec opponat quis non licere hac tempestate, qua hæretici Ecclesiarum ac Monasteriorum magnitudini, ornamentorumque pretiositati detrahunt hac nostra doctrina illorum impietati favere, nequaquam enim favemus, non enim absolutè ædificia magnifica, ac sumptuosa, vel ornamenta valdè pretiosa damnamus, sed tantum respectivè loquentes, considerato statu paupertatis unusquisque Ordinis, qua ratione Concil. Trid. & Viennen. loquuntur, asserimus illicitam esse superfluitatem, aut nimiam pretiositatem, unde in illis Religionibus, quæ habent copiosos reditus, ut Carthusienses, aliæque monachales illustres ac magnificæ Ecclesiæ merito eriguntur, quæ tamen in paupertibus Ordinibus fieri prudenter prohibentur.

CAPVT VIII.

Qua ratione se gerere debeant Religiosi in illis, quæ pro eorum usu conceduntur, ut paupertatis votum non transgrediantur.

Religiosus superflua possidens incidit in vitium proprietatis.

ILlud imprimis statuo etiam annuente Prælato Religiosos non posse sine peccato proprietatis superflua respectu sui status possidere. Hanc Conclus. tenent omnes Authores, quos sup. C. præcedent. Conclus. 1. adduximus. Et ratione manifesta convincitur, quia secundum veriorem, & tutiorem sententiam Theologorum superfluæ opes sine peccato retineri etiam à sæcularibus non possunt, ut sentit S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. & q. 87. art. 1. ad 4. & alibi sæpe, Albertus, Richardus, Paludanus, & alii in 4. Sententiarum distinct. 15. quo etiam loco S. Th. q. 2. art. 1. quæstiuncula 4. scribit hanc esse communem Theolog. sententiam, quod probat 1. ex illo loco Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire: non potestis DEO servire, & mammonæ.* Servire autem mammonæ nihil aliud est, ut ibi testantur Chrysostomus & Hieronymus, quam supervacaneas divitias, otiosas pecunias, aut vestes, aut alia id genus congregare. Similiter Luc. 3. dicitur: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat.* quo loco per duas tunicas, aut escas apertè, quod superfluum est, significatur. Nam ut S. Hieronymus in *Epistola ad Eddibyam q.* 1. explicat, una tunica dicitur vestimentum unicuique necessarium. Quare si alicui tres, aut quatuor vestes per hyemem necessariæ sint, omnes illæ una tunica censentur; nam ibi non egit Christus Dominus, ut notat Euthymius Matth. 10. de pluribus vestibus diversarum rationum, quæ velut unum indumentum constituunt, sed de vestibus mutatoriis ejusdem rationis, ut sunt duæ cappæ vel duo habitus, & hoc est, quod ibi dicitur, ut qui habet duas tunicas ejusdem rationis, quia superfluæ solent esse; unam alteri det, neque hoc est consilium, sed potius præceptum. Nam cum dixisset ibi D. Joannes: *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excinditur, & in ignem mittitur.* quæ sentibus turbis, quid ergo faciemus? Respondet: *Qui habet duas tunicas* &c. Et confirm. ex illo *Luc.* 12. ubi Christus Dominus divit illi de suis bonis recondendis cogitanti dixit: *Stulte hac nocte repetent à te animam tuam,* &c. Quem locum tractans D. Augustin. in *lib.* 50. *homiliarum.* hom. 7. asserit divitem illum non ob aliud peccatum fuisse damnatum, nisi quia superflua retinebat: & idem sentit de illo, qui induebatur purpura, & epulabatur quotidie splendide.

Quæ scripturæ locæ potiori jure illis Religiosis convenire debent, qui ultra necessaria, superflua retinent. Et maximè in illis Religionibus, ubi alii Religiosi egestate premuntur. Hi igitur à fortiori, quam sæculi divites Patrum testimonis damnantur. Contra quos adduci potest illud Basilii in orat. sup. illa verba, *destruam horrea mea* &c. *Est panis,* inquit, *familici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclavi conservas, discalceati calceus, qui apud te marcescit, indigentis argentum quod possides inhumatum. Quotirea tot pauperibus injuriam facis, quot dare valeres.* D. Hieronymus *ubi supra, si plus,* inquit, *habes, quam tibi ad victum, vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem te esse noveris.* & apud Gratianum *dist.* 42. *Can.* hospitale, idem Hieronymus ait: *Aliena rapere convincitur, qui ultra sibi necessaria retinere probatur.* S. Augustin. in Psal. 147. *superflua,* inquit, *divitis, necessaria sunt pauperi; aliena retinet, qui ista tenet.* Quod si hæc Patres & plurima alia, quæ ob brevitatem omittimus, contra divites sæculares scripserunt; Quæ in Religiosos nostri temporis plus quàm sæculi divites abundantes proclamarent?

Quare subditi non possunt excusari dicentes, illa esse sibi à Prælatis concessa, habereque animum paratum, ut pro voluntate Prælati possint sibi auferri. Tum quia frequenter hæ facultates solent extorqueri violenter, precibus, aut vi, vel tantum permitti solent ad evitanda majora mala; tum quia etiam si libere omninoque spontaneè concederentur, non excusantur superflua accipientes cum tali facultate à peccato proprietatis, quia Prælati, ut sup. C. præced. demonstravimus, similes licentias non possunt concedere.

Probatur præterea ex Patribus *Cap.* 1. & 2. *hujus* 4. *Partis* citatis, qui omnes suis Regulis præcepêre ut omnibus Religiosis bona monasterii distribuerentur, secundum indigentiam, & necessitatem eorum, *ut unicuique opus est.* Per quæ verba omnino rejiciunt superfluorum usum, idque luculenter expressit Trid. *dict. Cap.* 2. dicens *nihilque superfluum in ea sit.* Quæ verba tam ad Prælatum concedentem, quam ad subditum utentem dirigunturs. Et in *Clem.* 1. *de statu Monachorum* strictè prohibetur monachis D. Benedicti quælibet pretiositas, aut superfluitas in suis usibus. Quam decisionem omnibus Religiosis convenire affirmavit Navarr. *Comment.* 2. *de Regul. n.* 27. & expressè D. Benedict. in sua *Reg. Cap.* 55. vetat superfluitatem dicens: *Accipientes nova vestimenta, vetera semper reddant in præsenti deponenda, sufficit enim monacho duas tunicas, duas cucullas*

cucullas habere propter noctes, & ad lavandas ipsas, jam quod supra fuerit, est superfluum & amputari debet, & quodcunque est vetustum, reddant, cum accipiunt novum. D. Hieronymus in Regul. Monacharum. Cap. 2. *Certè*, inquit, *non tunicam, nisi quæ ex necessitate portatur, non caligam, neque aliud minimum quodque.* Et in eadem Reg. Cap. 3. *non retineatur aliquid quantumcunque minimum ultra ea, quæ ex necessitate portantur.* Et infra: *Si quæ verò superjunt, uno claudantur in loco* D. Basil. in *quæst. fusius explicatis. q.* 22. de Religiosorum vestibus tractans, duplicatas eis habere non permittit, & in *Regula brevior. interrogat.* 70. agens de supellectili Religiosorum, ait: usus enim mensura est inevitabilis necessitas utendi, *& interrogat.* 90. prohibet duplicatarum vestium usum D. Augustinus in sua Reg. *Non sit*, ait, *notabilis habitus vester*, id est, pretiosus, & ex D. Francisco satis constat strictissimum tantum usum rerum Fratribus suis concessisse. Rerum igitur superfluitas à viro religioso non solum requirenda non est, verum & longè profliganda.

Attendat ergo unusquisque suæ professionis limites, parsimoniamque sectetur in omnibus, nec vanè se extollat delitias in paupertate, vitæque austeritate quærens. Absit enim, ut credamus tantas, quantæ hodie in plerisque monasteriis sunt, vanitates, ac superfluitates, à Regula fuisse concessas, vel justè à Prælatis permissas. *Miror etenim* (ut cum Bernardo ad Guilielmum Abbatem clamem) *unde inter monachos tanta intemperantia in commessationibus, potationibus, in vestimentis & lectisternio, & equitaturis, & construendis ædificiis inolescere potuit; & quod deterius est, ubi hæc studiosius, voluptuosius atque effusius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi major putetur religio. Ecce enim parcitas putatur avaritia, sobrietas, austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. E contra remissio, discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollities vestimentorum, & equorum fastus honestas; lectorum superfluus cultus munditia, cumque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio, discretionem confundit, talis misericordia, crudelitate plena est, quæ videlicet ita corpori servitur, ut anima juguletur. Quæ enim charitas est, carnem diligere, & spiritum negligere? Quæ discretio totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis verò misericordia ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro hujusmodi misericordia speret se consequi misericordiam, quæ misericordibus promittitur in Evangelio, Veritatis ore dicentis: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sed certissimè potius pœnam expectet, quam tali (ut ita dicam) impio misericordi S. Job magis prophetizando, quam affectando imprecatur. Non sit*, inquiens, *in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.*

Et infra idem Bernardus (1. Timoth. 6.) *Habentes victum & vestitum, his contenti simus. Nobis autem est pro victu satietas, nec vestium appetimus, sed ornatum. Quæritur ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius inventur. non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat; non denique* (juxta Regulam) *quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imo vanius ostenderi. heu me miserum qualemcunque Monachum! Cur adhuc vivo vide. eadid devenisse Ordinem nostrum, Ordinem scilicet qui primus fuit in Ecclesia, imo à quo cepit Ecclesia, quo nullus in terra similior Angelicis Ordinibus, nullus vicinior ei, qui est in cœlis Hierusalem mater nostra, sive ob decorem castitatis sive propter charitatis ardorem, cujus Apostoli institutores, cujus hi, quos Paulus tam sæpè sanctos appellat, inchoatores extiterunt?*

Et quidem inter illos, cum nihil quod suum esset quispiam retinuisset, dividebatur, ut scriptum est, singulis prout cuique opus erat, non igitur quod quisque pueriliter gestire poterat. Sane ubi tantum, quod opus erat, accipiebatur; ibi nihil procul dubio otiosum admittebatur, quanto magis nihil curiosum? quanto magis nihil superbum? Quod inquit opus erat, hoc est, quantum ad indumenta, quod & nuditatem tegeret, & frigus repelleret. Putasne ibi cuiquam galabrunum aut issembrunum quærebatur ad induendum? cuiquam ducentorum solidorum mula parabatur ad equitandum? Putasne inquam cujuspiam ibi lecti operorium cattinum, aut discolor barricanus operiebat, ubi singulis dividebatur tantum, prout cuique opus erat? Non illic arbitror valde curatum fuisse de pretio, de colore, de cultu vestimentorum, ubi tam indefessum invenerat studium in concordia morum, animorum cohærentia, profectuque virtutum. Multitudinis (inquit) *credentium erat cor unum & anima una.*

Ubi nunc illud unanimitatis exercitium? Fassi sumus exterius, & de regno DEI, *(quod intra nos est) relictis veris, ac perennibus bonis, foris quærimus vanam consolationem, de vanitatibus, & insanis felicitis, ac jam religionis antiqua non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim ipse habitus noster (quod & dolens dico) qui humilitatu esse solebat insigne, à monachis temporis nostri, in signum gestatur superbiæ. Vix jam in nostris Provinciis invenimus quo vestiri dignemur. Miles, & monachus ex eodem panno parisuntur sibi cucullam, & chlamydem. Quivis de sæculo quantumlibet bonestatus, etiamsi Rex, etiamsi Imperator fuerit, nonta-men nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint & aptata.*

Cæterum in habitu, inquis, non est religio, sed in corde. Bene. At tu quando cucullam empturus lustras urbes, fora circuis, percurris nundinas, domos scrutaris negotiatorum, cunctam evertis singulorum supellectilem, ingentes explicas pannorum cumulos, attrectas digitis, admoves oculis, solis opponis radiis? quidquid grossum, quidquid pallidum occurrerit, respuis. Si quid autem sui puritate ac nitore placuerit, illud mox quantolibet pretio saragu tibi retinere. Rogo te, ex corde facis hæc, an simpliciter? Cum denique contra regulam non quod vilius occurrerit, sed studiosissimè quæris quod quia rarius inventur pretiosius, emitur; ignoras facis hæc, an ex industria? Ex cordis thesauro sine dubio procedit quidquid foris apparet vitiosum. vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta, animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Miror autem cum regulæ dicat, ad magistrum respicere quidquid à discipulis delinquitur, & Dominus per Prophetam, sanguinem in peccato morientium de manu Pastorum requirendum esse minetur, quomodo Abbates nostri patiuntur fieri talia, nisi forte (si audeam dicere) nemo fidenter reprehendit in quo se esse irreprehensibilem non confidit. Siquidem humanitatis est omnium, in quo quisque sibi indulget, alium non vehementer irasci.

Nemo fidenter reprehendit in quo irreprehensibilem non est.

Dicam,

Dicam, dicam, præsumptuosus dicar, sed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata est? quomodo sal terræ insatiuatum est? quorum nobis vita via vitæ debuit esse, dum exemplum in suis actibus ostendunt superbiæ, caci facti sunt duces cæcorum. Quod enim (ut cætera taceam) specimen humilitatis est, cum tanta pompa, & equitatu incedere, tantis hominum crinitorum stipari obsequijs, quatenus duobus Episcopis unius Abbatis multitudo sufficiat? Mentior si non vidi Abbatem sexaginta equos, & eo amplius in suo ducere comitatu. Dicas si videas eos transeuntes non Patres esse monasteriorum, sed Dominos castellorum; non Rectores animarum, sed Principes Provinciarum. Tum deinde gestari jubentur mappulæ, scyphi, bacini, candelabra, & manticæ suffarcinatæ, non stramentis, sed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis à sua quispiam domo recedit, nisi cum tota supellectili sua, tanquam sit vel iturus ad exercitum, vel transiturus per desertum, ubi non valeant inveniri necessaria. An non posset eodem vasculo & aqua manibus vergi, & vinum bibi? An non posset ardens lucere lucerna, nisi in tuo quod portas candelabro, & hoc aureo vel argenteo? An non posset dormiri, nisi super varium stratum, aut sub peregrino cooperiorio? An non unus aliquis minister posset & jumentum ligare, & ad mensam servire, & lectulum præparare? Nunc ergo tantæ multitudini garsionum, ac jumentorum (cur vel ad solatium mali) nobis cum non ferimus necessaria, quatenus hospites non gravaremus?

Sed hæc parva sunt, veniam ad majora, sed ideo visa minora, quia usitatiora. Omitto oratoriorum immensas altitudines, immoderatas longitudines, supervacuas latitudines, sumptuosas depolitiones, curiosas depictiones; quæ dum orantium in se retorquent aspectum, impediunt & affectum. Hæc Bernardus.

Jam (prô dolor) nostris temporibus plures Religiosos propriæ professionis oblitos conspicimus ita post emissum de Evangelica paupertate votum terrenis cupiditatibus trahi & alligari, ut inexplebili pecuniarum desiderio semper videantur flagrare, & pro his retinendis humanas divinasque leges contemnant. Quid vero de his dicam, qui in cellis amplissima supellectili, paramentis, picturis, imaginibus aureis, aut argenteis, alioque rerum vario, & multiplici ornatu, divitum sæculi more abundare non verentur? Quid? taceamnè alios, qui infinita librorum aut codicum multitudine armaria replent, quos fere nunquam ipsi nec vident, nec ab aliis legi permittunt, illosque secum per varia cœnobia magnis sumptibus, strepitu magno, & pusillorum scandalo deferunt?

Omitto alias superfluitates, ut sunt varia pretiosaque horologia, vasa fictilia, & aliæ næniæ, quibus mulierum, aut puerorum more delicati monachi capiuntur. Ac denique mollites vestimentorum, equorum fastus, lectorum superfluus cultus ac supellectilium aliarum superabundantia, & ubi forte alii ex commilitonibus monachis vestes habent conscissas, vixque eis paupertate oppressum monasterium novas potest concedere, ipsi tot, ac tantis abundare non verentur. verè jam Religionis antiquæ, non solum virtutem amisimus, sed neque speciem retinemus. Quis in principio, cum Ordo cœpit monasticus, ad tantam crederet monachos labem deventuros?

Præterea infertur majori culpa notari, qui res monasterii in usus illicitos consumunt, aut alias perdunt, vel dissipant, imò & moraliter loquendo eodem modo peccare credēdum est, qui rem aliquam suæ curæ commissam ex negligentia perdit, atque eum, qui ex industria illam dissipat.

Atque adeo tenetur Religiosus quando aliquid ad usum habet, attendere ne notabiliter consumatur, perdatur, aut minuatur, propter negligentiam suam, alias peccabit mortaliter contra paupertatis votum, & si in rebus minimis hanc habet incuriam propter materiæ parvitatem erit peccatum veniale.

CAPVT IX.

Qualis debeat esse cura Officialium monasterii circa res sibi commissas.

EX superiori doctrina rursus infertur, quantâ debeat esse Officialium monasterii (ut sunt œconomus, Sacrista, librarius, & reliqui) cura circa res, quæ suæ custodiæ & administrationi demandatæ sunt, horum enim officium est commissas sibi res diligenti cura custodire, fideliterque tractare in ordine ad bonum commune. Et contrarium facientes contra paupertatis votum graviter delinquunt, ut affirmat Antoninus 3. *parte tt. 16. Cap. 1. §. 11.* Et Basil. *in quæstionibus brevioribus quæst. 143.* curam Officialium circa res monasterii declarat, ubi interrogat, *quomodo curam gerere debeant operantes concredita ipsis supellectilia?* Et respondet: *Primum velut DEO devotæ, ac dicatæ, deinde velut non potentes absque ipsa debitum impigrum studium ostendere.* & quæst. 144. repetit. *Si negligentia perdat quid, aut ex contemptu abutatur.* Resp. *Qui abutitur, velut sacrilegus, qui verò perdit, sacrilegii causa judicetur omnium DEO nuncupatorum, ac dedicatorum,* & in *Regulis fusius declaratis interrogatione 9* fere eadem repetit. Quam sententiam præ oculis habere debent Conventus Officiales, propter quorum incuriam multoties eis concreditæ res perduntur, vel notabiliter minuuntur.

Quanta cura ac diligentia res monasterij tractanda ac conservanda?

Cassianus *lib. 4. Cap. 14.* suorum temporum monachorum curam circa res monasterii laudans, tantam circa illas diligentiam habere ait; ac si essent propriæ, adeoque earum dominium exuisse, ac si extranei essent, & peregrini, & in *Cap. 19.* eandem rem prosequens ait: *Tanta solicitudine curaque suscipientes custodiunt, ne quid ex eis imminuatur, vel pereat, ut credant se etiam pro minimis quibusque vasis tanquam pro sacrosancto rationem non solum dispensatori præsenti, sed etiam Domino reddituros, si forte aliquid ex eis negligentia eorum fuerit imminutum.* In cujus rei confirmationem *Cap. 20.* memorabile illud tritumque adducit exemplum illius Fratris, qui cum properaret lenticulas coctioni præparare, quia tria grana ab eo sunt prætermissa, cum ab œconomo prætereunte conspiceretur confestim super hoc Abbatem *consuluit à quo*, ut Cassianus inquit, *velut interversor, neglectorque sacri peculij judicatus ab oratione suspensus est. Cujus negligentia reatus non eis aliter remissus est, nisi eum publicæ*

pœnitentiæ diluisset. Hæc Cassianus. Tanta erat monachorum illius temporis circa monasterii bona cura, & diligentia, cujus rei *eodem Cap. 10.* rationem reddit, Cassianus his verb. *Propter quod si quid fuerit in monasterio semel illatum, ut sacrosanctum cum omni decernunt reverentia debere tractari. Tantaque fide universa procurant atque dispensant, ut etiam ea, quæ despectui habentur parvaque reputantur ac vilia, si vel loco moverint, vel competentius collocaverint, mercedem se consecuturos à Domino tota credulitate confidant.*

S. Benedictus idem in sua Regul. præcepit *Cap. 31.* Imo addit res monasterii tanquam sacras debere tractari, quæ etiam doctrina est Augustini ut *supra* vidimus *Cap. 3. secund. Partis.* Præterea hæc curæ exhibendæ etiam circa res minimas monasterii curandas aliquas addicit rationes Turrecremata super Regulam D. Benedicti, ubi res etiam quæ parvæ, & viles videntur omni fide tractandas docet.

Rationes id suadentes ac probantes

Prima est, quia Religiosi mendici sunt & pauperes, atque adeo ea, quæ semel perduntur sine magno suo labore, seculariumque gravamine iterum acquiri non possunt.

Secunda, quia illa, quæ à nobis perduntur, pauperibus ablata sunt, & propterea DEI servos minimè decet propter suam ignaviam id quod à pauperibus ablatum est destruere.

Tertia, quia sicut personæ religiosæ DEO consecratæ sunt, ita omnia illa, quæ in earum servitium, aut commodum à Fidelibus offeruntur, atque adeo tanquam rerum consecratarum habenda est horum ratio. Denique Dionysius Carthusianus *Tom. 2.* operum Minorum *lib. de exemplis, & documentis authenticis art. 3.* ait: *Verumque religiosi non seipsos tantum, sed omnia quoque ad monasteria pertinentia DEO consecrata, & cum omni reverentia esse tractanda credent. Ideo negligentiæ arguuntur, qui res earum usui concessas non satis custodiunt, qui per negligentiam utensilia frangunt, potum effundunt, sine licentia aliquid dant, vel quovis modo damnum inferunt domus suæ. Itaque cum gratiarum actione, moderamine, & timore utamur rebus nobis concessis.*

Circa quam doctrinam, advertendum est, hanc obligationem non solum apud Prælatos monasteriique Officiales, quibus specialiter illorum observatio demandata est, sed etiam multoties apud particulares Religiosos residere. Si enim videant aliquam rem deperi, vel perdi, eique commodè possint subvenire, non est mihi dubium ad hoc eos teneri. Ita colligo ex Cassiano *supra citato loco*, & affirmat Basilius ubi *supra quæst. 41.* his verbis: *Instrumentorum cura principaliter ad cujuscunque artis opificem pertinet. Si vero aliquando aliquid neglectum esse contingat, veluti communis possessio ita ab iis, qui primum id viderunt convenienti prudentia curetur. Nam etiamsi usus ipsorum proprius est, attamen utilitas ex ipsis communis est, contemnere enim alterius artis instrumenta velut ad se nihil pertinentia abalienationis signum est.*

Est tamen advertendum Religiosum in hoc casu negligentem contra paupertatis votum non peccare, sed contra charitatem, quia bona monasterii convenienti prudentia curare tenetur. Ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 188. art. 7.*



QVINTA

QUINTA PARS

DE PAUPERTATE, QUÆ ETIAM IN COMMVNI APVD MENDICANTES OBSERVATVR.

Ex Cap. *Non dicatis.* 12. quæst. 1.

Non dicatis vobis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, &c.

ORDO SERVANDVS.

REstat, ut in hac quinta Parte de illis Religiosis agamus, qui paupertatem non solum in particulari profitentur, verum etiam in communi, possessionibus, reditibus, & aliis immobilibus bonis propriis omnino renunciarunt, quibus verè strictèque adaptari possint adducta verba: *Non dicatis vobis aliquid proprium*; tùm neque in particulari, neque in communi proprium saltem immobile retineant. Oportet igitur, ut hujus generis Monachorum statum, Conditionesque explicemus. Quare de illorum statu, & perfectione, deinde quorum bonorum sint capaces: Vbi, An possint Hæredes institui, legata ex testamento capere, annuos reditus acceptare, aliaque hujus generis bona habere, disseremus.

CAPVT I.

Religiosi Mendicantes qui sint, unde dicti, qualis eorum professio, & de eorum arctitudine & perfectione.

Ordinum Religiosorum varietas ad Ecclesiæ ornatum introducta.

CUm in Ecclesia DEI pro ejus varietate & ornatu utilissimè tanta Religiosorum varietas ab initio fuerit introducta, in tanta diversitate ac Ordinum varietate, non omnes, quantum ad paupertatem in communi attinet, una gradiuntur via, possent autem omnes ad tres vivendi modos reduci.

Paupertatem in communi diversimodè observant atque sectantur.

Alii vivunt ex labore proprio, vendentes aliquid, & ementes aliud, quales olim fuerunt Eremitæ (de quibus scripsit Cassianus *Lib. 4. de Institutis renunciantium Cap. 4. Ab ingredientibus eorum monasteria, aliquid susipere nullatenus acquiescunt, sed manuum suarum labore, & industria sustentantur*, pluresque alii Religiosi, ut plenius scripsimus in Commentariis nostræ Regulæ in *Cap. de labore manuum.*

Alii ex bonis communibus vivunt, ex bonis, inquam, quæ Religiosi ipsi ad monasterium deferunt, quæ ipso Jure statim post professionem emissam ad ipsum pertinent, juxta Authenticam, *Ingressi.* C. de sacrosanctis Ecclesiis.

Alii ex Eleemosynis sibi sponte oblatis, aut ex mendicatione acquisitis sustentantur; quamvis congruenter hæ tres Ordinum Classes, quatenus ad præsens attinet institutum, ad duo genera reduci possunt. Alterum eorum, qui ex Fructibus possessionum, & reditibus vivunt, sive possessiones illæ Monachorum professione monasterio acquirantur, sive à sæcularibus oblationibus, piis legatis, aut alio modo relinquantur. Et si dicantur servare tantum paupertatem in particulari, non verò in communi. Alterum vero eorum, qui in communi nullas possessiones, nullaque immobilia bona, aut reditus, quibus alantur, ex vi suæ Regulæ aut Constitutionum habere possunt, sed vel labore manuum necessaria sibi parant, aut victum præbet eis incerta mendicitas.

Duplex præcipue Religiosorum genus.

Primum genus Religiosorum, qui possessiones, aut reditus pro victu necessario possident, olim maximè fuit in usu apud PP. imprimis D. Benedict. ut habetur in *vita S. Placidi*, Bona quæ fuerant Monachorum non licebat aliò derivari, quam ad sua Monasteria, ut inde multos DEI servos alere possent. Et D. Bernard. *Epist.* 1. ad Robertum: *Ostenditur*, inquit, *terra, quæ cum illo ex pro illo dicitur data fuisse.* Neque D. Basilium

lium his possessionibus renunciasse constat; cum sæpe Monachis suis agrorum culturam suadeat, quæ possessiones propriè supponit. Idem fecisse Gregorium Papam ex ejus vita relata à Joanne Diacono *lib.* 1. & 5 *Cap.* 6. constat, Cum ibi dicatur, ex Patrimonio suo 7. monasteria erexisse, sex in Sicilia, unum vero Romæ, & singulis prædia & possessiones donasse. Ex Regula quoque D. Augustini, aliisque ejusdem locis supra *prima parte Cap.* 6. relatis, hic vivendi ex possessionibus modus aperiè colligitur: Imo & hodie hoc vivendi genus apud omnes Ordines Monachales, puta Carthusienses, Hieronymianos, & alios praxi receptum videmus.

Alterum genus Religiosorum, quod Mendicantium appellatur, est eorum, qui possessionibus carentes, ex mendicitate & fidelium eleemosynis vivunt. Qui ideo *mendicantes* dicuntur, quia ex sua Regula vel professione ad congruam sustentationem reditus, aut possessiones habere non possunt, ut constat ex Capitulo *unico* de religiosis domibus *in sexto*, Et communiter Scribentes ibi, & in Capitulo, *In præsentia*, de probationibus. Concessi igitur sunt hi Ordines in adjutorium Episcoporum, ut eorum ministerium prædicandi, & Confessiones audiendi ipsi sua vita & exemplo adjuvent, ut dicitur in Concil. Meldensi, *Cap.* 3. & Rothomagensi apud Burchard. *lib.* 1. *Cap.* 88 habeturque expresse in Clementina, *Dudum* §. Cæterum. *de sepulturis*. Et in Extravag. *Sup. Cathedra.* §. finali, *eodem tit.* juncto Cap. *Inter cætera de officio ordi.* Et D. Thom. 2. 2 *quæst* 187. *art.* 1. *ad* 3. & *q.* 188 *art.* 4. *ad* 2. & 3. Et quamvis proponere DEI verbum, & functiones alias proximorum salutis gratia exercere, proprium videatur Episcoporum, tanquam qui veri Apostolorum Successores sunt, cum tamen omnia hæc per seipsos præstare nequeant, singulari providentia, ac non sine divino consilio à summis Pontificibus factum est, ut Religiosorum Ordines, maximè tamen eorum, qui Mendicantium functione gaudent, specialiter deputarentur, qui Episcoporum, Parochorum, ac præcipuè Sedis Apostolicæ conatus in tuenda Catholica fide, ac Hæreticorum procuranda salute, ipsius Sedis authoritate fulti, adjuvarent, ac hoc Apostolicum munus, tum inter Christianos, tum inter Infideles, oppidatim per varia regna, & Regiones discurrendo obirent.

Quare ordines Mendicantes potissimùm instituti.

Quare meritò, à Gregorio Magno, emanavit decretum, ut habetur decima sexta q. 1. C. *Ex authoritate*, ubi, *Ex authoritate* inquit *hujus decreti, sacerdotibus monachis, Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare.* Hæc Gregor. qui Apostolorum munere fungi voluit Monachos, non quia in potestate, aut jurisdictione Apostolis succedant, (hoc enim munus potiùs ad dignitatem spectat Episcoporum) sed quia suis discursibus, & missionibus animarum profectibus more Apostolorum studeant. Unde Apostoli ac Religiosi, qui his per universum orbem missionibus illos imitantur, *nubes* in sacra scriptura, meritò appellantur, quia aquas Evangelii portant, populis effundendas, ut irrigentur terræ populorum, & de hac cælesti pluvia virtutum fruges spirituali opere multiplicentur.

Religiosi Apostolorum figuram ac munus tenent & obeunt.

Quare nulli dubium esse potest, si Catholicè sapiat, omnibus Religionibus Mendicantibus non solum conforme, sed & præcipuum esse suæ institutri partem, salutі animarum studere, essequè à Sede Apostolica in hunc finem ordinatas, adeoque divinitus institutas, & vocatas ad fidei pietatisque propagationem, morum instructionem, ac communis boni conservationem. Quare concilium Viennense, ut refertur in Clementina, *Dudum* §. Cæterum, *de sepulturis*, Episcoporum coadjutores sive cooperatores in prædicationis officio, ac in aliis spiritualibus functionibus Mendicantes Ordines constituit. Videndi quæ de hoc argumento tradidimus in 3. *parte Summi missionum*, sive *de propaganda à Religiosis per totum universum orbem fide*: & *libro secundo part.* 3. *operis de conversione omnium Gentium procuranda.* Quam verò ob causam Apostolica Sedes Religiones instituerit Mendicantes, & quale sit earum munus, apertissimè declarat in eximio Doctore Bonaventura in Tract. Quare Fratres Minores prædicent, *Tom.* 1. ubi instruit Rectores Ecclesiæ DEUM imitari debere, qui etsi omnia per se possit, dignatur tamen in quibusdam operibus suis, habere Coadjutores, & vicarios; in hoc præbens exemplum Ecclesiæ Rectoribus sollicitudinis suæ onus impartiendi, ne per ipsorum absentiam & insufficientiam salus Fidelium negligatur.

Prædictis ergo (inquit D. Bonaventura) *de causis in his novissimis temporibus, de quibus prædixit Apostolus.* 2. Timot. 3. *quod instabunt tempora periculosa, ex multiplicatione peccatorum, ex numerositate rudium populorum, & seductione Hæreticorum, & raritate bonorum, & difficultate regendi, & insufficientia Prælatorum, & perplexitate casuum emergentium, & aliorum periculorum Ecclesiæ imminentium, ex variis eventibus, providit Sedis Apostolica, ad obviandum præfatu periculu, quibus quæque remedium subventionis animabus pereuntibus administrando, quod divina ordinatione Religiosos quosdam Ordines instituit, qui officio prædicationis, & Confessionis sibi commisso, subveniant indigentia populorum, & insufficientiæ Clericorum, & obsistant versutiis Hæreticorum, & hoc in solatium & sublevamen oneris, non in præjudicium plebanorum.*

Et infra) *Temperatissime quippe, ait, sic disposit divina sapientia, & instituit sedes Apostolica, ut per Ordines prænotatos in Prædicatione & confessione, defectus Clericorum suppleantur, & animæ salventur.*

Et post pauca) *Quod autem quandoque Religiosi ad salvandos Fideles, in Ecclesia essent vocandi, ostenditur in Evangelio Luc.* 5. *Cum Dominus dixit Petro: duc in altum, & laxate retia vestra in capturam, concluserant autem piscium multitudinem copiosissimam, rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent & adjuvarent eos, & impleverunt ambas naviculas: mare est sæculum, Navicula Petri est Ecclesia Fidelium; Rete est Evangelica doctrina, per jussum Domini tanta piscium multitudo concluditur, quod rete rumpitur, quia tot ad fidem veniunt, quot eam etiam hæresibus scindunt; sed cum Petrus cum sua trahere non valeret, annuerunt sociis in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos; quia Prælati Ecclesiæ cum Clero, non sufficientes per se tantam plebis multitudinem trahere ad littus vitæ perpetuæ, annuerunt, admittendo socios religiosos, scilicet, Joanni & Jacobo, activis, & Contemplativis, ut venirent, compatiendo animarum periculis, & adjuvarent eos, tam qui trahunt,*

trahunt, quàm illos, qui trahuntur, illorum inopiæ sufficientiam, istorum indigentiam relevando.

(Deinde subdit,) *Quod autem prioribus temporibus in Ecclesia non erant vocati, vel missi à Sede Apostolica Religiosi, ad predicta officia Prædicationis, & Confessionis, ut nunc sunt missi, ista fuit ratio: Cum morbus adhuc parvus est, paucioribus indiget remediis, & levioribus, sed cum cœperit invalescere, & latius se diffundere, ne desperabiliter ager periclitetur, necesse est, plura, & efficaciora remedia adhiberi: ita etiam cum status mundi, modo deterior sit, quam olim, expedit plures nunc esse sublevantes, juxta illud* Luc. 10. *Messis multa, operarij vero pauci, Idonei & fideles. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam.* Ac demum Concludit Seraphicus Doctor: *Cum igitur jam sit Eccles. quasi navis tempestate concussa, in qua remigantibus pavore trementibus procellæ tumentes pene operiunt navem, missi sunt Fratres à summo gubernatore, fulti authoritate sedis Apostolicæ, ut in naviculis suis discurrentes per mundum, quos ex naufragio peccati periclitantes inveneriut, rapiant ex undis & ad litus salutis reportent.* Hactenus D. Bonaventura.

Ex qua doctrina colligit D. Bonavent. in *eodem opusculo*, prædictas Religiones teneri ex charitate saluti proximorum subvenire. Et doctissimus Pater Dominicus Bagnez. 2. 2. *q.* 33. *art.* 3. *dub.* 3. asserit, Ordines Mendicantium teneri sub præcepto, habere specialem curam, ut Religiosi se exerceant in doctrina, Prædicationibus, & Confessionibus, cujus eam reddit rationem: *Quia finis prædictorum Ordinum est salus animarum: Et ideo Prælati tenentur ad media procuranda, nec non & subditi tenentur ex professione suâ disponere se, ut sint idonei ad exercendæ potissimum sui Ordinis munia sub peccato mortali, & ex consequenti, tenentur peculiari obligatione, ad studium litterarum, quoniam hæc est dispositio idonea.* De horum Mendicantium numero sunt Patres Prædicatores, Carmelitæ, Minores, Augustiniani, & alii, ut sunt Servitæ, Minimi, & Religiosi Societatis Jesu, ut ex privilegiis dictis Ordinibus concessis constat. Jure autem communi solum sunt expresse approbati, quatuor Ordines Mendicantes, qui præcipui sunt inter omnes videlicet Minorum, Augustinianorum Prædicatorum & Carmelitarum, ut constat ex Cap. *unico* de religios. domibus *in sexto*, ubi cum in hoc Capitulo intenderet Concilium, Ordines omnes Mendicantes è medio tollere, à rigore hujus decreti, excepit prædictos Ordines, ac proinde videtur illos inter Mendicantes declarasse, ex quo capite, in specie de Carmelitis loquendo colligunt esse Mendicantes, Dominic. ibidem & Joannes Andreas in Cap. *Quorundam*, de electione *in 6.* ut refert ibi *Glossa*, verbo, *Mendicantium*. & approbat Felinus, in *Cap.* In præsentia, *de probationibus num.* 53. Quare miror Navarrum, *in Capit.* Placuit *de pœnitentia dist. 6.* Glossa finali, de hac re dubitasse, cum præter id quod jure expressum est, & colligitur ex dicto Capitulo, *Quorundam*, tradant communiter Canonistæ. Decius in C. *In præsentia*, de probationibus, *nu.* 268. ubi refert Folgosium, Angelum, Alexandrum, & & alios, quos potuit videre Navarrus, etsi ipsum nostra Regula, & Privilegia, in quibus id expresse decernitur, lateret.

Hi ergo Ordines ratione mendicitatis arctissimam paupertatem profiteri dicuntur, ut constat ex *Cap.* Nimis. 2. *de Excessibus Prælatorum*, ubi tam Minores, quàm Prædicatores dicuntur arctissimam paupertatem habere, quia reditibus, possessionibus, aliisque immobilibus bonis in communi carent: Et quamvis Prædicatores id non servent ratione suæ Regulæ, cum militent sub D. Augustini Regula, quæ possessionum Dominium non interdicit, tamen quia id olim ipsorum Constitutionibus cautum, firmumque erat, ut latè docet D. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *Cap.* 1. §. 12. omnesque antiqui Scriptores, sufficiens id fuit, ut dicerentur, arctissimam paupertatem servare: paria n. sunt, ut optimè docuit Abbas *Consilio* 25. *num.* 3, *volumine* 2. quod aliqua Religio sit incapax ex Regula, & alia ex Constitutione, ut patet ex *dicto Cap.* Nimis, tamen post Concil. Tridentinum, quod *Sess.* 25. *de reformatione Regular*, 3. C. fecit capaces bonorum in communi omnes Regulares, exceptis Minoribus de observantia & Capucinis, fere omnes Ordines Mendicantes, ab illâ strictissimâ paupertate recesserunt, exceptis nostro Ordine, & Societatis Jesu, quo ad domos professas, ut patet *ex sexta parte Constitutionum* hujus Ordinis *Cap.* 2. §. 2. Quorum Ordinum statuta etiam post Concil. Trid. confirmata sunt à Sede Apostolica. In his igitur Religionibus & in aliis (si quæ sint) major vel minor incapacitas pensanda erit ex propriis uniuscujusque Constitutionibus. Cautum præterea est Privilegiis Pontificum, ut & illi Ordines, qui olim erant Mendicantes, etsi hodie possessiones, & reditus annuos habeant, Mendicantium nomen & Privilegia non amittant, quod etiam de jure communi olim observabatur, ut tradit Felin. in *Cap.* In præsentia *de probationibus.*

Ratione igitur hujus arctissimæ paupertatis, cæteris paribus, Religiones Mendicantes, quæ illam in effectu servant, aliis perfectiores sunt; strictissima n. hæc paupertas ex se laudabilior est, & majora removet impedimenta ad perfectionem comparandam. Dixi, *cæteris paribus*, Quia in aliis Ordinibus, respectu propriæ finis, aut aliarum circumstantiarum fortè perfectius, & laudabilius erit possessiones & immobilia bona possidere, ut rectè notavit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 7. & Cajetanus *ibidem.*

Religiones Mendicantes, quæ strictissimam paupertatem servant aliis perfectiores sunt. Legend. de hoc nost. Nicolaus à JESU-MARIA in Apologia perfectionis vitæ spiritualis, seu pugnaculo Religionū maximè Mendicantiū, propositione 79. & 10. seqq.

Inter Religiones autem, quæ in communi, nec immobilia bona, nec reditus possident, duo sunt gradus teste D. Antonino. 3. *part. tit.* 16. *Cap.* 1. §. 12. *in fine.* Primus est, renunciare ipso effectu, tam mobilibus, quam immobilibus, exceptis minimis utensilibus, sine quibus vita humana sustentari non potest, talis est Religio Fratrum Minorum, & ob id habet aliquid tarditatis, & anxietatis, cum omni die oporteat corporalem victum quærere, quia triticum, vinum, oleum, & denarios etiam per breve tempus tenere non possunt, ut in *Clementina*, Exivit, *de verborum signif.* habetur. & est tenens aliquid in communi, moderatè tamen, quod sufficere possit ad victum & vestitum pro aliquo tempore non prolixo: Et hic status perfectior cæteris, cum nec curam nec solicitudinem magnam exigat, neque ad sui amorem trahant ea, quæ possidentur, cum usu consumantur. Et talis fuit paupertas primorum Christianorum, ut habetur. 12 *q.* 1. C. dilectissimus. Et definit Joan. 22 in *Extravag.* Cum inter nonnullos, *de verborum signific.* Et in *Extravag.*

Paupertas Carmelitarū Discalceatorum qualis sit.

vag. Quorundam, *eodem titulo*. Talis fuit olim, ut inquit Antoninus, paupertas Ordin. Prædicat. Et talis hodie est nostræ Religionis paupertatis usus.

Ultimo tandem notandum erit, quod cum dicimus Religionem habere in communi immobilia, sive mobilia bona, non ita intelligendum est, ut singuli Religiosi sint domini aliquotarum partium; velut solet esse fundus communis pluribus hæredibus æqualiter institutis, vel emptoribus ex æquo pretium conferentibus, sed intelligendum est, esse communia universis, ita ut singuli Regularium non habeant dominium alicujus partis illorum bonorum, sed tantum quod omnes collectivè sumpti, qua ratione dicuntur Communitas sive Conventus dicantur Domini illorum bonorum, ut resolvit Felinus, & post eum Navarr. *Commentario 2. de Regularib. num. 8.*

CAPVT II.

Ordines Mendicantes posse ex vi Iuris hæreditatem saltem quoad pretium, & æstimationem capere.

An Ordines Mendicantes acquirāt Religiosorum ingredientium hæreditates?

MAgna fuit olim controversia, An Ordines Mendicantes possent Religiosorum Ingredientium hæreditatem acquirere. Et pro parte Negativa, urget efficax argumentum. Quia Mendicantes ideò dicuntur, quia prædia, & alia immobilia bona non possunt habere; sed in hæreditate sæpe immobilia bona reperiuntur, igitur eis non licet hæreditatem capere. Nec valet solutio eorum, qui dicunt posse capere, dummodo statim reddant immobilia bona, quia pretium generaliter succedit loco rei, ut habetur, *Quia pretio ff. de usuris*, Quare Religio, quæ est incapax rei, erit etiam æstimationis & pretii. Quo argumento permotus Archidiaconus in *Cap. de viduis. 27. quæst. 1.* affirmavit id non licere.

Sententia negativa probatur.

Secund. Quia tot possent esse bona in hæreditate acquisita, ut præberet eis congruam sustentationem, & desinerent esse Mendicantes. Et confirmatur, quia si non possunt habere dominium immobilium bonorum in communi, nequeunt etiam esse hæredes, quia dominium transit in hæredes, & in hæreditate veniunt tam mobilia, quam immobilia bona, ut dictum est.

Tria Ordinū Mendicantiū genera assignantur atq; exponuntur.

Pro Resolutione oportet annotare imprimis, tria posse Ordinum Mendicantium genera distingui; Primum est eorum, qui post Concilium Tridentinum, possessiones, aliaque bona immobilia retinent, quales sunt Fratres Ordinis Prædicatorum, Augustin. & forsan alii. Secundum eorum, qui post Concil. Tridentinum adhuc vel ex vi Regulæ, aut propriarum Constitutionum, immobilia bona etiam in communi non possident, hujusmodi sunt nostra Discalceatorum Reformatio, & Religio Patrum Societatis JESU, saltem in domibus professis, licet nos, ut latius diximus in *Expositione Regulæ Cap. 8. de non habendo proprium* ex vi Regulæ ad arctissimam teneamur paupertatem, Tertium eorum, qui ex Regula & Constitutionibus arctissimam etiam in communi profitentur paupertatem, quales sunt Fratres Minores de observantia, & Capucini.

Legend. noster Andreas loc. supra cit. punct. 12 §. 1. & 2. & *Anton. à Spiritu Sancto* 3. 2. pro. discurs. Regul. Tract. 1. disp. 4. sect. 1. n. 55.

De his igitur tribus genetibus Religiosorum speciatim oportet examinare, an possint succedere in bonis Monachi professi, qui ante professionem non fecit testamentum, vel alio modo possint instituī hæredes. Sed antequam nostram sententiam statuamus, oportebit prænotare Concil. Trident. c. 3. *sess. 25. de Reformatione*, concessisse *Omnibus Monasteriis, & omnibus tam virorum quam mulierum, etiam Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum qui Minorum de observantia vocantur, etiam, quibus ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut princeps bona immobilia ea possidere liceat.* Hactenus Concilium. Hac Concilii indulgentia usi sunt aliqui ex Ordinibus Mendicantibus, qui terento nomine, & privilegiis Mendicantium annuos reditus, & immobilia bona possident, ac si Mendicantes non forent. Et de his nulla est controversia, eodem n. jure quantum ad capiendam hæreditatem censendi sunt, ac alii Ordines non Mendicantes; alii vero Concilii Tridentini permissioni renunciantes, arctiori se vinculo paupertatis obstrinxerant, de quibus quærimus quo casu possint capere ex testamento, vel Hæreditatem, vel pia legata.

Prima Conclusio, Fratres Minores, tam Capucini, quam de observantia nuncupati, nulla ratione sunt capaces successionis hæreditariæ, quia id expresiè prohibitum est in suâ regula. Et in *Capit. Exiit. §. porrò*, & sequentibus, *de Verborum signif. in 6.* & *Clementina*, Exivi. §. *Capientes. eodem titulo*, & omnes Scribentes in C. in præsentia, *de probat.* & traduntur Navarr. *Comment. 2. de Regul. n. 50. & 54.* & P. Emm. Rodrig. *Tom. 2. q. reg. q. 78. art. 1. 2. & 4.*

Dubij in aliqua solutio.

Sed, an Fratres minores saltem possint capere hæreditatem, ut eam vendant, vel saltem quod illis debeatur æstimatio hæreditatis, majus dubium est. Et quamvis Bartolus in *Tractatu Minoritarum* existimaverit deberi ipsis hæreditatis æstimationem ab adeuntibus hæreditatem solvendam, contraria tamen sententia verior est, quæ colligitur expresiè ex *Clement. Exivit*, in quâ decernitur Fratres Minores, successionis, (quæ ex natura sua indifferenter ad pecuniam, & ad alia mobilia & immobilia bona se extendit) considerata puritate suæ professionis, nullatenus esse capaces. Ubi expendenda est illa particula (*nullatenus*) quæ verè excludit omnem successionis modum, sive capiendo æstimationem ab adeunte Hæreditatem, sive ipsi statim vendant bona ad se delata, nam dictio ista (*nullatenus*) vel alia similis excludit omnem dispositionem, ut notat *Glossa in Clem. ut si. de æstate & qualit.* verbo (*nullo modo*) ut optimè docuit in hoc proposito prædictus Emmanuel Rodrigvez *d. art. 2.* Ex quibus ipse infert *art. 3.* quod si Fratres Minores instituantur hæredes, nulla facta substitutione, testatorum sit futurum nullum, & ex consequenti hæreditas pertinebit ad venientes ab intestato.

Animadversio ex dicta doctrina inferunt.

Infert deinde fidei commissum universale non posse Fratribus Minoribus relinqui, quia

præter-

præterquam quod id expresse caveatur *d. Clement.* Exivit §. *quia ego*, ratione ipsa constat, quia fideicommissarius universalis est hæres in effectu, ut habetur *l. qui* 40. *ff. ad Trebellia.* Dixi, *fideicommissum universale*, ut cum prædicto Authore non excludam fideicommissum particulare, quod Fratribus Minoribus relinqui potest, & peti à Syndico, ut Fratrum necessitatibus subveniat.

Tertio infert prædictus Author Fratres Minores posse instituí hæredes cum clausula apposita, quod pro eorum necessitatibus vendatur dicta hæreditas, & in eorum usus convertatur, quia ex mente Bart. in *Tractatu Minoritarum lib.* 1. licet talis dispositio defuncti in rigore non teneat, quoad hæredis institutionem, cum Fratres Minores sint penitus incapaces, testamentum tamen validum est quoad causam piam ibi appositam, ut scilicet hæreditas vendatur & convertatur in utilitatem Fratrum; quia quamvis regulariter testamentum sine speciali hæredis institutione sit nullum, fallit tamen in piis causis, quia tunc sufficit hæreditatem ad piam causam relinqui, v. g. pro Ecclesiis construendis, pro redemptione captivorum, pro alimentis pauperum & similibus, *Argumento l. si quis, C. de Episc. & Cler.* quia in eo casu Episcopus vel Respublica repræsentat personam hæredis, quod sufficit, ut testamentum non invalidetur.

Addit tamen præfatus Author ex mente Bartoli, eâ limitatione esse intelligendam prædictam sententiam, casu, quo quantitas relicta testamento, non sit adeo magna, ut videatur in fraudem facta paupertatis, sed tantum sit ad subleyandas Fratrum necessitates, præsentes vel brevi eventuras; si verò Fratres non expressè instituantur hæredes, sed alius, qui debeat hæreditatem ipsam vendere, ejusque pretium in Fratrum necessitates expendere, hoc nullo jure videtur Fratribus prohibitum; quare licitè hoc poterunt acceptare, modo quantitas non sit immoderata.

Secunda conclusio: De Religiosis mendicantibus, qui post Conc. Tridentini decretum renunciarunt immobilium bonorum possessioni, judicandum erit, quantum ad successionem in hæreditate, secundum eorum Regulam & Constitutiones; quare illi, qui propriis Constitutionibus non prohibentur, possunt imprimis, ut communis sententia tenet, succedere ingredientibus Religionem ab intestato, & capere quamcumque hæreditatem, etiam in immobilibus bonis, non ut retineant, sed ut vendant, & pretium in suas necessitates convertatur, ita tenet Glossa *verbo* (domum) *in C. unico de religiosis domibus in 6.* quam singularem & communiter receptam affirmat Navarrus *d. n.* 5. Decius in *C. in præsentia, de probat. n.* 270. Felinus *n.* 50. allegans illam glossam, ut ordinariam & solemnem. Tenet præterea hanc sententiam Panorm. in *d. C. in præsentia*, & latè *Cons.* 28. *vol.* 2. *n.* 3. Cardinalis *Cons.* 104. & Calderinus in *Tractatu de testam. Cons. penult.* & inter omnes optime Baldus in *Authent.* Egressi *C. de sacrosanct. Ecclesiis*, & *C.* cum causa, *de rejudicata*. Bartolus in *l. apud Julianum*, §. *si periculum, de legatis* 1. Et præter præfatos tenet Sylvester *verbo* hæreditas *n.* 10. ubi ait indubitanter in aliis Religionibus mendicantibus, præterquam in Ordine Minorum succedere monasterium in bonis ingredientis Religionem, & idem est in aliis hæreditatibus sibi relictis, dummodo immobilia bona vendantur statim: ratio est, quia ut ait Baldus in *C. cum causa*, vers. *quæro, de rejudicata*, dominium momentaneum regulam non infringit *Argum. l. fin. de bonis quæ lib.* quæ ratio placuit omnibus Authoribus supra citatis; quare licitum est Mendicantibus, per breve spatium retinere immobilia bona, dummodo ea statim vendantur.

Secundo probat Panorm. *d. Cons.* 28 quia cum statuta sive regulæ prohibentes possessionem bonorum immobilium, sint stricti juris, ut notatur in *C. in nostra, de injuriis*, debet stricte intelligi. Quare etiamsi prohibeant simpliciter possessionum retentionem, atque redituum, non videntur prohibere id quod alias à Jure concessum est, scilicet hæreditatem, & bona ingredientium capere, saltem, ut vendant ea, & ex eorum pretiis suis necessitatibus subveniant.

Tertio quia Mendicantibus possunt fieri legata, etiam de immobilibus bonis, dummodo ea vendant, ut infra dicemus; ergo etiam hæreditas potest relinqui: quia in ratione retentionis immobilium bonorum nulla est major ratio de legatis, quam de hæreditate. Advertunt autem omnes prædicti Authores, quod in alienatione bonorum istorum, non requiritur ea solemnitas, quæ est necessaria in alienatione aliorum bonorum monasterii, cum illa alienatio fiat ipsâ lege jubente, & necessario ratione sui status fieri debeat.

Præterea advertunt debere implorari Judicis officium, ut illa benè vendantur, & eorum pretium convertatur in proprias necessitates. Ulterius adnotandum est, non obligari Mendicantes, statim bona hæreditate acquisita vendere, sed posse congruum tempus, & commodam opportunitatem expectare, dum non sit diuturna expectatio, ut notavit D. Antonin. *d. part.* 3. *tit.* 16. *C.* 1. §. 12. Si tamen bona ingredientis, ea conditione sibi essent collata, ut non alienentur, adhuc existimat Sylvester *ubi supra* secutus Joan. Andr. pertinere ad monasterium in casu, quo prohibitum esset alienare bona in fraudem monasterii: nam si alio honesto fine factam fuisse prohibitionem constaret, tenet quod non pertinerent ad monasterium, quamvis quocunque modo ad eum pertinere docuerit Augustus Beroius, *Cap.* in præsentia *num.* 554. *de probationibus.*

Doctrina tradita applicatur supra dictorum Religiosorum generi.

Ex dictis igitur (ut breviter omnia perstringam) facile erit discernere, quantum attinet ad jus successionis, inter tria illa genera Mendicantium Ordinum, de quibus in initio hujus capitis. Nam primum genus, eorum scilicet qui post Concil. Trident. decretum, retento Mendicantium nomine, bonorum immobilium possessione gaudent, eodem jure succedunt, ac alii Ordines non Mendicantes.

Secundi vero generis Religiosi in hoc à primo discrepant, quod eorum monasteria omnia vel saltem aliqua in communi possessionibus, reditibus, & aliis immobilibus bonis carent, vel ex vi Regulæ, vel propriarum Constitutionum, & hoc sufficit, ut re ipsa vere dicantur & sint mendicantes, licet possint ex Testamento capere hæreditatem ingredientium: sunt tamen gradus inter hos, aliis quippe suis Constitutionibus prohibetur, jure hæreditario succedere in bonis

ingredientium, & hi non possunt succedere monachis professis, si intestati professionem emiserint, neque post emissam professionem poterit monasterium succedere in bonis, quæ jure hæreditario monachis aliàs competebant, possunt tamen institui hæredes, & his duobus casibus, exceptis, eandem actionem habent ad monachorum bona ac cæteri Ordines non mendicantes, saltem in his, in quibus propriis Constitutionibus non arctantur. Hujusmodi igitur paupertatem in communi servat Congregatio nostra Hispania Ordinis Carmelit. in Italica vero Congregat. licet monasteria non possint immobilia bona, sive annuos reditus possidere, tamen non arcentur à successione hæreditatis, neque ullo alio modo sunt incapacia hæreditatis. Deinde illud etiam videtur commune Ordinibus 2. generis, quod adeuntes hæreditatem, debent immobilia bona intra breve tempus vendere, vel applicare aliis monasteriis sive Collegiis capacibus possessionum & reddituum, quamvis non omninò deroget mendicitati, si possessionem aliquorum bonorum immobilium in mediocri quantitate retineant, vel pro functione aliqua obeundâ, v. g. pro Grammaticæ prælectione, vel si per modum Capellaniæ annuis reditibus fruantur, dummodò ii reditus non auferant mendicitatem.

Tertii autem generis Religiosi, quales sunt Minores de observantia, sive alii, qui strictius B. Francisci Regulam profitentur, qui à Concil. Trident. comprehenduntur nomine *Capucinorum*, non possunt succedere monachis jure hæreditario, nec absolutè instituti hæredes, neque si instituantur, capere ex testamento æstimationem, nisi in casu, quo apponeretur illa clausula, de qua in principio hujus capitis.

Dubij occurrentis solutio.

Dubium tamen aliud oriri potest, an Religiosi mendicantes, qui ratione suæ Regulæ sive Constitutionum incapaces sunt acquirendi hæreditatem, si eam vel aliquid aliud contra Regulam & Constitutiones acquirant, peccent mortaliter, & teneantur bona sic acquisita restituere, loquor in casu, quo eorum Regula vel Constitutio non obliget sub peccato mortali.

Resp. certum esse ibi & peccatum mortale, & injustitiam intervenire, ac proinde oriri obligationem restituendi; Ita expresse & latè resolvit D. Antoninus *3. parte, tit. 16. Cap. 1. §. 12. & 13.* Navarra in simili casu *lib. 3. de restit. Cap. 1. num. 185. & sequentibus.* Et ratio est, quia Prælatus vel Conventus talem hæreditatem capiens, peccat contra votum paupertatis, cum voverit servare paupertatem secundum Constitutiones Ordinis; at una ex Constitutionibus est, hæreditates non capere; igitur facit illud contra votum. Præterea confirmatur; quia tunc peccat quis contra paupertatis votum, cum aliquid sine licentia justa recipit; sed Superior vel Conventus talem hæreditatem acceptans, illam sine licentia justa recipit: igitur peccat contra paupertatem, & præterea contra justitiam, quia lædit jus tertii, ad quem illa res, vel hæreditas pertineret; si verò non fiat injuria tertio (quod in aliquo casu posset contingere) tunc tantum peccabit contra paupertatem.

CAPVT III.

De legatis, & annuis reditibus Mendicantibus relictis.

HOc commune semper fuit omnibus Ordinibus Mendicantibus, etiam Minorum, legata sibi in testamentis relicta capere posse. Quod si bona immobilia legentur, eadem vendere, & exsurgens ex eis pretium, suis necessitatibus accommodare. Hoc assertum à fortiori patet ex dictis C. præcedenti, nam si hæreditatem possunt acquirere, poterunt etiam & legata, & de Fratribus Minoribus, nisi legatum sit magnæ æstimationis, ita ut videretur in fraudem legari; siempe per viam legati relinquererur quod hæreditate, cujus sunt incapaces, relinqui non poterat. tenent Bartolus in *Tract Minoritarum*, Ancharranus in *Clem. Exivit*, & Baldus in *Autent.* ingressi *C. de bonis quæ liberis*, quos citat & sequitur Felinus, in *Capite* in præsentia, *de probat. num. 52.* & Decius *in dicto Cap. num. 274.* Sylvester *verbo*, legatum, *secundo num. 3.* & colligitur ex *Clement.* Exivit §. *non licet, de verb. signif.* traditque latè Corduba *Cap. 6. in Reg. B. Francisc.* quæst. 11. *Dummodo* (ait) *talia legata relinquantur modo non incongruo suo statui, & in quantitate moderata sive fraude.* Et ratio est, quia legatum est donatio, seu eleemosyna testamento relicta, & sic potest ab eis acceptari, non verò hæreditas, quia cum hæreditate transit jus successionis, Minores autem sunt incapaces cujuscunque juris. Dixi, *dummodo legata relinquantur non incongruè*, id est, contra istam Regulam, ut si quis legaret Fratribus Minoribus vineam vel agrum, ea conditione, ut illa excolant, valeret legatum, ut declaravit *Nicolaus III.* apud Cordubam, *ubi supra.*

Addidi etiam, *in quantitate moderata sine fraude*, quia non possunt habere legata in quantitate excessiva, sed tantum quatenus egent, ad expendendum in usus moderatos, non verò ad provisionem in futurum, ne per illa legata auferatur mendicitas. Neque etiam possunt accipere legata magna, quæ probabiliter facta videntur in fraudem hæreditatis, ut decernitur in *dicta Clem.* & tradit latè Corduba, *ubi sup. punct. 3.*

Quid dicendum de legato annui reditus Mendicantibus facto.

Sed dubium est, an valeat legatum de annuis redditibus, Mendicantibus relictum? Vera est sententia, tale legatum non valere, si Fratribus Minoribus relinquatur, quia annui redditus inter immobilia computantur, ut patet ex *dicta Clem. Exivit*, §. *nec licet*, versic. *cumque annui redditus inter immobilia computentur* &c. ideoque non possunt hos redditus habere, quia posset auferri mendicitas his redditibus. Hæc sententia communiter est ab omnibus recepta. Videnda est Glossa in *dicta Clementina*, Exivit, *verbo, cumque annui redditus.* Si verò de cæteris Mendicantium Ordinibus loquamur, an valeat, judicandum erit ex eorum Constitutionibus, ex quibus major vel minor capacitas Mendicantium post Concilium Tridentinum mensuranda erit.

Sed, an fieri possit, ut quis testamento suo Petrum hæredem instituat ea conditione, ut aliquid annuum Conventui Mendicantium reddat in perpetuum? In hac re primò certum est, quod

quod si prædicti annui redditus relinquantur ad certum usum cultus divini, puta ad reparanda Ecclesiæ ornamenta, aut ædificia, vel pro vino ad missæ sacrificia peragenda, hostiis, oleóve lampadarum, aut pro similibus, legatum valere, ut docuit Glossa nuper adducta, quod probat ex *Cap.* nimis 1. *de testamentis*, & Ancharranus *dicta Clem Exivit.* Sylv. *verbo* legatum 2. *n.* 4. Angelus *verbo* legatum 1. *n.* 5. & Corduba *ubi sup.* resolvit etiam valere prædictum legatum in Fratribus Minoribus, dummodo serventur duæ prædictæ conditiones supra appositæ.

Secundo existimo, si illud legatum relinquatur pro victu, aut vestitu, aut indistinctè pro necessitatibus Frattum (si tamen pro modico tempore relinquatur) tunc valere etiam dictum legatum, ut tenent prædicti Authores, cum prædicta *Glossa* verbo, *annui redditus*. Modicum autem tempus dicitur decennium, ut tenet ibi *Glossa* ex *Clem.* 1. §. *fin. de rebus Eccles. non alien.* Ratio est, quia per hoc legatum non tollitur ab eis mendicitas, sed sublevatur, quod etiam in Fratribus Minoribus obtinere, prædicti authores fatentur, & ultra hoc temporis spatium posset etiam legatum relinqui hac via, pura, quod legatum daretur certis Fratribus pro eorum necessitatibus, tunc enim legatum esset firmum pro vita illorum Frattum, quibus relinqueretur, nec diceretur legatum perpetuum, cum eorum morte extingueretur, idque asserо ex mente prædictæ *Glossæ*, verbo, *cumque annui redditus*, & communis sententiæ; si vero hæreditas, annui redditus, aut legatum, relinquantur alicui hospitali, vel Communitati, cum onere, ut dent annuos redditus Mendicantibus, tunc etiam valet legatum. Ita tenent D. Antoninus 3. *parte titul.* 16. *Cap.* 1. §. 12. Sylv. *verbo* lagatum 2. *num.* 4. Angelus, *verbo* legatum 1. *num.* 5. Tenet Corduba etiam in Fratribus Minoribus, *dicta quæst.* 11. *pun.* 3. *prope finem.* qui omnes tale legatum, non nisi sub hac conditione valere censent, nempe quod Religiosis inde non competat ullum jus civile, petendi tale legatum sive annuos redditus in judicio: Et quod dictum est de istis perpetuis redditibus, à fortiori procedit de illis proventibus, quos aliquando Domini oppidorum ordinant annuatim Fratribus dari super gabellis justis.

Nam hi proventus verè sunt eleemosynæ, cum sponte & ad beneplacitum dentur & revocentur; ita tenet Sylvest. *verbo* legatum 2. *n.* 4. *in fine* & Antoninus *ubi supra.*

Possunt præterea Religiosi Mendicantes habere anniversaria perpetua sine ulla tamen actione exigendi in judicio, ita Palud. Sylv. Angel. & D. Antoninus.

Postremo sciendum est, possessiones seu alia immobilia bona Religiosis mendicantibus ideo prohiberi, quia hæc sunt veluti annui reditus virtuales; ut in *Clement.* Exivit. §. *verum*, *in fine de verb. signific.* Et ideo Mendicantes dicuntur, quia eis ad congruam sustentationem, reditus aut possessiones habere eorum professio non permittit, ut habetur *Cap.* unico, *de relig. domibus*, *in 6.* & optime notat Corduba *in Regulam B. Francisci Cap. 6. quæst.* 10. *pun.* 2. & 3. Quare si eis dentur, aut alia ratione concedantur similes possessiones eas, vendere tenentur, ut supra dictum est. Hactenus locuti sumus attento jure communi, post Concil. vero Trident. standum erit Mendicantium Constitutionibus.

CAPVT IV.

Quæ bona sibi relicta possint Mendicantes in judicio petere?

Quid quoad hoc dicendum de FF. Minoribus?

FRatres Minores nihil eorum, quæ sibi, vel ex legatis piis, vel alia ex causa obveniunt, possunt judicialiter petere, quia sunt incapaces eorum Conventus cujuscumque juris & actionis civilis, ut sæpe repetitur in *Cap.* Exiit, *de verb. signific. in 6.* & *Clemet.* Exivit *eod. tit.* Docet Iare Corduba *in Regul. B. Francisci Cap. 6. quæst.* 11. *puncto* 4. Episcopi tamen & alii Judices, tam Ecclesiastici, quam sæculares possunt ex vi sui officii, nemine etiam hoc procurante, compellere hæredem, vel executorem, vel illum, qui ad hoc tenetur, ut relicta Monasterio adimpleat & solvat. Ita tenet Barto. in *l. ne quicquam* §. *fin. ff. de off. Proconſ.* & I. Andreas in *Cap.* si hæredes, *extra de Testam.* & Baldus in *l. nulli C. de Episc. & Clericis.* P. Anchart. in *Clem. Exivit*, & expresè decernitur à *Nicolao III. art.* 3. apud Cordubam, *ubi supra*, imo cuilibet de populo competit actio ad hoc, & potest agere, ut legata relicta ad pias causas impleantur, ut habetur in *Compendio privilegiorum* verbo *hæreditas* §. *fin.* & docet Angel. *verbo* legatum 1. §. 5. & Corduba *ubi supra.* Per Syndicum vero solent prædicti Fratres sibi relicta vendicare, cum certis circumstantiis, de quibus Corduba *Cap.* 4. *suæ Reg. quæst.* 16. Et P. Emm. Rodriguez *Tom.* 2. *qq. Regul. quæst.* 78. *art. primo.* Possunt tamen prædicti Fratres simpliciter, extra judicium favorem Judicis implorare, prædictaque legata tanquam eleemosynas sibi debitas postulare, cum hoc modo consulant & voluntati defuncti, & suis necessitatibus, quia aliàs executores testamentorum, aut hæredes non possent ad id à Judicibus compelli, nisi Judici de his legatis constaret: quomodo autem posset eis notum esse, nisi Fratres denunciarent?

Quid de aliis Mendicantibus?

Porro de aliis Mendicantibus ex mente Sylvestri & Angeli *ubi supra*, distinguendum est. Nam aut eis legantur annui perpetuique redditus, & tunc non possunt civiliter agere, si propriis Constitutionibus, aut Regulâ veretur ipsis annuos habere reditus, quia cum eis non competat hæc actio civilis, manifestum est ipsos eâ uti non posse, sed tunc hæredes, vel testamentarii compellendi sunt à Judice, qui ratione sui officii potest ipsos cogere, ut legata adimpleant, sicut paulo supra dictum est de Fratribus Minoribus: si vero sint alia legata, vel reditus ad modicum tempus, vel aliarum rerum immobilium donationes aut renuntiationes, possent illarum rerum æstimationem judicialiter petere: Nam cum capaces sint æstimationis & pretii hæreditatis & legati &c. rectè possunt ea civiliter & judicialiter postulare.

Quod illis cavendū?

Cavendum tamen maxime est viris Religiosis, Judices Sæculares aut Ecclesiasticos, eorumque tribunalia frequentare. Quia ex hoc sequuntur, (ut recte notavit D. Antoninus) *odia, rixæ, mendā-*

mendacia, perjuria, detractiones, injustitia, & ultra istud scandalum commune laicorum, videntium Mendicantes litigare, qui aliàs consilia prædicare non cessant. Et ante ipsum D. Basilius in *Reg. fus. disput. interrog. 9.* idem suis monachis commendavit: *Nec enim* (ait) *conveniens est decori nostro, si cum iniquis hominibus contendere videamur, aut litigare: siquidem servum Domini non oportet litigare.* (Et infrà) *De his rebus,* (loquitur enim de vendendis rebus monasterii) *experiri apud judices exteriores vetat nos idem Dominus, cum dicit, & Ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et infrà docet, *quod Religiosi in judicio non lacessentes ipsi, sed lacessiti tantum descendere debent.*

2. Tim. 2.

Matth. 5. cap.

Sed contra hanc decisionem objicies, Religiones Mendicantes non possunt habere rerum immobilium dominium, ut habetur *Cap.* unico *de relig. dom. in 6.* ergo nec rei vendicationem, ut probatur ex *l. si non in rem, de rei vendic.* Hoc argumento motus Beroius in *Cap.* in præsentia, *num.* 451. secutus Calderinum affirmavit, non posse mendicantes acquirere jure actionis prædicta bona, sed tantum jure æquitatis, quia æquum est, ut pro alimentis illa bona consequantur, ut ex eorum pretio se alant, pro quo citat Gloss. in *l. servos, de alimentis & cib. leg.* Sed nihilominus à priori sententia non est recedendum; nec argumentum adductum supra, aliquid convincit; nam ut *Cap.* 2. dicebamus, dominium rerum immobilium Mendicantibus competit, licet non diuturnum, sed tantum momentaneum, sive per breve tempus, quod eorum Regulam non infringit. Et hoc sufficiens est, ut possit ipsis competere rei vendicatio.

Satisfit contrariis objectionibus.

Hæc dicta sint de illis Ordinibus Mendicantibus, qui post Concil. Tridentini decretum, arctissimam servant mendicitatem; nam qui in laxiori mendicitate vivunt, tantam habent capacitatem, quantam sibi ipsi propriis Constitutionibus præscripsêre. Quocirca consulenda erunt cujusvis Ordinis statuta; cum etenim ea, quæ de jure antiquo Mendicantibus prohibebantur Concil. Trident. decreto fuerint concessa, non tam antiqui juris Canonibus, quam propriis uniuscujusque Ordinis Constitutionibus standum erit.



APPEN-

APPENDIX
DE
PERFECTIONE
VOTI PAUPERTATIS.

POsteaquam egi de obligatione quam inducit Votum Paupertatis, non abs re visum fuit, inserere hic Tractatum de alio gradu longe excellentiori, qui quidem obligationem nullam importat, sed potius perfectionem & consilium concernit, dum Religiosos hujus voti exactam observantiam exoptantes ad aptiora huic assequendæ seligenda media à Sanctis passim usurpata, mirificè provehit Non equidem ignoro non deesse quamplurimos, qui ne obligatoria quidem circa votum hoc expleant; uti nec desunt alii, quibus sufficit ipsius substantiam observare, nihil penitus de iis, quæ consilium atque perfectionem tangunt, attingendo; plures tamen reperire est, qui plus quam professi fuerint exequuntur, ac reservatis dumtaxat rebus præcisè necessariis, temporalia cuncta commoda in sacrificium DEO offerunt. Omnibus & singulis non parum hæc proderit Appendix: prioribus confusionem ingeret, dum alios supererogatoria professioni suæ patrare conspicient, ad quæ ipsi neutiquam assurgunt: Secundis ad adorienda majora calcar addet, & iter pervium aperiet: postremis instar fulcri cujusdam deserviet, quo conservare se in inceptis & tutari queant. Conducet insuper iis Religionibus, quæ speciali obligatione se ad ea astringunt, quæ in aliis sunt de perfectione Paupertatis.

Vid. nost. Francisci à JESU MARIA libr. de Excellentia charitatis aliarumque virtutū, qui in 2. part. cap. 6. & seqq diffusius agit de paupertatis præstantia, perfectione, motivis, mediis &c. & Joan. à JESU-MARIA in diversis Tractat. Tom. 2i operum suorum.

Porrò ex supra sæpe dictis constat, quod duplex est paupertas, alia in particulari, alia in communi, circa utramque explanaturi sumus ea omnia, quæ pro exactæ utriusque observantia facere possunt.

Inchoando proinde ab ea, quæ in particulari est, dico omnibus Religiosis esse commune, nullius rei dominium, vel proprietatem habere posse, unde non datur in hoc major minorvè perfectio, universi quippe æqualiter dominii sunt incapaces; cæterum in usu eorum, quæ sibi ad vitæ sustentationem permissa sunt, hanc majorem seu minorem invenire debemus: per quem intelligo eum, qui necessarius est, & cuique statui cujusque Religiosi decens, de superfluo namque hic non agimus, hunc enim abdicare tenemur ex obligatione, prout fusius in hoc Tractatu comprobavimus.

Loquendo itaque de usu rerum necessariarum, S. Basilius (*in Reg. fus. interrog.* 38.) declarasse mihi videtur, qualis debeat usus esse penes eos, qui perfectè paupertatem colere volunt. *In omnibus* (ait) *scopum proprium nobis esse propositum putare oportet ipsam frugalitatem ac vilitatem.* Et interr. 22 *In victu cultuque tenuitatem, & in omnibus rebus frugalitatem ac parsimoniam necessarias esse demonstratum est.* Quod ipsum D. Bonavent. (*Cap. 6. Regul. S. Francisci*) luculentius & dilucidius asseruit in hunc modum: *Professores altissimæ paupertatis*

oportet, quod omnia, quæ in eorum usum veniunt, habeant, ut est possibile, parvitatem, vilitatem & asperitatem, quæ tria paupertatem altissimam naturaliter consequuntur: è contra divites habent affluentiam, gloriam, & apparentiam & consolationem, quæ possent divitiis comparari. Quia ergo paupertas, in quantum est contraria divitiis, careret his tribus, si caret divitiis, necesse est ut paupertas altissima, ut est possibile, careat his tribus in summo. Non ergo competit viris pauperibus habere magnas areas, vel sumptuosa ædificia, aut quæcumque similia, non vasa ornata, non cellaria vinaria, non prompt uaria instaurata, sed ut omnia, quantum patitur fragilitas, ad paupertatis strictissimam regulam reducantur.

His verbis indicat S. Bonavent. usum, quem perfecta paupertas exigit, tria exposcere. Primum; *parvitatem*, hoc est, frugalitatem sive tenuitatem, secundum *vilitatem*, tertium *asperitatem*. In duobus primis convenit cum sancto Basilio, *ubi sup.* quo loco licet non faciat mentionem de tertio, nempe asperitate, crebrò tamen alibi facit. Quapropter tres hasce conditiones breviter exponere decrevi, quod in ipsis summa perfectio paupertatis in particulari comprehendatur.

Prima itaque conditio illa est, ut pauperes eorum, quæ ipsorum usui serviunt, habeant, quantum possibile fuerit, parvitatem, quod quantumvis de parvitate materiæ subinde possit intelligi, nihilominus hic non tam de quantitate rei possessæ, quam de parcitate & carentia rerum temporalium, quoad fieri potest, intelligitur, quam Basilius *tenuitatem* sive *frugalitatem* appellat, ut in his pauperes à sæculi divitibus secernantur, qui rerum omnium copiam, affluentiam numerosamque supellectilem possidere contendunt. At contrarium Christi pauper sequi debet, pauciss ima possidere conando, quoad possibile sibi fuerit, sic ut contentus sit iis, quæ præcise necessaria fuerint.

Secundum quod idem S. Bonavent. (in Reg. de reformat. ment.) tradit, *Attende* (ait) *semper, ut nihil habeas in cella, nisi necessaria, & hoc dico de minimis rebus, ne fortè negligendo modica, paulatim cadas ad majora. Ait enim Augustinus, vitasti grandia, vide ne obruaris arena.* Hæc Bonaventura. Huc spectat quod inimicus paulatim suggerit majora, modo Crucifixi imaginem, post alias Sanctorum effigies, deinde thecam scriptoriam cum variis instrumentis vulgò *estuche*, quæ mox subsequitur Horologium, vestimenta superflua, Diurnale, quando sufficit Breviarium, & hujusmodi plura alia.

Præter id quod in superioribus fusiùs pertractavimus, hoc unum ex D. Bonavent. desumptum adjiciam; ait enim, *quod quanto quis perfectius paupertatem amaverit, tanto melius de necessitate judicabit.* Et infrà concludit: *Ista necessaria sunt, sine quibus esse non possumus.* Vide ergo ea, sine quibus esse commodè potes & illa nec habere, nec petere, nec procurare, neque sponte à dantibus recipere velis. Imò S. Franciscus ajebat, quod propositum debemus facere, detrahendi nobis & carendi aliquando rebus etiam necessariis.

Et D. Vincentius (in *Tractatu de vita spirituali C.* 1.) usum necessarium sic definit: *Solum districtissimè ad necissitatem de ipsis recipiat, quam necessitatem in pauco colligat, sufferendo etiam quædam incommoda, propter paupertatis amorem.* Et infrà. *Nihil ab aliquo petas, nisi esset necessitas, nec acquiescas dare volenti, quibuscumque precibus etiam subprætextu, ut indigentibus possis elargiri.* Et infra. *Necessitatem autem tuam intelligo in parco victu, vili vestitu & calceamento, quibus tunc præsentialiter indiges.* Ex quibus colligitur primo qualis esse debeat usus Necessarius.

Secundo quantum interest ad excludendam & exterminandã superfluitatem, ne oblatum quidem à quocunque quippiam accipere. Reductivè spectat etiã ad hunc usum distrietum & pauperibus proprium; carere nonnunquam rebus necessariis, ii siquidem quibus hic animus non adest, nec id reipsa quandoque comprobant, veraciter pauperes appellari nequeunt, juxta id quod egregiè dicit Bernardus (*serm. 4. de adventu*) *Videmus autem* (inquit) *pauperes aliquos, qui si veram*

veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes invenirentur, & tristes, utpote reges & reges cæli. Sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Et verba hæc adduxit S. Vincentius (*in lib. de vita Spirit.* Cap. 1.) *Scio* (ait) *quod laudabile non est, pauperem esse, sed in paupertate pauperem amare, & paupertatis inopiam propter Christum gaudenter & hilariter sustinere. Proh dolor! multi de paupertatis solum nomine gloriantur: sed quo pacto; ut nihil eis desit.*

Secunda conditio, quam D. Bonavent. & Basilius ponunt, est quod habeat *vilitatem*, & hoc præcipuè observari debet secundum Basilium in omnibus quibus Religiosi utuntur, quatenus quemadmodum divites ac potentes sæculi, ex iis rebus quibus utuntur & earum pretio ac valore gloriam occupantur humanam, ita planè pauperes ex vilitate suæ suppellectilis contemptum & abjectionem sui procurare debent; qua de causa, cum propter humilitatem, tum propter Paupertatem statuêre Sancti & Institutores Religionum, ut Religiosi vestibus vilioribus uterentur. S. Basilius (*In reg. fusior. interrog. 22.*) *Prorsus & humilitatem & in victu tenuitatem cultuque & in omnibus rebus frugalitatem ac parsimoniam necessarias esse superius demonstratum est.* Et infr. *nimirum ad eosdem quoque fines dirigendum nobis est quidquid ad vestitum etiam pertinet; si enim in eo studendum est nobis, ut omnium infimi simus, sine dubio & quod in hoc genere indumentorum infimum est, summoperè nobis est amplectendum.* Idem ait (*in Institut. Monachorum.*) Iam de vestimentis & calceamentis &c. non ea exquirenda nobis sunt, quæ sunt elegantiora, sed quæ viliora, ea deligenda. S. Benedictus (*in sua Reg. c. 55.*) tractans de vestimentis inquit: De quarum omnium rerum colore aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inveniri possunt in Provincia in qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Nec quispiam nescit quantam in Religiosorum suorum vestibus vilitatem apparere voluerit S. Franciscus.

Divus Thomas (*2.2. q. 187. art. 6.*) affirmat vestium vilitatem esse signum contemptus divitiarum, & denique Bernard. *Ser. in Cœna Domini* ait; *Secundum ferculum est paupertatis spirituals, quam tria constituunt depositio rerum, & contemptus earum, vilitas* &c.

Tertia & ultima conditio est quod utensilia habeant *asperitatem*, quia cum Religio tota, vel maxima ex parte huc dirigatur, ut præteritas culpas satisfaciendo redimat, & ob id schola sit pœnitentiæ & victus severioris, in ea potissimum hæc asperitas in paupertate inveniri debet; hæc quippe præter multa incommoda affert etiam multas molestias in cibo, vestitu, victu & reliqua suppellectili, quæ ad hanc peccatorum expiationem mirificè juvant, & hoc ipsum est, quod inquit S. Vincentius *ubi sup. Dicunt se amicos paupertatis, sed paupertatis Sodales fugiunt famem, sitim, contemptum, despectionem*, velutique divites & abundantes in sæculo, luxui & pompis solatia & oblectamenta copulare satagunt in omnibus rebus suis, ita prorsus ipsi pauperes asperitatem ac pœnitentiam vilitati conjungere debent. Hæ sunt conditiones quas exigit necessarius usus, penes eos, qui perfectè votum paupertatis cupiunt observare. Vnde liquet non omne id, quod minoris constat, esse magis paupertati proximum, nam fortasse carnes manducare, vestiri panno, & his similia minus constaret; est itaque neeessarium, quod una cum exilitate pretii, adsit rigor pœnitentiæ &c.

Nec vero istud sufficit, sed insuper perfectio necessario postulat, ne de his quibus necessario opus habemus, non nisi de expressa Prælati venia utamur, nolendo uti præsumpta & tacita, quantumvis minimæ res forent, & quando particularem pro singulis rebus veniam habere possumus, non procurare generalem: Pertinet similiter ad paupertatem non petere licentias pro certis temporibus, quin potius promptum esse jugiter & paratum ad hoc, ut ea, quorum usu fruimur, continuo Superiori tradere; & ut ait S. Vincentius, con-

tentum esse rebus iis, *quarum usu præsentialiter indiges.* Multa alia dici possent, quæ ad perfectionem paupertatis particularis pertinent, verum quoniam intentum meum non est de iis fusius loqui, quæ ad Theologiam moralem reduci queunt, ipsa libris piis & spiritualibus edisserenda relinquo.

De paupertate, quæ est in communi, bifariam agere possumus, vel habito respectu ad fines particulares cujusque instituti, secundum quod in quinta Parte hujus Tractatus egimus, vel absolutè & simpliciter. Nos indiscriminatim utroque hoc modo procedemus, ut Religiosus quilibet, juxta suum Institutum, his mediis ad illud ad amussim observandum uti possit.

Supponendum idcirco ex dictis *Cap. 1. quintæ partis* hujus Tractatus binos esse paupertatis gradus, ut testatur D. Antoninus *3. parte tit. 16. c. 1.* Primus est renuntiare omnibus, exceptis his, sine quibus vita humana sustentari non potest.

Secundus est retinere aliquid in communi cum tali moderatione, quod possit ad victum & vestitum pro aliquo tempore non tamen prolixo sufficere. In quolibet horum statuum illa erit perfectior paupertas, quæ intra decorem status cujuscunque Religionis majori frugalitate ac viliori supellectili eorum, quæ in communi possidentur, fuerit contenta; nam si paupertas in particulari eo perfectior est, quo singulorum usus majori parvitate, vilitate ac asperitate fuerit præditus, cur idem sentiendum non sit de paupertate in communi, ipsique aptanda ea, quæ nuper de paupertate in particulari diximus. Quare optime D. Bonav. *ubi sup.* ex illis conditionibus, quæ circa usum arctissimæ paupertatis ab eo fuerant adductæ, circa paupertatem in communi his verbis collegit: *Non competit viris pauperibus habere magnas areas, vel sumptuosa ædificia, aut quæcumque similia, non vasa ornata, non cellaria vinaria, non promptuaria instaurata, sed ut omnia, quæ compatitur fragilitas ad paupertatis strictissimam regulam reducantur.* Præterea ibi perfectius paupertas observatur, ubi non solum jure hæreditario, verum nec alio titulo hæreditates acceptantur: & licet nulla sit Religio, quæ eleemosynam legato relictam capere non possit, illa tamen, quæ eleemosynas perpetuas etiam quovis jure relictas, nec legata in magna quantitate admittit, & insuper ad res sibi relictas jure civili, ut sibi debitas jus non quærit, perfectior ex hac parte erit aliis Religionibus, in quibus tam arcta paupertas non custoditur.

Ex quo colligitur primo, ad perfectissimam observantiam paupertatis in communi, maximè conducere strictissimam singulorum Monasteriorum paupertatis observantiam; alias si rebus affluere, pretiosasque suppellectiles habere velint, nec quidquam ex iis, quæ ad decentiam sui status pertinent, paterentur deficere, paupertatem in communi diu consistere ferè est impossibile.

Secundo id maximè in Religione ad hujus paupertatis observantiam confert, adniti ad hoc, ut supellectiles cæteraque ad communem usum Monasterii deservientia, non sumptuosa, non pretiosa, nec superflua sint, qualia sunt ædificia templorum & Monasteriorum, ornamentorum apparatus, & plura alia, quæ sub prætextu Religionis & cultus divini inter Religiosos solent introduci; impossibile namque videtur eleemosynas tot sumptibus, & insuper tot expensis, quot quotidiana Religiosorum sustentatio postulat, suppeditare. Et licet ad aliquod temporis spatium (non tamen absque grandi labore & diligentia) id videatur posse fieri, ad longum tamen tempus est impossibile; quapropter pedetentim vel paupertatis cultus intercidet, vel Religionis; clausuræ inquam, quietis ac recessus Religiosorum. Et principalior occasio, ob quam Ordines mendicantium sibi de reditibus ac possessionibus providere cœperunt, alii quidem manifestè & palam, alii autem variis titulis ac palliationibus, fuit

hæc,

hæc, voluisse unà cum paupertate in communi, tam sumptuosa ædificia, tam pretiosas sacrarum vestium ac sacristiæ apparatus, aliosque excessus sociare, qui tamen cum mendicitatis ac paupertatis professione stare nec se compati valebant. Et quoniam de isto fusius 4. *parte hujus Tractatus* actum est, in præsentiarum prolixior non ero.

Tertio, Mirum est, quantum ad paupertatis in communi custodiam prosit paucos in quolibet Conventu esse Religiosos: ita factitatum legimus in Historiis S. Francisci, ipsum nimirum hoc mandasse, & stabiliisse, eo potissimum fine, ut exactius & melius paupertas sarta tecta conservari posset. Nec profecto obscurumest posse Religiosos, quando sunt numero pauci, facilè sustentari, habitaque de certa alimonia securitate, nulla ipsis distractionum, aut possessionum quærendarum occasio suppetit, nec aliorum redituum sub eleemosynæ colore.

Quarto, Ea paupertas, quæ opere manuum seipsam fovet, firmior est & magis diuturna, quam quæ mendicitate sola fulcitur; cum namque lapsu temporis Fidelium charitas refrigescat ita,ut eleemosynas non erogent, lassantur ac verecundantur Religiosi; quo fit, ut victum ac vestitum alia via conquirere satagant, mediis videlicet reditibus &c. proinde via illa tutior est, quam tenuêre SS. Patres in Ægypto, sustentare nempe seipsos opere manuum suarum; verum hoc minus in Europa usitatum.

VENE-

VENERABILIS PATRIS

THOMÆ à JESU,

CARMELITÆ DISCALCEATI,

LIBER DE

REGULARIUM VISITATIONE.

IN QVO CLARE, AC BREVITER EA OMNIA, quæ in Visitandis Regularibus, tàm quoad Theoriam, quàm quoad Praxim observanda sunt, ex communi Theologorum doctrina diligenter excerpta, traduntur.

PIO LECTORI.

IN explicanda visitandi forma ac methodo, hac nostra tempestate sedulò quàmplurimi præstantissimi, ac magnæ eruditionis viri laborarunt; verùm in elucidandis variis quæstionibus magis quàm ad praxim, & ad theoriam potius spectantibus, horum non pauci omnem navasse operam visi sunt, cæteris adeò obscurè relictis, ut ipsorum doctrinam ad rectum, practicumque visitandi modum applicare difficillimum sit. Quod cum mihi jam pridem multoties animadvertere contigisset, ab aliis Theologiæ studiis nonnihil otii nactus, Regularium utilitati consulere cupiens, operæ pretium facturum me existimavi, si quæ à sapientissimis viris de hac materia prælo, scriptisve tradita sunt, atque simul à me ipso non exiguis experimentis comperta, ad peculiares præceptiones redigere, brevique perstrictâ methodo (quantum res ipsa permittit) ab omni penitus obscuritate removere conarer: quod DEO dante factum credo. Hic meus igitur fuit scopus (Candide Lector) cui si non satis ubique successus responderit; voluntatem tamen, & conatum meum, tùm Divinæ Majestati, tum benevolo animo tuo, gratum atque acceptum futurum confido.

PRO-

PROLOGUS.

SCOPVS ET FINIS VISITATIONVM proponitur, & series dicendorum.

Nihil æquè ad Regularem disciplinam conservandam, aut si collapsa fuerit, instaurandam conducere videtur, quàm frequens, exactaque visitatio Prælatorum. Quare non raro, tam sacri Canones, quàm Concilia, & inter illa præcipuè Tridentina Synodus, Religionum Superioribus hanc suorum Monasteriorum sollicitam visitandi curam impensius commendant.

Cum igitur Prælatorum rectè instituta visitatio non mediocrem splendorem, atque utilitatem Religioni conferat, operæpretium censui, divino implorato auxilio, compendiosam institutionem Visitatoribus præscribere, quò faciliùs, ac maturiùs officio suo fungantur. Materia quidem, tùm ob opinionum discrepantium varietatem; tùm ob praxim, & ordinem confusè ab Auctoribus digestum difficilis sanè & ardua est. Ante omnia verò in hujus Operis vestibulo præmittendum duxi, qualis esse debeat præcipuus Visitatorum scopus, ne illius ignari facilius in errorem prolabantur; nam ut benè Seneca: *Ignoranti, quem portum petat, nullus suus ventus est.*

Visitatoribus igitur illud in primis propositum esse debet, divinæ Legis, Regulæ, ac præcipuè trium votorum, Constitutionum, Ordinationumque, & omnem disciplinæ Regularis rationem omninò tueri, ac curare, dissoluta restituere, errata corrigere, negligentes, & contumaces, si qui sint, castigare: ac demum ea omnia exactè præstare, quæ sacrosancta Synodus Tridentina, *Sess. 25. Cap. 1. De Reformatione*, de Visitatorum munere agens, sequentibus verbis graviter commendat: *Ubi collapsa est vetus, & regularis disciplina, instauretur, & constantius, ubi conservata est, perseveret; præsertim hoc decreto præcipit, ut omnes Regulares, tàm viri, quàm mulieres, ad Regulam, quam professi sunt, vitam instituant, & componant, atque in primis quæ ad suæ professionis perfectionem, ut Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ vota, & præcepta ad communem vitam, victum, & vestitum observanda pertinentia, fideliter observent. Omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tàm in Capitulis generalibus, & provincialibus, quàm in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur. Nam si illa, quæ sunt bases, & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint observata, totum corruat ædificium, necesse est.* Hactenus Tridentinum Concilium

Corruet quidem, & relaxabitur brevi tempore Religio, si Visitatores remissè, ac negligenter in visitationis munere sè gesserint: florebit verò viridis observantia, si rectè, exactequè omni postposito timore, & amore, DEI gloriam, & commune Religionis bonum præ oculis habentes, officia veri Visitatoris præstiterint. Quare omnis Visitatoris labor in duplicem scopum dirigi debet: primò quidem in abusuum, sivè relaxationum extirpationem: secundò in conservationem, promotionemque Regularis disciplinæ, quæ pace, & observantia tanquam duabus columnis, hisque firmissimis nititur, atque fulcitur. Quare omnis Visitatorum cura in conservandam pacem, & observantiam præcipuè collimare debet. Ideòque Regulam, Constitutio-

stitutiones, & Instituta benè nota Visitatores habere studebunt, ut possint aliorum defectus integrè agnoscere, ac exactius corrigere; Morum deinde gravitatem, ac vitæ integritatem, ac multò magis sanctitatem ita præ se ferant, ut quod aliis proponunt, suo exemplo sibi propositum in primis ostendant.

SERIES DICENDORVM.

DVplici modo, quantùm ad præsens attinet propositum, Visitator procedere potest, & debet. Primò præmittenda est illi inquisitio omninò generalis, qua in genere inquiritur; An subditi proprium Institutum, & Regulas accuratè observent? An fortè in earum observatione passim deficiant? An præterea relaxationes Regulæ, ac Constitutionum transgressiones impunè à Superioribus permittantur? Deinde descendere debet ad inquisitionem specialem. Est autem inquisitio specialis illa, in qua de certa persona, sivè de certo peccato inquiritur, v. g. An Petrus commiserit tale peccatum? Totus igitur visitationis progressus, tàm inquisitione generali, quàm speciali, circumstantiisque aliis, de quibus infrà, observatis inchoatur, ac perficitur. Quare quid ad utriusque generis inquisitionem pertineat, quatuor Tractatibus breviter absolvemus.

In PRIMO; qualiter debeat fieri inquisitio generalis, & quæ in ea peti, aut interrogari possint, & de tribus viis, nempè accusatione, denuntiatione juridica, & denuntiatione Evangelica (præmissis interim de correctione fraterna integro Tractatu, aliisque ad visitationem omninò spectantibus) per quas manifestari Superioribus delinquentium peccata solent, differemus. In SECUNDO; de modo speciatim inquirendi, tàm ad instantiam partis denunciantis, quàm ex proprio munere Prælatorum; ubi de prærequisitis ad juridicè instituendam inquisitionem plenè, favente DEO, agendum erit. TERTIUS vero Tractatus duo principaliter, quæ inquisitionem specialem consequuntur, continebit. Primò enim de modo formandi processum, de testium examine, deque à reo confessione exigenda dicemus. Secundò de sententia à Visitatore ferenda, ac de appellatione, quando, & quibus sit concedenda, qua poterimus brevitate pertractabimus. QUARTÒ demùm Tractatu pœnas malefactoribus secundùm delicti qualitatem infligendas: ne pro libitu Prælatis in hac parte excedere contingat, exponemus.

TRACTATUS I.

DE INQVISITIONE GENERALI, & de illis, quæ eam consequi solent.

PROLOGVS.

AB inquisitione generali Prælatorum visitatio initium sumere debet; Inquisitione verò generali præmissa, manifestari solent Visitatori peccata, si quæ sunt in illa domo, aut per viam accusationis, aut per viam denuntiationis juridicæ, aut tandem per viam denuntiationis Evangelicæ, quibus permoti Prælati ad inquisitionem specialem de culpa sibi revelatæ faciendam, juxtà regulas Iuris procedere debent, de qua quidem inquisitione sequenti Tractatu *disseremus.*

CA-

CAPVT I.

Inquisitio generalis quando, & à quibus Superioribus facienda.

IN unaquaque Religione à summo Pontifice approbata, sunt Prælati ordinarii, aut delegati, quorum jurisdictioni spirituali judiciariam potestatem esse annexam, asserit D. Thomas, *quodl.* 11. *art.* 3. quam Prælati possunt, & debent aliquando non aliter, ac Judices Ecclesiastici, aut sæculares in judiciali foro exercere. Hi autem Visitatores secundum uniuscujusque Ordinis instituta constituuntur, quorum quidem est, subditos corrigere, ac visitare. Inter hos autem summus & primus Visitator solet esse General is cujuscunque Religionis, qui per se, vel per alios universam Religionem visitare solet: deinde Provinciales in suis Provinciis jure ipso Visitatores sunt constituti: prædictis autem Visitatores delegati, vel à Generali, vel à Provinciali, meritò associantur.

Hi omnes jure communi, & divino tenentur, ut Rodericus docet, *Tom.* 2. *quæst.* 4. *art.* 4. suos Religiosos visitare, & corrigere, ut communiter DD. ex illo Lucæ, Cap. 12. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* aperte colligunt; quæ quidem verba, teste eodem Roderico, ad omnes Prælatos, quorum muneri animarum cura annexa est, extenduntur. Idem etiam humano jure, *Cap.* Romana, §. 1. *de Censibus in* 6. & *Can.* Relatum 11. *quæst. prima*: & expressius in Concilio Tridentino, 25. *Sessione, Cap.* 8. *de reformatione*: ubi de fine inquisitionis generalis, & de tempore, quo fieri debeat, sequentibus verbis omnes Religionum Superiores serio admonentur: *Teneanturque suæ Congregationis monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & ea observare, quæ in sacris Canonibus, & in hoc sacro Concilio sunt decreta,* & Cap. primo *ejusdem sessionis* graviter Visitatoribus injungit: ut *Ubi collapsa est vetus, & Regularis disciplina, instauretur, & constantius ubi conservata est, perseveret, præcipuè prout hoc decreto præcipitur, ut omnes Regulares, tam viri, quam mulieres ad Regulam, quam professi sunt, vitam instituant, & componant.* Et infra eodem capite; *Omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus & provincialibus, quam in eorum visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur. Nam si illa quæ sunt bases & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint observata, totum corruat ædificium, necesse est.* Hactenus Trident.

Vid. Judicem Regulã nost. Petri ab Angelo 1. part. c. 1. & Joã. à JESU MARIA part. 2. de Regimine monastico c. 27. & seqq. & 3. part. directorij Reg. Antonij à Spiritu S. disput. 3. sect. 1. & seqq.

Hanc verò inquisitionem generalem Provincialis ex officio saltem semel in anno, in unoquoque Conventu facere debet: nec tamen opus est, ut hujusmodi inquisitionem aliqua infamia, aut clamorosa contra aliquem insinuatio præcedat, ut communis DD. sententia tenet, & expresse constat ex prædicto Cap. *Romana*, & ex Tridentino superius adducto, ac ex Juribus antiquis, in quibus, omnibus Prælatis Ecclesiasticis ad purgandam Rempublicam, moresque in cœtibus hominum reformandos, id ipsum præcipitur: & cum nemini fiat injuria, cum hæc sit generalis inquisitio, in qua nihil in particulari circa singulares personas inquiritur: & ex alia parte in Communitatibus frequentet, vel motum emendatio, vel mali impeditio & aversio ex hujusmodi visitationibus sequatur; manifestè consequitur, hujusmodi inquisitionem generalem non modò esse licitam, sed omninò procuranda Regulari disciplina necessariam. Præterea cum hæc inquisitio generalis solum ad prospiciendum bono communi, & ut Communitas à criminosis purgetur, fiat, non opus est, ut accusatio, aut denunciatio alicujus præcedat; cum teneantur Superiores ex officio, nulla etiam instante parte, curare, ut Communitas purgetur.

Illud autem obiter, antequam ad ulteriora progrediamur, notandum erit; non teneri subditos in inquisitione generali, etiam interrogari, patefacere criminosos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant, ut communis DD. sententia tenet; nisi in illis casibus, de quibus inferius *quarto*, & plenius *secundo Tractatu* dicemus.

An verò teneantur Visitatores, quando ista inquisitione generali præcipiunt, ut culpæ eis manifestentur, admonere, & exprimere in suis edictis, & visitationibus, se illa tantum peccata inquirere, quæ laborant aliqua infamia? Respondendum cum Cajetano, *Opusc.* 17. *Resp.* 5. Visitatores non teneri; quia Superiorum mandata jam subintelliguntur, nihil contra jus naturale, vel divinum præcipere; quare omnino præsumendum erit, illos occulta non inquirere, ea inquam, quorum nulla est infamia, cum jure naturæ talia revelare prohibeamur; quam quidem Cajetani sententiam veram existimo, maximè si visitatio fiat in locis, ubi sunt Religiosi periti, qui facilè possint interrogantes instruere. An vero Prælati locales, quales sunt Abbates, Priores, Præpositi, sive Guardiani, possint sua Monasteria visitare, hoc non tam ex jure, quam ex particularibus uniuscujusque Religionis Constitutionibus constare debet.

Consulendi supra laudati Anton. à Spiritu S. loc. citat. sect. 5. n. 101. & seqq. & Petrus ab Angelis loc. supra cit. Cap. 11. §. 1. n. 1. & seqq.

Ex jure enim hoc solum compertum est, ut constat ex Gelasio Papa in *Epistola ad Opilionem*, ut refertur in Cap. *Nullam* 18 *q.* 2. omnem Monasterii potestatem apud Prælatum residere, non solum in his, quæ ad Monasterii commodum, aut regimen temporale spectant: sed in illis etiam, quæ ad spirituale incrementum, & jurisdictionem reducuntur; nam cum Religio sit quædam schola addiscentium perfectionem, medio Superiorum magisterio & doctrina, omnino fuit necessarium, ut apud Religionis Prælatos hujusmodi jurisdictio reperiretur, qua suorum subditorum conscientiis possent consulere, Verbum DEI proponere, confessiones audire, Sacramenta ministrare, & andem reliqua media ad propositam sibi perfectionem conducentia ex officio applicare, quibus etiam judiciaria potestas annexa est, ut asserit D. Thom. *Quodlib.* 1. *art.* 16. dum ait: *Prælatus in Capitulo præest sicut Judex Ecclesiasticus in judiciali foro.* Hæc tamen judiciaria potestas, vel Constitutionibus, vel consuetudine ipsa Religionis, Prælatis immediatis, & localibus merito quantùm ad graviores defectus corrigendos, limitata esse solet: quare ipsis subditorum quotidianas culpas in Capitulo, vel extra corrigere, ac singulos sibi subditos in officio continere, competit.

CAPVT II.

Qualiter à Visitatore debeat fieri generalis inquisitio, atque De initio, aliisque præambulis Visitationis.

ACcedens Visitator ad Conventum, ut illum visitet, non patiatur se extraordinario apparatu excipi, nec præter ordinariam communis vitæ rationem in victu, & vestitu sibi quidquam parari permittat: gravitatem præsertim in actu visitationis ita retineat, ut auctoritatem, quam ejus munus postulat, servare possit.

Methodus traditur in visitatione observanda, à quibuscunque visitatoribus.

Primo post adventum die, Missam de Spiritu sancto, reliquis diebus orationes pro salutari visitatione fieri mandabit.

Non statim visitationem exordiatur: sed ut Constitutiones nostræ statuunt, prius per aliquot dies se omnibus communicandum exhibeat, singulos alloquens insigni charitatis demonstratione, ut omnes fidenter ad eum recurrere audeant; omnia præterea occultè circumspiciat, & patrem potius, quam judicem se exhibeat, præsertim ubi monastica viget disciplina; cum ibi admissæ non tam malitiæ, quam fragilitati, frequentius adscribendæ sint.

His peractis Capitulum manè convocet, & dicto hymno, *Veni Creator*, &c. plenam charitate exhortationem habeat, in qua omnes ad perfectionis studium adhortetur: moxque præcepto secundum formam Constitutionum imposito, qualiter se in ejus executione gerere debeant, (si opus fuerit, ne Charitas offendatur) admonebit, sicque Capitulo finito dimittet omnes ad cellas.

Incipiat visitationem à Templo, cujus ostio clauso videat, quomodo custodiatur Sanctissimum Sacramentum, & sacrum infirmorum Oleum, & Sanctorum Reliquias visitabit; nihil tamen ex illis auferet: sedes quoque Confessariorum, & alia, quæ tam in Templo, quam in Sacristia ad divinum cultum spectant, inspicier. Visitabit etiam omnes officinas, præcipuè Infirmariam, infirmosque consolabitur, & si quid desit, ab Officialibus scisciabitur, ac de medio providebit, & si quid superfluum offenderit, relegabit; super omnia de spirituali Conventus, & singulorum Fratrum progressu investigabit: quod ut præster, vocet omnes sigillatim, & ordine, quo ei magis convenire videbitur: & seorsim omnes & singulos juxta catalogum infra ponendum, memoria potius, quam scripto interroget, & quæ advertenda judicaverit, ea breviter scribat.

In hoc examine incipiat à Priore, à quo petere debet, ut ea, quæ de statu Conventus, aut de Religiosis, aut de qualitatibus eorum noverit, sibi sincere referat. Præterea ab ipso brevem uniuscujusque Religiosi informationem accipiat: deinde incipiens ab antiquioribus, singulos vocet eo ordine, quo magis ei convenire videbitur, eosque interroget, juxta formam sive catalogum inferius præscriptum; sed in his interrogationibus se omnibus amabilem exhibeat, & benevolum, ne alicujus mentem suscipio subeat, quod ob sinistras aliquas informationes minus hilarem vultum ei ostendat: singulosque ad se venientes benignè excipiat, & patienter audiat; ratò tamen in confessione sacramentali, sed si opus fuerit, ad alium confessarium remittat. In hoc autem examine præstando expedit, ut sit solus sine secretario, ut visitati liberius aliorum defectus audeant revelare.

Visitationes præteritas, ac decreta, sive mandata eis ab aliis Visitatoribus impositа petat, & de eorum observantia diligenter inquirat.

Libertatem, fidemque in manifestandis his, quæ ad fructuosam visitationem spectant, omnino tueatur, ita ut quisque sine gratia, & sine metu, quæ sibi opportuna videbuntur, patefaciat; si quis autem deprehensus fuerit alium deterrere, aut quavis ratione impedire, quo minus ad ipsum liberè quidquam deferatur; aut verò ei, qui aliqua detulit, quidquam objicere; pro ratione culpæ ab ipso graviter puniatur. Horteur omnes ad veritatem sincerè dicendam; ne si taceant, ipsis damnum, quod forsan contra commune Religionis bonum eveniet, imputetur: sic autem rerum veritatem inquirat diligenter, ut nequaquam exigat ab aliquo, quod per sacram doctrinam, nec ipse exigere, nec aliis ipsi propalare possint; ad quod præstandum, praxim Visitatoris ex sacra Theologia diligenter collectam, & inferius positam, ad unguem (ut ajunt) observabit: Quæ autem inquirere debeat ad spiritualem profectum Conventus, ex subjecto catalogo colligere poterit.

CAPVT III.

Catalogus eorum, quæ in visitatione peti possunt pro communi Religionis, seu Conventus utilitate.

IN nostra quidem Religione, ac similiter in aliis, ubi expedire videbitur, sequentia inquiret. 1. Si quid contra DEI legem acciderit, præcipuè, an sit aliquis defectus in charitate, & an inter Fratres pax & concordia vigeat? 2. De observantia trium votorum Obedientiæ, Castitatis, Paupertatis. 3. An erga Superiores amor, & debita obedientia observetur, & an in aliquo inobedientiæ, vel proprietatis vitium, aut aliquid parum honestum noverit? 4. De accurata nostræ Regulæ observantia quærat, maximè de studio Orationis mentalis, uti de præcipuo Instituti nostri scopo: & an ad illam, & alios Chori, sive Communitatis actus ferventer accurrator. 5. De officio divino, an studiosè, & cum debita pausa persolvatur? 6. De aliis Regulæ articulis, ut de jejuniis, de abstinentia carnium, de silentio maximè post Completorium. 7. De jugi in cella mansione sedulò petat, & an sæpè extra Claustrum prodeant? & de nimia cum sæcularibus, præcipuè cum feminis familiaritate, & conversatione, tam intra, quam extra domum? 8. Serventurne exactè propriæ Constitutiones, Ceremoniæ, Decreta, & Ordinationes à Superioribus traditæ? 9. An Prælatus vitam communem cum aliis, ita ut sanus cum sanis, infirmus cum infirmis, ac æqualitatem, tam in victu, quam in vestitu,

vestitu, & aliis servet? 10. De exemplo & doctrina Prælatorum, & an singulis octo diebus Capitulum Conventuale celebretur, & subditis, tam in necessitatibus spiritualibus, quam in corporalibus paterna charitate subveniatur? 11. An de rebus omnibus sufficienter, & æqualiter, inspectis ætatibus, & necessitatibus, omnibus provideatur, maximè debilibus & ægrotis? præcipuè petat, an spiritu paterno oves sibi commissas, tam in temporalibus, quam in spiritualibus regat & gubernet: vel potius in spiritu vehementi, & virga ferrea, ita ut subditi non audeant ipsum adire, eique confidenter cor suum, suasque necessitates corporales aperire? Et an communiter omnibus amabilem se præbeat, & æqualitatem erga omnes ita servet, ut saltem exterius non videatur personarum acceptator. 12. Quomodo officiales domus se gerant in suis officiis? 13. An exercitia spiritualia à singulis juxta nostras Constitutiones quotannis fiant, ac uniuscujusque spiritum exploret? de Orationis modo, de præsentia DEI, de passionum mortificatione, tentationesque scisciari studeat. In domo maximè Novitiatus præter hæc inquirat de recta Novitiorum educatione, & an Magister regulas in Instructione descriptas observet?

Idem faciat proportionaliter in Collegio circa literarum profectum, & an Prior, & Magister Regulas pro studiis ipsis datas exactè observent. Præterea examinet libros computi, & sub præcepto visitationis petat, tam à Prælato, quam à Discretis veram, & apertam, tam accepti, quam expensi rationem: & præterea quibus debitis Monasterium gravetur, & præcipuè hoc debet præstare in Monialium Conventibus.

Hoc Catalogo continentur ferè omnia, quæ inquiri debent. Sed ex his, quid à singulis rogandum sit, prudentiæ Visitatoris relinquitur; non enim hæc omnia omnibus proponenda sunt. Si judicaverit expedire, ut aliqua sibi majoris momenti scripto dentur, scripta servet diligentissimè, caveatque ne minimo quidem indicio eos, qui sibi aliquid produnt, referat.

In visitatione verò Monialium eadem ferè proportionaliter quæri possunt: præcipuè petat de Confessariis, (maximè si sint sæculares) de eorum vita, & conversatione, & an aliquam familiaritatem sæcularem cum aliqua Moniali habeant? Deindè sedulò scrutetur, an in victu, & vestitu sit aliquis abusus, vel diversitas? & an sæculares, sive Religiosi frequenter cum Priorissa, vel alia conversentur? Clausuram diligenter inspiciat: confessionaria, tam intus, quam foris, totasque introspiciat: præterea de bonis temporalibus, ac Monasteriorum redditibus attentè perquirat, & omnes computorum libros evolvat. Demum in fine visitationis, tam Religiosorum, quam Monialium præcipiat, ut nemo agat ullo modo amplius de culpis in visitatione correctis, inquirendo quis fuerit denunciator, aut quis omiserit denunciare, vel indicare aliquid Prælato.

CAPVT IV.

De tribus viis, quibus subditi possunt defectus, quos noverint, Visitatori manifestare.

DIximus de examine, & interrogationibus à Prælato faciendis: restat, ut modum, & viam explicemus, quam subditi in manifestandis aliorum culpis tenere debent, ne facilè in re tanti momenti aberrare contingat.

Tribus modis possunt defectus in visitatione Prælato visitanti manifestari.

Trifariam potest quis in visitatione alterius culpam Prælato manifestare, 1. *Via accusationis*, scilicet quando quis defert crimen in libello accusatorio ad publicam vindictam legitima interveniente subscriptione. 2. *Via denunciationis juridica.* 3. *Per viam denunciationis evangelicæ.* Versatur autem discrimen non modicum inter hanc triplicem viam; nam, ut ab accusatione, & denunciatione judiciali incipiam, hæc inter se in multis differunt. Primò, quia accusatio est delatio criminis ad Judicem gratia punitionis delicti, cum obligatione probandi delictum: judicialis verò denunciatio est manifestatio criminis juridicè facta Prælato, ut ipse, servato juris ordine, corrigat, puniat, ac bono communi, prout sibi videbitur expedire, prospiciat. 2. differunt, quia debet fieri in scriptis accusatio: denunciatio verò sufficit, si fiat solo verbo, ut colligitur ex *Cap.* Super his, *extra, de judiciis.* 3. Quia accusator tenetur probare, & si deficiat in probatione, pœna talionis mulctari debet: denunciator verò non tenetur ad probationem, sed Judici tantum delicta manifestare, Prælati conscientiæ, ac zelo probandi onus relinquens, ut inferius differemus.

Accusatio & denũciatio judicialis, in quibus differant.

Legend. Petrus ab Angelis lib. supra cit. 1. par. cap. 9. & 10. & Anton. à Spiritu S. Tract. 4. directorij Regular. disput. 3. sect. 6. & 7.

Præterea accusatio, & denunciatio judicialis differunt, nam accusator nunquam potest assumi in testem: denunciator verò judicialis potest esse simul, & denunciator, & testis, prout apertè colligitur ex *Cap.* In omni negotio, *de testibus*; Docent Soto, de *secreto, membro. 2. q. 4. part. 4.* & *lib. 5. De Justitia, quæst. 6. art. 2. concl. 4.* Navarrus in Rubrica *de judiciis n. 19.* & nos inferius *Tract. 2. Cap. 8.* plenius probabimus.

Denũciatio judicialis & Evangelica in quibus discrepent.

Denunciatio judicialis, & Evangelica, (omissa nunc accusatione, quam ab Evangelica denunciatione differre dubium non est) multum etiam inter se differunt; nam in Evangelica, nunquam judiciali processui datur locus, neque ullum judicii strepitum admittit, sed regulariter movet Prælatum ad solam paternam delinquentis correctionem, emendamque, vel ad summum potest aperire viam judici, vel per famam, vel per aliud æquivalens, ut ipse novum instituat procedendi modum, per viam inquisitionis ex munere, servatis tamen servandis, ut *infrà Tract. 2.* dicemus. In denunciatione verò judiciali semper judicialiter poterit procedere Prælatus, si ei expedire videbitur. Præterea in Evangelica non exigitur à denunciatore, neque à testibus juramentum: in judiciali verò, & à reo, & à testibus postulatur. Demum (ut uno verbo concludam) in judiciali omnia substantialia judicii observari debent, quæ tali procedendi modo competunt: in Evangelica nihil aliud requiritur, quam charitativus & paternus affectus ad corrigendos delinquentes, forma inferius à nobis præscribenda.

Præterea denunciatio juridica contingere potest, quando impositio præcepto à Visitatore, ex vi illius præcepti denunciat quis juridicè, vel publicum, vel secretum peccatum. Secundò etiam contingit, cum nullo præcepto impositio denunciantur Prælato similia peccata. Prima & secunda denunciatio propriè dicitur judicialis; quia fit Prælato, tanquam judici. Potest etiam publica appellari, quia fit ad publicam utilitatem, hoc est, ad punitionem criminis. Quibus adjungi potest privata denunciatio, quæ fit, ut quisque habeat sui damni compensationem. Eodem fermè modo Evangelica denunciatio fieri potest, sivè impositio præcepto, sive non, qua Prælato manifestatur peccatum, tam privatum, quam publicum, tam ut bono communi, quam ut utilitati privatæ spirituali consulatur; prout latius explicabimus inferius *à Capite 5. hujus Tractatus.*

Omissa verò nunc accusationis forma, utpotè quæ Religiosorum paci, & tranquillitati minimè videtur expedire, ac proinde relegenda omnino est à Religionibus Reformatis, & benè institutis. Quare meritò in aliquibus Regnis, ut in Regno Galliæ, & aliis Rebuspublicis non permittitur accusare, cum nullum sit crimen, quod non possit per viam denunciationis juridicæ manifestari, ac per ejus punitionem bono communi sufficienter consuli. De utraque igitur denunciatione, tam juridica, quam Evangelica, sed prius de Evangelica, dante DEO, disseremus.

CAPVT V.

De denunciatione Evangelica Prælato facienda, non ut judici, sed ut patri: & prius de correctione fraterna.

Denunciatio Evangelica, qua & quid sit, & quãdo obliget.

Solent Doctores inter denunciationes Prælato faciendas denunciationem Evangelicam priori loco annumerare: est autem Evangelica denunciatio, peccati alicujus apud Prælatum manifestatio, non ad punitionem, sed potius ad emendationem fratris ordinata; vel ad evitandum, vel resarciendum damnum Reipub. vel tertii, ubi opus fuerit: cum qua coincidit denunciatio canonica, ut Doctores affirmant: hæc autem locum habet, quando peracta fraterna correctione, fratre non emendato, recurrit corrigens ad Prælatum, denunciando illi peccatum, ut delinquens ab ipso paternè corrigatur, & damno imminenti, vel illato provideatur: & quia hæc denunciatio fraternam correctionem præsupponit, ideo prius de correctione fraterna disseremus; quia ubi est locus correctioni fraternæ, ultrà non est progrediendum.

Correptio fraterna cadit sub præcepto obligante, jure divino, sub mortali.

Prima conclusio: Correctio fraterna jure divino cadit sub præcepto obligante sub peccato mortali. Conclusio est communis omnium Theologorum *in 4. dist. 18.* & D. Thomæ 2. 2. *q. 33. art. 2. & 6.* Probatur primò ex illo Matthæi 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe illum, &c.* Conclusio est de fide, ut docet Valentia, *disput. 3. q. 10. puncto 2.* Hanc probat D. Thomas, *q. 33. art. 7.* & Disputatis, *q. de correctione fraterna art. 2.* Primò, quia ex præcepto tenemur ad dilectionem proximi; dilectio autem eò præcipuè tendit, ut ei quem diligimus, bonum velimus; nam amare aliquem, nihil aliud est, quam velle ei bonum.

Triplex bonum hominis assignatur, & declaratur.

Triplex autem est hominis bonum: aliud exterius, quod in exterioribus consistit, quod inter alia bona minimum est; & secundum hoc bonum, tenetur homo subvenire proximo per eleemosynæ corporalis largitionem. Aliud est bonum hominis, quod est bonum corporis, in quo etiam tenemur in corporalibus homini opem ferre. Tertium verò, & principale bonum est bonum virtutis, cui contrariatur malum peccati: ad hoc autem bonum consequendum, vel malum vitandum tenetur homo plusquam in aliis bonis ex charitate proximo auxilium ferre; & eò præcipuè, quantò magis spectat ad rationem dilectionis ex charitate: & ideo tenetur homo ex præcepto dilectionis, proximo auxilium ferre ad virtutem consequendam; & fratrem in peccato existentem retrahere, ipsum corrigendo.

Primo, solenda consulta proximi, deinde fama.

Secunda conclusio: In correctione fraterna primò consulendum est conscientiæ proximi, deindè secundariò ejus famæ. Ita D. Thomas *loco citato ubi supra*, & probat sequentibus rationibus. Prima pars probatur, quia finis correctionis fraternæ est emendatio proximi, quem intendimus à peccati periculo liberare. Duplex autem periculum imminet homini ex peccato, nempè periculum conscientiæ, & periculum famæ. Hæc autem duo ita ad invicem sunt ordinata, ut conscientia omninò famæ præferatur. Hoc igitur ordine Dominus voluit correctionem fraternam fieri, & primò quidem, si possibile sit, conscientiæ fratris provideatur per correctionem fraternam, ita ut in nullo fama lædatur: deindè quia conscientia est famæ præferenda, si aliter frater emendari non potest, quam cum dispendio famæ, ea de causa ordinavit Dominus, ut publicè denuncietur; Quod si stat im ad publicam denunciationem procederetur, frater pateretur dispendium suæ famæ, quod quidem evitari omnino debet.

Fama quam sit bonum necessaria, tum propter seipsum, tũ propter alios.

Confirmatur 1. quia fama unicuique est necessaria, tam propter se ipsum, quam propter alios.

In primis propter seipsum, quia bona fama est præcipuum inter exteriora bona; & secundum illud Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*, ea quidem ratione, quia bona fama reddit hominem idoneum ad humana officia exequenda in conversatione humanâ. Et ideò dicitur Eccli. 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni.* Sicut igitur peccaret, qui absque necessitate causaret dispendium divitiarum; ita quidem multo amplius, si esset causa dispendii famæ, absque necessitate ejus peccatum publicando.

Præterea fama homini est necessaria; quia propter conversationem famæ, homo multoties abstinet à peccatis; Quare cum aliquis videt se famam amisisse, pro nihilo ducit peccare. Unde Hieron. super Matth. *Corripiendus est seorsim frater; ne si semel pudorem, aut verecundiam amiserit, permaneat in peccato.*

Nec solum propter seipsum fama est necessaria unicuique; sed etiam propter alios. Primò, quia homines peccatum alicujus audientes, scandalizantur, & contemnunt quandoque non solùm

solùm peccantem, sed & alios ejusdem Ordinis. Unde August. optimè in *Epist. ad Plebem Miconeo sim* scripsit: *Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instanter satagunt & ambiunt, ut de omnibus hoc credatur.* Hæc August. Quæ maximè procedunt de Religiosis imperfectis & teptidis, qui ex aliorum defectibus, & amissa fama dis, non parvam in suis relaxationibus consolationem habere solent.

Secundò, quia ex peccato nimis publico multi provocantur ad peccandum; & ideò sub præcepto cadit, ut non prius aliquis ad denunciationem procedat, nisi prævia fratris correctione. Hæc ferè omnia ex D. Thoma, *dicto art. 2. in corpore.*

Tertiò, quia licet regulariter sit utilis Religioni criminum & peccatorum punitio: id tamen absolutè non procedit, quando crimina sunt occulta: tunc enim utilior est Religioni conservatio famæ, & honori subditorum consulere, quam intempestiva infamia, aut punitio, qua læpè turbantur Religiones, & aliquando Religiosi insignes privari solent maximis bonis.

Præcepta alia sunt affirmativa, alia negativa; quod interest discrimen. Præcepti corrept. fraterna est affirmativi.

Tertia conclusio: Præceptum correctionis fraternæ est præceptum affirmativum. Ita docet D. Thomas 2.2 *q. 33. art. 2.* & in Disput. *art. etiam 2. ubi supra.* Pro qua conclusione suppono, præcepta esse in duplici differentia; alia sunt affirmativa, alia negativa. Præcepta negativa, ut docet D. Thom. *art 2. in corp.* prohibent actus vitiorum; & ideo obligant semper, & ad semper, ut non fiant. Præcepta verò affirmativa inducunt ad actum virtutum, ad cujus rectitudinem multæ circumstantiæ debent concurrere, ad hoc ut actus sit virtuosus, & fiat ubi debet, & quando debet, & quomodo debet: quia dispositio eorum, quæ sunt ad finem, attenditur secundum rationem finis; correctio autem fraterna ordinatur ad fratris emendationem, tanquam ad finem; ideoque hoc modo cadit sub præcepto, nempe suppositis circumstantiis debitis respectu hujus finis.

CAPUT VI.

Quæ sint circumstantiæ, quæ concurrere debent, ut correctio cadat sub præcepto?

Quare, & quam sit difficile assignare circumstantias requisitas, ut correptio fraterna obliget sub præcepto.

HAs autem circumstantias, ut inquit D. Tho. *dicto art. 1.* in Disp. *Non est possibile determinare sermone; eò quod eorum judicium in singularibus consistit, & pertinet ad prudentiam, vel experimento & tempore acquisitam, vel magis infusam, secundum illud Joan. 3. Unctio docebit vos de omnibus.* Hæc D. Thom. Et quamvis D. Thom. speciatim non determinet has circumstantias, Doctores tamen meritò eas ad septenarium numerum reducunt, quibus concurrentibus, certum est obligari nos sub mortali ad corripiendum proximum.

Septem assignantur conditiones,

Prima igitur circumstantia est, ut qui corripere vult, sciat certò, aut probabiliter peccatum proximi: neque est necessaria notitia evidens peccati, ut constat ex communi sensu, & usu piorum, & doctorum hominum; quia ad operandum prudenter, sufficit probabile & prudens indicium; quia cum multa peccata sint, quæ vix possunt evidenter cognosci, quamvis probabiliter, & maximè prudenter ex circumstantiis possint deduci: non tenetur quis, si privata persona si, inquirere aliorum peccata, ad eum finem ut corripiat; sicut rectè docet D. Thom. 2.2. *dicta q. 33. art. 2.* quia non cuivis integrum est, exploratorem agere vitæ alienæ; ad hoc enim tantum tenentur hi, quibus peculiariter incumbit ex officio cura aliorum.

seu circumstantia necessario requisita, ut hoc præceptum obliget sub mortali.

Secunda circumstantia est, si constet proximum ab illo peccato non resipuisse, nam ut benè advertit Sylvest. *verbo*, correctio. *num.* 2. correctio non est necessariò facienda, nisi de peccato, in quo quis perseverat, aut quod alioqui committurus videatur: nam si planè sit præteritum, neque eo amplius proximus sit obstrictus, potest quidem corripi juridicè, & puniri à Prælato propter bonum commune, non autem fraternè corrigi; nam correctio fraterna solùm tendit ad privatum bonum proximi, removendo ab eo culpam: quod quidem non habet locum, quando proximus resipuit.

Tertia circumstantia est, ut sit spes, correctionem fore utilem; quia si non est spes certa vel probabilis, non obligatur ad correptionem; quia ut colligitur ex doctrina D. Thom. *dicta q. 33. art. 2.* quod non est ex præcepto necessarium, nisi ut conducit ad aliquem finem; minimè est necessarium cessante tali fine: ac correctio fraterna non est ex præcepto necessaria, nisi prout conducit ad emendationem fratris, tanquam ad finem: Igitur non erit correptio ex præcepto necessaria, cum talis finis cessat. Et confirmari ex eo potest; Quia præceptum eleemosynæ corporalis non obligat ad elargiendam rem, quæ non est futura utilis ad sublevandam miseriam corporalem proximi; sic neque correptio, quæ fit ad sublevandam miseriam spiritualem fratris, quando reputatur non necessaria ad talem effectum.

Sed dubium est, an sit necessaria certa spes, quod correptio sit futura utilis, vel sufficiat spes dubia? Cajet. in *Summa*, verbo, *correctio.* tenet, non sufficere dubiam, sed necessariam esse certam spem. Nobis verò placet, sufficere spem probabilem, & prudentem; juxta ea quæ nuper diximus.

Quarta circumstantia est, si non timeatur proximus evasurus absolutè ex nostra correctione deterior. Quia quando quis nihil se effecturum apud proximum judicat, imò illum deteriorem evasurum, si corripiatur; tunc enim certum est, non teneri quempiam corripere proximum: sed potius debere propriam correptionem intermittere, ut D. Thom. *dicto art. 6.* affirmat, & docet August. *lib. 1. de Civit. Dei Cap. 9.* Ubi affirmat, potius ad charitatem pertinere: *Ut quis corripiendis malè agentibus parcat; quia metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur.* Dixi absolutè *deterior*; nam si tantum putatur futurus deterior ad breve tempus, ægrè scilicet ferendo correptionem, postea autem omnino ad se rediturus, & beneficium correptionis agnituros, & planè se emendaturos; corripiendus esset, ut notat D. Thom. *in 4. dist. 19. q. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ad 5.*

Quinta circumstantia excusans à correctione fraterna est, quando prudenter judicamus ab alio sufficienter corripiendum, vel sua sponte se emen-

mendaturum ; tunc enim non tenentur eum corripere; ut notat Cajet. in *Summa*, verbo *correptio*. Et probari potest à simili: Quemadmodum enim non tenetur aliquis exhibere eleemosynam corporalem ei, cui novit ab alio subventurum iri; ita pariter in nostro casu.

Sexta circumstantia. Si non adsit spes, in alio tempore, & meliori opportunitate futuram nostram correctionem fructuosiorem proximo; tunc tenemur ipsum statim corripere, alias consultius esset in aliud tempus differre. Ita D. August. *de Civit. Dei lib.* 1. *Cap.* 9. & D. Thom. *dicta q.* 33. *art.* 2. & communiter alii Theologi *in* 4. *dist.* 19. Quia cum correctio fraterna ordinetur in profectum spiritualem proximi, qui correctionem differt ob majus bonum fratris, non facit contra præceptum correctionis.

Septima circumstantia. Ut peccatum sit mortale, vel saltem veniale, tale ex quo immineat ei periculum peccandi mortaliter; nam ad correctionem venialis simplicis, nullus tenetur.

Utrum teneamur corripere proximũ constitutũ in periculo peccandi venialiter

Dubium tamen oritur, an sit obligatio corripiendi, quando frater solum est in periculo peccandi venialiter? Aliquorum opinio tenet, esse obligationem sub veniali corripiendi proximum, quando est in periculo repetendi veniale peccatum ex consuetudine.

Hujus sententiæ fuit Sotus *lib. de tegendo secreto. q.* 2. *concl.* 3. Cajet. in *Summa*, verbo, *correptio*, & alii non contemnendi Auctores. Communis verò est contraria sententia, scilicet non esse obligationem corripiendi fratrem ob solum periculum repetendi peccatum veniale. Hanc sententiam tenet Sylvest. *verbo*, correptio, *q.* 1. & Bañes. 2. 2. *q.* 33. *art.* 2. *dub.* 2.

Ad hoc nõ tenentur privati homines, nisi peccatum illud veniale esset proxima dispositio ad mortale. Tenentur tamẽ Prælati, in pluribus casibus, etiam veniales, sub gravi culpæ reatu, defectus corrigere. Ad quos alios hac doctrina extendi posset, & debeat.

In hac dubitatione 1. certum est, neminem (si de privatis hominibus loquamur) teneri sub mortali ad correctionem venialis peccati; nam peccatum veniale quodcumque illud sit, est miseria levis, & ita non erit mortale omittere correctionem hujusmodi; secundò videtur valde dubium obligari quemcumque etiam sub veniali, ad corripiendum fratrem constitutum in periculo repetendi veniale peccatum; potius enim causaret turbationem in communitatibus tam frequens correctio, quam utilitatem aliquam vel profectum spiritualem. De Prælatorum verò obligatione mihi placet sententia M. Bañes *loco citato*, qui duo docet. Alterum, Superiores Religionum obligari sub mortali ad reprehendendas consuetudines aliquas contrarias Religioni. Quæ sententia placet viris doctis; quia permittere peccata venialia, vel defectus contra Regulas & disciplinam Religiosam, redundare potest in magnum detrimentum ipsius Religionis; Et idem sentiendum de obligatione Prælati ad reprehendendum subditum fraterna correptione propter aliquod genus peccati nocivum Religioni, v. g. propter impudica aliqua verba, aut quid simile, quod Religiosos maximè dedecet.

Quæ omnia vera sunt, nisi alias peccatum veniale esset proxima dispositio ad mortale; quia tunc proximus est in gravi periculo, & necessitate. Ita Sylvest. *verb.* correctio *q.* 1. & alii Auct. quos citat, & sequitur P. Azorius *Tom.* 2. *lib.* 12. *Cap.* 14. *q.* 4. Unde non est dubium, quin aliquando peccatum veniale possit esse sufficiens materia charitativæ correctionis, etiam sub præcepto, ut bene advertit P. Suarez in *Tract. de charitate, disp.* 8. Quod quidem præceptum strictius obligat eos, qui tenentur ex officio & justitia alios corripere; quales sunt Prælati Religionum, qui ex officio, ut erudirè advertit Magister Soto, *membro.* 2. *q.* 2. *concl.* 3. tenentur curare non solum, ut subditi vitent mortalia, sed etiam ut ad perfectionem tendant, ac præterea ut vitent impedimenta, quæ obstare possint. Quare si Prælatus nimis se negligenter gerat, & maximè si defectus sint generales Communitatis, vel ex eis aliqua relaxatio alicujus Constitutionis imminear, potest esse obligatio sub peccato mortali ad corrigenda illa.

Quam quidem doctrinam apertè docet P. Suarez, *ubi supra*, quæ obligatio ex mente ipsius meritò etiam extendi debet ad alias personas, quæ in aliquibus actionibus vices Prælatorum gerunt, quales sunt Zelatores, vel illi, qui constituti sunt ad observandos aliorum defectus; quamvis cæteri de Communitate non teneantur aliorum vitam scrutari, neque effici exploratores vitæ aliorum; contra id quod dicitur Proverbiorum 5. *Non quæras impietatem in domo justi*, ut bene in hoc proposito docuit S. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 1. *ad* 4. Cajet. in *Summa*, verbo, *correctio fraterna*, imò neque illi, qui constituti sunt à Superioribus Zelatores aliorum defectuum, debent esse nimis solliciti ad inquirendum aliorum culpas: sed sufficit, ut beneficium correctionis impendant illis, qui sibi occurrunt, vel quorum culpæ notæ sunt in Communitate, ut expresè docet D. Thom. *ubi supra*, & nos planius in *Expositione nostra Reg. Cap.* 10. *dub.* 2. tradidimus.

CAPVT VII.

Exponuntur aliæ circumstantiæ servandæ in correctione fraterna

PRæter dictas circumstantias, oportebit expendere alias non minus utiles ac necessarias; scilicet personæ corrigendæ, corrigentis, peccati commissi, Prælatorum facienda est denunciatio; &c. ex his enim circumstantiis benè pensatis facilè poterit colligi, quando aliquis per se, vel per alium debeat fratris emendationem curare; nam si delinquens sit persona gravis, ut potè Prælatus, Senior, Doctior; & corrigens omninò sit inferior ac ornatæ, scientiæ, ætate, &c. vel si peccatum sit conjunctum cum occasione reincidentiæ, à qua solus Prælatus possit liberare; tunc non debet facilè quis sperare fratris emendationem, poteritque in illo casu immediatè Superiori denunciare denunciatione Evangelica, de qua infra.

Circumstantiæ ex quarum consideratione pendet correctionis obligatio.

Si verò persona corrigentis excedat in qualitatibus supradictis delinquentem, & possit illum præservare à reincidentia; tunc ex præcepto tenetur per se ipsum corrigere delinquentem, quia tunc est probabilis emendationis spes; nisi alias delinquens sit natura protervus, vel delictum talis naturæ, aut conditionis sit, ut vix ulla de eo sperari possit emendatio. Nam ut benè advertit Salon, *de Just. & Jure q.* 68. *art.* 1. *controv.* 2. Quædam sunt delicta, in quæ qui sciens & prudens labitur, difficillimè solet ab eis recedere, aut revocari, ob malitiam animi, & mentis cœcitatem, quam solent similia vitia secum adferre; aut

aut ob inveteratam consuetudinem, talia committendi delicta. Qua ratione sicarius, latro homicida, talibus delictis inveterati rarissimè convertuntur, juxta illud Hieremiæ Cap. *Si potest Æthiops mutare pellem suam?* Quare in his, & similibus delictis nemo debet de se tantum præsumere, ut putet tales malefactores posse sua correctione emendare; nam licet simpliciter id sit possibile, moraliter tamen id rarissimè accidit: & de moribus hominum debemus judicare secundum illa, quæ communiter, & frequentet accidunt.

Huic sententiæ expressè favet Cajet. *Tomo 1. Opusculorum Tract. 31 responsi. 5. ad primum.* Ubi agens de delictis, quæ vergunt in perniciem publicam, in quibus delinquentes tenentur complices manifestare, ita scribit: *Nisi forte probabiliter crederetur correctione fraterna eos amplius non peccaturos: quod non facilè credendum est de Religiosis, præsertim hujusmodi sceleribus irretitis: sed dubitandum potius videtur, quod fingent se emendare. Et propterea tutius est in hujusmodi casibus Prælato petenti per se, vel per alium denunciare, &c.* Hæc Cajet. Cujus quidem verba in elligenda sunt tantum de Religiosis induratis, & protervis: regulariter tamen loquendo de aliis sperari potest, & debet correctio; cum frequentius non peccent malitia, sed vel ignorantia, aut ex fragilitate.

Similiter, inquit idem Salon, sunt quædam peccata, in quibus si aliqua mora in eorum obviatione intersit, bonum commune maximo periculo exponitur, cujusmodi sunt hæresis, proditio Civitatis, &c. quibus nisi cito occurratur, breviter executioni mandabuntur, & forsitan, dum in delinquentis correctione immoramur, bonum commune periclitabitur. Præstat igitur juxta prudentiæ leges bono communi, accusando delinquentes, prospicere, quam eorum particulari bono consulendo, spe correctionis accusationem differre; præcipuè cum certus sit, eos non convertendos, imo si admoneantur, cautius & secretius nocituros. Nam ut benè advertit D. Thom. in Dispur. art. 2. ad 10. *In talibus, in quibus mora denunciationis est periculosa, non oportet expectare admonitionem, sed statim procedere ad denunciationem; neque hoc est contra præceptum Christi; Nam non est solum in te, sed in multos. Dominus autem dicit: Si peccaverit in te frater tuus, &c.* Dix: *sciens & volens*, ut excludam eos, qui ob ignorantiam, aut aliorum deceptionem in similia delicta labuntur; nam hi facilius de sua ignorantia resipiscunt.

Hactenus de circumstantiis diximus, quæ variari possunt; quia non semper, sed quandoque observari debent. Dicamus jam de aliis, quæ invariabiles esse debent.

Prima earum est, Ut correctio, quæ est actus misericordiæ, & charitatis, non acerbè, sed quantum fieri potest, cum lenitate, & humilitate suaviter fiat; nam ut benè advertit, S. Gregor. Nazianz. in *Oratione de moderatione in disputationibus habenda*, agens de forma observanda in correctione fraterna, inquit: *Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idque leniter, & humanè, non ut hostis, neque ut durus, & rigidus Medicus, neque ut sectionibus tantum, & cauterio adversus morbum sciens grassari, partim te ipsum accuses, infirmitatisque tuæ tibi conscius sis.*

Quare Theologi exemplo boni Medici spirituale hanc curationem meritò explicarunt. Nam sicut Medicus saluti, & incolumitati corporis ita debet prospicere, ut quoad fieri possit, id faciat sine detrimento ullius membri, nisi forsan opus esset pro salute tuenda ailquod membrum minus præcipuum resecare: vel qui olei unctione posset vulneri mederi, vellet illud ignis adustione curare. Ita pari modo qui proximum corripit, debet procurare salurem spiritualem ipsius sine detrimento illius boni etiam inferioris ordinis, ut famæ & fortunarum, &c. quoad fieri possit; nec enim majori ipsius dispendio debet salutem spiritualem curare, quam ad eum forte finem sit opus. Ita ratiocinatur D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. & communiter Theologi; cujus ea ratio esse potest. Nam præceptum correctionis ita servari debet, ut in modo illud exequendi, contra proximum non peccetur. Et ita adhibenda est correctio, ut ejus fama non lædatur absque justa necessitate, cum scilicet id non esset necesse ad salutem spiritualem proximi, quæ est finis correctionis. Quare hujusmodi præceptum ita est observandum, ut proximi fama absque justa necessitate non lædatur, dum ea illæsa, obtineri possit finis correctionis, nempè salus proximi spiritualis.

Unde modum quendam specialem correctionis præscribit Dominus, *Matth. 18.* qui regulariter juxta rectam prudentiæ rationem, idoneus, & necessarius videtur ad assequendum finem correctionis cum nulla, vel certè cum minima jactura famæ proximi; qui proindè correctionis modus debebit moraliter observari ex præcepto divino, etiamsi nunquam esset à Domino traditus. Hunc modum exposuit Dominus loco citato his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audieris eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

CAPVT VIII.

In quo explicatur modus observandus in correctione fraterna à Domino præscriptus.

IN hac re illud in primis est certum apud Theologos; præceptum de modo corripiendi à Domino præscriptum, non esse novum, sed potius explicationem divini, & naturalis præcepti, ut correctio assequatur suum finem, idque fiat cum minima, vel nulla ferè jactura famæ proximi. Ratio est, quia tales possunt esse personarum & peccati circumstantiæ, ut ipsa prudentiæ ratio, & naturæ lex dictet, illo ipso modo instituendam esse proximi correctionem, ut communiter Theologi *in 4. distinct. 19.* affirmant.

Secundò certum est, istud præceptum de modo correctionis esse affirmativum, ac sicut de præcepto ipso correctionis *superius Cap 5.* annotavimus ex D. Thoma; ac proindè non obligare pro omni tempore, & in omni casu: sed quando necessarius futurus videbitur ad finem correctionis absque justa læsione famæ proximi. Quod expressè indicavit August. *serm. 16. de verbis*

Domini, ubi differens de illo modo corripiendi à Domino imperato, ita scribit: *Discernere* (inquit) *debemus aliquando istud, aliquando illud esse faciendum, aliquando corripiendo fratrem, & inter te solum; aliquando coram omnibus &c.* Dixi, *præceptum esse affirmativum*, & non quomodocumque, sed etiam valde speciale, utpotè præscribens quendam corripiendi modum valde determinatum, qui ut opportunè accómodetur in casibus particularibus, requiritur quoque ut concurrant determinatæ circumstantiæ, quæ facilè deesse solent in quibusdam casibus, in quibus modus ille non est servandus, ut sequentibus conclusionibus explicabimus.

Peccata publica, quæ dicãtur & an in illis observandus ordo præscriptus.

Prima conclusio. In peccato publico necessariò non debet servari ille ordo, scilicet ut propter famam proximi servandam, primò fiat secreta correctio. Voco *peccatum publicum*, quod vel publica infamia divulgatum est, vel in judicio convictum, vel in aliqua vicinia, vel Collegio, aut Communitate manifestum. Ratio est, quia jam in illo casu, fama proximi perdita est: quare licebit eo casu Prælato paternè denunciare, si ex ejus correctione paterna speretur fratris emendatio. Et confirmatur ex Apostolo 1. ad Timot. 2. *Peccantem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habebant.* Quod si publicis peccatis posset subveniri, & proximo, & scandalo publico sine publica reprehensione, nimirum secretè corrigendo fratrem, & efficiendo, ut ipse suo bono exemplo tollat scandalum, ita esset servandum ex mente Adriani, de correctione fraterna: quod ratiò sperari potest. Ut affirmat P. Suarez *disp.* 8. *de correctione, sect.* 6. *n.* 4.

Quid de peccatis occultis, cedẽtibus in damnũ Communitatis, aut aliquorum particularium, si majus sit, quam illa fama proximi qualiscũque jactura.

Secunda Conclusio. Si peccatum sit occultum, tamen cedat in damnum Communitatis; & periculum sit in mora, neque spes ulla sit nostra correctione impediendum, ut si quis machinetur proditionem Civitatis; tunc denunciandum est Superiori, ut efficaciter fratrem corrigat, & malum avertat à Communitate. Ita expresse docet D. Thom. *dicta q.* 33. *art.* 7. & communiter alii Theologi.

Tertia conclusio. Peccatum proximi, licet occultum, quando cedit in alicujus vel aliquorum detrimentum majus, quam sit jactura illa, qualiscumque famæ proximi apud Superiorem, si ad eum statim illius peccatum deferatur, ut paternè correctione fraterna emendet, ac aliorum indemnitati prospiciat, ut si quis v. g. machinaretur necem alicujus; tunc enim vita ipsius anteponenda est alterius famæ, teste Paludano *in* 4. *distinct.* 19. *quæst.* 4. quæ sententia communis esse solet aliorum Theologorum.

Quid de peccatis contagiosis dicendum.

Quarta conclusio. Quando peccatum natura sua est ita contagiosum, ut nisi efficacissimè remedia, & cautelæ Superioris auctoritate adhibeantur, ordinariè soleat serpere, & inficere Communitatem; tunc est denunciandum statim Superiori, ut securius Communitatis bono prospiciat: quale est peccatum hæresis. Ratio est, quia peccatum istud natura sua valde exitiale esse solet, cum evertat præcipuum fundamentum salutis, nempè fidem. Quare numquam, aut ratissimè potest quis adeò certò hæreticis emendationem, per suam privatam monitionem sperare; maximè cum vix sperari queat hæreticum admissum socii admonitionem, cum Ecclesiam totam per hæresim contemnat. Utendum igitur est efficaciori, & securiori remedio, ut in tanta re, bono tum communi, tum privato consulatur.

Objicies. Quia D. Thomas *dicta q.* 33. *art.* 7. manifestè affirmat in proditione, aut hæresi, statim oportere denunciare Superiori. Et addit: *Nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.* Nam D. Thomas ibi intelligit in casu, quo satis certò, & efficaciter, & statim possint hujusmodi mala aliis perniciosa, impediri per secretam admonitionem; quod, ut rectè notant communiter Auctores, in peccato hæresis, vel nunquam, vel ratissimè prudenter spectari potest, propter rationem superius allatam.

Unde hæc limitatio addicta est à D. Thoma, & communiter ab aliis Theologis, non tam ob crimen hæresis, quam ob alia, quæ sunt perniciosa aliis; sed in aliis quidem materiis, ut proditionis Reipubl. &c. in his enim facilius fortè posset aliquando contingere, ut per secretam admonitionem sufficienter caveretur aliorum indemnitati; propter quam causam regulariter omnia peccata aliis perniciosa oportebit statim denunciare Superiori, ut patri, ut superius secunda, & tertia conclusione notavimus. Videnda sunt ea, quæ *inferius Cap.* 12. dicemus, & in paxi in his casibus observanda.

CAPVT IX.

In quibus casibus possit peccatum secretum fratris Prælato, ut patri manifestari.

IN primis est certum, quod quando sufficienter, & commodè speratur emendatio fratris per nostram privatam admonitionem, tunc non esse deregendum peccatum secretum Prælato, sed omnino servandum correctionis præceptum: Hæc est communis Doctorum sententia, & idem intelligendum, ubi dubium est, an Prælatus prudenter procedet ut pater; quia in hoc dubio prævalet possessio juris propriæ famæ, quam subditus habet.

Secundò. Certum existimo, non licere, fratre per secretam admonitionem emendato, peccatum ejus indicare Prælato, etiam tanquam patri, etiamsi speretur, ut melius eum corrigat, & præcaveat in futurum, ut sit tutior à recidiva; licet contrarium affirmet Ricar. *in* 4. *distinct.* 19. *art.* 3. *quæst.* 1. Cujus sententia adscribi solet Divo Thomæ. *Quodl.* 11. *art.* 13. Bonaventuræ, Sylvest. & aliis, quos refert, & sequitur P. Sanctius Tomo 2. *in præcepta decalogi lib.* 6. *Cap.* 14. *n.* 46. Sed verior videtur contraria sententia, quam sequitur Adrianus in *quæst. de correctione*, §. *pro hujus decisione*. Paludan. in 4. *distinct.* 19. *q.* 4. Sotus in *relectione de secreto, membro* 2. Navarrus in *Manuali Cap.* 24. *n.* 14. ubi expresse affirmat, id esse illicitum, & Valentia 2. 2. *disput.* 3. *q.* 10. *puncto* 5. §. 2. Quæ sententia manifestè probatur ex illis verbis Domini, Matth. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quasi dicat: nihil superest amplius, sed ibi erit sistendum, ut conservetur fama fratris.

Et confirmatur; Nam ut rectè censet Adrian. sicut gravius est diffamari apud gravem, & honestum virum, quam apud alium: ita etiam apud Præla-

Prælatum, apud quem unusquisque magnificit bonam æstimationem sui. Igitur non debet lædi fama proximi apud eum, quando id ad finem correctionis non est necessarium; quia supponimus fratrem esse emendatum per secretam admonitionem. Neque fundamentum, in quo nititur contraria sententia est firmum; non enim pro qualicumque bono spirituali proximi licitum est ei damnum inferre in bonis temporalibus; sed tantum pro eo, quod est ad salutem necessarium; qualis non est ordinatiè illa major securitas à reincidentia.

Præcipua tamen difficultas est, an præmissa correctione fraterna frustra facta, liceat peccatum fratris indicare Prælato, non ut judici, sed tantum ut patri, priusquam illud manifestet uni, aut alteri; qui etiam ut testes, possint adhiberi.

In hac re D. Thomas, *dicta q. 33 art. 8. ad 4.* existimat Prælato prius peccatum debere manifestari tanquam patri, quam testibus: *Prælato* (inquit) *ut est persona quædam singularis.* Et pro sua sententia adfert locum August. in *Regula 3.* Ubi videtur planè hoc affirmare. Quare tenent sententiam D. Thom. tanquam Augustini, utentes eisdem penè verbis, quibus D. Thomas. Ita Sotus in *relectione, membro 2. q. 4. ad tertium principale argumentum.* Sylvest. *verbo*, correctio, *num. 4.* Adrian. in *quæst. de correctione fraterna, in fine.*

Vid. 3. part. directorij Regular. Tract. 4. disput. 3. sect. 2. & ab illo citatos à nostris Francisc. Bona spei Tom. 3. suæ Theolog. disp. 6. dub. 3. n. 51. & seqq. & Stephan. à S. Paulo Tract. 3. de charit. disp. 3. dub. 3. n. 34.

In contrarium est auctoritas multorum, qui simpliciter, & absolutè sentiunt, oportere omnino juxta ordinem à Christo præscriptum indicari prius uni, aut duobus testibus, antequam indicetur Prælato, etiam ut patri. Ita docet Hugo de S. Vict. *in Regulam August. Cap. 6.* Alber. Mag. Navar. & alii, quos adducit, & sequitur Gregor. de Valent. *Ubi supra* §. 2. Quamvis ipse existimet D. Thomæ sententiam esse valde probabilem. Hanc sententiam probat Sotus ea ratione; quia tunc secretius, & cum minori dispendio famæ, dicitur prius Prælato, quam manifestetur testibus: quia si frater à Prælato corrigatur, ibi sistendum erit, & peccatum cæteris non innotescit.

Nec valet quod objiciunt Auctores contrariæ sententiæ; quia optandum magis est peccata nostra nota esse tribus, aut quatuor, quam uni viro gravissimo, & nobis conjunctissimo; nam ejus de nobis bonam æstimationem pluris facimus, quam si quatuor alii benè de nobis opinentur: fama enim subditi apud Prælatum magni æstimanda est: & ideo sine extrema necessitate non est prodigenda; quia nos tantum loquimur de Prælato viro pio, & prudente, qui magis possit prodesse, quam obesse. Quare in hoc casu subditus esset irrationabiliter invitus, sicut esset filius, quando ejus peccatum patri proprio diceretur, antequam aliis manifestaretur. Utraque quidem sententia videtur nobis valde probabilis; Probabilior tamen est hæc secunda, quæ docet, Prælato etiam ut patri, sine magna necessitate non esse manifestandum.

Ultimò constituo; Quod si fortè eveniret, ut certò vel probabiliter existimetur fratrem relapsurum, nisi præceritus ejus lapsus indicetur Superiori; ut tutior sit à recidiva, tunc negare non possumus, quin licitum esset Prælato, ut patri indicare, casu quo ipse solus posset eum à relapsu liberare. Ita tenent expresiè Adrian. Sotus, & Valentia etiam *ubi supra.*

Hæc sententia ratione apertè probatur; Quia unusquisque tenetur consulere bono spirituali proximi cum minimo periculo, quantum fieri potest, suæ famæ. Sed in casu posito non possum liberare proximum in verisimili reincidendi periculo, nisi denunciem Prælato, quia ipse solus potest eum liberare, ut in propositione supponitur: Ergo teneor tunc Prælato ut patri denunciare.

Sed dices: quia minimè oportet infamare proximum; quod intrinsecè est malum, propter ejus bonum spirituale. Respondetur: Quod manifestatio hujusmodi defectus Prælato, qui potest prodesse, & non obesse, per se non est intrinsecè mala; unde licet ea uti tanquam medio necessario ad majus bonum proximi, quam sit conservatio famæ ipsius apud Superiorem.

Secundò objicies contra nostram sententiam; Quia ut P. Suarez mordicus cum Soto tenet, *Tomo 4. disp. 34. sect. 3.* nemo potest absque culpa lethali, & obligatione restituendi famam, detegere peccatum occultum, & privatum viri viro gravi & taciturno, adhuc sine intentione lædendi, quando persona criminosa, & quæ peccavit pendet ab illa gravi persona in ratione, & institutione vitæ, in suffragiis, in favore, in honore, &c. At quisnam est Religiosus, qui non pendeat in his omnibus, vel saltem in aliquibus à suo Superiore?

Respondetur: P. Suarez ibi fuisse locutum respectu personarum sæcularium, quæ magis sunt sui juris, & magis pendent ex fama vel infamia, & minus tenentur ad perfectionem spiritualem; in quo casu eorum peccata non essent facilè Superioribus manifestanda: secus dicendum de Religiosis, ut ipse se P. Suarez explicat *disput. 8.* de correctione fraterna, *num. 17.* Quæ differentia inter Religiosos, & sæculares, quantum ad ea quæ diximus, clarè significatur in *Cap.* Qualiter & quando, *de accusationibus.*

Ultimò objici potest. Quia plura inconvenientia in praxi sequuntur ex illa doctrina, maximè in Religionibus; nam communiter loquendo, nec in delatoribus, nec in Prælatis est tanta prudentia, quanta requiritur ad servandum secretum: & ad consulendum famæ proximi.

Respondetur: Hoc forsan aliquando posse contingere: & tunc in casu quo Prælatus non esset verus pater, forsan delator excusaretur à denunciatione. Sed nos loquimur casu quo Prælatus sit pius, & prudens, & quod nullum habeat odium contra subditum, & qui ex affectu verè paterno subdito delinquenti, tanquam dilecto filio curet remedium adferre, qui etiam sit tenax secreti, & qui magis possit prodesse, quam obesse, qualis depingitur à D. Tho. *Quodlib. 11. art. 13.*

Ac demum concludo cum D. Thom. *Quodl. 11. ubi supra in corp.* ubi inquit: *Propter varias circumstantias non potest certa regula assignari: ideo habendum pro regula est, quod in omnibus istis servanda est charitas, & quod melius, & magis expedire videtur. & si hoc intendat, scilicet emendam fratris, servet quantum potest bonum charitatis: tunc denunciando non peccat.* Quam doctrinam latius prosequitur in *Disputatu q.* de correctione fraterna *art. 1.*

CAPUT

CAPVT X.

An correctione præmissa, testibus adhibitis, peccatum Evangelicè debeat denunciari Prælato tanquam patri?

QUando circumstantiæ sunt ejus conditionis, ut modus prædictus correctionis fraternæ, nempè ut secreta correctione facta testibus quoque adhibitis, prudenter judicetur futurus utilis, & necessarius, ut cum nulla, aut minima jactura famæ proximus corrigatur; omninò est servandus ex præcepto Domini. Illud tamen restat examinandum, an quando in correctione fraterna pervenitur ad tertium, & ultimum gradum ejus ordinis, quem Christus præscripsit, nempè ut Prælato Ecclesiæ, (post adhibitos testes) peccatum fratris manifestetur; debeatne illi peccatum indicari ut judici, vel forsan ut patri: vel ut judici & patri, ut utroque titulo consulat & bono fratris, & communi?

Prima conclusio: Post gradum illum correctionis, debet peccatum manifestari Prælato, non solum ut patri, sed etiam ut judici, eo sensu, quo inferius explicabitur. Patet 1. ex illis verbis Christi: *Dic Ecclesiæ*; significans Prælatum, ut repræsentat Ecclesiam, tanquam persona publica, atque adeo ut judex. Quare illis verbis significatur, debere Prælato ita manifestari, ut possit res per sententiam judicis venire in notitiam Ecclesiæ, si ita expediat, & concurrant alia requisita, de quibus infra dicemus. Ita Chrysost. & alii PP. interpretantur. Item quia per illa verba: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: significavit Dominus, debere dici Prælato tanquam ei, qui possit etiam præcipere sub pœna excommunicationis, ut Ecclesiasticus judex. Quare D. Thom. *art. 8. q. 33.* expressè in *resp. ad 4.* docet denunciationem hanc, quæ debet tertio loco fieri post inductionem testium, fieri debere Prælato sicut in loco judicis residenti. Et ratione probatur. Quia finis correctionis fraternæ eò spectat, ut quantum fieri potest, consulatur bono particulari fratris. Igitur quando ad tertium illum correctionis gradum perventum est, scilicet quando post testium inductionem, res ad Prælatum defertur, procurandum est fratris bonum per illum etiam, quatenus judex, qui non solum bonum privatum, sed & commune ex justitia debet procurare.

Secunda conclusio: In tertio correctionis gradu peccatum fratris deber Prælato indicari tanquam patri, ut constat ex illis verbis Domini: *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* Quasi apertè nos doceat: in omnibus correctionis gradibus, debere tanquam finem esse propositum bonum fratris, quod non solum fratres alii, sed & præcipuè Prælatus, tanquam pater ratione sui officii, ex charitate debent velle ei bonum spirituale. Quare maximè adhibendus est Prælatus tanquam pater, ut delinquentem in viam revocare studeat, tanquam pater filium naturalem. Et ratione probatur. Quia tunc petitur à Prælato, ut corrigat delinquentem sicut pater; ut constat ex *Cap. Novit. extra de Judiciis.* Igitur petitur ab illo officium paternæ charitatis. Hanc sententiam supponunt communiter Doctores, eamque speciatim tenet Magister Bañes *dicto art. 8. dub. 4. in responsione ad 2. argumentum.*

Tertia conclusio: Denunciatio prædicta debet fieri Prælato præcipuè ut patri; quia cum illa denunciatio sit quidam gradus, seu pars correctionis fraternæ, pro suo objecto formali & præcipuo habere debet particulare bonum fratris. Quare quando ad finem correctionis fraternæ per denunciationem quæritur auxilium Prælati, cum Prælato agitur præcipuè ut cum patre.

Præterea, quia finis correctionis fraternæ in omnibus gradibus salva ratione boni communis, est salus fratris. Ergo cum per denunciationem Evangelicam Prælato denunciamus, eò ratione præcipuè tendimus, ut ipse se gerat ut pater erga correctionem fratris. Quare in hoc casu simul ut Prælato ut judici, & ut patri denunciamus, præcipuè tamen ut patri, minus verò præcipuè, ut judici, quasi materialiter. Ita interpretandi sunt Doctores, cum affirmant, quod per correctionem fraternam manifestatur Prælato non ut judici, scilicet præcipuè: sed ut patri, quod possit prodesse, & non obesse.

Ex his patet discrimen, quod communiter à Theologis assignatur inter denunciationem hanc fraternam, seu Evangelicam, aut pœnitentialem (ut alii vocant:) & inter judicariam ex alia parte, quod fraterna hæc & Evangelica denunciatio præcipuè habet pro scopo particulare bonum fratris, procurandum illi à Prælato ex paterna charitate. Denunciatio autem judicia tanquam in finem principalem tendit in bonum commune, quod redundat ex punitione improborum, quamvis etiam materialiter & secundariò in bonum privatum fratris, quod etiam judex procurare debet salvo bono communi.

Secundo sequitur etiam ex dictis, non posse Prælatum ex hac denunciatione Evangelica delinquentem punire, præcipuè per pœnas ordinarias à jure constitutas: posse autem & debere omni alia ratione idonea eum, ut emendetur, corripere, atque etiam ipsum punire ad eum finem, instar tamen patris punientis filium: & interim, quando opus fuerit, tanquam judex poterit severè præcipere, ut à peccato abstineat sub pœna excommunicationis ipso facto alioquin propter contumaciam incurrendæ, si ita expediret, & diligentius, & efficacius occasiones peccandi removere.

Quare Prælatus tunc uteretur duobus gladiis: primus paternus, (si is gladius dici potest) secundus judicis temporato tamen rigore judicii. Cujus rei ea ratio reddi potest; Quia cum per correctionem fraternam, sive Evangelicam peccatum sit denunciatum Prælato principaliter, ut patri, & minus principaliter, ut judici; manifestè sequitur, quod ut pater eum punire possit, cum ad patrem spectet convenientibus etiam pœnis filios coercere, & ideo *1. lib. Reg. Cap. 2.* vitio vertitur Heli, quod non punierit filios, quamvis verbis illos increpaverit: Et licet Prælatus non possit tunc propter delictum præteritum gladio excommunicationis filium ferire, potest tamen de novo propter contumaciam præsentem talem pœnam decernere.

Præterea, quia prælato delatum est peccatum, tanquam judici, licet minus principaliter, ipse

tenetur

tenerur auctoritate sua judiciali (ut per charitatem imperata) uti ad emendandum fratrem. Non tamen toto rigore juris uti debet; quia licet denunciatio Evangelica sit quasi conjuncta judiciali, nam simul fit & Prælato, & judici; sed quia non fit absolutè, & principaliter ut judici, sed præcipuè ut patri, secundariò ut judici, ut dictum est, fit ut hæc denunciatio in quantum judicialis, sit quasi subalternata paternæ denunciationi, in quantum potest juvare ex aliqua parte correctionem paternam faciendam cum majori fructu: ad hoc enim ordinatur pœna à Prælato ut judice inflicta, ut frater corrigatur cum minori dispendio famæ.

Quinque correctionis fraternæ gradus assignantur, juxta quos gradatim progrediendum, ex præcepto, ad salutem proximi procurandam.

Ex quibus colligo, in correctione fraterna gradatim esse usque ad summum gradum ascendendum, ita ut semper à suaviori, & mitiori gradu incipienda sit correctio, in qua primus gradus est, admonitio secreta, nempè: *corripe eum inter te, & ipsum solum.* Secundus est: Correctio coram uno, vel duobus testibus adhibitis, ut ibi dicitur: *adhibe unum aut duos testes.* Tertius, Denunciatio Evangelica, ibi: *Dic Ecclesiæ.* Quartus, Correctio paterna, ibi: *Si Ecclesiam non audierit.* Quintus, Coactio per punitionem opportunam, sive per excommunicationem, quando opus est. ibi: *sit tibi tanquam Ethnicus &c.* Qui omnes actus per seloquendo, singuli cadunt sub præcepto, quia eodem tenore omnes proponuntur, & omnes hi actus etiam quintus ordinantur ad salutem proximi, quia omnes eo tendunt, ut subveniatur proximo cum minori dispendio famæ, quantum possibile fuerit.

Quis ordo in his gradibus observandus.

Ex quibus secundò infertur, non licere aggredi secundum actum, nisi præmisso primo, quando ille non fuit efficax, & idem est de secundo respectu tertii: præterea tertius respectu quarti est omninò necessarius, & aliquando quintus, ubi opus fuerit pleniori correctione. Sed quia hoc præceptum est affirmativum, ut sæpius diximus, ideo non semper obligat, sed tantum quando charitas, & recta ratio illud dictaverit. Unde si interdum occurrant circumstantiæ, in quibus prudentia, & charitas dictent, licere, vel expedire mutari hunc ordinem, tunc non obligat hoc præceptum eo ordine, quo à Christo Domino est impositum, ut expressè notavimus *supra*, ex D. Thom. *Disput. art.* 2. de correctione fraterna; imò erit inutile, & aliquando perniciosum, talem ordinem servare; Quando verò liceat mutare hunc ordinem, facile erit colligere ex his, quæ à nobis superius fuerunt annotata.

Tertiò infero. Quod cum Prælatus judicaverit expedire, poterit reum admonere coram viris gravibus, paucis tamen, & ut advertit magister Bannes, 2.2 *quæst.* 33. *art.* 8. *dub.* 4. poterit etiam adhibere verbera, secretò tamen (maximè si sit junior.) Nam sicut licet hoc patri carnali, cur non licebit spirituali patri? Addit præterea, quod quando peccatum potest probari testibus, tenetur subditus patri interroganti respondere veritatem, maximè si sub juramento interroget; caveat tamen subditus, ne coram testibus confiteatur, ne fortè imprudens Prælatus faciat illum accusari, & testibus comprobari delictum, atque ita eum publice punire.

Quarto infertur; graviter peccare Prælatum, si delictum quod ad notitiam suam pervenerat per viam correctionis fraternæ, ad publicum judicium deducat, quando nulla est spes, quod denunciatus fraternè emendabitur; quia Prælatus non potest procedere ad publicum judicium, nisi præcedente denunciatione juridica, aut publica infamia, ut inferius dicemus. Ergo gravissimè peccat contra charitatem, & contra justitiam Prælatus, qui peccatum sibi ut patri denunciatum, transfert ad judicium publicum, nisi limitatione inferius dicenda, id faciat.

Quid agendum, quando adhibita monitione paterna, nulla apparet spes emendationis.

Dices: Quid igitur faciendum erit, quando nulla est spes, adhibita monitione paterna, etiam aliquo modo mixta cum judiciali? Respondetur: Tunc Prælatum teneri supersedere. Nam cum ultimus terminus correctionis fraternæ sit salus proximi, ulterius non est progrediendum, quando non est spes salutis, etiam adhibitis remediis superius dictis: sed orandum DEUM pro ipso, scientes multorum hominum peccata in diem judicii quantum ad punitionem reservari; Nam uti bene advertit M. Bannes, *dict. art.* 8. *dub.* 2. *ad* 4. Multa sunt relinquenda DEI judicio, & ut idem Auctor prudenter advertit *dub.* 4. *ubi supra*; *Sunt enim* (inquit) *plurimi peccatores etiam maximi, non tam scandalosi, qui bona opinione & fama quam habent, Ecclesiam Christi ædificant doctrina, & publico exemplo: quorum opinionem, si Prælati suo indiscretis inquisitionibus destruant, nihil aliud agunt, quam quod ipse diabolus desiderat, videlicet aliorum salutem impedire: præter quam quod non solum illius peccatoris famæ perit, sed etiam aliorum similium ejusdem ordinis & officij fama necessaria magnum detrimentum non sine vulgi scandalo patitur. Vide August. in Epist.* 137. *ad Plebem Hippon. cujus verba habes in art.* 7. *circa finem, quæ attentè lege, & videbis quantum habeat periculi indiscretus Prælatorum zelus inquirentium per fas, vel per nefas scire subditorum delicta, qui potius sunt boni communis & pacis destructores, quam conservatores.* Hactenus Bañes.

CAPVT XI.

An fratre indurato post correctionem fraternam, liceat ejus peccata juridicè denunciare?

COntroversum est inter Doctores, quando liceat Prælato via quoque judiciali procedere adversus fraternè denunciatum, quando crimen, vel peccatum ejus probari potest juridicè per duos, vel tres testes; aut certè cum præter denunciationem sunt indicia criminis, vel infamiæ, juxta ea, quæ de requisitis ad juridicam inquisitionem *infra Tract.* 2. trademus. Primò certum est ex his, quæ *Cap. præcedenti* docuimus, fraternè denunciatum, etiam incorrigibilem non posse puniri via juridica in toto rigore judicii. Si verò denunciatus sit pertinax, & incorrigibilis, & peccatum ejus cedat in publicum detrimentum; tunc commodior, & probabilior videtur opinio Magistri Bañes, *dicta quæst.* 33. *art.* 8. *dub.* 4. quam breviter duabus propositionibus expono.

Prima, Quotescunque non interveniente alias correctione fraterna licitum esset propter aliorum exemplum, & bonum commune procedere via juridica contra reum, accusando, vel juridicè denunciando, vel inquirendo, & condemnando eum; licitum quoque erit, non obstante,

stante, quod cum eo sit actum per viam correctionis fraternæ, ac proindè sive per eam viam correctus fuerit, sive non, atque etiam sive sit spes, sive non sit, emendationis. Cui sententiæ apertè subscribit Covatruv. *lib. 2. variarum resolutionum, Cap. 10. num. 3.* Ubi affirmat, posse quem accusari, ut puniatur, non obstante, quod fuerit in foro conscientiæ absolutus, atque emendatus. Et probatur hoc dictum: nam virtus charitatis, cujus est actus correctio fraterna, & virtus justitiæ, ad quam pertinet ille processus juridicus, non sibi præjudicant, nec se mutuo impediunt, cum habeant diversos ac proprios suos fines.

Tres à M. Bannez assignati casus, in quibus nō solum licita, verū etiam ex præcepto obligatoria judicialis denuntiatio

Secundò dicit Magister Bannes. In tribus casibus, id quod diximus, non modo licitum esse, sed etiam debitum ex præcepto. *Primus* casus est, quando alicui non modo liceret, sed teneretur accusare, aut inquirere peccatum, ut si esset pernicioſum Reip. juxta ea, quæ inferius trademus, ubi videbimus, aliquando teneri quempiam ad denunciandum: aliquando verò posse id licitè facere, quamvis non teneatur, ut optimè asserit Bannes, *dicto art. 8. dub. 4.*

Secundus casus est, quando is, qui crimen seu peccatum novit, legitimè à judice interrogatur, etiamsi peccatum illud non sit tale, ut teneatur quis deferre, dummodo possit saltem licitè denunciare propter bonum commune, quod redundat ex punitione criminum; tunc ex obedientia Superiori debita, tenetur quis reum manifestare, *ut infrà* dicemus, *Tract. 2.* agentes de inquisitione speciali.

Tertius casus est, quando est spes, ut per judicialem processum reus corrigatur, & ad cor redeat; tunc enim (ut rectè docuit *illic* M. Bannes) charitas, per quam processus fraternæ correctionis institutus fuit, debet imperare virtuti justitiæ, ut inchoet etiam processum judicialem, quo etiam finis charitatis obtineatur, scilicet emendatio fratris. Ex quo fit, quod etiam quis emendetur ex correctione paterna: possit tamen nihilominus judicialiter puniri propter illud peccatum, à quo resipiscit. Id tamen fieri potest ob aliorum exemplum, & bonum commune, qui justitiæ finis possit per judicialem viam prætendi, etiam quando reus per pœnitentiam resipiscit.

Secundò infertur, quod si cesset spes emendationis rei; tunc esse cessandum à processu correctionis fraternæ; potest tamen tunc nihilominus inchoari via judicialis, idque propter aliorum exemplum & bonum commune: & habere locum justitia, quantumcunque desperetur à privata correctione. Itaque in his casibus, sive reus emendetur, sive non emendetur, quando peccatum est contra bonum commune, exordiri potest, & aliquando debet nova tela judicii à denunciatione juridica.

Sed dices: an in hoc casu ille, qui fraternè denunciavit, possit nihilominus esse testis post finitum processum fraternæ correctionis, cum incipit nova tela judicialis? Respondetur, omnino posse. Ita censet Magister Sotus, *in relectione de secreto; membro 2. quæst. 4. post conclus. 9.* idque colligit ex illis verbis Domini: *Adhibe tecum unum, aut duos testes, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum &c.* Quare si denunciator adhibuerit unum, erunt testes duo; quia denunciator ipse habet locum testis, & denunciatoris; si duos, erunt tres, ut dicitur quoque in Cap. *Omni*, extra, de testibus.

Ex omnibus his superius annotatis, colligitur, Quod tribunalis paterni posse esse quatuor principales fines. *Primus*, Ut proximus paternè admonitus post adhibitos testes, accedente monitione paterna, facilius corrigatur. *Secundus*, Ut si nostra monitione non fuerit sufficienter emendatus, adveniente Prælati severa correctione, & punitione paterna adhibita, omnino emendetur. *Tertius*, Ut illum præservet à recidiva, etiam excommunicatione adhibita, cum opus fuerit. *Quartus*, Ut Prælatus non solum prospiciat bono fratris privato; sed etiam communi bono omnino consulat. Quibus addi potest alius gradus; Ut finita correctionis via, quæ omninò paterna debet esse, reo peccatum contra bonum commune, & in pravum aliorum exemplum committente, sive corrigibilis sive incorrigibilis existat, fiat novus gradus ad denunciationem juridicam, quando ita opus fuerit, inspectis aliis circumstantiis, ut bono communi, & aliorum scandalo consulatur.

CAPVT XII.

An peccata omnia possint Evangelica denunciatione manifestari Prælato ut patri?

VOco autem *Patrem*, illum Prælatum, qui sit pius, & prudens, & qui erga subditos videcra patris gerat, & qui sciat, & possit præcavere in futurum; & demum qui consulat famæ Evangelicè denunciati, non aliter, ac si esset pater naturalis ipsius. Deindè ad perfectam hujus materiæ, plenioremque explicationem, oportet præmittere, quæ occulta, quæ verò publica, & notoria delicta dicantur; & rursum, quæ contra bonum privatum apertè militant: ac demum quæ gravia, quæ atrocia, quæve atrocissima dicantur?

Occultum, quantum ad præsens propositum attinere videtur, illud delictum censetur, quando unus, aut pauci id sciunt, neque est deductum in judicium. Notorium verò dicitur, quod nulla tergiversatione celari potest. Præterea notat, quod tam publica, quam privata delicta subdividi possunt, in delicta, quæ sunt contra bonum commune, ut sunt crimina in DEUM commissa, ut hæresis, blasphemia, & alia, quæ dicuntur atrocia, ut *Cap. sequenti* dicemus; & in ea, quæ contra bonum privatum, vel tertiæ, vel propriæ personæ committuntur, ut si quis vellet innocentem occidere, vel si gulæ aut ebrietati sine aliorum scandalo esset deditus.

Quæ vero delicta contra bonum commune Religionis censenda sint, non est facilè judicare: Multi enim omne peccatum bono Religionis nocivum existimant; quia qui lædit partem, videtur totum læsisse, cum damnum partis redundet in damnum totius. Quæ quidem sententia apertè falsa videtur. Nam aliud est directè, & immediatè bono communi, aliud vero indirectè, & mediatè ei damnum inferre; quare illud peccatum in damnum cedere publicum solum censeri debet, quod habet pro objecto immediatè bonum commune, ut hæresi, sive proditio

ditio Civitatis, quæ immediatè bono communi adversantur.

Speciatim verò, quæ sint peccata, quæ damnò afficere solent commune bonum non solum indirectè, sed etiam objectivè, & directè, hujusmodi in Religione censeri debent.

Recensentur delicta, quæ communi bono Religionis adversantur, & nociva sunt.

Primò. Crimen in DEUM, ut hæresis, blasphemia, & similia.

Secundò. Crimen læsæ majestatis temporalis, quale esset in Religione, graves offensæ in Generalem, Provincialem, eorumque locum tenentes commissæ, ut expressè docet Franciscus Aretinus in sua *practica generali Cap. 16.* & Recentiores alii. Nam si Jurisconsulti tenent, quod quando facinus est commissum adversus Episcopum, aut similem personam, reducitur ad crimen læsæ majestatis; eadem ratione sentiendum est apud nos, quando crimen esset commissum adversum Generalem, qui est nobis loco Principis, aut etiam Provincialem, qui etiam habet inter nos auctoritatem quasi Episcopalem.

Tertiò. Si quis esset proditor Religionis, eam vel notabili infamia, sivè calumniis in conspectu sæcularium afficeret.

Quartò. Qui inscii Superioribus, alicujus Provinciæ, vel monasterii divisionem molirentur, aut qui pacem inter Superiores iniquè, & malitiosè turbarent.

Quintò. Falsificatio litterarum, & sigilli Superiorum.

Sextò. Libellus famosus.

Septimò. Peccatum carnis, præcipuè peccatum indicibile, quod quidem esse in perniciem publicam Religionis, Doctores communiter docent. Ut refert Emanuel Rodr. in *Foro judiciali Cap. 3.* Quibus adde peccatum fornicationis, si cum aliorum scandalo committitur, vel si talibus circumstantiis contingat, quod facilè possit in aliorum notitiam venire. Idem censendum est de familiaritate cum fœmina suspecta, ex qua timeri potest aliquod futurum scandalum.

Octavò. Ambitiones, seu subornationes in officiorum electionibus. Hæc enim facilè solent impedire dignioris electionem, & turbare Capitula generalia seu provincialia, quæ omnia sunt damno communi bono.

Nonò. Peccatum proprietatis, maximè si cum scandalo aliorum committatur. Adde etiam furtum de re gravi Ecclesiæ, vel Monasterii.

Decimò. Dissipatio bonorum Monasterii, ac iniqua eorum administratio.

Undecimò. Quodcunque aliud scandalum præcipuè coram sæcularibus patratum, quale esset ludere chartis, aut se in eorum conspectu inebriare, aut minus honestè cum fœminis tractare, & similia alia, quæ bonum Religionis nomen obscurare solent.

Duodecimò. Malum Prælatorum seu aliorum seniorum exemplum, quo alii facilè ad similia peccata committenda ad eorum imitationem pertrahuntur. In quo quidem genere annumerandi sunt à fortiori Authores, sive seminatores opinionum relaxatarum, quibus alii, vel à perfectione assequenda retardantur, vel remissius in vocatione assumpta se gerunt: quod quidem magno detrimento esse solet Religionibus Reformatis.

Decimotertiò. Impunitas delictorum, ex quâ oriri solent in Communitate plurima mala. Impunitas enim, Bernardo teste in Epist. ad Eugen. *Incuriæ soboles insolentiam adfert, impudentiæ radix, transgressionumque nutrix esse solet.* In hoc enim differre constat Religiones Reformatas à jam lapsis: non quod nullus peccans in Reformatis inveniatur; sed quod nullus impunè peccare sinatur.

Decimoquartò. Prælati, qui alicujus Constitutionis, laudabilis consuetudinis, aut alterius ceremoniæ observantiam facilè prætermittunt, magnum etiam communi bono vulnus infligunt.

Demum illud tanquam regulam certam stabiliendum existimo, quod omne peccatum, quod natura sua, non solum aptum est cæteros de Communitate Religiosos inficere, aut quod eis lapsus occasionem præbeat; sed etiam omne illud, quod in causa est, ut reliqui remissius in sua vocatione vivant, magnum publico bono damnum, & jacturam infert.

Præterea peccata omnia, si cum aliorum scandalo fuerint commissa, non esse Evangelicè denuncianda, communis sententia tenet cum D. Thom. 2. 2. *q. 33. art. 7.* asserente: publica delicta, publicè corripienda, & severè puniendа, ut cæteri timorem habeant, communi bono opportunis remediis consulendo. Quare punitio similium delictorum, non tam paternè, quàm juridicè omni diligentia, & cura punienda sunt, & præservanda Communitas ab infectione similium peccatorum.

Secundò. Certum existimo, quod peccata secreta quantumvis communi bono perniciosa, præmissa correctione fraterna, ut sæpius dictum est, Prælato Evangelicè sunt denuncianda, ut ipse meliori modo, quo potest, tum ut pater, tum ut judex fratris bono consulat, & communi bono in primis prospiciat, tum admonendo, tum præveniendo, tum quando opus fuerit, puniendo non ordinaria punitione correspondente delicto, sed tantum extraordinaria; ita tamen, ut sine dispendio famæ proximi quantum fieri potest, communi bono consulatur. Quod si absque læsione propriæ famæ id fieri nequiverit, dummodo bonum commune integrum, & illæsum permaneat, non multum curandum de bono famæ; quia in omnibus commune bonum, famæ est præferendum. Si vero peccatum tale sit contra bonum privatum; tunc nō est dubium, quod Evangelicè denunciandum sit Superiori.

Arguitur quorundā Prælatorum segnities & negligentia.

Dices: Quod si Prælatus sciat, & advertat peccatum publicum fratris, vel secretum in publicam perniciem, an tunc fieri sei debeat denunciatio Evangelica? Respondetur: Quod si Prælatus peccatum agnoscat, & propriis cernat oculis, non semper videtur monendus; sed quia multi Prælati, ita segniter, & remissius se gerunt, vel (ut melius dicam) ita dormiunt, ut sæpè hujusmodi peccata non advertant; monendi sunt, & revertenter urgendi ad punitionem paternam publicam, sive secretam, si peccatum sit secretum: quia cum omnes subditi teneantur ex debito justitiæ legalis, communi bono Religionis studere, tenentur sæpè Prælatum stimulare, ac pungere, ut sedulo communi totius Communitatis bono incumbat, quia videmus Prælatos sæpè aliàs boni zeli & desiderii, subditorum suasionibus animari ad punitionem similium peccatorum.

CAPVT XIII.

Peccata atrocia posse sæpè denunciari denunciatione Evangelica Prælato, ut patri.

Quanam peccata dicantur atrocia, quænam atrocissima: & unde atrocitas desumenda?

PRimò explicabimus quæ sint peccata atrocia, sive atrocissima. Secundò an sint ista sicut & alia similia, charitate media, corrigenda. Tertiò demum, an possint Evangelica denunciatione Prælato ut patri denunciari?

Quantum ad primum; quæ sint speciatim peccata atrocia, ex qualitate pœnæ, quæ pro delicto imponitur, judicari debet. Et ideò, ut optimè notavit Julius Clar. *lib. 5. §. 1. num. 10.* tanto gravius delictum reputatur, quanto gravior pœna pro eo imposita reperitur. Pro qua sententia citat Bartol. *in L. levia ff. de accusationibus*; & hanc esse opinionem communem tradit Soncinus, *Consil. 157. num. 5.* & etiam *Consil. 65.* & ipse Clarus inter delicta atrocia numerat ea, quæ sequuntur, videlicet delictum hæresis, blasphemiæ hæreticalis, rebellionis, læsæ majestatis, homicidii qualificati, veluti Episcopi, aut Cardinalis; falsificationis monetæ; tonsurionis item, seu diminutionis monetarum; raptus virginis honestis parentibus ortæ, etiamsi copula non sequatur; usus venereus cum sacra virgine, in habitu intra Monasterium degente; sodomia, quod intelligendum est cum effectu; nam in affectu tantum, sive attentata (ut alii dicunt) inter atrocia, teste ipso Claro, non computatur, famosorum latronum in viis grassantium, & falsificatio sigilli Principis, aut Senatus.

Et demum concludit Clarus, quod omnia delicta, pro quibus à lege, vel à statuto imponitur simpliciter pœna mortis naturalis, vel civilis, scilicet pœna triremium in perpetuum, & talis pœna est in usu, ut à judicibus imponatur & exequatur, dicuntur gravia & atrocia. Deinde addit idem Auctor. Atrociora autem, sive atrocissima dicuntur, pro quibus lex, vel statutum supponit pœnam graviorem, quam simplicis mortis, in ipso genere mortis: puta quia vult pro talibus delictis reos vel igne comburi, vel in frusta scindi, ut rotæ inferri, vel hujusmodi, ut fit in crimine hæresis, parricidii, assassinii, sodomiæ, incendiarii, falsæ monetæ, &c.

In criminibus autem enormibus & atrocibus permittitur judicibus jura transgredi etiam in procedendo, & judicando; quia scilicet devenitur ad torturam, etiamsi indicia non sint in totum sufficientia, neque probata per testes omni exceptione majores. Hæc Julius Clarus *ubi supra*.

Prædicta delicta, propter eorum gravitatem, non solum gravia, sed enormia & atrocia, & aliquando atrocissima vocantur, non solum, quia grave vulnus communi bono infligunt, sed etiam, quantum est ex se, exitialia bono communi merito judicantur; quia partim Remp. turbant, partim Communitatem inficiunt, ac demum omnia Communitati non parum nociva esse solent.

Quantum ad secundum punctum; ea exceptione præmissa, quod in crimine hæresis regulariter correctio fraterna non sit adhibenda, ut *supra Cap. 8.* notavimus, sed potius statim judici manifestanda; de aliis sentio, quod quando est certa, & firma spes per nostram correctionem secretam, posse subveniri bono communi sufficienter; tunc prætermittenda est correctio secreta. Ita D. Thomas 2. 2. q. 33. art. 7. & communiter Doctores *in 4. distinct. 19.* illo ducti fundamento; quod charitas obligat ad subveniendum communi bono, cum minimo damno privati. Quare cum bono communi cum minimo damno privati, consulere possumus, debemus id facere. Igitur si potest bonum commune defendi, & privatum damnum vitari, utrumque faciendum est.

Dices: igitur nulla est differentia inter ea peccata, quæ sunt contra commune bonum, & reliqua, quæ sunt contra bonum privatum. Patet, quia si in utrisque est spes fructus, prætermittenda est correctio fraterna: si vero non sit talis spes, in utrisque præmitti non debet. Respondetur; negando consequentiam, quia est magnum discrimen inter peccata contra bonum commune, & peccata contra privatum bonum; quia in priori casu oportet, ut spes fructus sit certissima, & præsentanea, & sufficienter prospiciens communi bono, non solum in præsens, sed etiam in futurum: in aliis vero sufficit spes probabilis, imo satis est non habere rationem ad desperandum. Prætetea respondetur secundò; in peccatis, quæ sunt contra bonum commune, talem spem, ac tam certam esse rarissimam, & ideo moralem regulam esse, ut in illis initium sumatur à denunciatione; præcipuè quia qui in hæc peccata corruunt, difficillimè & rarissimè corriguntur, ut annotavimus *Capite octavo*.

Hoc autem maximè habet locum in peccato hæresis: præcipuè quando accedit aperta contumacia. Quare si constet hæreticum esse verè hæreticum, & pertinacem: jam illum esse semel, & iterum admonitum à tota Ecclesia clarè præsumitur; & ideo statim esse denunciandum. Si autem non constet illum ex pertinacia, sed tantum ex ignorantia, etiam culpabili, errare; tunc posse admoneri, ut ait Chrysost. *homil. 62.* in Matth.

Quantum ad tertium. Duas assertiones constituo. *Prima*; quod quando aliquod peccatum tentatum in damnum evidens Reip. vel in alicujus tertii perniciem redundare videtur, & id per paternam correctionem impediri non posse probabiliter judicabitur; in tali casu omne possibile remedium adhibendum est, tam ex præcepto justitiæ, quam charitatis sub pœna peccati mortalis, ut damnum illud eviteur. Ut si quis pararet insidias ad tradendam Rempubl. vel publicum ærarium exhaurire tentaret: vel mortem pararet proximo.

In his, & similibus casibus gravibus, & atrocioribus pro virili omne possibile remedium adhibere tenemur; sed in executione gradatim procedere debemus, ita ut quantum fieri potest, occulteur delictum, & servetur proximi fama: primò videlicet eum fraternè corripiendo: quod si non sit spes emendæ, Prælato ut patri denunciando: quod si Prælatus insufficiens ad hoc videatur, aliquem virum pium potentiorem, &

gravio-

graviorem adeundo, qui possit, & velit prudenter absque ullo scandalo tale impedire ordinem facinus: & si in delinquente non sequatur omnimoda salus, sat erit, ut damnum reparetur, Resp. vel proximi periculo succurratur, & ita ille machinam suam derectam videns, vel salvetur, vel confundatur; ut sic vel ex confusione propria tandem resipiscat.

Si verò potentior & ad id idoneus non reperiatur, cautè monendus est, vel Reipub. moderator, si damnum quod intentatur, est contra Remp. vel Princeps, vel Prælatus secundum facti exigentiam, & qualitatem rerum, & personarum respectivè, vel ipsemet proximus præmonendus, si machinatio est contra privatum, ut sibi interim cavere possit, & intentatum damnum evitare. Quod remedium maxima cum cautela est adhibendum, ne inde majoris discordiæ, vel scandali majoris occasio inter proximos oriatur; & denique opportunius, & salubrius remedium est adhibendum, ad præfatum evitandum damnum vel Resp. vel privati viri secundum unicujusque charitatem & prudentiam, quæ hic maximè prævalere solent.

Secunda assertio. Si neque apud Prælatum, neque apud alios viros graves inveniatur remedium præsentaneum, ut occurratur prædictis criminibus seu peccatis, & periculum sit in mora; tunc statim est procedendum ad denunciationem juridicam, quantumcunque cedat in detrimentum famæ; quia cum bonum commune vel privatum periclitantur in his casibus, nulla est habenda ratio famæ, ut communiter omnes Auctores affirmant cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7.

In his criminibus duplex est via procedendum

Ex his infero: quod in his criminibus duplici via possumus procedere. Prima manifestando ea Prælato ut patri, præcedente correctione fraterna, si ulla sit spes emendationis. Secunda, cum non speretur remedium per viam paternam hujusmodi criminum, recurrendum est ad denunciationem juridicam, manifestando crimen & peccatum Prælato ut judici, ut ipse possit efficacius præcavere & crimina vel peccata prædicta, cum opus fuerit, acriter punire. Quibus cum atrocia sint, pœnæ gravissimæ secundum eorum qualitatem erunt applicandæ; maximè cum peccata fuerint delata Prælato ut judici, ut cæteri timorem habeant.

CAPUT XIV.

Duo extremi errores in denunciatione Evangelica vitandi.

IN denunciatione autem Evangelica Prælato facienda, in extremos solent subditi declinare errores; Alii omninò dissimulant, existimantes se contra charitatem peccare; dum aliorum defectus Superioribus revelant, quod ex ignorantia crassa evenire solet. In hujusmodi errorem Religiosi tempore D. August. declinaverunt, quos ipse sanctissimus Pater redarguit, simul & instruit, docens hanc doctrinam non esse contra charitatem, sed potius pro charitate, dum dicit in Regula 3. Cap. 2. *Nec vos judicate esse malevolos, quando hoc indicatur: magis quippe innocentes non esse, si fratres vestros, quos indicando corripere potestis, tacendo perire permittitis.* Alii verò, non tam ex ignorantia, quam ex tepiditate fervoris & spiritus, importuno silentio, tempore vitationis, etiamsi alias ex eorum taciturnitate Religioni grave relaxationis vulnus infligatur, pertinacius quam pareat, aliorum peccata dissimulant, ac tegunt, contra quos acriter invehitur D. Bernard. *in serm. de S. Joanne Baptista* dicens: *Nemo* (inquit) *fratres vitia palpet, peccata dissimulet: nemo dicat: numquid custos fratris mei sum ego? Nemo quod in se est, æquanimiter ferat, cum viderit Ordinem perire, minui disciplinam; est enim consentire, fieri, cum arguere possis, & scimus quia similis pœna facientes manent, & consentientes.* Hæc Bernard.

Doctrina S. Augustini & S. Bernardi impensius observanda.

Alii verò in errorem alium etiam extremum facilè incidere solent, dum volunt omnia etiam occulta, & quæ omnino tacere deberent peccata, utpotè quæ Divino judicio relinquenda forent, nescio quo zelo ducti, scio tamen illum non esse secundum Dei scientiam, sed potius secundum eorum iniquitatem & malitiam, facilè & absque ulla necessitate revelare, quos eruditè, ac satis piè arguit Navarrus, *Cap.* inter verba, *corolla.* 59. *num.* 235. dicens, seu potius clamans: *O quam multi, & multa graviter peccant, & infamant alios sub nomine virtutis, & illis proficiendi! Quot existunt qui Regibus, Episcopis, & aliis Dominis, patribus, heris, & amicis denunciant peccata suorum subditorum, filiorum, famulorum, & amicorum, dicentes se id agere, ut eos moneant literis, vel verbis, ut recedant ab illis, nunquam ipsos antea monendo, cum esset tibi, quod monitis emendarentur! O quot sunt, qui cupiunt videre, & scire delicta, ut ea dicant, vel scribant Regi, Prælato, alisque Dominis, amicis, & parentibus, ut se gratos illis reddant, utque dissensionem inter illos ponant! Et quod pejus quoque est, quot desiderant evenire errata, ut peccata, defectumque emendationis, ut habeant quod denuncient & scribant! Quod cum præstant, protestantur dicendo (si vobis placet) non dico, nec scribo hoc, ut detrahatur; sed quia eum amo, ac postquam es noster Rex, noster Prælatus, noster consanguineus, vel amicus suus, ideum monitas, ut emendetur. DEUS autem videt quare id dicat & desiderium, quod de ipsius emendatione habet, ac salutationes Angelicas, quas in ejus gratiam recitat. O nos Christianes Christo tam vacuos, quam hypocrisi plenos, cum nobis placeat, ut peccent, & pigeat, ut se emendent: cum nos delectet invenire, cui detrahamus, & de eo mala scribamus; atque simulando dolore intimè de alicujus perditione, eum perdimus coram suo Rege, suo Episcopo, suo Domino, suo Prælato, Patre, vel amico, ac unico protectore, qui fortè ob id solum eum derelinquet; tantumque postea obliviscimur pœnitere horum peccatorum diabolicorum, ac restituere damnum, quod illis intulimus, quantam curam, ac diligentiam atque artem malignam adhibuimus in noscendis malis, & denunciandis. Aperi nobis misericors DEUS oculos, ut deprehenso nostro errore, proximi misereamur, & non murmuremus. Admone quoque perspicacissime Domine, Reges, Prælatos, Dominos, Patres, atque amicos; & revoca eis ob tuam summam pietatem in memoriam id, quod ex sancto Evangelio sacrisque Canonibus colligitur, videlicet non esse obtemperandum denunciationibus, quæ non præcedente necessaria mo-*

Notanda, & attentius perpendenda hæc Navarri verba.

vitione eis fiunt, multoque minus præcipiendum, obtestandum, vel rogandum, ut sibi denuncient; quod Regula est Angelica, & Canonica, ac quodammodo prohibet, ut nos cohibendo, & removendo obtrectationes, ipsique malè illas audire cessando, omnes benè loquamur, beneque audiamus, atque melius operemur. Amen.

His extremè errantibus meritò adjungi possunt etiam illi errores, qui à Prælatis in visitatione passim committuntur; præcipitè ab illis, qui facilè fidem adhibent iis, & illis qui suis denunciationibus, etiam in scriptis, sine subscriptione tamen, Prælatis exhibitis omnia turbare contendunt; quos Hostiensis, *verbo*, inquisitio, §. 2. jure admonet, quod post, & antè inquisitionem generalem, non debent passim, neque frequenter recipere chartulas, quas laici contra Ecclesiasticos clanculo offerunt, cum *qui facilè credit, levis sit corde*, ut scriptura dicit.

Gravis nonnullorum judicum & Prælatorum error, charitati quàm maximè contrarius.

Ex quo colligitur toto cælo errare judices, sive Prælatos, qui non solum omnia facillimè credunt, imò malevolis, & detractoribus liberaliter solent aures accommodare, & sæpè libellis, & aliis denunciationibus, etiam sine subscriptione oblatis, inquirere curant adversus honorem, & bonam inquisiti famam, cum sine infamia, aut expressis indiciis institui inquisitio non possit; & delatoriæ literæ, neque infamiam queunt inducere, neque indiciorum vim sibi vendicare valent, cum illas pro libitu scribere liberum sit unicuique. Quare Pontifices suis sanctionibus decreverunt, hujusmodi schedulis nullam fidem esse adhibendam; ut constat ex *Cap.* Inquisitionis. §. *tertia dubitationis*, illis verbis: *Et utrum ad petitionem querundam, quasdam schedulas vobis occultè tradentium, infamationem Episcopi continentis.* Et infra: *Ad hæc respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laboret infamia, seu clamorosa suspicatio non præcesserit, propter dicta hujusmodi pursuendum, neque ad punitionem eorum, qui libellum infamatorium porrigunt in occulto, procedendum est ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus faciendam.* Hactenus de denunciatione Evangelica. De qua Legendus etiam noster Joannes à JESU-MARIA *lib.* de Regimine Monastico *part.* 2. *Cap.* 35. qui extat *Tomo* 4. Operum ejus *pag.* 147.

Vid. Cap. 7. & 8. Partis 1. supràcit. Judicis Regularis.

CAPUT XV.

De denunciatione juridica Prælato, ut judici facienda.

Disseruimus superius, quando, & in quibus casibus denunciatio Evangelica locum habeat; nunc restat examinandum, quando denunciatio juridica Prælato ut judici sit facienda, dicturi postea, an denunciator teneatur probare vera esse, quæ denunciat.

Omnem denuntiationem, tam Evangelicam, quam juridicam præcedere debet correptio fraterna.

In primis suppono, omnem denunciationem, tam Evangelicam, quam juridicam præcedere debere correctionem fraternam; ut aperte constat ex Cap. *Qualiter, & quando il.* 2. illis verbis: *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic & denunciationem charitativa admonitio præcedere debet.*

His præmissis statuemus aliquas Regulas, ut facilius dignosci possint casus, in quibus teneatur quis peccata Superiori denunciare.

Underiam traditur Regula denuntiationis juridicæ tenere præcedentis & obligantis.

Prima regula: Quilibet tenetur privatæ personæ crimina & peccata, de quibus est infamia, Prælato denunciare, casu quo delinquens fuerit fraternaliter correctus, & nulla sit spes emendæ. Hanc propositionem probat Emman. Roder. q. 6. *art.* 6. ubi docet, quod cum Religioso non emendato ad judicialem denunciationem sit procedendum; quia si Regularium delicta non emendentur, & correctione præcaveantur, in tam grave damnum Religionis cedunt; ut id quod est à sanctissimis Religiosis multis retrò annis factum in ædificationem, per malum unius fratris exemplum obscuretur, prout ex mente D. Thomæ, Soti, Cordubæ & Navarri concludit, idque præstantissimos Theologos docere, quos ipse sequitur. Hæc sententia verissima est, casu quo in perniciem Religionis similia peccata cedant, ut infra dicemus.

Secunda regula: Si peccatum vergit in damnum alterius, præcipuè boni communis, etiamsi occultum sit, potest denunciari Prælato ut judici, nisi forrasse esse firma, & certa spes, posse peccatorem correctione fraterna, vel paterna emendari, juxta ea, quæ diximus *Cap.* 12. Hæc est D. Thomæ expressa sententia 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. Et D. Thomam communiter sequuntur Theologi omnes. Ratio hujus est; quia bonum commune est præferendum, & illi sufficienter providêdum, etiam cum aliqua infamia proximi; præcipuè, quia iste voluntariè lædit bonum commune; & ideo licitum est, quasi via defensionis, illud tueri etiam cum damno delinquentis. Hujusmodi peccata sunt, proditio patriæ, publica subordinatio in officiis providendis, ut dentur indignis cum magno detrimento Reip. peccatum hæresis, & similia.

Unde traditur Regula præcedens & obligans.

Dixi: *nisi fortè esset firma spes emendationis*; quia charitas obligat ad subveniendum communi bono, cum minimo damno privati. Ergo si potest illud defendi, & infamia vitari, utrumque faciendum est.

Tertia regula: Si peccatum proximi est in nocumentum privatæ personæ, ut si alteri paratur mors; tunc teneor denunciare juridicè; quia certum est charitatem obligare etiam ad subveniendum privato proximo, quam vis non æquè ac bono communi; quare in hoc casu magis providendum, ut subveniatur proximo cum minimo detrimento famæ: tentanda est ergo admonitio secreta, si est spes, quæ facilius esse poterit, cum hæc peccata non semper proficiscantur ex magna corruptione morum. Quod si hæc via non habeat locum, & infamandus sit aliquando proximus; comparanda sunt detrimenta, & regulariter præferendum jus innocentis, & cæteris paribus illi favendum magis, quam famæ proximi nocentis. Nec solum Prælato possumus detegere, imò etiam cuivis alteri, qui insontem à periculo redimat, quin etiam & ipsi innocenti, si aliter redimi non possit. In casu verò, quo quis posset sua correctione malum istud avertere, non tenetur Prælato, aut alii manifestare. Deinde in casu, quo suam correctionem profuturam desperet, si sufficiat, ut proximo consulat detectione criminis; tenetur tunc celare personam. In aliquo autem casu, quando magna esset inæqualitas, ut si persona peccans magna esset in æstimatione & dignitate, & ejus infamia esset illi gravissimum damnum;

Vndeim tradiur Regula denuntiationis tenere præcedentis & obligantis.

nocu-

nocumentum autem alterius esset parvi momenti: tunc dissimulandum esset, ac alia via efficaci providendum, neque eo casu denunciandus.

Quarta Regula: Quando peccatum fratris est omnino occultum, & in nullius tertiæ personæ perniciem vergit; tunc ex præcepto charitatis servandus est ordo, ut ante denunciationem præcedat secreta monitio, si sit spes fructus. Hæc regula habetur ex August. *Cap.* Si peccaverit, *Cap.* Accusatio, *Cap.* Si quis, 2. *q.* 7. Ratio est; quia tunc mutando ordinem correctionis, id est, denunciando ipsum ante correctionem, sine causa infamatur proximus. Dicitur autem in proposito peccatum occultum, illud quod non est notorium, neque generat publicum scandalum, quamvis sciatur ab aliquibus, imò licet sit aliquis rumor. Quare rectè concludunt Auctores; hanc obligationem esse sub mortali. Ita Sylvest. *verbo*, correptio, § 5. Angel. *verbo*, denunciatio. Paludan. *in* 4. *distinct.* 19. *q.* 4. & Sotus, *de secreto*, *membro* 2. *q.* 4. *concl.* 3. His addo: Quando crimen seu peccatum, ut optimè docet P. Lessius, *lib.* 2. *Cap.* 19. *dub.* 13. nullo modo probari potest, aperiè contra justitiam peccari, si illud aperias; quia nullum jus habet illud patefaciendi, cum non possit probari, non potest quoque puniri, ac proinde non potest ex ejus revelatione aliud sequi, quam infamia.

Quinta regula: Quando ex crimine, & peccato occulto imminet damnum aliquod temporale, vel spirituale innocenti, si damnum est alicujus momenti; tunc potest crimen proximi manifestari Superiori ut patri, vel ut judici, ad impediendum illud, quatenus id ad illud est necessarium. Ita Sotus *lib.* 5. *de justitia q.* 7. *art.* 1. & Navarr. *Cap.* 18. *n.* 31. & multi alii Theologi. v.g. novi Petrum esse furem, possum monere eos, cum quibus habitat, ut sibi caveant. Homicidium à Petro commissum impeditur innocenti, qui ob id erit plectendus, possum aperire Petrum auctorem. Imò in hujsmodi casibus sæpè fit, ut non solum possim, sed etiam ex charitate tenear crimen & peccatum alterius manifestare, nempè si grave damnum ex eo alii immineat, & damnum quod ex manifestatione sequitur, non sit tanti, ut ejus ratio pro tuto haberi debeat. In dubio autem, utrum præponderet? inclinandum est in favorem innocentis, cui in dubio semper favendum. Ratio hujus regulæ est; quia nemo habet jus ad propriam famam cum tanto damno, quod indè detrimentum alteri injustè obveniat.

Hæc tamen regula ita limitanda est, quod in casu quo sit alia via commodior, seu minus noxia ad avertendum illud damnum, non est necesse, crimen alterius patefacere. Ratio est; quia ex charitate tenemur quantum fieri potest, in minimo lædere proximum.

Sexta regula: Nemo tenetur denunciare, vel secretò corripere cum notabili sui damno, nisi interesset bono communi, neque etiam de injuria sibi illata denunciare, nisi noceret bono communi vel alterius innocentis.

Septima regula: Nemo potest culpas, quamvis publicas, de quibus quis est panitus & correptus, denunciare.

Octava regula: Nemo potest culpas secretas, quas ob consilium, vel sub fide secreti novit, propalare etiam præcepto coactus vel censura, nisi contra bonum commune, vel privatum alicujus innocentis essent hujsmodi culpæ.

Nona regula: Nemo tenetur, peccatum de quo est dubium, an fuerit commissum, vel quod à levibus, vel minus fide dignis referentibus audivit, denunciare: secus verò, si communi bono, vel privato innocentis noceret; tunc enim simul cum dubio, & levitate referentium referri debet, ut Superior invigilet.

Decima regula: Quando multi sunt in uno crimine & peccato complices, & unus est tantum diffamatus, & indicatus, alii non sunt manifestandi, nisi crimen bono communi, & proximo noceat. De forma in denunciatione juridica in scriptis facienda, dicemus *Tract.* 3.

Ultima regula: Quando Prælatus inquirit non ad punitionem, sed ad aliquam electionem faciendam, quilibet sciens idoneitatis ipsius, de quo inquiritur defectus, tenetur aperire, nulla admonitione præmissa, nisi privata admonitione credatur eum sponte officio contradicturum.

Hanc Regulam tenet M. Sotus de secreto, *membro* 2. *q.* 6. *concl.* 3. Sylvest. *verbo*, Inquisitio, *primo q.* 4. *num.* 10. Navarrus in Rubrica *de judiciis*, *num.* 85. & plures alii moderni; & probant expressè ex multis Juribus, ex *Cap.* nihil. *Cap.* cum dilecto. *Cap.* postquam, *de electione*. Et probari potest ea ratione. Quia nihil magis expedit ad bonum Reipubl. & ad Ecclesiæ sanctitatem & splendorem, quam quod digni ad electiones assumantur, & indigni repellantur, ut constat ex *Cap.* nihil. ubi: *Nihil est quod Ecclesiæ DEI magis officiat, quàm quod indigni assumantur Prælati ad regimen animarum, &c.* In *eodem Cap.* præcipitur, ut Superiores ad quos pertinet confirmatio officiorum, diligenter examinent defectus electi, tam in moribus, quam in scientia, &c. ad impediendam confirmationem; & ideo ex officio debet inquirere judex de probitate vitæ, de idoneitate eligendi, instituendi, confirmandi, & promovendi, ad ordines, dignitates, beneficia, vel officia. Igitur si judex ex officio tenetur inquirere, ac per consequens juridicè inquirit, non ad pœnam, neque punitionem, sed potius ad vitandum errorem, qui possit vergere in damnum commune, tenentur illi qui interrogantur, veritatem fateri, maximè in illis rebus sive defectibus, qui irritam electionem reddere possent, etiamsi defectus essent secreti; quia magis tenemur bono communi, quam bono famæ privati consulere.

Debent tamen in hoc casu, ut benè advertit P. Lessius *de just. lib.* 2. *Cap.* 29. *dub.* 15. crimina & defectus Superioribus aperiri secretò, & quam minima fieri potest, famæ læsione. *Notanda hæc Lessij advertentia.*

CAPUT XVI.

An teneatur denunciare ille, qui non potest delictum probare?

PRo parte affirmativa est textus *L. Divus*, & *L. Accusatio. ff ad Senatusconsult. Turpillia.* Ubi probatur denunciatorem debere probare, vera esse quæ in denunciatione asseruit.

Secundo, Colligitur expressè ex *C. plerumque* 2. *q.* 7. juncta ibi Glossa, & in *Cap.* de pœnitentia, *distinct.* 6. & ex *C. placuit* 6. *q.* 2. & ex aliis Juribus;

ex quibus colligitur, neminem teneri ad denunciationem juridicam : nisi eorum, quæ novit posse probare.

Ratione præterea probatur ; quia accusator non tenetur accusare, si non possit probare, alias si in probatione defecerit, talionis pœna mulctabitur. Ergo simili pœna esset etiam mulctandus, qui culpam alterius denunciarit, si in probatione defecerit. Quare durissimum videtur, obligare aliquem ad denunciandum peccatum alterius, cum id non possit probare, quia maximam injuriam inferret & sibi, & denunciato.

Secundò probatur ; quia sufficeret ad impediendum damnum, & delictum præparatum, dicendo judici extrajudicialiter, & ei qui prodesse, & non obesse posset. Ergo non est necessarium, ut denunciet id, quod probare non potest, etiamsi delictum esset innocenti noxium.

Præterea hæc sententia defenditur ab Auctoribus magni nominis, inter quos Navarrus in Manuali *Cap.* 17. *n.* 134. & in *Cap.* inter verba 11. *quæst.* 3. *conclus* 6. *Corollar.* 66. *n.* 778. Imò addit ipse Navarr. *dicto Cap.* inter verba, *ubi supra*, id etiam procedere in crimine læsæ majestatis. Cordub. in *Summa q.* 14. Petrus Navarra *lib.* 2. *de restitution. Cap.* 4. Rosella, *verbo*, confessionis celatio *n.* 13. *in fine.* Angelus, *v. confessio* 8. *n.* 22. demum Reginaldus hanc sententiam expresè tenet *lib.* 4. *in sua praxi Cap.* 7. ubi multa adducit pro hac sententia, quæ probabilitate non carent.

Contraria tamen sententia multò verior, & probabilior videtur : eam tenet expresè D. Tho. 2. 2 *q* 68. *art.* 2. ad 3. ubi ita scribit : *Ad tertium dicendum, quod denunciator non se obligat ad probandum. Unde nec punitur, si probare nequiverit, & propter hoc in denunciatione non est necessaria scriptura, &c.*

Discrimẽ inter accusationẽ & denunciationẽ. videndus de hac Judex Regular. 1. part. cap. 9. & Directorium Regular. 3. part. Tract. 4. disput. 3. sect. 6. & 7.

Hanc sententiam D. Thomæ communiter amplectuntur omnes fere Thomistæ in illa *quæst.* 68. agentes de crimine inter accusationem, & denunciationem. In primis tenet eam M. Sotus *lib* 5. *de justitia, & jure q.* 4. *art.* 3. & plenius *q.* 5. art. 4. *Ubi in hoc solum* (inquit) *differunt accusatio, & denunciatio, quod denuncians non tenetur probare ; sed judex tunc tenetur inquirere.* Et infra agens *de denunciatione*, inquit : *Quin verò, si non existerent idonei testes ad probandum, festinandum est ad denunciationem judicialem. Et hæc est* (inquit Sotus) *expressa sententia D. Thom.* 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *ubi ait oportere in talibus casibus statim procedere ad denunciationem, ut hujusmodi nocumenta impediantur.* Ita Sotus. Et *infra* docet, quod quando peccata sunt in perniciem publicam, & non potest eis aliter obviari ; *tunc malefactor denunciandus esset denunciatione judiciali, quin verò accusandus, si probari res posset.* Hanc distinctionem inter accusatorem, & denunciatorem communiter gravissimi Auctores sequuntur. P. M. Bañes 2. 2. *q.* 33. *art.* 8 *dub* 3. Ubi approbat illam differentiam assignatam à M. Soto, inter accusationem, & denunciationem. *Est* (inquit) *altera differentia, quod accusatio obligat accusatorem, ut probet quod accusat ; denunciatio verò non obligat ad probationem.* Arragon. 2 2. *q.* 68 *art.* 1. ubi expressis verbis ita inquit : *Ab accusatione in hoc solo differt denunciatio, quod denuncians non tenetur probare, cum accusator tentatur ad probationem.* Et fermè isdem verbis confirmat Salon de *Just. & Jure. q.* 68. *art.* 1. ubi duas constituit definitiones accusationis, & denunciationis ; quia denunciatio est *delatio criminis ad judicem gratia punitionis delicti.* Accusatio verò est *criminis delatio ad judicem, cum obligatione probandi delictum. Quæ Definitiones* (inquit) *colliguntur ex* D. Thoma, *citata quæst.* 68. *art.* 2. *ad* 3. Lessius de Just. & Jure lib. 2. Cap. 29. dub. 12. *In hoc enim* (inquit) *differunt accusator, & simplex denunciator, quod accusatori incumbit onus probandi ; denunciatori minimè.* P. Suarez de fide, spe, & charitate Tract. 1. disp. 20. sect. 4. *Propria* (inquit) *differentia est inter accusatorem, & denunciatorem, quod in accusatore, accusator sit pars illius judicij Denunciator autem non sit pars, sed tantum defert crimen ad notitiam judicis, ut ille ex officio procedat. Unde sequitur aliud discrimen magni momenti, quod accusator tenetur probare delictum, denunciator verò ad probationem non cogitur.* Toletus l. b. 5 Cap. 57. *In cujus* (inquit) *gratiam nota inter esse inter denunciare judicè, & accusare : Denunciat enim, qui apud judicem alicujus crimen tantum defert, ut ad emendationem propter bonum publicum procedat : nec qui denunciat, tenetur tale crimen testibus probare.* Eodem quoque modo loquitur Gregor. de Valentia, in 2. 2. D. Thom. *disp.* 5. *q.* 12. *puncto* 1. *vers. porrò discrimen.* Rodriquez, Tomo 2. *q.* 6. *art.* 1. qui docet hanc sententiam esse communem opinionem Doctorum, in *Cap.* super his, *de accusat.* Et idem docet *art.* 9. Ubi latius probat hanc sententiam. Et denique Julius Clarus in Practica Criminali. § *finali q.* 7. *vers. Ulterius quæro quæ sit forma*, &c. Penna in 3. *parte Direct. Inquisitorum, commentar.* 15. qui expresè docet denunciatorem non teneri ad probationem. Idem docet Farinac. de *Hæres. Cap.* 185. *à numero* 71. Ubi sequitur sententiam Pennæ.

Secundò dico ; in praxi nostrâ sententiam esse certiorem, & securiorem, ut benè probat Penna *ubi supra* his verbis : *Hu peractis* (id est, facta denunciatione) *nulla sunt amplius denunciantium partes, sed judex totum relinquitur, ut inquirat de delicto, de delinquente, accitis testibus, quos denuncians nominavit : item aliis, à quibus veritas haberi possit : quod etiam usus observat. Quamvis enim denunciator jure olim probare deberet, vera esse, quæ in denuntiatione asserit* L. Divus & L. *ab accusatione. ff. ad senatusc. Turpillia. Hodie tamen id praxis judicantium non admittit.* Ita Angelus *practicato loco*, & Salycet. in L. *Ea quidem.* C. de accusatio. *num.* 27. & Marianus Socinus in *Capite* Qualiter & quando. 2. *num.* 712. *vers.* & licet secundum Jura, *extra. de accusatio.* Eisdem fere verbis utitur Clarus, *ubi supra* & Farinac. superius relatus.

Et ratione probatur primò, quia alias crimina enormia, & atrocia, qualia sunt conjuratio in Principem, in Remp. falsificatio monetarum, hæresis, & alia similia, quæ ordinariè quanto atrociora, eo majori secreto committuntur, ut vix possint ab uno vel altero cognosci, ordinariè manerent impunita, & ita vix aliquis auderet denunciare quod probare non posset. Hanc rationem adducit P. M. Sotus *lib.* 5. *ubi supra q.* 4. *art.* 3.

Secundò probatur. Quia in denunciatione non requiritur plena probatio denuncianti, cum officium denunciatoris tantum sit excitare judicem, ut ipse inquirat similia delicta, accitis testibus;

Respondetur argumentis contrariæ opinionis.

testibus; maximè quia denunciator potest esse testis, & facit semiplenam probationem, ut plenius resolvimus post M. Sotum, & Bannes *supra*. Demum confirmatur ex communi praxi omnium tribunalium, tam Ecclesiasticorum, quam Sæcularium, in quibus denuncians nunquam compellitur ad probandum.

Tertiò dico: Hujusmodi delicta, quando est certa spes emendæ, fraternaliter sunt corrigenda, quod si nostra correctio non sufficiat, denuncianda sunt Prælato ut patri, qui possit prodesse, & non obesse; & demum si prædicta non sufficiant, subveniendum est communi bono per denunciationem juridicam, ut nos plenius *Cap.* 21. annotavimus.

Respondetur argumentis contrariæ opinionis.

Ad argumenta in contrarium respondetur; quod illi textus loquuntur secundum jus antiquum, sed jam praxis aliud observat, ut supra ex Julio Claro, & Penna, & aliis probavimus.

Ad secundum respondetur; Denunciatorem non teneri ad probationem, neque mulctari ulla pœna, etiamsi falsum denuncier (pœna enim talionis tantum est constituta pro Accusatoribus.) ratio discriminis est, quia Accusator suscipit supra se onus probandi, Denunciator verò non suscipit onus probandi, sed omnino rejicit in judicem, ut ipse inquirat, & probet; & ita tantum præparat viam ad inquisitionem à judice faciendam.

Ad tertium respondetur; quod omnia remedia gradatim tentanda sunt, ut malum imminens Reip. impediatur. Ita ut primò post secretam admonitionem Prælato ut patri extrajudicialiter denuncietur: quod si malum hac via impediri non possit, progrediendum est ad denunciationem juridicam, ut peccata in publicam perniciem committenda, omnino impediantur, vel commissa puniantur.

CAPVT XVIII.

Praxis à Superioribus circa denunciationem juridicam observanda.

PRælatorum munus est, prudenter, ac vigilanter cum omni zelo, & charitate expendere, an admittenda sit juridica denunciatio contra aliquem producta, & an in illo, vel similibus casibus juridicè procedere oporteat, vel non: considerantes in primis, tam personam denuncians, quam denunciari, cum omnibus aliis circumstantiis. Nam si Denunciator esset alias malignus, & pacis perturbator, nullatenus debet audiri, vel si denunciatus esset vir eximius, & probatæ vitæ, ac per plurimos annos in sua Religione laudabiliter conversatus, nequaquam acceptanda est contra eum denunciatio similis à quocunque fieret, etiam à viro eminenti; nam sæpè Angelus tenebrarum in Angelum lucis transformari solet, & viri alias piissimi, aliquando passione aliqua ducti, se præcipites dant in proximorum depressionem, vel oppressionem. Quare nullatenus censeo, acceptandam esse talem denunciationem, ne virorum piorum facilè in Religione fama denigretur.

Contra tales accuratè tradit Rodericus, *Tomo 2. quæst. 6. art. 8.* in hoc casu solam accusationem ad pœnam talionis esse acceptandam, ne malignantes, sub spe indemnitatis (quia denunciatores si deficiant in probatione, nulla pœna taxantur) & remanendi impuniti, ansam & occasionem capient opprimendi præfatos vitos.

Quam doctrinam colligi Rodericus ex *Cap.* Repellant, *de accusationibus.* Cap. *Si peccaverit*, 1. q. 1. *Omnes* (inquit Auctor ubi supra) *Juris periti calumnias hominum videntes, ut circumspecti sentiunt non facilè hujusmodi denunciationes admittendas; quia sceleratorum hominum genus extat, qui ut negotium aliis acerbissimum exhibeant, accusationem prætermittunt, ne parem pœnam, si probationem non præstiterint, solvere cogantur: ad denunciationem autem, ut ad suæ pravitatis asylum confugiunt. Itaque nisi homo denuncians spectata fuerit probitatu, non debet judex ejus sermone moveri, nec ad inquisitionem procedere, prout ex jure colligitur.* Hæc ille.

Quod si Prælatus certò, & manifestè deprehenderit denunciationem sibi factam esse falsam, tenetur eam non admittere, & curare, ut innocentis fama illæsa servetur; Quod si instet denunciator, poterit et secretò minari, judiciumque suspendere, nisi alias scandalum, aut communis boni damnum ex hoc proveniret; tunc enim debet juxta allegata, & probata judicare. Si noverit accusationem, sive denunciationem juridicam, esse quidem veram, tamen contra charitatem, quia est de peccato omnino occulto, & quod nullatenus cedit in detrimentum, neque boni communis, neque particularis; tunc procedere ulterius ad probationem non tenetur, & tanquam pater secretum crimen minus juridicè denunciatum secretò servare: poteritque, si opus fuerit, secretò delinquentem monere. Si verò noverit denunciationem ex notitia confessionis aliquo modo ortam, quocunque scandalo, vel damno posthabito, eam rejicere tenetur.

Quid Prælatus faciendum antequàm denuntiationem quamlibet admittant.

Quare necessarium utique arbitror, ut Prælati antequam denunciationem quamlibet admittant, cujuscunque personæ illa sit, debeant omnino denunciationes interrogare, an fraternam correctionem adhibuerint per se, vel per interpositam personam, & omne aliud remedium possibile, antequam ad ipsam denunciationem juridicam devenerint. Et maturè omnibus ponderatis, si judicaverint, indebitè fraternam correctionem omissam, vel aliquod aliud æquivalens remedium, quod opportunum & efficax judicaverint; præfatam denunciationem nullatenus admittant; sed solum paternam & Evangelicam: nisi in casu quo per paternam denunciationem imminenti damno occurri non possit. Quare regulariter denunciatio juridica non est admittenda, si correctio fraterna omissa fuerit, vel aliquod æquivalens remedium, ut dictum est.

Præclarè licet compendiosè de hac materia scripsit R. P. fr. Ad. à JESU MARIA in suo Reg. Monastico 2. part. cap. 30. & seqq. qui cū fructu consuli poterit.

Demum si nullum horum defectuum Prælatus noverit, debet denunciationem juridicam recipere, quæ si fuerit de re graviori, per capita distinguenda erit, cui subscribat denunciator, aut si nesciat scribere, ipse Prælatus, die, mense, annoque notatis: & ad testium inquisitionem probationemque delicti, servatis iis, quæ de inquisitione particulari dicemus inferius, procedat.

CAPVT XVIII.

De examine, & judicio culparum ante Capituli celebrationem à Visitatore faciendo.

PRæmissa generali inquisitione, ac generali facto examine singulorum, ut dictum est *supra*, qui est primus visitationis actus; si nullæ reperiuntur graviores culpæ, de quibus opus sit formare processum, Visitator facto examine culparum, e iam levium, illisque in scripto redactis, ne facilè memoria excidant, statim, ut moris est in nostra Religione, Capitulum celebrabit. Si verò ex visitatione constet juridicè de alicujus graviori, aut gravissima culpa, de qua oporteat formare processum, circa quam opus sit examinare testes, ac à reo confessionem exigere, aliasve informationes facere; debet Visitator ad inquisitionem specialem, qui est secundus visitationis actus, juris ordine servato, juxta illa, quæ inferius dicemus, procedere.

Primò. Antequam Visitator culparum Capitulum celebret, opus est, ut præmissa oratione, quæ ab ipso sequenti Capitulo præstanda erunt, attentè consideret.

In primis sibi persuadet, finem & scopum visitationis esse pacem, & observantiam; *pacem* ajo & *observantiam*, quia sine observantia non erit vera pax, observantia verò sine pace, infernus potius quam Religio censeri debet. *Factus enim est in pace locus ejus.* Ubi enim DEUS non est, quid superest, nisi ut Infernus noncupetur? Quare ante omnia cavere debet Visitator, ne ab illo Conventu discedat, antequam inter Superiores & Subditos vera stabiliatur pax; quod si quem invenerit communis pacis perturbatorem, ab illo Conventu tanquam pestis, quæ illum potest inficere, separandus erit.

Secundò. Præter ea omnia, quæ in visitatione accepit, consideret & ea, quæ sunt majoris momenti, diligentiusque expendat: quid item certum, quid dubium, quid probabile, quid grave, quidve leve videbitur, exactè apud se judicet & discernat, ita ut in Capitulo unaquæque res ab eo proponatur, sicut ipsa res est.

Tertiò. Advertat peccata publica, & quæ communi Religionis bono nocent, publicè & severè esse corripienda; nam sicut peccata secreta, secretè corripienda sunt, juxta illud Christi Domini Matth. 18. *Corripe eum inter te, & ipsum solum.* Ita publica publicè, juxta illud Apostoli ad Timot. 5. *peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant*: sic enim D. Augustinus, *serm.* 17. *de verbis Domini*, utrunque præceptum conciliat. *Ergo* (inquit) *corripienda sunt coram omnibus, quæ perpetrata sunt coram omnibus; illa secretius quæ peccantur secretius.* Moriturus olim Jacob, filios suos sic alloquitur, *Congregamini* (inquit) *& audite filij Jacob, audite Israel patrem vestrum.* Genes. 49 ubi Patriarcha omnes simul alloquitur, ea planè de causa, quia reprehensurus erat primogenitum Ruben, de publico incestu: Simonem, & Levi de publica injustitia; quia publica filiorum peccata, nonnisi publica admonitione indigebant. Quare correctio Sacerdotis Heli scelerum filiorum DEO non placuit; quia publica filiorum mala secretis tantum admonitionibus curabat, & objurgabat in aurem ea crimina, quæ publica erant in Israel. Unde nec suo muneri, nec filiorum necessitati consulebat.

Dixi: *publicè & severè similia peccata*, non lenitate paterna, sed severitate judicis corripienda sunt, ut optimè D. Petrus Damianus invehitur contra sacerdotem Heli, quia in corripiendis filiorum defectibus severitatem debitam non adhibuit, in *Epist.* 12. *ad Nicolaum Pontificem* ita scribit, *Heli* (inquit) *quia filiorum peccata cognovit, sed eos invectione, qua digni erant, acerrima non corripuit, eisdem filiis à Philistijm in bello peremptis, ipse quoque de sella retrorsum cecidit.* Et infra. *Et quidem redarguit, & corripuit, sed lenitate, & mansuetudine patris, non severitate vel auctoritate Pontificis.*

Et rursus *lib.* 7. *Epist.* 3. ad Henricum Romanorum Regem. *Heli* (ait) *sacerdotij dignitate detruditur, dum non intentat filijs verbera, sed blanditur; utcunque tamen corripuit illos, sed lenitate patris, non auctoritate Pontificis, atque ideireo cornibus effractis occubuit; quia peccantibus inclementer indulsit.* Ac demum Innocentius III. Papa *lib.* 1. *Decretal.* Constit. 14 *Licet* (inquit) *Heli summus sacerdos in se bonus existeret, quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit; & in se parcens, & in ipsis animadversionis vindictam exercit.* Et infra *ad corrigendos igitur subditorum excessus tanto diligentius debet Prælatus assurgere, quanto damnabilium eorum offensas desereret incorrectas.*

Quartò. In Capitulo etiam leves culpas, præcipuè, si in his fuerit transgressio facilis & frequens, non leviter pertranseat, cum constet illa quæ etiam leviora videntur, non parum ad Religionis spiritualem profectum cultumque conducere; quare si ista à Visitatoribus, ut levia, aut parvi momenti contemnantur, Religionis substantiata fundamenta paulatim ruent. Juxta illud, *Qui modica spernit, paulatim decidet.*

Quintò. Curare præterea debet eas transgressiones, quæ contra nostram Regulam, sive institituti rationem directè militant, quales sunt defectus in Choro, in Oratione mentali, in jugi cellulæ habitatione, in exitu de Claustro, in vita communi, graviter severèque corrigantur.

Si aliquas excusationes contra Prælatum invenerit, non debet eis statim fidem adhibere, sed eas noter & expendat, quoadusque veritatem assequatur; quia subditi sæpè à Prælatis correcti, aut mortificati, eorum defectus nimium exaggerare solent; quare in accusatione contra Prælatos exhibita, exactiori diligentia utendum est, præcipuè contra illos, qui alios arguere & castigare solent. Quamobrem non quælibet probatio contra Prælatum, etiamsi videatur plena, facilè admitti debet. Ut prudenter in *Cap.* Qualiter & quando, his verbis cavetur: *Licet hoc sit observandum in subdito* (& loquitur de infamia, quæ debet præcedere antè denunciationem) *diligentius tamen est observandum in Prælatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam, & qui non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo tenentur non solum arguere, sed etiam increpare, quinimò interdum suspendere, nonnunquam verò ligare, frequenter multorum odium incurrunt, & insidias patiuntur. Et ideo sanctis PP. provide statuerunt, ut accusatio Prælatorum non facilè admittatur, ne con-*

cussa

cussis columnis corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsa, sed etiam maligna criminationi janua præcludatur.

Quare Visitator ab aliis cautè petet: qualiter Superior se gerat in ea re, de qua accusatur, ita tamen interroget, ut illi minimè suspicentur, Superiorem ab aliis de simili culpa fuisse accusatum. Quod si aliqui defectus contra Prælatum à subditis fuerint probabiliter delati, antequam publicè in Capitulo Prælatum corrigat, illi secretò culpas, quæ alicujus fuerint momenti, tacito Auctorum nomine, exponat, ipsumque audiat; nam aliàs si inaudito eo ejus defectus corripiat, vel aliqua statuta circa similes defectus decreverit, postea inspecta veritate, turpiter ea retractare cogetur.

Item advertat, non facilè contra viros in Religione, sanctitate, aut virtute eminentes, admittendam citò denunciationem; nam aliquando ex detectione alicujus criminis occulti viri alias virtute (saltem quo ad opinionem) insignis, majus aliquando Communitati detrimentum accrescit, quam utilitas ex ejus publicatione procedat.

Si Prælatorum culpæ omnibus fuerint manifestæ, in Capitulo publicè servata circumstantia personæ corrigantur, ut & reliqui sciant, Prælatorum culpas, & excessus minimè fore dissimulandos. Prudenter tamen id fiat, ne subditis deinceps præbeatur occasio contemptus, aut irreverentiæ erga Prælatos: quare omnino cavere debet, ne dum subditos consolari studet, illos debiliores in obedientia & honore Prælatis exhibendo reddat.

Advertat præterea Visitator, quod quamvis in puniendis delictis Prælatorum, majori cum prudentia & cautela procedere debeat; quia cum ipsi plures, ut diximus, habeant inter privatos parietes hostes (si ita fas est loqui) major ac manifestior probatio desideretur; tamen quando culpæ ita fuerint graves, ut manifestè Prælati depositionem requirant; tunc liberius quam si essent Prælati læculares, ac levioribus de causis à Prælatura removendi sunt, ut apertè docetur in *Cap.* Qualiter. 2. *de accusationibus.* & *Cap.* Per tuas, *de simonia* §. *finali*; quia cum studere humilitati Religiosorum Prælati debeant, ut ab administratione cum causa removeantur, illi valdè curandum non est. Ita tenet communis Canonistarum sententia.

Eorum deinde, quæ emendanda, præscribenda, decernendaque existimet, quædam in sua præsentia (forsan quia tali indigent remedio) exequi poterit, quædam ore monebit, ac in aliorum præsentia corriget: alia privatim & secretò, alia etiam in scriptis, ut sunt acta & mandata, & quæ fuerint relinquenda, prout Regulari disciplinæ, morum correctioni, fratrumque paci, & saluti viderit magis expedire: eas verò ordinationes sive acta, quæ pro visitationis fructu duxerit præscribenda, ea neque nimis levia, & minuta, neque in magno numero præscribat.

Demum Visitator non sit nimis curiosus in scrutandis culpis secretis & occultis, advertens, quod multa, quæ occulta sunt, divino Judicio sunt relinquenda, ut benè advertit Magister Bannes 2.2. *q.* 33. *art.* 8. *dub.* 2. his verbis: *Advertant Prælati, quod multa sunt relinquenda judicio DEI, & cavent, ne velint usurpare judicium illius: sunt enim aliqui Prælati, qui plus nimio zelo corrigendi crimina agantur, & non secundum scientiam, & valdè satagunt, ut universa subditorum peccata in publicum judicium veniant sub pratextu boni communis conservandi, cum tamen non omnia peccata sint boni communis destructiva, circa quæ rigidus ille zelus justè exercetur. Alia verò crimina debent Prælati, præsertim Ecclesiastici ut patres corrigere, & in profundum maris projicere.* Hæc M. Banner.

CAPUT XIX.

Qualiter Visitator in correctione culpæ sibi ut patri delatæ, se gerere debeat.

SI aliquis per denunciationem Evangelicam, sive fraternam, tanquam patri fuerit denunciatus, oportet, ut Visitator sciat modum, qualiter gerere se debeat erga hujusmodi fratrem Evangelicè denunciatum; nam cum in Capitulo publicè, nec alibi delinquens corrigi debeat, poterit tamen, vel ante Capitulum culparum, vel post illud, reum ad se delatum paternè in spiritu lenitatis corripere, & quoad fieri possit, nil de supplicijs cogitando, ejus vitia charitativè corrigat, ejusque vulneribus medeatur, & crimina radicitus quidem, sed suaviter evellat, omni prorsus, quoad fieri poterit, judicii forma rejecta; quod specialiter in nostra Regula, *Cap.* 10. ubi est sermo de correctione culparum in Capitulo facienda, illis verbis: *Ubi etiam excessus, & culpa fratrum charitate media corrigantur*: divinitus cavetur.

Ut autem modum paternum servet, maximè proderit, si Divi Benedicti, & Basilii (hi enim sunt ubertimi vitæ monasticæ fontes) testimonia attenta mente revolvat. Divus enim Benedictus, *Cap.* 64. *Regulæ*, Abbates circa correctionem exercendam, sic instituit: *In ipsa autem correctione prudenter agat, & ne quid nimis; ne dum nimis cupit eradicare rubiginem, frangatur vas, meminerit calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia, sed quod prudenter & cum charitate amputet, prout viderit cuique expedire, & studeat plus amari, quam timeri.* Idem quoque D. Benedictus *Cap.* 2. *Regulæ* qualiter Abbas debeat severitatem cum benignitate miscere, his verbis docet: *In doctrina sua Abbas Apostolicam illam debet servare formam, in qua dicitur*: Argue, obsecra, increpa, *id est, miscens temporalibus terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum, sciatque quam difficilem & arduam rem suscipit, regere animas, & multorum servire moribus, & alium quidem blandimentis, alium increpationibus, alium suasionibus, secundum uniuscujusque qualitatem & intelligentiam.* Hactenus ille.

His præmissis adhibere etiam poterit sequentia remedia, de quibus plenius *Cap.* 10. egimus: *In primis* secreto recidendi occasiones, si quas subditus habet, & si opus fuerit, sub pœna excommunicationis, aut sub præcepto secreto illi imposito, quidquid viderit illi esse noxium, amputare curet.

Secundò. Poterit eum, si expedire crediderit, coram aliquo, vel aliquibus prudentibus Patribus corripere, & minari se vigilaturum super eum;

eum, qui & confessum paternè (si gravitas delicti requirat) secretò verberare, ad incutiendum timorem poterit.

Tertiò. Si Prælati monitis obtemperet cum emendatione, à Prælato plecti non potest, nec aliud quidpiam verbo, vel opere fieri debet, undè ille malè apud alios audiat, aliàs Prælatus graviter peccaret.

Quartò. Si Prælato non pareat, vel crimen inficietur, si crimen noceat bono communi, Prælatus judicè procedat ipso Evangelicè denunciante testis vicem gerente, ut Magist. Soto, *de secreto tegendo Cap. 2. quæst. 6.* P. Lessius *lib. 2. de Justitia Cap. 29. dub. 12. num. 104.* docent.

Quintò. Si crimen noceat soli auctori, ac criminis desint testes, subditusque sit rebellis, aut crimen neget; ibi cessandum est, donec sit infamia, vel indicia sufficientia ad inquirendum.

Sextò. Si verò in prædicto eventu testes criminis adsint, cum rebellione accusatoris vicem gerente, cum duobus testibus Evangelicæ denunciationis, plecti potest; dummodò tamen bono communi damnum non inferatur, & spes sit pœnam ei ad salutem profuturam. Si desit spes, sistendum est, & orandum pro eo, nisi communi bono expediret, eum etiam pertinacem judicè plectere: demum ubi opus fuerit tam judicis, quam patris (limitationibus ibi adhibitis) exerceat officium.

CAPVT XX.

De aliis à Visitatoribus observandis in visitatione perficienda.

Quomodo se gerere debeat visitator.

Secundum criminum qualitatem, & circumstantias oportet, ut Visitator culparum correctioni sedulo studeat; nam quæ secretò ei fuerunt delata, ut *præcedenti Capitulo* annotavimus, secretè etiam corripi debent, quæ verò notoriæ aut graviores erunt, severiori correctione, servatis servandis, indigent; terribile enim judicium Prælatis imminet (si SS. Patrum testimoniis fides adhibenda est,) si negligenter in corrigendis subditorum excessibus se gesserint. In primis D. Basilius in Regulis brevioribus, *interrogatione 16.* Sic inquirit: *Quod horrendum imminet judicium Prælato peccantes non corrigenti? Respondet. Qui commissam sibi curam communem habet, sic efficietur velut, qui rationem reddere debet de singulis: illudque certo sciat, si frater quispiam in peccatum ceciderit quem ipse prius de Judicio DEI non præmonuerit, vel si jam lapsus in eo perstiterit, nec docuerit rationem, qua sanari possit, sanguis ipsius de manibus ejus requiretur, maximè si non propter ignorantiam, sed propter adulationem neglexerit.* (Et infra) *Qui verò non sic se habet, nempe sincerè veritatem annunciando, dux est cæcus & seipsum præcipitans, & sequentes simul inducens.* & infra addit: *Nullus pater negligit filium suum in foveam cadere, aut collapsum in ruinam dimittit: quantò magis horrendum est, animam in profundum malorum incidentem in interitu dimitti?* Hæc Basilius. Plura possemus ex D. Gregorio in *Pastorali*, ac ex aliis Patribus testimonia adducere, quæ facilè videri poterunt in *Commentariis* in nostram Regulam à nobis editis, *Cap. 10.*

Nunc contenti erimus in hoc proposito notabiliora Humberti aliàs viri piissimi ac doctissimi verba referre, qui in Regula D. Augustini, *Cap. 164.* enumerans causas, ob quas à correctionibus Prælati mercenarii frequenter desistunt, ita scribit: *Contingit interdum, ut Prælati transgressiones aliquas non corrigant, aut ex pusillanimitate cordis, aut ex humilitate superstitiosa, aut ex diffidentia proficiendi, aut ex ignorantia quod fratrum culpas ignorant, sed nec curam ad eas cognoscendas adhibent, aut rursus propter pacem proprium, quam turbare nolunt, aut propter verecundiam; Conscientia enim eos accusante, alios corrigere non audent; aut propter timorem odij, verentes, ne in subditorum indignationem incurrant, aut propter Prelationis amorem aut desiderum, quam omittere formidant, subditos contra se hujusmodi correctionibus provocantes, aut ob defectum zeli, aut denique ex negligentia, qua in Prelationis statu maximè damnanda est.* Hæc Humbertus.

Et quamvis Abbas in *Capite* Cleric. *de vita & honestate Clericorum*, censeat, quod aliquando tolerari, & dissimulari possint peccata ad tempus absque Prælatorum culpa, si ex punitione delicti timeretur, ne delinquens deterior fieret, quæ quidem doctrina mihi non placet; nisi casu quo aliquod majus scandalum in Reipublicæ perniciem inde oriretur, si punirentur peccata: fallit enim est tale judicium de præsensa deterioritate rei, & nimis potens, ad relaxandos Judices à munere correctionis, ut prudenter notat Bernard. Diaz de Lugo in sua *practica criminali*, *de concub. Cap. 79.* ait enim, quod Prælati advertant, ne hujus doctrinæ colore in vitiorum correctione torpescant: nam sive speretur delinquentis emendatio, sive non, Prælati qui sunt etiam judices, tenentur ad eorum correctionem prius paternam, deinde judiciariam, ut sæpius dictum est; nam non respicere debent utilitatem privatam delinquentis, ut scilicet pœniteat, & salvetur; sed magis ad publicam totius Ordinis, ut expurgetur malis, & cæteri timore pœnæ unius coërceantur, sicut colligitur ex Canonibus, & Conciliis, & sanctis Patribus.

Præterea proposito huic optimè convenit, quod notat S. Ant. *3. part. Sum. tit. 19. Cap. 11. §. 6. Quod subditorum vitia sunt aliquando prudenter dissimulanda, opportunitori tempore vindicanda, quando videlicet speratur, quod delinquens deprehensus, toleratus tamen, augere culpæ erubescat, sequi se judice puniat.* Et post multa concludit: *Quod in nonnullis levioribus, magno moderamine delicti correctio temperetur: ubi autem morbi gravitas correctionis asperitatem postulat, ea non denegetur.*

Attendant ergo Prælati sibi, & quando ab opportuna fratris, & subditi correctione cessaverint, videant, quo fine vel motivo ducantur, idque diligenter examinent, ne eos, ob aliorum crimen, in profundum demergi contingat. In ipsa autem correctione modum observent: & D. Benedicti consilium *Cap. 64.* Regulæ sequantur, ut severitatem cum benignitate commisceant, ut latius *Cap. 18.* hujus Tractatus sumus prosecuti.

Cum vera charitas utramque conjungat, quamvis primas clementiæ tribuat, secundas saltem Justitiæ non deneget, juxta illud D. Bernardi *Epist. 2. ad Fulconem. O bona* (inquit) *charitas, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligis universos: cum te arguis mitis est, cum blandi-*

Nota.

Animadvertenda S. Bernardi doctrina.

tur

tur simplex est : piè solet sævire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari. Et Epist. 24. *Habeat charitas zelum, sed adhibeatur pro tempore severitas. Censura quidem nunquam remissa, intermissa tamen plerumque profuit. Rigor justitiæ semper fervidus, sed nunquam præceps,* &c. Cui erudiè consonat D. Gregor. 2. par. Pasto. cap. 11. *Sit itaque amor, sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderatè sæviens, sit pietas, sed non plusquam expediat parcens, ut dum se in arce regiminis justitia, clementiaque permiscent, is qui præest, corda subditorum, & terrendo demulceat, & tamen terrorū reverentiam demulcendo constringat.*

Actionibus autem objurgationibus, quæ conjunctæ conviciis esse solent, ratissimè in reprehendendis criminibus, nisi in gravissimis, sed potius modestis & temperatis verbis uti semper procuret, cum sæpè plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quam potestas : si autem ob criminis gravitatem virga opus sit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibeatur.

CAPVT XXI.

De muneribus à Visitatoribus non recipiendis.

Cur Visitatoribus inhibeatur dona aut munera non recipere.

UT autem Visitatores prædicta omnia liberius & rectius exequi possint, omnino à donis & muneribus recipiendis abstinere debent; Jure enim Canonico atque Civili omnibus Prælatis, atque judicibus strictè prohibetur, dona sive munera à subditis sibi oblata recipere. *Deutronom.* 16. Cap. *Non accipies personam, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Ecclesiast. 20. dicitur : *Xenia, & dona excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertit correctiones eorum.* Ac si expressius dixisset : *statim ac Prælati sive judices dona & munera accipiunt, quasi muti vedduntur, facultatemque loquendi, corrigendi, ac puniendi subditorum excessus amittunt.* Quare Cicero in Verrem jure proclamavit in hæc verba : *Nihil adeo est sanctum, quod non expugnari possit pecunia.*

Vetat hoc & similia Concil. Tridentinum.

Hoc autem expresiè Visitatoribus in Concilio Tridentino *sess.* 24. *Cap.* 3. *de reform.* sequentibus verbis prohibetur : *Interimque caveant, nè inutilibus suboptibus cuiquam graves, onerosique sint, nevè ipsi, aut quispiam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, nec pecuniam, nec munus quodcunque sit, qualitercunque offeratur, accipiant, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili, exceptis tamen victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda.* Tenentur autem Visitatores Regulares sacros Canones, & Conc. Trid. Decreta in suis visitationibus observare, ut expresiè cavetur in eodem Conc. *sess.* 24. *Cap.* 8. Et quamvis Conc. loqui videatur tantum de Visitatoribus Episcoporum : eadem tamen, quæ Visitatoribus sæcularibus præscribuntur, omnino etiam à Regularibus observari debent, ut ex eodem Conc. *Cap.* 8. ut supra constare videtur.

Non solùm pecuniæ, sed quodlibet aliud munus prohibetur.

Nec solum à pecunia, sed etiam à quolibet alio munere manus Prælati avertere debent, juxta illud Isaiæ 33. ubi de rectis judicibus loquens, inquit : *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.* Habetur etiam in *Capite.* Statutum, *de rescriptis, §. insuper,* verbo, *Nullum munus,* ubi Glossa inquit, quod triplex est munus: à manu, à lingua, ab obsequio: à quibus debent Judices abstinere. Munus à manu dicitur pecunia, à lingua favor, ab obsequio subjectio indebitè impensa : à quibus omnibus debent Visitatores abstinere, ut debitè suo fungantur officio, & justitia ad unguem observetur. De qua re videndus est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 50. *art.* 5. Ubi latissimè agit de supradicto triplici munere.

Triplex munerum species assignatur.

Puniri igitur à Religione Visitatores jure debent, si præter ea, quæ sunt necessaria pro visitatione, munera tam à Monialibus, quam à Religiosis, etiam sibi oblata acceperint.

Quomodo procedere debeat visitator judicio finito ac examine.

His præmissis, ac finito judicio, ac examine culparum, juxta prædicta, Visitator, celebrato Capitulo, suam visitationem absolvat : si verò graviores culpæ inveniantur, facta denunciatione juxta inferius dicenda, ad inquisitionem specialem, ad formationem processus statim descendet, neque visitationem absolvet: neque Capitulum culparum celebret, si bonum commune id prærequirat; nisi prius juridicè gravioribus culpis examinatis, ut illæ in Capitulo publicè, si aliorum exemplum postulet, puniantur.

Finis primi Tractatus.

TRA-

TRACTATUS II.

DE INQUISITIONE SPECIALI.

PROLOGUS.

EGimus in *superiori Tractatu de inquisitione generali*, simulque de tribus viis, quibus peccata revelari Visitatori debent, quibus juridicè manifestatis, Visitatoribus incumbit ad inquisitionem specialem circà delicta denunciata gradum facere; denunciatio enim iuridica (ut per se ipsam consideretur) non est distincta via procedendi ab inquisitione speciali; sed est quoddam prævium, ut judex procedat ex officio.

Est autem duplex inquisitio specialis. Altera, quæ à judicibus fieri debet ex officio, quandò, inquam, præcedente aliqua infamia, vel denunciatione, formatur inquisitionem contrà criminis auctorem, ut sic ad plenam probationem & sententiam perveniat. Alia est inquisitio specialis, quæ fit ad instantiam partis, quando pars offensa judici accusationem porrigit, & ea admissa juxtà probationes sibi expositas, procedit. Hac quidem inquisitione ad instantiam accusatoris facta meritò prætermissa, in præsenti Tractatu de illa tantum, quæ judici ex officio competit differemus: circa quam primùm quæ sint ea, quæ necessariò, ut hæc inquisitio specialis, juxtà regulas Juris fiat, præcedere debeant, qualia solent esse infamia, indicia, semiplena probatio, investigabimus.

Deindè secundo loco de infamia, quæ, & qualis, & in quibus criminibus requiratur: deinde quæ indicia, aut semiplena probatio sufficiant, speciatim disseremus.

Materia sanè difficilis, & cui opinionum varietas magnam intulit obscuritatem. Nos verò juxtà communiorem, verioremque DD. sententiam, clariori stylo quo poterimus, favente DEO, breviter eam pertractabimus.

CAPVT I.

De inquisitione speciali, ac diversis criminum generibus, circa quæ versari potest.

Quis modus in inquisitione servandus

DIximus *superiori Tractatu de inquisitione generali*, & de modo in ea à Visitatoribus observando: nunc *de inquisitione speciali* disseremus, quæ resultare, ut plurimum, solet ex visitatione generaliter peracta, in qua si reperti fuerint testes plures, vel ad minus duo contestes de aliquo particulari crimine, contra illum absolutè per inquisitionem procedi debet usque ad sententiam definitivam, & puniri tanquam convictus, datis tamen prius defensionibus, & aliis servatis, quæ de jure fuerint servanda: ut *Tractatu sequenti* plenius dicemus.

Quotuplex inquisitio.

Inquisitio specialis, alia est *mixta*, quando inquiritur de aliquo speciali delicto, & determinatè, & generatim de personis, v.g. quis commiserit tale homicidium, tale factum, & simile quid aliud, ignoraro Auctore? Alia est inquisitio specialis de personis, generalis verò de delictis, quando scilicet contra aliquam determinatam personam inquiritur de vita, & moribus, & generaliter de dictis ejusdem, ut solet fieri in promotione alicujus ad dignitates, & officia obtinenda. Et hæc inquisitio non pertinet ad præsentem Tractatum. Tertia denique inquisitio specialis erit, tam quoad delictum, quam quoad personas, ut cum de certo ac determinato crimine, contra certam & determinatam personam inquiritur. Quæ quidem inquisitio expleto munere inquisitionis generalis, ex qua, ut in plurimum, resultare solent probationes, indicia, infamia, vel aliquid istis æquivalens, fieri debet.

Quænam publica, occulta delicta.

Præterea ad perfectam hujus materiæ inquisitionis specialis, quæ quidem difficillima est, explicationem, oportet præmittere, quæ occulta, quæ verò publica & notoria delicta dicantur. *Occultum*, quantum ad nostrum propositum attinere videtur, illud delictum censetur, quando unus aut pauci id sciunt, nec est deductum

ctum in judicium, De hoc genere occulti delicti planè agitur *Capite* Inquisit. §. 3. *de accusationibus*. Ubi decernitur, judicem non posse ad inquisitionem specialem alicujus criminis descendere (etiamsi id noverint duo, vel tres testes) nisi præcedente infamia illius criminis: quasi dicat, nisi illud crimen occultum per infamiam fiat manifestum.

Quid sit delictum notorium

Notorium delictum illud dicitur, quod notum est omnibus, & ideo notorium appellatur, quod nulla tergiversatione celari potest, v. g. cum aliquis coram suo Superiore, & aliorum cœtu delinquit, sicuti in Refectorio, Capitulo, Choro aliisque similibus locis publicis; nam hic notorie convincitur, & notoriè debet puniri; nam eo casu, nullo juris ordine servato, statim receptis testibus ore tenùs reo præsente (etiam contumace, vel negante) convicto, illico potest puniri. *Publicum*, *& notorium* sæpè confunduntur, quamvis aliqui aliquam esse differentiam existimaverint: ego tamen, peccata in Monasterijs commissa, si à majori Monasterij parte evidenter cognoscantur, etiamsi ab alijs in eodem Conventu ignorentur, notoria esse, vel publica sine ullo discrimine semper existimavi.

Et licèt Emman. Roder. *qu. 6. art.* 4. existimet, illud delictum esse notorium, quod coram decem personis committitur ab aliquo; mihi nihilominus videtur, quod si commissum fuerit ad minùs coram quinque, poterit dici notorium, & publicum; tùm quia in tanto numero, regulariter loquendo, non videtur posse occultari aliqua tergiversatione delictum commissum, ut ex ejus descriptione superiùs adducta constat; tum etiam præcipuè, quia in multis Monasterijs non habitant plures, quàm quinque, vel sex Religiosi, ideo peccatum, vel indicium, quod notum est aliquo modo pluribus, quàm quatuor meritò dicetur notorium.

Hoc apertè colligitur ex *Capite*. Inquisit. *de accusationibus*. ubi etiamsi crimen sit notum duobus, aut pluribus, non debere denunciari judici decernitur, quia quasi occultum reputabitur: Auctores autem ferè omnes illa verba *aut pluribus*, exponunt: etiamsi tribus, aut etiam quatuor testibus sit notum. Igitur si istum numerum excedat, & crimen notum sit quinque, aut sex, meritò dicitur notorium, maxime in Communitate Religiosorum, ubi quod notum est quinque, vix potest latere.

Notorium multipliciter dicitur.

Notorium præterea, generaliter loquendo, dicitur illud, quod judex in actu judicij propris oculis cum alijs assistentibus vidit, quamvis, ut delictum reputetur notorium, certa regula præscribi non possit, ut post M. Sotum *in* 4. *Dist.* 12. *q.* 2. *art.* 6. communiter affirmant DD. Quare Prælatorum judicio, eorumque prudentiæ, ac zelo relinquendum videtur, ut ex circumstantijs, & qualitatibus personarum, tàm delinquentium, quàm videntium prudenter judicent, quale crimen sit, & dicatur notorium.

Deindè *notorium* sicut & *occultum* delictum multipliciter dici potest. Quoddam enim est *publicum*, quod dicitur à Juristis *publicum publicatæ facti*: quia ita est omnibus notum & manifestum, ut nulla tergiversatione celari possit. Aliud est *publicum juridicè*, quando videlicet de aliquo crimine per sententiam publicam aliquis est condemnatus. Tertiò demum id publicum dicitur, quia à multis scitur, ut in judicio probari possit; tamen non est notorium, ideoque dicitur *publicum in jure*, sed *occultum respectivè*. Occultum autem, aliud est tale uno tantùm sciente, præter eum, qui potest denunciare. Aliud est ità occultum, ut ab uno solo sciatur: si autem à solo delinquente sciatur, omninò occultum nuncupatur. De hoc occulti genere hic non differimus, & idem est, quando multi sunt ejusdem delicti complices, nullusque alius scit.

Demum dicitur *notorium ex præsumptione juris*, quod licèt per se non sit evidens, judex tamen procedit ad ejus punitionem ac si esset evidens, propter vehementes conjecturas, indiciaque facto æquipollentia: ut v. g. si Clericus cum suspecta muliere sub eodem tecto cohabitaret, quam omnes ferè dicunt esse suam concubinam; quia tunc ob vehementem suspicionem punitur ut concubinarius.

Notandum est præterea, quod tam publica, quàm occulta delicta subdividi possunt in delicta, quæ sunt contra bonum commune sive publicum, ut sunt crimina immediatè in DEUM commissa, ut hæresis, blasphemiæ, &c. vel etiam crimina læsæ majestatis temporalis, aut tandem similia bono communi detrimentum notabile inferentia, ut *Tractat. primo. cap.* 12 declaravimus: & in delicta, quæ contra bonum privatum, vel tertiæ, vel propriæ personæ committuntur, ut si quis v. g. vellet innocentem occidere, aut si quis gulæ, aut ebrietati sine aliorum esset scandalo deditus, & similia.

Inter hæc autem quantùm ad inquisitionem, magnum discrimen versatur; nam aliter in delictis boni communis, seu tertiæ personæ offensivis: aliter in delictis, quæ privatæ tantùm personæ nocent, à judice inquirendum est: & demum aliter in occultis, aliter in notorijs, etiamsi tantùm noceant delinquenti, inquisitio formari debet, ut clariùs ex *infra dicendo* patebit.

CAPVT II.

Specialem inquisitionem an debeant præcedere, infamia, indicia manifesta, vel semiplena probatio?

SEntentia est expressa D. Thomæ 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. judicem non posse contra aliquem juridicè procedere, nisi infamia, sive clamorosa insinuatio, vel indicia manifesta, aut semiplena probatio præcedant. Hanc sententiam licèt non probet D. Thomas, probari tamen potest hoc pacto.

Quia occultorum solus DEUS est judex, juxtà illud Apostoli ad Corint. 4. *Nolite antè tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum.* Quasi dicat: Occulta & abscondita divino tantùm subsunt judicio, minimè verò humano. Hoc autem varijs in locis docent summi Pontifices *Cap.* Qualiter, & quando, & *Cap.* Inquisitionis, *de accusa-*

tionibus, & Cap. licèt Heli, *de simonia*. Crimina autem, quorum nulla est infamia, nulla manifesta indicia, nec semiplena probatio, in judicio occulta dicuntur. Igitur de his nulla potest fieri inquisitio. Inferiùs fusiùs hanc D. Thomæ sententiam declarabimus: Interim tamen præmittere oportet, quid sit infamia, quid clamorosa insinuatio, quid manifesta indicia, & quid semiplena probatio.

Quid sit famæ.

Infamia igitur est quidam rumor ortus, non à malevolis, sed à probis, & honestis hominibus, sparsus inter multos. Colligitur hæc definitio ex *Cap.* Qualiter & quando, *II 2.* & *Cap.* Inquisitionis, *de accusationibus*.

Clamorosam insinuationem pro eodem ac infamiam sumi non pauci Jurisperiti censuerunt: aliqui tamen Auctores putant, ista duo in Jure distinguì; ita ut infamia sit, quando viri probi judicialiter testantur, esse talem rumorem & famam de tali crimine, inter viros probos & honestos sparsam: clamorosa verò insinuatio sit vox totius populi, vel publicus rumor inter multos extra judicium sobortus.

Infamia à viris & honestis & probis provenire debet.

Dixi autem infamiam, *non à malevolis & maledicis ortam*, sed potiùs *à viris probis, & honestis*. Ad probandam infamiam duo sufficiunt testes, ut omnes uno ore fatentur; hi tamen non debent testati, se ita audivisse à majori parte populi: sic enim vix unquam posset infamia probari, ac proinde modus iste procedendi esset inutilis; sed satis est (ut bene P. Lessius advertit *Lib. 2. de Just. & Jure, cap. 29. dub. 16.* secutus Baldam, & Julium Clarum, aliosque Jurisperitos) ut testentur, se ita publicè audivisse, vel ita passim dici: debent tamen nominare à quibus audierint, ut sciatur, famam ab honestis, & probis viris oriri, testesque non fingere: unde si non nominarent eos, verè non probarent famam in criminalibus.

Indicia sunt circumstantiæ, ex quibus prudenter, & rationabiliter solemus de actionibus, operibusque fratrum nostrorum judicare. Quapropter indicia à Jurisperitis generatim vocari solent ea omnia, ex quibus potest aliquo modo colligi, quis sit Auctor criminis, ut fama, suspicio publica, testimonium unius vel plurium, confessio Rei, & similia: & cum indicia varia, & multiplicia esse soleant, de his, quæ necessariò prærequiruntur ad inquisitionem specialem, inferiùs dicemus.

Quid sit semiplena probatio.

Demum *semiplena probatio* est unius testis oculati, & jurati, omnique exceptione majoris testimonium. *Oculati*; quia testis ex auditu solo nullam efficit probationem, nec plenam, nec semiplenam, ut inferiùs dicemus. *Jurati*; quia testis sine juramento non facit fidem in judicio. Addimus ulteriùs, *omni exceptione majoris*. idest, quod nullum patiatur defectum, ob quem possit à testimonio ferendo jure repelli. Seorsim igitur de his tribus necessariò ad inquisitionem specialem prærequisitis, suo ordine, & loco disseremus.

CAPVT III.

Præcederenè infamia debeat omnem inquisitionem specialem, & quare?

COmmunis est DD. sententia, judicem non posse contra aliquem instituere inquisitionem specialem, tendentem ad criminum punitionem, nisi præcedente infamia Auctoris ejusdem criminis, & delicti. Dixi *tendentem ad punitionem*; quia ad malum impediendum, ut quando v. g. agitur de beneficiorum, & officiorum collatione, vel de matrimonio contrahendo; omninò licitum est inquirere de impedimentis, vel de vita moribusque particularibus personarum, & an de ipsorum moribus, aut delictis præcesserit infamia: debent tamen tunc defectus, si qui sint, Superioribus secretò aperiri, & quantum fieri potest, sine famæ læsione.

Hæc sententia, quæ tam Theologis, quàm Jurisperitis est communis, probatur expresè *Cap.* Inquisitionis. §. *tertia*, *de accusationibus*, ubi dicitur: *Ad hoc respondemus, nullum esse pro crimine, super quo non laboret infamia, seu clamorosa insinuatio non præcesserit, puniendum: quinimo super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio solum fieri debeat super illis, de quibus clamores aliqui præcesserint.* Et Cap. *Qualiter*, eodem titulo. *Sicut accusationem legitima præcedere debet inscriptio, sic & denunciationem charitativa monitio, & inquisitionem clamorosa insinuatio præcedat.* Idque probatur *ibidem* exemplo villici Evangelij *Lucæ 16.* qui primò infamatus est apud Dominum suum, deinde dicitur ei: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.* Et exemplo Sodomorum *Genes.* 18. de quibus Dominus ait: *Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.*

Id autem non contemnendis rationibus probari potest. Et primò. Nam jus humanum quoad fieri potest, intendit bono communi cum minima jactura bonorum privatæ personæ, sive Civium providere. Inter bona verò temporalia præcipuè numeratur fama, quæ non parum læditur eo ipso, quod de alicujus delicto apud alios inquisitio fiat; quia meritò quisque posset conqueri sibi fieri injuriam, si de vita propria juridicè inquireretur, cujus alioquin fama integra est; quia per hujusmodi inquisitionem redditur suspectus apud alios. Quare meritò jura humana decernunt, nullatenus à judice fieri debere inquisitionem de aliquo, donec ejus fama aliquo pacto aliundè sit perdita.

Probatur deinde. Quia licèt regulariter utilis sit Reipublicæ criminum punitio, id tamen absolutè verum non est, quando crimina sunt occulta, & nullus est accusator verus, vel fictus; tunc enim utilior est Reipubl. sive Religioni conservatio famæ, & honori subditorum consulere, quàm intempestiva punitio, qua sæpè turbatur Respublica; & Cives maximis bonis, nempè honore & fama privantur.

Demum

Demum probatur. Quia judex, ut optimè probat D. Thomas 2. 2. *q.* 76. *art.* 3. contra neminem potest via inquisitionis procedere, quando nullus est accusator formalis, vel virtualis. Sed via inquisitionis nullus est accusator formalis, ut supponimus ex dictis. Debet igitur esse tunc aliquis virtualis, qui suppleat vicem formalis accusatoris. Virtualis autem accusator nullus alius esse potest, nisi infamia, expressa indicia, aut semiplena probatio, quæ æquipollent accusatori formali, ut communis DD sententia tenet. Igitur sine aliquo horum, præcipuè sine infamia, occulta crimina judex inquirere non potest.

Unde fit, non sufficere, ut duo vel tres jurati testes affirment, se vidisse Petrum tale crimen committentem, ut expressè decernitur in *Cap.* Inquisitionis; quia adhuc crimen est occultum, ac proinde minimè per inquisitionem specialem est procedendum, sed necessariò requiritur, ut rumor sparsus sit per majorem partem viciniæ, Collegij, vel communitatis, in qua Petrus v. g. commoratur, ut dicatur ipse ibidem infamia laborare, ut *capite præcedenti* annotavimus.

Notandum verò existimo, non esse juris divini, aut naturalis, sed positivi humani tantùm, ut non fiat inquisitio sine prævia infamia Auctoris. Ita post Magistrum Soto tenet P. Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *dubit.* 15. & P. Valentia 2. 2. *q.* 14. *disput.* 5. *puncto primo.* An verò indicia, & semiplena probatio habeant eandem vim ad inquirendum, ac infamia, inferiùs explicabitur.

Dubium tamen oriri potest, an ex assertione judicis dicentis, dum procedit ad inquisitionem, famam publicam præcessisse, eo ipso credatur infamia probata, an verò necessarium sit, quod specialiter ipse judex prius probet hanc famam præcessisse, saltem per duos testes? Aliqui distinguunt inter judicem ordinarium, & delegatum, & affirmant, quod delegatus judex non potest inquirere, nisi priùs probata sit fama saltem per duos testes, & quod ordinarius judex, qui ex mero officio procedit, possit, ut sunt Generales, & Provinciales; sufficit enim ut extrajudicialiter constet de fama, ut apertè docet Julius Clarus *quæst.* 31. *versic. fama publica præcedente.* Franciscus tamen Aretinus in *Practica sua criminali, cap.* 14. quamvis existimet esse valdè utile satisque expediens, quod probetur infamia, antequam inquisitio instituatur, non tamen censet esse de necessitate, neque in judice ordinario, neque in delegato probari infamiam priusquàm inquisitio instituatur, sed sufficere, quòd sæpiùs pervenerit ad aures ipsius judicis, ut apertè loquitur textus in Cap. *Qualiter, & quando,* in illis verbis: *Si per clamorem, & famam ad aures Superioris pervenerit.* Et cum utatur verbo illo *Superioris,* quod conveniat etiam judici delegato, clarè comprehendit tàm judicem ordinarium, quàm delegatum.

Demum circà hanc inquisitionis materiam notandum est, quod si aliquando ad manus Superioris deferantur literæ denuntiatoriæ, aut infamatoriæ nemine Auctore subscripto, nullo modo debet, neque potest inquirere, nisi præcedat infamia. Attamen literæ neque infamiam, neque indicium contra ipsum denunciatum continent. Ità concludit Julius Clarus in *Practica criminali, quæst.* 5. & cum eo omnes fere Scriptores. Quod etiam intelligendum est, etiamsi in ipsis literis notificati essent testes de ipso delicto informati; quod quidem anteà confirmatum fuit Decisione Summi Pontificis in *Cap.* Inquisitionis, *extra, de accusationibus,* ubi expressè prohibetur, ne fiat inquisitio ad eorum postulationem, qui clam schedulas ad aliorum infamiam tendentes proferunt, ejusque rei ratio redditur à Panormitano; cum schedulæ prorsùs infamiam non præseferant, ut habetur *eodem tit.* de accusationibus, *Cap.* Finali. Quare neque à fortiori id poterunt præstare literæ delatoriæ sine crimine.

CAPUT IV.

Casus excepti, in quibus absque infamia judex inquirere potest.

In quibus casibus Judex possit procedere ad inquisitionem specialem non præcedente aliqua infamia.

AB hac communi regula Auctores excipiunt aliquos casus, in quibus judex ad inquisitionem specialem contra aliquem procedere potest, non præcedente aliqua infamia, quos refert Bartol. *l.* 2. *§. si in publico. ff. ad legem Juliam, de adulteris.* M. Soto, de regendo secreto, *membro* 2. *qu.* 6. Et omnes ferè Commentatores D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 69. *artic.* 2.

Primus casus est in crimine hæresis, & apostasiæ. In his enim etiam sine infamia inquiri potest, ut communiter docent DD. in *Cap.* Qualiter & quando, *de accusationibus,* & apertè constat ex *Cap.* Communicavimus, §. *Adjicimus, de hæreticis,* & *l. Apostatarum* 4. *C. de apostatis.* Et ratio est, quia bonum publicum præferri semper debet bono privato: cum autem hæc crimina maximè noxia sint Reipublicæ (ab ipsis enim semper eminet cæteris alijs periculum eversionis) fit, ut bonum publicum sit præferendum bono famæ alicujus particularis.

Secundus casus. Quando committuntur crimen læsæ majestatis, ut conspiratio in Principem, traditio Civitatis, fallificatio monetæ, &c. ut clarè constat in *Extravagant.* Ad reprimendam, *de hæreticis,* quæ habetur in Jure civili in fine voluminis. Inter hos casus meritò annumerantur omnia crimina atrocia, quibus (ut vidimus *Tractatu primo, cap.* 13.) pœna mortis etiam atrocis imponitur, in quibus non solùm (ut Julius Clarus advertit, adductus *practico cap. ut supra*) infamia non requiritur, verùm etiam multæ aliæ solemnitates utique substantiales, & de jure communi requisitæ omitti solent.

Tertius. Quando frequentantur furta, homicidia, vel latrocinia, similiaque crimina, & delicta, quæ Communitatibus nocere solent. Hæc enim apertè sunt in damnum communem, & tenentur judices inquirere, & prohibere sine alia personæ particularis infamia præcedente.

Quartus est evidentia delicti, nam delictum manifestum & notorium sufficiens est, ut judex sine alia infamia personæ ad inquisitionem specialem descendat.

Quintus: Si confessus fuerit crimen occultum in judicio, etiam coram paucis, ut si coram solo Judice,& Notario,ut colligitur ex *Cap.*1.de accusationibus,*in6.* Nam talis confessio inducit notorium,& publicum in jure;non tamen sufficit confessio extrà judicium;etiamsi coram multis facta sit, nisi extrà orta sit infamia: nec ea quæ facta est coram Prælato incogitanter aut inadvertenter, vel in aliqua epistola secreta, quam Prælatus aperuit, teste M. Soto,de secreto,*membro 2. quæst. 6.* quod etiam ait Navarrus,*de Iudicijs. num.16.*

Sextus. Quando judici per generalem inquisitionem procedenti patefactus est Auctor alicujus criminis; tunc namque potest contra eum procedere, ut docet Navarr. *ut supra num.* 87. Insuper P. Lessius *libro 2. cap. 29. dubit.15. num.125.* docet, communem esse Jurisperitorum sententiam; etiamsi forsan testis revelando peccaverit. Nam eo ipso quod crimen deductum est in publicam judicis notitiam sive benè, sive malè, eo ipso tenetur contra illud procedere particulari inquisitione, & illud punire.

Septimus. Quando crimen est commissum,vel detectum in judicio,ut si v.g.testis falsum in processu deponat, si accusator calumnietur, &c. in his enim non est opus alia infamia,tum quia sicut processus juridicus est actus publicus;ita & cognitio, quæ ex illo habetur, reputatur ut publica, & ex consequenti crimen,quod in ipso processu committitur, publicum censetur: tum etiam, quia hæc crimina valde noxia sunt bono publico, veluti debitum ordinem justitiæ perturbantia; unde meritò, si probentur, sine infamia contra ea procedi potest, ut optimè M. Soto, de tegendo secreto,*membro 2.qu.*1.Navarrus *Cap.*Inter verba, *num.*201.& in Rubr.*de Iudicijs,num.*88.

Octavus. Quando evidentia,atque notoria adsunt indicia, vel semiplena probatio, ut ex sequentibus plenius constabit. Denique inter casus exceptos meritò computatur; quando aliquis reperitur in fragranti crimine; nam tunc non solùm potest judex contra ipsum inquirere non præcedente infamia, sed etiam procedere usque ad sententiam diffinitivam Juris ordine prætermisso, ut docet Julius Clarus in *Practica qu.*8.Advertit tamen Auctor iste, quod deprehensio in fragranti delicto non inducit plenam probationem, sed solum operatur, ut reus possit torqueri, casu quo neget crimen. Quapropter tunc examinandi sunt testes, qui illum deprehenderunt,aut qui viderunt, ut juridicè deprehensus in fragranti crimine puniatur. Sunt præterea aliqui casus, qui cum ad nostrum propositum non pertineant,jure meritò omittendos judicavimus.

CAPVT V.

In delicto notorio,etiamsi malefactor sit occultus absque ulla infamia, judex potest ac debet inquirere.

CUm inquisitio specialis sit investigatio criminis, vel personæ, dupliciter hujusmodi inquisitio (*ut cap. 1. hujus Tractatus* annotavimus) contingere potest. Primò, Quando Superior inquirit de crimine in particulari, non vero de persona.Secundò. Quando in singulari interrogat de hoc crimine, & de hac persona,quàm meritòDD.*mixtam inquisitionem* nuncuparunt. Nunc de primo genere inquisitionis sermo noster procedit, nempè quando crimen est manifestum, persona verò delinquens ignota.

Aliqui putant, non posse judicem ex sola cognitione publici criminis, & delicti procedere ad inquisitionem personæ:inter quos fuere Paludanus *in* 4.*Distinct.*19.Adrian *Quodlib* 3 quos sequitur M.Soto de tegendo secreto,*membro.2. quæst.6. & libro 5. de Iustitia & Iure. quæst. 6.artic.*2 Hi omnes volunt, requisitam esse ad inquisitionem specialem personæ infamiam, idque probare intendunt ex *Cap.* Cum oporteat.*Cap.*Inquisitionis.*Cap.*Qualiter& quando, *de accusationibus.* Quare ipsi existimant in hoc casu judicem tantummodò posse interrogare, quo tempore, aut quo loco commissum fuerit illud crimen,vel alias similes circumstantias,si fortè ex illis cognitio personæ delinquentis per aliqua indicia deduci possit. Negant tamen,à principio posse inquirere, an testis sciat, quis commiserit illud crimen.

Contraria tamen sententia verior est, quam tenet Innocentius *Cap.*Bonar.& Navarr *Cap.*Inter verba,*conclus.6.num.*124. quam olim tenuere Panormitanus *dicto Cap.*Bonar.*num.*4, *col.* 5. Bartol. *lib.* 2. *ad L. Iuliam,* de adulterijs, *num.*17.Gloss. *in Canon.* Quidam maligni, 5. *quæst.*1.& in *Cap.*Qualiter & quando, *de accusationibus,*tenentque omnes ferè Thomistæ Commentatores D. Thomæ 2. 2. *quæst.*76. *artic.*2. ubi etiam Cajetanus annotavit, hanc docuisse aliquando D. Thomam, dum esset Baccalaureus Parisijs,nec videtur ille unquam retractasse.Nusquam enim negat, licitam esse hanc inquisitionem,quando delictum est publicum.

Hanc sententiam Salon de Justitia & Jure,*Controv.*7.*circa articulum* 2.*quæst.*79.D.Thomæ plurimis adductis rationibus probat, quibus brevitatis causâ omissis, nobis pro multis interim sufficiat communis usus Reipublicæ, & judicum timoratæ conscientiæ, tàm Ecclesiasticorum,quàm sæcularium praxis. Et ratio præcipua illa videtur; quia ob bonum publicum (quod non negant oppositæ sententiæ assertores) licet procedere per specialem inquisitionem contra aliquos delinquentes, etiamsi nulla sit infamia,ut*Cap.superiori* annotavimus; sed non minùs pertinere videtur ad bonum publicum,ut invento cadavere, requiratur homicida:invento furto,aut sacrilegio, quæratur latro; aliàs sæpè manerent impunita delicta non sine scandalo, & detrimento alio-

aliorum, & scelerati liberiùs nocerent, quod cedit in maximum damnum commune: igitur &c. Et licet aliquando hoc, vel illud crimen non sit directè contra bonum commune, plura tamen crimina impunita manere, nullo modo absque scandalo, communisque boni detrimento, contingere potest.

Ex eo demum hæc sententia confirmatur, quia infamia (ex omnium consensu) requiritur tanquam accusator, ut superius expressimus: sed in hujusmodi criminibus publicis & notorijs evidentia delicti est plusquam accusator, ut ex D. Augustino *Cap.* Evidentia, *de accusationibus* refertur illis verbis: *Evidentia patrati criminis, clamore accusatoris non indiget.*

Illud verò prudenter notant hujus sententiæ Auctores, in hoc casu inquisitionem non debere fieri de singulari aliqua persona, v.g. an Petrus occiderit hunc hominem; quia si nulla de Petro præcessit infamia, inique judex inquireret de illo; nam illa interrogatione Petrus apertè infamaretur, etiam si non fecisset crimen. Ut igitur bono communi consulatur, poterit judex prudenter inquirere, quinam per eam viam, in qua commissum est crimen, transierit? Quota hora in ea plateæ parte fuerunt aliquæ personæ? Similesque alias circumstantias petere, per quas quasi per gradus, sive indicia possit indirectè pervenire ad notitiam delinquentis.

Quod si occultus Auctor detegatur, poterit contra eum procedere juridicè, etiamsi ex ignorantia fuerit denunciatus, nec damnum secutum judici imputabitur, ut rectè Navarrus in rubrica *de Iudicijs, num* 87. advertit; quia jure suo utitur; nam ex eo quod Auctor est publicè detectus, etiamsi id ab altero iniquè factum sit, potest contra eum informationem capere, convictumque punire: ipse tamen judex tunc non est causa directa iniquæ detectionis; nam propter bonum commune potest talem inquisitionem instituere, ut latiùs P. Lessius prosequitur *lib.* 2 *cap.* 19. *dubit.* 14.

Neque obstat *Cap.* Cum oportet, *juncto Cap* Inquisitionis, & *Cap.* Qualiter & quando. Nam illa jura, si exactè expendantur, vel de inquisitione certæ personæ, quæ immediatè fieri non debet, ut diximus, quando non præcessit infamia, vel in casu quo persona & crimen simul erant occulta, intelligi debent.

In hoc verò casu, etiamsi judex juridicè reum interroget, ipse non tenetur se ipsum patefacere ante infamiam, vel semiplenam probationem, imò nec subditi, etiam sub juramento interrogati, non tenentur manifestare delicti Auctorem, si nulla laborat infamia, nihilque mali in posterum timeatur. Si tamen crimen esset adhuc perpetrandum, vel continuandum, aut si ex eo grave damnum alicui immineret, quod alia ratione non posset commodè averti, interrogatus testis tunc posset & deberet Auctorem patefacere licet omninò occultum, & nulla infamia laborantem, ut in illo casu judex possit opportuna remedia adhibere.

CAPVT VI.

Infamatus de uno crimine nulla ratione potest interrogari de alio, cujus nec præcessit infamia, neque accusator. Nec minùs interrogari potest de complicibus.

PRobabilior, & verior sententia tenet, infamatum de uno crimine nulla ratione posse interrogari de alio, cujus nec infamia, nec indicia, nec semiplena probatio præcesserint. Ità docent Cajetanus 2.2. *q.* 69. *artic.* 2. & Opusculo. 17. *responsione* 5 M. Soto *lib.* 5. *de Iustitia & Iure, quæst* 6. *art.* 2. Navarrus *Cap.* inter verba, *concluſ.* 6. *num.* 97. & in Summa, *cap.* 2. *num.* 36 & plures alij. Quia (ut sæpius diximus) non potest judex obligare aliquem ad manifestandum reum occultum, quando nec adest prævia infamia, nec indicia, vel semiplena probatio præcedunt. Igitur ob eandem rationem non poterit judex interrogare reum de uno delicto & crimine infamatum, de alio crimine, de quo nulla præcessit infamia; fieri enim potest, ut quis in materia superbiæ sit infamatus, qui tamen circà justitiam habeat bonum nomen, etiamsi aliàs sit injustus: quare respectu occulti criminis videtur habere jus, ut illi servetur bonum illud nomen, quod possidet.

Meritò tamen advertunt DD. quod quando judex inquirens de uno crimine, cujus Auctor laborat infamia, incidenter deprehenderit aliud secundum crimen, de quo similiter reus est infamatus; tunc posse eundem judicem inquirere de crimine incidenter sibi revelato, ut cum v. g. quis interrogatus, an Petrus commiserit homicidium, de quo jam laborat infamia, si incidenter affirmat, eundem Petrum etiam furtum commisisse; posse tunc legitimè judicem inquirere de illo furto. Quam sententiam ex eo probat Navarrus *Cap.* Inter verba, *num.* 197. quia cum crimen deprehenditur à judice, est notorium in jure: ficutque crimen, quod committitur in præsentia judicis, non indiget alio accusatore, juxtà superius dicta, quam ipsius præsentia; ita censendum erit de crimine coram judice, etiam incidenter detecto.

Sententia à magistro Soto limitatur.

Hæc tamen sententia meritò limitatur à Mag. Soto, *memb.* 2. *q.* 1 ut procedat non de omni crimine incidenter detecto, sed de eo tantùm, quod priori erat annexum, de quo jam præcesserat infamia, veluti si inquisitio fiat de infamato de concubinatu, & deprehendatur prædictum concubinarium ad fœminam sustentandam furari; tunc meritò posset judex de crimine isto occulto deprehenso inquirere.

Secunda hujus capitis pars docet, reum non posse interrogari à judice de complicibus nulla infamia laborantibus. Conclusio est certa, & passim in utroque Jure docetur. *Cap.* Cum Monasterium, *de confess.* *Cap.* Veniens, *de testibus*, estque communis DD. sententia, quæ intelligenda est cum grano salis, nempè procedere tantùm de complice, quando peccà-

peccatum cedit in detrimentum proprium ; nam si contra commune bonum pugnat, sine dubio potest ac debet de complicibus interrogari, dictante ipsa natura boni communis, quæ postulat, ut illud omnino famæ cujuscunque particularis præferatur.

Docent præterea Auctores hujus sententiæ, tunc posse judicem de complice interrogare, quando crimen est talis conditionis, ut sine socio committi non possit ; quia in hoc casu tanquam notorium reputatur, criminosum habuisse complicem : quare nisi judex interrogaret, posset facilè occasio publicæ suspicionis contra judicem, aut aliud suboriri scandalum in communitate. Tunc verò judex non debet specialim inquirere, an Petrus, vel Paulus fuerint complices ; sed generatim tantùm petere debet, quinam fuerint criminis socij?

Undè optimè Navarrus *Cap.* Inter verba, *conclus. 6.* (quem sequuntur alij non minoris notæ Auctores) docet, quod quando crimen, neque ex natura sua, neque ex circumstantijs præsefert complicem, & alias peccatum non est contra bonum commune ; non posse judicem, etiam inquisitione generali, complicem inquirere ; quia deficiente illa ratione boni communis, nulla apparet ratio, ob quam possit interrogare de crimine occulto.

Demum observare oportet, quod id, quod in hoc capite & præcedenti diximus de infamia, idem sentiendum est de indicijs expressis, aut semiplena probatione, nempè quod quando judex juridicè interrogat, præcedente infamia, eandem etiam inquisitionem potest ipse instituere præcedentibus indicijs, aut semiplena probatione.

CAPVT VII.

Quando indicia etiam sine infamia sufficiant ad instituendam inquisitionem particularem.

INdicia lato vocabulo sumpta (ut notat Panormitanus, *Extra.* de probationibus, *cap. 3.*) primo loco possunt capi pro quacunque probatione, sive plena, sive semiplena, sive pro quocunque delicti signo: & tunc dicuntur *indicia* ab *indicando*, quia indicant aliquid factum, vel non factum esse. Et in hoc sensu certum est, nomine *indicij* comprehendi famam, testes, confessiones extrajudiciales, & aliæ quæcunque probationes.

Secundo autem modo pressiùs, & secundùm propriam significationem indicia accipiuntur, & ita condistinguuntur ab omnibus prædictis, nempè, *fama, testibus*, &c. quæ ita describi possunt: *Indicium est aliquod notabile signum alicujus maleficij ab ipso condistinctum, & ipsum aliqualiter indicans* magis, vel minùs, clariùs, vel obscuriùs secundùm naturam, & diversitatem indicij.

Quid sit indicium proprie sumptum

Indicium propriè sumptum oritur ex his, quæ urgere possunt animum judicis ad credendum maleficium, vel rem, de qua agitur evenisse. Credulitas verò judicis major vel minor resultat ex majori, vel minori, clariori, aut obscuriori indicio: & ita indicia secundùm eorum diversitatem inducunt vel opinionem, vel credulitatem, vel scientiam sivè evidentiam.

Indicia æquiparantur testibus, ut constat ex *L. Sciant cuncti, C. de probationibus*, & dum in dicta lege fit mentio indicierum, additur, indubitatorum, & luce meridiana clariorum. Idem quoque confirmatum est per sacros Canones *11. qu. ulla. cap. Sciant cuncti*, & per consuetudinem in foro Ecclesiastico receptam. Et quemadmodum testes debent esse ad minus duo contestes, & omni exceptione majores, ad hoc ut sint idonei ad plenam probationem: sic ad hoc ut indicia plenè probent, debent esse indubitata, & luce meridiana clariora.

Omnes ferè DD. conveniunt (paucis exceptis) indicia, si expressa sint, sufficere, ad inquisitionem particularem, secuti D. Thomam *2. 2. quæst. 69. art. 2.* ubi post Cajetanum omnes ferè Interpretes Sancti Thomæ eam sententiam amplectuntur, quo in loco expressè D. Thomas affirmat, judicem non posse reum juridicè interrogare, nisi præcedat infamia, indicia expressa, aut semiplena probatio. Ratio hujus sententiæ ea esse potest, quia indicia æquivalent accusationi virtuali.

Sed in quibus casibus possit judex præcedentibus indicijs expressis inquirere, existimo non satis clarè constare apud Auctores. Nam omnes ferè absolutè cum D. Thoma, in omni eventu posse judices (si indicia expressa præcedant, non aliter ac de infamia diximus,) reum juridicè interrogare: alij verò licet pauci, indicia etiam expressa non sufficere ad inquisitionem specialem, aperte docent. Existimant enim, indicia nulla ratione accusatoris, sed potiùs testium, vim habere.

Hanc Sententiam expressè docet Salon, *de Justitia & jure, quæst. 109. artic 2. controv. 6.* secutus Navarrum. *Cap.* Inter verba, *concl. 6. numero. 116.* & Auctores alios non infimæ notæ. Quorum illud est præcipuum fundamentum ; quia judex necessariò debet servare in judicio formam sibi à jure præscriptam, neque ullo modò est illi licitum, has juris metas, sive principia transgredi: sed in jure expressè cavetur, ut non procedat ad inquisitionem specialem, nisi prævia persona infamia, ut constat ex *Cap.* Cum oportet, *Cap* Inquisitionis, *Cap.* Qualiter, & quando, *de accusationibus.* Ergo non potest judex solis præcedentibus indicijs, quantumvis expressis, absque ulla infamiæ nota, ad specialem inquisitionem descendere.

Hoc argumento convictus Navarrus *Cap.* Inter verba. *concl. 6. n. 182.* audacter affirmavit D. Thomæ doctrinam asserentem *2. 2. q. 60. art. 2.* sufficere indicia expressa ad inquisitionem, non esse recipiendam ; quia nullum allegat textum, neque rationem aliquam necessariam, contra expressam decisionem Juris Canonici, *Sine quibus* (inquit) *nulli Doctori necessariò credere tenemur secundum S. Augustinum.* Hactenus Navarr. Quamvis ipse postea in Rubrica *de Indicijs n. 50.* adducat verba D. Thomæ asserentis, ad inquisitionem sufficere, infamiam, indicia expressa, aut semiplenam probationem præcedere, & docet D. Thomæ sententiam esse intelligendam de criminibus notorijs, & famosis, de

quibus,

quibus judex juridicè inquirit si unum, aut alterum horum, etiam disiunctivè inquisitionem præcedat.

Notandum. Pro hujus difficultatis pleniori interpretatione notandum est; indicium ab indicando meritò fuisse derivatum, utpotè quo indicatur, & notificatur crimen, Cap. Studijs. *de præsumptionibus*, & apud Jurisperitos generatim ea omnia indicia vocantur, ex quibus potest aliquo modo conjici, quis sit Auctor criminis, qualia sunt fama, suspicio publica, confessio extrajudicialis Rei, dictum socij criminis, aut vulnerati, aut mandatarij, fuga post perpetratum delictum, inimicitia gravis, minæ præcedentes, res furata apud aliquem reperta, testis de visu, vel auditu, vel alio sensu, & similia alia, quæ brevitatis causa omittimus.

Indicia autem non omninò æqualia sunt, vel ad inquirendum, vel ad condemnandum; quare meritò in tria genera dividi solent, nempe in *levia*, *gravia*, & *gravissima*, de quibus plenius Julius Clarus *lib. 5. 3. finali. qu. 20.* & Farinac. *q 36. & sequentibus.*

Levia indicia, sive *simplicia*, quæ suspiciones leves appellari queunt, illa dicuntur, quæ probabilem suspicionem de auctore criminis præbent; quæ licèt ad inquirendum, & informationes capiendas, atque etiam ad Rei capturam, si de fuga dubitetur, possint sufficere, non tamen sufficiunt ad interrogandum, & multo minùs ad illum tormentis exponendum. Judex tamen, quod attinet ad capturam, cautè procedere debet, præciputè si indicia sint contra virum probum, & honestum, contra quem, nisi plusquam levia indicia emerserint, non est procedendum.

Gravia indicia sive *urgentia*, quæ suspiciones vehementes nuncupari queunt, illa dicuntur, quæ ex magnis, & solidis proveniunt conjecturis, ut confessio delicti extra judicium ab inquisito facta, fuga ipsius post perpetratum delictum ante inquisitionem formatam: quæ quidem indicia non solum sufficiunt ad Rei capturam, Reumque interrogandum, sed etiam si fassus non fuerit delictum, ad torturam inferendam, licèt non sufficiant ad condemnationem Rei; nemo enim ex præsumptionibus, ac indicijs etiam vehementibus, in criminalibus pœna saltem ordinaria condemnari debet.

Gravissima indicia, sive *indubitata*, quæ violentæ suspiciones meritò appellari possunt, illa dicuntur, quæ ex maximis, & judicis animum convincentibus conjecturis nascuntur: ut si quis de aliqua domo unum tantùm ostium habente, cum evaginato ense, ac sanguinolento, facieque turbata visus fuerit exire, & in illa domo occisus homo reperiatur; tunc illum tale homicidium commisisse, violentum erit indicium. Similiter si quis cum alterius uxore in lecto jacere inventus fuerit, illum adulterium cum ea perpetrasse, violentum quidem erit indicium. Hujusmodi vero indicia, ut Doctores præfati affirmant, non solum ad torturam, sed ad condemnationem quoque sufficiunt. Quia inhis gravissimis indicijs Juris præsumptio invenitur, ex qua ad criminalem punitionem & pœnam ordinariam crimini imponendam deveniri potest, ut post Bartolum docet Farinac. *q. 52. num. 54.* nili alias ex parte Rei aliqua excusatio, vel exceptio opponatur. Nam tunc pœna extraordinaria judicis arbitrio puniri debet.

De indicijs, quæ debent præcedere, ut inquisitio juridicè fiat, advertit rectè Cajetanus *2. 2. q. 69 art. 2.* tria, quæ maximè commendat Navarrus in *Rubric. de Iudicijs. n. 58.* Primum debere ea esse perfecta, quæ vehementem afferant suspicionem, & ut saltem duorum, vel trium testium, licèt non omni exceptione majorum, prædicta indicia comprobentur.

Secundò docet idem Cajetanus, regulariter debere esse plura indicia, ut loci, temporis, &c. quamquam hoc, teste eodem Cajetano, ex judicis prudentia pendeat. Posset enim aliquando unum indicium esse loco plurium, quod proinde sufficeret ad inquisitionem; nam unus testis omni exceptione major, facit indicium perfectum, quando de ipso crimine, & Auctore ipsius testificatur, non tamen quando testificatur de alijs circumstantijs, ut si dicat: tali nocte fuit repertus in loco vicino, quando fuit commissum furtum; nam tunc istud indicium debet probari per duos testes, nec sufficit probari per unum, ut benè advertit Navarrus, *dicto num. 58.*

Tertiò. Addit Cajetanus, secutus D. Thomam; indicia debere esse manifesta, sivè expressa, & ita quidem manifesta, ut manifestè indicent hoc crimen, & hanc personam. Item debent manifestari ipsi reo à judice, ut reus sciat se juridicè interrogari, ac proinde teneri respondere: alioqui non tenebitur; ut rectè docuit M. Sotus *lib. 5. de Iustitia, q. 6. art. 2.* & alij DD. communiter.

Demum quæ indicia dicenda sunt levia, quæ gravia, sive gravissima, & quæ sufficientia, sive insufficientia, ad inquisitionem, judicis arbitrio Juristæ existimant relinquendum, ut post alios resolvit Farinaccius *q. 8. num. 46.* in hac enim indiciorum materia, regula generalis & certa tradi minimè potest; nam idem indicium, quod respectu unius leve dicitur, respectu alterius grave judicari debet.

His præmissis. Prima conclusio sit. Quando crimen est notorium, indicia expressa sufficiunt, ut judex ad specialem inquisitionem descendat, v. g. occasione patrati criminis notorij, judex generatim potest & debet inquirere (ut superiùs annotavimus) tunc si per infamiam, aut indicia, aut semiplenam probationem constet de malefactore, judex debet inquisitionem specialem contra reum instituere. Ratio est; quia evidentia, sive notorietas criminis, vicem tunc habet accusatoris virtualis, ut in superioribus ostendimus: ac cusatione vero formali, vel virtuali prævia, judex juridicè procedit ad inquisitionem, indicia verò supplere vicem accusatoris, post Magist. Sotum docet P. Lessius *lib. 2. Cap. 29. dubit. 12 n 134.* & *dubit. 16. n. 145* & ante ipsum apertè docuit Navarrus in Rubrica *de Iudicijs, n. 58. & 78. & 96.*

Superioris conclusionis aliam etiam reddunt rationem; quia quando aliquis est infamatus apud judicem de aliquo crimine, potest interrogari de illo crimine. Igitur cum indicia judicialiter probata pariant apud judicem quandam juris notorietatem, meritò possunt pro infamia, & ficto accusatore reputari, ut superius

periùs *num.* 59. 78. & 96. docet Navarr. Quare ex duplici capite cum indicia expressa fuerint judicialiter probata, potest judex procedere ad inquisitionem. Primò ex notorietate, & evidentia criminis. Secundò notitia quam jam de illo crimine judex comparavit, quæ duo habentur pro infamia, aut ficto accusatore.

Illud tamen notandum est, quod cum judex per sufficientes testes indicia probaverit, tunc debet reum, si fuerit præsens, de veritate criminis interrogare, ut si illud fateatur, ipsum puniat: si minùs, ut inquisitionem contra ipsum instituat, ut apertè docet Julius Clarus *q.* 5. ex Innocentio & alijs, & P. Leffius *dub.* 15. ut supra, *num.* 139.

Secunda conclusio: Quando delictum quantumvis occultum est contra bonum commune, vel ex eo imminet damnum, vel spirituale, vel corporale tertiæ personæ, quod commodè impediri non potest, nisi Superioris opere vel industria; tunc judex solis præcedentibus indicijs expressis, potest specialiter inquirere Auctorem illius criminis.

Hæc conclusio, quantùm ad primam partem manifestè constat; quia bonum commune omninò præponderat famæ cujuscunque particularis. Secunda etiam pars ex eo constat; quia ex charitate non solum possum, sed etiam teneor crimen alterius manifestare, quando ex eo grave damnum proximis imminet.

Hæc conclusio est communis apud omnes. Nota tamen, quod si ad avertendum illud damnum non fuerit necesse crimen alterius patefacere, quia forsan per aliam viam, nempè per fraternam correctionem, illud damnum avertere quis potest; tunc nullatenus debet illud judici aperire.

Tertia conclusio. Quando delictum notorium non est, sed potiùs omninò occultum, neque vergit in damnum commune, aut privatum alterius; tunc etiamsi indicia expressa inveniantur, judex non potest ad inquisitionem specialem procedere: quod ex eo manifestè probatur; quia si duo aut tres testes jurati non sufficiunt, ut judex inquisitionem formet, nisi infamia priùs præcedente, (ut expressè decernitur in *Capite* Qualiter, & quando 2. *Cap.* Inquisitionis, *de accusationibus*) a fortiori solis indicijs innixus, nulla ratione poterit ad inquisitionem particularem progredi.

Satisfit argumento contrario

Restat jam, ut argumento in contrarium adducto respondeamus; & primò dicimus, illa capita ex *tit. de accus.* desumpta, intelligenda esse de crimine occulto, & de persona, sive malefactore occulto: tunc enim etiamsi indicia expressa, vel semiplena probatio præcesserint, si infamia non præcedat, fieri inquisitio prohibetur; non verò illa Jura loquuntur, vel de crimine notorio, vel bono communi, aut privato jacturam inferente, nam tunc indicia expressa etiam sine infamia, ad inquisitionem sufficiunt, ut superiùs hoc capite annotavimus.

Ita prædicta Jura interpretantur Recentiores, ut Arragon. 2. 2. *q.* 69. *artic.* 2. & alij.

CAPVT VIII.

De indiciorum probationibus.

SUnt multa, & varia quidem indiciorum genera, de quibus longum esset speciatim disserere. Illud tamen præmittendum censeo, antequam ad indiciorum probationes descendamus, quod in occultis criminibus, quæ sunt difficillimæ probationis, sufficiunt violentæ præsumptiones, etiam ad condemnandum reum, ut notat eruditè Emman. Rodericus *Tomo* 2. *qu.* 3 *art.* 2. citans pro hac sententia Jurisperitos quamplurimos, qui eam fatentur communiter receptam à Doctoribus, & Mascardum, qui affirmat eam sic servari in Curia: Decisionem Rotæ, & Hostiensem dicentem, quod in his, quæ in occulto committuntur, & certa probatio haberi non potest, indicia probabilia, & urgentes præsumptiones habentur pro sufficienti probatione; & ita idem Emmanuel Rodericus concludit, quod in similibus delictis occultis probatio sufficit per conjecturas, vel probationes, quæ in alijs non essent sufficientes, non tamen sufficit ad pœnam ordinariam imponendam, sed solùm extraordinariam, majorem vel minorem indiciorum apparentiam, & probationem, ponderatis maturè alijs circumstantijs aliarum personarum, loci, temporis, & similium.

Quæ verò probatio in alijs delictis ordinarijs requiratur, oportet ut inquiramus: in qua re hanc statuimus assertionem, nempè: Ea probatio, quæ requiritur ad comprobanda delicta, eadem quoque ad plenam probationem indicij est necessaria; ita ut si ad illam duo testes contestes, omni exceptione majores, desiderantur, ita quoque ad cujuscunque indicij plenam probationem requiritur, & sicut unus, & singularis testis tantùm facit semiplenam probationem, ita quoque unus testis facit & indicij semiplenam probationem.

Pro clariori verò hujus asserti intelligentia præmitto casum, v. g. si adsint duo testes, omni exceptione majores, deponentes de visu, quorum unus deponat de delicto in se, videlicet se vidisse Petrum vulnerantem Antonium, & alius deponat de indicio distincto, & non de crimine, dicendo se vidisse Petrum eadem hora egredientem de loco, ubi Antonius extitit vulneratus, & præfatum Petrum habentem gladium sanguine conspersum; certum est quod primus testis deponit de delicto, & secundus de indicio tantùm, ut constat. Isti tamen plenam probationem facient, licèt unus deponat de delicto, & alius de indicio; quia est indicium violentissimum, & maximum, & delicto proximum, & immediatum: & idem semper est dicendum de similibus testibus, quorum unus probet de delicto, & alius de indicio adeò connexo, ut meritò contestes dici possint ex loco, tempore, & circumstantijs inseparabiliter connexis.

Sed quia hic non loquimur ex professo de probatione, quam faciunt indicia respectu delicti, ut reus convincatur, sed solum de probatione eorum in se: ideo stabilitum est à nobis, quod

quod quando indicia non sunt evidentia, & nota, debent saltem probari per duos testes & conteſtes ad hoc, ut sint certa, & indubitata.

Corollarium. Ex quibus infero, nihil magis, vel minus requiri ad probationes indiciorum, quàm delictorum in se: ita ut si unus testis singularis facit semiplenam probationem, & duo testes conteſtes plenam delicti, simili passu judicandum erit reſpectu indiciorum, & idem etiam servandum circa teſtes de auditu, & de probatione famæ.

Ex quo secundò infertur; quod duo teſtes deponentes de duobus indicijs remotis, nullatenus conjunguntur ad perficiendum unicum indicium; & similiter duo teſtes singulares de auditu non conjunguntur ad plenam probationem famæ, vel alicujus indicij, ut dictum eſt.

Tertiò Infero, quod si unus teſtis deponit de fama, & alius de inimicitia, & alius de fuga, & sic de similibus, non conjunguntur ad plenè probandum unum indicium, quod poſſit eſſe ſufficiens ad torturam, ad quam eſſet ſufficiens ex genere ſuo aliquod illorum indiciorum, si eſſet plene probatum per duos teſtes.

Neque obſtat illa communis regula: ſingula quæ non proſunt, ſimul collecta juvant: igitur ex varijs indicijs reſultabit unum ſufficiens. Non probat, inquam, quia ut optimè advertit Carretius in ſua *practica fol. 39.* hæc regula locum habet, quando illa ſunt perfecta in genere ſuo, & ſint plenè probata, ut dictum eſt: unde fit ex ſuperiùs dictis, quod teſtes ſingulares deponentes de pluribus indicijs, quorum quilibet indiciorum eſſet aliàs ſufficiens ad torturam, ſi eſſet plenè probatum, non debet movere judicem ad torquendum reum, cum nullum præfatorum indiciorum per teſtes ſingulares ſit plenè probatum: ideò nec ſimul collecta plura plenè ſufficiunt ad torturam. Verum eſt tamen, quod quando teſtes ſingulares deponunt de indicijs adeo connexis, quod unicum integrant indicium perfectum ſufficiens ad torturam, deveniri ad illam poterit: non ex vi ſingularium teſtium; ſed ex connexione indiciorum, ut in exemplo de dicto vulnerato, & de duobus alijs dicentibus vidiſſe vulnerantem fugientem, & cum enſe ſanguinolento patet.

Ex quibus ultimò infertur, quod teſtes ſingulares de indicijs remotis, & levibus, de indicijs quamvis gravibus, non tamen connexis, nec ſe invicem complectentibus, nihil probant. Quæ digna quidem ſunt, ut à Viſitatoribus exactè notentur, ut cautè in indiciorum examine procedant.

CAPVT IX.

Semiplena probatio quando, & in quibus delictis ſufficiens ſit ad inquiſitionem.

Explicato INNOCENTII tertij reſponſo in *Cap.* Inquiſit. & *Cap.* Qualiter, & quando. 2.

De accuſationibus.

DUplex eſſe probationis genus, alterum quod *plena probatio*, alterum quod *ſemiplena* vocatur, Juris utriuſque profeſſores uno ore fatentur: plena eſt, quam alio nomine perfectam omnibuſque numeris abſolutam DD. appellarunt, quæ quidem ad condemnationem Rei, (qualis eſt quæ in ore duorum vel trium teſtium conſiſtit,) eſt omninò ſufficiens. Altera inchoata atque imperfecta dicitur, quam ſemiplenã Juriſprudentes nuncuparunt. Nunc quam vim ſemiplena probatio habeat, meritò inquirimus, an inquam hæc æquivaleat infamiæ, & indicijs expreſſis, ità ut judex ſemiplena probatione præcedente, poſſit juridicè inquiſitionem formare?

Pro hujus dubij reſolutione præmittere oportet, eſſe Juris principium, unum teſtem omni exceptione majorem, ſemiplenam probationem etiam in criminalibus facere, ut conſtat ex *L. Admonendi, ff. de Jurejurando*, ubi Bartolus *numero* 36. & communiter DD. in *Lege* Bonæ fidei. *C. de rebus creditis*, quod ſimiliter affirmat Gloſſa, *L.* 3. *C.* ad legem Juliam Majeſtatis, ubi etiam communiter DD. affirmant, quos refert ac ſequitur Gomeſius *Tom.* 3. *Variarum reſolutionum, cap.* 12. *n.* 2. *circa finem*, & communiter docent DD. utriuſque Juris.

Teſtis igitur omni exceptione major, qui & idoneus, & integer alio nomine appellatur, ille cenſendus eſt, qui fide dignus, juratus, & de facto ipſo de viſu deponit, aut de auditu in his, quæ ſolo auditu percipi queunt, cujuſmodi ſunt blaſphemiæ, injuriæ, & ſimilia; ſive de alio ſenſu corporeo in his, quæ illo ſenſu percipiuntur. v. g. de olfactu, an aliquis vinum biberit, nec ne? vel quod pulverem ſclopetarium fuiſſet odoratus: de guſtu, quod vinum, acetumvè eſſet, quod guſtavit: de tactu, an apprehenderit veſtitum, vel nudum; ita ut teſtificetur de tempore, loco, alijſve circumſtantijs ſubſtantialibus: præterea ut talis ſit conditionis, ut nulla ei objectio, aut exceptio opponi poſſit, ut à teſtimonio repellatur, *Cap.* Licet, *de teſtibus*, cum alijs Juribus, ut probat Clarus. *quæſt.* 21. verbo, *unus teſtis*, Penna in *Commentar.* 120. *in* 3. *parte Direct. Inquiſito.* verbo, *voco autem*, & Farinaccius *q.* 62. *num.* 1. & ſequentibus.

Unicus præterea teſtis omni exceptione major facit indicium plenum ad torturam, etiamſi nulla alia indicia, ſive levia, ſive gravia concurrant, ut poſt alios Juriſperitos docent Julius Clarus, *q.* 22. verbo, *unum tamen*, & Farinaccius *q.* 37. *n.* 54. & 58.

In hac dubitatione ſententia D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 69. *artic.* 2. planè ea eſſe videtur, ad inqui- *Sententia Divi Thomæ.*

inquisitionem specialem illa tria sæpè à nobis repetita sufficere disiunctivè, nempe infamia, indicia expressa, & semiplena probatio. Diximus de *infamia, & indicijs superioribus capitulis*, restat jam ut de semiplena probatione sermonem instituamus, exponentes quibus in casibus semiplena probatio sufficiat ad legitimam formandam inquisitionem.

Primò dico: In delictis quæ sunt contra bonum commune, ad inquisitionem sufficit semiplena probatio, etiamsi nulla præcedat infamia, quia communi bono etiam cum detrimento famæ unius aut alterius, omninò est consulendum. Idem etiam censeo, quando imminet proximo damnum grave ex peccato occulto alterius, in delictis etiam occultis. Vide quæ *præcedenti cap.* diximus *de indicijs*, quando hæc indicant peccatum contra bonum commune, vel particulare, & intellige illud dictum juxta limitationem *ibi* expositam.

Secundò dico: Quod si crimen sit notorium, etiamsi malefactor sit occultus, & unus testis omni exceptione major deponat de criminis Auctore, potest judex ad inquisitionem specialem procedere. Ratio est, quia non minùs hæc semiplena probatio inducit Auctorem in publicam notitiam judicis, quàm indicia judicialiter probata. Hæc enim cum pariant quandam juris notorietatem, possunt pro infamia, & ficto accusatore haberi, ut *præcedenti capite* annotavimus. Igitur cum semiplena probatio sit plusquam infamia, sive indicia, fit ut semiplena probatio à fortiori sufficiat ad inquisitionem instituendam, ut optimè probat P. Lessius *lib. 2. cap. 29. dubit. 16. num. 146.* & Aragon. 2. 2. *q. 69. art. 2.*

Dixi in *delictis notorijs*; nam si occulta sunt, & nulla ratione communi bono adversentur, non sufficit unius testimonium, quamvis sit testis omni exceptione major. Unde ex dictis intelligitur, quod denunciator potest etiam admitti tanquam testis, *Cap. In omni, de Testibus*, ubi Buttrius, Ananias, Joannes Andreas, Felinus, Aretinus, Navar. in *summa 25. num. 3.* & communiter DD. omnes tenent, ut docent Paulin. Berti in sua *praxi criminali, titulo 7. cap. 5.* & novissimè Franc. Aretinus Minorita in sua methodo, sive *practica criminali lib. 1. cap. 9.* quod præcipuè locum habet, tàm in crimimbus, quæ sunt in detrimentum communis boni quantumvis occultis, quam in criminibus notorijs, etiam si non sint in perniciem publicam.

Tertio dico: In omnibus criminibus sufficit semiplena probatio, ut judex possit ea prævia, reum interrogare, quamvis facultatem non habeat procedendi ad inquisitionem specialem, & idem censeo de indicijs manifestis, & juridicè probatis. Hæc conclusio explicatione indiget, pro qua nota primò, ut rectè advertit Gregorius de Valentia. 2. 2. *disput. 5. qu. 13. puncto. 2. & quæst. 14. puncto 1.* quòd aliud est interrogare Reum de crimine, aliud verò facere inquisitionem particularem de eo; hæc enim multum distant inter se: nam interrogatio Rei fieri potest, ut *præcedenti capite* diximus, præcedentibus indicijs, aut semiplena probatione, antequam Judex ad inquisitionem procedat, inquirendo & examinando Testes, & tunc Reus meritò interrogatur, ut si neget contra eum instituatur inquisitio, inquirendo & examinando Testes; si verò delictum agnoscat, puniatur. Inquisitio verò fit, cum negante Reo Judex procedit ulterius ad inquirendos, & examinandos Testes.

Nota secundò. Quòd duplex est notorium. Aliud dicitur *notorium notorietate facti*, aliud verò *notorietate Juris*, in quo sensu notorium dicitur, (ut *cap. 1.* notavimus) quicquid coram judice & coram Notario manifestatur, etiamsi illa notitia resultet ex inquisitione generali. Igitur etiamsi Judex non possit inquirere contra reum, poterit tamen eum interrogare, indiciis vel semiplena probatione præcedentibus; nam tunc Judex habet ius ad interrogandum Reum: ergo per semiplenam probationem acquirit ius aliquod, licèt non ità integrum: ergo saltem acquirit ius interrogandi juridicè. Duplex notorium.

Confirmatur primò. Quia ex opposita sententia possunt multa damna oriri in detrimentum boni publici, imò etiam multa scandala in Republica; multa enim crimina impunita remanerent, si iuxta communem DD. sententiam judex non posset procedere, prævia tantùm semiplena probatione.

Confirmatur secundò ex communi usu omnium judicum totius Christianitatis. Hanc quoque sententiam (præter D. Thom. ut suprà) tenent communiter omnes Recentiores, in quantum docent, unum testem omni exceptione majorem sufficere ad inquisitionem specialem. Ita tenent Antonius Victorinus in *libro, de modo procedendi in causis Regularium, cap. 25. num. 1.* & *2.* secutus Bartolum in *l. Maritus ff. de quæstionibus*, Thomas Trivisanus in libro, *de modo & ordine criminaliter procedendi inter Regulares. cap. 7. num. 3.* quam sententiam dicit esse omnium DD. Franciscus Aretinus *in Pract. crimin. cap. 7.* de ijs quæ observari debent ad torquendam Reum, affirmat communiter esse receptam ab omnibus Theologis, & Summistis. Ludovicus Turtianus *Tom. 2. de Just. & Jure disp. 50. dub. 2.* docet esse communem, & in praxi omnium judicum receptam sententiam, ut manifestè docet Navarrus in Rubric. *de Iudicijs, in primis num. 56.* ubi sic ait: *Non potest quis cogi ad juramentum dicendi veritatem super occulto crimine, ergo non debet Iudex interrogare Reum juramento ei delato, antequam habeat plenam, vel saltem semiplenam deculpa notitiam.* Et infra *num. 59.* sic scribit. *Ergo Iudex non potest interrogare, neque cogere ad respondendum Reum, nisi prævia probatione ad id sufficiente, in acta publica validè & ritè deducta, & ita solum præcedente notorietate, vel saltem infamia legitima, aut indicijs ei æquipollentibus, quam rationem prius tetigit S. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. ad 5. ibi Prælatus non est judex judiciorum occultorum; sed solus DEUS, unde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur, putà per infamiam; vel aliquas suspiciones, in quibus casibus potest Prælatus præcipere eodem modo, sicut & judex secularis vel Ecclesiasticus potest exigere juramentum de veritate dicenda.* Et infra *eodem, num. Vbi* (inquit) *colligitur ex prædicta confirmatione S. Thom. quod Iudex non habet potestatem cogendi Reum ad jurandum de veritate dicenda, nisi infamia, vel semiplena probatio præcesserit.*

Idem repetit *num. 65.* ubi docet quod etsi numerus unius Testis, nec duorum, nec trium sufficiat

sufficiat ad inquirendum, *tamen constat dictum unius Testis omni exceptione majoris sufficere ad interrogandum, & hunc esse sensum Cap. Inquisitionis, dum requirit ad inquisitionem duos, aut tres testes, non verò requirit eosdem ad interrogationem*, & clariùs idem Navar. *num. 96.* docuit dicens: *Advertendum tamen, dici posse quod licet cum proceditur per denunciationem Evangelicam, aut judicialem privatam; aut Canonicam, non agatur ad punitionem delicti; si tamen per illas vias illud manifestum fiat judici, poterit ille ex officio per viam inquisitionis procedere, orsa sive texta nova tela judicij, & punire illud, quemadmodum posset si id judicialiter constaret ei per confessionem incidenter coram eo factam, vel per generalem inquisitionem, ut supra dictum est: sed tunc non procederet sine accusatore vero, vel ficto, quia erat notorietas, vel infamia resultans ex illa probatione judiciali.*

Ex quibus, & præcedentibus apertè colligitur, quod per quascunque vias, præcipuè per judicialem privatam, aut per confessionem Rei coram eo in judicio factam, aut per generalem inquisitionem, posse Judicem per viam inquisitionis procedere, incepta nova tela judicij & punire illum.

Ex omnibus igitur in hoc capite annotatis clarè colliguntur sequentia. Primum. Semiplenam probationem tàm in criminibus quæ communi bono, quàm in illis quæ privato contrariantur, sufficere ad formandam inquisitionem specialem. Et idem censet Julius Clarus. *lib. 5. q. 7. num. 3.* quando præcedit denunciatio, sive denuncians faciat, vel non faciat semiplenam probationem, quia denunciatio, ut ille ait, succedit loco infamiæ, & sic aperit viam Judici ad inquirendum.

Secundum. In notorijs criminibus notorietate facti, tàm indicia expressa, quàm semiplenam probationem, sive denuntiationem sufficere ad prædictam inquisitionem specialem, vel saltem præbere facultatem ad interrogandum Reum.

Tertium. Non solùm notorietatem facti, sed etiam juris notorietatem, scilicet quando crimen ad notitiam Judicis pervenit, sat esse prævijs indicijs, aut semiplena probatione, ad interrogandum Reum, licèt non ad inquisitionem. Nam (ut superiùs annotavimus) ista duo sunt valde distincta, nempè judicem juridicè interrogare alias personas de crimine Rei, quando per viam inquisitionis procedit, aliud verò Reum ipsum interrogare; nam ad inquisitionem in rigore sumptam, requiritur infamia, nisi in casibus superiùs exceptis, nec sufficiunt duo aut tres Testes jurati, ut Jura omnia communiter proclamant; ad interrogationem verò Rei juridicè factam, unum istorum trium, nempè infamia, indicia expressa, aut semiplena probatio disiunctivè sufficit, nec tunc licet Reo calumniosè se defendere, tacendo veritatem. Quare non sunt hæc passim confundenda, interrogatio Rei, & inquisitio de Reo apud alios; quod qui non advertunt, magnam huic disputationi obscuritatem afferunt. Quare D. Thom. si attentè legatur *dicto art. 2. quæst. 69.* clarè invenies ibi ipsum fuisse locutum de interrogatione Reo facienda.

Caput verò *Inquisitionis*, iuncto Cap. *Qualiter & quando*, de accusationibus, apertè loquuntur de inquisitione à Judice facienda, non verò de interrogatione Rei. Ut tamen Reus teneatur respondere juridicè, communiter DD. docent, deberi illi semiplenam probationem, aut indicia expressa prius manifestari, ut ipse teneatur veritatem declarare, nam Reus habet ius excipiendi contra Testem, vel an indicia sint levia, vel non satis probata, (saltem per duos Testes omni exceptione maiores) ut constat ex *lege* Custodias. *ff. de publico Judicio.*

Demum etiam unus Testis viam aperit inquisitioni, quando scilicet facta alicui correctione fraterna, ipso renuente corrigi, denunciatur Prælato; nam si tunc rebellis existat, sufficit ille Testis, qui denunciavit, & rebellio in eo casu succedit loco accusationis, & Prælatus poterit juridicè inquirere, & procedere contra eum. Ità expressè cum Cajetano **2. 2.** *quæst. 69. art. 2.* tenent omnes ferè Thomistæ, ex quo infertur quod iste denuncians potest esse Testis, post dictam rebellionem, sed ipse solus non sufficiet, ut prælatus possit eum punire, sed ultrà requiritur, ut adsit alius Testis, ut expressè docet M. Soto, de secreto, *membro 2. quæst. 6.* in tertia concl. f. Et tunc denunciator simul cum alio Teste sufficiet ad plenam probationem.

Finis Tractatus secundi.

TRA-

TRACTATUS III.

DE FORMA OBSERVANDA

à Visitatore in processu formando, in Testium examine, Rei confessione, & de sententia definitiva.

PROLOGVS.

POst Tractatum inquisitionis specialis, à qua propriè tela judicij exorditur, meritò *de modo formandi processum*, de *Testium examine*, de *confessione à Reo exigenda*, atque *tandem* de *sententia* definitiva à Visitatore ferenda, instituenda erit à nobis *in hoc Tertio Tractatu* brevis dissertatio.

CAPVT I.

De modo, & forma procedendi juridicè inter Regulares observandis.

POntifices Summi, præcipuè BONIFACIUS VIII. considerantes, exactum procedendi juridicè modum plenum esse contentionibus, altercationibus, ac vario judiciorum strepitu: tranquillitati, & Religiosorum paci, simul & charitati consulentes, maturè decreverunt, ut rimulis & apicibus Juris postpositis, Prælati liberè, & de plano procedere valeant contra delinquentes, abstinendumque docent ab illo rigoroso, & pleno Juris ordine; tum quia id contentionis genus cum Monasticæ institutionis tranquillitate multùm pugnat, tum etiam, quia eo omnis Monachorum vita & instituta tendunt, ut secundùm ea omnes Monachorum actiones dirigantur: nam aliàs si Prælati Regulares in disceptandis Monachorum causis juris apices prosequerentur, consulendi essent Jurisperiti sæculares, Procuratores & alij, quibus suppeditranda esset pecunia, & alia incommoda ejusdem generis sequerentur; quibus nimirum Religionis candor macularetur.

Sed antequam ulteriùs progrediamur, Constitutionem *Bonifacij viij.* operæ pretium duximus inserendam.

BONIFACIUS VIII. ad augmentum continuum Religionum, & Ordinum, quos Romana suscepit, & approbavit Ecclesia, paternis studijs attendentes, & considerantes attentiùs, quod non intermissa sedulitas disciplinæ & rigoris Ordines supradictos, statusque Regulares salubriter dirigit, & conservat; quodque, si etiam perire, vel remitti contigerit, Ordo quilibet collabi necessariò cogeretur: pensantes quoque, quod si Regularium personarum correctio rimas Juris, & apices sequeretur, hujusmodi vigor lenteseceret, ac multiplici laxatione torperet: Nos vestrum pijs supplicationibus inclinati vobis Auctoritate Apostolica indulgemus, ut ad correctiones, & punitiones fratrum ejusdem Ordinis delinquentium infligendas, Prælati Ordinis supradicti, ad eos quos spectare noscuntur, rimulis Juris, & apicibus ejus postpositis, liberè procedere valeant, secundum consuetudines approbatas, & generalia facta & facienda Ordinis instituta. Nec volumus eisdem licere fratribus, ab eisdem correctionibus & punitionibus aliquatenus appellare, pravia deliberatione, & maturitate debita observatis.

Cum autem hæc Apostolica Constitutio, seu concessio facta sit ad propulsandas subditorum calumnias, & ad compescendam nimiam prælatorum in puniendis fratribus licentiam, declaramus, & decernimus, quòd licèt Prælati omnes ad apices Juris ex supradicta Constitutione non teneantur, ut sunt citationum intervalla, dilationes interlocutoriæ, & cætera hujusmodi, quæ non sunt de essentia Juris: non tamen possunt in actis judicialibus pro eorum arbitrio procedere; sed jure Divino, ac naturali ad substantialem Juris ordinem tenentur.

Ideo statuimus, & decernimus: contra inauditam partem, aut in eum qui non est legitimè, ac sufficienter convictus, aut confessus, gravem aliquam sententiam ferri non posse, nec debere, qua quis aut actibus legitimis, aut officijs Ordinis privetur, aut in exilium relegetur, aut aliquo notabili nocumento afficiatur: & latam ipso Jure nullam esse decernimus, atque oppositum facientes, actibus legitimis perpetuò privari debere.

Rursùs inhibemus, ne Prælati nominatim de peccato alicujus inquirant: nisi eo de crimine fuerit infamia jure notatus, aut adversus eum indicia sint evidentia, vel probabilia.

Caveant præterea Prælati, ne grave crimen aliquod suis subditis judicialiter imponant, ut ad crimen objectum respondere teneantur, nisi prater denuntiatorem, accusatoremvè sit alius saltem Testis fide dignus juridicè interrogatus, vel nisi Reus esset infamia, vel indicijs evidentibus evidenter gravatus: Qui secus fecerit, Prælatus officio privetur Superioris arbitratu. Si quis autem per duos, vel tres contestes fuerit convictus de aliquo crimine aliàs omninò occulto, ut sæpè contingit; tunc non publicè, sed sanctè coram

coram Testibus Reus ejusmodi puniatur.

Verumtamen si crimen ejusmodi atrox fuerit, Reus legitimè convictus corrigatur, quamvis inter reliquos fratres crimen ipsum aliàs occultum sit, ut unius correctio cæteris transeat in exemplum. Infrà inter alias declarationes à Superioribus observandas addit sequentem. *Ad pacem autem inter fratres conservandam, ordinamus, ut Prælati nullo modo Testium, vel accusantium nomina Reis manifestent, quamvis etiam ad instantiam, & punitionem procedant, nisi ubi, & quando eorum judicio in oppositione alicujus gravis, & infamatorij criminis justitia periclitaretur. Nam eo casu si Reus petat, & accusantium, & Testium nomina sibi notificari debere, non est ei denegandum.*

Circa hoc & alia similia Pontificum decreta, quatuor particulæ notari solent à Canonistis. Videlicet, ut procedatur *Simpliciter, Summariè, De plano. Et sola veritate inspecta.* Sed omissis aliis Doctorum declarationibus, per has particulas tantùm significatur, servanda esse essentialia fori judicialis, ut notat Panor. Paulus Felinus. Hostiensis, & alii, quos citat, & refert Roder. q. 3. ar. 1. Itaque particula *Simpliciter* excludit calumniatorias, & dolosas dilationes, inanesque exceptiones, dummodò constet de commisso delicto. Particula vero *Summariè* denotat, ut quæ ad judicii vim, & essentiam pertinent, solùm adhibeantur: qualia sunt, ut articulorum copia, de quibus causa dicenda est, Reo summariè tradatur, nempè quoad substantiam, omissis aliis circumstantiis, quæ propalare possent Reo actorem, vel Testes. Quare Reo manifestanda sunt dicta Testium, tacitis eorum nominibus; quia nihil sic Religionis quietem turbare solet, quàm Testium nomina manifestare. Summarie itaque articulorum notitia concedi debet Reo, exclusis Testium nominibus, & particulis, quæ illos manifestare possint, dummodo iustitia detrimentum non patiatur, ut contingere posset in gravissimis causis, ut inferiùs dicemus.

Tertia particula *De plano* Significat, ut omissa solemnitate sedendi, vel etiam feriatis diebus, in causa procedatur, ac postpositis vanis exceptionibus, cavillationibus, & appellationibus, quæ in hoc iudicio summario minimè admitti debent, ne lites, & contentiones inter ipsos Regulares immortales fiant, in perniciem, & destructionem Regularis disciplinæ.

Quarta particula. *Sola veritate facti inspecta*, significat, ut solemnia ea omnes Juris rejiciantur, ac omnes Juris timulæ vel apices prætermittantur, & solum servandum Jus divinum, naturale, ac Gentium, ut DD. in hac parte notare solent. Jus autem Gentium apud Regulares, sunt eorum Statuta, ut Tract. 4. dicemus. Modus verò procedendi secundùm exactum Juris ordinem, non nisi magnis, & urgentibus causis, & rationibus adhibendum est, quando videlicet, eo non adhibito, iustitia detrimentum pateretur, vel Reus indefensus maneret, vel aliæ gravissimæ intervenirent causæ, ut benè advertit Octavian. Spatharius, tract. 3. cap. 18.

Ex his infertur, quædam esse quæ ad solemnitatem iudicii spectant: quædam quæ ad iudicii vim, atque naturam pertinent. De his quæ ad solemnitatem, diximus superiùs. Quæ verò sint essentialia in omni iudicio, breviter perstringamus. In primis illa quæ ad iudicii vim, & naturam pertinent, sunt omnia illa, quæ in Clementina sæpè, de verborum significationibus, continentur: nempè quæ ad ipsius veritatis realem perfectamque cognitionem, ac ad legitimas defensiones peragendas necessaria esse videntur, & quæ divino, aut naturali Jure, aut evidentissima ratione servare docemur.

Secundò infertur: debere Prælatos, postpositis Juris apicibus in correctionibus fratrum, secundum consuetudines approbatas, & Ordinis Constitutiones *simpliciter, & de plano*, solùm facti veritate inspecta, procedere, ut benè notavit Abbas in Cap. Reprehensibilis, de Appellationibus: & tunc non erit opus Testes jurare, Reo appellationem concedere, & similia alia quæ sunt de substantia, & essentia judicij: esset enim valde absurdum, si Prælatus Monasterium perlustrans, reperiret silentium, aut jejunium frangi, carnes comedi, & similia fieri, si illa corrigere aut emendare non posset, nisi contentioso judicio adhibito, Testibusque examinatis; id enim potius esset occasio corruptionis, aut dissipationis observantiæ, quàm correctio earum culparum, quæ regulariter fieri solent, vel in Capitulo, vel in Refectorio.

In his igitur correptionibus culparum, quamvis de plano Prælati debeant procedere, in gravioribus verò delictis omittenda non sunt, quæ ad integritatem & essentiam judicij omninò requiruntur: nimirum primò delatio, sive criminis denunciatio. Secundò probationes per legitimos testes. Tertiò Rei vocatio. Quartò Examen Rei ac Testium. Quintò. Defensiones Reo concedendæ. Sextò. Confessio, vel convictio Rei. Septimò. Processus. Octavò, Sententia diffinitiva.

CAPUT II.

Quando Visitator debeat, aut possit formare processum.

NOn erit abs re in præsenti tractatione assignare medium facilem, & brevem formandi processum contra Reum, ut facilius possint Visitatores gravia delicta non temerè, aut pro suo arbitrio; sed juris servata forma discernere, & judicare. Consultò dixi gravia delicta; quia processus non passim, aut leviter formari debent, sed tantùm ad probationem graviorum delictorum, nempè eorum, quæ in nostris Constitutionibus graviotis, aut gravissimæ culpæ nota censentur, ut perspicuè colligitur ex Bulla Gregor. xiiij. Quæ incipit: *Quoniam non ignoramus.* In qua decrevit, Provincialem usque ad graviorem culpam posse, formato processu, vel non formato, ad punitionem procedere; vel gravissimam, quam ad Definitorij generalis Jurisdictionem spectare, formato processu statuit. Quare omninò Superiores cavere debent à nimio processuum, & judiciorum strepitu, ne Religiosorum spiritus, qui ad altiora conten-

dit, ut præcedenti capite notavimus, hujusmodi sæcularis strepitu aliisque Juris apicibus, appellationibus, litibus, aut nimia sui Juris defensione obruatur, aut simplicitas Religiosa, quæ plurimùm profectui spirituali deservit, extinguatur. Quare tantùm in illo casu erit formandus processus, cum opus fuerit observantiam Regularem sartam tectamque servare, ne ob punitionis defectum succumbat; *Impunitas enim* (D. Bernardo teste) *transgressionum nutrix esse solet.*

Sed antequam stylum in formando processu ostendamus, operæ pretium erit priùs exponere, quid in Jure significet hoc nomen *Judicium.* Judicium communiter à Juristis definiri solet hac forma: Judicium est actus à judice factus ad finem condemnandi, absolvendi, vel exequendi. Navarr. verò in Rubr. de judicijs. num. 15. ita judicium definit: nempè judicium est actus trium personarum, Judicis, Actoris, & Rei, in discutiendo contendentium, vel contendere parantium. Quam definitionem ibi latiùs explicat Navarrus, asserens, verbum *actus* comprehendere actus Judicis, Actoris, & Rei; ita ut unus actus tantùm non constituat judicium.

Rursus per verbum *trium personarum* intelligit, id est trium generum personarum: scilicet Judicis, Actoris, aut Rei, cùm benè possint esse litis consortes, nempè plures Actores, vel plures Rei, vel etiam plures Judices delegati in eadem causa. Præterea nomine *personarum* comprehendit veras, & fictas personas, de quibus Tract. 2. egimus, dum famam, vel evidentiam criminis sæpè supponere pro accusatore fictoribi affirmavimus. Præterea advertendum, à qua parte litis judicium incipiat. Glossa in l. *Si is qui Roma, verbo, judicium. ff. de judicijs*, à litis contestatione judicium incipere affirmat, hoc est à discussione causæ, dum discutitur judicium inter Actorem, & Reum, dum Actor opponit: Reus verò respondit, quo fit, veram esse doctrinam Juristarum asserentium, litis contestationem fundamentum esse, & lapidem angularem totius judicij; quamvis non desint quamplures Jurisperiti, qui omninò contendunt, judicium à citatione inchoari, ut patet in textu, Capite penultimo, de foro competenti; sed prædicta Jura, & alia, quæ pro contraria sententia adducuntur, facilè concordantur, si dicas *in Cap. penultimo* sermonem esse de judicio cepto, & inchoato. Contrariam verò sententiam loqui de judicio integro, & formato: ita ut judicium ceptum dicatur à citatione, integrum verò, & formatum à litis contestatione.

His constitutis, brevirer explicemus quid sit processus. In primis processus dicitur, eo quod in illo continetur totum quod pertinet ad judicium, nempe à principio judicij usque ad finem. Quare initium processus incipit à libelli oblatione, hoc est à denunciatione judicè Visitatori facta, qua supposita postea progreditur ad inquisitionem, vel generalem, vel particularem: deinde ad exigendam à Reo confessionem: demum audita parte, & confessione Rei præmissa, qua Reum, vel absolvit, vel juxta delicti gravitatem punit. Ex quibus omnibus suo ordine digestis componendus est processus, qui omne judicium, & discussionem inter prædictas personas à principio usque ad finem comprehendit. Præterea processus hoc nomine vocatur translatione accommodata, ex loci mutatione, in qua, qui intervalli initio, usque ad finem pervenit, procedere dicitur.

In processu verò caput & initium esse potest, vel libelli oblatio ab accusatore, vel à denunciatore, aut infamia. Quare variæ sunt causæ, ex quibus oriri potest diversus stylus in formando processu; & demum quidquid ad causam spectare dicitur, in processu includi, & coerceri debet.

§. Primus.

De processu à Iudice formando per viam inquisitionis generalis.

IN primis initio processus divinum est implorandum auxilium hoc vel simili modo. *In nomine Domini nostri Jesu Christi. Causæ descriptio sive processus de hâc, quæ fuerunt in inquisitione generali.*

Pro qua inquisitione nota, quod tunc Visitator per modum inquisitionis dicitur procedere, quando ex mero ejus officio, & non ad instantiam partis procedit, secundùm communem opinionem Canonistarum; quæ quantum ad nostrum propositum attinet, inquisitio dividitur in generalem, & specialem: generalis inquisitio illa dicitur, quando ex Judicis officio fit, ad investiganda, & inveniendà delicta, & delinquentes, nulla nominata persona, nec delicto, inquirendo super statu totius Provinciæ, aut Diœcesis, ut Episcopi, & Visitatores Regulares facere solent, ut deindead specialem inquisitionem deveniant; de qua inquisitione generali, plenè egimus Tract. 1. ferè per totum, & de ea disseritur in Cap. 1. de officio Ordinarij, & in Cap. Romana, de censibus, in 6. Hæc igitur inquisitio generalis duobus temporibus contingere solet. Primo tempore præscripto à qualibet Religione ad faciendam visitationem juxtà decretum Concil. Trident. sess. 25. cap. 8. Secundò etiam fieri potest, quando ad aures Visitatoris pervenerit fama aliquorum delictorum, sive facinorum in aliquo Conventu, vel Provincia temerè grassantium.

Præterea in inquisitione generali, Visitator incipiet suam visitationem, sine ullo processu, dicens hac, vel alia simili forma.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Incipit visitatio hujus Provinciæ, vel hujus Conventus à R. Patre Visitatore N. ab. N. in Conventu N. Anno Mense Die inceptâ.

Postea in initio visitationis Notarius scribet hac, vel simili ratione. *Cum ad Dei gloriam, & bonum Religionis spectet, ut Superiores bono communi consulant, & aliorum peccata, sive defectus (si qui in aliquo inventi fuerint) charitate media corrigant, ac si opus fuerit severè coerceant. Ideo præcipimus, &c.* Hic exhortatione facta, debet imponi præceptum, vel secundum nostras, vel alterius Ordinis Constitutiones, solumque debet legi præceptum, omissis alijs, quæ tantùm serviunt pro initio visitationis.

Postea scrutinio facto (ut supra Tractatus 1.) si quis in visitatione decreverit aliquod crimen Visitatori juridicè denunciare, in primis ante omnia Visitator à denunciatore juramentum exigat, & ut denunciationem accipiat

cum

cum omnibus circumstantijs, denunciator scribat, vel per se, vel per secretarium, cui in Religione, imò extra illam tanta fides adhiberi solet, & debet, ac si esset Notarius (hoc enim quasi jure gentium introductum est in omnibus ferè Religionibus) Tutiùs tamen esset si Provinciales, qui ex privilegio Pontificio possunt creare Notarios, (ut advertit Emmanuel Roder. tom. 2. quæst. Regular. q. 13. ar. 2. & 3.) suos Socios Notarios constituerent.

Dixi opus esse, ut in scriptis denunciatio fiat, quia cum denunciator sit etiam simul Testis, ut tenent M. Sotus, Navarrus, & P. Bannes, quos adducit & sequitur Emmanuel Rodericus *ut supra art. 6.* (ut plenius *Tract. 2. cap. 9.* annotavimus) faciatque semiplenam probationem, quæ sufficit, ut in delictis, quæ sunt contra commune bonum, vel contra particulare alicujus, juxtà superiùs dicta; Visitator ad inquisitionem particularem, vel ad interrogandum Reum procedat forma inferiùs præscribenda.

§. Secundus.

Formula denunciationis in visitatione servanda.

IN nomine Domini Nostri Jesu Christi Amen. Cum in Conventu N. Die Mense Anno impositum fuisset à nobis initio nostræ visitationis præceptum generale de culpis, & defectibus aliorum, nobis sincerè, & juridicè detegendis, comparuit coram nobis Pater N. ab N. ejusdem Monasterij conventualis Sacerdos, annorum N. qui præstito juramento de veritate dicenda, affirmavit, gloria Dei ductus, & zelo Religionis, se scire Patrem N. ab N. esse proprietarium, & accipere, retinere, expendere, sive donare pecunias in magna quantitate, sine ulla Superioris licentia: vel habere familiaritatem suspectam, vel scandalosam, cum tali femina, ac propterea eum denunciare, ut juridicè secundùm culpæ qualitatem puniatur. In quorum fidem prædictum testimonium propria manu, coram Patre N. Visitatore, & N. Secretario subscripsit, eodem die, & anno quo supra.

Pater N. Provincialis sive Visitator. Fr. N. ab. N.

Pater N. Secretarius.

§. Tertius.

Formula servanda, quando Visitator procedit per viam denunciationis.

DEnunciatio, ut sæpe in superioribus annotavimus, nihil aliud est, quàm delatio alicujus criminis apud Judicem competentem ad pœnam vel correctionem inferendam delinquenti, ut notat Navarrus. Cap. *Novit. de Judicijs, notabili 5. num. 2.* & tunc quando præcedit ista juridica denunciatio, tenetur Visitator ad specialem inquisitionem descendere, sive hæc denunciatio descendat ex Visitatione generali, sive ex alio capite, sive demum Visitator procedat ex mero officio, ut inferiùs exponemus.

Quando igitur via denunciationis proceditur, sic etiam processus poterit incipere. *Coram nobis Patre N. Provinciale, sive Visitatore comparuit frater N. & in modum denunciationis sequentia hu verbu exposuit.*

In nomine Domini Amen. Ego frater N. coram vobis Rever. Pater Provincialis per modum denunciationis expono, qualiter frater. N. & cætera ut supra. Quæ quidem denunciatio non animo maligno sed bono Religionis zelo, ut per vos, qui es communis Prælatus noster, & pater. provideatur scandalo orto inter fratres, & demum bono Religionis nostræ consulatis, ne cæteri similia deinceps committere audeant. Datum in nostro Conventu N. Die Mense Anno

Aliud exemplar.

CCoram nobis P. N. comparuit Fr. noster N. ab N. qui per modum denunciationis exposuit, quod cum hu præteritis diebus esset in domo quorumdam secularium, in tali loco, intellexit ab eis cum gravi cordis sui angore, quod ipsi non parum fuerint scandalizati, ex admodum frequenti atque domestica familiaritate fratris N. nostri Ordinis, cum tali muliere, quæ est mala conditionis, & famæ. Quare ego frater N. ab N. zelo Dei ductus, & animæ illius fratris nostri, & honoris Religionis, ac primum ad honorem Dei defero ac denuncio vobis factum istud, quo si providere possitis, eo meliori modo, quò noveritis expedire, provideatis. mecum erat frater N. ab N. qui & ipse omnia audivit. Datum in conventu nostro die Mense & Anno

Postea ab illo inquirat Visitator, an sint alij Testes, & de scientia, & de alijs circumstantijs, juxta ea, quæ inferiùs dicentur, *in capite de Testibus examinandis*, & postea legatur ejus depositio, & notetur in processu. Hac denunciatione præmissa Visitator procedere debet ad examen Testium juxtà præscriptam formam infra.

Restabat in hoc capite aperire viam de modo procedendi per viam accusationis, sed quia nostri muneris est, accusationes omnes à Religionum finibus longiùs relegare utpotè Regularium purtati, & sinceritati omninò contraria: tum quia nulla causa inveniri potest, cui non possit per viam denunciationis provideri. Ideò abstinendum duximus à modo & stylo formandi processum per viam accusationis.

CAPVT III.

De forma in processu servanda, quando Visitator procedit ex officio absque ulla denunciatione.

DUplex est inquisitio: una generalis, quando Prælati initio suæ visitationis imponunt præceptum formale, ut ea quæ sunt in illo Conventu correctione digna, ei manifestentur, de qua jam diximus. Altera specialis, quando præcedente notitia *Quotuplex inquisitio.*

de aliquo singulari delicto, & persona delinquente, præmissa semiplena probatione, aut infamia, Visitator procedit ad specialem inquisitionem faciendam, secundùm formam præscriptam in cap. præcedenti. Alia est inquisitio, quæ etiam specialis dici potest, cum crimen perpetratum est notorium, & criminosus occultus: tunc enim tenetur Prælatus inquirere generatim malefactorem; non tamen speciatim an Petrus, vel Joannes tale crimen commiserint, nisi infamia, indicia, aut semiplena probatio præcedant, ut latiùs in cap. de inquisitione superiùs annotavimus.

Hanc inquisitionem debet præcedere evidentia facti: factum autem, sive delictum potest esse, aut permanens, aut transiens: facti permanentis delicta dicuntur, quorum vestigium sensibile post illa commissa manent, ut in homicidio, stupro, incendio, percussione, si in illa cicatrix relinquatur, vel vulnus, aut in furto cum fractura &c. transeuntis facti dicuntur illa delicta, quorum nullum post ipsa perpetrata sensibile, aut visibile vestigium manet, ut convicium, blasphemia, sive alia injuria, sive fornicationes, percussio absque signo relicto, aut furtum sine fractura, &c.

Visitatori igitur in primis constare debet de corpore delicti, sive id fiat per denunciationem juridicam, sive per inquisitionem, quæ oritur vel à notorietate facti, vel ab infamia, vel ab indicijs violentis, adeò ut nullus Visitator possit processum contra aliquem sibi subditum formare, nisi judicè fuerit denunciatus, aut legitimo modo infamatus, aut indiciatus, aut demum in fragranti crimine notorio deprehensus.

Quando Prælatus, vel Visitator volens facere inquisitionem de delicto notorio, & non inveniantur nec indicia, nec infamia, nec semiplena probatio contra delinquentem, debet hac forma procedere.

Die Mense Anno

Cum perveniisset ad notitiam, vel aures R. P. Provincialis, vel Visitatoris publica quadam fama deferente in Conventu N. tale delictum scandalosum fuisse patratum, & attendentes delictum in Dei offensam, & in jacturam Religionis cedere, ex debito officij visum est, juridicas informationes capere à fide dignis, qui possent veritatem patefacere, & ideo decrevimus forma debita, & juridica Testes examinare.

Post hæc procedendum est ad examen Testium hac vel simili forma.

CAPVT IV.

Forma examinis Testium circa delictum notorium.

Eodem die, & anno R. P. Visitator considerans, quod tale, tamque grave delictum in tali Monasterio commissum, sine maxima Dei, & proximi offensione tolerari nequeat, processit ad Testium examen, pro investigando delinquente; Quare eodem die vocatus P. N. ab N. coram eodem P. Visitatore existente in eodem loco, & in primis præmisso juramento vel præcepto formali, interrogatus fuit an sciat, tale delictum patratum in illo Conventu fuisse. Et si resp. ondeat se scire. Secundò interrogetur, quomodo id sciat? Ubi erat tali tempore, ac alibi ora, quando delictum fuit commissum, & quem credat illud commisisse, ita ut seriò referat, quidquid scit de hujusmodi re, vel facto, &c.

Omnia notentur, & animadvertatur: examinantur omnia necessaria, & circumstantiæ, scilicet delictum, delinquens, complices, locus delicti, tempus præcisum, quando commissum, occasio, sive causa, toties & quoties, Testes qui fuerunt præsentes, aut de visu, aut de auditu, & alia similia: si verò Testis se ignorare affirmet, impositio præcepto de servando silentio, & obtenta ejus subscriptione dimittatur, vocenturque alij Testes, donec Reus deteganur, sive donec indicia sufficientia contra aliquem vel aliquos inveniantur, invento Reo juridicè procedat, examinando Testes, donec per plenam probationem convincatur.

CAPVT V.

Alia forma examinandi Testes circa factam denuntiationem contra aliquem delinquentem.

DIximus *præcedenti capite*, qua ratione Testes sint examinandi à Visitatore, quando patratum est aliquod notorium delictum, delinquens verò est occultus, nunc præscribere oportet modum & formam examinandi testes circa delictum alicui particulari personæ per denunciationem imputatum, præmissa enim juridica denunciatione (ut supra diximus) tenetur Visitator ad inquisitionem specialem, hoc est ad Testium examen devenire.

Antequam igitur Visitator ad Testium examen descendat, oportet ante interrogationes præscribere modum ac formam, ex qua constare aliquo modo possit de delinquente, & de delicto commisso, & de causis quibus movetur ad inquisitionem faciendam, ut sic clarius constare possit, se non leviter, aut minùs juridicè Testis interrogate, quod non incongruè sequenti forma, vel alia simili exprimere poterit.

Die Mense Anno

Cum perveniisset ad nostram notitiam, publica quadam infamia deferente, vel legitima denunciatione per Testem omni exceptione majorem, Patrem N. ab N. Procuratorem hujus Monasterij bona, sine legitimo Superiorum consensu temerè dissipasse, tum donationibus à se suis consanguineis factis, tum non modicam pecuniarum summam in convivijs & portationibus insumpsisse, necnon aliquibus Religiosis suis amicis, & etiam alijs secularibus exhibuisse, cum ad Dei gloriam, & ad disciplinam Religiosam conservandam necessarium sit, ut similia delicta impunita non remaneant, ac ex debito nostri Officij teneamur ad debitam inquisitionem talium delictorum plenius faciendam, præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali omnibus Religiosis juxta tenorem sequentis interrogatorij examinandis, ut veritatem, postposito omni odio, vel amore, aliave passione sincerè deponant.

Poterit tamen Interrogatorium majoris claritatis gratia in aliquos articulos, sive interrogationes dividi, quibus tota series facti comprehenda-

hendatur, quod fieri poterit secundum formam infrà præscriptam.

Interrogatorium.

Die Mense Anno

Coram R. P. Visitatore N. in Conventu N. vocatus Monasterij Superior ætatis annorum N. & monitus, ac juramento ab eo præstito de veritate super interrogandis dicenda, tactis pectore, more sacerdotum juravit, & circa interrogationes propositas respondit, ut infra.

Primo, Interrogatus, an cognoscat P. N. ab N. Religiosum professum sacerdotem, & Procuratorem illius Conventus, & à quo tempore illum agnoscat? Respondit, se à multis diebus illum agnovisse, & familiariter cum ipso, in illo Conventu fuisse conversatum.

Secundò. Interrogatus, cujus famæ, & opinionis sit tam apud alios quàm apud ipsum? Respondit, se prædictum P. N. habuisse pro viro probo, ac bonæ famæ & opinionis tàm apud alios illius familiæ Religiosos, quàm apud ipsum.

Tertiò. Interrogatus in quos usus ille, & pro quibus expendat Monasterij pecunias sine licentia Superioris, elargiendo illas suis consanguineis, ac aliquandò in convivijs luxuriosè cum sæcularibus bibendo? Respondit, se audivisse prædictum P. N. distribuisse aliquas Monasterij pecunias inter fratres & consanguineos, sed tamen nescire, an hoc præmissa Superioris licentia faciat, nec ne.

Quartò. Interrogatus, à quibus audivit præfatum N. expendisse prædictas pecunias sine licentia Superioris, elargiendo eas suis consanguineis? Respondit, se hoc à Patre N. illius Monasterij sacerdote accepisse, qui asserebat, hoc audivisse à quadam consanguinea ejusdem Procuratoris, vocata N. Item se etiam hoc accepisse à fratre N. qui cum esset ordinarius socius Procuratoris affirmabat se præsente, emisse quosdam annulos aureos, eosque prædictæ consanguineæ dedisse, rogans prædictum socium, ne alijs Monachis patefaceret.

Quintò. Interrogatus, cujus famæ, & opinionis sint Religiosi à quibus audivit, prædictum Procuratorem expendere illas pecunias, & an sint viri probi, de quibus nulla ratione præsumi possit, quod odio, aut passione aliqua ducti similem culpam Procuratori temerarie imponant? Respondit, habere se pro comperto, illos Religiosos esse viros probos, timoratæ conscientiæ, ac testes omni exceptione majores.

Sexto. Interrogatus, an sciat, vel audiverit aliquod aliud peccatum, materiam proprietatis concernens? Respondit, se nihil aliud scire.

His peractis, legatur ejus depositio, & notetur in processu, & Notarius terminabit examen his verbis: *Quibus habitis dimissus fuit prædictus P. N. Supprior impositio sibi silentio de secreto tenendo sub eodem præcepto*, & subscribatur. *Ego P. N. affirmo ut supra.* Deinde Notarius concludat.

Acta sunt per me Fr. N. Notarium, coram R. P. Visitatore, & tàm Notarius quàm Visitator subscribat.

Deinde Visitator, ut debito ordine in incepta inquisitione procedat, debet ad se vocare prædictos Religiosos, à quibus præfatus Supprior, in examine antecedenti dixit se audivisse, quos examinabit sequenti forma.

Forma Examinis aliorum Testium.

Die Mense Anno.

Vocatus Pater N. ab N, ut supra.

Primo. Interrogatus an cognoscat P. N. Procuratorem, &c. ut supra. Respondit ut supra.

Secundò. Interrogatus, an sit bonæ opinionis, &c. ut supra, Respondit ut supra.

Tertio. Interrogatus, an sciat illum esse proprietarium, ac expendere Monasterij pecunias, &c. ut supra, Respondit, se quadam die audivisse, à quadam consanguinea prædicti Procuratoris, eam habere quosdam annulos aureos, quos sibi Procurator N. ejus consanguineus donaverat, eique ostentasse aliquos annulos à prædicto Procuratore sibi traditos.

Item se scire prædictum P. N. Procuratorem, Monasterij expensis, sine Abbatis notitia, tàm pro amicis monachis quàm pro tribus alijs sæcularibus etiam amicis splendidum paræsse convivium tali die mense in Abbatis hospitio, nescente Abbate.

Quartò. Interrogatus, Quomodo id sciat? Respondit, se id certò scire, tum quia fuit unus ex invitatis, tum quia audivit ab ipso Procuratore, se magnam pecuniæ summam in illo convivio insumpsisse.

Quintò. Interrogatus, an sciat aliquod aliud peccatum in simili materia proprietatis à Procuratore commissum? Respondit, se nihil aliud scire.

Et post hæc legatur ejus depositio ut supra.

Eodem ferme modo erit examinandus à Visitatore Fr. N. socius Procuratoris, *qui examinatus juxtà prædictas interrogationes, ad primam, & secundam, Respondit eodem modo, quo alij Testes.*

Ad tertiam respondit, præfatum P. Procuratorem N. Monasterij pecunias in magna quantitate sine Superioris licentia prodigè insumpsisse, & tàm Religiosis, quàm sæcularibus consanguineis distribuisse.

Interrogatus, quomodo id sciat? Respondit, se sæpius vidisse illum pro Religiosis Monasterij sibi amicitiâ junctis emere vestes sive utensilia alia.

Interrogatus, quomodo id sciat fieri sine licentia Abbatis? Respondit præfatum Procuratorem id sibi sæpius manifestasse, & serio injunxisse, ut nemini hoc patefaceret.

Deinde dixit prædictum Procuratorem convivium magnum, tàm pro Monachis notis, & amicis, quàm pro sæcularibus, cum notabili expensa Monasterij præparasse, ac ipsum esse verum de hac re, quia ter, aut quater fuit ab ipso invitatus, ac deinum scire, quod in ejus præsentia prædictus Procurator uni ex suis consanguineis vocatæ N. annulos aureos donasse, ejusque sorori catenulam auream tradidisse, eum humiliter deprecans, ut prædicta omnia silentio servaret.

Interrogatus, an sciat aliud peccatum contra paupertatis votum? Respondit, se nihil aliud scire. Postea legatur ejus depositio &c. & terminetur examen ut supra. Idem servari debet in quocunque alio Testium examine.

Testibus à Visitatore eo quo dictum est modo, examinatis, ut Visitator ipsemet possit vim testium, aut probationes à se factas clariùs discernere, necesse est, ut attente consideret, an Testes sint singulares, discordes, varij, aut contestes, & an indicia sint sufficientia, ut simul cum semiplena probatione, possit Reum convincere, quod ut aptiùs juridicè possit, non immeritò adjecimus duo capita sequentia.

CAPVT VI.

Qualiter se debeant gerere Testes in detegenda veritate, à Visitatore examinati.

PRima Regula. Judex non potest Testes de aliquo interrogare delicto, nisi priùs constet de delicto commisso, vel per infamiam, vel per sufficientia indicia, aut denique per semiplenam probationem, ut omnes cum D. Thoma 2. 2. quæst. 69. art. 2. affirmant; tunc enim Judex juridicè interrogar.

D. Thomas 22. quæstione 69. articul. 2.

Secunda. Quotiescunque Testis in judicio secundùm ordinem Juris examinatur, hoc est juridicè interrogatur, tunc Testis tenetur, respondendo, veritatem dicere.

Tertia. Quotiescunque certò, & evidenter constat, Visitatorem esse probum virum, non est necessarium, ut ostendat Testi, se in examinando procedere secundùm ordinem Juris; quia nemo peccare præsumitur, nisi certò & evidenter constiterit: quod si testis dubiter, tunc inclinandum est potiùs in favorem Visitatoris, quam Rei.

Quarta. Testis etiam si sciat non esse alium Testem, quando Visitator præmissa denunciatione inquirit delictum, tenetur veritatem aperire; quia denunciator habet vicem unius Testis, & facit semiplenam probationem, ut sæpiùs diximus.

Quinta. Nemo tenetur testari cum suo gravi damno.

Sexta. Secretum sibi commissum nemo potest prodere, nisi vergat in grave damnum alicujus, nec possit aliter impediri, quam prodendo; nam tunc prodendum est Judici legitimè interroganti, etiamsi Testis jurasset se celaturum.

Septima. Testis non legitimè interrogatus, potest negare se scire, subintelligendo, ut teneatur prodere.

Octava. Deinde Testes sua testimonia subscribant, aut si nescit, Prælatus eorum nomine, annotato mense, loco, & anno.

Nona. Visitator non minetur, aut urgeat Testes ad deponendum, sed sinat eos libertimè testimonium ferre: & si petierint tempus ad consilium capiendum, concedat, vel ipse tanquam pater moneat, quid silere debeant, quid manifestare: præsertim cum ex ignorantia eos labi perspexerit.

Decima. In Testibus examinandis illa præcipuè debet esse Visitatoris cura, ut sibi delata crimina distinctè, & clarè per suas circumstantias in diversa capita, sive articulos distinguantur, quales sint, quis, cui, cur, quomodo, quando, ubi, quibus auxilijs & socijs, &c.

Exemplum hujus rei adducamus. Si enim quispiam de carnium esu apud Judicem accusaretur: hoc pacto Testis sive denunciator esset examinandus. *Primum quo die illud crimen sit commissum? Secundo. Quo loco*, ex locorum enim varietate frequentiùs Testium mendacium compertum fuit, aut etiam ex diversa loci ratione, quèmadmodum in Daniele legimus. *Tertio. Utrum solus, an cum alijs carnes ederit? Quartò. Quo loco ipsi Testes manebant, ut ejusmodi crimen respicere possent? Quintò. Cujus generis esset illa carnes, quas ederant.* Juxtà prædictos Articulos examinatio debet procedere, ut clarius veritas si dilucidetur, & aperiatur.

Cætera, quæ ad hanc Testium materiam spectant, inferiùs dicentur.

CAPVT VII.

Quid requiratur, ut Testes faciant fidem in judicio?

IN primis Testes cum ferunt sua testimonia, interrogari debent de causa scientiæ, sive credentiæ. *Cap. Causam, de testibus*: hoc est, quomodo id sciant, vel credant, Titium tale delictum perpetrasse? Hæc namque scientia est quasi anima testimonij à Teste prolati, sine qua ejus testificatio minimè valet, ut post Baldum & alios Doctores, docet Farinaccius in Praxi criminali qu. 70. n. 1. & 3. & sequent. Item de loco, & tempore, & contestibus commissi delicti. In fine etiam depositionis Testes subscribant, ut aliquando negare non possint ita deposuisse, & in rebus gravissimis denuò relegantur eis eorum dicta ad effectum, ut addant, vel confirment, quæ antea dixerunt, & in calce depositionis addatur: *relectum confirmarunt*.

Secundò, Testes in Visitatoris præsentia examinari debent, L. 4. §. Idem ff. de testibus. Item interrogari debent de nomine, & cognomine eorum, *Cap. olim, de accusationibus*. Item Testis debet esse juratus ut probet, & non juratus non probat. *L. Juxjurandi C. de testibus*. Testis enim sine juramento examinatus, non facit indicium, neque probationem, etiamsi esset Religiosus, sive Cardinalis; sed facit aliquam præsumptionem, ex quo sequitur, quod testes contra Regulares non possunt admitti, nisi sint Religiosi, nam alij à Judice Regulari examinati non possunt; quia cum non habeat jurisdictionem in sæculares, non potest ab eis exigere juramentum, quia defectu juramenti sapit jurisdictionem, ut dicitur *Clementina, unica, de officio Judicis delegati*.

Varia sunt in judicio Testium genera, non tamen omnibus adhibenda est fides: quidam inhabiles nuncupantur, quidam singulares, quidam contestes, quidam varij, quidam ambiguè confuséque deponentes, quidam de auditu, sive credulitate.

Inhabiles legibus ipsis prohibentur, ne testimonium ferant, ut sunt inimici, qui iure Gentium, imo & naturali à testimonio ferendo rejiciuntur, etiamsi reconciliati sint. Item inhabiles judicantur illi, qui alias falsum testimonium dixerunt. Accusator contra accusatum, Judex contra judicandum, mente capti, & in causa communi duorum neuter poterit esse Testis, etiam socij criminis. Hi tamen aliquam præsumptionem faciunt contra Reum, ut constat ex Cap. Quoniam aliqua, juncta *Glossa de Testibus*.

Testes singulares nuncupantur, qui super diversis factis deponunt, ita ut quilibet singularis sit in suo dicto: v. g. si unus deponat, Petrum furtum perpetrasse, alter verò Joannem percussisse,

fisse, aut tale delictum fuisse perpetratum domi, alter autem in via publica: vel unus dicat commissum fuisse delictum mane ante prandium, alter verò vesperi post prandium: vel unus mense Martij, alter mense Aprilis: licèt in delicti specie, aut persona delinquentis concordent, adhuc Testes singulares dicuntur; quia in circumstantijs necessarijs non concordant, & multò magis quando differunt in diversa delicti specie, vel in actus ipsius substantia, ut in exemplis positis manifestatur. Quare secundùm communem sententiam minimè probant, maximè in criminalibus: unus tamen eorum supra delicti specie aliisque circumstantijs deponens, si omni exceptione sit major, indicium faciet, imò & semiplenam probationem.

Illud tamen notandum, quod si Testes singulares de eadem delicti specie deponant, quæ iterari queat, cujusmodi est furtum, vel blasphemia, aut quid simile, licèt in circumstantia loci, aut temporis non concordent, quamvis plenam probationem non faciant, plusquam semiplenam tamen inducunt, *Ita D. Thomas. 2.2. quæst. 70. artic. 2. ad 2.* M. Soto lib. 5. de Justitia & Jure q. 7. ar. 2. Ratio est, quia si unusquisque Testis semiplenam probationem induxit, quare duo de eadem prorsùs iterabili delicti specie deponentes semiplenam probationem non efficient? non tamen plenam probationem, si in loci, & temporis circumstantijs non concordent, secùs tamen erit judicandum si de uno eodemque delicto iterabili deponant, si in tempore, & loco dissentiant, imò faciliùs eorum falsitas deregitur, ut in illis Senibus, qui contra Susannam, *Dan. 3. tulerunt testimonium*; nam licet uterque in delicto Susannæ imposito convenerunt, circa tamen locum delicti apertè dissenserunt, & de falsitate fuerunt convicti.

Quod si Testes in persona, in delicti specie, & etiam in mense, & anno conveniant, unus tamen eorum dicat, tale delictum esse perpetratum die Lunæ, alter autem dicat se non recordari de die præcisè, idemque dicendum est de loco, ubi fuit commissum delictum, plenè utique probant, & sunt contestes, & ad condemnationem sufficiunt. Ita D. Th. ut supra: secùs foret, si unus die Lunæ, alter verò die Martis, aut alio die commissum delictum asseverarent; tunc enim verè essent singulares.

Quando Testes singulares de uno eodemque actu continuationem præ se ferente deponunt, licèt unus post alium vidisset, plenè utique probarent, v. g. si qui restarentur, per foramen vidisse Titium cum tali muliere adulterantem, licèt unus post alterum videret, utique dicerentur contestes, ut Armilla verbo, Testis, & Sylvest. eodem verbo quæst. 3. & communiter Canonistæ.

Doctrinâ Cajetani.

Oportet tamen obiter quandam doctrinam Cajetani 2. 2. q. 70. artic. 2. circa singulares Testes annotare, quam ipse sequentibus verbis scribit. *Distinctio* (inquit) *illa de Testibus, qui sunt singulares, vel contestes, regulariter habet locum, ut per singulares testes nullus damnetur: quia tamen multi singulares Testes in factis iterabilibus violentam suspicionem inducunt, ut si unus vidit aliquem committere unum furtum, & alius vidit eundem delinquentem committere aliud furtum, & sint Testes omni exceptione majores: inter Religiosos quando quis existimatur alias tali vitio involutus, aut numerus multus talium Testium concurrat, si arctatus non confitetur, inveniri videtur quandoque subsecuta condemnatio, multorum Patrum consilio sulta. Et licèt hæc non sit secundum Juris rigorem, ubi tamen absque tormentis proceditur, non tam ad puniendum, quàm ad salutem animæ, & Regularis observantiæ favorem tolerabile videtur, ut hæc probabilitas sufficiat ad certitudinem inter eos, qui mortui sunt mundo. Quia tamen Reus non potest ad hujusmodi sententiam tolerandam cogi, deberet tamen ex ejusmodi indiciis per tormenta (Religiosa tamen) veritas exquiri, ut sententia non feratur, nisi coram confessum vel convictum juxta sacros Canones.*

Hæc Cajetanus, quem sequitur M. Sotus, *lib. 5. de Justitia & Jure, qu. 7. art. 2.* & Arerinus *in sua Praxi Criminali, capite secundo, de numero Testium*, erudiè quidem animadvertentes, quod quando numerus aliquis Testium singularium fide dignorum, putà quinque vel sex conveniunt in deponendo actus quidem numero distinctos, sed tamen ejusdem speciei, ut diversas solicitationes, diversas subornationes, cùm hujusmodi Testes saltem in genere probent denunciatum simili vitio infectum, etiamsi sint singulares; possunt Prælato sufficere ad excipiendum à dignitatibus Provincialatus, Definioratus, Prioratus sive Guardianatus: quam quidem esse doctrinam communem, docet Julius Clarus q. 53. Sed si agatur, de jure communi, certum existimo neminem pœna ordinariâ per Testes singulares posse damnari, & communiter tenent DD.

Unde facilè erit colligere, qui dicantur Testes contestes, ac plenè probantes, nempè cum de eodem facto, loco, tempore, personis, aliisque circumstantiis ad facti substantiam attinentibus, ac necessarijs jurati deponunt. Similes Testes plenè delictum probant, & ad Reum convincendum, & condemnandum sufficiunt, ut constat ex Cap. Omni negotio, de Testibus, & ex aliis Juribus.

Testis varius quis dicatur.

Varius Testis dicitur ille, qui vel contraria deposuit, sive in eodem examine sive in diversis, vel qui primò per verbum, credo, deinde assertivè testificatur: aut primò se nihil scire ait, postea de facti veritate deponit: vel qui unum asserit in judicio, deinde illudmet revocat extra judicium. Testi vario regulariter fides adhibenda non est, Cap. Cum Ecclesia, de causa possessionis & proprietatis.

Non rarò invenies Testes confusè, obscurè, ambigueque deponentes, cujusmodi sunt, qui sequentibus verbis testificantur, ut sunt, mihi videtur, forsan, similibusque verbis suam mentem declarant, ex quibus clara sententia, apertaque veritas haberi minimè potest. Hi profectò nihil probant contra Reum; quia obscurum, aut confusum, aut ambiguum, dictum secundùm Jus pro non dicto habetur, ut tenet Glossa Cap. Si Testes, §. in Testibus, verbo, simpliciter 4. q. 3. & concordat textus in lege, de ætate interrogatus, de interrogatorio actio. Quare ut simili testimonio fides adhibeatur, hujusmodi Testes iterùm atque iterum interrogari à Visitatore debent, quoadusque clarè, distinctè, simpliciterque deponant. Si verò sint absentes, ille sensus eo casu à Visitatore accipiendus est, qui delictum excludit, magisque Reo favere videtur.

Testibus confusè loquentibus, non immeritò annumerari possunt Testes, qui de credulitate deponunt, quales sunt illi, qui certi nihil affirmant, sed tantum verbis, credo, aut non credo, deponunt. Hi nisi causam proximam suæ credulitatis afferant, nihil omninò probant.

Si verò credulitatis causam rationabilem adducant, utique probant, v. g. si aliquis testificetur hoc modo credo Petrum cum tali muliere adulterium commisisse, eò quod solum cum sola invicem osculantes, ac impudicè tractantes invenerim: argumentum *Cap. Praterea, de testibus. Id docet Abbas, Cap. Quoties, eodem titulo.* Regulariter autem Testis de credulitate nihil probat, nisi causam probabilem suæ credulitatis adduxerit.

Non longè distat à præcedentibus Testis de auditu, v. g. qui deponit, se audivisse, vel fama percepisse, nisi interrogetur, à quibus audivit, quomodo orta fuerit talis fama, & à quo tempore? Quia, ut fama rectè probetur, debet constare, quod habuerit ortum à personis gravibus, & fide dignis, non verò malevolis, sive inimicis, aut levibus personis. Quod si Testis aliquos nominet, à quibus dicat se audivisse id quod deponit; illi à quibus audisit, examinandi sunt per alios Testes de auditu, quando non possunt haberi illi à quibus audierunt, nec præsumptionem quidem faciunt, si non habeantur auctores, ita tenet Menochius *Consil. 98. num. 56.*

Prædicta omnia, quæ sunt notatu dignissima, Visitatores sedulò advertant, ne facili negotio Testibus, nisi legitimis, & omni exceptione majoribus fidem adhibeant. Ille autem dicitur Testis omni exceptione major, cui nulla objectio, aut exceptio poni potest, ut à testimonio ferendo repellatur: & qui juratus, de facto ipso de visu deponit, sive de scientia & causa scientiæ, aut de auditu in his, quæ solo auditu percipi queunt, sive de alio sensu corporeo, & qui non solum de substantia facti, de tempore, loco, aut alijs circumstantijs substantialibus deponit: unde nemo potest, vel debet condemnari pœna ordinaria, nisi duobus Testibus legitimis sit convictus: Meliùs enim est, relinquere facinus impunitum, quàm innocentem sine probatione dilucida, & plena condemnare.

Plura possemus hic adducere de Testibus, quæ plenius tractantur à Juristis in hac materia.

CAPVT VIII.

De modo interrogandi Reum, & in quibus casibus teneatur fateri veritatem.

TEstibus examinatis, nihil amplius restare videtur, quàm Rei examen, sive confessio. Quare Visitator debet attentè Testium dicta, ac depositiones examinare, ac inspicere, an ex illorum testimonijs plena probatio resulter, aut saltem infamia, aut gravia aliqua indicia sufficientia, ut secundùm ordinem Juris, formatis ex Testium depositione articulis, illum possit interrogare, advertat autem Visitator, quod Reum interogare nequit, nisi de criminibus, de quibus fuit antea juridicè denunciatus: sed antequam ad interrogationes Reo proponendas veniamus, priùs nobis aperiendum est, quando Reus, & quomodo teneatur interrogationibus sibi à Visitatore factis, legitimè respondere.

Primò. Quando Judex juridicè interrogat Reum, tunc ipse tenetur veritatem confiteri, sive illi pœna temporalis, sive spiritualis imminea: tunc verò juridicè interrogatur, quando à Judice competente interrogatur, & quando præcessit infamia, aut aliqua indicia sufficientia, aut semiplena probatio, quo casu Reus negans veritatem, mortaliter peccat. Ita tenet communis DD. sententia.

Secundò. Quando Reus juridicè non interrogatur, non tenetur respondere, aut veritatem manifestare. Ita tenet cum D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 2. communis sententia DD. In hoc autem casu non est licitum Reo dicere mendacium, hoc enim est intrinsecè malum, ac propterea nunquam est licitum; poterit tamen celare veritatem, utens verbis æquivocis, aut amphibologicis; quia homini naturale est seipsum defendere: quare etiam potest licitè respondere: nihil scio, nihil feci, intelligens intra se, utillud debeam manifestare?

Tertiò Non debet Prælatus à Reo juridicam confessionem exposcere, nisi infamia, vel indicia probata, saltem per duos testes, aut semiplena probatio præcedant, & propterea ut teneatur respondere, debent illa ista esse nota.

Quartò. Non potest Reus convictus de uno crimine, de alio interrogari, casu quo de alijs criminibus non sit notatus infamia: poterit tamen convictus de uno crimine, interrogari, an commiserit alia ejusdem speciei; quare qui confitetur furtum, potest interrogari, an commiserit alia furta, limitat tamen Navar. in Rubrica de Judicijs n. 97. quod ille, qui solùm est infamatus de uno furto, & non est alia suspicio de alijs furtis, non potest licitè interrogari, an alia commiserit?

Quintò. Non potest Reus interrogari de socijs occultis, nisi aliàs crimen sit nimis nocivum bono communi, aut id sit necessariò patefaciendum, ad impediendum damnum alicujus tertiæ personæ, quod aliter non possit impediri vel nisi aliàs tale crimen sit ejus conditionis, ut sine socio committi non possit.

Sextò. Reo legitimè interrogato, si nolit respondere, potest justè imponi præceptum, quod respondeat: quod si adhuc nolit respondere, præsumitur in foro exteriori delictum commisisse. Ita affirmat Rodericus Suarez, sic fuisse judicatum in Hispania super negotio gravissimo, & Julius Clarus, sic esse in Praxi observatum, quos citat, & sequitur Praxis Criminalis Regul. tit. 9. cap. 4. num. 3.

Septimò. Reus patienter est interrogandus, & multis interrogationibus supra delictum commissum urgendus, neque illi unquam promittenda est impunitas; si confiteatur, nisi esset complex aliorum delinquentium.

Judex benignè & charitativè Reum interrogare debet, non severè, nec injuriosè, nec de vanis,

vanis, & inutilibus; sed de ipsis criminibus, & de circumstantijs adjacentibus, prout opportunius videbitur. Regulariter autem à generalibus incipiendæ sunt interrogationes, deinde ad particularia descendendum, usque dum perveniatur ad crimen ipsum particulare, cum adjunctis & indicijs, ut Reus intelligat ex interrogationibus, jam detectum esse crimen.

Præterea suppolita semiplena probatione, vel indicijs æquivalentibus, à Reo semper exigendum juramentum ad extorquendam veritatem. Quare Prælati juramentum non debent temerè exigere: quia illud sine rationabili & sufficienti causa extorquendo, nisi servato Juris ordine graviter peccant, ut resolvit Rodericus q. 19. art. 11.

Reus interrogari non debet vinculis constrictus, aut carcere incluſus; sed potiùs eductus de carcere, vinculisque solutus: quod si contigerit illum aliqua rationabili de causa ante liberationem à vinculis interrogari; curandum tamen omninò erit, omnem vim, atque metum à Reorum animis abesse, ut omnia Jura decernunt. Quare à Secretario causæ in processu ita describi debet.

Frater N, carcere eductus, vinculisque solutus & liber, medio juramento interrogatus, respondit.

In Rei examine ejus nomen, civitas, conditio notanda sunt, & qualiter se aliàs habuerit in moribus, quomodo se gerat in examine, an palleat, rubeat, timeat, &c.

CAPVT IX.

Forma examinandi Reum.

Antequam Visitator procedat ad exigendam à Reo confessionem, debet omnia testimonia, & probationes ad propria capita, sive articulos reducere, Reoque sine nomine Testium in scriptis tradere, & si opus fuerit, illi aliquod temporis spatium, ut veritatem consideret, ac fateatur, concedere: modus verò examinis fieri poterit sequenti forma.

Die Mense Anno.

Rev. Pater Visitator N. formato processu, ac juridicè examinatis Testibus, in causa denunciationis facta contra N. ab N. Procuratorem Monasterij N. decrevit (ne quod jus naturale est, defensio Reis denegetur) prædicto P. N. Procuratore dari in scriptis copiam omnium articulorum, & rerum, sive delictorum, de quibus juridicè fuit denunciatus, & per Testes plenè convictus, ut ipse visis probationibus, quæ absque nomine testium ostendi debent, comperta habeat, quid contra se probatum sit, veritatem fateatur, vel ut verè, & legitimè illis, quæ ei objecta sunt, satisfaciat. Quare vocato prædicto P.N. Procuratore ad ejus præsentiam, impositoque ei præcepto, vel si opus fuerit, exigito juramento præcepit ei in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto vel juram. ut veritatem fateatur & omninò à mendacijs caveat.

P. N. *Visitator.*

P. N. *Notarius.*

Die Mense Anno.

Prædictus R. P. Visitator, vocato ad se P. N. ab N. Procuratore Monasterij N. monitusque sub prædicto præcepto, aut juramento de veritate, super inferius interrogandis, dicenda, ipse ad articulos propositos respondit ordine sequenti.

Quod si Visitatori magis expedire videatur Reo concedere aliquod tempus, ut seriò possit respondere, poterit illi suo arbitrio concedere. Quamvis consuetudo communis teneat, Reum non posse petere tempus ad deliberandum, quid debeat respondere, ut Rodericus. q. 19. art. 2. ex communi Juristarum sententia resolvit, cui sententiæ communiter standum erit: nisi alia justa de causa tempus deliberandi à Visitatore concedatur.

Primò, denunciatur, sive accusatur prædictus N. Procurator Monast. N. quod pecunias Monast. expenderit temerè, præcipuè in convivijs, tàm suis amicis Monachis, quàm alijs sæcularibus exhibitis, & quod istæ convivia inscio Superiore, sæpius fuerint repetita, cum notabili dispendio bonorum Monasterij.

Secundò, Quod donaverit tres annulos aureos uni ex suis consanguineis.

Tertiò. Quod sorori prædictæ consanguineæ dederit catenulam auream.

Quartò. Quod sæpiùs sine licentia Abbatis vestes, & alia utensilia pro aliorum Monachorum usu, non parvo, aut viliori pretio comparaverit.

Quibus præmissis prædictus Pater Visitator præcepit Reo; ut ad prædictos articulos verè, ac sincerè respondeat, ante omnia illi exponens, se juris ordinem in hac re ad unguem servasse, ac præterea exponat, primum, secundum, & tertium articulum plenè esse probatos.

Si crimen Reus fateatur, nihil supereſt agendum, nisi ferre sententiam: si autem Reus voluerit respondere ad prædictos articulos, & suam probare innocentiam, vel Testibus aliquod opponere; præscribatur illi à Visitatore tempus, ut Testes ad sui defensionem adducere possit, oblatosque ab eo Testes juxtà ordinem præscriptum examinabit, quod si brevi tempore Testes non possit producere, terminus illi tribuendus ac prorogandus est, prout necessarium fuerit ad suas defensiones legitimè faciendas: qui terminus illi nulla ratione denegandus est. Quod si Reus (propriæ defensionis causa) à Visitatore probationis exemplar postulet, illud ei tacitis Testium nominibus, in scriptis tradere tenetur. Quod si Reus petierit etiam Testium nomina sibi revelari, licet hoc Regulariter fieri non debeat, in causa tamen gravissimæ culpæ, ex qua Rei expulsio à Religione, aut aliud gravissimum damnum resultare possit, pro plenori Rei defensione, quæ Juris naturalis est, deregenda erunt & etiam Testium nomina, ut eruditè docet Emmanuel Rodericus. Tom. 2. quæst. Regular. q. 16. art. primo.

CA-

CAPVT X.

Aliqua proponuntur dubia circa Rei examen, & ejus confessionem.

PRimo dubitari potest, an Reus debeat priùs citari, ut à Judice interrogetur? Respondetur, quòd quando delictum saltem est semiplenè probatum, debet tunc Judex vocarè Reum, eumque interrogare, ut ipse possit seipsum defendere, aliàs processus esset ipso Jure nullus; etiamsi in eo Reus mille Testibus esset convictus. Quare secundùm communem regulam Juris, Reus ante omnia legitimè est citandus, aliàs processus & omnia, quæ sequuntur, sunt ipso Jure nulla, ut communis tenet Juristarum sententia; quòd sane intelligendum est, etiamsi aliàs Rei delictum esset notorium. In aliquibus Religionibus tamen, similis stylus citandi Reos non est in usu, sed Prælatus, si ipsi sunt in carceribus, facit eos adducere coram se, & si sunt extrà carceres, mittit ad illos literas patentes, præcipiendo eis, ut veniant ad illum, & cum venerint, interrogat eos de illis, quæ contra ipsos continentur in inquisitione per ipsum formata, quæ quidem serviunt pro ipsa citatione.

Secundò quæritur, si Reus antequam examinetur à Visitatore, petat sibi dari priùs copiam probationis, aut indiciorum contra eum existentium, numquid Visitator debeat similem copiam dare? Respondetur, quod attento Jure communi (quicquid sit de consuetudine & praxi Judicum sæcularium) Visitator tenetur Reo petente indiciorum, sive probationum contra eum existentium copiam præbere. Ita tenet Practica Papiensis, verbo *fama publica*, *num.* 3. & Bernardus Diaz in sua Pract. Criminali, cap. 118.

Tertiò quæritur, an Reus teneatur crimen fateri, quando dubitat, an Judex juridicè interroget? Ratio dubij esse potest; quia Testis, ut superius diximus, in simili dubio tenetur fateri veritatem, igitur similiter Reus debet facere.

Verior tamen sententia tenet, Reum non teneri fateri crimen, quando dubitat, utrum Judex juridicè interroget. Ita Cajetan. 2.2.q.69. art. 1. M. Sot. de Secreto, membr. 3. qu. 2. & communiter alij Theologi, cujus ea est ratio, quia nemo tenetur parere Superiori cum gravi suo detrimento, nisi constet eum legitimè præcipere: cur enim ad sustinendum tantum onus debeat obligari ille, qui dubitat, an illud onus imponens, auctoritatem habeat imponendi? Secus autem esset, quando ex ejus confessione nullum notabile incommodum sibi eventurum timeret propter quam rationem Testis interrogatus, quando dubitat de auctoritate Superioris, tenetur veritatem fateri, ut sup. diximus.

Quartò. Dubitari potest, an Judici interroganti de facto, quod aliàs absque culpa saltem mortali patratum est, Reus teneatur ad mentem Judicis directè respondere, v.g. si quærat Judex: occidisti Petrum te invadentem? Respondetur, in tali casu Reum non teneri fateri, se occidisse, etiamsi de eo sit infamia, aut expressa indicia, quia tunc Judex quærit de occisione criminosa, & si reus fateretur, nec posset probare, se causa necessaria ad sui defensionem fecisse, condemnaretur tanquam homicida, ex falsa præsumptione. Secùs dicendum, si ipse posset facilè veritatem comprobare.

Part etiam modo quando Reus non est auctor criminis, non tenetur fateri aliquas circumstantias, ex quibus oriri posset suspicio, illum tale crimen commisisse, v. g. Si interrogetur, an pugio quo occisus est Petrus, ad ipsum pertineat? quia quamvis ista interrogatio sit legitima atque juridica, tamen ex falsa præsumptione procedit, & ideo non tenetur veritatem fateri propter damnum, quod ipsi evenire posset.

Quintò. Dubitari potest, quæ indicia, sive probationes sufficiant, ut Visitator possit juridicè interrogare Reum, & ab eo juramentum exigere? Respond. quod ad hoc ut à Reo juramentum exigatur, requiruntur ea indicia, seu probationes, quæ sufficiunt ad torturam, ut docet Covarr. & alij DD. Quia juramentum est spiritualis quædam tortura. Idem etiam videtur sentiendum de obligatione confitendi crimen. Unde ex simplici infamia, si nullum aliud adsit indicium, aliqui existimant, non posse compelli Reum ad veritatem fatendam: & merito, quia infamia sola non facit semiplenam probationem, sed solum supplet vicem accusatoris, ut supra dictum est.

Sextum dubium est, an Reus contra Juris ordinem à Visitatore interrogatus de criminibus ab eo commissis, si fateatur veritatem, mortaliter peccet seipsum diffamans? Respond. Ex mente Navarri in Manuali. cap. 18. num. 57. Eum peccare mortaliter, & inquit hanc sententiam esse de mente omnium Doctorum. Quidam verò limitant, hoc tantùm procedere respectu personarum sæcularium, qui præcipuè in aliquibus casibus lædendo propriam famam mortaliter peccant, nempè quando ex detectione occulti criminis sequeretur damnum animæ, aut vitæ propriæ, vel alterius, vel etiam amissionis alicujus membri corporis; non verò procedere respectu Religiosorum: nam horum delicta non præseferunt amissionem vitæ corporalis, neque alicujus membri, & multo minùs animæ; quia similes pœnæ corporales, ut sunt pœna capitis, vel incisionis membrorum, imponi nequeunt à Prælatis Regularibus.

Sed verius existimo, idem esse sentiendum de Religiosis, ac de sæcularibus: nam per hujusmodi detectionem proprij delicti in judicio factam, sequitur primum damnum animæ, quam quidem sæpissimè videmus contingere, quod Religiosus infamatus hac via Juris, & per sententiam, minimè erubescit alia delicta committere. Sequitur etiam secundum damnum; quia licet ei non imponatur pœna mortis, nec membri amissionis, imponitur tamen pœna corporis valde afflictiva, nempe flagellatio usque ad sanguinis effusionem, inclusio in carceribus, & aliquando perpetua, quæ est maxima pœna, atque secundum Canones succedit loco pœnæ capitis in Religiosis.

Septimum dubium. An Reus convictus de crimine per plenam probationem, nolens confiteri tale crimen, mortaliter peccet, & à confessore absolutio sit ei deneganda? Exempli causa,

Reus

Reus convictus, & à Judice meritò ad mortem condemnatus, an adhuc teneatur confiteri crimen quod antea negavit, ita ut absolvi non possit, si crimen non fateatur? Huic dubitationi cum distinctione respondere oportet. Si Reus ante sententiam à Judice prolatam interrogetur, non dubium, quin teneatur sub mortali confiteri crimen, casu quo crimen sit plenè, vel semiplenè probatum, alias absolvi non debet; quia agit contra debitum Justitiæ non obediens suo Superiori in his, in quibus obedire tenetur: post sententiam verò latam cum judicium sit jam finitum, & Judex functus sit jam suo officio (nam post sententiam Judicum, desinere esse Judicem communis sententia tenet cum Anto. 3.p.tit. 9. cap. 16. §. 8. Sylvester, verbo, Judicium, in fine,) quare non potest amplius Reus legitimè interrogari à Judice, cum jam desinat esse suus Judex.

Ultimum dubium, an quando Judex præcedente semiplena probatione, interrogat Reum, teneatur ille manifestare veritatem, etiam cum periculo vitæ? Aliqui affirmant, Reum non teneri ad manifestandam veritatem, si autem pœna à Judice imponenda non sit temporalis, sed spiritualis tantùm, ut excommunicatio; tunc Auctores hujus opinionis tenent, Reum sub peccato mortali obligari ad veritatem propalandam. Hanc sententiam post Panormitanum in Cap. 2. de confessis, tenet Angelus, verbo, confessio: Sylvester eodem verbo; & hujus opinionis illud est fundamentum, quia nullus tenetur se ipsum condemnare, & contra seipsum arma ministrare, hoc autem solum contingit in pœna temporali, quæcunque illa sit, non verò in spirituali, quæ potiùs medicina quàm pœna sentienda est. Petr. Navarr. lib. 2. de Restitutione cap. 5. dub. 2. quamvis existimet falsam esse opinionem Panormitani universaliter intellectam de omni pœna temporali, piè tamen ac probabiliter affirmat, posse defendi in causa criminali, præcipuè capitis, ideoq; posse Reum in conscientia veritatem, seclusa mendacio, occultare, etiamsi Judex juridicè interroget. Quam sententiam secuti sunt aliqui Recentiores.

Contraria tamen sententia, quæ communis & verior est, docet, Reum in hoc casu teneri ad manifestandam veritatem sub peccato mortali, etiamsi ex tali confessione certò sciat, morti esse tradendum. Ita docet D. Tho. 2.2.q.63. art. 2. ubi sine ulla restrictione docet, Judicem procedere juridicè, præcedente infamia, aut semiplena probatione, & tunc Reum teneri fateri veritatem; quam sententiam amplectuntur communiter D. Thomæ interpretes, in illo articulo. M. Sotus de tegendo secreto, membr. 2. & lib. 5. de Justitia & Jure q. 6. ar. 2. conclus. 2. Corduba lib. 5. q. 43. dub. 3. Navarr. in Manuali. cap. 25. n. 35. Covar. in pract. q. 23. num. 5. & ex Juristis quam plurimi, quos referunt citati Auctores: cujus sententiæ illa est firmissima ratio; quia in eo casu Judex verè Superior est, & justè præcipit, igitur Reus tenetur illi obedire: quod quidem fundamentum evidens videtur, nisi quis velit contendere, non esse obediendum Superiori justè præcipienti, quod omninò absurdum est.

Sed quæri potest, an hæc prima sententia Panormitani, & Navarri sit falsa, & saltem practicè possit Reus eam amplectiri? Respond. illam opinionem non solum falsam, sed omninò improbabilem, propter auctoritatem D. Thomæ, & eorum, qui ejus sententiam sequuntur, meritò censent Ludovicus Turrianus to. 2. de Just. & jur. disp. 50. dub. 2. & plures alii Recentiores.

CAPUT XI.

Alia dubia circa Testium materiam solvuntur.

PRimum dubium. An Laici contra Regulares possint esse Testes? Respond. Quod attento Jure communi, sicut Laicus non potest in criminalibus ferre testimonium contra Clericum, prout in Cap. de cætero, de Testibus, & Cap. Testimonium 11. q. 5. cavetur, & est communis sententia Juristarum; ita non potest contra Regulares de jure communi testificari, nisi delictum sit commissum in loco, in quo non reperiuntur Clerici, ut docet Abbas dicto Cap. De cætero; tunc enim Laici sunt idonei Testes in defectum aliorum, & ratio est; quod quando veritas aliter haberi non potest, receditur à regulis juris communis.

Hæc autem sententia non procedit de laicis integræ, & bonæ famæ, in quibus cessat communis suspicio: nam eo casu laicos posse admitti in Testes in criminalibus contra Regulares, non dubito; quidquid censeat Rodericus: & licè Prælati Regulares non possint compellere laicos ad præstandum juramentum; si tamen laici sint rogati juramentum præstare, ac veritatem jurati confirmare; erunt quidem sufficientes, & idonei Testes ad probandum.

Quod si opus fuerit, Prælati possunt facilè adire Judicem Ecclesiasticum, aut Sæcularem, ut dictos laicos compellant adjurandum: verumtamen cautè, & non sine magna necessitate adhibendi, & admiscendi sunt laici in causis criminalibus Regularium, ad evitandum scandalum, quod inde oriri posset.

Secundum dubium. An Moniales possint esse Testes contra Regulares in causis criminalibus? In primis certum est, ac Jure Canonico stabilitum, mulieres non esse idoneos Testes in criminalibus, sed propter rationem superiùs dictam, quando veritas aliter haberi non potest, ne Jus depereat, admittendæ sunt Moniales in Testes; unde cum delicta Monialium non nisi per Moniales probari possint, admittendæ sunt in Testes in causis inter ipsas versantibus; & ita usu omnium Religionum receptum est: & idem asserendum penitus de criminibus à Fratribus commissis apud easdem Moniales, & Monasteria earum.

Illud verò advertendum est à Prælatis, quod minus fidei eis adhiberi debent quàm viris, quod optimè probat Rodericus, ut supra ex multis Juribus; & idem addit ex Decio, quod duæ mulieres non sufficienter probant, ita ut ex dicto earum possit quis condemnari; sed si plures essent numero, supplerent defectum. In quam sententiam inclinat Mirand. de ordine judi-

judiciali, part. 4. num. 45. Quare cautè illarum testimonio utendum, & ponderandæ exceptiones, & interim examinandæ matutiores, & seniores matres de vita, probitate, ac fide illarum, quæ in Testes assumuntur.

Tertiò dubitatur, qui sunt qui Jure communi repelluntur à testimonio ferendo? Respond. quod Jure communi multi rejiciuntur, ut parum idonei. In primis repellitur mulier, ut inhabilis ex Jure Canonico, Cap. Mulier: sed inter Regulares Moniales admittuntur, & si quæ sint aliæ matronæ graves. Secundò repellitur minor natu viginti annis. Tertiò repelluntur inimici, si tamen est inimicitia capitalis, quod Judicis arbitrio relinquendum. Quartò ascendentes, & descendentes accusatoris, & universaliter consanguinei, vel affines, & amicitia, & familiaritate valde conjuncti, arbitrio Prælati discernenda. Quintò, infames tàm infamia Juris, quàm infamia facti.

Sextò item repellitur socius criminis, l. finali, C. de accusationibus; admittuntur tamen socij in criminibus exceptis, ut in hæresi, maleficio, sodomia, crimine læsæ majestatis, & alijs, ut docet Navarr. lib. 5. Consil. 3. num. 3. & Consil. 5. num. 2. titulo, de accusationibus. Septimò, viles personæ & abjectæ, de quibus est suspicio, quòd facilè corrumpi possint. Octavò, conspiratores convicti de conspiratione.

Notandum est autem quod si Testes minùs idonei plenè non probent, saltem faciunt indicium ad torturam. Præterea nota, quod in illis casibus, in quibus copia Testium non invenitur, inhabiles admittuntur, ut Cap. finali, de Testibus: idem dicendum in rebus difficilis probationis, quando veritas aliter haberi nequit; ut communiter docent Canonistæ. Multo etiam & majori ratione admitti debent Testes, quando testificantur pro Reo, ut docet Julius Clar. q. 24. vers. item scias, & communis.

Ultimò nota, quod licèt hi omnes Jure communi, à testimonio ferendo repellantur, apud Regulares tamen, ex Bonifacij viij. indulto sive privilegio, cum non teneantur ad apices Juris, præfatos omnes aliàs inhabiles, tanquam idoneos Testes admittere poterit Prælatus Regularis, si causa id exposcat, titè, ac maturè ponderatis omnibus circumstantijs, delicti, personarum, Accusantis, & Accusati, Testium, & alijs.

Quartò dubitatur. An Regulares possint esse Testes coram Judice non Regulari? Respond. Regulares Jure communi non posse esse Testes apud Judicem sæcularem, vel Ecclesiasticum non Regularem; tamen de licentia Superiorum ijdem poterunt esse Testes, prout dicitur Cap. finali, de juramento. Hanc autem licentiam nullus Prælatus inferior Provinciali dare potest; hi verò summoperè advertant, ne passim hujusmodi licentiam concedant; nam ex hujusmodi testificatione Regularium contra non Regulares, vel etiam Regulares alterius Ordinis, oriri possent multa, & gravia scandala. Unde nisi in Casu, quo veritas aliter haberi non posset, nisi prædicta licentia testificandi concedatur, nullatenus concedi debet: nunquam verò concedenda, ut communis sententia tenet, quando ex Regularium testimonio sequeretur mors, vel enormis effusio sanguinis, vel mutilatio membrorum, ex cuius causa irregularitatem incurrant.

Præterea notandum, quod si de facto Regulares sine licentia suorum Prælatorum testimonium ferant, sufficienter probabunt, nec vitabitur eorum testimonium, juxta quandam Glossam, quam citat, & sequitur Rodericus, ubi supra: quod si laici de facto deponant absque licentia suorum Judicum, apud Prælatos Regulares, valebit eorum testimonium: Regulares verò qui hujusmodi testimonium ferrent sine Superiorum licentia, gravi essent digni punitione.

Ultimum dubium. Quid debeat præstare Secretarius circa Testium dicta? Respond. quod Secretarius omnia Testium dicta diligenter scriptis mandare debet, eodem sermone quo ab ipsis proferuntur, & eadem phrasi, & verbis ijsdem, ut inde validitas, & veritas dictorum in formando judicio expendi possit.

Præterea in fine examinis, vel depositionis omnia, & singula dicta cuilibet Testi relegenda sunt diligenter ad eum effectum, ut addat, minuat, vel confirmet: post quam relectionem, si quid addat vel minuat, statim scribendum, & scriptis mandandum; si autem omnia confirmet, addatur, *& relectum illi suum testimonium, in omnibus confirmavit, & propria manu subscripsit*: vel si nescit scribere, alius pro ipso scribat in ejus præsentia, & sic subscriptus dimittatur.

Nec opus est observare alias Juris solemnitates, quæ non sunt de substantia processus, nec de Jure naturali, sed de civili tantùm, qualis est de repetendis Testibus.

CAPUT XII.

De Reorum Carcere.

SEcundum varias Reorum culpas, variari etiam debet Carceris genus; nam aliud in pœnam criminis, post diffinitivam sententiam à Visitatoribus assignari solet, de quo dicemus Tract. 4. c. 3. Aliud ad custodiam, Tertium denique ad afflictionem, sive ad arctationem; quod quidem est quoddam torturæ genus; & hoc tertium carceris genus, non solet Regularibus assignari, nisi adsit semiplena probatio, vel æquivalentia indicia: neque prima, aut tertia specie carceris Regulares arctari debent, indefensi; nisi periculum sit de fuga, vel nisi delictum esset satis clarum.

Carcer ad solam custodiam designatus, semper mitis, & humanus esse debet, & omni Religiosa commoditate præditus, dummodo sit securus; nam ad solam custodiam adhibetur. Quare hujusmodi carcer debet esse potiùs ut custodiantur, quàm ut pereant incarcerati, ut eruditè, & piè Imperator Constantinus, l. 1. C. de custodia Reorum, decrevit hujusmodi carceres tales esse debere, ut præter custodiam nihil habeant.

Cæterùm si carcer sit ad afflictionem, vel torturam, debet adhiberi per modum criminis, idest eo modo, quo criminosis applicari solet, titè perpensis omnibus circumstantijs, cum hoc Judicis arbitrio sit deferendum. Quare aliquando magis atrox, magisque obscurus adhiberi poterit carcer, vinculis etiam adhibitis, & manicis ferreis, vel compedibus, vel etiam flagellis, & verberibus, hinc inde prædictis circumstantijs expensis.

In

In omnibus autem similibus casibus Prælati Regulares doctrinam Cardinalis in Clementina 1. quæst. 7. de pœnitentia, præ oculis habeant, qui ait Prælatos irregulares, & homicidas reddi, si tetro carcere claudant Clericum. Quem secutus est Folerius in pract. crimin. verbo, vel incarceratus, num. 2. & 3. addens, carceratos non pati debere intimas tenebras: unde resolutorie dicimus, juxta excessus mensuram, & personæ qualitatem, aliasque circumstantias adhiberi debere juxta Judicis arbitrium pium, & rectum, carceris pœnam atrociorem, vel mitiorem.

Curandum tamen erit, quantum ad incarcerandi modum, ne Rei in carceres conjiciantur, medio brachio sæculari maximo cum scandalo sæcularium, quando id aliter fieri potest. Prius igitur erit tentandum omne aliud regulare remedium, & omnis cautela adhibenda, antequam ad sæculare brachium recurratur.

Nonnulli disputare solent in hac parte, an Regularibus licitum sit è carcere fugere? nec desunt, qui affirment, posse Reum fugere, & alios illi fugam consulere, auxilium præstare, & instrumenta porrigere. Qui etsi quæ docent sint vera de Jure communi, juxta communem sententiam Doctorum, præsertim Covarr. lib. 1. variar. resolution. Cap. 2. num. 11. docentis indistinctè, Reum ante sententiam fugere posse, nisi juraverit se permansurum, etiamsi ex tali fuga damnum aliquod oriretur carceris custodi; nihilominus loquendo de Regularibus, falsissima est sententia, ut advertit Roderi. 2. tom. q. 23. art. 6. nam Regularis in carcerem conjectus à suo Prælato, nullatenus licitè fugere potest, etiam ante condemnationem; nedum enim non potest exire à carcere justè, & sine apostasiæ nota: sed neque à Monasterio: neque ab ea parte Monasterii, in qua eum Prælatus justè manere præcepit, nisi prius justè petita, & impetrata licentia: multo igitur magis tenetur Religiosus manere in carcere sibi quomodocunque à Superiore justè assignato. Arg. Cap. Quorundam, & Cap. Si Religiosus, de elect. in 6.

Quamvis non desint qui affirment, Religiosum injustè in carcerem conjectum, maxima cum sui honoris, & famæ jactura, & cum gravi corporis afflictione, vel vitæ periculo, injustè perpessio, illum à carcere posse fugere absque ulla apostasiæ nota, etiam rumpendo vincula, & limando compedes, ac carcerem effringendo, etsi custodibus per accidens damnum aliquod eveniat: dummodo Regularis ita fugiens recta properet ad Prælatum superiorem illo, qui injustè in carcerem conjecerat, ut v. g. si fugiat à Provinciali ad Generalem: & à Generali ad Protectorem, & à Protectore ad Summum Pontificem: quia ut ipsi asserunt, talis fuga potius est recursus appellanda quam fuga. Pro hac sententia adducunt Cajetanum, qui idem in simili causa docere videtur 2. 2. q. 69. art. 4.

Quæ sententia mihi omninò non placet: quia facilè præberetur ansa Religiosis passim apostatandi, prætextu injuriæ sibi illatæ à Superioribus, quæ si forsan ab aliis, quam à Reo examinaretur, non ita injusta & gravis appareret.

CAPVT XIII.

An Regulares, ut delicta ab ipsis commissa fateantur, debeant etiam exponi torturæ?

UT huic disputationi satisfaciamus, primò præmittere oportet, quod quando non est sufficiens probatio ad convincendum Reum, tunc ut habeatur veritas, devenitur ad tormenta, quibus Judices utuntur, quoties aliunde veritas haberi non potest: ut communis Judicum praxis ubique terrarum observat. Tormentorum autem præcipuè pro sæcularibus adinventa multa sunt genera, de quibus plura apud Auctores invenies.

Secundò. Observa, si Reus crimen fateatur, tunc non debet exponi tormentis, sed potius puniri per sententiam.

Tertiò. Observa, torturam fuisse introductam, non tam in pœnam criminis commissi, (hoc enim cum nondum sit plenè probatum non potest puniri) quam in subsidium probationis, quando inquam sufficiens & plena probatio deest, ipse Reus propria confessione supplet id, quod ad plenam probationem requiritur, ut communis Juristarum sententia docet; unde fit, torturam adhiberi non posse, nisi quando vehementia indicia urgent, ita ut ferè moraliter certum sit, torturæ exponendum Auctorem fuisse criminis.

Quartò. Præmitto, torturam in illis criminibus, quæ graviora sunt, & quæ pœna corporali ut mortis, mutilationis, triremis, &c. castiganda sunt, tantummodo adhibenda esse; non autem in his, quæ exilio, vel pecunia puniri debent, Ratio est, quia Reo nondum convicto non potest irrogari pœna, quæ sit major, quam illa, ad quam est condemnandus.

Ultimò, Nota, quod quando Reus legitimè convictus per Testes, etiamsi nolit fateri crimen, non est torturæ exponendus, ut rectè docet Navarr. Cap. 18. num. 59. Ratio est, quia cum tortura adhibeatur ob defectum plenæ probationis, frustra Reo convicto infertur, quando ejus confessio non est necessaria, ut condemnetur.

Conclusio igitur in proposito casu ea sit. Regulares, ut veritatem fateantur, non debent torqueri, neque per sæculares, neque publicè, neque tormentis diris ioribus; caurius enim esset, ut docet Berti in sua praxi criminali, tit. 22. Cap. 6. uti tormentis secretioribus, mitioribus, & magis Regularibus accommodatis, qualia sunt carcer, qui licet inventus sit, non tam ad pœnam, quam ad deliquentium custodiam; nihilominus adhibitis quibusdam qualitatibus, & circumstantiis, loco tormentorum adhiberi potest.

Est & aliud genus pro Religiosis torturæ, nempe jejunia panis & aquæ, aut quocunque alio modo alimentorum denegatio, vel tempore hyemis expoliatio vestimentorum, tortura reputabuntur: frequens etiam inter Religiosos torturæ modus esse solet, quando flagellis, sive disciplinis, aut virgis cæduntur.

Prædicta tormenta moderata esse debent, ita ut tortus servetur incolumis ad innocentiam, vel ad supplicium. Quare Abbas faciens Monachum incarcerari, eique supra modum mi-

nuens potum, & cibum, si talis Monachus propter similis torturæ excessum moriatur, non evadet Superior pœnam Irregularitatis, ut docet Panorm. Cap. *Ad audientiam, de crimine falso, num.* 4.

Demum Judex antequam Reum tormentis subjiciat, non solum debent præcedere indicia expressa, sed illa debent esse legitimè probata, vel præcedere debet semiplena probatio. Quæ verò indicia sufficiant, ita ut sint æquipollentia uni Testi integro, ut per illas possit Reus torqueri, non possumus certa regula determinare: sed totum hoc negotium arbitrio Judicis regulariter relinquendum est, qui ex duobus vel tribus, aut pluribus indiciis poterit torquere Reum, prout viderit, ea esse magis vel minus urgentia: deinde illæ probationes, de quibus superius Tract. 2. docuimus sufficere ad interrogandum Reum, eadem etiam sufficiunt ad torturam.

Diximus autem ibi, unum de tribus sufficere (secundum sententiam D. Thomæ communiter ab omnibus Theologis receptam) nempe testimonium omni exceptione majus, vel indicia ita expressa, ut sint æquipollentia semiplenæ probationi ipsius delicti, aut etiam infamiam: sola autem infamia, etiam plenè probata, licet ad interrogandum Reum sit sufficiens, ut supra diximus; ad ejus tamen torturam non sufficit, & hanc inquit Franciscus Aretinus in sua pract. crimin. Cap. 7. esse communem opinionem.

Neque Judex prætermittere debet dare Reo indiciorum, sive semiplenæ probationis exemplum ante torturam, & tempus ad se defendendum, si petatur. At si ab ipso Reo copia indiciorum non petatur; tunc Judex potest procedere ad torturam, etiam non delata copia processus, vel termino defensionis non concesso. Ita sentit Navarr. *lib. 5. Consiliorum, titulo de accusationibus, Cons.* 8. *n.* 2. *&* 3. quamvis non desint graves Auctores, qui doceant, etiam non petito à Reo termino defensionis, debere illi concedi à Judice terminus, ut possit se defendere.

CAPUT XIV.

Modus à Visitatore in examine processus servandus, & alia, quæ ante Rei absolutionem, vel damnationem considerare debet.

Antequam Visitator Reum condemnet, vel absolvat, multa prius debet considerare. Ante omnia DEUM exorare debet, ut ei lucem, suamque gratiam impartiatur, ut in re tanti ponderis (agitur enim de honore & fama proximi, quæ si viris Religiosis temerè auferatur, grave damnum, & ipsis, & Religioni inferatur) non erret, quare processum à se formatum, ac omnia quæ in illo continentur, seriò consideret: in primis probationes contra Reum factas prudenter expendat: advertat præterea, quod ad damnandum Reum in causa criminali, ut communis Juristarum sententia docet, probationes debent esse clariores. Incipiens igitur à denunciatione contra Reum facta, videat an persona denuncians, quæ vicem Testis gerit, ut superius annotavimus, sit omni exceptione major, & an de illa præsumi posset invidia, aut odium, vel passio contra Reum.

Cum aliquando inquisitio Superioris non à semiplena probatione, sed potius ab infamia, vel indiciis initium sumat, prudenter consideret, an similis infamia à personis fide dignis orta sit, & an convenienter, per duos saltem Testes probata sit, vel saltem illi constet de clamorosa insinuatione.

Tertiò. Indicia omnino expendat, an levia, gravia, aut levissima sint. Levia, quæ etiam suspiciones leves appellari possunt, non sufficiunt ad interrogandum Reum, licet sufficiant ad inquirendum, & informationes capiendas. Gravia vero non solum sufficiunt ad interrogandum Reum, sed etiam ad torturam illi, si delictum falsos minimè fuerit, inferendum: non autem sufficiunt ad illius condemnationem; nemo enim ex præsumptionibus, ac indiciis vehementibus criminali pœna, saltem ordinaria, condemnari debet, sed bene puniri poterit extraordinaria pœna Judicis arbitrio definienda, ut optimè docet Penna in 2. part. Direct. inquis. Commentar. 80.

Circa vero indicia gravissima illud considerare dignum est, quod licet ad condemnationem sufficiant, (ut supra Tract. 2. adnotavimus) cum in illis præsumptio Juris sit, ex qua ad criminalem punitionem, & pœnam ordinariam crimini imponendam deveniri potest, ut post alios docet Farinacc. q. 52. num. 54. si tamen in casu aliquo Reus probationem aliquam, aut excusationem adducat; tunc pœna extraordinaria Judicis arbitrio Reus puniri debet, quæ verò sint lævia, quæ gravia, aut gravissima indicia, latius superius Tractatu 2. declaravimus.

Deinde circa delictum ante omnia consideret, an verè fuerit commissum: Deinde circa ejus gravitatem illud in primis advertat, an tale delictum sit contra bonum commune, aut in damnum tertiæ personæ, an vero tantum in delinquentis damnum deriveturt: præterea an delictum sit notorium, & Communitati scandalosum, an occultum, vergens tantum in delinquentis damnum; aliter enim punienda sunt peccata contra bonum commune, publica, sive secreta, & aliter ea, quæ contra bonum particulare committuntur.

Quartò. Personam, contra quam facta est denunciatio, etiam attendat, an inquam sit Prælatus, contra quos major sæpè desideratur probatio, quam contra alios; quia hi multorum calumniis exposiri esse solent, præcipuè si aliàs sit integræ vitæ, bonæ famæ, & opinionis; præterea an sit persona gravis, & de Religione benè merita.

Quintò. Testium dicta seriò meditetur; ex eorum enim testimonio totum ferè pendet negotium; igitur attentè examinet, an sint Testes singulares; hi enim non omnino probant, an sint contestes, quod requiritur, ut plena probatio contra Reum resultet: an sit tantum unus Testis, qui semiplenam tantum probationem inducit: an sint aliqua indicia, quæ simul cum Teste pleniorem probationem faciant; unus enim Testis cum aliis adminiculis, sive indiciis, licet non sufficiat, ut Reo pœna ordinaria infligatur, sufficiens tamen est, ut extraordinaria

dinaria pœna Judicis arbitrio imponenda, puniatur.

Sexto. Rei defensiones, excusationes, exceptiones, si quas opponat, secluso odio, vel amore, an sint sufficientes expendat; quod si saltem ejus culpam dubiam reddant: Reus à Visitatore absolvatur.

Demum in processus examine interrogatorii articulos omnes, & circa illos singulos Testium depositiones percurrat, & in unoquoque articulo notet ea, quæ circa illum articulum à Testibus dicuntur, & sic discurrendo per omnes articulos, circa unumquemque articulum Testium dicta sedulò inter se conferat, & in quo sint conformes, & contestes advertat, v.g. circa secundum articulum sunt duo Testes, qui ferè in omnibus inveniuntur contestes: præterea circa eundem articulum est alius testis, qui in aliquibus substantialibus discrepare videtur: præterea est alius, qui tantum loquitur de auditu, &c. & sic circa singulos articulos diligenter discurrat, ita ut totius processus probationes facilè comprehendat.

Septimò. Præterea si Reus judicè culpam fateatur, aut si quamvis neget, judicè probetur per duos Testes oculatos, fide dignos, concordes, quorum quilibet integè de culpa deponit, puniendus est.

Octavò. Neminem sine prædicto Testium numero condemnet, in gravioribus autem delictis major numerus est quærendus.

Nonò. Si pœna criminis per Canones, vel leges, cum quibus dispensare nequeat, diffinitur, totam Reo irrogabit, nisi communi bono aliquo modo judicaverit convenire, ut leniatur.

Decimò. Si pœna criminis sit arbitraria, propendat potius ad misericordiam, quam ad rigorem: caveat autem, ne nimia benignitas aditum præbeat laxitati.

Undecimò. Inter pœnas extraordinarias enumeratur Correctio verbalis, quæ pro ratione criminis, & personæ usurpanda erit. Sotus de ratione regendi secretum, membr. 2. q. 4. concl. 3. quæ verò pro qualitate delictorum pœnæ sint à Judice infligendæ, plenius in Tractatu de pœnis differemus.

CAPUT XV.

De Sententia diffinitiva.

Visitator sententiam prolaturus diffinitivam debet in narrativa summariè articulos proponere, qui substantiam delicti contineant, & cum opus fuerit, causam sententiæ exprimere, quamvis id non sit necessarium, ut dicitur in Cap. *Sicut, de re judicata*, juncta Glossa, verbo, *exprimitur*, & Abbas ibidem: sententiamque in scripto conceptam coram Reo, si fuerit præsens, aliisque prout ipse judicaverit expedire, proferet.

Sententia autem debet omnino esse conformis his, quæ in processu continentur, atque in illo probata sunt, nullatenus processus limites excedendo; ferri enim debet secundum allegata & juridicè probata.

Præterea sententia poterit juxta denunciationem, processum superius formatum simili tenore proferri.

FORMA SENTENTIÆ DIFFINITIVÆ.

Nos Fr. N. ab N. Visitator Spiritus sancti nomine implorato, à quo cuncta & integra judicia recta procedunt, in causa contra P. N. ab N. Procuratorem hujus Monasterii coram nobis pendente, & per processum in scripto formatum deducta, receptisque in ex utraque parte probationibus oblatis, his omnibus accuratissimè perpensis, & ad plenum cognitis pronunciamus, ac decernimus, prædictum P. N. ab N. Procuratorem graviter peccato proprietatis contra votum paupertatis in multis gravibus delictis peccasse, tum in convictis pro Monachis ac secularibus à prædicto N. sine licentia exhibitis, quam in aliis donationibus, nempè trium annulorum aureorum donatorum uni consanguineæ ab eodem P. N. (ut ipse etiam in sua confessione fatetur) temerè factis deliquisse, ac in hujus delicti pœnam præcipimus, in carcere per tres annos includendum, ibi jejunio panis & aquæ in pœnam tanti sceleris semel in qualibet hemdomada macerandum, reservantes nobis facultatem moderandi, vel dispensandi in prædictis. Acta, lata, & lecta fuit hæc sententia & publicata in Monasterio nostro N. sive in cellula nostra per me Fratrem N. ab N. Visitatorem hujus Conventus prædicto Patre N. præsente & audiente (si ibi præsens fuerit) *& Testibus infrascriptis, qui propria manu subsignarunt.*

Die Mensis Anno

Locus † sigilli.

Fr. N. Visitator. Fr. N. Notarius.

F. N. & F. N. Testes.

CAPUT XVI.

De sententia ferenda in absolutione innocentium.

In casu verò quod prætensus Reus innocens omnino inveniatur, necessariò debet per sententiam diffinitivam innocens etiam declarari, ac suæ famæ, & honori satisfacere.

Quando autem verè dici possit Reus innocens, nota, duos esse innocentiæ gradus. Primus est, quando nihil est probatum contra Reum, neque adsunt indicia, quibus juridicè possit citari, vocari, seu examinari, cum videlicet innocentia adeo est perspicua, ut ex nullo capite contra eum aliquid inveniatur. Secundus verò gradus est, quando adsunt indicia aliqualiter probata, licet non sint plenè evacuata, nihil tamen invenitur probatum, quod sit sufficiens ad Reorum punitionem.

In primo gradu innocentiæ Reus innocens declarandus est, non verò in secundo.

FORMA IN QUA DECLARATUR INNOCENTIA REI.

Nos Fr. N. ab N. Visitator, &c. Visa causa sive processu contra P. N. & expensis omnibus probationibus contra ipsum factis, ac ejus vera, & sincera confessione audita, decrevimus, illum nulla animadversione dignum esse, neque probat, neque probabilia causa coram nobis legitimè probata, quem in omnibus innocentem repertum, Auctoritate nobis in hac parte concessa absolutum declaramus. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Fr. N. ab N. Visitator.

F. N. ab N. Secretarius.

CAPUT XVII.

Quando liceat Religiosis appellare à sententia Superiorum, & integrum illis sit suos Prælatos recusare?

IN primis de appellationibus, an Religiosis permissæ sint, disseremus, deinde an illis facultas concedatur recusandi Prælatos Regulares?

Quantum ad primum punctum, duo possunt considerari. Primò quid sentiendum sit attentis Religiosorum Privilegiis? Secundò quid attento Jure communi dicendum sit? Varia extant, (si de Privilegiis loquamur) Religionibus concessa Privilegia; Bonifacius VIII. statuit non licere Fratribus Franciscanis à correctionibus Prælatorum ejusdem Ordinis aliquatenus appellare, ut refert Sorbus in Compendio Privilegiorum, verbo, appellare, n. 30. & Xystus Quartus concessit Carmelitanis, & Augustinianis, ut Generalis eorum possit summum onus obire rejecta quavis appellatione ab ejus præceptis, monitionibus, ordinationibus, mandatis, ac decretis, ut refert idem Sorbus, verbo, Generalis, num. 11. & 12. & Julius Secundus prohibuit sub pœna excommunicationis Fratribus, & Sororibus Prædicatorum appellare à mandatis, & ordinationibus Prælatorum prædicti Ordinis, eodem referente Sorbo, verbo, appellare, num. 3. & Paulus Tertius concessit Societati JESU, ut non liceat à correctione Regulæ secundum Ordinationes ejus factæ, appellare, nec posse ullum Judicem dictam appellationem admittere, ut habetur in compendio Privilegiorum Societatis JESU, verbo, appellatio, §. 1.

In eodem quoque Compendio. §. 2. verbo, appellatio, habetur Privilegium Canonicis concessum S. Salvatoris, nullos è Societate JESU posse appellare ad quemcunque, etiam ad Pontificem, nisi de speciali ejus licentia, ab institutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Congregationis generalis, aut Præpositi Generalis, aut aliorum Superiorum, & appellationes, & inde secuta fore irrita, eodem quoque 2. §. refertur Privilegium Cistercensibus concessum: non licere appellare in Societate JESU sub excommunicatione lata ipsi Pontifici reservata, à reformationibus, seu correctionibus Præpositi Generalis, aut Visitatorum, quos ipse deputaverit, nisi ad generalem Congregationem, & in casu denegatæ justitiæ vel notoria injuria.

Sorbus præterea, verbo, appellare, in suis annotationib. scitea §. primum, refert Gregorium XIII. in quodam Motu proprio Anno 1575. qui incipit: *Quoniam nostro Pastorali, &c.* Interdixisse sub excommunicatione Pontifici reservata, ac aliis pœnis, Fratribus Franciscanis de Observantia ad sæcularia Tribunalia appellare: concessisse tamen eis appellationem ad Generalem, vel Protectorem, vel Pontificem; atque similiter refert, Congregationem Cardinalium edidisse decretum Anno 1587. ut appellatio hoc ordine interponatur, à Guardiano ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, & ab hoc ad Cardinalium Congregationem.

Demum in nostris Constitutionibus contra appellantes ad quempiam exemtum vi Privilegiorum Xysti V. aliorumque Pontificum, statuitur Cap. 35. num. 13. Si quis ad Superiorem quempiam exemtum à Congregationis correctione appellaverit, (quod litteris Xysti V. Gregorii XIII. Clementis VIII. interdictum est) ipso facto à legitimis omnibus Congregationis actibus excludatur, & in carcerem rejiciatur, quoad usque post annos tres Definitorium generale justa de causa dispenset, nisi forte intra tres, aut quatuor dies ab appellatione desisterit.

Dubium tamen oriri potest, qualiter sint intelligenda tam prædicta Privilegia quam Constitutiones aliquatum Religionum, in quibus interdicitur omnino Religiosis appellatio? Aliqui sentiunt, Religiosos per professionem huic appellandi juri in sui favorem introducto, eo quod ad servandas Constitutiones Religionis se obligaverint, quibus appellatio prohibetur, tacitè cessisse. Ita docet P. M. Bannes 2. 2. & alii Recentiores. Sed melius existimo, neque per Privilegium, neque per Constitutiones jus appellandi Religiosis esse ablatum, maximè in causis gravissimis, quando manifestè gravantur à suis Superioribus; tunc enim licet ad Prælatos externos non possint, nec debeant appellare, ut ad Nuncium, sive alios Judices externos; possent tamen intra Ordinem adire etiam appellationis intuitu suos Superiores, ut Generalem, sive Capitulum generale. Imò M. Soto lib. 5. de Justit. q. 6. art. 8. quem sequuntur Arragon. 2. 2. q. 69 art. 3. & ibi Salon dub. 2. Valentia 2. 2. disput. 5. q. 13. punct. 3. solam appellationem ad exteros videntur reprobare, & rationem hujus denegatæ appellationis illam esse docent; quia ad bonum, & tranquillitatem, atque honorem Religionum, quæ in simplici quadam obedientia consistunt, non modicum detrimentum præ se ferre solent, quando Religiosorum causæ extra privatos parietes tractantur, ad Judicesque externos deferuntur, nec credendum facile est, quod intra Religionem Superiores Religiosi ita iniqui sint, ut gravamen alicui latum non auferant: quod si aliquando (quod rarissimè contingit) id acciderit, damno huic privato præponderat pax & commune bonum totius Religionis, quod Religiosi bono privato anteponere debent, sicut quilibet Civis, e si vitam

adeo

adeo perfectam, ut Religiosi non profiteatur; debet privatum suum bonum communi Reip. bono postponere.

Unde tenendum existimo quod ex vi Privilegiorum Religionum, ipsarumque Constitutionum à summo Pontifice approbatarum, dum Religiosis appellare interdicunt, in illo sensu esse accipienda, nempe quod ipsis appellare non permittatur, quando excessus Prælatorum non fuerit manifestus, quamvis alias sit dubium de gravamine à Prælato illato, sicut Jus commune permittit in hoc casu. In Religiosis verò, nisi certum sit gravamen, appellatio non permittitur, hæc enim Pax, simplicitas, obedientia Religiosorum postulare videntur: quæ quidem bona non immeritò Privilegia, & Constitutiones spectant; quando autè non est locus appellationi, potest quilibet Religiosus causa querelæ ad Superiorem recurrere, ut optimè docuit Navarr. lib. 2. Consiliorum, tit. de sententia, & re judicata. Cons. 2. num. 8. & de appell. consil. 5. P. Sanch. 2. tom. in præcept. decal. lib. 6. Cap. 8. num. 11. ubi addit, quod hæc quetela non suspendit jurisdictionem Prælati inferioris.

Ex his fit, quod illa tribunalia dicantur esse intra Ordinem, in quibus locum habet Provincialis, Gener. Capit. generale, Protector Ordinis, ac Romanus Pontifex, ad quem nulla ratione deroganda est appellatio: cætera omnia tribunalia dicuntur esse extra Ordinem, quamvis habeant auctoritatem à Summo Pontifice cognoscendi etiam causas Regularium, sive sint Regum, sive Cardinalium, sive Legatorum, sive Episcoporum, & similium; quamvis existimarem ut certum, inter tribunalia Religionis posse annumerari tribunal Illustrissimæ Congregationis Cardinalium; quoniam Congregatio illa specialiter fuit constituta à Xysto V. ad cognoscendas causas Regularium.

Circa appellationes Religiosorum, quando illi appellare prætendunt à sententia diffinitiva, in causa correctionis, & in omnibus aliis casibus, in quibus approbatio est interdicta, opus esse certum est, in ipsa appellatione exprimere causam gravaminis; quia in his causis correctionis solummodo admittitur appellatio, cum modus excedit, & ideo cùm solum appellatio concedatur illo casu, oportet causam specialem exprimere, ut constet appellationem fieri in casu concesso, ut post Innocentium, & alios docet P. Sanch. ut supra numero 105.

Secundò. Nota, quod si Reus est plenè de ipso delicto convictus, & illud est etiam sponte confessus, non potest appellare, ut constat ex lege 2. quorum appellatio non recipitur, & si talis Reus appellaverit, rejicienda est appellatio, nec debet sententiam ab excusatione suspendi.

Tertiò. Si Reus est confessus tantum, & non convictus de delicto, dum suam confessionem non revocaverit, ejus appellatio est nulla, ut constat ex Cap. Cum speciali, §. porro, de appellationibus: quod intelligendum esse existimo, quando Reus in appellatione de novo non allegaret causam probabilem contra suam professionem, quia illo casu appellans debet audiri, ut communiter docent Canonistæ.

Quartò. Animadvertendum est, quod si Reus tantummodo sit convictus, & non confessus; tunc potest appellare, quod etiam procedit in crimine læsæ Majestatis, ut docet Decius in Cap. Cum sit Roman. extra de appellationibus.

Hic meritò tractari posset, an integrum sit Religionis subditos suos Prælatos Regulares recusare? Illos autem non posse recusare tradunt Glossa, finali Capite, ad nostram, de appellationibus, & ibi Hostiensis, num. 9. per Caput Cum speciali, in fine, eodem titulo, ubi cum duo statuisset ille textus, nempe qualiter Judex recusari, & ab illo appellari posset, subjunxit sequentia verba; *Caterum has duas Constitutiones præmissas nolumus ad Regulares extendi contra suas spirituales observantias*, ubi Innocentius, Joannes Andreas, & Abbas tenent prædictam sententiam; quare cum Constitutiones Religionis, & Privilegia denegent Religiosis appellationem; subinde fit, ut denegent etiam recusationem.

Verior tamen sententia tenet, in hoc æquiparari recusationem & appellationem, ut neutra absque causa liceat. Quare sicut à Superiore manifestè excedente in correctione licet appellare, eodem modo quando Superior valde suspectus crederetur, excessurusque ob passionem, posset quidem recusari. Ita docet Hostiensis illo Cap. Cum speciali, num. ult. & ibi Joan. And. num. 18. Abbas ibi, §. porrò, num. 3. Quare quando manifesta est causa suspicionis Prælati, & non alias, etiamsi sit dubia, locus datur recusationi, sicut quando manifestus est excessus, & non alias, appellationi.

TRACTATUS IV.

DE POENIS CUILIBET CRIMINI ADHIBENDIS.

PROLOGUS.

POstquam Visitator elaboraverit pro inveniendo delicto, de quo Reus accusatus, vel inquisitus erat, repertoque Reo culpabili, debet etiam eum condignis pœnis punire: & ne in incerto laboret pro quærendis specialibus pœnis Reo secundum gravitatem delicti infligendis, visum est nobis, pœnas aliquas assignare, tàm à Jure, quàm à nostris Constitutionibns, imò etiam ab aliorum Ordinum legibus, tàm pro gravioribus, quàm pro gravissimis culpis taxatas, hic breviter inserere; ut in casu, quo neque in nostris Constitutionibus, neque in Jure Canonico certa pœna fuerit stabilita, (nam tunc ab eis non licet recedere, Constitutiones enim Regularium omninò in imponendis pœnis observandæ sunt) possint Visitatores ad manum habere aliquas apud aliàs Religiones in praxi observatas pœnas, & eas delictis extraordinariis infligere.

CAPVT I.

De Pœnis in particulari, & quod pœna mortis, vel triremium Regularibus non sit infligenda.

CUm autem Jus Canonicum nunquam pro aliquo delicto, etiam gravissimo, pœnam mortis, & sanguinis imponat, nullus apud Regulares puniri debet pœna mortis, vel sanguinis, quantumcunque crimen gravissimum commiserit.

Triremium autem pœna, quæ in facinorosos videtur locum obtinuisse, utinam adversus Religiosos nunquam adhiberetur. Hinc Bernardus Diaz in sua Praxi, in Clericis etiam ejusmodi supplicium deplorat multis, & prudentissimis, & efficacissimis rationibus usus, ac præterea addit verba, quæ sequuntur. *Quis meritò non judicabit indecens, Sacerdotes DEI, quibus major dignitas collata est, quàm Angelis quantumcunque facinorosos tam perpetuo hoc infami punitionis generi tradi, ubi tanta est sceleratorum hominum copia, tantus squalor, tantus denique omnium ærumnarum, ac immunditiarum acervus est: ubi insuper passim damnatos homines & nudari, & flagella laicorum pati manibus, quotidianum est? nisi in casu quo post degradationem Sacerdos tradendus esset ad ultimum supplicium subeundum Curiæ sæculari; & tunc etiam tolerabilius crederem, Sacerdotem quemquam post traditionem Curiæ, turpissimæ quovis mortis genere (dum tamen momentaneum) vitam finire quàm ipsum longo vitæ intervallo cum tot facinorosis hominibus, ac sæpius infidelibus, tali quotidiana pœna torqueri; satis namque ultimo supplicio esset, ut ferirentur aliqua animi pietate, quam in triremibus vitam agendo, ubi non solum de præteritis non est sperandus dolor, sed deteriores mores ibidem acquisituros, & cum illis morituros verisimilius timeri potest.*

Hæc ille. Quare meritò Navarrus Comment. 30. de Regularibus, num. 52. asserit, *alienum videri à charitate fraternitatis, & paternitatis inter Regulares habendæ, simul & à consuetudine Sanctorum Augustini, Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, & aliarum Regularum Institutorum, hujusmodi pœnas infligere, cum sola ejectione à Congregatione videntur fuisse contenti.* Hactenus Navarrus.

Sed quia hæc materia de pœnis latissima est, & illæ, quæ stabilitæ sunt à propriis Ordinum Constitutionibus, juxta earum præscriptum infligendæ sunt; ideò priori loco de pœnis à nostris Constitutionibus, graviori, ac gravissimæ culpæ taxatis, omissa levi, aut gravi culpa (de qua inter nos nunquam formatur processus) disseremus: sed oportet ante omnia aliqua præmittere.

CA-

CAPVT II.

De pœnis juxta eorum leges Regularibus imponendis.

JUdices omnes in ferendis sententiis, Juribus, & statutis Regularibus conformare se debent: quare in primis earum Constitutiones, & earum pœnas callere debent.

Ubi verò in proprijs Constitutionibus pœnæ non fuerint sancitæ, Visitatores recurrere debent in corrigendis Regularium pravis, & corruptis moribus ad Sacros Canones, *ut in Concil. Trident. sess. 14. in proœmio de Reformatione decernitur, & sess. 6. Cap. 6. de Reformatione.* Quæ enim ibi de Episcopis statuuntur, exceptis his, quæ statui Regularium coaptari nequeunt, Prælatis Regularibus omnino congruunt; cum ipsi ex munere sibi commisso, eandem habeant circa suos subditos Apostolicæ solicitudinis commissionem. Quare etsi non jurent servare Canones, sicut Episcopi, tamen ratione assumptæ jurisdictionis, illam secundum Sacros Canones exercere debent.

Decretum Concilij Tridentini.

Ubi verò sacri dececerint Canones & Religionum statuta, debent ad Jus Civile recurrere: Jus enim Civile, & Canonicum mutuò sibi invicem suffragari consueverunt, ut *dicitur Cap. Susceptis, & Cap. Si Adjutorium, distinct.* 10. Non dicimus, quod Jus Civile ad unguem debeat servari: Regulares enim Judices non debent per legem Civilem gubernari, quia lex ita decernit; sed quia ratio, qua lex utitur, sic requirit, proportionatè utendo, & Regularibus statutis se conformando.

Ubi verò omnia deficerent Jura, & nulla esset pro aliquo delicto pœna decreta, sed potius arbitrio Judicis relicta; tunc Judex juxta legitimas, & probatas Ordinis Consuetudines, pœnas infligere debet. Caveant tamen Visitatores à pravis consuetudinibus, quæ potius corruptelæ, & abusus dici debent, & ne sub specie pietatis, impietatem amplectantur.

Præterea ulterius, quando à Jure non est pœna statuta, conformare tamen se debet Judex in arbitrandis pœnis, legibus, & Juribus, eliciendo similibus similia. Ita Baldus in Rubr. *de Constitutionibus, & Concil. Trid. sess. 13. Cap. 2. de Reformatione.*

Deindè, ut eruditè advertit Bernardus Diaz *in sua pract. Capite 147. num. 2. in arbitrandis pœnis* Judex omnes, & singulas ponderare debet circumstantias: videlicet delinquentis conditionem, gradum & statum: an sit solitus delinquere in eodem genere, an casu acciderit, an provocatus, lacessitus, vel coactus; an volens & lubens: an delictum fuerit cum scandalo: similiter circumstantiæ loci, & temporis discutiendæ, & diuturnitas, & gravitas, vel atrocitas delicti: & an sit damnum tertio, vel Reipublicæ; & si aliqua sit persona offensa, & cujus gradus, & dignitatis existat, & similiter offensæ, vel damni magnitudo, & omnes aliæ consimiles circumstantiæ ponderandæ, & juxta eas pœnæ infligendæ.

Notanda ex Bernardo Diaz.

Præterea juxta doctrinam Baldi *in L. Quicumque C. de servis fugitivis, in arbitrandis pœnis* Judex semper mitiorem debet eligere pœnam, *ut in L. Preces, ff. de pœnis*: quod procul dubio semper habet locum inter Regulares, intra tamen Justitiæ terminos.

Inter Regulares autem, ut benè advertit Roderic. *q. 23. art. 1.* pœnæ sanguinis, & mortis correspondet pœna expulsionis à Religione, & privationis habitus Regularis, maximè in Religionibus, ubi aliud propriis legibus non decernitur. Expulsi inquam, si fiat debito modo, & cum aliis circumstantiis, de quibus inf. a dicemus.

Notanda ex Roderico.

Demum quando tam Jura omnia, quam consuetudines in propria Religione deficiunt, quibus possit coaptari pœna, recurrendum ad aliorum Ordinum Constitutiones, & è similibus casibus similes pœnas elicere, & accommodare debent.

CAPVT III.

De graviori culpa, & de pœna ei correspondente secundum nostras Constitutiones.

PRimò in nostra Congregatione gravior culpa reputatur, cum quis præcepto formali obedientiæ sibi, vel aliis imposito, non obedierit.

Secundò. Qui post emissam professionem, divinum officium non persolverit, & de eo fuerit convictus.

Tertiò. Qui verbo, & opere proximum absentem, vel præsentem graviter in fama, vel corpore læserit.

Quartò. Qui aliquod è votis externè violaverit, postquam fuerit convictus, aut confessus.

Quintò. Qui Superioris officium usurpaverit.

Sextò. Qui Præpositi, aut Definitorum Generalium, Procuratoris Generalis, aut Provincialis literas ab eis, vel ad eos datas aperuerit, vel retardaverit.

Septimò. Qui Communitatis alicujus, vel cujuspiam officio fungentis sigillum adulteraverit, vel finxerit, aut quævis alia his similia commiserit.

His culpis, sive his delictis pœna gravior correspondet. Est autem pœna gravior inter nos, primò: In Capitulo unam disciplinam accipere, & postea in cellam recludi usque ad horam prandii, ac tunc in Refectorium ingredi, humique sedentem pane duntaxat, & aqua refici, daroque signo in cellam reverti, ac præterea ejus pœnæ tempore in Chorum non ingredi, Sacram Eucharistiam non recipere, voce carere, nulloque interea officio fungi.

Secundò. Est etiam pœna gravior, voce ac loco ultra quindecim dies (citra annum tamen) privari, & per singulas hebdomadas ejus pœnæ mortificationem unam extraordinariam subire, & feriis sextis pane tantum & vino uti.

Tertiò. Pœna præterea gravior est, ut in cellam, carcerem vè ultra quindecim dies (citra tamen annum) Reus includatur, & eo tempore, si Sacerdos fuerit, Sacrum non faciat, sed in secretiore loco tantummodo audiat, nullusque eum conveniat, nec ipse alium, & tertio quoque die genuflexus ante ostium Refectorii exeuntes ac intro-

introeuntes Fratres, ut DEUM orent pro ipso, deprecetur, humique sedens iis diebus prandeat.

Quartò. Pœna denique gravior est, ut reus ultra quindecim dies habitum more Novitiorum distinctum gerat, & postremus in Choro & Refectorio sedeat, & in Capitulo cum Donatis aut Novitiis, si ibi fuerint, se prosternens de culpis accuset; tribusque diebus per hebdomadas singulas ad disciplinam se præparet, quam Prior, vel Præsidens, quoties expedire videbitur, inferet.

Pœnas autem omnes has Præpositus Generalis in tota Congregatione, & Provincialis in sua Provincia inferre poterit.

Præter hæc crimina graviora, quibus in nostris Constitutionibus taxata est pœna, sunt etiam alia graviora delicta, quæ quamvis prætermissa sint in nostris legibus; in Constitutionibus tamen aliarum Religionum inter graviores culpas referuntur, illisque imponitur pœna proportionata. Quare non erit absre, aliqua ex aliorum Ordinum Constitutionibus excerpta, huic Tractatui inserere, ut Visitator, cum neque in Jure Canonico, neque in nostris Constitutionibus designatam pœnam gravioribus culpis invenerit, possit recurrere ad aliarum Familiarum Constitutiones, & ex illarum usu, & consuetudine receptas pœnas commissis culpis transferre ad nostram, & casibus occurrentibus eas accommodare.

Verùm ut nunc prætermittam aliorum Ordinum consuetudine, aut legibus, pœnas gravioribus culpis taxatas, ex Constitutionibus Ordinis Prædicatorum, de pœnis aliquibus gravioribus culpis infligendis, aliqua breviter referam.

CAPVT IV.

De Pœnis taxatis in Constitutionibus Fratrum Ordinis Prædicatorum.

IN Constitutionibus Fratrum Ordinis Prædicatorum Cap. 18. De graviori culpa, distin. 1. sequentibus verbis gravior culpa, pœnaque ei imponenda describitur.

Gravior culpa est, si quis per contumaciam, id est manifestam rebellionem inobediens Prælato suo extiterit, vel cum eo intus & foris protervè contendere ausus fuerit. Secundò. Si quis percussor fuerit. Tertiò. Si quis crimen capitale, id est pœna mortis in sæculo puniendum commiserit. Quartò. Si quis procuraverit, quod ipse, vel alius eximatur via non juridica à potestate sui Prælati. Quintò. Si quis rem sibi collatam celaverit, quem B. Augustinus judicio dicit esse condemnandum.

Si quis convictus fuerit, & veniam petierit de his criminibus, denudatus vapulet, quantum placuerit Prælato, & sit omnium novissimus in Conventu, & qui culpam perpetrando non erubuerit, membrum diaboli fieri: ad tempus, ut resipiscat, sequestretur à consortio ovium Christi.

Pœna autem sequestrationis, ut in eisdem Constitutionibus cavetur, *tunc tantum locum habeat, quando propter peccatum mortale ad pœnam gravioris culpæ quis est damnatus. In Refectorio quoque ad mensam cum cæteris non sedebit, sed in medio Refectorij super nudam terram comedet, & providebitur ei seorsum panu grossior, & potus aqua, nec reliquia prandij sui cum aliis miscentur, ut cognoscat, se ita esse sequestratum à consortio aliorum, & quod privetur, nisi per pœnitentiam redeat consortio Angelorum, ad Canonicas horas, & gratiæ post conversionem ante ostium Ecclesiæ transeuntibus Fratribus, prostratus jaceat, dum intrant & exeunt; nullus autem audeat, se conjungere illi, vel aliquid mandare.* Et infra: *talis quamdiu erit in hac pœnitentia non communicet, nec veniat ad osculum pacis.*

Eodem etiam Cap. §. 4. Ita decernitur. *Qui in Prælatum suum manus injecerit temerè violentas, aut quemcunque lethaliter vel graviter, seu atrociter percusserit, aut infra septa Monasterii super se arma invasiva portare præsumpserit; carcerali custodiæ mancipetur.* (& infra §. 5.) *Qui crimina quæcunque Fratrum secularibus personis, seu aliis extra obedientiam nostri Ordinis constitutis revelaverit, unde Fratribus vel Ordini infamia vel damna fuerint subsecuta; carcerali etiam custodiæ mancipetur: & volumus quod hujusmodi Ordinis destructores possint nisi per Magistrum Ordinis, vel Generale Capitulum liberari.*

Præterea §. 8. contra conspiratores sequens pœna stabilitur. *Si qui per conjurationem, vel conspirationem, vel malitiosam concordiam, adversus Priores, vel Prælatos suos manifestè se erexerint, de cætero in omni vita sua extremum locum sui Ordinis teneant, & vocem in Capitulo non habeant, nec eis aliqua committatur obedientia.*

Demum eodem Cap. 18. §. 9. contra alia gravissima crimina sequens pœna stabilitur. *Statuimus quod si quis nefandum crimen concubitus contra naturam, homicidii, vel propinati, etiam effectu non subsecuto, veneni commiserit; perpetuo carceri sit addictus, à quo nec per Magistrum Ordinis, nec per Capitulum Generale possit ante annos 20. liberari; & nihilominus pœnis aliis puniatur, secundum Prælati discretionem.* Hactenus Constitutiones fratrum Prædicatorum.

Circa hoc verò pessimum, atque horrendum Sodomiæ crimen notandum est, quod illius pœna de Jure Canonico est depositio, & perpetuus carcer; nihilominus *ex Constitutionibus Pii V.* Regularibus hoc vitio infectis decernitur, ut privati intelligantur, & degradati Judicibus sæcularibus tradantur. Quæ Constitutio est septuagesima in ordine, incipiens: *Horrendum, &c.*

Infertur ex Navarro.

CAPVT V.

Quando, & quibus sit infligenda pœna Carceris.

VIsitatores in primis advertant, non levitet, neque pro omni crimine Religiosos fore incarcerandos; tum quia hoc est præjudicium intolerabile, ut notat Baldus *in lib. 1. C. de integr. restitut. postul.* tum etiam, quia eo casu Visitatores de injusta captura strictam cor[illegible]m ipso Deo rationem reddent. Secundum, quod Prælati animadvertere debent, illud est, ut indicia, quæ resultant ex processu, sint sufficientia ad capturam. Si autem quæras, quæna sint indicia sufficientia; oportet considerare prius, quod Religiosi triplici de causa (ut tradit Bernardus Diaz *in sua Practica Criminali Cap.* 126.) Carceribus tradi possunt.

Primò

Primò custodiæ causa, nempè cum crimen gravius est, Judexque veretur, ne Reus fugam ante judicium capiat; tunc enim in carcere includendus, quoadusque commissi delicti rationes excutiantur: & tunc sufficit, quod constet tantum de præsumptione delicti, ut tradit Julius Clarus q. 20. vers. ad inquirendum.

Secundò. Cum delicti probatio quædam inchoata, & semiplena habetur ex indiciis, aut infamia, quorum quidem vis aliàs esset sufficiens ad torturam inferendam; tunc Religiosus, cum in Religione non sit receptus usus, & consuetudo torturæ, in carcerem est conjiciendus, ibique pro criminis magnitudine aut jejuniis, aut verberibus ad veritatem patefaciendam, impelli debet.

Carceris supplicium applicari solet in pœnam criminis commissi, sententia diffinitiva Visitatoris ita præscribente. Quo sanè carceris genere nemo detinendus est sine plena probatione delictis aliter sequeretur; ut judicio nondum expleto, jam Reus ordinaria pœna plecteretur. In carcere verò ob criminis pœnam inclusus, voce activa & passiva privatur, suæque professionis locum amittit. Duo quidem prima genera incarcerationis, neque prædictam vocis activæ, & passivæ privationem, neque ullam infamiam præ se ferunt; fieri enim potest, ut carceri quis ad custodiam inclusus, postea expensa ejus causa, innocens inveniatur.

Est etiam alia mitior pœna, quæ propriè carcer dici nequit, quando Religiosus jubetur ire in suam cellam, sive in arrestum, ut alii dicunt, & ibi manere per aliquot dies Superioris arbitrio præscribendos. Hæc etiam pœna infligi solet, quando est periculum de fuga: frequentius verò applicari solet, non pro gravioribus, aut gravissimis, sed pro culpis gravibus tantum. Ex quo infertur primò, ut optime adfert Navarrus, malos Judices mortiferè peccare, leviter capi jubentes aliquos, citra ullam necessitatem, infamiam, & suspicionem legitimam; nunc ob odium licet veniale, nunc ob vindictam, nunc ob rusticitatem, qua in se, vel suos est usus, nunc ob subitam iram, nunc ob liberum Rei responsum, nunc ut illis vel illis placeant, sicut Herodes, Act. 12. Qui apprehendit Petrum, ut placeret Judæis: non considerantes quanta ignominia inuruntur captos; præsertim si sint viri virtute, eruditione, nobilitate, & etiam divitiis insignes: neque perpendentes, quod ad restitutionem famæ sic læsæ teneantur.

Infertur ex Navarro.

Illud demum notandum est, Prioribus, aut Guardianis nullam in Religionibus permitti facultatem, ut possint Fratrem aliquem incarcerare, nisi alias esset periculum imminens de fuga delinquentis, aut id faciant ex peculiari commissione, & licentia Superiorum. Poterunt tamen in cellam per viam arresti aliquem ex justa causa ad tempus recludere, seu potius detinere, præcipiens ei, ne à cella discedat absque ejus jussu, sive licentia.

CAPVT VI.

De pœna carceris, & quibus infligenda secundùm statuta Ordinis Minorum?

CArceris pœna secundùm statuta Fratrum Minoritarum, est recluſio alicujus in aliquo obserato loco, sine caputio, & chorda, Generalis vel provincialis alicujus Prælati auctoritate facta, ut per statuta Salmanticensia, *Cap.* 7. & Vallisoletana. *fol.* 132. *tit. de pœna carceris*, §. 1. cautum est.

Quare nullus prædictis Prælatis inferior potest aliquem sic formaliter carcerare, sed solum rationabilibus de causis, velut in domo disciplinæ, vel custodiæ delinquentes retinere, de consilio discretorum, ubi fuerit delictum rei evidentia manifestum, quousque aliquis præfatorum Prælatorum admoneatur, qui desuper prout opportunum fuerit, provideat, ut caveatur per eadem statuta. *fol.* 134. §. quod si quis, quod intelligi volunt etiam de fratribus, qui sunt de alicujus familia, vel Provincia.

Ex antiquis autem Ordinis statutis Salmanticensibus, Cap. 7. & Vallisoletanis ultimis, *fol.* 132. tit. de pœna carceris §. 1. cautum est, quod formaliter carceratus, ut supra expressum est, semper consequenter est privatus actibus legitimis eo ipso, quo carceri est mancipatus: & quamvis liberetur à carcere, non intelligitur ad actus prædictos restitutus, nec restitui potest, præterquàm in Provinciali Capitulo, aut Generalis auctoritate.

Ex iisdem statutis Salmanticensibus, *Cap.* 7. Vallisoletanis, eodem *tit. fol.* 133. §. nullus autem, cavetur, ne quis carceribus ita formaliter mancipetur, nisi pro manifesto, vel enormi delicto, vel excessu, & qui aliter quempiam incarceraverit, omnibus actibus legitimis sit privatus.

Declaratio ex statutis Salmanticensibus & Vallisoletanis.

Ex iisdem etiam §. Quare ut atrocia, cavetur ut in omnibus Provinciis, & locis, saltem principalioribus carceres habeantur omnino fortes, humani tamen, & lucidi, ut carcerati Divinum officium persolvere possint, ac piis lectionibus pro eorum spirituali consolatione vacare, & quibus etiam Confessionis Sacramentum petentibus concedendum est toties, quoties ab eis fuerit expostulatum: & qui perpetuis carceribus mancipari sunt, saltem in sacro Resurrectionis Domini die, Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento reficiantur.

Ex iisdem staturis §. si quis vero, cavetur, quod liberans quempiam è carceribus, vel consentiens, vel consilium, & auxilium præbens, ex quo incarceratus aufugerit, & etiam custos, si de eorum malitia, & dolo legitimè constiterit, carceribus mancipentur Provincialis arbitratu. Et si Guardianus ipse de his aut dolo, aut negligentia legitimè convictus fuerit, eo ipso Guardianatus officio privatus sit: vel gravius etiam puniatur Superiorum arbitrio pro qualitate delictiomnes porrò formaliter carcerati tam temporarii quam perpetui, semel saltem singula hebdomada sexta feria coram fratribus capitulariter congregatis, disciplinam sibi adhibere debent, recitando Psalmũ *Miserere mei Deus, &c.* & in pane & aqua humi

mi genuflexi jejunare; & quo tempore ad carceres damnati fuerint, semper sine caputio & chorda ubique manere debent, ut per eadem statuta loco citato §. penultimo, & ultimo decernitur.

Hi autem, qui in domo disciplinæ, vel custodiæ retinentur, nullis ex præfatis pœnis, & mortificationibus subjacere debent, ut per eadem statuta ibidem cavetur.

Quinam incurrant pœnam carceris secundum statuta Ordinis Minorū.

Explicato jam quid sit pœna carceris, & quomodo adhibenda, nunc quinam eam incurrant, ex iisdem statutis breviter annotandum. Primò itaque illam incurrunt proprietarii quicunque, qui etiam in proprietate morientes, Ecclesiastica ptivantur sepultura.

Eandem carceris pœnam per sex menses incurrunt, & omnium suffragiorum jure triennio carent, qui pro prima vice in fornicationis culpam inciderint, vel graviorem speciem. Pro secunda vice per annum carceribus mancipandi, & omnibus Ordinis officiis perpetuò privantur. Pro tertia vice longiori tempore carceribus mancipandi, & ad omnia officia perpetuò inhabiles existere debent. De innominabili verò convictus, nudus omnino cum solis femoralibus coram Fratribus capitulariter congregatis, & manibus ligatis graviter est flagellandus, cum recitatione Psalmi *Miserere mei Deus, &c.* & leviusculis flammis hinc inde circumseptus quodammodo comburi debet, & ad perpetuos carceres irrevocabiliter damnari, ubi pane, & aqua tribus sal em in hebdomada diebus jejunare debet.

Eadem carceris pœna puniendus est inobediens inobedientia contumaciæ, quæ contumacia incurritur post trinam monitionem eodem die congruis intervallis factam: item apostatæ omnes carceris pœnam incurrunt pro modo culpæ apostasiæ, ut supra latius ostensum est.

Item revelantes sacramentalem confessionem, cum perpetuo ab audiendis confessionibus suspendi debeant, & actibus legitimis perpetuo privari, carceri etiam Provincialis arbitratu sunt mancipandi: Item bimestri carceri mancipandi, & activa & passiva voce decennio privandi, qui secunda vice verbis, aut factis aliquem graviter provocaverint: & similiter qui improperaverint aliquem de delicto, pro quo jam alias fuit punitus: item Superioris arbitratu carcerandus, qui in proferendis obscænis, & turpibus verbis ita vitiosus fuerit, ut incorrigibilis apparear, & scandalo sit cæteris.

Semestri verò carceri mancipandum, qui lapidem, vel baculum, vel gladium, vel cujusvis alterius generis instrumētum arreptum projecerit ad percutiendum, vel alio quocunque modo percurere nisus fuerit: vel qui arma offensiva portaverit, vel in cella vel alibi retinuerit. Qui verò prædictis instrumentis percusserit, vel fratrem, vel sæcularem, carcer s unius anni pœnam luere debet, & omni suffragiorum jure, & actibus legitimis perpetuo privari, ac per mensem ter in qualibet hebdomada coram fratribus capitulariter congregatis genuflexus comedere, illisque instrumentis, quibus ferire, aut percutere ausus est, ei de collo pendentibus.

Item carceri mancipandus, Generalis arbitratu, qui verbo, vel facto divisionem Ordinis procurare præsumpserit: perpetuo verò carceri mancipandi incorrigibiles: tales sunt censendi qui ter de eodem gravi crimine convicti, & puniti, non resipiscunt. Ad arbitrium verò Generalis carceri mancipandus, & ad Ordinis dignitates, & officia perpetuo inhabilis existere debet, qui per se, vel per alium literas, aut sigilla Prælatorum, vel Principum, Generalium, vel Provincialium, aut aliarum notabilium personarum falsificaverit: semestri autem carceri mancipandus, & infamis perpetuo existere debet, qui in judicio quidquam falso, ac scienter deposuerit, vel ad id faciendum induxerit, aut revocaverit, vel revocandum procuraverit, quod verè depositum fuerat. Superiorum autem arbitratu carceribus mancipandus, qui facto nomine, vel sub nomine alieno, literas, seu libellos famosos ediderit, miserit, projecerit, vel quomodolibet exposuerit in alicujus infamiam. Similiter Superioris arbitratu carcerandus, & omni suffragiorum jure triennio ptivandus est, qui aleis, vel taxillis luserit.

Ad carceres perpetuo damnandi, quicunque post Religionis ingressum aliq od crimen admiserint, propter quod si illud in sæculo commissent, morte plectendi essent: Semestri verò carceri mancipandus, qui Generali ipsi rebellaverit, ultra alias pœnas superius notatas: item bimestri carceri omnino mancipandus, & omni suffragiorum jure triennio privandus, qui recursus, & appellationis ordinem à statutis præfixum, & decretum, temerè violaverit.

Pro multis aliis delictis præfigitur à statutis carceris pœna, de quibus videatur ibidem: brevitati enim studens, hæc notata sufficere judicavi.

CAPVT VII.

De pœnis specialibus in Ordine Minorum contra delinquentes stabilitis, & primò de privationibus fieri consuetis.

PRivationes in dicto Ordine fieri consuetæ sunt in triplici differentia, videlicet. Primò actuum legitimorum. Secundò Juris suffragiorum. Tertiò officiorum privatio. Actuum legitimorum privatio est inhabilitatio ad omnia Ordinis officia, quæ cum dignitate, ac superioritate conjuncta sunt, veluti Ministeriatus, Commissariatus, Definitoriatus, Guardianatus. Potest tamen sic privatus ad sacros ordines promoveri, & sacras eorum functiones exercere, & similiter quæcunque officia prædicationis, confessionis, & lectionis, &c.

Privatio Juris suffragiorum, est inhabilitatio, tam ad ferenda, quam ad consequenda quæcunque vota, & suffragia in Ordine.

Officiorum verò Ordinis privatio, est inhabilitatio ad omnia prædicta, & ulterius ad confessionis, prædicationis, lectionis, paternitatis, & visitationis munera obeunda; poterit tamen sic privatus Ordines recipere.

Singulæ igitur præfatæ pœnæ applicantur gradatim delinquentibus. Primò privationem actuum legitimorum incurrunt subornatores, & revelantes extra Ordinem secreta, in ipsius detrimentum & infamiam: qui perpetuo actibus legitimis privantur.

Secun-

Secundò. Actibus legitimis privantur recurrentes ad favores sæculares, prout supra: nec relevari possunt, nisi per generale Capitulum proximè futurum.

Tertiò. Intercipientes literas Prælatorum, vel Principum, vel Generalium, vel Provincialium, vel aliarum notabilium personarum quomodocunque malitiosè, vel per se, vel per alios: & similiter illas destruentes, impedientes, retinentes, ne mittantur, aperientes, & similiter qui prædictorum literas sibi ipsis missas legere, aut aperire malitiosè distulerint: nec relevari possunt, nisi ab ipsis Generalibus, vel Provincialibus Prælatis respectivè.

Quartò. Procurantes novitatem in Ordine, modo superius expositonec relevari possunt, nisi per Generalem, aut Provincialem Prælatum. Item non manifestantes opportunè defectus fratrum, tempore visitationis Ministri, aut Commissarii, tam Generalis quam Provincialis, sed malitiosè, & callidè in aliud tempus cuicunque Ordinis Prælato manifestandos differentes. Item qui literas contra quempiam servaverint, & postea in judicio, seu visitatione deduxerint, produxerintvè: qui omnes actibus legitimis privantur, & infames existunt, nec audiri possunt.

Quintò. Privantur etiam actibus legitimis qui sacro, ac venerabili sanctæ Inquisitionis officio delati, de levi abjurati fuerint: & similiter juxta sacræ Tridentinæ Synodi præscriptum, & sacrorum Canonum dispositionem, qui natalium patiuntur defectus, ut spurii, & consimiles, de qua re extant Constitutiones Xysti V. & Clem. VIII.

Sextò. Suffragiorum jure biennio privatur, qui Prælato suo in culpa, vel in mensa respondet, facultate prius ab eo non impetrata. Item qui alicui Prælato verba improperii, aut convitii dixerit.

Septimò. Qui ad triremes aut perpetuos carceres aliquando damnati fuerint: & si contingat eos misericorditer liberari, sic liberati, omni suffragiorum jure, & actibus legitimis perpetuo privati existunt, nec ad ea quovis modo amplius habilitari possunt.

Octavò. Denique rebellantes Provinciali Ministro, seu Guardiano, aut Vicario, omni suffragiorum jure triennio privantur.

Nonò. Omnibus Ordinis officiis privantur, qui per malitiosam concordiam, seu conspirationem adversus alium, & maximè Superiorem se evexerint, & sic privati remanent, quousque per condignam satisfactionem à Generali, vel Provinciali Ministro relevantur.

Decimo. Quicunque ad tribunalia sæcularia appellantes, & ad ea temerè confugientes, privationem officiorum Ordinis incurrunt, & inhabilitatis perpetuæ ad illa, & alia quæcunque exercenda, vocisque tam activæ, quam passivæ, ex constitutione Gregorii XIII. Quæ incipit. *Quoniam nostro, &c.*

Undecimò. Omnibus Ordinis officii privantur ad favores quarumcunque personarum extra Ordinem existentium pro obtinendis officiis recurrentes, & similiter voce activa, & passiva ex Constitutione Pii V. quæ incipit *Pastoralis officii* & Gregor. XIII. quæ incipit, *Consuevit*. Quas pœnas incurrunt, etiamsi ipsi Fratres pro favoribus ejusmodi sæculares solicitasse negaverint, & sæculares ipsi affirmaverint, ab eisdem Fratribus solicitatos non fuisse, dummodo de malitia, & dolo tertii non constiterit: videlicet quod quis alius invidus, malitiosè rogatores subornaverit, ut quoquo modo noceret promovendis; & similiter privantur officiis Prælati, qui tales ita recurrentes promoverint, vel promoveri consenserint, vel permiserint, & ad prædicta sua officia, & alia quæcunque in posterum obtinenda inhabiles existunt.

Duodecimò. Qui pecunias, vel dona quæcunque dederint, aut promiserint, ut pro se, vel pro aliis gradus, honores, dignitates, vel officia consequantur, vel in prædictorum favorem sententia feratur: & non solum ipsi, sed etiam qui talia dona receperint, quicunque fuerint, qui omnes sacrorum Canonum pœnas jure contra simoniacos statutas, ac præterea Constitutione Apostolica de muneribus non dandis assignatas, omnino incurrunt.

Decimotertiò. Quicunque aliqua notabili infamia laboraverint ob crimina, de quibus accusati apud Prælatum, convicti fuerint: ad Ordinis dignitates, & officia (ultra pœnas ob crimina sibi inflictas) perpetuo inhabiles existunt, cui pœnæ subjacent, quicunque infamia laborant, & similiter qui de re gravi in sacro Inquisitionis officio delatus, abjuratus fuerit.

Decimoquartò. Privantur officio, Generalis arbitrio, Provinciales Ministri, qui delinquentes pro eorum demeritis punire distulerunt usque ad Generalium in Provincias adventum, vel alio consimili prætextu, & denique rebellantes quomodocunque Commissario à Generali misso: qui perpetuo privantur Ordinis officiis, & perpetuo inhabiles existunt ad alia quæcunque in Ordine exercenda, & voce tam activa, quam passiva privantur, ex Constitutione Gregorii XIII. Quæ incipit, *Quoniam nostro, &c.* quibus etiam omnibus, & singulis subjacent, qui Generali ipsi rebellaverint.

CAPUT VIII.

De Culpis gravissimis, earumque pœnis à nostris Constitutionibus impositis, ubi de pœna expulsionis.

OBstinati, seu correctionis incapaces pœna gravissima mulctandi sunt. Correctioni incapax & obstinatus ille reputabitur, qui legitimè ob culpam mortalem ad graviorem pœnam condemnatus, eam ferre ita detrectat, ut tandem pœnæ subjici nolit: qui statim in carcerem detrudatur per tempus à Definitorio provinciali præscribendum, adhibitis piis consiliis, & exhortationibus, item jejuniis in pane & aqua, & aliis ejusdem remediis, quæ si non profint, denique à Definitorio generali ab Ordine expellatur: tam verò carcer, quam ejusmodi remedia & multiplex charitatis significatio expultionem præcedant.

Secundò. Si quis etiam (quod Deus avertat) fuerit convictus, aut suspectus vehementer de peccato contra castitatem, trudatur per annum

annum dimidium in carcerem. Si autem externis notum fuerit, vel si peccatum iteraverit, pœna dupla illi inferatur : quod si in his duobus eventibus resipuerit, post resipiscentiam tantumdem temporis voce ac loco careat; verum tertia vice relapsus, quasi correctionis incapax expellatur.

Tertiò. Qui cum scandalo sæcularium semel contra castitatem peccaverit, in carcerem detrudatur per annum, vel etiam longiori tempore, prout Definitorio generali visum fuerit; expleroque hujus pœnæ tempore, voce ac loco anno uno careat; Superior verò sæculares, qui scandalum passi sunt, vocari faciat, quibus præsentibus, cum qui peccavit inflictis verberibus corripiat, & in carcerem includi præcipiat : & qui hujusmodi remediis non resipuerit, tanquam incorrigibilis expellatur.

Circa pœnam gravissimam, quæ delictis etiam gravissimis imponenda est, observandum occurrit, quod culpa gravissima, quæ simili pœna plecti solet, est incorrigibilitas; incorrigibilitati autem expulsio à Congregatione respondet, postquam remedia multa prius adhibita jam non prodesse constat; nam si prosint, nemo incorrigibilis est censendus. Expelli ovis morbida debet, ne cæteras inficiat.

Nec sufficit sola correctio, etiamsi acerrima, asperaque sit; sed opus est, è domo sive Conventu delinquentem hujusmodi ejicere. Id optimè notavit D. Hieronymus libro primo adversus Pelagianos, dicens, Heli filios quidem corripuisse, nihilominus à DEO fuisse punitum: cujus eam reddit rationem : *Quia non corripere debuit, sed abjicere.* Et libro primo contra Jovinian. *Heli* (inquit) *corripuerat quidem filios; sed quia non abjecerat delinquentes, retrorsum cecidit, &c.* Cui sententiæ consonat S. Joannes Chrysost. homil. 59. in Genes. *Quemadmodum* (inquit) *Medicus si morbum sectione indigentem, unctione aut emplastro curare voluerit, citò morbum incurabilem efficiet, cum congruam non adhibeat medicinam; ita senex ille, &c.*

Eodem quidem Medici exemplo usus est D. Basilius in Regulis fusius disputatis, dicens : *Illi* (id est Medici) *quodcunque tandem membrum insanabili morbo correptum inventerint, ne vitium latius proserpat, neve ex contage diffundente contiguas partes corrumpat, illud secando, urendo vè tollere funditus soliti sunt, &c.* Et statim docet, eadem severitate usuros esse spirituales Medicos, ut illud Christi Domini præceptum exequantur : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, projice abs te.* Matth. 5.

Est autem hujusmodi pœna consentanea valdè antiquissimæ PP. Institutioni, & Religionum fundatoribus, quia ea ut plurimum utebantur contra facinorosos, & incorrigibiles, ut notatur in antiquis monumentis Ordinis Minorum, ubi refertur Privilegium Alexandri Papæ VI. sub hac forma.

Alexander VI. fecit facultatem Generalibus Ordinis Minorum, ut per semetipsos duntaxat, & Provincialibus, ut ipsi cum consensu majoris partis Capituli, dictos Fratres Ordinis, quos incorrigibiles repererint, habitu expoliare valeant, & ab Ordine ejicere, atque contra quoscunque eis auxilium, consilium, favorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, aut quovis quæsito colore super delatione dicti habitus præstantes, etiam cujuscunque dignitatis, gradus, ordinis, aut conditionis fuerint, per censuras Ecclesiasticas, ac alia juris opportuna remedia (appellatione postposita) procedendi : invocando etiam, si opus fuerit, auxilium brachii sæcularis, &c.

Ex quo patet, olim fuisse facultatem Prælatis elargitam à Summo Pontifice, incorrigibiles expellendi ab Ordine. Ut verò non contingat eorum expulsionem præfatorum incorrigibilium, S. Bonav. supra Reg. Fratrum Minorum, quæst. 14. pissimè docet, tria debere concurrere ad hoc, ut justè possint Fratres expelli ab Ordine. Primum, quod eorum delicta sint notoria Fratribus, & sæcularibus. Secundum, quod Fratres eorum malo exemplo possint inficì, & corrumpi, & sæculares scandalizari. Tertium, quod sint incorrigibiles. Et secus ejicere, his non observatis, non judicat D. Bonav. esse tutum in conscientia, licet in foro fori Prælati possint ex prædicta Apostolica facultate.

Quin addit ibidem D. Bonav. quod cum nec Papa, nec Prælati Ordinis possint liberare Fratres ab obligatione voti solemnis in professione emissi, ejiciendo tales extra Ordinem, ultra scandalum, quod in animis sæcularium potest generari, est exponere illos periculo damnationis æternæ; cum sic ejecti nequeant servare Regulam, quam promiserunt; sed tales debent perpetuis carceribus mancipari, & secundum exigentiam delictorum puniri, etiam ultimo supplicio, prout puniri solent Clerici sæculares secundum jura Canonica, quibus subjiciuntur Religiosi, sicut reliquæ personæ Ecclesiasticæ. Hæc D. Bonaventura.

Qui autem dicendi sint incorrigibiles, expresè declarant statuta Ordinis Minorum, fol. 147. tit. de Incorrigibilibus, statuentia, quod incorrigibiles sint censendi, qui ter de eodem gravi crimine convicti, & puniti non resipiscunt; Quæ declaratio est valde conformis aliorum Ordinum Institutis.

Hæc autem pœna in nostro Ordine à Præposito Generali, & Definitoribus generalibus, & non ab aliis, facto juridicè processu, adhibenda est. Quæ verò propriè dicenda est incorrigibilitas, ultra ea quæ diximus, breviter exponamus.

Constitutiones Fratrum Prædicatorum, Cap. 19. de gravissima culpa ita declarant. *Incorrigibilis ille dicitur, qui nec culpas timet admittere, & pœnas recusat ferre, vel ex earum sæpius repetita infictione, judicio discretorum cognoscitur non proficere : Talis de consilio discretorum carceri mancipetur, & ibidem secundum exigentiam culparum juxta discretionem Prælati, jejuniis, & abstinentiis puniatur, vel secundum Regulam S. Patris Nostri Augustini, si magis expediens judicatur, per Magistrum Ordinis de Ordine nostro expellatur. Quod tamen maturè fiat, ita ut appareant gesta cum toto processu, & sententia in scriptis, & cum debitis subscriptionibus & sigillis.* Hactenus Constitutiones Fratrum Prædicatorum.

Ex qua doctrina, & ex aliis, quæ tradunt ab Auctoribus circa materiam incorrigibilitatis observandum est, aliquem tripliciter dici incorrigibilem; atque de ejus emenda jure optimo desperari. Primò. Quando in criminibus perpetratis perseverat. Ita docent Abbas. *Cap. Cum ab homine. num. 30. de Judiciis.* Majolus *lib. 5. de irregularitate Cap. 26. num. 4.* Immò addit

Abbas

Abbas ut supra, adhuc dici incorrigibilem, etiamsi committat alia delicta dissimilia, id est non æquè gravia.

Verior tamen opinio tenet, requiri ad incorrigibilitatem, ut delicta sint similia, id est æquè gravia, aut graviora.

Secundò. Dicitur Incorrigibilis quis, quando ter monitus non desistit à gravibus culpis, ut post Abbatem & alios non infimæ notæ Auctores, affirmat Sanchez *lib. 6. Cap. 9. num. 4.*

Tertiò. Incorrigibilitatem incurrit, qui sibi assignatum pœnitentiæ locum, fugiendo deserit; alias si non arripiat fugam, etiamsi pœnitentiam non adimpleat, non dicetur incorrigibilis, ut prædicti Auctores post Abbatem annotarunt.

Quamvis autem D. Thomas *quodlib. 12. art. ultimo* & D. Bonaventura *in Regul. D. Francisci q. 14.* Sylvest. *verbo, Religio. 6. q. ultima*; & alii Auctores asserant, solos incorrigibiles expelli posse à Religione: quod quidem verum esse fatemur, stando in jure communi, ut benè advertit P. Azor tomo 1. Institutionum Moralium, lib. 12. Cap. 16. q. 3. At jure particulari, & ex vi instituti Religionum à Sede Apostolica approbati, ob multas alias causas potest professus expelli, ut constat ex variis Constitutionibus Religionum, à Summis Pontificibus approbatis: quæ Constitutiones etiam à Summis Pontificibus approbatæ, omnino revocatæ sunt à Sanctissimo D. N. Urbano VIII. qui novo Decreto contra Religiosos incorrigibiles edito, decernit, eos solos, qui tantum Jure communi sunt incorrigibiles, à Religione expelli debere.

Præterea inter gravissimas pœnas gravissimis delictis applicandas annumeran ur aliquæ in Constitutionibus Fratrum Minorum, quas refert Franciscus Aretinus *in sua practica criminali Cap. 5. de pœnis gravissimis delictis infligendis*, quarum aliquas recensebimus, ut Visitatoribus ampliorem materiam in arbitrandis pœnis offeramus.

CAPVT IX.

De pœnis infligendis Apostatis, sive fugitivis.

INcaute aliqui DD. conferunt apostatam & fugitivum, pro eodem accipientes, cum multum inter utrumque differ; nam Religiosi fugitivi propriè dicuntur, qui à Monasterio recedunt absque licentia Superiorum, ut vagari possint extra ipsius potestatem, & obedientiam, ut colligitur ex lege, Quis sit fugitivus. Apostatæ autem proprie dicuntur, qui à monasterio recedunt animo, & voluntate, in perpetuum excutiendi obedientiæ jugum, deserèdique proprium institutũ: quare si hic animus desit, sed fugiant ea tantũ intentione, aliquando extra Religionem vagandi, posteaque ad Religionem redeundi, apostatæ non sunt. Hanc differentiam sive distinctionem tradunt communiter Summistæ, & Commentatores D. Thomæ 2.2 *q. 12. art. 1.* ubi Cajet. Bannes. Artagon. Gregor. de Valent. & alii communiter.

Quare fugitivus, est nomen commune fugitivis, qui non sunt apostatæ, & illis qui verè apostatæ sunt. Omnis enim apostata est fugitivus; non verò omnis fugitivus est apostata.

Ex his primò infertur, nihil referre ad veram apostasiam, an habitus Religionis dimittatur, nec ne: sed verè apostatam esse, recedentem à Religione, animo nunquam redeundi ad illam, sive habitum retineat, sive dimittat. Ita docent Auctores citati. *Quis rigorose sit dicendus Apostata.*

Et è contra si quis dimisso habitu, fugiat ad tempus, animo tamen redeundi ad Religionem, non est apostata; sed tantum fugitivus, ut optimè docet Valentia, ut supra.

Secundò Infertur, minus propriè aliquos Jurisperitos appellare illum Religiosum apostatam, qui ita suæ Religionis habitum alio habitu cooperit, ut ex eius non appareat: nam (ut superius diximus) habitus dimissio, vel detentio, nihil refert ad veram apostasiam; sed eam propriè constituit solus animus recedendi in perpetuum à propria Religione: & ita fuisse decisum à Rota, tenet Emmanuel Rodericus *Tom. 1. q. Regul. q. 30 art. 2.* Erit tamen ita occultans habitum absque justa causa, excommunicatus, ut probabilior sententia tenet. *Decisio Rotæ sacræ circà apostatã religiosas vestes non deponentẽ sed occultantem infra alias vestes, quam decisionẽ tenet & sequitur Rodericus tom. 1. Regul. q. 30. art. 2.*

In nostris vero Constitutionibus, ut constat *ex Capite 35. num. 12.* præter alias pœnas apostatis stabilitas, hujusmodi declarantur esse excommunicati, etiam si à Religione discedant, animo transeundi ad alium Ordinem, sequentibus verbis. *Qui à Congregatione recedunt, etiamsi ad aliam Religionem, præterquam Carthusianorum transeant, prater apostasiam, ipso facto excommunicationem, & infamiæ notam incurrunt; excommunicatioque hujusmodi Præposito, vel ei cui ille rem commiserit, juxta literas Xysti V. datas 27. Junij 1587. reservatur.* Et quamvis in nostris Constitutionibus indiscriminatim dicto Cap. 35. eædem pœnæ tam fugitivis quam apostatis designentur, excommunicationis tamen censura tantum viderur imposita apostatis, ut patet ex contextu Constitutionis prædictæ: quæ excommunicationis pœna ferè in omnibus Religionibus contra apostatas ferri solet.

Præter excommunicationem, tam Apostatis quam fugitivis in nostris Constitutionibus Cap. 35. pœnæ aliæ imponuntur, quas hic breviter referre conabor. *Præter excõmunicationẽ statuta Carmel. Discalceatorum apostatis & fugitivis infligunt alias pœnas, & qualiter hæ pœnæ infligantur.*

Apostata, fugitivus, & quivis injussu Prælati à Conventu recedens, si habitu nostro indutus, cum aliquo domesticorum scandalo exierit, per viginti duos; si cum scandalo secularium, per quadraginta dies in carcerem detrudatur: si tamen habitu nostro exutus abierit cum scandalo secularium, pro octoginta mittatur in carcerem: & Definitorium Provinciale in hoc ultimo eventu consulatur, ut decernat, quomodo cum Reo procedendum sit, &c.

Omnes pœnas superius in hoc capite expressas, Prior, Vicarius, vel Præsidens executioni mandare incipiet, & statim Provincialem monebit, præterquam cum apostasia, seu fuga intra octo dies sine scandalo secularium contigerit; tunc enim ipse cum primi Discreti consilio, remedium providebit; sed si apostasia, seu fuga ultra octo dies duraverit, vel cum scandalo secularium acciderit, Prior, Vicarius, vel Præsidens Definitorium Provinciale (si tunc celebretur) sin minus Provincialem statim moneat, ut decernat, quamdiu qui fugit, in carcere detineri, voce, ac loco carere, alius ac alius remedius exerceri debeat, nec sine illorum jussu Reum è carcere custodia liberabit. *infligantur.*

Qui semel & iterum fugerit, præter pœnas superiùs expressas, Congregationis antiquitatem amittat, & in posterum à die reditus, ac novæ receptionis, ei computetur.

Qui tertia vice fugerit, ut Novitius recipiatur, nec ullo antiquitatis jure gaudebit; sed post annum à receptione ultima, ejus antiquitas incipiet computari.

Verùm qui quarta vice fugerit, juxta Literas Pij V. tanquam incorrigibilis expellatur. Præterea si apostata, vel fugitivus tres menses absuerint, antiquitatem Congregationis amittunt, quemadmodum de Apostasia secunda decretum est. Si annum integrum abfuerint, quasi Novitij recipiantur, ac si ter apostata fuissent. Si verò ultra annum, Definitorium generale judicet, an statim sint censendi incorrigibiles, & pro arbitrio suo puniat. Hæc sunt, quæ circa apostatas, sive fugitivos nostræ decernunt Constitutiones.

CAPVT X.

Quæ sint, quæ in delictis excusare possunt ad minuendam Pœnam?

PRimò furor, & insania excusat à delicto: nam si delinquens tempore delicti commissi erat quidem furiosus, aut mente captus, non potest propter illud puniri. Si verò tempore delicti commissi erat sanæ mentis, & postea est factus furiosus, licet puniri non possit ordinaria pœna, dum est furiosus; puniri tamen potest extraordinaria, arbitrio Judicis, ut docet Baldus in L. Furiosum. C. Qui testamentum facere potest: cujus opinio communiter ab omnibus recipitur, ut docet Julius Clarus q. 60. versiculo, sed quæro.

Secundò. Ira quandoque delictum excusat; interdum verò minimè; nam aut provenit ex justa causa; & tunc non excusat in totum, juvat tamen, ut delinquens mitius puniatur, ut in viro occidente uxorem deprehensam in adulterio: ira enim potest dici quidam brevis furor: aut ira provenit ex injusta causa; & tunc nullam excusationem præ se fert.

Tertiò. Ebrietas excusat à dolo, sed non à culpa, atque adeo committens delictum tempore, quo est ebrius, puniendus est, ut communis DD. sententia tenet; non tamen ordinaria, sed tantum extraordinaria pœna. Verumtamen si sine culpa factus fuisset ebrius, ut si socii ipso inscio, sal in vino apposuissent, (ut inquit Julius Clarus) ipse est à culpa, & à dolo protsus excusandus.

Quartò. Si aliquis dormiendo delinquat, hominemque vulneraverit, verè excusandus est: quia tempore delicti non erat compos mentis: & ita tanquam furiosus reputatur. Ita Clarus ut supra; quod tamen intelligi debet, quando ei dormienti similia evenire non solent: quod si ei soleant contingere, ut scilicet à lecto surgat, & ensem evaginet, & similia faciat, (ut de multis legimus) tunc si ipse non præcaviisset, claudendo sui cubiculi ostium, diceretur esse in culpa, atque adeo deberet pœna extraordinaria puniri. Ita tenet communis opinio, ut idem Julius Clarus docet, ut supra.

Quintò. Ignorantia Constitutionis puientis delictum, quando delictum, quod punitur ab ipsa Constitutione, est etiam prohibitum de Jure communi, non excusat; nam tunc debet puniri secundum dispositionem Juris communis.

Secus esset, si tantum delictum puniretur Constitutione, vel Decreto: nam tunc excusat Reum, licet non omnino: absolutè tamen excusat, ad omnem pœnam in Constitutione taxatam subeundam.

Sexto. Pœnitentiæ in delictis quandoque delinquentes excusant: loquor de pœnitentia, non de illa, quæ sequitur post delictum commissum; sed de pœnitentia ante delictum perpetratum, ut si quis volens committere delictum, antequam committeret, pœnituit, & illud non commisit; quod intelligi debet, quando potens committere delictum non voluit; sed pœnituit propositi: tunc enim licet in totum non excusetur, mitius tamen punitur. Docet Clarus loco ut supra.

Illud tamen observandum est, quod licet affectus, seu conatus ad delinquendum, etiamsi non sequatur effectus, puniatur non aliter, ac si ipse effectus secutus fuisset, ut constat *ex l. 3. §. Divus. ff. ad l. Juliam, de sicariis*; tamen hodie de generali consuetudine non punitur affectus, sive conatus, nisi sequatur effectus: non inquam punitur pœna delicti ordinaria, sed benè pœna extraordinaria, ut post multos Jurisperitos docet Clarus, ut supra: quam consuetudinem esse approbatam per totum Mundum, docet Arentinus *in lege 1. §. finali. ff. ad legem Juliam, & Consilio 14. num. 3.* Quam etiam sententiam in delictis utique atrocissimis procedere, docuerunt alii Auctores, in quibus docent affectum sive conatum, pœna ordinaria non esse puniendum.

Cæterum ubi conatus, vel minæ puniuntur à statuto aliqua pœna particulari; tunc Judex condemnare debet Reum, ad pœnam taxatam Lege.

Septimò. Quando Reus pœnæ à lege statuæ pro delicto ab illo perpetrato, capax fortè non est, illam Judex commutare debet in eam, cujus est capax.

CAPVT XI.

Quæ sint, quæ observari debeant à Visitatoribus in sententiis pœnalibus ferendis.

MUlta sunt, quæ Visitatores præ oculis habere debent in ferendis sententiis, maximè pœnalibus. Primum est, ut Prælatus imponat pœnas secundum delictorum gravitatem, juxta illud Deuteronomii 25. Pro mensura delicti erit & plagarum modus. Quare pœnam augere minimè potest, si alicui delicto, à lege taxata sit; nisi fortè aliqua circumstantia delicto annexa id expostuler. Sed neque minuere, nisi ex legitima causa, quam in sententia exprimere deberi saltem illis verbis: *Justis de causis animum nostrum moventibus.*

Ita pariter tenet communis opinio, etiam de pœna imposita à statuto, sive Constitutione, quam ex causa Judex minuere potest, ut post alios docuit Covarruvias *lib. 2. Resolutionum, Cap. 9. num. 8.*

Curet singulis delictis ponere illas pœnas, quæ à Constitutionibus propriæ Familiæ ordinatæ sunt. Pœna enim à propriis Constitutionibus imposita, tantam vim habet, ut pœnas à Jure communi

Visitator vel Judex debet curare ut

Reo infligantur pœnæ à constitutionibus propriæ Religionis ordinatæ pro tali delicto.

communi stabilitas tollat, ita Clarus *lib.* 5. §. *Adulterium, & §. finali q.* 85. *verbo, debet etiam.* Quod si in Constitutionibus Religionis pœnæ pro aliquo delicto statutæ non sint; tunc recurrendum est ad pœnas à Jure Canonico stabilitas, quæ ad Regulæ normam, sive Constitutionum moderandæ sunt, & dirigendæ.

Si committatur delictum pro quo certa pœna statuta à Religione non sit, consuetudine uti oportet & imponēda pœna delicto conveniens.

Omnibus autem deficientibus, deveniendum est ad consuetudinem; etenim consuetudo optima est legum interpres. Quare si certa pœna ex consuetudine adsit, pœna illa debet imponi. Quod si consuetudo non sit; tunc ex aliis legibus similibus progrediendum est ad similia, ut docet Innocentius Cap. Qualiter & quando, versic. Item nota, de accusationibus. Ex his enim quæ contingunt in Clericis, mutatis mutandis conjici potest, quid faciendum sit in Monachis, atque ex legibus, quibus utuntur Prælati aliarum Religionum desumi possunt, (quamvis ad id Visitatores non teneantur) quæ ad propriam Familiam emendandam, aut corrigendam conducunt. Demum si omnia ista desint, Prælatus imponat pœnas, suo arbitrio, gravitati delicti condignas.

In infligendis pœnis ex consuetudine statutis plura consideranda Judici.

Debet autem Visitator in arbitrandis hujusmodi pœnis plura considerare, videlicet delinquentis conditionem, an soleat sæpius delicta perpetrare? an casu acciderit spontaneèque; an coactus, vel lacessitus id fecerit? & an scandalum, & quale fuerit ortum ex delicto?

Debet præterea attendere qualitatem loci, ubi delictum commissum fuerit, an in loco sacro, vel extra? in foro, aut via publica, vel in Monasterio? delicti insuper gravitatem, aut diuturnitatem, injuriæque illatæ modum, atque atrocitatem, aut damni dati magnitudinem examinare oportebit: personæ insuper offensæ circumstantias expendere, cum ipsæ sint quæ augere, aut minuere soleant quodcunque facinus: an vilis fuit? an dignitate præditus? an Superior, vel subditus? an laicus, vel sacerdos? quæ optimè considerat Diaz *in sua practica Cap.* 128.

Præterea Judicem advertere oportet, quod si plura crimina simul concurrant, omnia puniri debent, ut colligitur ex Textu in lege, Nunquam plura, ff. de privatis delictis; quamvis si delicta, (etiamsi plura) sint ejusdem generis, ut qui plura vulnera intulit alicui, dummodo illa inferat eodem tempore, sine ullo intervallo, ut sentit Glossa in dicta lege, nunquam plura. Si verò delicta sint diversi generis, si committantur ex intervallo, omnia punienda sunt.

Postremo scire debent Judices, pro sententia condemnationis ferenda, quod sæpissimè contingit, quod in eodem crimine multi, licet diverso modo, intervenire possunt, qui tamen omnes diversis pœnis sunt puniendi, v. g. alicui imputari potest, quod delictum ipsum propriis manibus commiserit; alii quod sciens, & particeps fuerit, aut quod de delicto faciendo tractaverit, aut quod consilium, seu mandatum dederit, aut auxilium præstiterit, aut illud postea ratum habuerit.

Regulariter sola scientia delicti nō est punibilis, excipe crimen læsæ Majestatis.

Regulariter si res attentè consideretur, sola scientia delicti non est punibilis, maximè in eo, qui nullam habet facultatem prohibendi: hoc tamen fallit in crimine læsæ Majestatis; nam sciens delictum proditionis contra Principis personam, puniendus est pœna mortis, si non revelet, secundum communem DD. opinionem: atque ita à simili in Religione, qui sciret tractatum contra personam Generalis, vel contra Religionis bonum, & non revelaret, teneretur eadem pœna, qua & ipsum delictum committens, ut egregiè docet Franciscus Aretinus, *Cap.* 8. *de sententiis pœnalibus*, ubi consequenter etiam docet, quod frater, qui scit alium fratrem committere delictum aliquod, quod vergit in perniciem, vel infamiam Religionis, & illud non denunciat Prælato, qui removere, vel providere possit, potest, immo debet puniri arbitrio ipsius Prælati.

Quid verò sentiendum sit de eo, qui prohibere potuit, ne committeretur delictum, aut eo qui simpliciter consensit in eodem delicto, aut qui illud ratum habuit post jam commissum, aut qui consilium dedit alicui, ut delinqueret, aut alias delictum committi mandaverit; consulendi sunt Summistæ, qui plenè de omnibus his circumstantiis, in materia de furto, homicidiis, aliisque in locis disputarunt. Hæc sunt, quæ circa theoriam, & praxim in Regularium visitatione observanda, notatu digna nobis occurrunt, quæ omnia, & nos sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio, & censuræ libenter submittimus, cupientes ut cuncta ad DEI gloriam, Religionis augmentum, & Animarum salutem cedant.

Finis Quarti, & ultimi Tractatus.

APPENDIX
ALIQUARUM FORMULARUM
Visitatoribus, tam pro committenda aut subdeleganda visitatione, quàm pro aliis usibus ad visitationem spectantibus, maximè utilis.

UT nihil in hoc visitationis Tractatu desideretur, visum fuit nobis aliquas tradere formulas Visitatorum, pro variis usibus necessarias, tàm pro sententiis pœnitentiarum Reis infligendarum, quàm pro expulsione, ac pro capiendis informationibus, cum opus fuerit, vel suam Jurisdictionem aliis inferioribus committere.

Formula ad Informationes capiendas.

FR. N. *Præpositus Generalis, &c. Reverendo Admodum P. N. Priori Conventus Nostri, N. &c.*

Accepimus, in Conventu isto unum, vel duos fratres non ambulare ad veritatem Evangelii, & professionis, quam emiserunt. Cui malo remedium afferre cupientes, Præcipimus tibi in virtute Spiritus sancti, & sanctæ Obedientiæ, ut imponas præceptum formale fratribus omnibus tui Conventus, ut ad te deferant, an aliquis è tota Communitate laboret infamia alicujus peccati gravis; quod si duo saltem Testes jurati, & omni exceptione majores deponant de infamia hujus vel illius fratris; tunc procedes ad inquirendum, qualia peccata commiserint, & Testes tam in depositione de infamia, quam de delictis subscribent, quæ deposuerint; Tu verò ad nos totius processus exemplum mittes, originali apud te retento, ut quæ postmodum agenda sunt, ipsi perscribamus. Datum Romæ, &c.

Pro informatione capienda contra suspectum de aliquo crimine.

FR. N. *Præpositus Generalis, vel Provincialis &c. Rev. Adm. Patri Fratri N. Conventus Nostri N. in Domino salutem.*

Cum ad nos pervenerit, in tuo Conventu manere Sacerdotem N. & Fr. nostræ Congregationis professos, contra quos nonnulli Testes deposuerunt, eos non ambulare ad veritatem Evangelii, & Professionis, quam emiserunt: cui malo remedium adferre volentes, tenore præsentium præcipimus tibi in virtute Spiritus sancti, & sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto formali, ut eosdem constituas in tuto carcere, & per examen juridicum, informationem, & ipsorum confessiones juridicè capias, quam ad nos sigillatim mittes, ut de opportuno remedio provideatur. In quorum, &c.

Si vero sit in carcere, dici potest, ut sequitur.

CUm Fr. N. Nostræ Congregationis Donatus professus, vel N. &c. reperiatur, & sit ad præsens constitutus in carcere in Conventu nostro sanctis, ob quædam delicta, de quibus contra eum fama publica est, in dicto Conventu, vel alio perpetrasse: ne hujusmodi mala remaneant impunita, præsentium tenore, ex consensu Patrum Definitorum generalium, discretioni tuæ committimus, ut de prædictis delictis, & aliis per ipsum N. commissis, informationem per Testium examen, & depositiones, ipsiusque confessionem juridicè capias, quam ad nos sigillatim mittas, ut de opportuno remedio provideatur. In quorum fidem præsentes dedimus sigillo nostro munitas, & proprio nomine subscriptas. Romæ, &c.

Pro Informatione capienda contra delinquentes.

FR. N. *Præpositus Generalis, &c. Reverend. Patri Fr. N. Priori Conventus nostri N. in Domino salutem. Cum ad nos pervenerit, apud vos manere Fratrem N. &c. Ordinis nostri professum, qui in Conventu nostro N. pluries absque licentia fugitivus decessit, & tanquam apostata, absque habitu per longum tempus vagatus est: præsentium tenore discretioni tuæ committimus, & per meritum sanctæ Obedientiæ præcipimus, ut eundem Fratrem N. in tutum carcerem constituens, de fugis factis, dimissione habitus, fractione carceris, incorrigibilitate, & aliis delictis per eum commissis, informationem, & ipsius confessionem juridicè capias, quam ad nos sigillatim mittes, ut de opportuno remedio provideatur. In quorum fidem, &c.*

Pro

Pro Informatione facienda contra fugitivum.

FR. N. *Præpositus Generalis, &c. Reverend. Patri* Fr. N. *Priori, &c.* ut supra. *Ratio officii nostri postulat inter alia, Fratres nostros errantes corrigere, vagantes reducere, & protervos coercere, & castigare. Sanè dolentes pro comperto habemus, Fratrem N. nostri Ordinis professum, à Conventu nostro absque licentia fugitivum pluries discessisse, tarceremque, in quo pro delicto detinebatur, fregisse. Ideoque ut tanto malo pro posse nostro occurramus, discretioni tuæ committimus, & in virtute sanctæ Obedientiæ præcipimus, ut de fugæ factu, fractione carceris, & aliis delictis, si qua alia apud vos commiserit, Informationem juridicam capias, & perfectam ad nos sigillatim mittes, ut de opportuno remedio provideatur. In quorum fidem, &c.*

Forma sententiæ, & pœnitentiarum ex processu juridico.

IN nomine Domini Amen. *&c. Die, Mense, Anno. Nos Fr. N. Præpositus Generalis, & Fr. N. Fr. N. Fr. N. Fr. N. Definitores Generales &c. In causa, & causis contra Fratrem N. nostræ Congregationis professum, vel Patrem &c. gravium delictorum Reum, quemadmodum ex Testium depositione, & potissimum ex ejus confessione in processu juridicè facto patet. Post longam totius rei discussionem, omnibus hinc inde bene visis, & consideratis, Christi nomine invocato, solum DEUM, & bonum nostræ Congregationis, ac ipsius Rei præ oculis habentes, per hanc nostram Definitivam Sententiam, mitius tamen contra ipsum procedentes, dicimus, pronunciamus, sententiamus, & condemnamus dictum Fratrem vel Patrem N. ad sex alios menses pœnitentiæ in carcere agenda, hoc modo, videlicet per duos menses detineatur in cippi ligneo, & per alios quatuor sine dicto cippi maneat detracto Scapulari magno, & prædicto quatuor mensibus, in secretiori loco Sacrum audiat diebus festis de præcepto tantum; sed Sacram Eucharistiam non recipiet, nisi de arbitrio Prioris: jejunetque in pane, & aqua tribus diebus per singulas hebdomadas, donec in carcere detinetur, è quo postquam exierit, careat loco per duos annos, & ultra ad arbitrium Definitorii Generalis, quo tempore singulis sextæ feriis hanc sedens jejunet in pane & aqua, & bis in hebdomada accipiet in Refectorio unam disciplinam à Præsidente per spatium unius Psalmi, & interim non exeat è Clausura Conventus per dictos duos annos, literas alicui non scribat, recipiat, & non possit suscipere aliquem ordinem, nisi transacto decennio: & si contravenerit, & inobediens fuerit, prædicta pœna duplicentur. Quæ pœnæ currere incipient à die intimationis præsentis sententiæ; & ita dicimus, pronuntiamus, sententiamus & condemnamus; & R. P. Fr. N. Priori, &c. horum executionem committimus. In quorum fidem præsentes dedimus, &c.*

Alia similis forma.

IN nomine Domini Amen. *Die, &c. Nos Fr. N. Præpositus Generalis, &c. & Fr. N. Fr. N. Fr. N. Fr. N. Definitores Generales ejusdem Congregationis, in causa, & causis concernentibus Patrem Fratrem N. Sacerdotem professum Provinciæ nostræ S. N. gravium delictorum Reum, nempè quod solitus fuerit gravissimè murmurare, ac detrahere Superioribus, aliisque Religiosis, & in eos, præsentibus etiam sæcularibus, frequenter convitia, verba obscena, & contumeliosa proferre, percussiones, vulnera, & mortem minari, Diabolum invocare, contra castitatem graviter suspectum esse, necnon etiam proprietarium, & scandalosum: propter quæ omnia jam semel in carcere detentus, ac punitus fuit, nullo dato emendationis signo, ut in processu juridicè à Rev. Adm. Patre Fratre N. Provinciali ejusdem Provinciæ facto apparet. Christi nomine invocato, omnibus bene visis, & consideratis, mitius tamen cum eo procedendo, per hanc nostram diffinitivam sententiam, illum declaramus incorrigibilem, juxta Decreta sancta Congregationis Concil. de Regularibus Apostatis, & ejectis; ordinantes ut unius anni spatio, in jejunio, & aliis pœnitentiæ operibus probetur in carcere; quo elapso, si nihilominus non resipuerit, sed animo obdurato in sua pervicacia, & morum corruptela perseveraverit easdem culpas committendo, ad expulsionem procedatur, juxta prædicta Decreta: & ita declaramus, dicimus, sententiamus, pronunciamus, & condemnamus. Volumus tamen, ut crimina, quæ multa Religiosi, maximè Superioribus imposuit, probare teneatur: committentes propterea Rev. Adm. P. Fr. N. Visitatori Generali prædictæ nostræ Provinciæ, ut de illis cognoscere possit, & Rev. Adm. P. Fratri N. prædictæ Provinciæ Provinciali executionem hujus sententiæ demandamus, præcipientes in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub præcepto formali, ut dictam sententiam sine morâ sigillatim exequi curet. Datum Romæ, &c.*

Sententia contra delinquentem convictum, vel confessum, cum expulsione.

FR. N. *Præpositus Generalis, &c. Omnibus præsentes literas inspecturis, &c. Justis de causis animum nostrum moventibus, habita prius cum PP. Definitoribus, in Generali nostro Definitorio, maturâ consultatione super causam, & processum juridicè factum Die Anno &c. contra Fratrem, vel Patrem N. nostræ Congregationis professum, qui in sæculo vocabatur N N. filius N. N. ex eorundem Patrum voto & sententia dolenies vehementer, & quasi necessitate compulsi, eundem Fratrem N. à nostra Congregatione expellimus, & dimittimus, expulsumque & dimissum declaramus, & condemnamus per triennium in exilium à Civitate N. (videlicet ejus patria) ut eo tempore non audeat ad dictam Civitatem, neque prope accedere sub pœnis, si contravenerit, arbitrio Definitorii Generalis denuo imponendis. Eundem Fratrem N. admonentes, nullatenus liberum à votis inter nos emissis, remanere. Item condemnamus prædictum Fratrem, ut per decennium nullis ordinibus insigniri possit, attestantes, apud nos nullum ordinem, neque primam tonsuram suscepisse (vel tales suscepisse, &c.) & pariter eidem strictè percipientes, ut habitu nostræ Congregationis nullo modo, & tempore utatur, sub pœnis & censuris per sæcul. recordat. Xystum V. contra habitum nostrum deferentes, latis. In quorum fidem, &c.*

Sententia contra processatos Apostatas.

FR. N. Præpositus Generalis, &c. Omnibus præsentes literas, &c. Ratio nostri officij exigit, atque efflagitat, ut bono, & quieti Congregationis nostræ modo nascentis consulamus, & membrum sapè (incassum tamen) uti Babylonem curatum, de cujus salute spes nulla sit, ne reliquum corpus morbo suo inficiat, rescindamus. Idcirco nos idem Fr. N. Præpositus Generalis, visis informationibus, & processu factis in causa, & pro correctione Fratris N. nostræ Congregationis professi, qui in sæculo appellabatur N. de tali loco: visa denique ipsius incorrigibilitate, post habitam cum RR. Admodum Patribus Definitoribus Generalibus, maturam consultationem, ex eorum voto, & sententia, dolentes vehementer, & necessitate compulsi, iuxta facultatem in Constitutionibus Congregationis præditæ nobis conissam, Christi nomine invocato, eundem Fratrem N. uti incorrigibilem expellimus, & expulsum à Congregatione nostra declaramus, & sententiamus. Hortamur autem in Domino præditum Fratrem N. (prout Patres decet) ut à pertervia, & incorrigibilitate hucusque cum scandalo offensa respiscat, si materna viscera misericordia Congregationis nostræ ipsum expectantis (velut Pater piissimus filium prodigum) experiri voluerit, & ad gregem Beatissimæ Virginis MARIAE (si erraverit) reduci. Stricte vero præcipimus eidem Fratri N. quamdiu à Congregatione nostra absuerit, ne habitu Religionis nostræ ullo modo utatur, sub pœnis & censuris per fœlicis recordationis Xystum V. contra habitum nostrum deferentes latis. Executionem autem hujus sententiæ R. Patri Fratri N. Priori Conventus N. ubi præditus N. in carcere detinetur, committimus, & mandamus. In quorum fidem, &c.

Finis hujus Operis.



IESVS,

IESVS, MARIA, IOSEPH.

EPISTOLA

Reverendi Patris nostri THOMÆ à IESV,

Scripta nostro Patri Ioanni à S. Hieronymo, *Visitatori Generali & Provinciali Germaniæ, Romæ & Neapoli primario Professori nostræ Congregationis,*

DE REGIMINE PRÆLATORVM.

QUotiescunque materiam, gubernium concernentem, modumque alios regendi pertracto, maximo metu ac timore percellor; cum enim diversos hac in re defectus à me commissos perspiciam, non ausim alijs de eâdem doctrinas impertire. Ad jussionem tamen R. V. quid de illa sentiam, breviter explicabo, partim è doctrinis SS. Patrum, partim ex ipsa experientia, hausta ex observatione normæ, quam alios in modo regiminis observasse animadverti.

E sanctis primus occurrit D. Bernardus, qui solidè admodum partes ac officium Prælati, paucis verbis est complexus, ac in tria puncta digessit: Primò in bono exemplo refulgeat; deindè ut orationis studio sedulò incumbat; denique ut non solùm subditis virtutis specimen præbeat, & orationis præsidio suffultus, eos regat & gubernet; verùm etiam ut partu doctrinæ eos pascat. Quæ quidem res adeò inter se connexæ sunt & concatenatæ, ut una harum ab alia necessariò dependeat; doctrina enim, ac institutio absque orationis & exempli præsidio, erit tanquàm vas sonans, & cymbalum tinniens: deficiente namque bono exemplo, & studio orationis, quæcunque doctrina, tametsi altissima sit, occasionem parit potiùs murmurationis, quàm fructus & emolumenti.

Huic doctrinæ adjungo aliam ejusdem D. Bernardi, non minùs quàm prædicta, necessariam; ut nimirum Prælatus os habeat blandum, sed manum rigidam & severam, id est, ut modus ipsius agendi & procedendi, sit suavis & dulcis, simul tamen & severus & integer in ordine ad legum suarum observantiam, quod duobus verbis comprehendit David dicens: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc dabit legem delinquentibus in via.* Unde Christus Legislator est præcellens, quia dulcis & rectus: rectitudo enim, & integritas absque suavitate, est rigor intolerabilis: suavitas sine rectitudine in relaxationem facilè vergit, ut proindè necesse sit, si Prælatus velit, suum gubernandi modum, efficaciam sortiri, prudentiâ is polleat, duo hæc inter se miscendo; quemadmodum acredo dulcedini in malo punico, seu Granato jungitur: quod si totum acre & acerbum foret, manducari vix posset, si totum dulce, minùs sanitati conduceret, nec gustui & palato admodum arrideret. In cujus confirmationem affatus est Spiritus sanctus, quod sapientia omnia attingat à fine usque in finem fortiter, & disponat omnia suaviter; id est, quia disponit omnia suaviter: est tam potens, ut attingi faciat ab uno ex remo ad aliud, ut est ex hominibus Angelos efformare, imbecilles ac languidos fortes reddere ac robustos, imperfectos perfectos: quod proprium est Superiorum officium.

Prælatus non solùm sit Pater suorum subditorum, sed etiam oportet ut talem per amorem palam se, ut subditi eum percipiant, exhibeat; Exhibebit autem in duobus præcipuè, ad quæ seu capita quædam, totum Superioris gubernium reducitur: unum temporalia respicit, spiritualia alterum. Quoàd primum, tenetur sufficienter subditis providere in temporalibus, ne quid eis, sive sanis, sive infirmis necessarium desit.

Non convenit Superiorem expectare, donec subditi eum conveniant, eique suas necessitates ipsi manifestent, sed has præveniat, si eas exterius cognoscat; si verò internæ sint, ut cognoscere eas nequeat, præcipiat ut ipsas aperiant. Attendat vultum subditi, & ad instar matris, si quem macilentum & confectum, vel alia indispositionis alicujus indicia deprehenderit, eum amore jubeat, ut, quod malum patiatur, detegat. Dici non potest quantùm devinciatur subditus, dum cernit illam Superioris sollicitudinem & amorem, adeò ut interdum pro levi aliqua sublevatione, quam illi, non petenti, superior sponte suâ indulget, mantipium effectus esse videatur, modus tamen in omnibus servetur & prudentia. Studeat consolari subditos, & sæpe desiderium demonstret eos oblectandi in iis rebus, quæ Regulæ constitutionibus, bonisque moribus non repugnant, quod si oportet Superiorem deflectere in unam partem, potiùs ad charitatem inclinet, sic enim minùs errare poterit.

Intelligant sciantque subditi, bonam Superiorem de se habere opinionem, & quod magnam adhibeat curam tegendi defectus & imperfectiones illorum : eosque honoret, quoad poterit apud Superiores ac cæteros defendat.

Non solùm agat cum ipsis amorosè : sed etiam cum urbanitate religiosa, perinde ac si quilibet illorum valde ambitiosus esset, & honoris sui, & famæ cupidus, & hoc punctum valde devincit & conciliat animos, ut conservetur amor, & mutuus erga Superiorem affectus ac confidentia quod est summè necessarium ad promovendum subditum ; uti docuit S. Bonav. in opusculo parvo cap. 26. ubi ait: *Deferre similiter sociis honorem, charitatis Fraternæ fomentum est conscientiæ bona illustre, evidensque argumentum.* (sequitur) *vix nisi socio deferas cum ipso proficies.*

Conetur esse valde exactus, sed fidelis in verbis & promissis, nec utatur artificioso sermone & æquivocatione ; nihil enim, hac viâ procedendo, proficiet.

Non facile credat murmurationibus; neque se dirigat secundum illos, qui nimium habent zelum, vel qui passione contra aliquem moventur sive urgentur, similia enim alios solent inquietare.

Studeat magis amari quàm timeri: quod si oporteat declinare in unum ex his duobus extremis, nec in medio possit existere, plus ad amorem quàm timorem declinet.*

Quod autem ad spiritualia attinet, maximam debet adhibere studium, quod in Cœnobio vigeat pax & observantia. Et quidem pro retinenda pace, multa oportet eum devorare & sufferre: nam pax in Communitate, bonum est incomparabile, & observantia sine pace, est vita remigantium in triremibus, seu, ut melius dicam, est inferno propria, ubi quidem obediunt, sed simul moriuntur, obiendoque vertuntur in rabiem.

* Non prodat singularitatem aliquam cum quocumque : ea enim est causa plurium damnorum, nam dum particulari affectu erga aliquem fertur universalis omnium reliquorum Pater esse desinit.

Si adverterit subditorum aliquem aversione seu repugnantiâ contra se laborare, præcipuè si adsit periculum aliquod seu occasio offendendi Deum, seriò illum Deo commendet, speciatim pro illo orando. Et possum in veritate dicere (experientiâ edoctus) quod nihil ita subditum adjuvet, quàm oratio Superioris. Nec tamen hoc satis erit : quin etiam, si talem malè contentum & affectum reperatumque perspexerit, quidnam illum malè habeat, inquirat, eique loquatur, & cum illo agat ingenti cum amore & charitate : remittat sæpe brachium & potestatem suam, cedat juri suo, ne pauper subditus suis se dedat passionibus, viamque salvationis sibi intercludat.

Non nimiùm zelosus sit, quia talis numquam requiescit, prout S. Benedictus ait in sua Regula, vigilare quidem eum decet supra subditos suos, sed cum prudentia & discretione.

Quando reprehendet & corripiet, tempus opportunum & occasionem observet, & quod magnâ prudentiâ opus est; non enim omni tempore convenit reprehendere, nec fieri id potest nec debet : quæcumque subita & repentina emendatio amplius nocere, quam prodesse consuevit; hac enim subditus exasperatur, & quandoque, deperdito respectu, solet in faciem superiori resistere. Reprehensiones igitur quoad fieri potest differat, ac pro Refectorio, & Capitulo reservet: nescio enim quam nam superioritatem, & quale pondus in istis locis Deus superioribus addat, ad hos actus rité exercendos, & quamnam humilitatem, & submissionem animis subditorum imprimat. Unde dicere & concludere possumus, Deum velle, ut his in locis culpæ & defectus coarguantur. Quod si adverterit ex subditi dispositione longiori tempore correptionem differendam, differat : non enim Deus obligat superiorem ad reprehendendum tantùm, sed ad reprehendendum tempore opportuno, maturâ occasione, & tempestivâ : id igitur ita faciendum, nisi exactoris curialis munere fungi velit, dicentis : fecisti hoc, sol : attamen si desperes, vel teipsum condemnes. Potestas Religiosa nobilior est, & præcellentior, ingenua & subtilis, tempus, occasiones opportunas requirit & tempestivas. * Quod non faceret suavitas; quod est Ecclesiæ testimonium de prudenti & recto prælato, qui blandimentis præditus, lenitate plenus, omnium subditorum in Deum provocavit affectum. Ad modum corripiendi pertinet suavitas, ponderatio culpæ in generali, abstrahendo personam delinquentis ; quandoque culpam excusare, non proferre verba pungitiva, hæc enim animos valde solent exasperare ; & dum hinc unum vulnus, & plaga curari inditur, certum infliguntur, ficque theriaca in venenum convertitur.*

In reprehensione tres sunt gradus: primus est ad amorem; secundus ad ruborem: tertius ad dolorem ; id est, in primo gradu, totum debet esse amor, quod denotat, secundum S. Augustinum, verbum *corripere*, quod idem est ac *corripere*. Tali modo igitur corripiamus, ut corripiamus & animos furemur secunda correptio causabit aliquam verecundiam & confusionem ; quam si non subsequatur emendatio, emendabit, & castigabit pœnitentia ipsa juxta culpæ gravitatem. Adverterat autem Superior, ne reprehenda culpam aliquam, de qua non sit bene informatus.

Post correptionem culpæ, benignitatem & lenitatem ostendat Superior, ne videatur punivisse ex ira & cholera, sed ex mero zelo Religionis, & spiritualis boni ipsius subditi, & exteriùs indicet, se animo valde illibenti, & repugnante ad corripiendum, & puniendum induci, & tantummodo ideò, ut satisfaciat Officio suo, & conscientiæ, ut proindè delinquens ipsi parcat & habeat excusatum.

Convenit ut superior secretum non violet, circa illa quæ illi subditi concredunt & dicunt, hac enim viâ valde ab ipsis amabitur, ut suas tentationes, & alia interiora cum ipso communicent & parefaciant.

Exhibeat se suavem in suo modo agendi; ut quilibet subditorum audeat cum ipso interiora sua conferre ac pertractare, cui rei magnam adhibebit curam ; & valde seriò studeat profectui spirituali subditorum, cum Deus illi mandaverit ut colat vineam suam, & sciat jux-

ta

ta culturæ qualitatem, & fructus producendos.

Tandem, tam principium quam medium, & finis felicis regiminis, à continua superioris oratione dependet, quâ Deum duo rogabit indesinenter; Primò, ut sibi lucem impertiatur ad gubernandum oves ab ipso sibi concreditas: secundò pro subditorum spirituali profectu. S. Bernard. Epist. 201. *Ergo in his duobus mandatis verbi scilicet atque exempli, summam tui officij, ad consientiæ securitatem pendere intelligo. Tu tamen, si sapis, jungas & tertium: studium videlicet orationis; ad complementum utique trinæ illius repetitionis in Evangelio de pascendis ovibus*; pasce oves meas. *In hoc noverit illius Trinitatis Sacramentum in nullo frustratum à te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas & sanctarum fructu orationum. Manent itaque tria hæc: verbum, exemplum, oratio: major autem his est oratio. Nam etsi (ut dictum est) vocis virtus sit opus, & operi tamen & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio.*

Finis Epistolæ.

JESUS MARIA JOSEPH.

QUÆSTIO:

Vtrum Rex vel princeps aliquis catholicus possit permittere libertatem conscientiæ in suo Regno?

PRimo videtur subjectis rationibus probari non posse, principem Catholicum illam sine gravi peccato permittere.

1. Est ob grave scandalum quod exinde emergeret, assumere possent ij omnes, ad quos illius facti notitia deveniret.

2. Ob periculum quod immineret (debilioribus præsertim) qui facillimè possent pervertì.

3. Quia ejusmodi libertas notabiliter interturbaret pacem publicam, ac mutuam subditorum inter se unionem, ad cujus diuturnam conservationem nihil ita conducit ac unus ac idem in omnibus ejusdem Dei cultus, unus Dominus, una fides, unum baptisma: ad quam unionem nos invitat Apostolus *Ephes.* 4. dum ait: *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis:* sicut econtra nihil ita nutrit rixas, & dissidia, & tumultus in populo excitat ac permissa religionis libertas.

Quæ quidem ratio confirmari potest exemplo Juliani Apostatæ, de quo refert Damianus Marcellinus *lib.* 22. quod ut Religionis Christianæ cultum aboleret, permiserit unicuique liberum cujuscunque religionis, quæ sibi magis applauderet, exercitium, prævidens fore ut ex hac Religionis diversitate orirentur multæ dissensiones, & sic paulatim religio Christiana penitus extingueretur: cujus quoque rei meminit expresse sanctus Augustinus *Epist.* 166. his verbis, eo modo putans Christianorum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, invideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret.

Ultima est ratio, quia impossibile est perfectum servari inter Catholicos & Christianos unius & ejusdem reipublicæ unionem, ut patet experientia ex ijs, quæ gesta sunt nostris temporibus in Gallia & Germania, quippe cum hæresis soleat universum provinciæ, qua grassatur, statum subvertere, ac varias rerum mutationes inducere, ut fusius explicat Pater Ribadeneira *lib. 1. de principe Christiano à cap. 12. usque ad 28. & cap. 29.* enumerat varia punitionum genera, quibus Deus castigavit principes & regna propter hæresum permissionem.

Ribadeneira libro 1. de principe Christiano.

His & alijs, brevitatis gratia omissis rationibus videtur clare ostendi, principem Catholicum non posse sine gravi culpa permittere libertatem conscientiæ.

Ut autem huic quæstioni distinctè & clarè respondeam, advertendum est illam in triplici sensu intelligi & usurpari posse. 1. Est, an liceat principi, vel regi pacifico alicujus regni, in quo viget catholica religio, Dominium possidenti (qualis est rex Hispaniarum in Hispania, & in his statibus) permittere prædictam libertatem, dando plenam potestatem unicuique credendi, quod sibi magis arriserit.

Pro quæstionis intelligentia notandum.

2. Sensus est, casu quo in toto regno vel majori illius parte prævaleret hæresis, sicut de facto contingit in aliquibus provincijs imperatoris Dominio subjectis.

3. Quæstionis sensus est, casu quo Rex aliquis, vel princeps haberet quidem jus ad aliquam provinciam, veruntamen ob subditorum rebellionem nullam ipsius possessionem vel administrationem obtineret, nec moraliter, loquendo

quando ullatenus speraret illam vi armorum (ob nimiam scilicet adversariorum potentiam) recuperare, sicut de facto videre est in provincijs Hollandiæ, quarum etsi Rex Hispaniarum sit verus & legitimus Dominus, tamen quia sese illius imperio rebellem præbuerunt, modo illarum incolas pro subditis & vasallis infensissimos colonæ suæ hostes reperitur.

Hac igitur distinctione præsuppositâ breviter propositæ difficultati tribus conclusionibus respondendum.

Conclusio prima.

Dicendum 1. Quod in illis provincijs catholicis, quarum Rex habet pacificam possessionem, gravissimè peccaret, si libertatem conscientiæ permitteret, ut patet ex rationibus supra allatis, & ita certa est hæc propositio, ut de illius veritate à nullo catholicorum sine aliquâ temeritatis notâ dubitari possit, ut multis docet Andreas Erstenberghenius in quodam lib. o supra hanc materiam à se conscripto 3. ubi doctissimè probat libertatem conscientiæ esse omnimodam totius religionis ruinam, ac legibus tam divinis quam humanis contrariam, Reipublicæ ac nostræ fidei & sanctæ matris Ecclesiæ certitudini omnino contrariam; nec quidquam bono publico pernitiosius reperiri posse, quam si Rex vel princeps permittat unicuique credere, quod sibi magis placuerit. Et quamvis hæc propositio sit universalis, & ad omnes Catholicos principes indifferenter extendatur, multo tamen magis specialius afficit Reges Hispaniarum quam alios, ratione alicujus decreti concilij Toletani 6. p. ubi cap. 3. ex unanimi Quinthiliani & omnium regni procerum consensu, mandatur omnibus, qui deinceps Regni gubernacula susceperit, jurare, ut inprimis, & ante omnia solemne præstet Juramentum, se non tantum fore catholico, sed nec ullatenus permissuros, ut quispiam in suis regnis degat, qui Catholicam religionem profiteri recusarit. Et alioquin excommunicat & anathematizat. Idem concilium eos reges qui huic decreto contravenire præsumpserint, damnat, cujus ea sunt verba: quo circa consonam cum Rege & corde & ore promulgamus Deo placituram sententiam simul cum suorum optimatum illustriumque virorum consensu & deliberatione sancimus, ut quisque succedentium temporum Regni sortiretur apicem, non ante conscendat regiam sedem; quam inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, hanc se catholicam non permissurum eos violare fidem. & paulo inferius addit, ergo postquam ordine præmisso ad gubernacula accesserit Regni, si ipse temerator extiterit, hujus promissi sit anathema & maranatha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, simul cum eo damnatione perculsi quicunque sacerdotum, vel quilibet Christianorum ejus implicati fuerint erroris: hactenus concilium.

Illud vero summopere considerandum est circa hoc decretum, quam justo titulo Reges Hispaniarum (ut bene advertit Eminentissimus D. Cardinalis Baronius *Tomo 8. suorum annalium circa annum Christi 628. Honorij Papæ XIII.*) Regis Catholici nomen usurparint, quandoquidem à seculo 678. Id est ab anno secundum Genebrardum, in sua Chronologia 625 & secundum Baronium 638, jam ferè ab annis mille, non tantum jurant se fore catholicos, sed nec ullos in suis regnis admissuros, qui catholicus non fuerit. Ex quo videre licet, quam antiquus sit ijs Regibus Hispaniarum fidei Catholicæ zelus, & quam justa & antiquæ ipsorum adversus infideles indignatio.

Baronius

Genebrardus

2. Dicendum 2. Si major vel potior pars Concilio Regni esset hæresis labe infecta, nec possent evelli zizania, nisi cum illis eradicaretur & triticum, vel sine periculo Regnum amittendi, aut nova bella suscitandi, & universum Regni statum innovandi, tunc potest princeps cum hæreticis dissimulare, liberum ipsis Religionis suæ exercitium permittendo. Docet enim prudentia Christiana quandoque cum hæreticis dissimulandum esse, præsertim si alioquin plus detrimenti quam emolumenti Catholicis referaret, idque ex mente sancti Augustini qui explicans illa verba *Matth. 13. ne forte cum vultis colligere zizania eradicetis simul & triticum, lib. 3. contra Parmenianum cap. 2. Tom 7.* Asserit quod ubi desunt vires ad eradicanda zizania, vel quando periculum ne ex ejusmodi eradicatione plus damni sequatur, quam commodi, tunc relinquenda esse zizania, & per totum illum librum, præcipuè tamen cap. 2. satis probate intendit, quod casu quo major damnum sequeretur, dissimulandum esse cum hæreticis, quos nomine zizaniorum vult intelligi, ac tandem hoc modo concludit: *non propter malos boni deserendi sed propter bonos mali tolerandi sunt*; quæ sententia refertur in decreto 23. q. 4. Cap. *cum quisque.* & cap. *non potest.* Quam Augustini hac in re sententiam expresse sequitur Sanctus Thomas 2. 2. q. 10. art. 3. ad 1.

S. Augustinus

Dicendum 3. quod in illis provincijs, ubi de facto prædominatur hæresis, quarum Rex & princeps nullam possessionem aut administrationem habet (qualis est se modo habet Rex Hispaniarum in statibus Hollandiæ) casu quo se regis imperio submittere vellent ea conditione, quod liberum ipsis religionis suæ exercitium relinqueretur, non tantum posse principem Catholicum, sed etiam in conscientia teneri permittere ejusmodi libertatem, præsertim si nulla sit spes moraliter loquendo illas, vi armorum subjugandi. Quæ res est manifesta, quia in tali casu (si bene res expenderatur) Rex non concedit libertatem conscientiæ hæreticis, quam ipsi de facto habent, sed solis Catholicis, quorum non exiguus est numerus, & hoc Rex non tantum potest sed obligatur facere, si se offerat occasio ob sequentes rationes.

Conclusio tertia.

1. Tempore quo conclusæ fuerunt induciæ inter Regem Catholicum & status Hollandiæ, multis apud illos rex institit, quatenus vellent liberum Catholicis Religionis catholicæ exercitium permittere, quod semper recusarunt, & ita Rex non sine dolore & omnino invitus debuit cum ipsis re infecta pacisci, & pro toto inducierum tempore subditos suos Catholicos sub dura hæreticorum captivitate relinquere: si nunc ergo Regi super novas inducias vel pacem absolutam offerre vellent eâ conditione, quod ipsis permitteretur libertas conscientiæ vel alia similia, non est dubium quin Rex ejusmodi inducijs vel legi libenter subscriberet, etiamsi ad annos quinquaginta protendi deberet: cur enim Rex tali vel forsan meliori conditione invitatus recusset acceptare gubernacula unius provinciæ, quæ suo imposterum parere cupit imperio?

Præterea

Præterea Rex Chriſtianus tenetur obligatione quadam naturali procurare ſubditorum ſuorum bonum non minus ſpirituale quam temporale. Quidni ergo tenetur ſubditos ſuos nonnullis conditionibus ad ſe revertentes in ſuã tutelam recipere? præſertim tamen ſi id ceſſurum ſit in magnam non tantum ſubditorum, ſed ipſius regis ac totius Eccleſiæ & Chriſtianitatis utilitatem.

1. Si de ſubditorum profectu ſermo ſit, id per ſe patet, nam quid ipſis conducibilius evenire poſſet, quam recipi in tutelam tanti principis, ita potentis, ita catholici, qui ipſos ab inimicis ſuis fortiter tutaturus ſit, & ſemper in ijs quæ ad ſalutem æternam conducunt promoturus; Catholicis magnum exinde lucrum accedet eripiendi ſcilicet à miſerabili illa ſervitute, ſub cujus jugo coguntur vivere afflicti & anguſtiati, privati omnibus honoribus ac officijs publicis ſolo catholicæ religionis prætextu, ac tandem fruituri publica libertate Eccleſiæ in alijs provincijs eidem ſanctæ matri Eccleſiæ ſubditis uſitatâ. Hæretici verò inpoſterum perpetua pace gaudebunt, & forte paulatim ab hæreſi ad Eccleſiæ gremium revertentur: ſolent enim hæreſes ſucceſſu temporis omnino extingui, ſicut rubigine ferrum conſumitur, præſertim tamen à fide catholicâ aberrantes, ſi à principe pio & Catholico ſuaviter tractentur.

2. Utiliſſimum erit ipſi regiæ majeſtatis perſonæ, nam ultrà quod patrimonium ſuum recuperabit, paulatim etiam ſubjugabit hoſtes ſibi infenſiſſimos, qui ipſum vi & armis undequaque adoriuntur; & ita liberius & fructuoſius (majoribus videlicet copijs) inſultare poterit alijs eccleſiæ adverſarijs nec non Indias tam Orientales, quam Occidentales (in quibus tamquam in radice conſiſtit univerſa corona Hiſpanicæ Monarchiæ) ſecurius tutari, & quos prius minimos habuerat de die in diem magis atque magis fideles ſubditos & amicos experietur.

3. Cedet in magnam ſanctæ matris Eccleſiæ utilitatem, quæ ſacra fidei catholicæ vexillanovis in locis hactenus derelictis plantabit, erigentur templa, fundabuntur monaſteria, creſcet in dies ſingulos divini cultus obſervantia, debita ſummo pontifici obedientia publico omnium applauſu exhibebitur, Deus laudabitur, glorificabitur, & prædicabitur ſicut in alijs provincijs Chriſtianam fidem profeſſis.

Objicies

Etſi aliquis objiciat non eſſe facienda mala ut eveniant bona, nec debere regem concedere libertatem conſcientiæ, quæ tantopere concernit bonum publicum, etiamſi ex illa multiplex fructus reſultet, facile reſpondetur Regem nullatenus peccare permittendo ejuſmodi libertatem, quin potius rem Deo ac Sanctæ matri Eccleſiæ gratiſſimam præſtare: Rex enim (ut ſuprà notavimus) non dat hanc libertatem hæreticis ſed Catholicis; quin imò, & ſi de novo illam permitteret, eo in caſu bene faceret, quippe qui permitteret minus malum ad vitandum majus, & ſineret zizania, ne fortè cum ijs eradicaretur & triticum, quod ita faciendum eſſe docet Auguſtinus ſupra citato loco, præcipuè ubi non eſt aliud remedium ad evellenda zizania, quæ de facto impediunt, quo minus poſſet creſcere & meti triticum.

Reſpondetur.

S. Auguſtinus.

Advertendum

Illud tamen prætereundum non eſt quod in caſu tam in 2. quam 3. Concluſione poſito (ubi oſtendimus licere principi catholico concedere libertatem conſcientiæ) nequaquam debeat illam princeps proprio motu & arbitrio, quando vel ubi voluerit permittere ſine prævio ſanctæ ſedis Apoſtolicæ conſenſu, ut eruditiſſimè advertit doctiſſimus pater Maldonatus in Matth. Cap. 3. num. 26. his verbis: *admoneo non licere principibus iſtas quas vocant conſcientiæ libertates nimio noſtro tempore uſitatas hæreticis dare, niſi prius Eccleſia, aut is qui Eccleſiæ caput eſt, Romanus Pontifex in Chriſti perſona, & tanquam paterfamilias judicaverit non poſſe evelli zizania, niſi ſimul & triticum evellatur, & è re Eccleſiæ eſſe, ut uſque ad meſſem permittantur utraque creſcere, hujus enim rei non principum, qui patrisfamilias ſervi ſunt, ſed ipſius patrisfamilias, id eſt Eccleſiæ gubernatoris Judicium eſſe debet.* Rationibus autem ſupradictis pro parte contrariâ adductis reſpondetur illas procedere caſu quo princeps eſſet in pacificâ poſſeſſione ſui Regni, ut conſtat ex primâ concluſione, & ſic patet ſolutio ſub correctione doctiorum.

Maldonatus in Matth. cap. 3. num. 26.

F. Thomas à IESV.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
Quæ hoc primo Tomo continentur.

A.

ABdias propheta discipulus fuit Eliæ Fol. 427. column. 1. a
Absolutionis potestas qualis sit concessa missionarijs. 364. 366
Abstinentia ciborum vetitorum. 387. b.
Carnium. 459. b.
Abstinentia carnis usitata apud carmelitas Discalc. 544. 546
Mirabilis olim fuit monachorum abstinentia 547. a
Vide *Caro*.
Abyssinorum natio, ritus, errores, & modus eos juvandi 159. 163. 165. 180.
Circumcisio illis usitata an permitti possit. 164. a quomodo cum ijs conversandum, & instruendi in fide. 204
Accusatio proximi debet fieri charitative & humiliter. 541. a. quid sit. 685. b
In quo differat à denuntiatione juridica. ibid
Accusatio inducit obligationem probandi delictum. ibid.
Et debet fieri in scriptis. ibid.
Modus deferendi culpam via accusationis ib
Accusatio in plurib⁹ locis non admittitur 686. a.
Emendatus in foro conscientiæ potest accusari, ut puniatur propter bonum commune 694.
Accusator tenetur probare delictum sub pœna talionis 685 b.
Non potest esse testis ejusdem delicti. ibid.
In quo differat à denuntiatore. 700
Acquisita injustè an monachus aut monasterium possint retinere 615. b.
v. Monachus, Monasterium.
Actus interni an possint præcipi. 509. b.
Administratio bonorum quid & quotuplex sit. 654. a.
Perpetua olim erat in monasterijs. 654
v. Prælatus.
Adulterium Mahometistæ permittunt. 293. a.
Ædificiorum apud monachos sumptuositas damnatur. 661. a. b.
Ægrorum cura. 530.
v. infirmi.
Ætas in distributione necessariorum respicienda: & quis senex? 529
Æthiopum natio, & origo linguæ 162. b.
Quomodo cum ijs agendum in conversione. 204. 553.
V. Abyssini. Gentes. India.

Affinitas orta ex baptismate. 205. b.
v. Matrimonium.
Africæ status quoad Religionem Christianam. 5.
Quando & à quibus ad fidem conversa. 6. b
S. Albertus Carm. ordinem restituit 420
Primitivam regulam Carmelitis tradidit. 444. 454.
An fuerit Carmelita ibid.
fuit animarum zelator 465
à quibus pontificibus ejus approbata regula. ibid.
Alcoranum Mahometicum quis scripserit. 278. 279.
Non est à Deo. 285. b
Irrationabile & mendax est. 287. a.
Ejus mendacia & ridicula referuntur. 288. b.
Continet contraria, & permittit peccatum contra naturam. 291. a. b.
Adulterium quoque & polygamiam 293
Lex ejus iniqua & violenta. 295. b. 308.
Dicit quemque in sua fide posse salvari 294. b
Quomodo propagatum. 295. b
Continet confusum chaos. 296. a
Comparatur ejus lex cum Christiana. 301. 304.
Cur errores non facile in illud irrepunt. 313. a
Eum memoriter ediscunt Turcæ. ibid.
Quomodo eum refutarit Pius II. 314. 314
Alexandrinæ ecclesiæ ritus, errores, natio 157. a
Modus eam juvandi 158. a
Primos ibidem monachos instituit S. Marcus. 457
Aloysij Bertrandi sanctitas, & miracula. 676
Altari portatili possint uti missionarij. 365
S. Ambrosius noluit cum Augustino disputare. 69.
Americæ status quoad religionem christianam. 6. a
Amore vincendæ sunt gentes 77. a. b
Amor Dei erga homines. 336. a
Amandi Deum causæ. 342. a. 343
Amor Dei & proximi necessarius 382. 420
Quid sit Deum diligere ex toto corde. ibid.
Amor sit ordinatus. ibid.
S. Angelus insignis fuit animarum zelator 465. a
Anima corpori præhabenda 346
Animæ vita Charitas est. 420. a
Dei sponsa est. 568. a
Animæ rationalis præstantia. 7. a
Animæ prodigio. 201
Immortalitas eius & appetitus 340

Animæ SS. an beatæ ante diem judicij 118.b
Animarum salus quantum procuranda. 3. *In prologo.* Quam excellens si hic labor. ib. Commendatur exemplo & doctrina Christi. 9.b
Et Sanctorum V. & N. Testamenti 11. a. b
In animarum zelatorem omnes influunt virtutes, quæ enumerantur. 13. b. Quanta in eo sit charitas, & quàm utilis sibi sit. 16. a
Spectat animarum salus ad omnes Christianos. 18. a. b. Eam procurare quàm sit jucundum. 19. a. Ad eam promovendam tenetur summus Pontifex. 21. Et Principes. 27. a. b
Et omnes religiosi. 29. a. b. Animarum lucrum quid impediat. 81. b. Hoc quomodo tollendum. 82. Quid agendum, si animarum lucrum non succedat. 83. An conveniat Carmelitis. 460. a. b. Quantum hi fructum fecerint. 463. a. Animarum zelatoribus Deus mirè providet atque 472. a. *V. Fides, Gentes, Ministri, Missiones, Religio, zelus.*
Animalia quæ licitè possint habere Religiosi 532
Antiochia per quos conversa 25. b
Antiquitas ecclesiæ Romanæ 223. a
Apostasia absque infamia præcedente potest juridicè inquiri à Judice. 709. b. Ad eam parum refert habitus dimissio 743. b
Apostatæ an recipiendi. 365. Quis censeatur? 743. a. In quo differat à fugitivo Ibid
Apostoli quales converterint provincias. 57. b
Quales esse deceat. 282. 283. Eorum coadjutores Carmelitæ 438. 465. Et Mendicantes. 668. *V. Missiones, Operarius.*
Appellatio à correctionibus Prælatorum Ordinis non conceditur Fratrib. Franciscanis. 734
Appellare à proprio Generali non licet Patribus Carmelitanis, & Augustinianis ibid
Appellatio à mandatis Prælatorum Ordinis non conceditur Religiosis, neque Monialibus Ord. S. Domin. sub pœna Excommunic. ib.
Appellatio à correctione propriæ Regulæ non conceditur PP. Soc. Jesu. ib. Fratr. Ord. S. Fr. de Observantia ad quem liceat appellare. ib.
Appellantibus ad externos quæ pœna decernatur per nostras Constitutiones. ib. Quomodo sint intelligenda Privilegia Summ. Pontificum, quæ prohibent Regularibus appellationes. 735. a. Quando sit permissum Religiosis appellare. ib. Quomodo in casu licito appellatio sit instituenda. ib.
Appellatio Rei quando non recipiatur. ib.
Appellatio quando sit Reo concedenda ibid
Appellantes ad sæcularia tribunalia quam pœnã incurrant secundum Statuta Ord. Min. 741. a
Appetitus hominum varij 340. b
Approbatio prælati qualis requiratur 642. 644
V, Consensus, Licentia.
Aquæ benedictio pro baptismo 400. b
Arabica lingua ubi necessaria. 313
Arbitrium liberũ est fundamentũ dominij 595 b
Armis an procuranda gentium conversio 55. 56
Arma Turcis deferentes excommunicantur 320
Armorum felicitas non probat legem Mahometicam esse veram 309. b. 310
Armenorum natio & errores. 173. b. 180.
Eorum ritus & jejunandi modus. 174. a. b
Unio eorum cum ecclesia Rom. 175
Quomodo cum ijs agendum 204
Artem suam quisque laudat 476 b
Asiæ status quis sit quoad religionem 6. a
In ea fides per quos propagata 25. a
Augustinianorum ordo commendatur 471. b
Azymus panis *V. Eucharistia, Christus.*

Baculus quid spiritualiter significet 443. b
Baptismus solus non sufficit, nisi adsint bona opera. 380. Ritus solemnis in baptismo adulti. 396. a. Baptizare an liceat filios infidelium invitis parentibus. 94. a. Baptismus maronitarum 205. b Baptismus Orientalium an tolerandus 214. b. Missionarij qualiter possint baptizare. 365. Quando baptizandi catechumeni. 376. a. 379. Ordo & Ritus baptizandi. 398. a. b. Tempore necessitatis 401. a. Aquæ baptismi benedictio. 400. b.
Barbari quomodo humani mores sint docendi 350 Et reducẽdi ad fidẽ. 351. sunt incõstantes 352. b
Beatitudo hominis in quo sita; an in voluptatibus? 297. 298. 228. 350. a *V. Finis, Homo.*
Beati. *V. Sancti.*
Belligerantium conditio describitur. 565. b
Benedicere paramẽta an liceat missionarij 365 b
Benedictio salis 398. b. Aquæ pro Bap. 400. b
S. Benedictus totum orbem sua illustravit prædicatione. 35. a, Regulam suam non petijt à Pontifice aprobari 455. *V. Regula.* (34. a
Benedictini quid præstiterint in convers. gẽtiũ
Beneficentia erga infideles necessaria est animarum curatoribus 75. a. b
Beneficiatus monachus non monasterio, nec ordini, sed ecclesiæ acquirit 618. a. 625. a
S. Birgittæ revelatio de cõvertendis Græcis 133. a
Bohemia per quos conversa. 24. b
Bona sequuntur personam, quomodo intelligendum 600. a. An post professionem cedant monasterio. 612. Bona monasterij ad quem pertineat distribuere. 527. Eorum dispensatores quales habeant facultates. 527
Æqualiter & discrete distribuenda 528 529
Bonorum contemptus. 418. 419 Boni fidei commissi si gaudeat monachus, quid agendum. 613. b. Si adventitij? 614. Bona mobilia & immobilia quid sint 654. Quinam ordines possint illa possidere 669. Monasterij bona non potest prælatus in superfluos usus impendere. 659. *V. Prælatus.* Bonum commune præferendum privato 689 a.
Bonum hominis triplex assignatur 680. b
Breviarium Carmelitar. quale debeat esse 515
Britannia per quos conversa 24. a
Bullæ Cœnæ excommunic. Explicatur 320. b

Cæcitas magna Judæorum. *V. Judæi*
Eorum calamitates ob Messiam occisum comparantur cum hujus tẽporis calamitatibus Judæorũ 250
Calvinani. *V. hæreticus.*
Cantilenæ hæreticorum cavendæ 231. a
In Capitulis relig. quid fieri debet, & præfertim in Capitulis Carmel. 555. Culparum in ijs fit correctio ib
De quibus culpis debet ibidem fieri accusatio 537. a. b
Lites & rixæ in ijs cavendæ, 541. b.
Commendantur. 536. a. b
Captivitates Judæorum 251. 434. 435. *V. Judæi.*
Carceris genera diversa. 730. b Carcer ad custodiã qualis debeat esse. ib. Ad custodiã & afflictionẽ qualis? ib.
è Carcere sub nullo prætextu licet religiosis fugere 731
Quando adhibendus pro religiosis 739 quando liceat Priori in carcerare subditum ibid
Carcer quomodo cõstruẽdus juxta statuta Ord. M. ib. b
Permittentes reum fugere è carcere, qua int puniendi pœna juxta statuta Ord. Min. ibid
Carith torrens quid significet 421
Carmelitæ quid effecerint in conversione gentium 33
Apti sunt ad conversionem Græcorum. 128. 460. 461
Qualibus in hac gaudeant privilegijs 361. b
Carmelitarum ordo à quo institutus, & sub quibus regulis. 404. &c. Illius auctor Elias est, ibid. a. 405. Ubi institutus. 401. b. Quo tempore, & cur in Carmelo institutus 400. a. 430. Carmeli montes ubi Elias habitavit 405. Commoditates ejus 426. a 429
Primus Carmeli prior quis? ibid 490

Commoditates ejus 406.a.429
Primus Carmeli prior quis? ibid. 490
Carmelitarum constitutiones scripsit Joannes Patriarcha Jerosol. 406.b.413
Conversationem, habitum, perfectiones mutuati sunt ab Elia 407.427
Ordo Carmel. sub lege & gratia unus fuit ib. 435
Antiquissimus est, unde reliqui institutionem suam acceperunt. ibid. b
Durabit usque ad finem mundi 409. a. 429
Ob originem præcellit ceteris 410.a.478
Albertus eum fere lapsum primæ restituit regulæ ibid. b. 444. 447
Qualis hæc regula, & quamdiu servata. 411.a.b
Quando græcè scripta 415.a.b.
Carmelitici ordinis finis duplex 417
Primatius quis? 457.b
Carmelitæ sunt filij prophetarum 425. b
Cur positus à Carmelo quàm à Carith dicti 428
Ob religionis perpetuitatem in Carmelo plantati. 429.b
Descriptio vitæ Carmel. in monte 431
In eo pietas Carmelitar. 430
Mons ille quamdiu habitatus 431.462
Alia Carmelitarum habitatio ibid
Cur dicantur anachoretæ 432.a.458
Fuêre immunes à captivitate Israelitarum 434.b
S. Joannes Bapt. fuit carmelita, quos & instruxit 436
Jerosolymis fuit Carmelitarum monasterium institutum, ubi in Pentecoste multi eorum ad christianismum conversi 437. 438
Fuêre apostolorum coadjutores ibid. 465
à quibus instruuntur in rebus fidei 439
Carmelitæ primi voverunt virginitatem 440.b
Carmeli etymologia ibid
Orant mitti salvatorem ibid
Unde fratres Mariæ dicti? 441
Erigunt in Carmelo B. Virgini oratorium, & in patronam eligunt. ibid. 451
Habitus eorum, & mystica significatio 442.a
Regula eorum ab Innocent. IV. aucta 448.a
Mitigata ab Eugenio IV. 449
Definitio ejusdem 451.b
Quo tempore, & à quibus Pontificibus approbata 454.a.b
Ante Concilium Lateranense ordo hic approbatus fuit. 456.a
Orationi & contemplationi deditus 457. 458. 466
Agit vitam mixtam 460. 465.b
Quando in diversas mundi plagas propagatus 462. 470
Animarum salus illi à pontificibus demandata 463
Quantum in hac fructum fecerint 463.469
V. Theresia.
Variæ ejus missiones 470.a.b
Per orbem propagatur juxta revelationem S. Cyrilli & Catharinæ de Cardone 470.b
Hildegardis de hoc vaticinium 471.a
Quænã missiones illi maxime conveniant ib.
Carmelitarum regula an ex Basilio desumpta, & cur pauci ejus meminerint 474. b
Cur tam variè de Carmelitis scribant auctores 476.a
De religionis regulæque eorum perfectione & unde hæc desumpta 476.477
Eorum austeritates 479
Regula eorum obligetne sub mortali peccato *V. Lex, Regula*
Regimen Carmelitarum quale 490.b
Eorum monasteria quomodo & ubi erigenda 498
Cellarum constructio, & Prioris præcipue, deque ejus regimine 495. 501
Refectio eorum communis 496
In cellis & oratione debent jugiter manere 503
V. Oratio
Cur tam stricta ijs præcipitur cellarum custodia 505
quomodo die ac nocte debeant meditari 508
Qua ratione carmelita suæ satisfaciat regulæ
Et quando alumnus ejusdem in periculoso sit statu 510
Obligatio Fratrum hic eorum 511. 512. 513. 521
Qui ad Horas canonic. teneantur 511
Quo ad chorum? 514
Eorum breviarium quale? & qua festa ijs servanda 515. 516. 518. 519
Qualiter officium B. Mariæ V. legunt 520
De Paupertate Carmel. & abdicatione proprietatis 522
Debent habere omnia communia. 525
An & quæ licite habeant animalia 532
An Religio Carm. sit una ex mendicantibus. ib
Quale Carm. oratorium & cultus divinus 534
Quæ in capitulis eorum fiant 534. 535
Quando jejunium eorum incipit 541
V. Jejunium.
Abstinent carnibus 459. b. 544. 548
V. Carnis abstinentia.
De labore manuum. 556
V. Labor.
De silentio 562
V. Silentium.
De operibus eorum supererogatorijs, & quæ ea sint 570. 575
De paupertatis eorum voto, & quam sit arcta 579. 670.a
Carmelum aliquoties adijt Maria; hinc ejus cultui maximo dedita Carmel. 452. 453
Carnes possitne edere Catholicus inter hæreticos in carni privio 97.b
Carnis abstinentia Carmelitarum 544
Eam oderunt hæretici, eorumque debet errores 546.a.b
Ex se licitus carnium usus cur interdicatur Carmel. ibid.
Abstinentia carnis meritoria est 547.b
Usitata omnibus religionibus; nec abbreviat vitam 547
Carnibus an possint vesci Carthusienses, &c. ib
Carnis nomine quæ comprehendantur 549
Qui infirmi, & quibus ex causis possint ijs vesci 551
Abstinere carnibus est perfectius quam vesci 552.b
Carmel. an possint vesci carnibus in mari, aulis Episcoporum, Principum &c. 554
Carnes comedendo quando quis peccet Mortal. 55.b
Carnis voluptates sunt causa durationis legis Mahometicæ 509.a.b
Carnis porta est lata. 418
Coercenda est abstinentiâ ibid. & 459.b
Carthusienses habent statuta, non proprie regulam 474.b

An

An in ægritudine possint vesci carnibus 547.b
Transgressores talis statuti an puniri debeant 547.548.
Castitas quantum ad conversionem infidelium præstet 32.b
Periclitatur in seculo 419.a
Requiritur in operario 78.b
An in castitatis voto dispenset Papa 610
V. Votum.
Catechismus fidei pro Indis 354
Generalis pro omnium sectarum catechumenis 372
Quomodo catechumeni catechizandi 375
Quid est Catechismus 397.a
Catechumeni qualiter tractandi 372
Quid cum eorum uxoribus, filijs agendū. ib.
Qualis eorum debeat esse habitatio 374.b
Quomodo catechizandi 375
Qualiter se præparent ad baptismum 376.379
Evangelium & fidei articuli quomodo ijs proponendi 376.377
Quomodo Eucharistiâ reficiendi, confirmandi 379
Unde dicti 397
Catechumenorum missa 397.b
V. Neophyti.
Catholicus an teneatur fidem rogatus confiteri coram tyranno 96.b
Possint ne carnes edere inter hæreticos in canispicio 97.b
Eorumve vestes induere? ibid
V. Conversari, Infideles, Martyrium.
In quibus licet ei cū Græcis communicare 133
An eorum missæ interesse, & sacramenta recipere 136.137
An & quos debet vitare hæreticos 236 &c.
Qualiter Judæos 273 b
Qualiter Saracenos 320
An hæreticorum templa adire, cum ijs orare, matrimonia contrahere, ab episcopis hæret. Sacramenta possit recipere 237
An Catholici possint admittere filios hæreticorum ad scholas suas 238 a
Remedia conservandi fidem inter hæreticos 241.a.b
Quanta Catholicorum à Mahomet persecutio 307.b
An & quomodo cum gentibus possint communicare 352
V. Christianus, Fides, Ecclesia, Evangelium.
Catholica Ecclesia est Romana 222. a
Cellarum constructio apud Carmel. 495
Prioris ubi situanda 501
In iis jugiter debent manere Carmel. & cur. 503.505
Cellæ commoda & utilitates 505
Chaldæorum Assyriorum natio & schisma 156.b
Charitas proximi in animatum zelatore requiritur 13.b.74
Præstat omnibus virtutibus 16. a
Quam utilis & meritoria sit. ibid.b
Spectat ad omnes Christianos 18.a.b
Incipit à seipsa 75
Charitas pontificum erga Christianos oppressos 202. 203
Quomodo exercenda erga hæreticos 233.a
Erga gentes 351
Charitas Dei & proximi omnibus necessaria 381
Est vita animæ 420
Ardua eam accendunt 421
Est hominis perfectio 477
Ejus venenum cupiditas 595
Charitas & justitia non sibi invicem præjudicant 694
Jungit sibi clementiam & severitatem in correctione subditorū à Prælatis facienda 704
Chorum monachi debent frequentare; & qui excusentur 514
Chrisma vetus an quādo debeat comburi 206.a
Christus quantū animarū cōmendarit zelū 9.b
Ejus imitator suadetur 10. a
An in azymo vel fermentato cōsecrarit 113.a.b
Quando mortuus ibid. 114
In eo sunt duæ naturæ distinctæ 184. b
Duæ voluntates 189. b
Duæ operationes, & una persona 190. 191
Fuisse verum Messiam probatur 253.264
Ex miraculis, vita, prophetijs, & variis vitæ actionibus 253.255.256
Fuit propheta, rex, salvator, redemptor, spes gentium 262. 263.
V. Messias.
Est radix gratiæ, corona Sanctorum, & judex mundi 264
Eum sanctum prædicavit Mahomet 301. a
Ejus vita & conversatio describitur. 303. 305
Incarnatio & mors ejus probatur contra Mahometh. 319
Ejus item potentia ibid. 349
Christi triumphus in fide 347
Frater est fidelium 441
Auctor paupertatis 592. a
Eidem Martha & Magdalena templum ejecerunt 453
Christianos omnes spectat charitas & salus proximi 18. a.b
Ijs oppressis quomodo succurrerint pontifices 202.b
An & quomodo cum Judæis possint communicare 273
Eorum persecutio à Turcis 307.b
Quæ sunt Christianorum flagella 308
An & quomodo possint cum saracenis communicare. 320
Quomodo cum gentibus 352
Rudes, velut Indi & æthiopes, quomodo docendi 353
Debent præter fidem bene operari 380
Tenentur ad perfectionem 570
Conversi, *V. Neophyti, Catechumeni, Catholicus, Fides.*
Ciborum tenuitatem murmurantes puniendi sunt 498
Cibis non indigent Sancti in cœlis 298
Ciborum abstinentia 387
Vide abstinentia.
Refectorium 487
Circūcisio an Æthiopibus possit permitti 164.a
Est Ismaelitica 307.a
Clamorosa insinuatio quid sit 708. a
Clavium usus religiosis interdictus 632. b
Clemens Ancyranus quoties fuerit martyr 84.a
Cœli deliciæ & gaudia non in libidine, equis, cibis &c. consistunt, ut voluit Mahometh. 297.298
Cœlestis voluptas. 332
In cœlum transfertur Elias 432.a
Collegia Romæ instituta pro missionibus 51. a.b
Colloquia & disputationes publicæ cum hæreticis

cis & infidelibus Institura semper ferè infructuosa. 70 b
Colloquium post mensam laudabile & Christo gratum 493. b
Commercia cum Turcis & infidelibus an sint & quomodo prohibita 322.b.452
Communia debent esse omnia religiosis. 525 649
Commendatur hoc à S. Patribus ibid
Et utilissimum est 526
A quibus autem debeant communia bona distribui 526. 527
Communis vitæ forma quæ? 649. b
Regulares hanc non servantes an sint in bono statu 651. a
Negligens in hac prælatus, quantum peccet. 650. b
Quæ pro hac servandæ conditiones 652. a
Commoda & felicitas 653. b
Communis potest esse res dupliciter 631. b
Competentes qui dicantur 397. b
Concilium Chalcedonense rejiciunt Orientales 181
De hoc admittendo quomodo agendum cum Orientalib. 206. b
Concilium Sanhedrim Judæorum quale fuerit 248
Tridentinum an deroget privilegijs religiosorum 363
Lateranense præcipit à pontificibus approbati regulas & novos Ordines 455. b
Conciones hæreticorum cavendæ 231. a
Concionari *V. Evangelium, Prædicare.*
Concordia conjugum 388
Confessiones quorum possint Missionarij audire & absolvere 364
Confessio criminis occulti in judicio facta coram solo judice, inducit notoriet. jem 710. a
Confessarius non debet absolvere reum convictum de crimine vel è commisso ante judicis sententiam, nisi fateatur veritatem 729. a
Confessio sacramentalis debet concedi existentibus in carcere quotiescunque petierint 739. b
Confirmationis Sacramentum probatur contra schismaticos 198
Quomodo peragenda Orientalibus 206. a
à Presbytero potest fieri dispensative 206 215. a
Quando confertur à missionarijs 366
Quando Catechumeni confirmandi 379
Congregatio erigenda pro fide propaganda 48
Conjugati serventur concordiam 389. a
Conscientia fratris est præferenda illius famæ 686. b
Conscientiæ libertatem an possit rex permittere in suo regno 751. a
Consensus populi est promulgatio veluti legis 484. a
Est permissivus & approbativus 631. b
Prælati consensus non sufficit, nisi adsit promptitudo reddendi ad ejus nutum 633
Consensus prælatorum quotuplex, & quali possit quid fieri 642
Differentia permissivi & approbativi 644. a
An possit prælatus, licet contradicat superior 644
V. Licentia, Prælatus
Conservatores qui ordines possint habere 366
Constantinopolis quando capta 132. b
Consuetudo est promulgatio legis 484. a
Contemplativa est finis primarius Ord. Carmel. 458. a, 466.
Adjuvatur abstinentiâ, jejunio, paupertate &c. 459
V. Meditatio, Oratio.
Contrahere non licet religioso sine consensu superioris 633. 636
Si tamen faciat, an teneat contractus 636. a
Conversatio zelatoris animarum qualis sit 76. b 78. b
An & quomodo liceat conversari cum infidelibus 207
Cum hæreticis 235. b
Cum Saracenis 320
Cum gentibus 354. b
V. Vita
Conversio aliquot regnorum & provinciarum. 23. &c.
Ad eam promovendam aptissimi sunt religiosi 31. b
Christus ad hanc rudes elegit 32
Conversio Augustini & alterius philosophi. 69. b.
Multum prodest ad conversionem innocens operarij vita 72
Mirabilis Georgianorum conversio per mulierem captivam. 85. b
Judæorum conversio 272
V. Judæi.
Saracenorum 275. 313
V. Alcoranum & Saraceni.
Gentium 324
V. Gentes, Animarum salus, Ministri, Missiones, Religiosi.
In conversione gentium religiosorum privilegia 316
V. Privilegia.
Conversi ad fidem quomodo tractandi 372
V. Catechumeni, Neophyti.
Cophti qui sint 137
V. Alexandrina Ecclesia.
Corpori præhabenda est anima 346
Mortificandum est 418
Corpus animæ carcer est 343
Correctio fraterna jure divino obligat ad peccatum mortale 676. a
In correctione fraterna debet attendi fama proximi ibid. b
Præceptum de correctione fraterna est affirmativum. 689. a
Finis correctionis fraternæ quis sit ibid
Qui teneantur explorare aliorum defectus, ut corripiant. ibid. b
Ad correctionem fraternam non est necessaria notitia evidens peccati, sed sufficit tantùm probabilis, ibid. a
Peccatum præteritum non est corripiendum correctione Evangelica, sed judiciali, ut puniatur ibid. b
Correctio est facienda de peccato, in quo quis perseverat, vel quod commissum est ibid
Intermissio correctionis fraternæ aliquando est actus Charitatis. ibid
Tempus quo debet fieri correctio fraterna 688. a
Correctio de simplici peccato veniali non obligat sub peccato mortali ibid
Correctio de veniali simplici non obligat sub veniali ibid

Corre-

Correctio de veniali peccato quos obligat sub mortali ibid
Correctio de veniali peccato, quando obligat sub mortali. ibid.b
Conditiones requisitæ ad correctionem fraternam assignantur ibid. b
Qui sint censendi incorrigibiles per correctionem fraternam 689. a
Correctio fraterna debet fieri leniter, & humaniter ibid
Aliæ circumstantiæ semper adhibendæ in correctione fraterna. ibidem
Correctio exemplo boni Medici explicatur ib.b
Modus à Christo Domino assignatus in correctione fraterna non est servandus in publico peccato 690.a
Fratre emendato per correctionem fraternam, non licet eum denunciare Prælato ut patri, ut melius emendetur ibid. b
Quod bonum intendatur per correctionem fraternam. 690. 691
Peccatum non emendatum per secretam correctionem fraternam debet manifestari uni, vel duobus, antequam Prælato ut patri indicetur. 691.a
Regula generalis adhibenda in correctione facienda à D. Thoma assignatur. ibid. b.
Gradus observandi in correctione fraterna 693.a
Omnes & singuli quomodo cadant sub præcepto ibid
Doctrina P. M. Bannes circà correctionem fraternam ibidem. b
Correctio fraterna regulariter non est adhibenda in crimine Hæresis 696.a
Spes emendationis quæ sufficiat ad obligationem correctionis fraternæ ibid.b
Qua ratione sint adhibendi gradus correctionis fraternæ in gravibus delictis occultis, ibid.b
Duplex via procedendi in corrigendis hujusmodi delictis 697
Errores evitandi in correctione fraterna ibid
Peccatum occultum contra bonum privatum tertiæ personæ quomodo sit corripiendum 698. b
Peccatum occultum non cedens in damnum tertiæ personæ quomodo sit corripiendum 699.a
Peccatum occultum cedens in damnum innocentis quomodo sit corripiendum ibid
Correctio fraterna non obligat, quando est cum notabili corripientis damno, nisi adversetur culpa bono communi ibid.a
In correctionibus, & reprehensionibus convitia rarissimè sunt adhibenda. 705.a
Correctio verbalis enumeratur inter pœnas extraordinarias. 733.b
Correptio proximi spectat ad omnes Christianos 18.a.b
Religiosorum sit in capitulis 535. b
Quomodo à prælatis, & sub qua pœna debeat fieri 538. a.b
Qualis in ea modus & discretio servandus 539. 540. 541.
Non corripit fideliter, qui ipse reprehensibilis est. 664. b
Corvorum natura erga pullos 422
Quid mystice significent 423. 424.a
Creatorem rerum omnium esse Deum probatur. 333. b
Creatio mundi & hominis propter Deum 345
Crimen *V. delictum.*
Culpæ in capitulis humiliter dicendæ 536. b
Quæ in capitulis possint ac debeant accusari 537
Triplex culparum genus, quæ sub mortali, quæ sub veniali peccato denuntiandæ ibid
Sub gravi Dei judicio debent prælati culpas discrete & clementer corrigere 538. 539. 540
Tripliciter potest culpa visitatori manifestari. 685. b
Leves in capitulo sunt admonendæ 702. b
Prælatorum quomodo à visitatore ponderandæ ibid
Prælatorum culpæ possunt puniri à visitatore etiam per privationem officij 703. a
Culpa gravior quæ censeatur secundum constitutiones Carmel. 737.b
Quæ autem gravior secundum constitutiones Ord. Prædicatorum. 378.b
Cultus Dei verus in religione est Christiana 344
Cultus Carmelitarum in D. Virginem 453
Qualis in Oratorijs Carmel. sit cultus 534
Cupiditas radix est omnium malorum 590. a 594. a
Et venenum Charitatis 595
S. Cyrillus egregius animarum zelator fuit 465.a
Vaticinatur Carmelitas per orbem progagandos 470.b

D.

Dacia per quos conversa 24. b
Dalmatia per quos conversa ibid
Damna peccati 382. b
Danielis prophetiæ de Messia 249. 250
Debilitas quid sit: & duplex ejus genus 551. 2. b
Deliciæ non sunt hominis felicitas & finis ultimus 297
V. Mahomet.
Delictum quando dicatur publicum 685 b
Peccatum occultum quod censeatur 694 b
Peccatum notorium quod censeatur ibid
Peccata contra bonum commune Religionis assignantur 695. a
Offensa gravis in Generalem, Provincialem & illorum Vicarios, est crimen læsæ Majestatis. ibid.a
Falsificatio literarum, & sigilli Superioris est peccatum contra bonum commune ibid.a
Ambitio, & subornatio in officijs, & electionibus est contra bonum commune ibid. a
Malum exemplum Prælatorum, & Seniorum est contra bonum commune ibid.a
Prava dictamina sunt contra bonum commune. ibid. b
Omissio laudabilis consuetudinis est contra bonum commune ibid.b
Regula certa ad dignoscendum, quæ peccata sint contra commune bonum Religionis. ibid.b
Peccata cum scandalo publico commissa, sunt publicè corripienda, ac punienda. ibid
Delicta atrocia quæ dicantur. 696.a
Ex qualitate pœnæ à lege impositæ gravitas delicti est dignoscenda. ibid.

Quæ dicantur delicta occulta. 706. b
Quæ dicantur delicta notoria. ibid. b
Delictum coram quinque commissum, notorium est. ibid. b
Delictum occultum multiplex. 707. a.
Delictum notorium multiplex. ibidem
Delictum notorium ex præsumptione Juris quod censeatur. ibid. b
Delictum aliud contra bonum publicum, aliud contra bonum privatum. ibid.
Crimen in judicio commissum notorium est 710. a
Crimina plura manere impunita, est contra bonum commune. 710. b
Peccatum notorium notorietate facti quid sit. 716. b
Peccatum notorium notorietate Juris quid sit. ibidem.
Crimen in judicio detectum notorium est. 717. a
Delictum permanens quod dicatur. 722. a
Delictum transiens quod dicatur. ibid.
Quæ excusent à delicto commisso 744. a
Delictum in affectu tantùm quomodo puniendum. 744 b
Delicti scientia quando sit punibilis. 745. b
Denunciatio culparum quæ obliget sub mortali, vel veniali peccato 537. b
Denunciatio judicialis quid sit. 685. b.
Denunciatio judicialis sufficit, si fiat solis verbis. ibidem.
Denuntiatio judicialis, & Evangelica valde differunt inter se. ibidem
Denuntiatio Evangelica non dat locum processui, neque admittit strepitum judicij ibid.
Non exigit juramentum Denuntiatio Evangelica à Testibus, neque à Denuntiatore. ib.
Quid exigat. ibid.
Denunciatio juridica potest dupliciter contingere. 686. a
Denunciatio tam juridica, quam Evangelica non necessariò præexquirit præceptum. ib.
Denunciatio Evangelica quid sit. ibid.
Denunciatio Canonica quid sit. ibid.
Denunciatio præexquirit sub præcepto correctionem fraternam. 687. a.
Denunciatio Evangelica quando non præexquirat correctionem fraternam 688. 689.
Quando debeat fieri denunciatio statim de occulto peccato, 690. a
Explicantur illa verba, *Dic Ecclesiæ.* 692. a
Explicantur illa verba, *Si te non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.* ibid.
Denuntiatio Evangelica fit Prælato ut judici, & ut patri, sed magis ut patri, ibid. b
Tres casus, in quibus tenetur quilibet ex præcepto juridicè Reum denunciare, etiamsi per pœnitentiam resipiscat 694. a
Denunciatio juridica adjuvat correctionem paternam, ut fiat cum majori fructu. 695. b
Contra charitatem est aliquandò non denunciare Prælato aliorum culpas. 697. a
Exhortatio D. Bernardi ad deferendas Prælato fratrum culpas ibid. b
Zelus deferentium occulta peccata fratrum Prælato, non est semper secundùm scientiam. ibid
Exhortatio Navarri ad occulta reticenda ibid
Casus aliquot, in quibus quis tenetur Prælato juridicè denunciare aliorum defectus 698. a
Infamia existente de peccato sine spe emendæ post correctionem fraternam, quilibet tenetur denunciare ibid. b
Peccatum cedens in detrimentum denunciantis quandò non obliget ad denunciationem 699. a
Peccatum jam punitum non potest denunciari ibid
Peccatum de quo est dubium quod sit paratum, quandò obliget ad denunciationem. ibid. b
Qui complices criminis denunciandi sint. ibid.
Ante denunciationem quid debeat prælatus exigere à denunciatore 700. b
Denunciatio de re gravi qualiter sit recipienda à Prælato, vel Judice ibid
Peccatum omninò occultum quo in casu denunciandum 707. b
Denunciatio juridica quando sit facienda in scriptis 721. a
Quando possit denunciari Prælato ut patri peccatum non emendatum per secretam correctionem, priusquam uni, vel duobus indicetur 691. b
Conditiones, ut id possit fieri. ibidem
Sciens crimen læsæ Majestatis, quandò teneatur denunciare. 745. b
Denuntiatorem teneri ad probandum ea, quæ denunciat, est sententia probabilis. 699. b
Denunciator potest esse testis ejusdem delicti. 700. a
Denunciatorem non teneri ad probandum ea, quæ denunciat, sententia est D. Th. & probabilior ibid. a
Denuncians aliquid falsò, nulla pœna mulctatur. 701. a
Denunciator malignè se gerens non debet audiri ibidem
Depositum an possit fieri apud monachum 636. b
Desideria bona Deus non frustrat 80. 81
Deum esse, & creatorem omnium probatur. 333
Unus est, & rerum omnium providens 335 343.
Non frustrat bona desideria 80. 81
Divinam essentiam intuentur in cœlo Sancti. 195. a
Christi divinitas probatur contra Judæos. 267
Deus est ultimus hominis finis 332. 339
Amat creaturas, præsertim homines 336
Perfectiones ejus & omnipotentia 336. 337
Sapientia ejus infinita ibid.
Incorporeus est ibid
Idololatriæ quomodo Deus obstiterit semper 338. b
Dei proprietates 341. b
Causæ cur amandus 342. a
Eum debet amare homo 381. 342. b
Creavit hominem propter se 345
Ad falsorum deorum cultum abjiciendum an cogi possint gentes 92. b
Rescindendus est ille cultus. 352
V. Gentes, Idololatria.
Deum mortuum esse & crucifixum non est absonum. 349.

Diffi-

Difficilia tempore & perseverantiâ superantur 80. 81. 83. 89
Charitatem accendunt 421. a
Dignitatibus honorentur iisdem neophyti, quibus Christiani 394
Dilectio DEI & proximi necessaria 381. 420
v. Amor.
Dioscori schisma 153. a
Concilium Chalcedonense rescit 182. b
Eum defendunt Orientales mordicus 181
Discalceati Carmelitæ quantis gaudeant privilegiis in conversione gentium 361. 463. &c.
In perfecta adhuc persistunt paupertate 669. b
v. Carmelitæ.
Discrè è proximè corripiendus 540. a. b
Vera monachi discretio in quo consistat 575. a
Dispensatores bonorum monasterii quales esse debeant 527. 528
Æqualiter & secundum ætates discretè distribuant 529
Quali possint Prælatorum utilicentiâ 642. 643
Quantum possint donare 626. a
v. Donatio.
Dispensandi causa est utilitas & necessitas: utraque duplex est 653. a
In quibus possint dispensare Missionarii 367
Disputare an oporteat publicè cum gentibus 69. b
Disputationes publicæ cum hæreticis &c. hodierno tempore passim infructuosæ 70. b
Olim verò non ita 71. a
Turcæ non disputant de veritate legis suæ 310. b
Dissimulanda multa in conversione gentium 77. b 89. a
Distributio necessariorum debet esse æqualis, & secundum ætates discreta 529. 628
v. Prælatus. Dispensator.
Divitiarum contemptus decet monachos 418. b
Mala inde provenientia 594. a
Doctrina antiqua convenit cum moderna Ecclesia 225. a
Ejus sanctitas & efficacia in Ecclesia 226
Doctrina Christi efficax 349
v. Christus. Scientia. Ecclesia.
Dæmones nil certi prædixerunt 60
Nulla possunt facere miracula 61. b
Obtumescunt in locis infidelium expositâ Eucharistiâ 65. b
Dæmon est origo idololatriæ 338
Ejus malitia ibid.
S. Dominicus noluit monasteriorum sumptuositatem 662. b
Dominicani quantos in conversione gentium fecerint fructus 43
v. Prædicatores, Religiosi, Monachi.
Dominii fundamentum est liberum arbitrium 595. b
Ejus incapacitas in obedientia potiùs quàm paupertate fundatur ibid. 598
Unde Religiosi incapaces dominii 596. b
Dominium quid sit: directum, aliud utile &c. 583. a
Quid sit dominii titulus ibid. b
Quomodo distinguatur à proprio 585. b
Dominii rerum spiritualium monachi sunt capaces 620. b
Domus & habitatio Catechumenorum quales esse debeat 374
Donatio facta monacho an teneat 616. a
Quantum monachus possit donare, & quomodo in hoc possit culpam gravem contrahere 640
Clemens 8. prohibuit Religiosis donare 623. a
Quando autem possint donare, & præsertim monachi exempti 624. b
Quid Religiosi beneficiarii & expulsi possint donare ibid.
Possunt Religiosi facere donationes remuneratorias & liberales 625. b
Quid possint donare habentes in monasteriis dispositionem bonorum 626. a
An monachi sibi invicem possint donare ib.
Quas Prælati & Superiores possint facere donationes 626. 627
Quas in absentia Prælati possint Vicarii, ibid. b
Quid Procuratores, & alii Conventus officiales ibid.
Munuscula parva an possint donare Religiosi 628. a
An donare possint monachi Eleemosynas, & ad pias causas 628. b &c.
v. Monachus, Paupertas, Proprietas, Religiosi.
Dormiens excusatur à delicto commisso 744. a
Quando & quomodo puniendus ibid.

E.

Ebrietas à quo excuset delinquentem 744. a
Ebrius delinquens quomodo puniendus ibid.
Ecclesiæ promissio per orbem totum devulgandæ 1. 2
Non armis propagnanda est 310
v. Fides.
Romanæ Ecclesiæ beneficia in Orientales 103
Unio cum Græcis facta in Concilio Florent. 121. 122
Impedimenta unionis Ecclesiæ cum Græcis 124. a
Ecclesiæ Rom. cum Græcis communicatio 133. b
Ex signis & notis ostenditur esse vera & unica Ecclesia Romana 221
Hæc est Catholica 222
Ex antiquitate ostenditur vera 223
Etiam ex diuturnitate, amplitudine, & successione Episcoporum 224
Item ex antiqua doctrina 225
Ex unione membrorum cum capite ibid.
Ex sanctitate & efficacia doctrinæ, & vitæ sanctitate 226. a. b
Ecclesiæ vera miracula 227. a
Hæreticorum falsa ibid.
Prophetiæ de vera Rom. Ecclesia 227. a
Eam veram fatentur adversarii 228. a
Eam feliciter & miraculosè defenderunt multi 228. b
Eam esse veram quinam fateantur 229. a. b
In ea verus DEI cultus 344. a. b
Quomodo Ecclesiæ Rom. fides inter gentes propaganda 347
Ecclesiæ Rom. triumphus in fide 349. 347
v. Evangelium, Fides.

Ecclesiasticorum & Religiosorum ignavia in procuranda animarum salute 3
Electio superioris qualiter fiat 432. b
Eleemosynas erogent neophytæ 386. a
Quam sint meritoriæ 387. a
Eleemosynas elargiendi causâ olim monachi laborarunt manibus 557. b
An, & quales possint erogare Prælati & alii monachi 628. b
Elias primus est monasticæ vitæ auctor 404. a. 407. 417. 423
Fecit votum paupertatis 405. b
Ubi instituerit Ordinem Carmelitarum ibid.
Sacellum ei in Carmelo fuit dedicatum 406. a
v. Carmelus.
Ejus vita & conversatio fuit Carmelitarum exemplar 427. 407. b
Ab hoc Esseni originem ducunt 412
Eliæ parentes & patria 417. a
Verba DEI ad Eliam dicta per allegoriam explicantur ibid. b
Quomodo ad perfectionem pervenerit 423. a
Primus virginitatem vovit ibid.
Joanni Baptistæ fuit æqualis 424. a
Eliæ corvi quid? ibid
Discipulos, filios Prophetarum ad torrentem Carith erudivit 424. b
Habuit successores filios Prophetarum 425. a
Qualiter dicat se solum esse Propheram ibid.
Cur ejus filii Prophetæ, quando in Carmelo ordinem instituerit ibid. b
Primus ejus discipulus Jonas fuit 426. a
Elisæus, Micheas, & Abdias ejus fuêre discipuli 426. 427
Fuit exemplar perfectionis 427
Visio ejus in spelunca Oreb exponitur 428. b
Elias quomodo interpretetur 429
Etexit Mariæ Sacellum in Carmelo ibid.
Ejus sacrificium 430
Transfertur in Paradisum 432, a
Successor ejus, & Prophetarum Pater Elisæus ibid. a. b
Vidit nubeculam B. Virginem nasciturâm sine macula 439. a
Illa visio exponitur ibid. b
Animarum zelo cum suis successoribus fuit addictus 465. a
Fuit auctor paupertatis 592
Elisæi vita 426. b
Quomodo interpretetur 429. a
Successor fuit Eliæ, & Prophetarum Pater 432. a. b
Miracula ejus & sollicitudo in filios Prophetarum 433. a. b
Eum accedunt Rechabitæ ibid.
Panes multiplicat, & colocynthidas facit dulces 434. a
Animarum zelo cum filiis Prophetarum fuit addictus 465. a
Emendatio vitæ quam necessaria 384. &c.
Ephrem mons habitatio fuit monachorum 431. b
Episcopi singulorum Regnorum primi 23
Episcoporum successio indicat veram Ecclesiam 224. b
Episcopus hæreticus retinet potestatem consecrandi, Chrisma conficiendi &c. 238. b
An hic amittat jurisdictionem ibid.
Nominabantur olim summi Sacerdotes & Pontifices 611. b
Olim absque consensu Episcoporum non admittebantur, nec rejiciebantur monachi ibid. b
Episcopi ante Concilium Lateranense approbant Ordines & Regulas 455. a. b
In subsidium Episcoporum instituti sunt Mendicantes 468. a. 668
Differentia perfectionis inter Episcopum & Monachum 477. a. b
Ad Episcopatum evecti Monachi an teneantur voto paupertatis & obedientiæ 617. b
Et an hi possint testari 637. b
Eremitici Ordines quantum præstiterint in conversione gentium 35. a. b
Eremita Petrus auctor fuit belli sacri 83. a
Eremitarum auctor Elias 404. 458
Quis finis vitæ eremiticæ 411
v. Elias, Monachus.
Commendatur vita eremitica à SS. Patribus 489. a
Quibus subjecta periculis & incommodis, ac quibus immunis ibid.
Quæ differentia inter vitam cœnobiticam & eremiticam ibid. b
Errores Græcorum 104
v. Græci.
Orientalium 152
v. Orientales.
Nestorianorum 154
Chaldæorum Assyriorum 156
Errores Alexandrinæ Ecclesiæ 157. a
Abyssinorum 159. 180
Jacobitarum 168. &c.
Armenorum 173. b. 180
Georgianorum seu Iberum 177. a
Maronitarum 179. 211
Horum errores refelluntur 180. &c.
Judæorum errores 246
v. Judæi.
Errores Thalmud. 268
Quinam errores possint tolerari 212. 214
Errores Mahometici 277
Refutantur iidem 318. 319
Gentium sive ethnicorum errores 327. &c.
Hi quomodo refutandi 344 446. &c.
Essenorum origo, genus & religio 411. b
Veniunt ab Elia, Elisæo &c. 412
Unde sic dicti, & quæ eorum regula ibid. b
Essentiam divinam sancti intuentur in cœlo 195
Ethnici *v. Gentes, Infideles.*
Evangelium per orbem, & maxime per Europam divulgatum fuit per Pontifices, & quales 25
Per Asiam 25
Africam 26
Evangelizantium in primitiva Ecclesia duo ordines 41. a. b
Ad Evangelium prædicandum an humanis utendum præsidiis 55
v. Missiones.
Deus tribus ad hoc usus legationibus 56. b
Methodus proponendi Evangelium infidelibus 58. a. b. 343. 344
Ad audiendum Evangelium an cogi possint infideles 92. b
Alcorano Turcico comparatur 304. a
Continet veritatem, & qualis Evangelii stylus 304. 305
Duodecim ejus præ alcorano excellentiæ 305. b

Est sanctum, nobile, miraculosum, auctoritate plenum, verum, honestum, perfectivum 306
Evangelium quantum persequantur Turcæ 307
Evangelii luce instruuntur Carmelitæ primi 439. n.
Evangelium prædicandi gratia quantis gaudeant Religiosi privilegiis 356. 358
Quomodo Catechumenis proponendum 376. 377
Eucharistiâ in locis infidelium exposita dæmones obmutescebant 65. b
Conficitur tam in azymo quam fermentato 112. b
Christus an in fermentato an azymo eam confecerit 113. a
Quando celebrari coeperit in azymo ibid.
Quomodo circa eam agendum cum Orientalibus 206. b. 215. b
Quando eâ reficiendi Catechumeni 379
Eugenius IV. Carmelitarum Regulam mitigavit 449
Europæ status quoad Religionem 5. a
Eam fide illustrarunt Pontifices 23. b
Eutychetis schisma 152. b
Refellitur 189. a
Excommunicati an sint hæretici, & quinam 236. a. b
Quinam sint vitandi ibid. 320. b
Excommunicationes Bullæ Cœnæ ibid.
Et quæ illis continentur, explicantur 321
Cum excommunicatis possunt conversari missionarii 366. b
Exempla magis movent quam verba 32
Præsertim in operario 84. 85
Exorcismus quid, & unde? 87. a
Expellendi facultas ab ordine eiminosos concessa ab Alexandro VI. Fratribus Franciscanis 742. a
Expulsus ab ordine non eximitur ab obligatione votorum ib. b
Extremam Unctionem esse Sacramentum probatur contra schismaticos 197. b

F

Fabri Epistola de modo agendi cum hæreticis 133. a
Felicitatem hominis vult Mahomet esse carnales voluptates 297. a. b
Hæ reprobant legem Mahomet 310
Hominis fœlicitas & finis quis sit 328
Festa Sanctorum quæ Carmelitæ servare debent 516
Festum Scapularis, seu Commemoratio solemnis B. MARIÆ Virginis, servatum in multis nunc Regnis 454. a
Feudo si gaudeat Monachus, quid agendum 613. b
Fideicommisso si gaudeat Religiosus qualiter agendum 613. b
An Minores illud possidere valeant 670. b
Fides per totum orbem est divulganda 1. & 2
Propagata per Europam & orbem à Pontificibus 23. a. b. 25. 26
v. Evangelium.
Quomodo propaganda: & ad hoc erigenda congregatio 48. 57. a
Quomodo informandi sunt ministri in fide 49. b
Propagatur fides martyrio & sanguine 57. a
Excedit omnem intellectum 58. b
Fidei mysteria sunt evidenter credibilia 59. b 62. b
Hoc probatur ex antiquitate prophetiis, doctrina hactenus illæsa &c. 60
Mirabiliter propagata est ibid. b. 61. 65
Evidenter ex multis motivis demonstrari potest 59. 62. 63
Collectio testimoniorum credibilitatis nostræ fidei 64. 3. b
Fidei veritatibus cur multi assentiant 68. a. b
Expediatne cum gentibus de fide disputare 69. b
Multum propagatur innocenti operationum vitâ 72
An cogi allicive possint ad fidem muneribus infideles 91. a. b
Externa fidei professio an & quando obliget ad salutem 94
v. Fuga.
An confirenda coram tyranno 96. b
Professio fidei secundum Gregor. XIII. 138
Pro Orientalibus 202. a
Pro hæreticis 240
Dantur media quædam fidem conservandi inter hæreticos habitantibus 240. a. b
Alius modus conservandi fidem ibid. & 242
Non salvatur quilibet in sua fide 294. b
Fides non armis est introducta aut propagata 310
v. Alcoranum.
Quomodo dilatanda inter ethnicos 324. 344. 347. 350
In hac Catholica est verus DEI cultus 344
Currus triumphalis fidei Christianæ 347. b. 349
Fidei doctrina Neophytis necessaria 380
Et Catechumenis 372
Sola fides non sufficit, nisi adsint bona opera 380
Fidei confessio est necessaria 382. b
v. Religio.
Fiduciali in DEUM oratione debent animarum zelatores semper incumbere 73. a
Filios infidelium an liceat baptizare invitis parentibus 94
Catechumenorum filii quomodo tractandi 373
Fili Prophetarum qui sint 424
v. Prophetæ.
Patria in filios potestas quæ sit 596. a. b
Finis ultimus hominis non sunt voluptates &c. 297
Quid ergo? 328. a
Semper præoculis habendus 417
Finis Ordinum Religiosorum, præsertim Carmelitarum quis? ibid. b
Finis præcepti duplex, non cadit sub præceptum 510. a
Fornicationem Turcæ permittunt 293. a
Franciscani quanto in conversione gentium fecerint fructus 43. a. 53
Hi primi Indiam & Mexicum ingressi 43. b
An & cur monasterio acquirant 617. a
v. Minores.
S. Franciscus Lateranensem sustentat Ecclesiam 35. b

Quomodo laborem manuum commendarit 557
Noluit sumptuosa ædificari monasteria 663
S. Franciscus Xaverius quantus animarum fuerit zelator 50. b
Quæ in conversione gentium requisierit 88. b
Fratres MARIÆ cur appellati Carmelitæ 441. 452. a
Fratres laici Carmel. ad quod obligentur 511. a. 512. 513
Fuga persecutionis ob fidem an, & quomodo licita 95. a. b
Fugitivus quis censeatur 743. a
Furti quantitas gravis quæ? 640. a. b
Futura semper spectamus 332. b

G.

GAbriel Angelus Judæorum captivitatem prædixit 251. a
Gallia per quos conversa 23. b
Gentium conversio fuit prædicta; adhortatio ad eam 324
Earum errores in communi 327. a. b
Scriptores contra errores earum ibid.
Quomodo ab idololatria revocandæ 339. 352
Modus proponendi iis Evangelium 343. b
Descriptus ex Lactantio & Savanarola 344. 347
Gentium triplex classis est: barbaræ quomodo humanos mores & fidem docendæ 350
Leves & inconstantes sunt 352
Gentibus an, & quomodo liceat Christiano communicare 352. b
In conversione gentium qualibus gaudeant Religiosi privilegiis 356
Cum conversis quomodo agendum 372
v. Animarum salus. Infideles.
Georgianorum infidelium conversio mirabilis per mulierem captivam 85
Eorum natio & errores 177. a
Quomodo cum iis agendum 204. b
v. Graci.
Germania per quos ad fidem conversa 24. a
Gradus matrimonii qui prohibiti: & quis dispensetur in illis 369
v. Matrimonium.
Græcorum origo 105
Errores 104
Quinam contra hos scripserint 105
Negant processionem Spiritus S. à Patre & Filio: sed probatur contra illos 106. 107
Ajunt Eucharistiam confici in fermentato, sed arguitur contra 104. 112. b
Negant purgatorium: refelluntur 116. a
Græcorum cum Latinis unio in Concilio Florentino 121. b
An ob errores sint hæretici, an vero schismatici 123. b
Causæ dissidiorum inter Græcos & Latinos 124. a
Tres eorum sunt classes: & quomodo cum illis agendum 125. 126
De iis facta revelatio S. Birgittæ 133. a
Superbia eorum 127
Quomodo reducendi 127. 128
Quantis post separationem afflicta sit Græcia calamitatibus 132. 130. a. b
Non habet modo doctos, nec vitos sanctos ibid. 131
Eorum Episcopi quales sint 130. b
Simonia, repudium mulierum, & captivitas eorum ibid. 133
Communicatio eorum cum Rom. Ecclesia 133. b
In quibus liceat cum iis præterea communicare 136. b
Missam eorum an liceat Catholico audire, & Sacramenta recipere 136. 137
Ritu Græco an liceat latino Sacerdoti celebrare 137. a
Quomodo cum iis agendum 204
Cum conversis quomodo agendum 372. a
Eorum baptismus an possit tolerari 214. b
v. Orientales, Errores, Schismatici, Ruthen.
Græcia per quos olim conversa 28. a
Quando in schisma est lapsa 303
In hanc Ecclesiæ Rom. beneficia ibid.
Gratiâ opus singulari pro convertendis hæreticis 234. a
Gratiæ radix Christus 264. a
Gratiâ vincuntur tentationes & miseriæ 381
Gratiarum actionem referant Deo Neophyti 385
Gregorius XIII. quot collegia Romæ pro conversione gentium erexerit 51. 202
Guiæ dedititi sunt Turcæ 297
v. Mahometista.

H.

HAbitus Carmelitarum, & mystica ejus significatio 442. a
Habitus Catechumenorum 374
Hæresiarcharum turpis communiter vita 229. b
Falsa eorum fuêre miracula 317
Ecclesiam Rom. veram esse fassi sunt 229. a
Infeliciter Rom. oppugnarunt Ecclesiam ibid. b
Hæresis causa libertas 230
Hæresis pœnas an contrahat ignorans 239. a
Hæresis Judæorum 269. b
Hæreseos & schismatis differentia 123. b
Hæreticorum doctrina est falsa, inconstans, turpis & contra rationem 63. 226
Cæcitas eorum 68. a. b
Publicæ cum iis factæ disputationes semper ferè irritæ 70. b
Olim verò non ita 71. a
Inter illos an licet Catholico edere carnes, & illorum vestes induere 97. b
Ad eorum conversionem promovendam adhortatio 218
Sunt pestes Ecclesiæ plurimum noxiæ ibid.
v. Ecclesia.
Quæ signa & notas suæ proferant Ecclesiæ 222. b
Diversitas eorum 225. a. b
Ficta illorum probitas 231. b
Quomodo inter ipsos agendum ex P. Fabro 232. 233. b
Missa quomodo iis persuadenda ibid.
Ad convertendos hæreticos gratiâ opus divinâ 234. a
An, & quomodo liceat cum illis communicare 235. b
Quinam sint excommunicati 236. a. b

An Catholico liceat cum illis orare, matrimonium contrahere, ab Episcopis haeret. Sacramenta recipere &c. 237
An eorum filios possit Catholicus de fonte baptismatis suscipere 238. a
An isdem filii ad Catholicorum scholas admittendi ibid.
Haeretici sunt excommunicati, irregulares, bona confiscata, honoribus & beneficiis privati, ibid.
Sunt infames, privantur sepultura & vita 239. a
Eorum fautores, defensores, librorum eorum lectores excommunicantur, ibid.
Revertentes abjurare debent haeresin ibid. b
Eam abjurandi forma ibid.
Inter haereticos habitantibus dantur remedia fidem conservandi ibid. 241. a. b
Eos confutandi modus 242
Cum conversis quomodo agendum 372
Eorum errores circa paupertatem 591. b
v. Animarum salus, Catechumeni, Evangelium, Fides &c.
S. Hieronymi in Judaeos sententia 252. a
S. Hildegardis vaticinium de Ordine Carmelitarum 471. a
Hispania per quos ad fidem conversa 23. b
Hispaniae Reges maxime per Indiam fidem propagarunt Catholicam 27. a. b
Hominis dignitas & praestantia 7. a
Cur ad imaginem DEI formatus 8. a
Multa hominis captum transcendunt 58. 59. a
Finis ejus & felicitas non sunt voluptates carnales 297. a. b
Sensus in homine sunt duplices 332. a
Spectat futura ibid. b
Vita ejus triplex 333. a
Amatur à DEO 336. a
Varii hominis appetitus, & anima immortalis 340
Causae cur DEUM amare debeat 342
Est DEI, non sui, & ad DEUM ordinatus ibid. 345
Omnia propter hominem creata sunt 342
Praemium ejus post hanc vitam 343
In DEO quieteere debet ibid.
Hominis finis ultimus quis? 328. 331. 339
Varii à Philosophis dati 329
Hominis bona mentis 330
DEUS est hominis ultimus finis 332. 339
Non frustra est conditus 344
Sed propter DEUM 345
Cur mortalis ibid. b
Calamitates homini necessariae 346
Honores possunt apperere Monachi 634. b
Horae Canonicae quid, & quae sint 511
Quo ordine & tempore dicendae 515. a. b
Quae Festa in iis servanda Carmelitis 516. 518
Humilitas sectanda est 569
Hungaria per quos ad fidem conversa 24. b
Hypocrisis haereticorum 231. b

I.

S. Jacobus quid in conversione Hispaniae effecerit 18. a
Templum D. Virgini erexit 453. b
Jacobitarum natio & errores 168. 180
Constitutio Concilii Florentini super eorum unione cum Ecclesia Rom. 171. b
Idololatria quid & quotuplex, origo & gravitas ejus 338. b
Ei quomodo DEUS semper restiterit ibid.
Vanitas ejus 339
Quomodo ab ea gentes sint revocandae ibid.
Insana est & rescindenda 352. a
In Jejunio quomodo dispensent missionarii 367
Ab haereticis reprobatum, malum juvat contemplationem 459
Jejunium Carmelitarum quando incipit 541
Quibus jejunandum diebus 542
Quare non jejunatur in Dominica & Natali Domini ibid.
Jejunium an praecipiatur tempore Paschali 545
Quadruplex est, & quid requiratur ad Ecclesiasticum 543
An ad jejunia Ordinis requirantur quae ad Ecclesiastica ibid.
Jejunium à carnibus servatur à Carmelitis 544. 546
Causae excusantes à jejunio 544
Ut sunt impotentia, senium, infirmitas, necessitas, pietas 545. a. b
Utilitates jejunii ibid.
Quadragesimale non abbreviat vitam 547 b
v. Carnis abstinentia.
Jerosolymis erant Religiosi ex dispersis Judaeis, & quale eorum Monasterium 437
JESUS *v. Christus, Messias.*
S. Ignatii dictum in arduis aggrediendis 83. b
Quomodo laborem manuum suis commendarit 557. b
Ignavia quando peccatum mortale 561. a
Ignorantia an excuset ab haeresi, & poenis ejus 239. a
Quae excuset à delicto 744. a. b
Quando & quomodo punienda b. b
Illuminandi qui dicantur 397. b
Imago Deiparae victoriam Pragensem obtinuit 228. b
Quae imagines cavendae 231. a
Imperium Turcicum est tyrannicum, & cur tamdiu duret 308. b
Imperium quotuplex sit 490. b
Incarnatio Christi defenditur contra Turcas 319
Incorrigibilitas quid sit 742. a
Quis censeatur incorrigibilis ibid. b
Et quid requiratur ad veram incorrigibilitatem ibid.
India Orientalis & Occidentalis quando, & à quibus ad fidem conversa 26. a. b
Quomodo & quae docendi sunt Indi 353. &c.
Indicia quid sint 708. a
Indicium expressum aequipollet accusatori formali 709. a
Indiciorum plura genera assignantur 712. b
Indicium propriè sumptum quid sit ibid. b
Indicia aequiparantur Testibus ibid.
Quae verè indicia censeantur 713. a
Indicia levia quae ibid.
Indicia gravia quae ibid.
Indicia gravia non sufficiunt ad Rei condemnationem ibid.
Indicia gravissima quae ibid.
Indicia gravissima sunt sufficientia ad Rei condemna-

demnationem ibid.
Indicia præcedentia juridicam inquisitionem qualia esse debeant ibid. b
Indicia an sufficiant ad inquisitionem, necne: arbitrio judicis relinquitur ibid. b
Indulgentias quis possit dare 368
Infamia quid sit 708. a
Quæ sufficiant ad probandam infamiam ibid.
Infamia æquipollet accusatori formali 709. a
Infamia quando non sit necessaria ad procedendum juridicè contra auctorem delicti 710. a
Sola infamia non sufficit ad inferendam torturam Reo 732. a
Infidelium conversionem tenentur promovere Principes 27. a
Et Papa 21
An humanis in hac utendum præsidiis 55. a
Methodus proponendi iis Evangelium 58. a
Eorum doctrina est falsa, inconstans, contra rationem 63. a. b
Inter eos quanta hodiedum à Catholicis fiant miracula 65. 66
Cur fidei veritatibus sufficienter propositis non assentiant multi 68
An cum iis de rebus fidei conveniat publice disputare 69. b
Oratione multi convertuntur 71. a. b
Amore & mansuetudine vincendi sunt 77. a. b
Multa apud illos dissimulanda sunt ibid.
An cogi, allicivè muneribus possint ad fidem 91
An cogi possint ad audiendum Evangelium, abjurandos Deos, & legem naturalem observandam 92. b
Quale Principes Christiani jus in eos habeant 93. a
An ejici possint regnis, nisi fiant Christiani ibid. b
An & quomodo liceat cum illis conversari 101
Cum conversis quomodo agendum 372
v. Catechumeni.
Infidelium communicationem fugiant Neophyti 391
v. Animarum salus, Evangelium, Fides, Schismatici, Gentes, Græci, Errores, Operarius.
Infirmorum cura impense est habenda 530. a
Triplex infirmorum status, & quomodo iis succurrendum ibid.
Quomodo se debeant gerere, quæ servare, quæque cavere 531
v. Debilitas, Morbus.
Injuriæ sunt operario sufferendæ 77. a. b. 90. a
Innocentia vitæ quid requirat 421. b
Duplex ejus gradus est & quomodo sit declarandus innocens qui deliquit 733. b
Inquisitio specialis quid sit In Prolog. 68 a
Finis inquisitionis generalis 683. b
Inquisitionem generalem non necessario debet præcedere accusatio, neque denunciatio ibid.
In inquisitione generali subditus etiam interrogatus non tenetur occulta revelare ibid.
In inquisitione generali non tenetur Prælatus exponere, se non indagare occulta ibid.
In inquisitione pro electionibus faciendis ad quid teneatur interrogatus 699. b
Inquisitio specialis à Visitatore facienda duplex est 706
Inquisitio specialis triplex assignatur ibid.
Inquisitionem specialem prærequirere infamiam, est tantum de jure humano positivo 709. a
Hæresis absque infamia præcedente potest juridicè inquiri ibid. b
Crimen læsæ Majestatis absque infamia præcedente potest juridicè inquiri ibid.
Crimina atrocia, quibus correspondet pœna mortis, absque infamia præcedente possunt à Judice juridicè inquiri ibid.
Alia, quæ absque infamia præcedente possunt à Judice inquiri ibid.
Inventus in fragranti crimine, absque alia infamia potest juridicè inquiri 710. a
Inquisitio specialis dupliciter potest accidere ibid. b
Quæ sufficiant præcedere ad inquisitionem specialem 716. a
Quando sufficiat ad inquisitionem specialem semiplena probatio ibid.
Inquisitio specialis de Reo valdè differt ab interrogatione facta Reo de crimine 717. a
Inquisitio quotuplex 720 b
Inquisitio generalis duobus temporibus potest contingere ibid.
In inquisitione generali processus non requiritur ibid.
Intellectus humanus multa non capiens miratur 59. a
S. Joannes Baptista Carmelita fuit, & Carmelitas de baptismo instruxit 436. a. b
Fuit Dux Monachorum ibid. 438
Joannes Jerosolym. Patriarcha fuit primus Carmeli Prior 406
Ejus auctoritas ibid.
Scripsit institutiones & Regulas Carmelitarum ibid. 413
Sanctitas illius 414. a. b
Joannis à S. Francisco sanctitas, & inter genera miracula 66. b
Jonas Propheta primus fuit Eliæ discipulus 426. a
Ira quæ excusat à delicto? 744. a
Ira potest ex duplici causa provenire ibid.
Judæorum conversio difficilis est, DEO tamen grata, & vaticiniis prædicta 244. 245
Deus olim eos amavit ibid.
Eorum errores & confutatores 246
Cæcitas, & calamitates eorum in veteri Testam. comparatæ cum modernis ob Messiam occisum 250. a. b
Captivitas eorum Ægyptiaca, Babylonica 251. 437
Carent Prophetis, miraculis, aliisque DEI beneficiis ibid.
Qualia post cladem Titi sustinent ibid.
Eorum peccata quæ fuerint maxima ibid. b
S. Hieronymi in eos sententia 252. a
S. Scriptura iis est velata ibid. b
Eorum objectiones contra Messiam, ejusque divinitatem solvuntur 266. 269
Judæorum Talmuth quales contineat errores 268. 269
Ex veteri Testamento contra eos procedendum 270. 272
Extorquendi ab illis Rabbinorum libri 271. b
Qualiter cum iis liceat communicare 275. b
Quænam Judæis inter Christianos degentibus

bus sint prohibita, & qualiter puniri possint 247. a. b
Eorum persecutiones 307. b
Cum conversis quomodo agendum 372. 392
V. Catechumenus, Neophytus.
Judæi in die Pentecostes facti Religiosi Jerosolymis 437. b
Judici est permissum Jura transgredi in procedendo contra delicta atrocia 696. a
Quid requiratur, ut Judex juridicè possit procedere contra delinquentes 707. b
Judex non potest inquirere ad punitionem, infamia non præcedente 708. b
Judex quilibet non tenetur procedens ad juridicam inquisitionem, probare famam præcessisse 709. a
Literæ denunciatoriæ incerti Auctoris non sufficiunt Judici ad inquirendum juridicè ibid. b
Judex tenetur procedere juridicè contra auctorem in occulto crimine sibi revelato in generali inquisitione 710. a
Judex ex sola cognitione publici criminis potest procedere ad inquisitionem personæ, nulla ipsi is fama præexistente ibid. b
Quomodo id sit intelligendum 711. a
Judex potest punire Reum, quamvis peccatum illius occultum inquè ab alio detectum sit, & quomodo ibid.
Quo in casu Judex possit inquirere Reum de delicto prorsus occulto, incidenter tamen in examine revelato 711. b
Judex in levibus indiciis qualiter se debeat gerere 713. a
Judex post sufficientem indiciorum probationem quid agere debeat 714. a
Judex quando possit ex solis indiciis expressis procedere ad specialem delinquentis inquisitionem ibid. a
Judex de crimine omnino occulto nemini præjudicante non potest specialim inquirere, licet præcedant indicia expressa ibid.
Judex quando dicatur juridicè interrogare Testes 724. a
Judici quando possit revelari commissum secretum ibid.
Judex quando dicatur juridicè interrogare Reum 726. b
Judex qualiter se debeat gerere in examine Rei ibid. b
Judex post latam sententiam desinit esse Judex in eadem causa 729. a
Judex cui se debeat conformare in ferenda sententia 737. a
Judex quando peccet incarcerando aliquos 739. a
Judicium quid sit 720. a
Judicii definitio explicatur ibid.
Quæ sint essentialia in judicio 719. b
A qua parte litis judicium inchoetur? 720
Judicium extremum 264. b
Juris apices in causis Regularium relinquendi 718. a
Indultum Bonifacii VIII. circa id concessum Religiosis ibid.
Particula *simpliciter* exponitur ibid. 719. a
Particula *summariè* explicatur ibid.
Particula *de plano* expenditur ibid.
Particulæ *sola veritate facti inspecta*, quid significent ibid.
Modus procedendi secundum exactum Juris ordinem quando sit admittendus à Religiosis ibid. b
Juris an sit capaces Religiosi 620. b
Jurisdictio & potestas ordinis an amittatur per hæresin 238. b
Juscula an veniant nomine carnium 550. a

L.

LAbor manuum quando in Religionibus in usum venit 556. 560
Fuit à tempore Apostolorum 557. a
Illum omnes ordinum Institutores & SS. Patres semper commendarunt ibid.
Instituras est pro victu acquirendo, otio vitando, eleemotynis elargiendis 557. b
Qui sint manuum labores, & qui maximè Religiosis conveniant 559. a
Quales inde fructus capiantur: & qui ad labores in Religionibus teneantur 560. a. b
Quomodo in hoc Religiosi possint peccare mortaliter 561
Lactantii forma & methodus convincendi paganos 344. 346
Lactricinia an comprehendantur nomine carnium 549. b
Laici Fratres Carmel. quomodo obligentur ad orationem, contemplationem & meditationem 511. a. 512. 513. 521
V. Fratres.
Legationem trinam misit Christus ad convertendos homines 56. b
Legatum monacho factum an teneat 616. a
Legatis quomodo possint gaudere Mendicantes 672. b
Legislator quando obliget sub mortali, quando sub veniali? 481. a. b
Ex verbis cognoscitur ibid. 484
Et voluntate ejus 481
Lex DEI cum Mahometica comparatur 301
Cur Mahometica tam diu duret 307
Legem DEI meditari quid sit, & quomodo hoc fiat die ac nocte 598
Lex civilis quantum obliget 483. b
Legem naturalem obtervandam an cogi possint infideles & gentes 92. b
Vetus omnino abrogata est 199
Mahometis lex est irrationabilis 287
V. Alcoranum & Mahomet.
Lex ut obliget sub mortali, non sufficiunt verba præceptiva, sed etiam materia debet esse gravis 482. a
Ex pœna adjuncta arguitur gravitas 484
Consensus populi & consuetudo est legis promulgatio ibid.
Liberalitas quantum animos conciliet 75. a. b
Superflua Prælatis prohibita 659. 660
Libertas hæresum mater est 230
Libertatem conscientiæ an possit Rex in suo regno permittere? 751. &c.
Liberum arbitrium est fundamentum dominii 595. b
Qui libertate caret nihil possidet 596
Libido Turcarum enormis 292. 293
Hæc est causa durationis legis Mahometicæ 308. 309

Libri SS. Patrum arabici ubi sint? 158.b
Qui cavendi 231.242
Qui legendi pro hæreticis convertendis 234.b
Hæreticorum libros legentes excommunicantur, & qualiter 239. a. b
Libri Rabbinorum Judæis extorquendi sunt 271.b
Hi damnati sunt ibid.
Turcæ quibus utantur libris 313
V. *Alcoranum.*
Licentia quotuplex, & quid requiratur, ut possit aliquid à subdito fieri 642. a. b
An possit præsumi, licet contradicat Prælatus 644. b
Permissâ sæpe licentiâ tamen non licent quædam 645. a. b
An semper necessaria sit expressa ibid.
Sine Prælati licentia nihil potest donare Monachus 673. a
Licentia alia est permissiva, alia approbativa 631.b
V. *Consensus.*
Lignamina quid sunt 322. a
Linguæ verbosæ diabolus insidet 567. b
Lignarum peritia operario evangelico necessaria 87. a. 89. a
Injungitur à Paulo Papa Religiosis addiscenda 88. a. 89. a
Arabica pro Turcis convertendis necessaria 313. a
Lingua custodienda 564. 566
Non refrænata quantum causet malum 564. 566. a
Quomodo refrænetur ibid.
V. *Loquacitas, Silentium.*
Literas dare aut recipere an sit contra votum pauperratis 631. a
Livonia per quos sit ad fidem conversa 24. b
Loquacitatis mala 563. 564
Vix peccatum evitabit. ibid.
V. *Lingua.*
Lusitaniæ Reges fidem maxime per Indias propagarunt 28. a
Lutheranorum diversitas in sua doctrina 225.b
V. *Hæreticus.*
Luxuria V. *Libido.*

M.

S. Magdalena & Martha unum Christo, alterum MARIÆ templum erexerunt 453.b
Magi quomodo expugnandi 352
Mahomet auctor Alcorani comparatur bestiæ Apocalypticæ 279
Describitur vita & mores ejus ibid. b. 302
Astutiæ ejus & cautelæ 280. a. 309
Non fuisse DEI Apostolum confutatur acriter 281. 282. 284
Nullum fecit miraculum 282
Nec fuit Propheta 284. b
Ejus figmenta 288. 289. 290. 301
Libido ejus dum adulterium, fornicationem & polygamiam permittit 293. 308
Impie de peccatorum remissione sensit 294. a
Sensit quoque quemlibet posse in sua fide salvari 294. b
Hominis finem & felicitatem ponit in voluptatibus 297. a. 308
Christum sanctum prædicavit 301. 304
Item castum, sapientem &c. 302
Cur ejus lex tamdiu duret 307. 309
Oderunt Mahometistæ idololatriam, nec cogunt subditos abnegare fidem 308
Sunt flagella Christianorum 308
Eorum imperium est tyrannicum, & cur diutius duret 308. 309
Cur eam sectam tot amplectantur homines 309. a
Tamdiu durabit, quamdiom florebunt illorum arma ibid.
Eorum victoriæ non probant fidem Mahometicam esse veram 310. b
Nolunt disputare de veritate legis, sed dicunt legem Christi depravaram 310 312
Modus eos juvandi & agendi cum illis 312
Praxis eos confutandi 313 314
An & quomodo liceat cum illis communicare 320
Et mercari 322
Cum conversis quomodo agendum 372
V. *Alcoranum, Saraceni, Turca.*
Mancipiis Christianis licearne apud Turcos contra Christianos remigare 323. a
Mansuetudine & amore vincendæ sunt gentes 77. a
Hæretici 253. a
Judæi 270. 272
In mansuetudine debet fieri correptio 541
S. Marcus primus fuit Monachorum Alexandriæ institutor 457. b
MARIÆ Virginis Imago ab hæreticis illusa victoriam memorabilem obtinuit 228. b
Prædicit Ordinem Carmelitarum ad finem mundi duraturum 409. a
Eidem in Carmelo templum erectum 429. b 441. 452
Prævidetur ab Elia sine macula nascitura 439
Septem fuit generationibus promissa ibid.
Nubeculæ comparatur ibid. & 441
Mater est fidelium ibid.
Mariæ fratres cur appellati Carmel. 441. 452. b
Patrona est Carmelitarum 441. 451
Carmelum nonnunquam adiit, Carmelitasque suo alloquio dignata meruit hos cultores suos eximios 453. a
Eidem Jacobus, Magdalena & Martha templum erexerunt ibid. b
Festum Commemorationis B. MARÆ Virginis servatur in multis nunc regnis 454. a
Maronitarum natio & errores 179. 211
Quomodo cum iis agendum 204. b
Eorum ritus quomodo tolerandi in diversis Sacramentis 205. b
Constitutiones quales iis datæ 209. b
Martha & Magdalena Christo & Mariæ do extruxerunt templa 453. b
Martini de Valentia sanctitas & miracula 66. a
Martyrio propagatur Ecclesia 57. a
Quid sit, & quæ ejus conditiones 98
Quando obliger, & quando sub consilio 100. a
Matrimonium variarum gentium, V. *Errores.*
Non dissolvitur adultetio 198. b
Quomodo in hoc cum Orientalibus agendum 207. b. 217
An licet inire Catholico cum hæretico 237. a
In quibus gradibus possint dispensare missionarii 367. 368
De hoc possunt cognoscere missionarii 368
Matrimonii gradus prohibiti, & quinam præterea dispensent 369. a
Meditatio quid & quotuplex 507
Meditari legem DEI die ac nocte quomodo, & an possit fieri 508

Medicinis quomodo utendum 530. a
Meloris Prophetarum & Carmelitarum quid denoret 442. a
Mendicantes qui, & unde dicti: eorum professio & perfectio 667
Sunt Episcoporum coadjutores 468. 668
Apostolorum munus & figuram tenent ibid.
Enumerantur Mendicantes 669. a
Arctissimam debent servare paupertatem, ut melius perfectioni studeant ibid.
An ingredientiũ hæreditates acquirant 670. a
Eorum tria sunt genera ibid.
An possint instituti hæredes aliorum, acquirere legata &c. 671. 672
Quomodo in his possint peccare 672. a
An valeant annuis gaudere reditibus ibid. b
An bona relicta in judicio petere 673. b
Tenentur ad procurandam gentium salutem 41. 42
An tales censeantur Carmelitæ Discal. 532
Cui Monasterio acquirant 617. a
Domus eorum superbæ ac superfluæ damnantur 661. a
V. *Ordo, Privilegia, Religiosi, Monachi.*
Mensa Monachorum sit communis 649. 496
Post eam fiat colloquium 499
Meritum zelatoris animarum 16. b
Meritum virtutis, V. *Virtus, Opera.*
Messiam venisse probatur ex Geneli 49. 247
Prophetia de eo quomodo evenerit 248
Prophetia Danielis de Messia 249. b
Alia de illo Danielis Prophetia, & Judæorum calamitates prædictæ 250. b
Quales ob Messiæ necem calamitates sustineant Judæi 251
Christum fuisse verum Messiam probatur variè 253
V. *Christus.*
Ejus notæ & signa ibid. 254. 255
Natus ex stirpe David de Virgine in Bethlehem, adoratus à Magis ibid.
Messiæ vita & actiones fuse 255. 256
Mors ejus & Passio indicant Christum fuisse Messiam 259
Sicut etiam resurrectio, & missio Spiritus san- 262. a
Mexicani quales, & quomodo in fide instruendi 350. V. *Gentes.*
Michææ, discipuli Eliæ, acta 426. b
Ministri pro fide Cath. propaganda quomodo informandi 49. 51
Quomodo pro iis instituenda seminaria 51. a
Eorum innocens vita præstat miraculis 72
Debent continuo incumbere orationi & fiduciæ in DEUM 73. a
Ante omnia sibi attendant 75. b
De eorum prudentia & conversatione 76. b
V. *Missionarius, Operarius.*
Minoribus Fratribus quanta sint in conversione gentium data privilegia 360
An sint hæreditatis capaces 670. a
An bona relicta sibi possint petere in judicio 673
V. *Mendicantes, Monachi, Religiosi &c.*
Miracula tot cur DEUS in conversione gentium ediderit 59. a. 62. a
Vera patrantur in Ecclesia Romana 227. a
Omni sæculo facta sunt in Ecclesia ibid. 115
Carentis Judæi & cæteræ sectæ 251. a
Miraculis fides propagata evidenter est credibilis 61. a
Hæreticorum aut dæmonum miracula non sunt vera ibid. b
Sed Christianorum ibid.
Iis fides Christiana est confirmata; & cur nunc non ita frequentia? 65. b. 67. a
Innocens vita præstat miraculis 72
Nec Mahomet, nec ullus hæreticus fecit miraculum 282. a
Miseriæ Judæorum 250. a
V. *Calamitas.*
Misericordia & beneficentia erga infideles exercenda 74. 75
Erga hæreticos 233.
Erga Judæos 270. a
Missam quando licet celebrare 369. b
Catechumenorum quæ sit? 397. b
Missam Græcorum an possint audire latini 136
Missæ paramenta &c. an liceat benedicere missionariis 365
Missa quomodo persuadenda 233. b
Missiones an teneantur obire Monachi strictioris clausuræ 39. 40
Et Mendicantes 48
Quomodo instituendæ 48. 49
Quales ad hoc faciendi apparatus 54. b
Multi eas sancti & martyres obierunt 39. a
Missionariorum Privilegia, V. *Privilegia.*
A quibus possint Missionarii absolvere 364
In quali Altari consecrare, baptizare, benedicere, consecrare, communicare, confirmare, dispensare 365. 366
Alia eorum Privilegia 371
Cum conversis quomodo agendum 372
Quomodo catechizandi 375
An Missiones conveniant Carmelitis 460. 468
Missiones Carmelitarum variæ 470
Quænam magis illis conveniant 471. b
Contradicentes refutantur 472. a
V. *Animarum salus, Conversio, Ordines, Religiosi, Operarius.*
Monachismum & clericatum quinam ad procurandam infidelium salutem conjunxerint 30. b
Monachi tenentur ad promovendam proximi salutem 33. 35. 466. 472
Ad missiones tenentur etiam Monachi strictioris clausuræ 39. 401
V. *Missiones.*
Monachorum auctor Elias 404. 417. 423
V. *Elias.*
Eos decet terrenorum contemptus, abnegatio voluntatis, castitas, charitas, innocentia vitæ &c. 418. 419
Sit Monachus onager 419. a
Fugiat vitia ibid.
Finis monasticæ vitæ quis? 421. 423
Ejus perfectio 423. b
Monachus an sit capax alicujus juris 620. b
à Clemente prohibetur ullas donationes facere 623. a
V. *Donatio.*
An possit dare eleemosynas, & ad pias causas 628. b
An, & quænam possit recipere 629. b
An, & de quibus possit disponere sine Prælati voluntate 633. b
Quomodo possit pecuniam habere apud familiares depositam ibid.

Potest licite apperere honores & beneficia 634. b
Monacho facta donatio an teneat, an & legatum? 616. a
Acquirit illi Monasterio cujus est Monachus 600. 614. 616
Non ita tamen Mendicantes, Franciscani, Capuccini 616. 617
Ad Episcoparum exectus an teneatur votis paupertatis & obedientiæ 617. b
Beneficiatus Ecclesiæ acquirit 618. a
Extra Monasterium degēs cui acquirat ibid. b
Quomodo cum translato transferantur bona in aliud Monasterium ibid.
Apostatæ, expulsi, fugitivi cui acquirāt 619. b
Monachi vera discretio 575. a
Olim non admittebantur nec ejiciebantur sine consensu Episcopi 611. b
Monachorum perfectioni conducunt paupertas, castitas, obedientia, solitudo 420. b
Eorum vita debet esse separata à sæculo 423. b
V. *Eremita.*
Communitas eorum qualis esse debeat 434. 524. 525. 496. 649
Joannes Baptista fuit quoque Monachorum Dux 436. b
S. Marcus primos Alexandriæ Monachos instituit 457
Monachi Carmel. tenentur ad missiones: negantes illud refutantur 472
Qualia debeant esse eorum Monasteria 492
Habeant mensam communem, extra quam, & cōtra cibos murmurantes puniantur 498
Quomodo ad Horas Canonicas teneantur 512. a
Quis Monachis sua bona distribuere debeat 527
Mirabilis olim Monachorū abstinentia 547. a
Fugiant otium 558
V. *Labor.*
Sint verbis parci 564. a
V. *Conversio, Ordines, Religiosi, Mendicantes &c.*
Monasteria superba & superflua damnantur 661. a
Monasteria Carmelitarum quomodo & ubi erigenda 492
Quomodo transferenda, & nova fundanda 494
Si deferenda quid agendum 495
Cellarum constructio qualis esse debeat ibid.
Quis Monasterii bona distribuat 527. 647
Oeconomorum in iis facultas 527
V. *Officia.*
Quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit 600. 614
Extra Monasteria degentes cui acquirant 618
V. *Prælatus, Monachus.*
Monialis an possit habere annuos reditus 657. b
V. *Monachus, Religiosus.*
Moravia per quos ad fidem Christianam conversa 24. b
Morbus quid sit 551
V. *Debilitas.*
Morte Christi mundus redemptus est 319
Homo cur mortalis est creatus 345. a
V. *Martyrium.*
Mortificatio carnis omnibus est necessaria 380
Motus rerum naturalium intrinsecus indicat DEUM esse 334
Moysis zelus animarum 11. a. b
Mundi vanitas 330
pulchrum ejus gubernaculum denotat esse DEUM 334. b
Mundi DEUS est tantum unicus 335. a
Qui providet & gubernat illum. ibid.
Mundus & omnia in eo propter aliquid facta sunt 344. 345
Munera etiam oblata prohibentur à Jure Canonico & Civili Visitatores recipere 705. a
Eorum effectus ibid.
Concilium Trid. prohibuit ea recipere ibid.
Quæ sint hujusmodi munera prohibita ibid. b
Puniendi sunt Visitatores munera recipientes ibid. b
Munuscula parva an possit donare Monachus 628. a
Donatio.
Mutuare non licet Monacho sine Prælati licentia 635. a
Quod dupliciter fieri potest ibid. b
Mysia per quos ad fidem Christianam conversa 24. b

N.

NAturæ duæ sunt in Christo distinctæ 184. b
Necessaria Religiosis non sunt subtrahenda, sed æqualiter omnibus distribuenda 528. 529
V. *Prælatus, Officia.*
Necessitas quid, & quotuplex sit 529. 652. 660. 675
Necessitate cessante debet Religiosus concessa ad communes officinas reponere 633. a
Neophyti quomodo instruendi 380
Quæ maxime debeant virare, & in quo perseverare 385. a. b
Alius cum iis agendi modus, præsertim in eleemosynis 386
Alia item circa eos observanda 389. 390
Fugiant communicationem cum infidelibus 391. b
Relapsi qualiter puniendi 393. b
Iisdem afficiantur honoribus, quibus Christiani 395. b
Non facile nisi bene probati S. Ordine initiandi sunt 395. b
Nestorii Schisma 152. a
Nestorianorum natio & errores 154. b
Nestoriani quinam in Ecclesia permaneant 155. b
Refelluntur 184. 194. b
Norwegia per quos ad fidem Christianam conversa 24 b
Notæ Ecclesiæ 221
V. *Ecclesia.*
Notæ Messiæ 253. b. 254. 255
Nubecula B. MARIAM Virginem delo at 439. 441. 452. a

O.

OBedientia Christi 258. a
Ab obedientia oritur incapacitas dominii in Religiosis 596. b
Cui renuntietur per vota obedientiæ 597. a. b
Quid proprie est obedientia ibid. a. 418. b
Obstinatus quis censeatur per Constitutiones Carmelitarum 741. b
Occasio mala est vitanda 79 a

Occultando res qualiter peccet Religiosus 632. a
Officium divinum quid, & qui ad hoc teneantur 511. 512
V. Hora Canonica.
Officium B. MARIÆ Virginis qualiter legant Carmelitæ 520. a. b
Officia Monasterii quibus Prælati melius committant 527
Quomodo officiantes optime satisfaciant suo muneri 528
Graviter peccant necessaria fratribus subtrahentes ibid.
Quali officiantes & dispensatores uti possint licentiâ 642
Nonnisi Prælati licentiâ Monasterii officia administrant 647. a. b
V. Prælatus.
Horum jurisdictio unde mensuranda 648. a
An possint officiantes esse perpetui ibid. b
Quantum debeant res sibi creditas procurare 665. b
An & quid officiantes monasterii possint donare 627
V. Donatio, & Monachus.
Juste & discrete omnia dispensent 628. a
Omnipotentia DEI in quo sita est 337. a
Onagro similis sit monachus 419. a
Opera bona requiruntur in Christiano 380
Eorum præmia 382
Servilia non permittuntur in diebus festivis 389. a
Opera supererogationis quæ, & qui ad hæc teneantur 570
Quomodo sint obligatoria, & an sine Superioris licentia possint peragi 571
Aliqua Carmelitis usitata enarrantur 575
Operarius evangelicus moribus gentium debet se accommodare 77. a. b
Eas amore & mansuetudine attrahat ibid.
Sit castus, & occasiones periculosas evitet 78. b
Sicut & avaritiam 79. a
Patientia, labor & perseverantia ei necessaria 80. a
Quid agat si non succedat animarum lucrum: & qualia hujus communiter impedimenta 81. 82. 83
debet pollere linguarum peritiâ, & bono vitæ exemplo 84. 86. 87
Sibi præ omnibus attendat 89. b
V. Minister.
Quomodo in omnibus inter gentes se gerat secundum S. Francisci Xaverii doctrinam 88. b
An rogatus sitne Sacerdos, possit negare 97
Quomodo agat cum Græcis Schismaticis 204. 125. 126
V. Græci.
Quales operarii in Orientem mittendi 203. a
Quomodo cum hæreticis agat 232
V. Ecclesia.
Quomodo cum Judæis 270. 272
V. Judæus, Missus.
Quomodo cum Saracenis? 281. 312. 313. 314
V. Alcoranum, Mahomet, Saraceni.
Quomodo cum Ethnicis & Gentibus agat 327. 328
His quomodo proponat Evangelium 343. 350. 351
V. Evangelium.
Quomodo Indis 353. 354
Privilegia eorum in conversione gentium 355
Quomodo cum conversis se gerant 372
Et quomodo cum Neophytis 390. 391
Vide *Catechumeni.*
Vide etiam *Animarum zelator.*
Oportet verbum an præceptivum, an consilium denotet 552
Oratio animarum zelatori necessaria 14. b. 73. a
Orationi & contemplationi astricti sunt Carmelitæ 458. a
V. Contemplatio.
Eidem jugiter debent incumbere Carmelitæ 503
Definitio orationis, & in quo differat à meditatione 506. 507
V. Meditatio.
Oratorium in Carmelo erexerunt B. MARIÆ Virgini Carmelitæ 441. b. 452. a
Quale debeat esse oratorium Carmelitarum 534
Ordinis Sacramentum qui conferre possint 370
In hoc quomodo cum Orientalibus agendum 208. 217
Ordinis potestatem & jurisdictionem an amittat Episcopus vel Sacerdos Hæreticus 238. b
Ordines Religiosi omnes tenentur ad infidelium conversionem 30. a. b
Eremitici quantum præstiterint in conversione fidelium 35. a. b
Hinc sæpe præstat vita activa quàm contemplativa 36. b
Missiones omnibus conveniunt ordinibus 37. a. b
Ordines Mendicantes tenentur ad procurandam Gentium salutem 41
Ad hoc à Pontificibus instituti 45
Tenenturque non fidelibus solum sed infidelibus quoque opem ferre ibid.
Ordo Carmel. sub quibus Regulis tempore legis vet. institutus 404
V. Carmelitæ.
Ordinum omnium primus institutor Elias ibid.
Omnes alii Ordin. ex Carmelitarum Ordine suas mutuati institutiones 407. b
In Ordinis approbatione nequit Pontifex errare 408. b
Ordinum Religiosorum finis est duplex 417. b
Primarius quis? 457. b
Ordo nullus est, qui non aliquando egeat restauratione 446. a
Quilibet suum habet Patronum 451. b
Ante Concilium Lateranense licebat Episcopis Ordines & Regulas approbare 455. a. b
Carmelitarum ante Concilium Lateranense institutus fuit & approbatus 456. a
Mendicantes in subsidium Episcoporum sunt instituti 468. a
Singulariter illis providet DEUS, qui animarum curam gerunt 472. a
Ordines militares an possint testari 637. b
Cur tot diversi instituti 667

Diversimode paupertatem sectantur ibid.
Quinam bona mobilia vel immobilia possint possidere 669
V. Mendicantes, Monachus, Religiosi.
Orientalium Schismatum origo 152
V. Chaldæi, Abyssini, Armeni, Jacobitæ, Nestoriani &c.
Eorum potissimi errores 180
Urgentur Concilium Chalcedonense admittere 181. a
Et rejicere Dioscorum ibid.
Quomodo juvandi, interrogandi, instruendive 201. 202
Eorum professio fidei à Pontif. præscripta 202. a
Origenes multis fuit saluti, sibi forte damnationi 83. b
Otium Religiosis noxium 38. 557. 558
Labore manuum vitatur 558
Ova an comprehendantur sub nomine carnis 549. b

P.

PAgani *V. Gentes, Infideles, Saraceni, Schismatici.*
Pallium Religiosorum, & præsertim Carmelitarum, quid mystice significet 443. b
Papa tenetur ad animarum salutem procurandam 21
Pontificum curâ Evangelium per orbem, maximè Europam, fuit propagatum 23. a. b
Per Asiam 25. a. b
Quot Romæ Collegia pro missionibus instituerint 51. a. b. 202. b
Gregorii XIII. zelus pro juvandis Orientalibus 202. a
Tenentur Christianis succurrere 202. b
Papa non potest errare in approbatione Ordinis 408
In quibus votis possit dispensare 610
Et quando non possit dispensare 612. a
V. Votum.
Paradisus Mahometicus qualis 304
V. Mahomet.
In Paradisum translatus Elias ubi moretur 432
Parentes honorandi sunt 388
Parochi Neophytorum curam habeant 390. 391. *V. Operarius, Pastor.*
Pascha quando Christus cœnaverit 113. a. b
Passio & mors Christi indicant illum esse Messiam 259
Fusè describitur ibid.
Pastores an possint tempore persecutionis fugere 96. b
V. Operarius.
Patientiâ & martyrio propagatur fides Christiana 57
Ea operario Evangelico necessaria 80. a. b
Omni etiam Christiano 382. a
S. Pauli zelus animarum 11. 12. a
Patientia ejus 15. a
Quos converterit 25. a
Oratione multos convertit 73. a
Charitas ejus in proximum 74. a
Omnibus omnia factus est 177. b
Paupertatis votum servavit Elias 405. b. 592
Quàlis debeat Religiosorum, præsertim Carmelitarum esse 522. 523
Quid sit & unde dicatur 595. 586. b
Quotuplex sit, & de quanam Christus loquatur in Evangelio 586. b. 523
An sit vera virtus 586. b. 523
Fructus ejus 587. a. b
Est fundamentum perfectionis 590 ibid. & 585
Quomodo à liberalitate distinguatur 590. 595
Quodnam ejus objectum 590. b
Origo paupertatis, & hæreticorum in hoc errores 591
Auctor ejus Christus & Elias ibid. b
Paupertatem vovere an expediat 592. a
In quo consistat 593. b
Juvat ad perfectionem charitatis 595. 598
Paupertatis voto non fit præcisè Religiosus incapax dominii, sed voto obedientiæ 598. a
Pauper Evangelicus per quid efficiatur Religiosus ibid. b
In voto paupertatis sunt omnes Religiosi æquales 599. a
Aliud est simplex, aliud solemne 601. a
Alia paupertas est privata, alia communis 603. 675
An dispenset Pontifex in voto paupertatis 639. b. 660. 662. 677
S. Dominici & S. Francisci paupertas in ædificiis 662. b. 663. a
Contra paupertatem quando peccet habens superflua 663. a
Eam ordines diversimode sectantur 667
V. Mendicantes.
Arctissimæ paupertatis deberent esse Mendicantes 669. a
Carmelitarum paupertas 670. a
Paupertas tria exigit 676
Perfectio paupertatis in quo consistat 675
In ea quomodo Carmelitæ & Patres Societatis JESU persistant 669
Quomodo violetur in receptione alicujus rei? 629. 630
An violetur in recipiendis aut extrademdis literis 840
Non est contra paupertatem honores appetere 634. b
Peccatores recipit Christus 257. a
Peccati nigredo 421. b. 481
V. Lex.
Peccata in Capitulis corriguntur 538
V. Culpa, Capitulum, Delictum.
Quinam peccatorum fontes 590. b
Peccatum quantum impediat animarum lucrum 82. b
Quodnam omnium maximum 251. b
Peccatum contra naturam permitti a communi 391. b
De peccatorum remissione quam impertiant Turcæ 294. a
Damna eorum 383
Peculium quid sit, & quotuplex 586. a
An habere possit Monachus 639. 658. 674
Triplex est 674
Olim erat licitum, an etiam post Concilium Tridentinum 655. b
Quænam sint rationabiles causæ illud permittendi 658
Pecuniæ nomine quid designetur 586
Quomodo possit habere Monachus pro suis necessitatibus apud amicos depositam 655. b
Perfectiones DEI infinitæ sunt 336. 337

Perfectio vitæ est finis Religiosorum 417. b
Perfectionis Religiosæ gradus sunt contemptus terrenorum, voluntatis abnegatio, castitas & solitudo, charitas & vitiorum fuga &c. 418.419
Ad eam quæ conducant 420.b
In ea perseverantiæ remedia 422. a
Perfectio vitæ monasticæ 423.477
Perfectionis exemplar Elias 427. b
Perfectio hominis Christiani 477. a
Differentia perfectionis Episcopi & Religiosi ibid.
Perfectionis divisio ibid.
Tria vota religiosa sunt media ad eam ibid.
Quinam ad eam teneantur assequendam 570
Ejus fundamentum est paupertas 590. a. 593. 595. a
Schola & via perfectionis est Religio 606
Periculo vitæ an & qualiter se possit quis exponere 549. a
Permutare non potest Religiosus sine Prælati licentia 635. a
Persecutionem an, & quando liceat ob fidem fugere 95. a
Quantum Turcæ Christianos persequantur 307. b
Perseverantia quantum sit necessaria 80. 81. 83. 382
V. Patientia.
Præsertim in conversione Gentium & Græcorum 127
Remedia ad eam 422. a
Persona in Christo solum una est 191. b
Pervenses quales, & qualiter instruendi in fide 350
S. Petrus Apostolus quos ad fidem converterit 23. 25. 26
Oratione multos convertit 73. a. b
Miraculo claudi sanati multos Prophetas ad Christianismum convertit 438. a
MARIÆ templum erexit 453. b
S. Petro Thomæ Carmel. promittitur Ordinis sui duratio usque ad finem mundi 409. a
Pluviam Elias petiit & impetravit 439. a
Quid denotet 440. b
Pœna statuta à Jure non potest à Prælato infligi delinquenti sibi denunciato Evangelicè 692. b
Quæ pœna hujusmodi possit infligi ibid.
Ad pœnam inferendam quando sufficiant violenta indicia 714. b
Pœna carceris ad afflictionem, quando sit adhibenda Regularibus 730. b
Pœna carceris qualiter sit moderanda à Prælato 731. a
Pœna carceris qualiter sit infligenda à Prælato ibid.
Nullus inter Regulares potest puniri pœna mortis nec sanguinis 736. a
Pœna tritemium non est Religiosis infligenda ibid.
In pœnis eligendis qualiter se debeat gerere Visitator 737. a
In pœnis arbitrariis circumstantiæ delicti, & delinquentis sunt ponderandæ ibid.
Pœna expulsionis ab Ordine correspondet pœnæ mortis ibid. b
Pœna gravior per nostras Constitutiones quæ ib.
Pœna gravior per Constitutiones Ordinis Prædicatorum quæ 738. a
Pœna culpis gravissimis correspondens per Constitutiones Ordinis Prædicatorum quæ ibid. b
Pœna carceris ad solam custodiam quando adhibenda 739. a
Pœna carceris quomodo infligenda Regularibus, ut delicta fateantur ibid.
Pœna carceris impropria quæ sit ibid.
Pœna carceris secundum statuta Ordinis Minorum quæ sit ibid. b
Pœna carceris non potest infligi à Prælato inferiore Provinciali in Religione S. Francisci ibid.
Quæ pœnæ consequantur carceratum formaliter secundum statuta Ordinis Minorum ibid.
Pœna carceris quando prohibeatur infligi secundum statuta Ordinis Minorum ibid.
Qui incurrant pœnam carceris secundum statuta Ordinis Minorum 740. a
Quæ pœna correspondeat innominabili peccato secundum statuta Ordinis Minorum ibid.
Quæ pœna infligatur revelantibus sacramentalem confessionem ibid.
Qua pœna puniantur percutientes, & percutere conantes secundum statuta Ordinis Minorum ibid.
Falsificantes literas, & sigilla Superiorum qua pœna plectantur secundum statuta Ordinis Minorum ibid. b
Pœna carceris perpetua quibus infligenda secundum statuta Ordinis Minorum ibid.
Ad pœnam infligendam qui numerus Testium requiratur 725. a
Ad pœnam ordinariam infligendam duo Testes legitimi sufficiunt 726. a
Qua pœna puniatur obstinatus secundum nostras Constitutiones 741. a
Convictus de culpa contra Castitatem qua pœna puniatur secundum nostras Constitutiones ibid. & 742. a
Qua pœna puniendus incorrigibilis per nostras Constitutiones 742. a
Pœna expulsionis ab Ordine qualiter sit infligenda ex doctrina S. Bonaventuræ ibid. b
Pœna expulsionis à nostra Religione à quibus sit inferenda ibid.
Pœnæ expulsionis qui subjaceant ex vi Decreti Sanctissimi Domini N. Urbani VIII. 743. a
Pœna carceris perpetui succedit loco pœnæ capitis in Religiosis 744. b
Pœna quando possit minui, vel augeri à Judice 744. b
Pœna nulla taxata existente, quid agendum à Judice 745. a
Ad pœnam infligendam quæ perpendenda à Judice ibid.
Qua pœna sit puniendus potens prohibere peccatum, & non prohibens ibid. b
Pœnitentiam esse Sacramentum probatur contra Schismaticos 196. b
Cum iis quomodo in hoc agendum 207. a
An possit recipi ab hæretico 237. 238
Pœnitentia ante delictum commissum delictum excusat 744. b
Qualiter hujusmodi pœnitens sit puniendus ibid.

Politia operarii evangelici qualis esse debeat 77. a. b
Sinenses politici sunt 350. a
Polonia per quos ad fidem Christianam conversa 24. b
Polygamiam Turcæ permittunt 293. a
Pontificem non admittunt Græci 104. 105
Per continuos 300. Annos fuêre martyres 81. b
V. Papa.
Olim nominabantur Episcopi 621. b
Solus dispensat cum religiosis ut possint testari 638. a
Potentiæ hominis quæ 330
Potestas Prælatorum duplex est 600
Qualis debeat esse in subditos 601. a
V. Prælatus.
Præceptum dupliciter sumi potest 481
Præcepti finis duplex; hic non cadit sub præcepto 510. a
V. Lex.
Præcepta fidei rationabilia sunt 350
V. Evangelium, Fides.
Prædicare qui possint 370
Prædicatorum Ordo qualibus in conversione gentium gaudeat privilegiis 356. 358
Ordo hic commendatur 471
V. Dominicani.
Prælatorum qualis sit potestas 502. a. b. 527. 601
Habeant impêse curam infirmorum 530. a. b
Quomodo se gerant in Capitulis & correctione 534. 535. 538
Negligentiæ eorum in corrigendis fratribus quantum immineat 538. b
Discrete & clementer corripiant 539. 540
Quomodo honorandi 569
An sine eorum licentia possint opera supererogatoria peragi 573. b
Duplex eorum potestas 600. b
Sine ejus consensu non licet Religioso mutuare, permutare, contrahere &c. 635
V. Proprietas.
An etiam possint testari 637. 639. a
Ejus consensus & licentia quotuplex sit 642 a. b
Cum Prælati licentia sæpe non licet agere & cur? 645. a. b
An semper necessaria sit expressa ibid.
Prælatus solus Monasterii bona per se, vel per officialem administrat 647. a. b
Tenetur subditis necessaria ministrare 648
Quid in eligendis officialibus debet servare 648
Conservet formam vitæ communis 649
Quantum ad hoc obligetur 650. b
Quomodo possit peculium permittere 654. 658. 659
Non potest bona in usus superfluos impendere ibid.
An Religioso possit permittere bona stabilia ad suum usum 657
Peccatorum superfluitatem damnat Concilium Viennense 661. a
Quas donationes possit facere Prælatus 626. 627
Quas in præsentia Prælati Vicarius? 627. b
V. Donatio.
Prælati Religionum non solum jurisdictionem spiritualem, sed etiam judiciariam potestatem habent 683. a
Prælati locales de jure communi habent facultatem visitandi suos subditos ibid. b
Talis facultas limitatur ibid.
Prælati sub peccato mortali aliquando tenentur corripere venialia 688. a
Prælatus non potest præcipere sub pœna excommunicationis subdito, ut abstineat à peccato 692. b
Prælati gladius duplex, qui ibid.
Prælatus coram viris gravibus potest aliquando delinquentem corripere, & verberare 693. a
Prælatus graviter peccat ad publicum judicium deferendo peccatum per viam correctionis fraternæ sibi notum ibid.
Prælatus adhibita paterna monitione cum nulla spe emendationis fratris, quid debeat agere ibid. b
Qui Prælatus verè censeatur ut Pater 694. b
Prælatus licet noscat peccatum fratris, urgendus est aliquando ad correctionem paternam 695. b
Prælatus, & Princeps aliquando, commonendus de occulto delicto committendo, Reipubl. pernicioso 697. a
Prælati non debent facilè admittere de aliorum schedularum contra alios 698. a
Prælatus debet orare pro Evangelicè denuncianto quando non est spes emendationis 704. a
Prælato negligenti in culpis emendandis terribile imminet judicium ibid. a
Causæ, ob quas Prælati sunt negligentes in correptione subditorum ibid. b
Prælati quando debeant dissimulare subditorum crimina ibid.
Prælatus in actibus judicialibus non potest pro libitu procedere in omnibus 618. b
Prælatus quando non debeat à Reo postulare juridicam confessionem 726. b
Qui Prælatus possit dare facultatem subditis ferendi testimonium coram Judice non Regulari 730. a
Prælatus incurrit irregularitatem, si propter excessum tormentorum subditus moriatur 732. a
Prælati Regulares tenentur observare decreta Concilii Trident. sicut Episcopi proportionaliter 737. a
Prælatus nostræ Religionis qualiter se debeat gerere in puniendo peccato commisso cum sæcularium scandalo 742. b
Quomodo se gerat Prælatus in regimine 749. &c.
Præsentia DEI quam utilis 383
Primogenituram si habeat Religiosus, quid agendum cum illa? 613. b
Principes tenentur procurare conversionem gentium? 27. a. b
An possint cogere infideles ac regno ejicere 92. 93. 323
An libertatem conscientiæ possint permittere 571. a
Principatus est dominativus & œconomicus 600. b
V. Prælatus.
Prioris Carmelitarum electio, ac regimen ejus 490. 501

Ejus cella ubi situari debet ib.
Prior an omnia solus, vel cum quibus negotia debeat peragere 501.b
Priorum potestas 502.a.b.
Nihil sine ejus scitu & voluntate debet fieri 503
Quomodo honorandus 569
V. Prælatus.
Privatio multiplex secundùm statuta Ord. Min. 740.b
Privatio actuum legitimorum quæ, secundùm eadem statuta ibidem
Privatio Juris suffragiorum quæ, secundùm eadem statuta ibidem.b
Privatio officiorum Ordinis, quæ, secundùm eadem statuta ibid
Qui incurrant privationem actuum legitimorum per eadem statuta ibidem
Qui priventur jure suffragiorum per eadem statuta 741.a
Qui Ordinis officijs privantur ibid
Privilegia religiosorum in conversione gentium 356
Concessa Prædicatoribus ibid. & 358
Minoribus 360
Carmelitis Discalc. 361
An ijs deroget Concilium Trident. 363
Ijs quomodo utantur Patres Societatis Jesu 364
Qui gaudeant privilegio solvendi vota 371
Alia privilegia missionariorum amplissima 371
V. Missionarius, Religiosus, votum.
Probatio est multiplex 715.b
Quæ requirantur ad probanda indicia 714.b.
Probatio plena quæ sit 714.715
Probatio semiplena quæ sit ibidem
Probatio major requiritur ad puniendum Prælatum denunciatum 732.b
Processus quando formandus 719.b
Processus quid sit 720.a
Processus à quo sumat initium ibidem
Tenor processus in sui initio ibid.b
Processus quando sit ipso jure nullus 728.a
Procurator, *V. Officia.* 627.b &c.
Professio Carmelitarum 491. b
Professione emissa an bona acquirantur monasterio 612.b
Profitens si habeat filios, quid agendum 613.a
Proprietates Dei 341.b
Proprietatis abdicatio in religioso qualis requiratur 522
Proprium quid sit: variæ ejus acceptiones, & quomodo à dominio differat 585.b
Proprietatis peccatum in quo consistat, & variæ ejus species 604.a.b.607.a
Nil proprium habere possunt religiosi 606.a
Malitia proprietatis, & pœnæ proprietarijs impositæ 607.608.609
Est vitiorum pessimum, & malorum radix 608. a
D. Damiani adhortatio ad proprietatem extirpandam 610. a
An papa in hac dispenset ibid.b
Est proprietatis peccatum pecuniam apud se retinere, usque dum casus exigat licentiam petendi 634.a
Honores & beneficia ecclesiast. appetere non est proprietarium 634
Proprietatis vitium est permutare, mutuare, aut alio modo contrahere, vel etiam testari sine prælati consensu 635.a.636
Reditus vitalitios habens, an, & in quo versetur periculo 657.b
Superflua possidens proprietarius est 663
An proprietarius, qui dona elargitur 623.a.b
Aut recipit 629.a.b.
Appropriantes sibi bona monasterij quomodo peccent 631.a
An peccet occultando res 631
An peccet disponendo de re sine prælati voluntate? ubi casus aliquot enumerantur 633 b. &c.
Prophetijs fides evidenter fit credibilis 60.a 65.a
Dæmones nihil certi prædixerunt. ibid
Prophetijs pollet ecclesia Cathol. 227.b
Prophetia de Messia quomodo evenerit. 248
V. Messias.
Prophetijs carent Judæi 251.a
Alia prophetia de Messia 253. 254
Mahometh non fuit propheta 284. b
Prophetia quid est? 285. 424
Prophetarum filij qui fuerint 424. b
Prophetica vita unde 425
Prophetarum vivendi forma, & disciplina ib.
Filius prophetarum primus fuit Jonas ibid
V. Elias.
Quomodo & quando prophetarum filij ad christianismum conversi 438
Primi voverunt virginitatem 440.b
Prophetæ olim conjugati ibid
Providentia Dei in creatis est mirabilis 335.341
Provincialis ex officio semel saltem in anno debet visitare suæ Provinciæ subditos 683. a
Provincialis ex privilegio Pontificio potest creare Notarios 721.a
Provincialis quandò privandus officio secundum stat. Ordin. Min. 741. b
Proximus diligendus 381
Rationes eum diligendi 420. b
Quomodo corrigendus in capitulis 537. a
Prudentia zelatoris animarum qualis 76.b
Psalmorum effectus 425.b
Pueros quomodo alliciat operarius evangel. 89
Infidelium an liceat baptizare invitis parentibus 94.a
Catechumenorum pueri quomodo tractandi 374
V. Catechumeni.
Debent parentibus reverentiam 388.a.b
Patria in filios potestas quanta 596.a.b
Pulmentum quid sit, & variæ ejus species 552.b
Purgatorium dari probatur 116.a.&c.
Puritas cordis in quo consistat 421.b

R.

Rabbinorum libri fugiendi 271.b
Rechabitarum institutum 433. b
Elisæum accedunt ibid
Auctor eorum Jonadab ibid
Liberi sunt à captivitate Judæorum 435.a
Recidiva 393.b

Recipere an, & quinam possint Monachi 629 a.b
Recreatio post mensam laudabilis est 499.b
Redemptor & salvator mundi JESUS 263
Reditus vitalitios habens monachus in quo versetur periculo 657.b
An moniales possint habere annuos ibid.
Quomodo ijs possint gaudere Mendicantes 672.b
Refectorium religiosorum sit commune 434. a 649.650.651.497.497
Post illud laudabiliter fit colloquium vel recreatio 499.b
Regimen prælatorum quomodo debeat esse constitutum 749. &c.
Regulæ Carmelitarum quæ, & quamdiu sint scriptæ a.412
Regulæ Essenorum 412.b
Carmelitarum Regula quando græce scripta 415
Primitivam Carmel. Regulam tradidit Albertus 444.454
Quæ nam illa? 445.447
Eugenius eam mitigavit 449
à quibus pontificibus hæc approbata & confirmata 456
Regulæ definitio, & variæ acceptiones 450 451
Regulæ Basilij, Augustini, Benedicti à nullis olim pontificibus approbatæ 455
In Ecclesia approbatæ sunt quatuor Veluti fontes 474
Carthusienses non habent regulam sed statuta ibid
Carmelitarum regulæ pauci meminerunt 474
Hæc an obliget sub mort. an veniali 480.484 485.486
V. Lex.
Regula Augustini & Benedicti quomodo obligent 485. 487
Transgressor regulæ licet non peccet mortal. contra obedientiam tamen peccat 487.
Regulæ Carmel. quomodo satisfiat, & quis periculosus in ea status dicendus 510.b
V. Ordo, Religiosus.
Relapsus neophytorum quomodo puniendus 393. b
Religionis christianæ status qualis in Europa, Asia, Africa, America 5.23.25
In ea verus Dei cultus 344.a
Est rationabilis in præceptis 350
Nulla alia religio dignitate Christianam præcellit ibid.
V. Ecclesia, Evangelium, Fides.
Religionis institutum duo comprehendit 460.
Item alia tria 466
Religionem suam quisque laudat 476. b
Præstantia unde desumenda 477.478
S. Marcus primus Alexandriæ religionem instituit 457. b
Religiones in quibus conveniant & differant 478
Carmelitarum præstat omnibus ibid. b
Quando in religionibus incepit manuum labor 556
Qui labores illis sint convenientes 559
V. labor.
Religio est schola & via ad perfectionem comparandam 600.b
Quæ sint capaces successionis hæreditariæ 613
V. Religiosus.
Non communiter viventes an sint in bono statu 651.a
Religiosi tenentur omnes ad salutem infidelium procurandam
Quia sunt ad hoc aptissimi 29
Quantum in hoc effecerint 31.b
Mirum per hoc religiosi perficiuntur 32.34.35
Iis otium damnabile 37.38
Religiosis non sufficit ad animarum zelum sola præparatio, sed ipse actus 38.b
Ad hoc à pontificibus instituti 44
Quinam ad Græcorum conversionem apti 45.b 128
Eorum privilegia in conversione gentium 356
An ijs deroget Concilium Trident. 363
PP. Societatis JESU quomodo suis utantur privilegijs 364
V. Privilegia.
Quomodo possint baptizare, benedicere, consecrare, absolvere, confirmare, dispensare, &c, 365.366
Quomodo in causis matrimonialibus cognoscere! 368
In gradibus consanguinitatis dispensare 369
Ordinare, prædicare, sacramenta administrare, vota solvere 370.371
Et alia eorum in missionibus privilegia, ibid
Ex Judæis facti olim religiosi 437
Religiosorum habitus mystice explicatur 442
Omnium religiosorum finis primarius quis? 457. b
Differentia inter Episcopi & religiosi perfectionem 477. a
Tenentur ad horas Canonicas 512
Quomodo teneantur ad chorum 514.b
Signa veri religiosi 529.b
De eorum manuum labore 556
V. Labor.
Quomodo in hoc peccent ignavi 560.561
Parci sint verbis 563.b
Bellum religiosum describitur 565.b
Tenentur ad perfectionem assequendam 570
Unde sint capaces dominij 598b
Religiosi sunt in voto paupertatis æquales 599. a
Religiosi comparatio cum servo & filio quoad incapacitatem ibid.b
Nil proprium habere potest, neque suum appellare, imo parentes communi nomine appellare debet 606.a
Quam rigide hoc servarint antiqui ibid.b
Religiosi bona an post professionem acquirantur monasterio 612.b
Quando & quomodo possint facere testamentum ibid
Quid de eorum fideicommisso, primogenitura, feudo, usufructu, bonis adventitijs dicendum 613.614
Monachus quidquid acquirit monasterio acquirit 614
Si quid labore & industria? 615
Quid de injuste acquisitis dicendum ibid.b

An sit alicujus juris capax, possitque eligere sepulturam, esse fide jussor, procurator, administrator 620.621
Non potest permutare, mutuare, contrahere sine prælati licentia 635.b
Neque testamentum condere, nec exequi 636.639
Quid si cum licentia superioris? 638.a
Quomodo peccet Religiosus in furto graviter, & teneatur restituere. 640.641
Religiosorum quot sunt genera 638.667
In communi non viventes an sint in bono statu 651.a
An possint habere peculium, & quomodo in hoc peccent. 659.654.658
Reditus vitalitios habens in quali versetur periculo 657.b
Quomodo in usu rerum concessarum non excedat votum paupertatis 663.a
An & quid possit donare 624.625
V. Donatio
Quæ nam possit recipere 629.a
Licite potest apperere beneficia ecclesiastica & honores 634.b
V. Monachus, Ordo, Mendicantes &c.
Remigare an liceat contra Christianos servis à Turca captis 323
Renovatio vitæ quam necessaria 384
Repudium apud Græcos licitum 131
V. Matrimonium.
Restituere an, & quid teneantur religiosi à monasterio sublatum 641
Resurrectio & ascensio Christi denotant Messiam venisse 262.a
Reverentiam debent filij parentibus, uxores maritis, servi dominis 388.a.b
Reus occultus quando non tenetur manifestare crimen à se commissum, etiamsi juridicè interrogetur à Judice 611.a
Reus de uno crimine infamatus, non potest à Judice interrogari de alio crimine omnino occulto. ibid.b
Reus non potest à Judice interrogari de complicibus nulla infamia laborantibus, & quomodo id sit intelligendum ibid.b
Reus ex solis levibus indicijs non potest interrogari, neque puniri 713.a
Reus ut teneatur respondere, debet scire, se juridicè interrogari ibid.b
Reo quando sint notificanda nomina Testium, & Accusantium 719.a
Reo depositiones Testium tacitis nominibus sunt manifestandæ ibid
Reus non potest à Judice interrogari, nisi de crimine, de quo est juridicè denunciatus. 726.b
Reus tenetur fateri veritatem sub peccato mortali, juridicè interrogatus ibid
Reo juridicè non interrogato non licet proferre mendacium: quomodo se debeat gerere ibid
Reus ut teneatur fateri veritatem, quid scire debeat ibid
Reus convictus de uno crimine, de quibus alijs possit interrogari ibid
Reus quando possit de complicibus occultis interrogari ibid
Reo juridicè interrogato, & non respondenti potest inferri præceptum de respondendo ibid
Reus hujusmodi post præceptum non respondens, in foro externo præsumitur delinquens ibid
Reus qualiter interrogandus ibid. & 727.a
Rei qualitates, & affectiones notandæ in examine 727.a
Rei examinis forma ibid
Reo non est à Judice concedendum tempus ad deliberandum quid respondeat. ibid.b
Tempus deliberandi quando sit Reo concedendum. ibid
Reus ante omnia est legitimè citandus 728
In aliquibus Religionibus, mos hic est in contrarium ibid.
Reus dubitans Judicem juridicè non procedere, non tenetur fateri veritatem ibid.
Reus non tenetur fateri veritatem de crimine patrato absque culpa letali ibid.
Reus non tenetur fateri circumstantias, ex quibus de se oriretur suspicio de delicto, quod non commisit ibid.
Reus non juridicè interrogatus à Judice de delicto verè commisso, tacendo veritatem peccat mortaliter ibid.b
Reus post sententiam Judicis non tenetur fateri veritatem 729.a
Reus juridicè interrogatus, etiam si sciat, quod faciendo veritatem morti tradatur, tenetur fateri ibidem
Opinio huic opposita est improbabilis ibid
Reo ante torturam est concedendum tempus ad sui defensionem, si petat. 732.a
Reus incapax pœnæ taxatæ in lege, quomodo puniendus. 744.b
Rex an possit in regno suo libertatem conscientiæ permittere 751
Ritus *V. Errores, Schismatici.*
Roma quot habeat collegia pro conversione gentium 51.a.b
Rutheni quomodo à Clemente 8. recepti 140
De hoc decreto & literæ 142

S.

SAbach patris Eliæ vitio quid porrenderit 443.b
Sacerdos latinus an ritu græco possit celebrare, & contra 137.a
Hæreticus an amittat jurisdictionis & ordinis potestatem 238.b
Sacramentorum ritus apud Orientales an, & quomodo tolerandi 205
Sacramenta an liceat recipere ab hæreticis 237
V. Catholicus, Hæreticus.
Sacramenta quomodo administrent missionarij 370
Sagimen an veniat nomine carnium 550.a
Salis benedictio 398.b
Salomon cur, & non David templum ædificavetit 83.a
Salvatorem in pluvia denotarum erant mitti Carmelitæ 440.b
Salvator mundi Christus 263
Salus proximi procuranda, & an conveniat Carmelitis 460.461
Animarum zelus, Missiones, Operarius.

Cæ-

Conversio, Minister.
Sancti an sint beati ante diem judicij 118.b
Quomodo desierint apud Græcos 131.a
Divinam in cœlo intuentur essentiam 195.a
Sanctitas potius quàm scientia in operario evangelico necessaria 89.a
Sanctitas vitæ & doctrinæ est apud Ecclesiam Catholicam 226
Sanhedrim Concilium Judæorum quale fuerit. 248
Sapientia Dei infinita 337.a
Saracenorum imperium erit breve, & adhortatio ad eos convertendos 275
Eorum errores præcipui 277
Describitur natio. 276
Alcoranum eorum quis scripserit 278
V. Alcoranum.
Eorum Sodomia 292
V. Mahomet.
Adulterium, fornicationem, polygamiam permittunt 293
An Christianis subjecti peccantes contra naturam possint puniri 323.b
an eorum ritus possint permitti 324.a
Scandalum duplex est activum & passivum, & quomodo vitandum 553.b
Scapulare Religiosum quid? 443.a
Schedulis infamatorijs absque nomine auctoris nulla fides est adhibenda 698.a
Schisma Chaldæorum Assyriorum 156.b
Alexandrinæ Ecclesiæ 157.a
V. Errores, Orientales.
Schismatici communiter rejiciunt Concilium Chalcedonense, sed refelluntur 181. 183
Quomodo cum ijs procedendum 204
Eorum ritus an & quomodo possint tolerari 212.b.214.b
Schismaticorum unio cum ecclesia catholica procuranda est 102
Quomodo tentata 121
Schismatis & hæresis discrimen 123.b
Quomodo sint vitandi 136.b
Pœnæ eorum & absolutiones 137
Schismatum orientalium origo 152
Nestorianorum 154.b
V. Errores, Græci, Infideles, Orientales.
Scientia, præsertim theologica operario evangel. necessaria 86.a.b
Non tam scientia quàm sanctitas eidem necessaria 89.a
Scientia Mahometistarum in quo consistat 313
S. Scriptura Judæis velata 252.b
Quali contra Judæos utendum 270
Non est corrupta 287.a
V. Testamentum.
Secretario visitatoris eadem est adhibenda fides quæ notario 721.a
Qualiter se debeat gerere circa testes 730.b
Seminaria quomodo pro ministris missionum instituenda 51.a.b
Senex quis sit 529.a 535.a
Quomodo excusatur à jejunio 545
Sensus in homine duplices. 332.a
Sententia non potest ferri contra inauditam partem 718.b
Sententia non potest ferri à Prælato in subditum non sufficienter confessum, vel convictum ibidem
Contra hujosmodi ferens sententiam quomodo puniendus ibidem
Sententia diffinitiva quæ prærequirat 733.a
Sententia diffinitiva quomodo formanda ibidem. b
Sepulturam an possit eligere monachus 620.b
Sermones produnt hominem 563.b
Otiosos sequuntur absurdi 564.a
Servi capti à Turcis an possint contra Christianos remigare 323
Catechumeni quomodo tractandi 375.b
honorent dominos suos 389
Dominorum in servos potestas 396.a.b
Servitus religiosa quam stricta sit 597.a
Eadem est cum filiorum & servorum servitute 599.b
Signa & notæ Messiæ 253.b
Signa veri servi Dei 129
Silentium quando & quomodo obliget Carmelitas 562
Silentij fructus & utilitates 563
V. Lingua, Loquacitas.
Silentium permissivum est & approbativum 631
V. Consensus, Licentia
S. Simon Stock egregius fuit animarum zelator 465.a
Simonia Græcorum 130.b
Sinenses politici sunt, & quomodo instruendi in fide 350
Societas JESU quantum in conversione gentium effecerit 44.a
Eorum privilegia, & quomodo ijs utantur 364
In perfecta adhuc perstitunt paupertate 669
Sodomia Saracenorum 292.a
Solitudo monachorum 419 563.b
Spiritus S. processionem à Patre & Filio negant Græci, sed probatur ex S. Scriptura 106
Ex conciliis 107.a
Ex Patribus Græcis 108.b
Et Græcorum argumenta solvuntur 110.b
De hoc Ruthenorum fides 146
Spiritus S. Missio indicat advenisse Messiam 260
Defenditur contra Turcas 317.a
Subditus etiam sub juramento interrogatus de auctore delicti omninò occulto, non tenetur aperire 711.a
Subditi rebellio gerit vicem accusatoris 717
Subditus de occulto crimine, secretò est puniendus 718.b
Subditus de occulto crimine quando si publicè puniendus 719.a
Subditus quando possit licitè reculare suos Prælatos 535.a
Subditus ferens testimonium coram Judice non Regulari absque debita licentia, est puniendus 730.b
V. servus.
Sumptuositas templorum & ædificiorum apud Mendicantes damnatur 660.661.662
Superbia vitanda est 384.a
Græcorum quanta sit 127.a
Superior *V. Prælatus.*
Superflua possidens proprietarius est 663
V. Sumptuositas.
Superstitiones judæorum 269.b

Vitandæ sunt 385.b
Sustentatio congrua quid requirat 625.b
Syndicus ordinis qualiter teneatur denuntiare fratrum culpas 357.b

T.

TArtaria quando, & à quo ad fidem Christianam conversa 25.b
Templum primum Mariæ erectum 441.452.a à Martha & Magdalena unum Christo, alterum Mariæ extructum 453.b
Petrus & Jacobus Mariæ quoque templum ædificarunt ibid.
Templi sumptuositas apud Mendicantes arguitur 661.a.b
Tempus quam pretiosum, & ad quid nobis à Deo concessum 564
Tentationes vitæ humanæ vincuntur gratiâ Dei 381
Terrenorum contemptus decet monachos 418 419
Testamentum vetus quoad cæremonias abrogatum est 199
Ex hoc contra Judæos agendum est 270. a
Testamenti veteris brevis historia 314
Testamentum quando & quomodo possit facere monachus 612.b.636.638
An etiam prælatus vel monachus ad episcopatum assumptus 617.a.b
An ordines militares possint condere testamentum ibid
Hanc licentiam solus papa concedit 638. a
An testamenti executores possint esse religiosi 639
Testis qualis requiratur, ut probet 708.a
Testis unicus quandò faciat perfectum indicium 713.b.
Testes duo quando dicantur conjuncti. 714
Testes singulares deponentes de indicijs remotis non connexis, non faciunt perfectum indicium 715.a
Illud axioma explicatur: *singula quæ non prosunt, simul collecta juvant.* ibid
Qui Testis faciat semiplenam probationem ibid. b.
Testis qui censeatur idoneus Ibid
Qui Testis sufficiat ad inquisitionem Rei occulti in notorio delicto 716.a
Qui Testis non sufficiat ad hoc ibid
Testis quando aperiat viam ad inquisitionem 717.b
Testis examinatus, se ignorare affirmans, quomodo dimittendus 722.b
Testis juridicè interrogatus tenetur aperire veritatem ibid
Testis qua forma interrogandus ibid
Testis non tenetur ferre testimonium cum suo gravi damno 724. a
Testis interrogatus legitimè quomodo possit negare veritatem. ibid
Testis post depositionem quomodo sit dimittendus. ibid. b
Testis est interrogandus de causa scientiæ ejus, quod deponit ibid
Testis coram Visitatore est examinandus ib.
Testis quare juratus debet esse ibid
Testis contra Regulares quis debeat esse ib.
Testium varia genera ibidem
Testes qui censeantur inhabiles ibid
Testes singulares qui ibidem
Testes singulares quandò inducant semiplenam probationem 725.a
Doctrina Cajetani circà Testes singulares ibid
Testis varius qui ibid.b
Testi vario numquam adhibenda fides ibid
Testis ambiguus qui ibidem b.
Testis ambiguus nihil probat ibid
Testis ambigui absentis qualiter depositio sit interpretan. à Jud. ibid.
Testis de credulitate qui 726.a
Testis hujusmodi non probat ibid
Testis hujusmodi quando probet ibid
Testis de auditu quandò probet ibid
Testis omni exceptione major qui ibid
Laicus quandò possit esse Testis contra Regulares 729.b
Mulier non potest esse Testis. ibid
Moniales quandò possint esse Testes ibid
Qui repellantur à testimonio ferendo 730. a
Testes inhabiles quandò admittantur ad testimonium ferendum ibid
Regulares quandò possint esse Testes coram Judice non Regulari. ibid
Quando possit Regularibus concedi facultas ferendi testimonium coram Judice non Regulari ibid
Absque tali facultate utrum Regulares probent ibid. b
Thalmuth Judæorum quos contineat errores 268
Theologia operario evangelico est necessaria 86.b
S. Theresia animarum zelatrix 465.b.466.b
Missiones ad varia regna fecit 469.a.b
Religionem suam in zelo animarum fore ferventem Christus illi promisit 469
V. Carmelita.
Quales inde postmodum factæ missiones 470.a.b
Et qualia de his vaticinata sit S. Theresia 471
Curam adhibet magnam volutt circa infirmos 511.a
Thomas Waldensis egregius hæreticorum oppugnator 220. 407
Ejus auctoritas ibid
Tortura ad quid sit adinventa 731. b
Tortura quando sit Reo adhibenda ib d
Tortura non est adhibenda quandò Reus per Testes idoneos est convictus, licèt non fateatur crimen ibid
Tortura non est Regularibus inferenda ib.
Quæ tortura sit adhibenda pro Religiosis ib.
Ad torturam inferendam quæ debeant præcedere 732.a
Ante torturam est concedenda Reo copia depositionum, si petat; secùs si non petat. ibid.
Tribunalis prælati ut patris quatuor fines principales 694
Tribunalia intra ordinem quæ censeantur 735
Tribus Juda Christum edidit 248
Trinitatis defensio contra Turcas 316. 317. 318
Triumphus Christi in fide 347. b
Turca qualiter captivos teneat Græcos 131. b
Cur tamdiu durent, & persequantur Christianos

stianos 307. 308
Eorum imperium est tyrannicum ibid
Quomodo cum ijs agendum, & adjuvandi 312
Curiosi sunt ibid
Alcoranum, & librum Cæremoniarum edis-cunt; & quibus alijs libris studeant 313
Christum negant mortuum 319
Ijs arma deferentes excommunicantur 321
Cum conversis quomodo agendum 372
V. Alcoranum, Mahometh, Saraceni.
Tutor an possit esse monachus 620. b
Tyrannis Turcarum 308
V. Alcoranum, Mahometh.

V.

Vanitas rerum secularium 330
Verba præceptiva quæ sint 481. b
Verbositatis mala 563. 566
V. Lingua, Loquacitas.
Vestes catechumenorum 374
Carmelitarum 442. 633. a
V. Necessitas.
Victoriam Pragensem obtinuit imago B. Mariæ V. ab hæreticis illusa 228. b
Turcarum victoriæ non probant eorum fidem esse veram 310. b
S. Vincentius Ord. Præd. quantus fuerit animarum zelator 50. a
Virginitatis auctor Elias 404. 423
Virginitas etiam in veteri lege servata est ib. b
Eam primo voverunt filij prophetarum 440
Vinum cur prohibuerit suis Mahomet 289. b
Violentia legis Mahomet. 295. b. 310
V. Mahometh.
Virtutes omnes in animarum zelatorem influunt 13
Quomodo suadendæ hæreticis 235. b
Quid præmij conferant virtutes 343. 382
V. Perfectio.
Hominis virtutes quæ? 530
Visio septena Eliæ quid denotet 439. b
Visitationem præcedat Missa de Spiritu S. 684
Tempus congruum ad incipiendam Visitationem ibidem
A quo debeat sumi initium in Visitatione. ib.
Quæ debeant inquiri in ipsa Visitatione. ib. b
Quæ inquirenda in Visitatione Collegij studiorum 685. a
Quæ inquirenda in Visitatione Monialium ib.
Post Visitationem est injungendum silentium. ibid.
In Visitatione exhortatio ante præceptum est facienda 720. a
Visitatores in Religionibus plures 683 a
Visitatoris conditiones ante actum visitandi. 684. a
Visitator in examine debet esse solus absque secretario ibid.
Visitatores debent punire impedientes, aut quomodolibet molestantes eos, qui deferunt aliorum culpas ibid. b
Visitator culpas etiam leves debet scribere. 702. a
Visitator ante Capitulum culparum debet orare ibid
Quis finis, & scopus Visitatoris ibid
Visitator quas ordinationes debeat relinquere 703. a
Visitator non multum debet esse curiosus in occultis indagandis ibid
Visitator qualiter se debeat gerere erga fratrem Evangelicè denunciatum 703. b
D. Basilij documentum ibid
D. Benedicti documentum ibid
Visitator quando dicatur procedere per modum inquisitionis 720. b
Visitator à juridicè denunciante debet exigere juramentum ibid
Visitator tenetur descendere ad specialem inquisitionem, quandò præcedit juridica denunciatio 721. a
Visitator post denunciationem sibi juridicè factam quid debeat postulare à denunciante ibid. b
Visitator quando non possit formare processum in subditum 722. a
Circumstantiæ servandæ à Visitatore in examine Testium ibid. b
Visitator debet concedere tempus à Teste postulatum ad capiendum consilium 724. a
Visitator tenetur Reo ante examen petenti copiam probationum concedere. 728. a
Quæ requirantur ut Visitator juridicè interroget Reum ibid. b
Ante sententiam quid debeat Visitator perpendere. 732. b
Visitator in pœna arbitraria qualiter se debeat gerere. 733. a
Vita activa sæpe præstat contemplativæ 36. 37
Innocens quantum præstet ad conversionem gentium 72. 76. 84. a. b
Vita & mors Christi describitur 256. 258. 315
Vita hominis triplex 333. a
Post hanc futura est alia 340. a
Vitæ novæ renovatio quam necessaria 384
Vita Essenorum mirabilis 412. a. b
Vitæ periculo an, & qualiter se possit quis exponere 549. a
Vita communis quid, & in quo consistat 649
V. Communis vitæ.
Unctionem extremam esse sacramentum probatur contra schismaticos 197. b
Unio membrorum cum capite in ecclesia Rom. 225. a
Voluntates duæ sunt in Christo 189. b
Voluntatis abnegatio decet monachos 478
V. Consensus, Licentia.
Voluptas carnalis felicitas Saracenorum est 297. a
Felicitas voluptatis cœlestis quæ? 332. b
Vota quomodo dispensent missionarij 67. 371
Meritoria sunt, & in lege veteri sunt facta 404. b
Sunt essentialia ad perfectionem consequendam 477
An fieri possit votum de materia gravi obligans solum sub veniali 483. b
V. Lex.
Votum paupertatis *V. Paupertas. &c.*
Voti solemnis & simplicis differentia 601. b
Voti solemnitas in quo consistat, & an in hoc pontifex possit dispensare 602. b
Quando vero non possit 611
Usus quid sit & quotuplex 584

Dupler datur ad usum facultas ibid
Usus fructus quid est. 583.b
Si gaudeat tali religiosus quid agendum 613
Uxores catechumenorum quomodo tractandæ 373
Debent revereri maritos suos 388.b

Z.

ZElatores in religione ad quid teneantur 688. b.
Zelator ordinis qualis sit constituendus 537.a
Qualiter culpas fratrum denuntiare teneatur ibid.b
Quantum Christus commendarit animarum zelum 9.b
Zelator animarum quibus debeat carcere impedimentis 20.a.b
Qualiter debet informari 49
Quomodo gentibus evangelium debeat proponere 58.a.b
Oratio ei necessaria est & fiducia 73.a
Charitas item proximi 74.a
Et beneficentia erga illum 75.a
Ante omnia sibi ipsi attendat ibid.b
Ejus conversatio qualis esse debeat 76.b.78.a
Animarum zelatores ex ordine Carmelitarum 465.a,b
V. Animarum Zelus.
Zona religiosorum quid mystice significet 442

FINIS.





P.
Thom. Iesu

Oper. Spirit.
Tom. II
OVII
26.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P.
Thom Iesu

Oper Spirit.
Tom. II
Ovid
26.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
579a

P.
Tho. à Iesu

Oper. Spirit.
T. I. & II

○ VIII
26

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN